ALEXICACON
REV. PATRIS
FR. CANDIDI
BROGNOLI.

7440B821


Edocet, ut Fallat
Lucet, ut ducat
IHS
Reue'rendi
P·F· CANDIDI BROGNOLI
Bergomensis
Ordinis Min: strict. obseru·Concionatoris,
Sac·T· ac Lectoris Generalis:
ALEXICACON
Hoc est
Malorum Expulsiuum
Medium utiq. uerum, certum securum, atque Catholicum; à Christo D· traditũ; ab Apostolis, et Sanctis in praxim ductum; et ab Auctore huius operis Mundo patefactum·
In lucem prodit sumptibus Reuerendi D· D· Iulij Brognoli, ac D· Bernardi Aquilinę
AlexiKaKus
AlexiKaKus
Demulcet, ut noc
In nomine tuo Dęmonia e
ut sanet
Elisabetta Picini Monaca in S· Croce
di Venetia Fece·

~~7440 B 821~~

ALEXICACON
HOC EST OPVS
DE MALEFICIIS,
AC MORBIS MALEFICIS.

DVOBVS TOMIS DISTRIBVTVM.

Quorum	Alter quatuor Alter totidem	De eorum	Cognitione Curatione	Diſput. continet.

Quibus non ſolùm eorum cauſæ, ſed curationes omnes, tàm reprobandæ, quàm amplectendæ exactè explicantur. Adductiſque, & reprobatis Exorciſtarum varijs erroribus, verus, certus, catholicus, & apoſtolicus eijciendi Dæmones, ab hominibus, & è rebus ad homines ſpectantibus: Deumque in cunctis neceſſitatibus propitium habendi modus traditur.

IN QVARVM CALCE QVÆ SINT PARTES EXORCISTÆ, quæue Medici, in eis cognoſcendis, ac curandis, concluditur.

Opus à nemine hactenus attentatum, ne dum Exorciſtis, ac Medicis neceſſarium; ſed Theologis, Philoſophis, Concionatoribus, Confeſſarijs, Parochis, Inquiſitoribus, Iudicibus, Aenergumenis, Aegrotis, ac in quacumque neceſſitate conſtitutis, vtiliſſimum; omnibuſque ſtudioſis forè iucundiſsimum.

AVCTORE

R. P. F. CANDIDO BROGNOLO

BERGOMENSE

Ordinis Minorum Reformatorum Concionatore, ac S. Theologiæ Lectore Generali.

PRODIT QVINQVE INDICIBVS LOCVPLETATVM.



VENETIIS, Typis Io: Baptiſtæ Catanei, M.DC.LXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV, AC PRIVILEGIO.

CORNELL UNIVERSITY
The
President White
Library
RECEIVED 1891.

~~7440 B821~~
A. 8095.

SVMMO DEO OPTIMO MAXIMO

IESV CHRISTO

DVCI NOSTRO

Regi Regum, ac Domino Dominantium.

COMMVNE eſt ferè omnibus librorum Auctoribus, ac Typographis ſub tutela, ac patrocinio huiuſce mundi Potentatuum ſua opera, ac libros collocare, vt eos ab obtrectatorum calumnijs tueantur. At quibus ſub auſpicijs lucem ſubire poterit hoc opus, in quo de Dei voluntate omnia gubernante: de ſpirituum malignorum ſcientia; potentia, ac malitia: de maleficis, eorumque prauis operationibus: de rebus naturalibus inſtrumentaliter in maleficijs concurrentibus: de varijs morborum maleficorum Curationibus diſputatur? Sub nullis vtiquè fęlicioribus auſpicijs hoc, inquam, opus ſubſternere potero, quàm tuis, ò Summe Deus, qui es voluntas omnipotens, virtus beneuolentiſſima, lumen æternum, incommutabilis ratio, ſumma Beatitudo: Qui es creans mentes ad te participandum, viuificans ad ſentiendum, efficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iuſtificans ad promerendum, accendens ad zelum, fęcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad beneuolentiam, moderans ad ſapientiam, roborans ad virtutem, viſitans ad conſolationem, illuminans ad cognitionem; perpetuans ad immortalitatem, implens ad fęlicitatem, circundans ad ſecuritatem: Qui es Deus Summus, Optimus, Maximus, Omnipotens, Sapientiſſimus, Miſericordioſiſſimus, Iuſtiſſimus, Secretiſſimus, Pulcherrimus, & Fortiſſimus: Qui es ſtabilis, incomprehenſibilis, inuiſibilis omnia videns, immutabilis omnia mutans, immotus omnia mouens, immortalis, illocalis, interminus, incircumſcriptus, infinitus, immenſus, inæſtimabilis, ineffabilis, inſcru-

inſcrutabilis, indicibilis, & inueſtigabilis, metuendus, atque terribi-
lis, honorandus, atque timendus, venerandus, atque reuerendus: Qui
ſolus viuificas omnia, creaſti omnia, vbique es, & vbique totus ſem-
per præſens, verè vnus, nec in partes efficeris, quia totus totum tenes
vniuerſum, totum imples, totum illuſtras, totum regis, & poſſides:
quia (tu ſolus es potens Rex Regum, & Dominus Dominantium,) te-
1. ad Timoth. 6. n. 15. ſte Paulo Apoſtolo: (tu ſolus habes immortalitatem, & lucem inhabi-
tas inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt:)
qui doces corda fidelium ſine ſtrepitu verborum: Qui attingis à fine,
vſque ad finem fortiter, ac diſponis omnia ſuauiter: qui locis non di-
ſtenderis, nec temporibus variaris. Cur ergo hoc opus mundi Poten-
tatibus eſt innitendum, ſi omnes homines ſunt? (Homo) autem, ait
Iob c. 14. n. 1. Iob cap. 14. (breui viuens tempore repletur multis miſerijs, qui quaſi
flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in
eodem ſtatu permanet?) Et ſi talis eſt, quo modo hoc opus ſua aucto-
ritate, ac potentia tueri, ac protegere valebit? Si ergo, vt docet Pſal-
Pſ. 117. tes, (Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine:
Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in Principibus,) mihi vti-
que conſultiſſimum erit, nedum hoc opus, ò mi Clementiſſimè Deus,
tuo Diuino opitulante Numine confectum, ſed meipſum totum tuæ
Diuinæ ſubſternere protectioni, vt ſub alis tuæ potentiæ ab aduerſarijs
tum viſibilibus, tum inuiſibilibus, ac obtrectatoribus perſequentibus
Eccl. 2. v. 13. tuearis. (Tu enim protector meus es, ſicut & omnibus exquirentibus
te in veritate:) nec vllus vmquam ex his, qui in te confidunt, inueni-
Geneſ. c. 15. v. 1. tur, qui intra ſe non audiat te dicentem: (Ego protector tuus ſum, &
merces tua magna nimis.) Sed vbi, ò Deus meus, nos protegis? In
omni loco; nam vbique laquei, vbique decipulæ, in quas minus cogi-
tantes impingeremus, niſi eas tua protectio interdum detegeret, inter-
dum verò, neſcientibus nobis præcideret. Et quando nos defendis?
1. Petri c. 5. In omni tempore; ſemper namque (Diabolus tanquam Leo rugiens cir-
cuit quærens quem deuoret,) à quo abſque dubio vigilantes, aut dor-
mientes diſcerperemur, niſi tu, ò refugium noſtrum, nos vndequaque
circundares. Et à quibus malis tuearis? Ab omnibus vtique tum men-
tis, tum corporis; nullumque; (niſi te adiuuante) peccatum, nullum
morbum, aut aduerſitatem euadimus. Sed quo protegimur? Certè
reſpectu, ſeù ſcuto benignitatis tuæ: Nam vt Rex potentiſſimus nos
quaſi in tuum cubiculum recipis, & ante oculos habes, vt à malis im-
minentibus tuearis. Abſcondis nos in abſcondito faciei tuæ, ideſt, re-
ſpectu oculorum tuorum, qui vicem habent loci tutiſſimi à conturba-
tione hominum: Protegis nos in tabernaculo tuo à contradictione lin-
guarum, ideò quaſi in adytis templi ſumus, licèt in medijs hoſtibus
Pſal. 30. verſ. 3. demoremur; & in die malorum protegis nos quaſi in abſcondito taber-
naculi tui. Eſque nobis, iuxta Dauidis effatum, (in Deum protecto-
rem, & in locum refugij, vt ſaluos nos facias.) Verè vita noſtra ab-
ſcon-

ſcondita eſt in te, quam veluti in ſinu tuo geſtas, ne ab aliquo irrumpente lædatur. Et quo alio nos protegis? Profectò nonniſi armis gratiæ tuæ, & gladio, quo pugnamus, lucis tuæ, ac donorum tuorum mirabilium. Creas enim ſuper omnem locum Montis Syon, ideſt, Eccleſiæ tuæ, qui ſumus nos, vbi inuocatus es, nubem gratiæ per diem, & fumum, vt ait Iſaias cap. 4. & ſplendorem ignis per noctem (ſplendor enim ſine fumo ſeruatus eſt in diem æternitatis) vt nullum ſit tempus, in quo tua nos protectio amabilis derelinquat. Tibi ergo, Clementiſſimè Deus, tibi Benigniſſimè Ieſu iuremeritò debetur hoc opus, in quo de tua Diuina protectione peragitur. Tuo conuenientiſſimè Nomini eſt dicandum, in quo de ipſius virtutibus, ac mirabilibus operibus, nedum in Dæmonibus profligandis, & eijciendis, ægrotis ſanandis, debilibus roborandis, tribulatis ſubleuandis, ſed nobis ipſis ſaluandis, & ab omni malo liberandis pertractatur. Hoc enim Nomen Ieſu Pater tuus æternus tibi impoſuit, Gabriel Angelus annunciauit, Virgo Mater aperuit. Quòd ſi omne, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius, qui, videlicet, ſingulis rebus conuenientia nomina indidit, quantò magìs quod vocauit Pater, à quo omnis ſapientia promanat, ipſum erit nomen tuum, & tibi per omnia conueniet? Vocaris ergo Ieſus, quod interpretatur Saluator, vel ſalus, quia tu Saluator, & ſalus noſtra es; propter quam adoro te; propter hanc gratias ago, hanc expecto, hanc poſtulo, eam meis precibus, ac deſiderijs exquiro. Vocaris, Ieſus, ſeù Saluator, ò Fili Dei dulciſſime, quia peccata deſtruxiſti: quia cathenas, & vincula affectionum terrenarum, quibus vincti tenebamur, abſtuliſti: quia Diabolum, qui mortis habebat imperium, viciſti: quia cælum aperuiſti: quia corda Hominis ad te traxiſti: quia inferno ſpolia detraxiſti: quia vniuerſum mundum expugnaſti: Vocaris Ieſus, quia ab ignorantia, malitia, & infirmitate nos liberas, & ſapientia, bonitate, ac fortitudine roboras. Tu enim factus es nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Vocaris Ieſus, quia hoc Nomen Sanctum tuum præcipuum nos liberandi à malis munus detegit, & vniuerſa tua nomina comprehendit. Nam ſi tu es Ieſus, & ſimul Emanuel, ideſt, nobiſcum Deus, es qui velociter ſpolia detrahis, & feſtinas prædari: Es admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Hoc tuum Sanctiſſimum Nomen eſt Sol iuſtitiæ refulgens omnibus timentibus eum, vt eos tanquam viatores, ac peregrinos in ſemitam rectam, ducat, & perducat in viam ſalutis æternæ. Eſtque veluti oleum effuſum, ait D. Bern. oleum enim ſicut lucet, paſcit, & vngit, fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, eſt lux, cibus, & medicina: ſic & hoc tuum Sanctiſſimum Nomen lucet prædicatum, paſcit recogitatum, inuocatum lenit, & vngit. Hoc igitur ſit huic meo Alexicacon tutamen, ac veluti ſcutum, ſeù vmbraculum die, noctuque, quo ab omnibus contrarietatibus protegatur: mihique ſit lux in oculis

Bern. ſerm. de Ieſu.

men-

mentis, & corporis, mel in ore, in aure melos, in corde iubilus, ac in toto corpore medicina. Hoc tandem os meum reſonet, auris mea audiat, cor meum recogitet, vita quoque mea illi conſentiat, conuerſatio præferat, vt hac ſalute cumulatus ad illam perueniam ſempiternam, tuoque diuino perfruar aſpectu, vbi cum Patre, ac Spiritu Sancto viuis, ac regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Altiſſimi Nominis tui gloriæ ſitiens

Inter Minores minimus

Fr. Candidus Brognolus.

PRO-

PROLOQVIVM

IN QVO TOTIVS OPERIS

Difficultas, Neceſſitas, Titulus, Subiectum, & Diuiſio explicantur.

§. I.

Difficultas.

1 VERE' dictum à Salomone Eccl. 1. *Cuncta res difficiles: non poteſt eas homo explicare ſermone*. Quod etſi omnium ſcientiarum profeſſores agnoſcant; ſpeciali tamen experimento ab ijs comprobatur, qui de dęmonijs, ac maleficijs tractant; de quibus diſputare non vnius eſt ſcientiæ, ſed plurium; quarum vnaquæque hoc ſibi iuremeritò tanquam fundum, & hæreditatem propriam vendicat. Etenim opus eſt nunc vtramque Theologiam conſulere: modò recurrere ad Philoſophiam: ſæpè mediçinam adire: aliàs quærere à Iuriſprudentia, quid ſentiat; & à qualibet mutuari, quæ ad rem faciunt. Quod ſine labore improbo omnia vincente, & ſine perenni ſtudio omnia perſcrutante fieri non poſſe, certum eſt. Quare arduum opus me aggredi, ſentio, in quod cum omnes illæ ſcientiæ confluant, omnium inuoluor difficultatibus.

2 Quaſnam putas patiuntur Theologi in eruenda, & enucleanda rerum ſupernaturalium notitia? quæ, quia ſunt ab omni materia deſæcatæ, ingenij humani aciem fugiunt, & naturalis cognitionis conatus generoſiores prætergrediuntur: *Accedet homo ad cor altum*, ait Dauid Pſal. 63. *& exaltabitur Deus*. *Accedet* inquam, ad ſublimes Theologiæ ſpeculationes, & ſupra omnem mundi altitudinem eleuatus quaſi Aquila ponet in arduis nidum ſuum, vt diuina contempletur; *ſed exaltabitur Deus* magnus humanam vincens ſcientiam; & puſillus homo admiratione perculſus poſt iteratas, & ſedulas ſpiritus acceſſiones cogetur exclamare cum Paulo Roman. 11. *O altituto diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? quis enim cognouit ſenſum Domini?*

Nec minore cura fatigantur illi, quos morales vocant, in explicando iure poſitiuo, diuino, aut eccleſiaſtico. Cum enim de die in diem mundus in deteriora flagitia ruat, & ætas omnis homines ferat prædeceſſoribus nequiores, mox datura vitioſiorem progeniem, tanta eſt humanæ malitiæ ſubtilitas, & tot noui, atque inauditi peccandi modi, hoc præcipuè ſæculo, in quod omnium vitioru colluuies erupit, vt ſæpè bonum malum, & malum bonum appareat: quia bonum fæcibus apparentibus conſpurcatum, & malum concinnatum fucis, & adulterinis coloribus aliam ſui ſpeciem exhibẽt; nec poſſint perſpicaciores, & lyncei Doctorum oculi ſine ſubtiliſſimo diſcretionis ſpiritu bonum defæcare, defucare malum, & iudicare inter lepram, & lepram. 3

Quid quæſo Philoſophi rerum naturalium acuti indagatores? Nonnè de illis eò clariùs diſſerere videntur, quò propiùs poſſunt eas contemplari, cum circumſcribantur naturæ cancellis? & tamen omnes ab initio naſcentis Philoſophiæ vſquè modò defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, quandoquidem ne vnius quidem muſcę ſuis ſcrutationibus attingere, nec vnius ex celebrioribus illis diſputationibus, quæ inter eos circa cauſas, effectus, & principia naturalia ventilantur, certam, & infallibilem concluſionem tradere potuerunt; ità vt maneant omnia axiomata incerta, opiniones omnes probabiles, omnes quæſtiones inextrica- 4

trica-

tricabiles, etſi acriter in illarum reſolutionibus aſſignandis ſubtili logomachia in ſcholis vſitata hactenus in inuicem decertarint.

5 Taceo de Medicis, qui ſolerti ſtudio, longo labore, & multa experientia in curandis corporum morbis exercitati ſæpius hæſitant, ſæpiſſimè hallucinantur; nec valent intricatas medicinæ controuerſias abſoluere: *cum ſit ars longa, vita breuis, occaſio præceps, experimentum periculoſum, iudicium difficile*: vt ſuo effato docuit illorum coryphæus Hippocrates. Quod ideò primum eſſe voluit in ſuis Selectis, ſeù Aphoriſmis; ne quis ad illam artem accedens aliquam ſibi certitudinem polliceretur; ſed etiam in limine hærens ſciret, illam ſcientiam eſſe difficultatibus plenam, quæ in coniecturis præcipuè verſatur.

6 Quid dicam de Iureconſultis, qui toti ſunt in ſoluendis ciuilium quæſtionum nodis, vt vnicuique reddant, quod ſuum eſt? Sed quàm ſint illi indiſſolubiles, teſtatur prodigioſa legum, ſtatutorum, & ſententiarum ius in diuerſa trahentium multitudo, quæ talem parit confuſionem, vt Iudicibus difficile ſit, in tanta rationum pro vtraque parte pugnantium varietate circa quamlibet controuerſiam definire, quid ſtatuendum; nè iuſtitia periclitetur, aut pereat. Nec minus litigantibus periculoſum, mouere quæſtiones; cum vnaquæque in partem affirmatiuam, & negatiuam probabiliter agitari, & dirimi poſſit.

7 Si ergo tot difficultatibus inuoluuntur harum ſcientiarum ſectatores, quid dicam de me, qui in hoc opere ſtadium ingredior illis commune, & omnium inſtituta ex parte complector? Nonnè fatendum eſt, me obrui tanta rerum difficilium multitudine, quæ ſermone, aut calamo explicari non poſſunt? Et certè tales ſunt, vt in ijs ſoluendis imparem me ſentiam. Nec tamen mihi mens eſt, aliorum ſcripta vllo pacto carpere: Non enim ſum melior patribus meis; neque quaſi quemdam arbitrum ſedere, qui libratis vtrinque opinionibus decernat, quænam diſſentiant, & quæ conſentiant: cum veritate non mihi tantum tribuo. Sat eſt, ſi clarè, & methodicè meam fero ſententiam iuxta conſilij mei rationem, quam, vt ingenuè aperiam, ſic accipe.

§. II.

Neceſſitas.

8 Mota eſt inter Exorciſtas, & Medicos non contemnenda controuerſia, quam ortam eſſe ab inimico homine in agro Domini ſuper ſeminante zizania, nemo non videt. Cum enim nihil ſit illi antiquius, quàm diris afficere maleficijs, noxijs vexare infeſtationibus, & ſæuæ tirannidi ſubiectos detinere mortales; ne de tot animarum, & corporum poſſeſſione deturbetur, & illi ſeruituti tyrannicæ per opportuna remedia ſubducantur; artibus ſuis circumuenit quoſdam ex Medicis, & ex Exorciſtis nonnullos, firmiter vtriſque perſuadendo ad ſe tantùm huiuſmodi morborum maleficorum cognitionem, & curationem pertinere. Ex quo Medici plerique cum non mediocri laborantium detrimento omnia ferè mala hominibus obuiantia noxijs corporum diſpoſitionibus, & rariſſimè, vel numquam diabolicis maleficijs attribuere conſueuerunt; & ideò ſi quem fortè veneficio infectum vident, non Eccleſiaſtica poteſtate; ſed virtute Medica curandum eſſe, exiſtimant. Exorciſtæ verò nonnulli falcem mittentes in meſſem alienam, maleficio vexatis varia vomitoria, potiones, lenimenta, ſuffitus, balnea, & alia huiuſmodi temerè, & ſine differentia proponunt cum maximo ægrotantium periculo.

Quare à viris cordatis rogatus vt vellem, hanc dirimere controuerſiam, quæ diſſentientibus odij, inuidiæ, & rixarum: maleficiatis prolixioris vexationis: & dæmonibus imperij 9
dilatandi occaſionem præbet: Nullum alium aptiorem litis componendæ modum putaui, quàm ſi publico ſcripto demonſtrarem: quęnam ſint in cognoſcendis, & curandis maleficijs partes Exorciſtæ, & Medici; vt ſic pacato diſſidio, & inita inter vtroſque concordia ſalubriùs oppreſſorum ſaluti cōſuleretur, ideò de diuina confidens gratia, vt aliquo modo par ſim ferendo, varios conſului Auctores, ex quibus diligenter ſelegi, quæ ad propoſitum facere videbantur. Et vt pro deſtruendis maleficijs, ac dęmonibus ab obſeſſis corporibus eijciendis inter tot varias exorciſmorum formulas aliquid certi Exorciſtis traderem, attentiùs, & maturiùs Exorciſtarum Theologorum modernorum praxim oculis mentis, & corporis contemplans, egometquè meorum ſuperiorum mandato pluries Romæ, Venetijs, Mediolani, Bergomi, alijſque Ciuitatibus, oppidis, & vicis ſuper Energumenos, ac maleficiatos manus imponens, eoſque in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu à quacumque dæmoniaca vexatione liberari comperiens, tum theorica edoctus, tum experientia inſtructus varios in veteri exorcizandi modo adinueni errores, quibus reiectis, & poſthabitis, faciliorem, certiorem, ſecuriorem, ac magis ſancto Euangelio conſentaneam viam amplectens, ex omnibus prædictis has adornaui lucubrationes, quæ per diuturnum laborem diuino ſemper opitulante Numine, in iſtud opus excreuerunt.

§. III.

Titulus.

Hvic verò operi ALEXICACON nomen impono, quod malorum expulſorem ſignificat, cū rectiùs illi conueniat, quàm Apollini, aut Herculi, quos hoc Epigraphe, 10
teſte Pauſania, cæca notauit antiquitas. Quid enim fecit imberbis ille Citharædus, vt hunc titulum demereretur, niſi per ſe, & per barbatum

batum ſuum filium Æſculapium mortales varia docere remedia, quibus corporis mala, vt ſunt morbi, & venena propulſantur? Atquè ideò in Deorum numerum relatus eſt, & peculiari cultu ab antiquis Medicis honoratus, qui obſeruantiæ ergo varia medicamina, præſertim illa, quibus venena curantur, alexicaca nominarunt. Sed nobiliori modo hoc pręſtat iſte liber, qui opportunis remedijs maiora mala depellit, nempè, maleficia, quæ ſumma eſſe mala, quotidiano comperitur experimento.

His enim per Magos cælum infici videtur, & aſtra obſcurari, ignis attrahitur, turbatur aer, ſuſcitantur venti, pluuiæ excitantur, lux obſcuratur, tenebræ inducuntur, tempeſtates producuntur, fontes ſiccantur, mare agitatur, & terra motibus quatitur inſolitis. His malefici ſolent peſtem inducere, inferre famem, fructus perdere, peſſundare fruges, meſſes aliò traducere, introducere ſterilitatem, armenta perimere, diſperdere greges, lac prægnantibus tollere, impedire conceptus, animalia incantare, & varios ſuper bruta inducere morbos. His quid non operantur in hominibus miniſtri Sathanæ? Bona auferunt, honores tollunt, vires debilitant, ſanitati nocent, ſenſibus illudunt, facultates naturales lędunt, membra diſtorquent, cauſant infirmitates, corpora agitant, mutant, transferunt, animam in paſſiones impellunt varias, viuentes dementant, & vexant, dormiẽtes ſomnijs terrent, mortuos ſuſcitare videntur: nec aliquid prætermittunt intentatum, quod libenter non exequantur in generis humani perniciem. Quidni ergò Alexicacus ſit liber ingentia illa mala propulſans, quibus tota mundi machina laborat?

11 Sed quare ſemideus ille Ares, ſeu Hercules tot veterum præconijs celebratus, & è funebribus buſticetis, in quibus viuus exarſit, trãſlatus ad Cęlos, Alexicacus dictus eſt, niſi quia monſtra toto orbe, robore inuicto, conquiſita felici pugna, feliciore victoria, feliciſſimo triũpho profligaſſe antiqui aſſeuerarunt? Et quid iſte liber ſe toto agit, niſi edocere, quomodo luctandum ſit, *Non aduerſus carnem, & ſanguinem*, Anthæum Gigantem, Cacum flammiuomum, tricorporeum Geryonem, & crudeles Centauros; aut aduerſus feroces beſtias, ſerpentes ignitos, apros terribiles, Leones hyrcinos, Hydras colubris, & capitibus pullulantes, Ceruas aeripides, & tricipites Cerberos, quæ omnia monſtra materia fragili, carne, nempè, & ſanguine conſtant; & ità facilè laſſantur, & ſuperantur: *Sed aduerſus principes, & poteſtates* virtute, & auctoritate præſtantes, vt ait Apoſt. Eph. 6. *Aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*, quibus, cum ſit ſubiecta materia ſublunaris; ſpeciali tamen in peccatores data eſt dominatio: *Contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, ſpiritus, nempè, incorporeos, & ſpirituales nequitias hominibus vafriores, quorum habitatio eſt, non in domibus luteis, ſed in aeris regionibus. Quare Alexicacon liber iſte nominandus, eſt, qui modum pręſcribendo, quo curantur maleficia, demonſtrat, quomodo dæmon, qui in ſcripturis *malum* per antonomaſiã vocatur, vt potè omniũ malorum auctor propulſandus ſit, tota erronum cohors fuganda; principes, & poteſtates humiliandi; rectores tenebrarum harum ab hominibus expellendi; ſpirituales nequitiæ coercendæ; & omnia mõſtra cum ſuis monſtruoſis maleficiorum operibus in nihilum redigenda.

12 Vndè Parochis, Exorciſtis, & alijs ſacroſanctæ Eccleſiæ Miniſtris, quibus meum deſudat ingenium, libenter offertur à me. Cum enim totam belli cõtineat rationem, & nouam, imò vetuſtiſſimam, nempè, apoſtolicam pugnãdi, vincẽdi, triumphandi de tot hoſtibus methodum oſtendat; innumeroſq. Exorciſmariorum antiquorum ſcopulos, in quos facillimè, oportet, impingant Exorciſtæ, niſi maxima polleat doctrina, & ſanctitate, aperiat, illis meritò offerendus eſt, qui vt alij Apollines, & Herculei dęmonibus toto orbe fugandis debent eſſe ſẽper intenti. Atq. ideò meritò Alexicachi expulſores malorum, & monſtrorum domitores cenſendi. Nam etſi Chriſtiani omnes, qui ſub Crucis vexillo Deo militant, dæmonem, & inferni monſtra debellare contendant; tamen hoc potiori ratione Parochis, & Exorciſtis cõpetit, cum illi, vt milites *occulta pugna* iuxta D.Aug. in pſal. 54. *manus cum hoſte inſerant.* Iſti verò vt belli duces diuina, & eccleſiaſtica armati poteſtate teterrimum aduerſarium ſoleant impetere, ſternere, profligare publico certamine ſpectãtibus Angelis, & hominibus.

§. IV.

Subiectum.

13 CVm autem ordo in omnibus, ſed præcipuè in doctrina tradenda ſit exactiſſimè ſeruandus, vt omnis erroris, & obſcuritatis tollatur occaſio, lubet breuiter præfari, quid ſit maleficium iuxta ethimologiam, & eſſẽtiam; vt ex eo pateat, quo ſenſu de illo toto opere diſputemus.

Si ſpectes ad nominis ethimologiam, à malefaciendo dicitur. Et dupliciter ſumi poteſt. Vel generaliter, prout ſignificat malum alicui illatum, quod iniuſtum, & voluntarium damnum importat (malum enim iuſtè illatum nõ eſt malum ſimpliciter; ſed reſpectiuè huic, aut illi; ſicut nec illud, quod infertur inuoluntariè, & præter intentionem: ver. gr. cum Iudex ex imperitia malè iudicauit: vel è domo aliquid eiectum eſt, quod nocuit; quamuis quaſi maleficium ſit, vt habetur *Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi delicto.*) Et ità omne malefactum in genere dicitur maleficiũ. & mali omnes Malefici, vt habetur 26. q.5. *c.non liceat, & l.Congruit. ff.de off.Præſ.& l.Ita vulneratur.ff. ad leg. Aquiliam, & l.ſi operis C.de pænis*. Vel ſpecialiter in quantũ ſignificat damnũ iniuſtum alicui illatũ à dęmone per hominẽ: vel homine inſtãte: Sic tribuitur omni actioni, quæ ab aliquo pactum expreſſum, vel tacitum cum dæmone habente eiuſdem opera perficitur. Niſi enim intercedat pactum, & dęmon cõcurrat, nõ magis dicitur

maleficium, quàm homicidium, furtum, & adulterium: Sic omnes tale pactum habentes, & talia operantes dicuntur Malefici per excellentiam ob inſigne nocendi ſtudium, & facinorum grauitatem; vt habetur 26.*q*.5. *cap. nec mirum, & L. nemo C. de malefic. & mathem.* Et ità eos communiter appellat vulgus.

14 Quòd ſi eius quidditatem, & eſſentiam reſpicias, *eſt Magiæ ſpecies, qua quis ope dæmoniaca alteri damnum parat.*

In qua definitione pro genere maleficium dicitur Magiæ ſpecies. Nam *magia* generaliſſimè ſumpta, *eſt ars quædam mira, & inſolita efficiens, non vi ſupernaturali, ſed creata, quorum ratio ſenſum, & captum humanum ſuperat.* Et diuiditur in Naturalem, Artificioſam, & Diabolicam, quorum effectus procedunt primæ quidem ex inſita rebus natura: ſecundæ ex humana induſtria: tertiæ ex malitia dęmonis. *Magia verò diabolica eſt facultas, qua vi pacti cum dęmonibus initi mira quædam efficiuntur.* Et complectitur quatuor ſpecies: Magiam ſpecialem, *Diuinationem*, Vanam obſeruantiam, & Maleficium; quæ ſuis locis definiuntur. Quare maleficium ſub magia generaliſſimè ſumpta continetur, ſicut ſub ſuo genere generaliſſimo ſpecies ſubalterna.

15 Differētia autem his verbis aſſignatur. *Qua quis alteri malum parat.* Etenim magia ſpecialis quærit tantùm effectus extraordinarij cognitionem, & operationem. Diuinatio rerum futurarum, vel præſentium, aut præteritarum, ſed arcanarum notitiam. Vana obſeruantia commodum aliquod ex re, quæ nec ſupernaturaliter eò pertinet: neque naturaliter id præſtare poteſt. Sed maleficium damnum, & nocumentum alterius, dæmone concurrente, & inuocante Malefico; in quo differt ab alijs ſpeciebus. Non loquimur de maleficio in primo ſenſu: quis enim ſufficiat totam eius latitudinem explicare. Inanis labor, & periculoſa præſumptio tale quid aggredi: cum omnia eſſent adducenda, quæ de vitijs tot editis voluminibus diſputantur. Sed agimus de illo in ſecundo ſenſu, in quantum eſt magiæ ſpecies, vt hoc tractatu cuncta diaboli conſilia, ſtudia, conatus, & vires in nocendo dignoſcantur, agnitæque refringantur, & tartareæ acies tot modis inſolitis hominibus inſultantes, ſcilicet, per veneficia, incantationes, præſtigia, illuſiones, & id generis artes magicas reuocentur in orcum æterno igne vſtulandæ.

§. V.

Diuiſio.

HOc poſito fundamento, totius ædificij ſymmetria declaranda venit, quæ in duabus totius operis partibus præcipuè eniteſcens, in cæteris etiam minutioribus obſeruatur. Viſum eſt enim opportunum, totam de maleficijs tractationem in duos ſecare tomos, quorum Primus de Cognitione Maleficiorum, Secundus de ipſorum Curatione agit: vterquè in quatuor diſputationes, ſeù libros ſuis diſtinctis numeris diuiditur: & ambo iunguntur, cum vnus ſine altero non poſſit conſiſtere. Quid enim noſſe proficit maleficia, ſi curare non licet? Aut quomodo curari poſſunt, ſi non datur prius illa cognoſcere? 16

Atquè ità complectimur omnia, de quibus inter Exorciſtas, & Medicos poſſunt oriri diſputationes; quæ regulariter ad hæc duo capita reuocantur, ſicut hac oſtenditur diuiſione: Quodnam ſit Exorciſtarum officium nempe; *Noſſe non quidem ſocia conſcientia*, vt loquitur Tertullianus *lib. de Anima*, vbi quęrit: *An commorentur hìc Animæ poſt mortem, vel ab inferis commeent. Sed inimica ſcientia* fallaces, & artificioſas totius erroris malefici nexus; atq. multiplices dęmonum, & mancipiorum eius operationes, quibus corporum, animarumque ſaluti inſidiantur. Tum remedia adhibere conuenientia: *non*, vt idem proſequitur, *inuitatoria operatione, ſed dominatione expugnatoria*, quibus ij tolluntur errores, & ſpiritus immundi ab hominibus obſeſſis, ac cæteris ad homines ſpectantibus exire coguntur.

Quæ omnia mihi ex profeſſo harum lucubrationum ventilabro diſpellenda, veritatis, charitatiſque velut chalybæo ſpeculo vſtulanda dilegi, non virium vlla mearum fiducia; ſed ſupremi Numinis auxilio præſumpto, à quo omnis ſapientia, omne datum optimum, & omne donum perfectum, Deipara Sanctiſs. fauente, per quam cæleſtium gratiarum theſauri diſpenſantur, Beatiſſimo Franciſco, eiuſque Athleta S. Antonio à Padua, cæteriſque Sanctis ſuppetias ferentibus, qui noſtri curam diuino nutu ſuſceperunt, & ſua dignitate, atque ſuffragiorum virtute beneficia promerētur æterna, & temporalia, quæ (ſic exigentibus peccatis) nuſquā alias conſequeremur

Appro-

Approbatio Theologorum noſtræ Religionis.

ALexicacon R.P.F. Candidi Brognoli à Sarnico Sacræ Theologiæ Lectoris Generalis, ac Sanctiſſimæ Inquiſitionis Vicarij in tota Diœceſi Bergomenſi: ſeù Opus de cognoſcendis, ac curandis maleficijs, ac morbis maleficis: Iuſſu Reuerendiſſimi Patris Bonauenturæ Caballi Ordinis Minorum in Ciſmontana familia Obſeruantium, & Reformatorum Commiſſarij Generalis: Nos eiuſdem Ordinis, & inſtituti Prouinciæ Reformatæ Brixiæ ſubſignati Theologi recognouimus, ac cenſuimus, opus eſſe ſolerti elaboratum induſtria, rerum varietate, atque ordine ſingulari, & ſuo titulo apprimè dignum: Cum catholicum Herculem infernalium monſtrorum domitorem, & Chriſtianum Apollinem veneficorum depulſorem morborum vbique exhibeat; & nihil edoceat à ſacris Orthodoxæ fidei Decretis alienum: aut à Chriſtianis moribus deuium. Ideòque dignum, quod typis cedrinis procudatur. Quod teſtatum voluimus, ac debuimus die 5. Iulij anno reparatæ ſalutis 1666. In Conuentu Sanctæ Mariæ Pacis Alzani ſub noſtra manu, ac ſolito ſyngrapho

Frater Ioannes à Curtenoua Sacræ Theologiæ Lector generalis, ac Prouinciæ Pater.
Frater Leo ab Albenio Sacræ Theologiæ Lector, ac Miniſter Prouincialis Prouinciæ Reformatæ Brixiæ.

Facultas Reuerendiſſimi P. Commiſſarij Generalis.

Frater Bonauentura Caballus Ord. Min. Strict. Obſeruantiæ Sac. Rituum Congreg. Conſultor, & in hac Ciſmontana Familia Obſeruant. & Reform. Commiſſarius Generalis, & Seruus. Dilecto Nobis in Chriſto Patri Fratri Candido Brognolo à Sarnico Prouinciæ noſtræ Reform. Brixiæ Concionatori, Sac. Theologiæ Lectori Generali, ac Sanctiſſimæ Inquiſitionis in tota Diœceſi Bergomenſi Vicario. Salutem in Domino.

CVm iuxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones reuiſum, & approbatum fuerit quoddam Opus à te collectum, cuius titulus eſt (Opus de cognoſcendis, & curandis maleficijs, ac morbis maleficis.) Tenore præſentium ad ſalutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus ſeruatis ſeruandis illud Typis mandare poſſis, & valeas. Vale in Domino, quem & pro Nobis exora. Dat. Romæ in Ara Cœli die 18. Septembris 1666.

Fr. Bonauentura Caballus Com. Gener.

Noi Reformatori dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquiſitore noi cinque libri intiolati, *Alexicacon, hoc eſt opus de Maleficijs, ac morbis Maleficis*, non eſſerui coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza à Gio: Battiſta Catani di poterli ſtampare, oſſeruando gli ordini &c.

Dat. à 28. Luglio 1667.

(
(Angelo Correr Cau. Procur. Reform.
(Nicolò Sagredo Cau. Procur. Reform.

Angelo Nicoloſi Segr.

SVMMARIVM

Breuiſſimè oſtendens, quæ latiſſimè in toto hoc Opere pertractantur.

Tomo I. Diſputatione I. Agitur.

De Dei	*Sapientia* *Bonitate* *Prouidentia* *Potentia* *Iuſtitia*	*in ordine ad mala vel*	*Prohibenda.* *Permittenda.* *Impedienda.* *Punienda.*

Speculatiuè, & practicè pro Concionatoribus, ac Studioſis.

Diſputatione II.

De Angelorum bonorum, & malorum	*Scientia.* *Potentia.* *Operatione.*
Quid poſſint in	*Cælo.* *Terra.* *Limbo.* *Purgatorio.* *Inferno.*

De eorum varijs apparitionibus, & terriculamentis.
Speculatiuè, & practicè pro Concionatoribus, & Studioſis.

Diſputatione III.

De Magis, & Maleficis, eorumque operationibus.
De vitijs, ac virtutibus oppoſitis.
De omnibus ſcientijs prohibitis. De Magia naturali, ac de diabolica.
De maleficijs ſomniferis, Amatorijs, ac Hoſtilibus.
Speculatiuè, ac practicè pro Concionator. Confeſſarijs, & Exorciſtis.

Diſputatione IV.

De rebus naturalibus concurrentibus in Maleficijs: ſiuè animatis, ſiuè inanimatis.
De animatis tam rationabilibus, quàm irrationabilibus.
De inanimatis ſacris, ac prophanis.
De abuſu Sacramentorum, Sacramentalium, ſacræ Scripturæ, ac Suppellectilis ſacræ.
De Cabala pia, & ſancta, ac de Cabala diabolica.
De Annulis, & imaginibus aſtronomicis.
Speculatiuè, ac practicè pro Concionat. Confeſſarijs, ac Studioſis.

Tomo II. Diſputatione I.

De Curatione diabolica, magica, ac ſuperſtitioſa.
De pœnis canonicis, ac ciuilibus debitis huiuſmodi Malefactoribus, Magis, ac Maleficis Viris, Mulieribus, ac pueris.
Qualificantur eorum delicta.
Patefit quando adſit obligatio eos denunciandi.
Latiſſimè de omnibus generibus, ac ſpeciebus ſuperſtitionum.
Speculatiuè, & practicè pro Iudicibus, Inquiſitoribus, Concionatoribus, Confeſſarijs, ac omnibus Studioſis.

Diſpuratione II.

De medicina, ac multis remedijs naturalibus in genere, & in ſpecie.
De actione phyſica, ſenſibili, phantaſtica, ac intelligibili.
Quid poſſint in dæmones huiuſmodi res naturales. Et qua actione in eos operentur.
Speculatiuè, & practicè pro Medicis, Exorciſtis, ac Studioſis.

Diſputatione III.

De Curatione morali, quæ fit per deſtructionem ſignorum maleficij.
Hæc ab omnibus alijs Doctoribus admittitur, & approbatur.
Sed ab Auctore magis contrarium probatur, ac ſuadetur.
Cuius poſitio rationibus, et exemplis comprobatur.
De maleficio facto in matrimonio quando ſit perpetuum, vel temporale ad mentem aliorum Doctorum. Quando verò ſit tale ad mentem Auctoris.
Speculatiuè, ac practicè pro Exorciſtis, Confeſſarijs, ac Studioſis.

Diſputatione IV.

De Curatione diuina, quæ eſt à Deo, & à poteſtate Eccleſiæ.
Latiſſimè de Ordine Exorciſtatus.
De Virtutibus Fidei, Spei, ſeù fiduciæ in Deum, Charitatis, Fortitudinis, ac Prudentiæ in erroribus vitandis, ac rectis ſemitis eligendis.
De Ieiunio, ac de Oratione ad Deum, Chriſtum, Mariam, & Sanctos.
De Dei Prouidentia, Bonitate, ac Veritate in ordine ad bona conſequenda.
De modo vero, certo, ſecuro, catholico, & apoſtolico eijciendi dæmonia, curandi infirmos, ab inimicis ſe tuendi, aliaque bona à Deo impetrandi.
Speculatiuè, & practicè pro Concionatoribus, Exorciſtis, ac omnibus in Deum confidentibus.

HIC AVCTORES OMNES

PROBATÆ, VEL IMPROBATÆ FIDEI,

Theologi, Iuriſconſulti, Medici, Philoſophi, Phyſiologi, Hiſtorici, aliarumque ſcientiarum, atque artium Profeſſores, qui huic operi ſuam quoquomodo operam ſubminiſtrarunt, ſerie Alphabetica recenſentur.

A.

Abbas Caſſianus.
Abbas Panormitanus.
R. Abenezra.
Ada.
Adrianus Papa VI.
Ætius.
Ægidius Carlerius.
Ægidius de Coninch.
Ægidius Trullench.
Æſculapius Medicus.
Agapitus Vgonus Inquiſit.
Albericus.
Albertus Gandinus.
S. Albertus Magnus.
Albinus Flaccus.
Alcazar.
Alciatus.
Alcuinus.
Alexander Albertinus.
Alexander Alenſis D.irrefrag.
Alexander Aphrodiſæus,
Alexander Calamato.
S. Alexander Papa I.Martir.
Alexander Papa II.
Alexander Papa VI.
Alexander Papa VII.
Alexander Trallianus.
Alexius Porrò.
Algazellus.
Allois Abbas.
Almainus.
Aloyſius Bariola.
Alphonſus à Caſtro.
Alphonſus Mendoza.
Alphonſus Toſtatus.
Amatus Luſitanus.
Ambroſius Calepinus.
S. Ambroſius Epiſcopus.
Ambroſius Lactantius.
Ambroſius Paræus Chirurgus.
S. Amphilochius Epiſcopus.
Amnianus.
Anna in Canticis.
Ananias Cannoniſta.
Anaſtaſius Germon.
Anaſtaſius Nicenus.
Annæus Robertus.
Andræas Cataneus.
Andræas Lauretanus.
Andræas de Vegas.
Angelus Raphael.
S. Anſelmus Epiſcopus.
S. Antoninus Archiep.
Antoninus Diana.
S. Antonius Abbas.
Antonius Andræas.
Antonius de Butrio.
Antonius Gomez.
Antonius Hiquæus.
Antonius Mirandulanus.
Antonius Mizaldus.
Antonius Naldus.
S. Antonius à Padoua.
Antonius Perez.
Antonius Queuedo.
Antonius de Souſa.
Antonius Torquemada.
Appollonius Thyanæus.
Apulæus Platonicus.
Aquila.
Archidiaconus.
Archigenes.
Archimedes.
Aretas.
Aretinus.
Armilla.
Arnaldus.
Arnobius Rethor.
Arnoldus Carnotenſis.
Arnulphus Lexouienſis.
Arnulphus Presbyter.
Arſenale Inquiſitorum.
S. Athanaſius Epiſcopus.
S. Audoenus Epiſc. Rhotomag.
Auerroes Medicus.
Augerius Fererius Medicus.
Auguſtinus Barboſa.
Auguſtin. Dotta de Saruiliano.
S. Auguſtinus Epiſc.Hipponẽſis.
Auicenna Medicus.
Aulus Gellius.
Aurelianus Croniſta.
Azo.

B.

Balduinus.
Balthaſar Paes.
Baptiſta Codroncus Medicus.
Baptiſta Porta.
Baptiſta Segna.
Barbatia.
S. Barnabas Ap.
Baretius de Baretijs.
Baronius Cardinalis.
Bartholomæus ab Angelo.
Bartholom. Caſtellus Medicus.
Bartholomæus Faius.
Bartholomæus Ledeſmus.
Bartholomæus Maſtrius.
Bartholomæus Sibilla.
Bartholomæus Spineus.
Bartholomeus Vgolinus.
Bartholus Iuriſta.
Baſilius de Leon.
S. Baſilius Magnus Epiſcopus.
Baſinus Inquiſitor.
Beda Venerabilis.
Belochius.
Benedictus Brigæus.
Benedictus Iuſtinianus.
Benedictus Pererius.
S. Bernardinus Senenſis.
S. Bernardus Abbas.
Bernardus Aquilina.
Bernardus Botonus.
Bernardus Comenſis.
Bernardus Luxembrugicus.
S. Birgitta.
S. Blaſius.
Bochleſius.
Boetius.
Bonauentura Bellutus.
S. Bonauentura D.Seraphicus.
Bonifacius Papa VIII.
Bonifacius de Vitalinis.
Bongus.
Bordonus.
Breuiarium Romanum.
Buccaferrus.
Bucerus.
Burcardus.
Burſæus.
Burſus.
Billius.

C.

S. Cæleſtinus Papa.
Cælius Cripta.
Cælius Calcagninus.
Cælius Rodiginns.
Cedrenus.
Ceſalpinus.

Cæſar

Cæſar Carena.
Cæſarius Ciſtercienſis.
Cæſar Eiſterbacenſis.
S. Caius Papa, & Martir.
Calpanius Poeta.
Campana.
Campanus.
Campegius.
Canus.
Capreolus.
Cardanus.
Carolus Bauius.
S. Carolus Boromęus.
Carolus de Graffis.
Carolus Magnus.
Carolus Oliuerius.
Carolus Papa V.
Cartharius.
Caſſiodorus.
Cedrenus.
Celſus.
Chronicum Fratrum Minorum
S. Chryſoſtomus.
Chieza Hiſtoricus.
Cicero.
Cirillus de Montano.
Ciruelus Draconenſis.
Citharedus.
Claudianus Poeta.
Claudius Cæſar.
Claudius Gerardus.
Clauis Regia.
S. Clemens Alexandrinus.
S. Clemens Romanus Papa I.
Clemens Papa IV.
Clemen Papa VII.
Clemens Papa VIII.
Claodianus.

Concilium:
Agatenſe.
Ancyranum.
Antiochenum.
Antiſiodorenſe.
Arauſicanum.
Aurelianenſe I.
Bracarenſe II.
Carthaginenſe IV.
Florentinum.
Gangrenſe.
Gerundenſe.
Laodicenſe.
Lateranenſe.
Lugdunenſe.
Mediolanenſe.
Maguntinum.
Nicenum.
Pariſienſe.
Rhemenſe.
Romanum.
Tarraconenſe.
Toletanum V.
Toletanum VI.
Tridentinum.
Turonenſe.

Coccius Sabellicus.
Columella.
Coſmus Philiarcus.
Conimbricenſes.
Conradus Monachus.
Corduba.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Centarius.
Cornelius Gemma.
Conradus Vuimpina.
S. Cornelius Papa, & Martir.
Creſpetus.
Crolandenſis Hiſtoricus.
Cromerus.
Cumanus Epiſc.
Cuſpinianus.
S. Cyprianus Epiſc. & Martyr.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Cyrillus Hieroſolymitanus.

D.

S. Damaſcenus.
Damides.
S. Daniel Stylita.
Daniel Sennertus Medicus.
Decianus.
Decius.
Demetrius.
Democritus.
Deſiderius Gandonius.
Diagora.
S. Didacus.
Didacus Cantera.
Didimus.
Dinamius Patricius.
Diodorus.
S. Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Carthuſianus.
Dioſcorides Medicus.
Directorium Inquiſitorum.
Diſarius Medicus.
Dominicus Bannes.
Dominicus Soto.
Dorothæus Hiſtoricus.
S. Drogo Hoſtienſis.
Duuarenus.
Durandus.

E.

Eccleſia.
Ecchius.
S. Eligius Nouiomenſis Epiſc.
Eliſæus Maſinus.
Enchiridion.
S. Ephrem Syrus.
Epicurus.
S. Epiphanius Epiſcopus.
Equitius Abbas.
S. Eraſmus Epiſcopus, & Martyr.
S. Euagrius Epiſc. Conſtantinop.
Euclides.
Euemerus Tegeatem.
Eugubinus.
Euonimus Medicus.
Euripides.
Euſebius de Montano.
S. Euſtachius Presbyter.
Euthimius Zigabonus.
Eutholomius Comes.
R. Ezra.

F.

Faber Fauentinus.
Fabius Orator.
Fabius Paulinus.
Fazellus.
Federicus Iametius Medicus.
Felinus.
Felix Malleolus.
Felix Scripturiſta.
Ferdinandus à Caſtro Palao.
Ferdinandus Caſtanneda.
Ferdinandus Salandus.
Firmilianus.
Florianus Canalis.
Florimundus de Raymundis.
Fonſeca Philoſophus.
Fortunatus.
S. Franciſcus Aſſiſiates Seraph.
Franciſcus Arias.
Franciſcus Bordonus.
Franciſcus Brunus.
Franciſcus Ceſpedes.
Franciſcus Feuardentius.
Franciſcus Longobardus.
Franciſcus Maria Guaccius.
Franciſcus Pegna.
Franciſcus Pelizzarius.
Franciſcus Ribera.
Franciſcus Robortel.
Franciſcus Sala.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Titelmanus.
Franciſcus Valeſius Medicus.
Franciſcus Valleriola Medicus
Franciſcus Victoria.
Freitas.
Fruſius.
Fulbertus.
S. Fulgentius Epiſc. Ruſpenſ.
Fulgoſus.
Fulgina Medicus.

G.

Gabriel Biel.
Gabriel Vaſquez.
Gaguinus.
Galatinus.
Galenus Medicus.
Garzonus.
Geminianus.
Genebrardus.
S. Germanus Epiſcopus.
Giges Medicus.
Gilhauſen.
Gloſſa Canonica.
Gloſſa Marginalis.
Gloſſa ordinaria.
Glycas Hiſtoricus.
Godefridus.
Graffius.

Granadus.

Granadus.
Gratianus Canoniſta.
Gregorius Lopez.
S. Gregorius Magnus Papa I.
S. Gregorius Nazianzenus Epiſc.
S. Gregorius Taumaturgus.
S. Gregorius Niſſenus.
Gregorius Papa VIII.
Gregorius Papa XV.
Gregorius Pictorius.
Gregorius Presbyter.
S. Gregorius Turonenſis Epiſc.
Gregorius de Valentia.
Gregorius Venetus.
Gretzerus.
Grillandus.
Grilenzonius.
Guido Brianſonus.
Guido Medicus.
Guilhelmus Abbas.
Guilhelmus Durandus.
Guilhelmus Neburg. Epiſc.
Guilhelmus Pariſienſ. Epiſc.
Guilhelmus Philiarcus.
Guilhelmus Vorilon.
Gutierez.

H.

HAymo.
Haliacenſis Cardinalis.
Hector Baetius.
Heliodorus Hiſtoricus.
Henricus de Firmaria.
Henricus à Gandauo D.ſolemnis.
Henriquez.
Heraclitus.
Hercules Pharmacopularis.
S. Hermas Diſcip. Pauli Apoſt.
Herodotus.
S. Hieronymus.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus de Ferraria.
Hieronymus Menghus.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Pacchius.
Hieronymus Phalatus.
Hieronymus Sauonarola.
S. Hilarion Abbas.
S. Hilarius Epiſcopus.
B. Hildegardes Virgo.
Hincmarus.
Hippocrates Medicus.
S. Hippolytus Martyr.
Hippolytus Marſilius.
Hippolytus Riminaldus.
Hiſtoria Eccleſiaſtica.
Hollenus.
Homerus.
Homobonus.
Honorius Papa III.
S. Honuphrius Cardinalis.
Hoſtienſis Cardinalis.
Hubertinus Iuriſta.
Hugo Cardinalis Floriacenſis.
Hugo de S. Victore.

I.

IAcobus Aluarez.
Iacobus Billius.
S. Iacobus Diaconus.
Iacobus de Graffis.
Iacobus Menochius.
Iacobus Montanus.
Iacobus Pamelius.
Iacobus Simanchas.
Iacobus Sprenger.
Iacobus de Valentia.
Iamblicus.
Iametius Medicus.
Ianſenius.
Iaquearius.
Ieremias Drexelius.
Ignatius Lupus.
S. Ignatius Martyr.
Innocentius Papa I.
Innocentius Papa III.
Innocentius Papa IV.
Innocentius Papa VII.
Innocentius Papa VIII.
Ioachim Abbas.
Ioannes de Anania.
Ioannes Andreas.
Ioannes Azorius.
Ioannes Bannus.
Ioannes Baſſolus.
Ioannes Baptiſta Belhauerius.
Ioannes Baptiſta Camelus.
Ioannes Baptiſta Folengius.
Ioannes Baptiſta de Lezana.
Ioannes Baptiſta Poſſeuinus.
Ioannes Baptiſta Segna.
Ioannes Bondinus.
Ioannes Boetius.
Ioannes Calderinus.
Ioannes Carthagena.
Ioannes Caſſianus.
Ioannes Capeauille.
Ioannes Clinopæus.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
S. Ioannes Damaſcenus.
Ioannes Diaconus.
Ioannes Dodo.
Ioannes D. Scotus Subtilis.
Ioannes Fantuzzius.
Ioannes Fernelius Medicus.
Ioannes Gailer.
Ioannes Galeacius.
Ioan. Gregorius Godelmannus
Ioannes Griuellus.
Ioannes Gerſon.
Ioannes de Horoſco.
Ioannes de Imola.
Ioannes Langius.
Ioannes Lorinus.
Ioannes Maior.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Molinetus.
Ioannes Neapolitanus.
Ioannes Nider.
Ioannes Papa XXII.
Ioannes Franciſcus Picus.
Ioannes à Royas.
Ioannes de Rupeciſſa Medicus
Ioannes Salas.
Ioannes Sanchez.
Ioannes Maria Scribonius.
Ioannes Tagautius.
Ioannes Turrecremata.
Ioannes Vigerius.
Ioannes de Vuax.
Ioannes Zanger.
Ioſeph Angles.
Ioſeph à Coſta.
Ioſeph Hebræus.
Ioſeph Maſcardus.
Iouianus Pontanus.
S. Irenæus Epiſc. Hiſpalenſis.
Iſaac Abbas.
Iſidorus Abbas,
S. Iſidorus Epiſcop. Lugdunenſis.
Iſigonus.
S. Iudas Thadæus.
S. Iuo Presbyter.
Iulianus Iuriſta.
Iulius Clarus.
Iulius Cæſar.
Iulius Papa II.
Iulius Papa III.
Iulius Paulus.
Iulius Scaliger.
Iulius Sirenius.
S. Iuſtinus Martyr.
S. Iuſtus Monachus.
Iuſtus Lipſius.
Iuuenalis.

K.

KImmi

L.

LActantius Firmianus.
Laertius.
Lambertus Bannes.
Landulphus Carthaginenſis.
Landulphus Carthuſianus.
Lapidarius.
Laurentius ab Anania.
S. Laurentius Iuſtinianus.
Laurentius Peyrinus.
Laurentius Portel.
Laurentius Surius.
Lazarius.
Lazarus de Lancellottis.
Lælius Zecchius.
S. Leo Papa.
Leonardus Leſſius.
Leonardus Vairus.
Leonicus.

S.Leon-

S. Leontius Epiſc. Cæſarienſis.
Leonus Spoletanus.
Leuinus Lemnius Ziricæus.
Lippomanus.
Leuius Hiſtoricus.
S. Linus Papa.
S. Lucas Euangeliſta.
Lucas Gauricus.
Lucius Papa III.
Lucretius Poeta.
Ludouicus Bannairolus.
Ludouicus Bloſius.
Ludouicus Dulcis.
Ludouicus Frois.
Ludouicus Gilhauſen.
Ludouicus Granatenſis.
Ludouicus à Paramo.
Ludouicus Richeamus.
Ludouicus Romanus.
Luiſius Legionenſis.
Lullus.
Lycoſthenes.
Lyndanus.

M.

Macrobius.
Maguntinus.
Marcellinus Hiſtoricus.
Marcellinus de Piſe.
Marcellus Empiricus Medicus
Marchinus.
S. Marcus Euangeliſta.
Marcus à Lisbona.
Marcus Marolus.
Marianus à Monticulo.
Marlanus Socimus.
Marſilius Ficinus Medicus.
Marſilius Iuriſta.
Martinus de Arles.
Martinus Beccanus.
Martinus Delrius.
Martinus Nauarrus.
Martinus Papa V.
Martinus Romanus.
Martinus Rulandus Medicus.
S. Martinus.
S. Matthæus.
Matthæus Stephanus.
Matthias Toringius.
Matthiolus Medicus.
Maximilianus ab Eynatem.
S. Maximus Epiſc. Taurinenſis.
S. Martialis.
Mela.
Menander Poeta.
Mercado.
Mercurius Trimeg.
Mercurialis.
Meſues Medicus.
Metaphraſtes.
Michael Medina.
Michael Montanus.
Michael Salonius.
Michius.
Mileſius.
Miſſale Romanum.
Mytriades Pontus.
Molſeſius.
Molina.
Munſtreletus.

N.

Nicandrus.
Nicephorus.
Nicolaus Empiricus.
Nicolaus de Lira.
Nicolaus Monachus.
Nicolaus Morellius.
Nicolaus Myreſius Medicus.
Nicolaus de Orbellis.
Nicolaus Remigius.
S. Nilus Abbas.
Nugnus.

O.

Ocham.
Octauianus Medicus.
Oecumenius.
Ogglerius Medicus.
Olaus Magnus.
Orlandus de Ponte.
S. Optatus Epiſc. Mileuet.
Orphæus.
Oribatius Medicus.
Origenes.
Osbertus.
Oſuardus.
Ouidius Poeta.

P.

Pacurius Phauorinus.
Pammachius.
Pandectarius.
Pandulphus.
Pannonimus.
Paraphraſtes.
Paris de Puteo.
Paſchaſius Diaconus.
S. Paulinus Epiſcopus.
S. Paulus Apoſtolus.
Paulus Piacæſius.
Paulus Burgenſis.
Paulus Carraria.
Paulus Diaconus.
Paulus Grillandus.
Paulus Layman.
Paulus Papa IV.
Paulus Papa V.
Paulus Sherlogus.
Pauſania.
Pedraza.
Pelbartus.
Peltanus Perez.
Petrus Ancharanus.
Petrus Andræas.
Petrus de Albano.
Petrus de Aragonia.
Petrus Aureolus.
Petrus Ærodius.
Petrus Binsfeldius.
Petrus Breslayus.
Petrus Cluniacenſis.
Petrus Caniſius.
Petrus Damianus Card.
S. Petrus Gregorius Toloſanus.
S. Petrus Chryſologus Epiſc.
Petrus Ledeſma.
Petrus Leloyherus.
Petrus Lombardus Epiſc.
Petrus Paludanus.
Petrus Rauzanus.
Petrus Tataretus.
Petrus Thyræus.
Philippus Faber Fauentinus.
Philippus Marchinus.
Philoſtratus.
Philo Hebræus.
Phlegon.
Picus Mirandulanus.
Pius Papa V.
Plato.
Plinius.
Plotinus.
Plutarcus.
S. Policarpus.
Policarpus Burchar.
Pomponatius.
Pomponius.
Pontificale Romanum.
Primaſius.
Proclus.
S. Procopius.
B. Proſperus.
Proſper Farinacius.
S. Proſper Epiſc. Rheg.
Protagora.
Pueronus Abbas.

Q.

Quintillus Samonius Med.
Quintillus Mandos.
Quirinus Papa VI.

R.

Rabanus.
Rabbus Ægyptius.
Raphael de Turre.
Raymundus Epiſc. Cumanus.
Raytherius.
Raynutius.
Reginaldus.
Regius Bſaltes.
S. Rembertus Epiſc. Rhemenſis.
S. Remigius Epiſc. Rhemenſis.
Renodæus Medicus.

Reper-

Repertorium Inquiſitorũ.
Ricardus de Mediauilla.
Ricardus de S. Victore.
Richelius.
Ricciardus.
Rituale Romanum.
Robertus Cardinalis.
Rodericus à Cunha.
Rodericus Sancius.
Rodriquez.
Roffenſis.
Rondeletius Medicus.
Ronſæus.
Rodulphus Cupers.
Rupertus Abbas
Rupertus Tuitienſis.
Rupertus Rex.
Ruſticus Treuirenſis.

S.

SAbellicus.
Sabides Arabus.
Sabor.
Sayrus.
Salicetus Iuriſta.
Salonius.
Sanctarellus.
Sazomenus.
Scortia.
Sebaſtianus.
Seneca.
Serenus Abbas.
Serapion.
Seuerus Sulpitius.
Seuerinus Boetius.
Seutonius Tacitus.
Sibillanus.
Siffridus Presbyter.
Sigibertus.
Sigiſmundus Scaccia.
Syluester Prieras.
Simon de Muis.
Simeon Methaphraſtes.
Simplicius.
Sixtus Papa V.
Socrates.
Solinus Medicus.
Speuſippus Platonicus.
Staphylus.
Stephanus Eduenſis Epiſc.
Stephanus Facundez.
Stephanus Papa.
Stobæus.
Summa Angelica.
Summa Corona.
Summa Roſella.

T.

TAbiena.
Tertulianus.
S. Theodoretus.
Theodoricus Abbas.
S. Theodorus Archimandrita
Theodorus Balſamon.
Theodorus Cyrenacius.
S. Theodorus Studita.
S. Theofanes Ep. & Martyr.
Theophilactus.
Theophilus Abbas.
Theophraſtes.
Theoctoriſtus Monachus.
Thetel Theuetus.
Thimæus.
S. Thomas D. Angelicus.
Thomas de Argentina.
Thomas Boſſius.
Thomas Caietanus Card.
Thomas Cantipratenſis.
Thomas Garzonus.
Thomas de Kempis.
Thomas Phaſellus.
Thomas Sanchez.
Thomas Valdenſis.
Tibulus Poeta.
Timothæus.
Tiraquellus.
Titus Liuius.
Toletus.
Trallianus Medicus.
Troilus Maluetius.
Tullius.
Turreblanca.
Turrianus.

V.

VVadingus Hybernus.
Valentia.
Valerius Maximus.
Valerius Polidorus.
Valeſcus Tarantaſius.
Valeſius.
Varro.
Vaſquez.
Vegetius.
Vera Crux.
Vgolinus.
Victoria.
Villalobus.
Villamuntius.
Villegas.
Vincentius Beluacenſis.
Vincentius Bonardus.
Vincentius Carrarius.
B. Vincentius Ferrerius.
Vincentius Filliucius.
Virgilius.
Viualdus.
Vlpianus Vlricus.
Vmbertus Locatus.
Vrbanus Papa VIII.
Vualfridus Strabus.

X.

XEnophon.

Z.

ZAbarella Cardinalis.
Zaccarias Papa.
Zaccarias Vicecomes.
Zanardus.
Zanchinus.
Zonaras.

FINIS.

LOCA
SACRÆ SCRIPTVRÆ
Quæ hoc Alexicacon explanantur.

Prior numerus tomum: ſecundus paginam: tertius numerum marginalem deſignant.

Ex Geneſi.

1.28. ET dominamini piſcibus maris, &c. 1.257.724
31. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. 1.20.71
3. 1. Cur præcepit vobis Deus, vt nõ comederetis ex omni ligno Paradiſi? to.1. pag. 57.182
3. Nequaquam morte moriemini. 1.ib.ib.
5. Scit Deus, quòd in quocumque die comederetis ex eo, &c. 1.ibi.ibi.
15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, &c. 2.286.845
6. 2. Videntes filij Dei filias hominum, &c. tom. 1.89.276
15 1. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. epiſt. dedic.
6. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 2.200.613
22.18. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. 2.358.1027
28.20. Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me, &c. 2.270.791
32.26. Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. 2.227.669

Ex Exodo.

8. 7. FEcerunt autem, & malefici per incãtationes ſuas ſimiliter. 1.259.732
10.13. Et Dominus induxit ventum vrentem tota die. 1.166.478
14. Quæ aſcenderunt ſuper vniuerſam terram Ægypti. 1.ibi.ibi.
15. Operueruntq; vniuerſam ſuperficiem terræ. 1.ibi.ibi.
22.18 Maleficos non patieris viuere. 1.12.39. & 2.13.42.
29.45. Et habitabo in medio filiorum Iſrael. tom. 2.260.762
32.18. Deum, qui te genuit dereliquiſti, &c. tom. 2.311.902
24. Tulerunt, & dederunt mihi. 1.169.486

Ex Leuitico.

19.26. NOn augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia. 1.215.623
20. 6. Anima, quæ declinauerit ad magos, & ariolos, &c. 1.12.39. & 2.42.157
27. Vir, ſiuè mulier, in quibus pythonicus, &c. 1.12.39. & 2.14.45
24.14. Educ blaſphemum extra caſtra, &c. tom. 1.194.564. & 2.14.46

Ex Numeris.

14. 9. NOlite rebelles eſſe contra Dominum. 2.216.650
25. 4. Tolle cunctos principes populi, &c. tom. 2.34.123

Ex Deuteronomio.

6. 6. ERuntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, to.1. pag. 267.757
8.15. Et ductor tu[9] fuit in ſolitudine magna, atque terribili, &c. 2.209.638
13. 6. Si tibi voluerit perſuadere frater tuus, &c. 2.31.109
18.10. Nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, &c. 1.12.39
12 Omnia hæc abominabitur Dominus, &c. 2.14.45
14. Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terrã, augures, & diuinos audiũt. 1.215.623

28.7. Da-

28. 7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui cõſurgunt aduerſum te. 2.376.1061
32. 6. Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te? 2.265.775
8. Conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiotum Iſrael. 1.146.447
18. Deum, qui te genuit dereliquiſti, &c. tom. 2.311.902
22. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit, &c. 1.117.371

Ex Iosue.

10.12. Sol contra Gabaon nè mouearis. tom. 2.220.658
13. Stetit itaq; Sol in medio cæli. 2.ibi.ibi.
14. Non fuit anteà, & poſteà tàm longa dies. 2.ibi.ibi.

Ex Iudicibus.

2.19. Poſtquam autem mortuus eſſet Iudex,&c. 1.169.487
4. 4. Erat autem Debora Prophetis vxor Lapidoth. 2.288.852
5.20. De cælo dimicatum eſt contra eos,&c. tom. 2.ibi.ibi.

Ex 1.Regum.

2. 2. Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus. tom. 2.261.761
3. Deus ſcientiarum Dñs eſt. 1.5.17
6. Deducit ad inferos, & reducit. tom.1. pag. 113.354
30. Qui autem cõtemnunt me erunt ignobiles. 1.45.161
14.24. Maledictus vir, qui comederit panem, vſque ad veſperam. 2.266.760
16.14. Spiritus Dñi receſſit à Saul. 2.116.383
14. Et exagitabat eum ſpiritus nequam. tom. 2.96.322
23. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus. tom. 1.25.90.& 2.130.435
28.16. Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit à te? 1.111.345

Ex 3. Regum.

8.39. Quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum. 1.67.217
14.16. Qui peccauit, & peccare fecit Iſrael. tom. 2.13.40
17. 6. Corui quoquè deferebant ei panem, &c. 2.212.642
20.42. Quia dimiſiſti virum dignum morte, &c. 2.34.123

Ex 4.Regum.

1. 3. Nunquid non eſt Deus in Iſrael? tom. 2.42.154
10. Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, &c. 2.272.799
18.22. In Domino Deo noſtro habemus fiduciam. 2.227.669
19.14. Aſcendit in domũ Dñi, &c. 2.ibi.ibi.
21.11. Quia fecit Manaſſes Rex Iuda abominationes, &c. 1.24.555

Ex 1. Paralipomenon.

28. 9. Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, &c. 1.67.217

Ex 2. Paralipomenon.

20. 3. Totum ſe contulit ad rogandum Dominum. 2.216.651
32. 7. Viriliter agite, & confortamini, &c. tom. 2.216.650

Ex Tobia.

2.16. Vbi eſt ſpes tua? 2.219.656
4.19. Conſilium ſemper à ſapiente perquire. 2.282.832
20. Omni tempore benedic Deum. 2.ib.ib.
6.16. Audi me,& oſtendã tibi,&c. 1.90.277
17. Hi namque, qui coniugium ita ſuſcipiunt, &c. 2.ibi.892
12.10. Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, &c. 1.196.527
18. Etenim cum eſſem vobiſcum,&c. to.1. pag. 110.342.& 2.122.402

Ex Iudith.

8. 9. Hæc itaq; cum audiſſet, quoniam Ozias permiſiſſet,&c. 2.280.827
11. Et qui eſtis vos, qui tẽtatis Dñm. 2.ib.ib.
14. Sed quia patiens eſt Dñs,&c. 2.281.829
15. Non enim quaſi homo, ſic Deus comminabitur. 2.ibi.ibi.
16. Et in ſpiritu conſtituti humiliato ſeruientes illi. 2.ibi.ibi.
17. Vt ſecundùm voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum. 2.ibi.ibi.
20. Expectemus humiles conſolationem eius, &c. 2.ibi.831
9. 8. Tenuit pedes corũ abyſſus. 2.ibi.830
11. Erige brachium tuum, ſicut ab initio. tom. 2.ibi.ibi.
17. Deus cælorum creator aquarum, &c. tom. 2.ibi.831
18. Memento Domine teſtamenti tui, &c. tom. 2.ibi.830
10. 4. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem. 2.280.828
13. 7. Cõfirma me Domine Deus Iſrael, &c. tom. 2.281.831
17. Laudate Dominum Deum noſtrum, &c. 2.ibi.ibi.
20. Viuit autem ipſe Dñs, &c. 1.147.448
21. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, &c. 2.281.831

Ex Eſther.

13. 9. Domine Rex omnipotens,&c. to.2 pag. 191.593
10. Tu feciſti cælũ, & terram,&c. 2.ibi.ibi.

Ex Iob.

1.7. Circuiui terram, & perambulaui eam. tom. 1.65.212
16. Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues &c. 1.76.234
3.5. Obſcurent eum tenebræ, & vmbræ mortis. 1.67.219
13.15. Etiamſi Deus occiderit me, &c. to.2. pag. 219.656
14. 1. Breui viuens tempore repletur multis miſerijs. epiſt.dedic.
17. 3. Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. 2.224.662. & 373.1058.
22.13. Quid enim nouit Deus, &c. 2.228.669
30.17. Et qui me comedunt non dormiunt. to. 1.143.438
40. 2. Accinge ſicut vir lumbos tuos. tom.2. pag. 14.44
41.11. De naribus eius procedit fumus, &c. tom. 1.161.459
24. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. 2.113.371
25. Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. 1.123.382
42. 2. Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. 1.67.217
12. Et facta ſunt ei quatuordecim millia ouium &c. 2.219.656

Ex libro Pſalmorum.

2. 6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, &c. 1.164.471
4. 5. Et in cubilibus veſtris compungimini. tom. 1.144.441
5. 5. Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. 1.12.37. & 2.186.582.
6. Neque habitabit iuxta te malignus, &c. 1.12.37
13 Lætentur omnes, qui ſperant in te. to.2. pag. 218.655
6. 7. Lachrymis meis ſtratum meum rigabo, 1.144.441
10. 6. Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, &c. 2.124.415
13. 1. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt &c. 1.2.4
14. 1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. 2.21.70
15. 8. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. 2.263.768
17. 9. Aſcendit fumus in ira eius. 1.161.459
26. Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente; &c. 1.176.515
21. 1. Deus meus, vt quid dereliquiſti me? tom. 2.371.1054
22. 1. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. 2.259.759
4. Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. 2.371.1052
23. 8. Quis eſt iſte Rex gloriæ? 1.62.201
24. 5. Dirige me in veritate tua, &c. tom.2. pag. 252.735
25. 1. In Domino ſperans non infirmabor. tom. 2.208.637
26. 1. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea non timebo. 2.219 656
3. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, &c. tom. 2.206.634
14. Expecta Dominum viriliter age, & cõfortetur &c. 2.227.669
30. 3. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij &c. epiſt.ded.
6. In manus tuas commendo ſpiritum meum. 2.371.1053
25. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, &c. 2.209.637
31. 1. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. 2.79.278
32. 9. Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, &c. tom. 1.248.698
33. 9. Beatus vir, qui ſperat in eo. 2.213.644
18. Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos. 2.280.825
20. Multæ tribulationes iuſtorum, &c. to.2 pag. ibi.ibi.
23. Et non delinquent omnes, qui ſperant in eo. 2.206.633
36. 3. Spera in Domino, & fac bonitatem, &c. 2.213.644
5. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, &c. 2.215.648
37. 5. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. 1.35.129
38. 1. Dixi cuſtodiam vias meas, &c. tom.2. pag. 227.669
39.18. Dominus ſolicitus eſt mei. 2.259.759
43.22. Nonne Deus requiret iſta? 1.67.217
49.15. Et inuoca me in die tribulationis eruã te, &c. 1.40.155. & 2.37.138
50. 1. Miſerere mei Deus ſecũdum magnam miſericordiam tuam. 2.196.601
54.11. Die, ac nocte circundabit eam ſuper muros eius iniquitas, &c. tom. 1. pag. 141.430
16. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes. 2.272.799
23. Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. 2.212.642
57.11. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam &c. 2.271.796
58. 6. Intende ad viſitandas omnes gentes, &c. 2.272.799
59. 8. Lætabor, & partibor Sichimam. to.2. pag. 216.649
9. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, &c. 2.ibi.ibi.
63. 8. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. 1.1.2
67.17. Mons in quo beneplacitum eſt Deo, &c. 2.12.37
18. Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, &c. 1.110.342
68 .3. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. 2.377.1063
77.46. Et dedit erugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ. 1.80.250

49. Miſit in eos iram indignationis ſuæ, &c. 1.61.197
78.10. Et innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris. 2.77.273
79.20. Et oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. 2.268.786
82.17. Imple facies eorum ignominia, &c. tom. 2.272.798
87.35. Nequè profanabo teſtamentū meum, &c. 1.13.40
90. 1. Qui habitat in adiutorio altiſſimi, &c. tom. 2.168.530
3. Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, &c. 1.28.104
4. Scapulis ſuis obumbrauit tibi, &c. to.2. pag. 208.636
11. Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c. 2.248.722
13. Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, &c. 1.126.352.& 2.209.638
14. Quoniam in me ſperauit liberabo eum &c. 2.205.629
15. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum &c. 2.264.770
16. Longitudinem dierum replebo eum, &c. 2.220.660
91.11. Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum, &c. 1.28.102
93.10. Qui docet hominem ſcientiam. to.1. pag. 5.18
95. 5. Quoniam omnes dij gentium dæmonia, &c. 2.11.33
103.1. Benedic anima mea Domino, &c. to.2. pag. 261.763
27. Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei, &c. 1.26.97
105.8. Et ſaluauit eos propter nomen ſuum, &c. 2.285.840
34. Non diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis. 1.169.487
37. Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs. 1.199.581
106.23. Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem, &c. 1.66.214
108.7. Et oratio eius fiat in peccatum. to.2. pag. 274.808
110.10. Sanctum, & terribile nomen eius. tom. 2.261.763
115.17. Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. tom.1. pag. 191.554
117.5. De tribulatione inuocaui Dominum, &c. 2.10.31
8. Bonum eſt confidere in Domino, &c. Epiſt.dedic.
118.35. Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum. 2.268.786
120. 1. Leuaui oculos meos in montes &c. tom. 2.227.669
127. 2. Labores manuum tuarum, quia manducabis, &c. 2.218.655
134.15. Simulacra gentium argentum, & aurum. 1.10.32
138.7. Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam. 1.258.726
8. Si aſcendero in cælum, tu illic es, &c. tom. 2.263.768
140.2. Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. 2.124.415
144.3. Et magnitudinis eius non eſt finis. tom. 2.261.763
13. Fidelis Deus in omnibus vijs ſuis: & ſanctus &c. 2.223.662
145.6. Qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. 2.262.765
8. Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. 1.191.555
148.14. Confeſſio eius ſuper cælum, & terram, &c. 1.225.622
149.6. Exaltationes Dei in gutture eorum, &c. 2.290.857
7. Ad faciendam vindictam in nationibus, &c. 2.ibi.ibi.
8. Ad alligandes Reges eorum in compedibus, &c. 2.ibi.ibi.

Ex Prouerbijs Salomonis.

3.5. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. 2.172.544
4.18. Iuſtorum autem ſemita, quaſi lux ſplēdeſcens. 1.6.19
5. 3. Et nitidus oleo guttur eius. 1.172.496
4. Nouiſſima autem illius amara, quaſi abſynthium. 1.173.497
21. Reſpicit Dominus vias hominis, &c. tom. 2.259.759
22. Iniquitates ſuæ capiunt impium, &c. tom. 2.11.33
6. 6. Vade ad formicam, ò piger. 2.79.278
12. 2. Qui autem confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit. 2.259.760
15. 3. In omni loco oculi Domini contemplantur, &c. 2.259.759
19.25. Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit, &c. 2.21.71
22.15. Stultitia colligata eſt in corde pueri. tom. 1.56.177
24.16. Septies in die cadit iuſtus, & reſurget. tom. 1.25.91. & 2.190.591
28. 9. Qui declinat aures ſuas, nè audiat legem, &c. 2.263.769
26. Qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt. tom. 2.259.760
30. 8. Mendicitatem, & diuitias, nè dederis mihi. 2.270.791
27. Regem locuſta non habet. 1.162.463

Ex Eccleſiaſte.

1. 8. Cunctæ res difficiles non poteſt homo eas explicare ſermone. Proloq. 1.1.1
4.13. Melior eſt puer pauper, & ſapiens, &c. tom. 1.63.204
5. 2. Multas curas ſequuntur ſomnia. to.1. pag. 210.610
7.27. Et inueni amariorem morte mulierem, &c. 1.173.497

Ex Canticis Canticorum.

2.16. DIlectus meus mihi, & ego illi, &c. tom. 2.259.759
3. 3. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt Ciuitatem. 1.141.430
4.16. Surge Aquilo, & veni Auſter, &c. to.2. pag. 310.900

Ex libro Sapientiæ.

1. 6. BEnignus eſt enim ſpiritus Sapientiæ, &c. 2.283.832
2.21. Excæcauit enim illos malitia eorum. tom. 2.12.38
3. 1. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, &c. 1.112.350
4. 7. Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, &c. 2.220.660
5. 7. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis. 1.38.142
15. Spes impij, tanquam lanugo eſt. to.2. pag. 218.654
6. 8. Quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit. 2.258.757
7.17. Ipſe enim dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam veram. 1.5.18
18. Initium, & conſummationem, & medietatem temporum. 1.ibi.ibi.
19. Anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones. 1.ibi.ibi.
8. 1. Prouidentia eius attingit à fine, vſquè ad finem fortiter, &c. 2.259.759
9. 16. Quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigabit? 1.65.211

Ex Eccleſiaſtico.

1. 1. OMnis ſapientia à Domino Deo eſt, &c. 1.5.17
2. Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, &c. 1.64.210
10. Et effudit illam ſuper omnia opera ſua, &c. 1.5.17
2.11. Et ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, &c. 2.213.653
13. Et protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate. epiſt.ded. & to.2. pag. 283.832
11.14. Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas, &c. 2.279.821
15.14. Deus ab initio conſtituit hominem, &c. 1.22.81
17. 5. Et diſciplina intellectus repleuit illos. tom. 1.56.177
12. Et mandauit illis vnicuiquè de proximo ſuo. 2.166.525
23.37. Et nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis Domini. 2.282.832
24.11. Et omnium excellentium, & humilium corda, &c. 2.286.845
25. 3. Tres ſpecies odiuit anima mea, &c. tom. 1.63.204
32.24. Fili, ſine conſilio nihil facias, &c. to.2. pag. 228.669
33.15. Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita. 1.21.75.& 2.187.585
34. 7. Multos errare fecerunt ſomnia. to.1. pag. 209.609
16. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, &c. 1.30.111
19. Oculi Domini ſuper timentes eum, &c. 1.ibi. & 2.259.758
37.15. Sed cum viro ſancto aſſiduus eſto &c. tom. 2.282.832
17. Et cor boni conſilij ſtatue tecum. to.2. pag. ibi.ibi.
18. Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera, &c. 2.ibi.ibi.
19. Et in his omnibus deprecare altiſſimum, &c. 2.ibi.ibi.
34. Propter crapulam multi obierunt. to.2 pag. 295.871
38. 1. Honora medicum propter neceſſitatem, &c. 2.111.367
9. Fili in tua neceſſitate nè deſpicias teipſum, &c. 2.214.646.279.822

Ex Iſaia Propheta.

1.15. ET cum multiplicaueritis orationẽ, non exaudiam. 2.263.769
6.10. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, &c. 2.12.38
8. 3. Voca nomen eius accelera, ſpolia detrahere, &c. 2.284.834
14.12. Quomodo cecidiſti lucifer de cœlo? tom. 2.96.322
13. In cælum conſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum. 1.28.105. & 2.168.530.
22.22. Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius. 1.160.459
28.15. Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. 1.162.462
32.18. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis. 2.259.759
40.31. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, &c. 2.208.637
23. Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum. 1.69.226.& 208.601
42. 8. Ego Dominus, hoc eſt nomen meum. tom. 1.46.164
43.24. Veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis. 1.17.36
55. 7. Derelinquat impius viam ſuam, &c. tom. 1.191.555
9. Quia ſicut exaltantur cæli à terra, &c. tom. 2.13.41
58. 5. Nunquid tale eſt ieiunium, quod elegi? 2.292.863
6. Nonnè hoc eſt magis ieiunium quod elegi? 2.ibi.ibi.
13. Dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, &c. 2.282.832
63. 1. Quis eſt iſte, qui venit de Edom? to.1. pag. 62.201

Ex

Loca Sacræ Scripturæ.

Ex Ieremia.

1.14. AB Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ. tom. 2.310.900
19. Et bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, &c. 2.217.652
3. 1. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. 1.191.555
8. 4. Nunquid qui cadit, non reſurget? to.1. pag. ibi. ibi.
21. Super contritione filię populi mei contritus ſum, &c. 2.287.849
10. 2. Et à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes. 1.215.623
6. Magnus es tu, & magnũ nomen tuum in fortitudine. 2.284.836
17. 7. Benedictus vir, qui confidit in Domino, &c. 2.221.661
9. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, &c. 1.67.217
17. Omnes, qui te derelinquunt, confundentur. 1.41.150
31.31. Ecce dies venient dicit Dominus, &c. tom. 1.167.479
33. 3. Clama ad me, & ego exaudiam te, &c. tom. 2.264.770
46.23. Multiplicati ſunt ſuper locuſtas. to.1. pag. 167.478
50.35. Gladius ad Chaldeos, ait Dominus, &c. 2.20.68

Ex Baruch.

1.17. ET non credimus diffidentes in eum, &c. 2.228.669
18. Et non fuimus ſubiectibiles illi, &c. tom. 2.ibi.ibi.
4. 4. Beati ſumus Iſrael: quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis.2. ibi.ibi.
6.42. Mulieres autem circumdatæ funibus in vijs ſedent, &c. 1.225.650

Ex Ezechiele.

8. 3. ET emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me, &c. 1.102.313
18.17. Hic non morietur in iniquitate patris ſui, &c. 2.23.76
21. Si autem impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis, &c. 2.240.700
27. Et cum auerterit ſe impius ab impietate ſua, &c. 1.184.545
31. Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras, &c. 1.ibi.ibi.
28.12. Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, &c. 1.55.173.& 2.167.527
14. Tu Cherub extentus, & protegens, &c tom. 1.32.121.& 160.459

Ex Daniele.

3.40. QVoniam non eſt confuſio confidentibus in te. 2.221.661
52. Benedictus eſt Domine Deus Patrum noſtrorum. 2.264.771
4.31. Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor, &c. 2.260.760
9.19. Nè moreris propter temetipſum Deus meus, &c. 2.252.735
2. 3. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor, &c. 1.160.459
13.35. Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. 2.208.637
60. Et benedixerunt Deum, qui ſaluat ſperantes in ſe. 2.221.661

Ex Oſea Propheta.

4.12. SPiritus enim fornicationum decepit eos, &c.1,138.424.& 2.178.558

Ex Ioele.

2.12. COnuertimini ad me in toto corde veſtro, &c. 2.293.864.& 338.980

Ex Amos.

3. 6. SI erit malum in Ciuitate, quod Dominus non fecerit. 1.4.12

Ex Nahum.

3. 4. PRopter multitudinem fornicationum meretricis, &c. 1.225.650. & 2.178.558.

Ex Habacuch.

3.15. VIam feciſti in mari equis tuis, &c. 1.200.582

Ex Zacharia.

1. 8. ET ipſe ſtabat inter myrtheta, quæ erant in profundo, &c. 1.62.201
6. 7. Ite perambulate terram, & perambulauerunt terram. 1.ibi.ibi.

Ex 1. Machabæorum.

3.18. FAcile eſt concludi multos in manu paucorum. 2.217.652

Ex

Ex 2. Machabæorum.

10.25. DEpræcabantur Dominum caput terra aſpergentes. 2.217.652
28. Primo autem ſolis ortu vtrique commiſerunt, &c. 2.ibi.ibi.
29. Sed cum vehemens pugna eſſet, &c. tom. 2.ibi.ibi.
30. Ex quibus duo Machabæum medium habentes, &c. 2.ibi.ibi.
15.21. Extendens manus in cælum prodigia facientem Dominum inuocauit. t.2. pag. ibi.ibi.

Ex Matthæo.

3. 2. PÆnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum. to.2. pag. 79.278
4. 9. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. 1.174.503
10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. 2.10.31
5.17. Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, &c. 1.12.40
36. Quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. 1.248.697
6. 9. Pater noſter, qui es in cælis, &c. to.2. pag. 261.764
6. Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, &c. 2.258.758
33. Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, &c. 2.274.809
7. 7. Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis. 2.10.30
12. Omnia ergo quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, &c. 2.166.525
16. A fructibus eorum cognoſcetis eos. tom. 1.69.225
16. Nunquid colligunt de ſpinis vuas, &c. tom. 2.45.166
21. Non omnis, qui dicit mihi Domine, &c. 2.21.70
22. Et in nomine tuo dæmonia eiecimus. tom. 2.285.838
8. 8. Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, &c. 2.202.622
26. Tunc ſurgens imperauit ventis, & mari. 1.261.738
9. 4. Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, &c. 1.67.217
21. Si tetigero tantùm veſtimentum eius ſalua ero. 2.203.622
28 Credite, quia hoc poſſum facere vobis? tom. 2.201.618
29. Secundùm fidem veſtram fiat vobis? tom. 2.11.35.& 2.199.608.
10. 1. Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum. 1.33.82.& 2.177.555
22. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. 2.227.669
29. Nonne duo paſſeres aſſe væneunt, &c. tom. 2.259.758
11.18. Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens. 2.79.278
12.27. Et ſi ego in beelzebub eijcio dæmones. tom. 1.123.382.
34. Si quidem ex fructu arbor agnoſcitur. tom. 2.72.248
13.58. Et non fecit ibi virtutes multas, &c. tom. 2.201.618
15.14. Duces cæcorum, cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, &c. 2.133.446
22. Miſerere mei Domine fili Dauid filia mea malè à dæmonio vexatur. to.2. pag. 203.623
16.19. Et tibi dabo claues regni cælorum. tom. 1.160.459.& 2.161.516
17.15. Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, &c. 1.53.166.& 2.257.755
17. O generatio incredula, & peruerſa, &c. 2.157.503
20. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, &c. 2.201.617
21. Hoc autem genus non eijcitur niſi per orationem, &c. 2.292.863
18. 7. Væ mundo à ſcandalis. 2.13.40
19. De omni re quamcunque petierint, fiet illis. 2.264.770
21.22. Et omnia quæcunquè petieritis in oratione credentes, &c. 2.ibi.ibi.
24.35. Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non preteribunt. 2.157.503
25.34. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. 2.21.70
36. Infirmus eram, & viſitaſtis me. to.2. pag. 137.468
28.18. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. 2.161.516

Ex Marco.

4.40. QVid timidi eſtis? nedùm habetis fidem? 1.30.110
6.12. Et exeuntes prædicabunt, vt pœnitentiam agant. 2.304.893
7.34. Ephpheta, quod eſt adaperire. tom.2. pag. 154.495
8. 4. Vndè iſtos, quis poterit hic ſaturare panibus? &c. 2.212.642
23. Et expuens in oculos eius impoſitis manibus, &c. 2.214.646
9.22. Sed ſi quid potes adiuua nos miſertus noſtri. 2.257.755
23. Si potes credere omnia poſſibilia ſunt credenti. 2.11.35
10.18. Nemo bonus, niſi vnus Deus. tom.2. pag. 261.761
51. Quid tibi vis faciam? 2.214.646
11.22. Habete fidem Dei. 2.264.771
23. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, &c. 2.219.657
24. Omnia, quæcunquè orantes petitis, credite quia accipietis, &c. tom.2. pag. 264.770
16.17. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, &c. 1.23.82.& 2.209.638
18. Super ægros manus imponent, & bene habe-

habebunt. 2.213.645
20. Illi autem profecti, prędicauerunt vbiquè. 2.204.628

Ex Luca.

4.34. Sine, quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? 2.254.746
35. Obmuteſce, & exi ab eo. 2.ibi.ibi.
41. Exibant autem dæmonia à multis, &c. tom. 1.102.310.& 2.177.554
6.36. Eſtote ergo miſericordes, ſicut, & Pater veſter, &c. 2.166.525
8.10. Vobis datum eſt noſce myſterium regni Dei, &c. 1.267.755
9. 1. Conuocatis autem duodecim Apoſtolis, &c. 2.155.495
10.17. Reuerſi ſunt autem ſeptuaginta duo, &c. 2.156.500
19. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpẽtes. 1.23.82.& 2.209.638
11.10. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, &c. 2.260.762
14. Et erat eijciẽs dæmonium, & illud erat mutum. 2.177.554
17. Omne regnum in ſe diuiſum, deſolabitur. 1.124.382
21. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum. 1.149.353
24. Cum immundus ſpiritus exierit de homine, &c. 1.66.215
12. 7. Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. 2.259.758
27. Conſiderate lilia quomodo creſcunt, &c. 2.ibi.ibi.
31. Veruntamen quærite primum regnum Dei, &c. 2.265.774
16.29. Habent Moyſen, & Prophetas, &c. tom. 2.282.832
17. 6. Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, &c. 2.224.663
1. Oportet ſemper orare, & non deficere. tom. 2.275.813
18. 2. Iudex quidam erat in quadam ciuitate, &c. ibi.ibi.
20. Mandata noſti? 2.282.832
19.15. Nolumus hunc regnare ſuper nos. to.1 pag. 162.464
21.15. Ego enim dabo vobis os, & ſapiẽtiam, cui non poterunt, &c. 1.267.755
24.36. Ego ſum, nolite timere. 2.214.647
39. Quia ſpiritus, carnem, & oſſa non habet, &c. 1.89.276

Ex Ioanne.

1. 3. Omnia per ipſum facta ſunt, &c. tom. 1.16.58
3. 3. Niſi quis natus fuerit denuò non poteſt videre regnum Dei. 2.21.70
20. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, &c. 1.144.439
30. Illum oportet creſcere, me autem minui. 2.79.278
4.49. Domine deſcende priuſquam moriatur filius meus. 2.203.622
5. 6. Vis ſanus fieri? 2.214.646
8. Surge tolle grabatum tuum, & ambula. 2.248.722
6. 5. Vbi ememus panes? 2.212.642
8.47. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. to. 1. pag. 93.286
9. 3. Neque hic peccauit, neque parentes eius, &c. 2.191.592
31. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit. 2.263.769
10.11. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. 2.164.521
25. Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, &c. 1.220.639
12.31. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. 1.27.102.& 2.167.529
13. 2. Cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas. 1.83.260
14. 1. Creditis in Deum, & in me credite. tom. 2.199.610
13. Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam. 1.26.93
15. 6. Si quis in me non manſerit: mittetur foras, &c. 2.20.67
7. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint. 2.225.663
24. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, &c. 1.220.639
26. Cum autem venerit paraclitus, quem ego mittam vobis, &c. 2.121.401
17. 3. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te, &c. 2.199.610
21.18. Paſce oues meas. 2.161.516

Ex Actib. Apoſtolorum.

1.24. Tu autem, qui corda noſti omnium &c. 1.67.217
2.21. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, &c. 2.285.840
3. 6. Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, &c. 2.284.837
4.12. Nec enim aliud nomen eſt ſub cęlo datum hominibus, &c. 2.157.500
5.41. Quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu, &c. 2.124.414
8.10. Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna. 1.165.473
9. 6. Domine quid me vis facere? 2.227.669
10.38. Qui pertrãſijt benefaciendo, & ſanando omnes, &c. 2.341.963
17.18. Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti, exi ab ea. 1.102.310.& 2.284.837
16.27. Quamuis non longe ſit ab vnoquoque noſtrum. 2.263.768
28. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus, &c. 1.17.59
19.15. Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? 2.156.497
27.24. Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum. 2.278.819

Ex Epiſt. ad Romanos.

1. 8. QVia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. 2.199.608
16. Non enim erubeſco Euangelium. to.2. pag. 310.900
20. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, &c. 1.12.38. & 2.262.767
28. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia. 2.12.38
32. Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte. 2.42.153
4.18. Qui contra ſpem in ſpem credidit. t.2 pag. 218.656
5. 5. Spes autem non confundit. tom. 2. pag. 217.653
7.15. Quod enim operor, non intelligo,&c. tom. 2.247.721
19. Non enim, quod volo bonum, hoc facio, &c. 2.ibi.ibi.
23. Video autem aliam legem in membris meis, &c. 2.ibi. ibi.
8.24. Spe enim ſalui facti ſumus. tom.2. pag. 211.639
26. Similiter autem, & ſpiritus adiuuat infirmitatem, &c. 2.268.786
26. Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, &c. 2.276.814
27. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, &c. 1.67.217
31. Si Deus pro nobis, quis contra nos? tom. 2.219.657
9.22. Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere, &c. 1.35.129
10.12. Nam idem Dominus omnium diues in omnes, &c. 2.260.762
14. Quomodo autem audient ſine prædicante? 2.199.609
11.29. Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei. 1.57.181
33. O altitudo diuitiarũ ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, &c. 1.1.2
12. 1. Obſecro vos per miſericordiam Dei, &c. 2.250.728
2. Et nolite conformari huic ſæculo, &c. tom. 2.282.832
3. Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, &c. 1.202.588.& 2.279.822
15. 4. Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam. &c. 2.221.661

Ex 1.Epiſt. ad Corinthios.

2.11. QVæ ſunt Dei nemo nouit, niſi ſpiritus Dei. 1.208.602. & 211.612
3. 9. Dei enim ſumus adiutores, &c. 2.122.402
8. 1. Scientia inflat: charitas verò ædificat. tom. 2.57.182
10.13. Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari, &c. 1.33.124
20. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. 1.180.520
21. Non poteſtis calicem Domini bibere, &c. 2.303.888
32. Sine offenſione eſtote Iudæis, & gentibus, &c. 2.12.39
11.31. Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, &c. 2.294.868
12. 8. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, &c. 2.74.256
10. Alij datur operatio virtutum,&c. to.2. pag. 154.493
11. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, &c. 1.8.25. & 2.203.624.
13. 1. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, &c. 1.62.200
2. Etſi habuero omnem fidem,ita vt mõtes transferam, &c. 2.201.619
11. Quando autem factus ſum vir,euacuaui, &c. 2.14.44
13. Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, &c. 2.199.608
14.40. Omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis. 2.154.493

Ex 2. ad Corinthios.

6. 4. SEd in omnibus exhibeamus noſmetipſos,&c. 2.292.863
15. Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? 2. 303.888
10. 5. Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum, &c. 2.200.615
12. 3. Siuè in corpore, ſiuè extra corpus, neſcio: Deus ſcit, &c. 2.131.439
9. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, &c. 2.124.414
14. Non enim quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos. 2.226.666

Ad Galatas.

3. 1. QVis vos faſcinauit non obedire veritati? 1.253.711
5. Ex operibus legis, an ex auditu fidei? 2.199.608
25. At vbi venit fides, &c. 2.ibi.ibi.
4.10. Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos, &c. 2.65.222
11. Timeo vos, ne fortè ſinè cauſa laborauerim in vobis. 2.68.230
6.14. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri, &c. 2.306.898

Ad Epheſios.

1.13. IN quo,& credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſãcto. 1.182.524
3.12. In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia. 2.274.809
4. 5. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. 2.199.608
5.13. Omne enim,quod manifeſtatur,lumen eſt. 1.62. 201

6.12. Quo-

6.12. Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem. 1.3.11.& 2.163.520
16. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, &c. 2.324.935

Ad Philippenſes.

1.23. Coarctor autem è duobus deſiderijũ habens diſſolui, &c. 2.271.795
2. 8. Humiliauit ſemetipſum factus obediẽs vſque ad mortem. 1.28.103
9. Et donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. 2.157.500
13. Deus eſt enim, qui operatur in vobis, &c. 1.16.58
4.13. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. 2.207.634

Ad Coloſſenſes.

2. 3. In quo ſunt omnes theſauri ſapiẽtię, & ſcientiæ abſconditi. 2.260.761
14. Delens, quod aduerſus nos erat chirographum decreti. 1.28.103
15. Et expolians principatus, & poteſtates, &c. 1.23.102
18. Nemo vos ſeducat volens in humilitate, &c. 1.193.560
3. 5. Mortificate ergo membra veſtra, &c. tom. 2.282.832

Et 1. ad Theſalonicenſes.

4. 3. Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra. 1.4.13.& 2.281.832
5.17. In omnibus gratias agite, &c. tom.2. pag. 282.ibi.
19. Spiritum nolite extinguere. 2.ibi.ibi.
20. Prophetias nolite ſpernere. 2.ibi.ibi.
22. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. tom. 2.ibi.ibi.
23. Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus, &c. 1.82.257

Ex 1. ad Timothæum.

2. 1. Obſecro igitur primùm omnium fieri, &c. 2.292.862
6. 9. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem. 1.197.576
15. Beatus, & ſolus potens, Rex Regum. Epiſt. dedic.

Ex 2. ad Timothæum.

2.26. A quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. 1.118.373
3. 1. Hoc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus, &c. 1.198.579

Ad Titum.

1.16. Confitentur ſe noſce Deum: factis autem negant. 1.2.5.& 2.261.765

Ad Hebræos.

4.12. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, &c. 2.316.916
12. Et diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. 1.67.217
13. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu, &c. 2.316.916
10.36. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, &c. 2.226.668
11. 1. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, &c. 2.200.616
6. Credere enim oportet accedentem ad Deum, &c. 2.199.610

Ex Iacobi Epiſtola.

1. 6. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans &c. 2.202.620
17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcẽdens à Patre luminum. 1.43.159
5.14. Infirmatur quis in vobis? 2.213.645
16. Et orate pro inuicem, vt ſaluemini. tom. 2.278.819

Ex 1. Epiſtola Petri.

5. 8. Tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret. 1.65.212. & 2.352.1006.

Ex 2. Epiſtola Petri.

1.21. Non enim voluntate humana allata eſt, &c. 1.69.227
2. 4. Si enim Deus Angelis peccantibus nõ pepercit, &c. 129.403

Ex 1. Epiſtola Ioannis.

3. 8. In hoc apparuit filius Dei, &c. to.1. pag. 23.82
14. Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus, &c. 2.211.639
18. Filioli non diligamus verbo, neque lingua, &c. 2.166.525
21. Si cor noſtrum non reprehenderit nos, &c. 2.263.769
23. Et hoc eſt mandatum eius, vt credamus, &c. 2.284.834
5.10. Qui credit in filium Dei: habet teſtimonium, &c. 2.200.614

14. Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum. 2.265.774
14. Quia quodcunquè petierimus, &c. tom. 2.272.801

Ex Apocalypſi.

1.13. ET vidi in medio ſeptem candelabrorum, &c. 2.153.491
18. Et habeo claues mortis,& inferni. to.1 pag. 232.664
18. Fui mortuus, & ecce ſum viuens. to.2. pag. 238.695
2.13. Et non negaſti fidem meam. tom.2. pag. 199.608
5. 5. Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid. 2.311.902
8. Illos tenere citharas, phialas aureas odoramentorum, &c. 2.290.857
12. Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, &c. 2.284.834
7. 2. Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, &c. 1.61.197
9. 1. Et vidi ſtellam de cælo cecidiſſe in terram. 1.159.457
11. Et habebant ſuper ſe regem angelum abyſſi. &c. 1.162.463
17. Et de ore eorum procedit ignis, & fumus, &c. 2.124.415
12. 7. Et factum eſt prælium magnum in cælo, &c. 2.284.835
13. 6. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum. 1.192.559
14. 9. Si quis adorauerit beſtiam, & imaginẽ eius, &c. 2.124.415
18.23. Quia in veneficijs tuis errauerunt omnes gentes. 2.14.45
19.10. Vide ne feceris conſeruus tuus ſum, &c. 1.9.28
20. 1. Et vidi Angelum deſcendentem de cælo, &c. 1.232.664
10. Et diabolus, qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum, &c. 2.124.414
22. 2. Et ex vtraquè parte fluminis lignum vitæ, &c. 2.331.958

FINIS.

INDEX
PROPOSITIONVM PRÆDICABILIVM.

Prior numerus tomum: ſecundus paginam: tertius paragraphum marginalem indicant.

Abſtinentia.

Abſtinentia ab omni peccato mortali eſt neceſſaria ad impetrandũ à Deo gratias, & fauores. tom. 2. pag. 292. num. marg. 863

Adoratio.

Adoratione homo Deum actu veneratur certa aliqua corporis inclinatione. 2.10.31

Ægrotus.

Ægrotus figuratus per Ioannem in Patmos relegatum. 2.257.754
Diſpoſitio requiſita in ægroto, vt ſanitatem obtineat, eſt fiducia in Deum collocata. 2 ibi. 755
Aegroti exercitium debet eſſe oratio, vt maximam in Deum fiduciam eliciat. 2:258.756

S. Ambroſius.

S. Ambroſius fuit protectus à ſuo Angelo Cuſtode contra dæmonem. 1.30.109

Amor Dei, & proximi.

Nemo poteſt amare Deum, niſi amet proximum. 2.225.664
Amor Dei generatur ex fiducia in Deum collocata: quia fiducia habet pro obiecto bonitatem Dei. t. 2. p. 11. n. 35. 224.663

Amor profanus.

Amantes quomodo, iuxta Ariſtotelis effatum, modica ſimilitudine in amatum transferantur. 1.84.263
Amatores mundi diabolo ſunt ſubiecti. tom. 1. pag. 129.402
Amor proprius quos filios generet, demonſtratur. tom. 1.198.579

Angelus.

Angeli boni virtute diuina malos coercent. tom. 1.32.120
Angelorum cognitio quomodo fiat. 1.59.189
Angeli, & Dæmones quomodo loquantur ad inuicem. 1.61.200
Scientia Angelorum quàm magna ſit. 1.56.177
Angelus, qui fuit obuius Balaam an fuerit bonus, vel malus. 1.60.196
Angeli, & Dæmones licèt directè cogitationes hominum cognoſcere nequeant; eas tamen indirectè cognoſcere valent. 1.67.218
Angeli beati cognoſcere poſſunt futura contingentia in Deo, & per Deum. 1.68.223
Angelorum apparitiones, operationes, & formæ oſtenduntur. 1.110.342
Angeli animas, quas cuſtodierunt in hac vita, comitantur in purgatorium, eaſque aliqua conſolatione confortant. 1.113.355
Angeli alij ſunt aſſiſtentes: alij miniſtrantes. to. 1. pag. 123.380. & ſeq.
Sunt vigiles, ſeù vigiliæ huius mundi. 1.141.430
Angelus Cuſtos quomodo cuſtodiat homines. Et quid operetur continuè pro eis. 1.146.448
Inter Angelum bonum, & malum eſt antithesis, ſeù oppoſita operatio. 1 147.449
Non habent nomina propria ratione perſonæ; ſed

tantùm

tantùm ratione ordinum, & officiorum. tom. 2. pag. 229.672
Sunt mediatores Dei, & hominum. 2.287.849
Militis, ac Medici munere funguntur. ibi. Superiores varia exercent miniſteria in obſequium hominum. 2.288.850
Inferiores in neceſſitatibus hominibus occurrunt. tom. 2.*ibi.*851

Anima.

ANimæ creantur à Deo, licèt ſciat plures earum eſſe damnandas. Et quare hoc faciat. tom, 1.22.74
Animæ purgatorij aliquando inde egrediuntur, & ſe hominibus manifeſtant. 1.114.360.*& ſeq.*
Animæ in inferno, ac purgatorio quomodo poſſint torqueri ab igne, cum ſint ſpiritus: ac quomodo triſtitia in eis cauſetur. 2.124.415.130.438

Auarus.

AVari operationes, & anxietates deſcribuntur. 1.197.576

Beatus.

BEati in Paradiſo quare non poſſint peccare. tom. 1.16.56

S. Bernardinus.

S. Bernardinus ob fiduciam in Deo collocatam fuit præſeruatus, ne à peſte læderetur, licèt inſeruiret peſte infectis. 2.211.639

Blaſphemus.

BLaſphomi digni ſunt, qui à toto populo lapidibus obruantur. 1.194.564

Bonitas Dei.

BOnitatis ſuæ Deus vult nos participes fieri. tom. 2.260.762
*Ipſius meditatio fiduciam adauget. & num.*764. *& excitat ad impetrandum à Deo gratias, & fauores.* 2.279.824
Bonitatem Dei conſiderans arguere debet ſuam malitiam, ac ſuper omnia cor ſuum à vitijs purgare. 2.263.769

Bonum multiplex.

BOna ſpiritualia indiſtinctè, & abſolutè à Deo petere poſſumus. 2.268.785
Bona temporalia conuenientia naturæ licitè peti poſſunt propter ſe, vt finis proximus immediatus; non vt finis vltimus. 2.269.788
Bona indifferentia petita cum moderatione honeſta poſſunt abſolutè peti. tom. 2.*ibi.num.*791. *Sine verò moderata limitatione non ſunt abſolutè petenda.* 2.270.793

Carolus V.

CArolus V. Imperator ob fiduciam in Deo collocatam illæſus ſeruatus fuit in bello, ſicut & multi alij. 2.211.641

Charitas.

CHaritas deſcribitur. Quos effectus producat in ſuis poſſeſſoribus. 2.224.663
Nemo poteſt amare Deum, niſi & proximũ amet ex charitate. 2.225.664

Conductor.

COnductor bonus prauum paulatim reuocat à malo, & reducit ad ſemitam rectam. Malus verò è conuerſo. 1.178.515

Confeſſio ſacramentalis.

COnfeſſio ſacramentalis liberat nedum à culpa mortali, & veniali; ſed quandoque à pœna temporali. 2.301.887
Exemplis comprobatur. ibi. Eſt efficax contra dæmones. 2.*ibi.*886

Confidentia in Deum.

COnfidentia in Deum quos fructus producere queat. 2.206.632
Collocata in hominibus eſt vt lanugo à vento ablata: vt ſpuma à procella diſperſa. 2.218.654
Confidentia in Deum quomodo facile acquiri poſſit. 2.221.661

Conſilium.

COnſilium ſemper à ſapiente in re graui eſt perquirendum. 2.281.832
Conſiliarius malus maximum proximo affert detrimentum. 2.33.119

Credentes.

CRedentes alij dicuntur habere maiorem fidem: alij minorem, non habitualem: ſed actualem. 2.202.622.*& ſeq.*

Crux.

CRucis virtutes admirabiles recenſentur contra dæmones, & alia mala auertenda. tom. 2. *pag.* 305.895.*& ſeq.*

Puer

Puer, & quidam Iudæus ſigno Crucis formato dęmonem fugarunt. ibi.num.897. Ita & Aſinus S.Reguli Epiſcopi Siluanectẽſis impulſu Dei facto pede ſigno Crucis in terra dæmonem fugauit. tom. 2.ibi.898

Crucis eleuatio facta ab ipſo Ieſu in pariete depicto in Sacello S.Mariæ Gratiarum Bergomi. tom. 2.306.899

Dæmon.

DAemon peccatoribus ſemper malum ſub ſpecie boni proponit. 1.4.14

Dæmon comparatur cani catena ligato. Deſcribitur. 1.26.97

Dæmon quomodo fuerit impeditus à Deo corã Moyſe in tertio ſigno. 1.27.101

Nemini nocere poteſt, niſi Deus permittat. to.1. pag. 29.106

Eſt ſummè maleficus. Quam malignitatem exequitur in creaturas, quæ ei reſiſtere non valent. Deſcribuntur. 1.54.171.& ſeq.

Eſt cauſa omnium malorum. ibi.173

Modus, quem tenuitin decipiendo Euam, deſcribitur. 1.57.183

Quid operari tentet in intellectum, voluntatem, & memoriam. 1.83.258

Quomodo ſe transformet in Angelum lucis. to.1. pag. 110.344

Quomodo torqueat damnatos, & ipſe torqueatur. tom. 1.117.371

Superbia dæmonum eorum naturam deformat. tom. 1.127.395

Cur dæmon magis tentet bonos, quàm malos.to.1. pag. 147.in fine.

A minimis peccatis ad maxima gradatim ducit diabolus, & inde ad deſperationem detrudit. tom. 1.177.513

Diabolus vt homines decipiat, & in errore detineat, quandoque ſupplet vicem alicuius Sancti. 2.49.177

Eſt ſimia Dei, quem tentat imitari in ſuis operibus. 2.65.220

Quare dæmon dicatur à Dionyſio habere phantaſiam proteruam, furorem irrationalem, & amentem concupiſcentiam. 2.122.404.& 409

Vt æmulus Dei coniuratus inſtituit quædam ſigna maleficij, quibus aſſiſtere promittit, ſicut Deus Sacramentis. 2.141.475

Poteſtas dæmonum quomodo per paſſionem Chriſti ſit ſublata; maximè pro his, qui in Deum confidunt. 2.167.529

Relaxatur eius poteſtas reſpectu eorum, qui diffidunt de Deo. ibi.ibi.

Dæmones non habent nomina,niſi ratione ordinum, & officiorum, quæ exercent. 2.229.672

Dæmon ob odium in homines, eorum rebus nocere ſtudet. 2.354.1011

Damnati.

DAmnati quare non poſſint in inferno, vel extra elicere actus pænitentiæ. 1.16.57

Damnati quomodo à dæmonibus torqueantur.to.1. tom. 118.373.& ſeq.

Deſcriptiones.

POtentiæ dæmonis tom.1.p.54.num.171. Excellentiæ hominis. 1.55.174

Intellectus humani operantis p.58.num.186. Vocis efficaciæ. 1.248.699

Montis cadentis damna afferentis. 2.12.37

Dei, & dæmonis mores, & ſtudia erga homines per antitheſim. tom.1.p.54.num.168. & ſeq.

Solis, & omnium eius influxuum Deum repręſentantis. 1.17.59

Deſcribitur Mariæ Magdalenæ vanitas, eius conuerſio, ac cauſa conuerſionis. to.1. p.24.n.88.

Res ſenſibilis per antitheſim ad dæmonem. t.2. p.112.num.368. Concha Marina. 1.66.214

Mare, & omnia, quæ continentur in eo. ibi.

Scientia dæmonum, ac notitia rerum,qua pollent. tom. 1.65.211

Deuotio.

DEuotio reddit promptum voluntatis affectum ad aliquid efficiendum propter obſequiũ, honorem, & cultum Dei. 2.10.30

Deus.

PErfectiones Dei quænam ſint. Epiſt. dedicat. Quomodo nos protegat. ibi. Eſt omnium rerum principium, & finis. 1.1.1

Deus ignorari non poteſt. ibi. num.2.3. & 4.

Eius diuina voluntas in quid primariò tendat. t.1. pag. 4.13

A Deo eſt omnis ſapientia. p.5.n.17. Quam docet per Prædicatores. 1.9.26

Deus omnia peccata odit. 1.12.37

Comparatur ſoli in communicando creaturis ſuum influxum. 1.17.59. & ſeq.

Summa dignatio Dei in concurrendo cum ſuis inimicis. ibi.

Deus multa mala permittit, ne tollat arbitrij libertatem. 1.20.74

Contrarietatem poſuit Deus in rebus ſiuè naturalibus elementarijs, ſiue moralibus. Et quare. tom. 1.21.75

Dei gloria, eiuſque attributa manifeſtantur ex permiſſione malorum. tom. 1. par.22. num. 81. & tom.2.pag.187.num.587

Deus ſua miſericordia iuſtitiam diuinam temperat. 1.25.91

Deus non omnia dæmoni permittit, quæ vult.to.1. pag. 26.95.& ſeq.

Potentia Dei immenſa declaratur. 1.27.98

Dei miſericordia eſt, cum punit peccatores in hac vita. 1.35.129

Inuocandus eſt Deus in omnibus neceſſitatibus, vt à malo nos liberet. t.1.p.41.num.149. Eſt cauſa omnium bonorum. 1.55.173

Eſt ſummè beneficus in hominem: quia præditus eſt bonitate ad volendum:ſapientia ad inueniendum: potentia ad exequendum. tom.1.par.54. n.168. Eſt ſupremus princeps mundi.1.141.430

Solus Deus intuetur cor, & cognoſcit cogitationes hominum. 1.67.217
Eſt præſens in anima noſtra, & in corpore illapſu generali, ac ſpeciali. 1.83.258
Dei prouidentia omnibus hominibus Angelum cuſtodem aſſignauit. 1.146.447
Dei miſericordiam dæmon obſcurare & deturpare contendit. 1.187.549
Deum ſuum Creatorem omnes creaturæ ſentiunt, & illi obediunt. 1.261.738
Magnitudo potentiæ Dei manifeſtatur in ſtatu naturæ, & in ſtatu gratiæ. ibi.
Eſt artifex ſummus, qui manifeſtat ordinem ſuæ ſapientiæ in omnibus ſuis operibus. 2.61.214
Pro fide parentum, vel dominorum liberat à malo eorum filios, vel ſeruos. 2.156.499
Non deſerit peccatorem, niſi prius ab eo deſeratur. 2.173.545
Solus Deus poteſt illabi animæ noſtræ. t.1.pag.83. num.258.& 2.175.549
Non poteſt velle malum culpæ, licèt illud permittat. 2.186.582
Permittit mala, quia multa bona elicit. tom.2. pag. 187.586
Caſus mirabilis refertur. ibi. 590
Permiſsio malorum manifeſtat opera Dei. to.2. pag. 191.592
Deus coercet dæmones & per ſeipſum, & per Angelos. 2.191.593.& ſeq.
Prouidentia Dei deſcribitur, & latè demonſtratur ab auibus deſumpto argumento. 2.258.758
Ea prouidentia gubernat omnes, qua ſingulos. t.2. pag. 259.759
Dei bonitas eſt conſideranda ab amico Dei. tom.2. pag. 260.761
Vult Deus voluntate conditionata quod nobis maiori bono eſt. ibi.
Deum velle nos continuè malis affligi non conſtat; ſed benè Deum velle nos vti remedijs ad mala auertenda, & expellenda. 2.279.821.& ſeq.
Deus vult concedere beneficia, ſed iuxta diſpoſitionem diuinæ Prouidentiæ. tom. 2. num. 861.
Deus eſt placandus per pænitentiam. 2.293.864
Varios peccatores difficulter à malo pænæ Deus liberat. Et quare. 2.336.972
Deus tradidit homini inuiſibiles cuſtodes, vt nos ab inuiſibilibus hoſtibus tueantur. 2.248.722
Deus à nobis adiurari poteſt, ideſt exorari. Et quomodo. 2.250.729

Diffidentia.

Diffidentes de Deo, ac ſibi ipſis fidentes ſtulti ſunt. Et quare. 2.259.760
Sunt valdè impij. t.2. p.ibi. num.765. *Plures fiducia carent.* 2.262.766
Diffidentia de Dei protectione ponit obicem diuinæ liberalitati. 2.168.531

Diuinatio.

Diuinatio eſt quædam diuinitatis imitatio, latè declaratur. 1.208.601

Documenta.

Documenta quinque traduntur ad fortiter ſuſtinendum, ac conſtanter in bono perſeuerandum. 2.227.669
Documẽta ad ſe tuendum à vexatione dæmonum. tom. 2.353.1008
Documenta pulcherrima pro tribulatis ſubleuandis. 2.364.1031.& ſeq.
Documenta vtillima ad ſeipſum ab inimicis tuendum.
Exemplo comprobatur hoc noſtro. tom.2. p.372. n.1054. 2.373.1057

Eccleſia.

Eccleſiæ ſplendor eniteſcit ex permiſſione malorum. 1.23.82
Eccleſiæ catholicæ Romanæ propria eſt Cabala pia, & ſancta: quia illi ſoli à Deo reuelantur ſacra myſteria. 1.267.755
Equus in bello deſcribitur repræſentãs peccatorem iniquum, & vindicatiuum. 1.199.582

Euchariſtia.

Euchariſtia quomodo cæteris emineat ſacramẽtis. 1.264.745
Virtus ipſius contra dæmones. 2.302. 888

Excæcatio.

Excæcatio eſt pæna præcedentis peccati. to.2. pag. 12.38

Exemplum.

Exemplum malum Maiorum maximum affert damnum Reipublicæ Chriſtianæ. 2.34.123
Exempla pulcherrima pro iniurijs condonandis, & à Deo obtinenda ſua protectione contra inimicos. tom. 2.373.1057
Exempla ſcitu digniſſima. t.2.p.188.num.590.& pag.209. & 212.643
Extaſis quomodo cauſetur. 2.131.439

Fictiones cauendæ.

Illicitum eſt Miniſtro Eccleſiaſtico in ſuis miniſterijs fictiones adhibere. 2.244.712
Non eſt fictio Angelos apparere in forma Iuuenum, & cum hominibus loqui, manducare, & alia opera exercere. 2.121.400
Nec fuit fictio, ſed myſterium, Spiritum Sanctum apparere in forma columbæ, & in forma ignis. tom. 2.ibi.401

Fides Theologica.

Fides, ac fiducia in Deo collocata protegit ab inſidijs diaboli. 1.30.109
Eſt ſcutum contra omnia aduerſa. 1.ibi.111
Fundata eſt, ac confirmata per miracula à Chriſto facta. 1.220.638.& ſeq.
Fidei theologicæ obiectum, actus, & habitus deſcribuntur. 2.199.608
Eius obiectum triplex declaratur. 2.ibi.609
Actus fidei p.200.num. 615. Fides theologica definitur. 2.200.615
Eſt fundamentum omnium virtutum ibi. Eſt duplex vniuerſalis vna: altera particularis.n.617
Fides miraculorum, ac promiſſionum quænam ſit. tom. 2.ibi.618.& ſeq.
Fides theologica poteſt eſſe maior in vno, quàm in alio. Et quomodo t.2.p.202.num.621. Credentium diuerſitas. 2.202.622

Fiducia in Deum.

Fiducia in Deum collocata eſt vinculum, quo firmiſſimè deuincitur Dei erga homines beneuolentia. 2.11.35
Fiducia licèt principaliter diuinæ liberalitati, ac fidelitati innitatur; attamen de conſcientiæ puritate emanare creditur. t.2.p.139.num.510.
Proportionaliter augetur in voluntate, prout in intellectu augetur fides actualis. 2.203.630
Tollit hæſitationem maximè fiducia in miraculo operando. 2.ibi.631
Eſt veluti panoplia, ſeù omnis generis armatura; & virga moſayca, qua amici Dei in ipſum confidentes ſeipſos valent tueri ad omnibus rebus aduerſis. 2.ibi.632
Præſeruat à peccatis plurimis num.633. Non ſinit facilè cadere in tentationes. 634. Liberat, ac præſeruat à maleficijs, obſeſſionibus, ac moleſtijs diabolicis. 2.207.635
Defendit ab inimicis, ac perſecutoribus viſibilibus ibi.636.& 2.1057
Hac galea, lorica, & anchora firmata fuit Suſanna, & Eſther. 2.208.637
Liberat, ac præſeruat à morſu brutorũ animalium & alijs periculis p.209. Liberat à peſte p.211. num.639. Securos ſeruat in bello num.640
Famem tollere probant plura exempla miraculoſa. 2.212.642
Infirmitates curat. 645. Defendit à terremotu, aquarum ſubmerſione, grandine, aliiſque periculis inopinatis. 2.214.647
Eſt aſylum ſecuriſſimum in omnibus neceſſitatibus ac periculis. 2.215.648
Victoriam reportare facit de inimicis. 649. S. Scriptura probatur. 2.ibi.650
Neminem fallit, aut confundit. num.653. Maximam vitæ affert tranquillitatem. n.655. Exaltat homines etiam in hac vita. 2.218.656
Facit homines velut omnipotentes n.657. Creaturæ inſenſibiles obediunt ei, qui confidit in Deum. tom. 2.219.658
Dat vitam longam in præſenti ſæculo, & beatitudinem in futuro. num.660.
Fiducia in Deum perfecta emanat ex contemplatione diuinæ Prouidentiæ. to.2.p.ibi. num.757. Augetur conſiderando Deum eſſe præſentem. num.768. Maxima enaſcitur ex conſideratione veritatis Dei. 2.263.770
Fiducia, & perſeuerantia ſunt ſibi inuicem coadiutrices. 2.277.815
Multi habent fidem ſpeculatiuam, ſed carent practica. 2.ibi.ibi.
Catholici omnes habent fidem habitualem, ſed multi carent actuali quoad exercitium.2.ibi.ib.
Multi dicunt ſe fidem, ac fiduciam habere obtinendi ſanitatem; ſed illa non eſt fides, ac fiducia; ſed deſiderium naturale, aut ſpes multis dubijs inuoluta. 2.338.978

Filius.

Filij quandoque puniuntur à Deo pœna temporali ob peccata parentum. 2.254.746

Formica.

Formicæ alatæ aptiſſimè videntur repræſentare S.Ioan.Baptiſtam. 2.79.278

Fortitudo.

Fortitudo valdè neceſſaria eſt in bonis operibus exercendis; quæ includit patientiam,& perſeuerantiam. 2.226.667

S.Franciſcus.

Seraphicus S.Franciſcus ob fiduciam in Deo collocatam in quadam naui pro omnibus in ea exiſtentibus annonam ſibi & illis per Angelum meruit exhiberi. 2.212.643

Gallus.

Gallus odio habetur à dæmone, qui ſomnolentos increpat, ac negantes arguit. to.2. pag. 83.293

Gratia.

Gratiæ gratis datæ quot, & quæ ſint deſcribuntur. 2.203.624
Diſtinguuntur à fide theologica. num. 625. Fuerunt in Chriſto; ſed non fides theologica. ibi.

Gula.

Ad quæ peccata inducat gula. t. 1.p.143.437. Deſcribitur. 1.197.576
Ingluuies quot morbos efficiat. 2.295.871

Habitus vitioſus.

HAbitus vitioſus eſt de difficili mobilis; ideò vitioſi, & habitualiter increduli, difficillimè obtinent à Deo id, quod petunt. 2.336.974

Homo.

HOminis maxima ingratitudo erga Deum, qui abutitur Dei concurſu. 1.17.63
Eius præſtantia ſuper creaturas inferiores deſcribitur. 1.55.174
Eſt medium creaturarum: accedit ſpiritu ad Angelos: corpore ad bruta: anima ab vtriſquè participat. 1.82.252
Homo talis eſt, quales ſunt hi, quibus ſocietate connectitur. 1.178.515
Homines aliqui ſunt ita excæcati, quòd in ſuis neceſſitatibus ſpreto Deo ad dæmonem confugiunt. tom. 2.37.138
Natura ſcire deſiderant, præcipuè quæ ad ſui conſeruationem ſpectant. 2.50.180
Quid ſit homo quoad corpus; & quid erit poſt mortem. 2.153.491
Homo vix naſcitur, quòd incipit tentari in parentibus. 2.175.548
Quia homo quotidiè peccat, quotidiè petere debet à Deo ſibi dimitti. 2.267.781

Humilitas.

HVmiles gaudent de afflictionibus, ac contemptibus: ac triſtantur de honoribus: quia apprehendunt honores vt ſibi diſconuenientes: & contemptus vt ſibi conuenientes. 2.124.414
Humilitas hominis deſumitur ex conſideratione ſuæ miſeriæ. 2.153.491

Ieiunium.

IEiunium efficax eſt ad leues culpas delendas, & in via Dei viriliter progrediendum. tom.2. n.867. Eſt ſanitatis mater. 2.295.872
Eſt pharmacum efficax in abolendo peccato. to.2. pag. 296.873
Valet ad hoſtes inuiſibiles expellendos, ac viſibiles profligandos. 2.297.877

Ieſus Chriſtus.

IEſus cur ita vocetur: & epitteta eius enarrantur. Epiſt.dedicat.
Non venit ſoluere legem, ſed adimplere. Et quomodo. 1.12.40
Per paſſionem ſuam ſibi meruit illud nomen, in quo fiunt omnes gratiæ, & omnia miracula. t. 1. pag. 28.103.& ſeq.
Ieſus, & Maria in oratione non ſunt ſuparandi. tom. 2.283.833
Eius gloria extenditur ad Angelos, homines, & dæmones. 2.284.834
Dæmones inuiti honorem huic nomini impendunt. tom. 2.ibi.835
Omnes Chriſti fideles per fidem in Nomine Ieſu poſſunt dæmones eijcere. ibi.836. Multa mirabilia fiunt in Nomine Ieſu. 2.285.839
Imago ipſius miraculosè mutata Bergomi in Sacello Ieſu Conuentus S. Mariæ Gratiarum die 15. Septembris 1608. 2.306.899

Impius.

IMpij ſuis impietatibus, & iniquitatibus capiuntur, & in illis moriuntur. 2.11.33

Ingratitudo.

INgratitudinis refertur exemplum, & punitio ob eandem. 1.87.271

Inimicus.

INimicis eſt ignoſcendum pro amore Dei: quia qui peccata non dimittit, petit à Deo ſibi peccata non dimitti. 2.267.781

Iniuſtitia.

INiqui iniuſtitiam exercent in omnes cuiuslibet conditionis. 1.200.583

Inſtructiones.

INſtructiones vtillimæ ad ſe tuendum ab inimicis, ac perſecutoribus adducuntur, & exemplis comprobantur. 2.372.1054
Inſtructiones neceſſariæ pro infirmis ad obtinendam à Deo ſanitatem. 2.365.1032

Inuidia.

INuidia magìs quàm à dæmone torquebatur Saul. 1.25.90
Inuidia ſuum poſſeſſorem in ferinam mutat naturam. 1.127.398
Suum genitorem opprimit. ibi. Inuidus quærit omnibus malefacere. 1.128.399

Inuocatio.

INuocatione Nominis Dei actualiter homo vtitur ad auxilium ab eo petendum: vel ad ipſum laudandum. 2.10.31

S. Ioan.Baptiſta.

S. IOan.Baptiſta aptiſſimè præfiguratur in formicis alatis. 2.79.278

Iudex

Index Propoſitionum Prædicabilium.

Iudex.

IVdicis æterni decreta ab Angelis manifeſtantur hominibus. 1.61.197

Iudicia Dei, & hominum ſunt diuerſa. 2.13.41

Iuramentum.

IVramentum falſum cum imprecatione ſibi facta quid cauſauerit. vide verbo Confeſſio.

Iuſtus, Iuſtitia.

IVſti perferendo mala pęnæ ſolent declinare à malo culpæ, & facere bonum meritorium vitæ æternæ. 1.24.86

Iuſtitia reddit vnicuique quod ſuum eſt. tom.1. pag. 100.583

Liberum arbitrium.

LIberum arbitrium hominis viatoris non poteſt à dæmone cogi.

Peccator quantumuis in malo obduratus per liberum arbitrium (Spiritus ſancti gaatia præueniente) iterum ad Deum ſe conuertere poteſt. tom. 2.240.700

Locutio Angelorum.

QVomodo Angeli, & dęmones loquantur ad inuicem. 1.61.200

Malum.

MAlum facit appetere bonum, & ardentiùs quærere. 1.21.76

Ex malo multa bona, quæ proueniunt, recenſentur. tom. 1.ibi.78. & ſeq.

Mala ſæpiùs permittuntur à Deo, vt per liberationem glorificetur nomen eius. 1.26.93

Mali obſtinati quomodo poſſint conuenienter appellari diaboli. 1.174.500

Mala permittuntur à Deo ob profectum Bonorum. tom. 2.188.589

Ob malorum pęnam. ibi. 590

Mala pœnæ, quæ tantùm ſunt ad exercitium virtutis ſunt à Deo permittente, non iubente. to.2. pag. 295.869

Mala plura, ad quæ dęmon impellit ſibi obſequentes recenſentur. 1.340.983

Malitia.

MAlitiæ effectus deſcribuntur à D.Bernardo. tom. 1.198.578

S. Maria Magdalena.

S. MAria Magdalena à quo motiuo, & inductiuo fuerit excitata, vt conuerteretur ad Chriſtum. 1.24.88.89

Maria Virgo.

MAria Virgo liberat à dęmonis poteſtate quēdam, qui Deo renunciauerat; ſed B.Virgini noluerat renunciare. 1.176.509

Maria interpretatur Domina, quia dominatur dæmonibus. 2.286.845

Nomen eius inuocandum. ibi. Faciliùs quandoque impetratur inuocato nomine Mariæ, quàm nomine Filij. Et quare. 2.287.847

Matrimonium.

QVi matrimonium ineunt tantùm propter libidinem explendam, & in eo aliqua peccata carnalia committunt, quandoquè à Deo per dæmones puniuntur. 2.332.959

S.Matthæus Apoſtolus.

S. MAtthæus fecit mirabilia magna cōtra Zaroem, & Arphaxad magos in Aethiopia. 1.81.251

Mendacium.

MEndacium vnde ortum habuerit. tom. 1. pag. 57.182. in fine

Mendacium non fuit quando Angelus Raphael dixit Tobiæ iuniori: fumus piſcis extricat omne genus dæmoniorum. 2.114.374

Mendacium factum cum imprecatione eſt valdè noxium. 2.301.887

Miraculum.

MIraculum tria continet, & quænam ſint. tom. 2.201.618

Miracula, quæ fiunt ad propagandam fidem, vel confirmandam, in recipiente diſpoſitionem non requirunt. 2.352.1007

Modus.

MOdus ſe tuendi ab inimicis, ac perſecutoribus ſpeculatiuè, & practicè repræſentatur. 2.372.1054. ac ſeq.

Mortui.

MOrtuis honos debitus, ſeù adhibitus recenſetur. 1.205.593

Mulier.

MVlierum fragilitas, & inconſtantia deſcribitur. 1.171.495

Mulierum ignorantia, & in fide labilitas declaratur. 1.172.496

Earum malitia eruditiſſimè, ac latiſſimè deſcribitur à D. Ioanne Chryſoſtomo, ac Secundo Philoſopho. 1.173.497

Mundus.

Mundi vanitas tranſit ſicut illuſio à dæmone facta oculis intuentium. 1.76.242

Obſtinatio.

Obſtinati in malo ſæpè cadunt in atheyſmum non credentes Deum eſſe, animamque eſſe immortalem. 1.194.565
Obſtinatio in peccato reddit peccatorem quaſi inhabilem ad pænitentiam faciendam. 1.197.574
Obſtinati in malo iuremeritò vocari poſſunt diaboli. 1.174.500
Obſtinationis effectus deſcribuntur. 1.197.577

Opera miſericordiæ.

Opera miſericordiæ ſunt exercenda maximè cum ægrotis, ac tribulatis eos inſtruendo de modo, quo erga Deum ſe diſponere valeant. tom. 2.364.1031

Oratio.

Qui petit à Deo aliquid confidēter facit Deum eſſe Deum. 2.260.762
Orans Deum fiducialiter, ipſum honorat. 2.261.763
Deus exigit ab orante, vt credat Deum eſſe veracem, ac fidelem in ſuis promiſſionibus, tom.2. pag. 264.771
Orantes tenētur habere notitiam promiſſionis Dei. tom. 2.ibi.772
Ignorantia inuincibilis dictarum promiſſionum excuſat. 2.ibi.ibi.
Oratio vt petitio eſt, ex ſe eſt apta ad impetrandum. 2.265.773
Vt infallibilem conſequatur effectum requiritur promiſſio. ibi. Quæ non eſt abſoluta, ſed conditionata. ibi. Nec impetrat, niſi conditione adimpleta. ibi.
Oratio impetratoria debet eſſe de re bona. tom. 2. pag. ibi.774
Oratio dominicalis exponitur, ac declaratur. to.2. pag. ibi. 775.& ſeq.
Petere bona: vide verbo: Bona, & verbo petere.
In oratione longa perſeuerantia non minuit; ſed auget fiduciam. 2.278.817
Conditiones requiſitæ, vt oratio impetret infallibiliter, aſſignantur. 2.265.773
Orare pro Fratribus eſt ſecundùm voluntatem Dei. 2.278.819
Oratio pro alio habet ſuum effectum, niſi ille ſit incapax ad recipiendum. ibi.
Oratio Iudith oſtenditur habuiſſe omnes conditiones ad impetrationem infallibilem requiſitas. tom. 2.280.827.& ſeq.
Oratio ad Sanctos directa eſt actus bonus, & vtilis. 2.291.859
Orare poſſumus, ſeù adiurare, ideſt obſecrare per Deum ipſum. 2.252.735
Etiam per Chriſtum. ibi. n.736. ac per Angelos, & Sanctos. 2.ibi.736.737
Oratio dicta eſt quaſi oris ratio, quæ eſt actus, quo aliquid à Deo ſiuè mente tantùm, ſiuè etiam verbo, & ore ſuppliciter petimus. 2.10.30
Orationi incumbere eſt magna felicitas, ac dignitas. ibi.

Otium.

Otium quantum ſit damnoſum conſtat ex caſibus relatis. 1.85.264

Parochus.

Parochi, qui ſuas oues, ideſt parochianos à dæmonum inſultibus non defendunt, ſunt indigni nomine Paſtoris. 2.164.521

Paruuli.

Paruuli quomodo à malo ſint præſeruandi à parentibus. 2.334.967

Paſſio Chriſti.

Ex Paſſione Chriſti quot bona prouenerint. to.1 pag. 22.79
Paſſione Chriſti dæmoni poteſtas hominibus nocendi eſt ablata non abſolutè pro omnibus, ſed reſpectiuè pro aliquibus. 1.27.102

Patientia.

Patientia facit ſuperare omnia aduerſa. tom.2. pag. 226.686

S. Paulus Apoſtolus.

S. Pauli Apoſtoli extaſis quomodo facta ſit. to.2. pag. 131.439

Peccatum.

Peccata carnalia ſæpiùs ab hominibus committuntur à meretricibus per maleficia amatoria, ideò fugienda eorum colloquia, & aſpectus. tom. 1.225.650.& ſeq.
Peccatum mortale transformat moraliter hominem in beſtiam, cuius mores imitatur. Cur beſtiæ non cognouerint Adam vt ſuum dominum poſt peccatum. 1.257.724
Peccatum maius eſt peccare per malitiam, quam per ignorantiã, vel infirmitatem. t.2.p.14.n.44.

Pec-

Peccatum grauiſſimum incipit à minimo. to.1. p.177.n.513. *Peccatum in hominibus ortum habuit à primo homine.* 1.57.182
Peccata grauiora quandoque Deus punit per dæmones, etiam in hac vita. 1.25.89
Peccata etiam parua quandoque punit Deus. ibi. num.92.
Peccata minima ſæpiùs trahũt ad maxima. Exemplum pulchrum adducitur. 1.84.262
Peccatorum tria ſunt genera: ex infirmitate, ſeù fragilitate: ex ignorantia: & ex malitia. to.1. pag. 171.494

Peccator.

PEccatores, dum viuunt, ſemper ad Deum, (præueniente Spiritus ſancti gratia) ſe conuertere poſſunt. 2.240.700
Peccatores nihil fiunt, cum peccant: quia peccatum nihil eſt. 1.18.67
Peccatores Deus eò acrius punit, quò diutius pertulit. 1.38.140
Peccatorum variæ punitiones. t.1.p.39. num.142.
Peccatorum mors peſſima. 1.40.146
Peccatores obſtinati ſunt quaſi ſimiles diabolo. t.1. pag. 63.204
Vocari poſſunt diaboli: quia diabolum imitantur impietate, iniquitate, iniuſtitia. t.1.p.192.n.558.
Peccator vindicatiuus comparatur equo parato in bello. 1.199.582
Peccatorum impietas ſæpè tegitur ſub ſpecie pietatis, & religionis. 1.194.565
Peccator iniquus eſt in ſeipſum, & in alios. to.1. pag. 196.571
Maximos peccatores dæmon raro vexat in corpore vt ſecuriùs eos acriùs puniat in inferno. to.2. pag. 169.534
Peccator non deſeritur à Deo, niſi ipſe priùs deſerat Deum. 2.173.545

Perſeuerantia.

PErſeuerantia in oratione ad impetrationem infallibilem eſt neceſſaria. 2.275.812
Perſeuerantia in oratione, ac bonis operibus eſt neceſſaria tribulatis. 2.340.982
Eruditè deſcribitur à D.Bernardo. 2.227.669

Petitio.

PEtens à Deo aliquid confidenter facit Deum eſſe Deum. 2.260.762
Petitiones orationis dominicalis exponuntur. to.2. pag. 265.775
Petere à Deo ſingulare auxilium in omnibus rebus noſtris eſt ſupernaturalem eius prouidentiam recognoſcere. 2.271.794
Petere mala pœnæ ſibi, vel alteri non eſt extrinſecè malum. 2.ibi.795
Petere à Deo, vt damna temporalia, & mortem ipſam immittat homini pernicioſo Reipublicæ: aut publico Eccleſiæ hoſti non eſt malum. to.2. pag. 272.799
Petitio bonorum ſpiritualium habet infallibilem impetrationem. 2.272.861
Petitio bonorum temporalium, ſi vtilia ſint ad ſalutem, habet infallibilem promiſſionem. 2.n.802
Promiſſiones Dei recenſentur. 2.263.770
Petitio rei indifferentis non relatæ ad honeſtatem non habet impetrationem infallibilem. tom.2. pag. 274.807
Petens à Deo aliquam rem malam mortaliter peccat. 2.ibi.808
Petitio, vt impetret infallibiliter, debet eſſe ex fide theologica, ac confidentia inhæſitante. 2.ibi.809
Nec tantùm debet eſſe ratione bonitatis Dei; ſed diuinæ etiam promiſſionis. 2.275.811.
Petitio facta Deo à tribulato, vt obtineat, debet eſſe ſalutaris. 2.335.971
S. Petrus Apoſtolus cur mergi cæperit videns ventum validum. 1.30.111

Phantaſia.

PHantaſia quomodo poſſit eſſe in dæmonibus. t.2. pag. 122.404

Pœna.

POEnæ inferni deſcribuntur. 1.117.374
Pœnæ inferni, ac purgatorij, quæ ſunt corporales quomodo torqueant animas, ac dæmones, qui ſunt puri ſpiritus incorporei. 2.124.415
Pœna purgatorij qualis ſit. 1.114.359

Pœnitentia.

PŒnitentia vera, ac ſincera eſt neceſſaria ad Deum placandum. 2.293.864. & ſeq.
Pœnitentiæ ſacramentalis virtus, quàm efficax ſit ad obtinendam liberationem à malis affligentibus. 2.301.886
Pœnitentia, ſi vera ſit, ſemper Deo eſt accepta tom. 1.191.555.

Præcepta Dei.

PRæcepta Dei laciniosa veteris legis ſunt ſoluta; ſed moralia rata manent. 1.13.41

Prophetia.

PRophetia deſcribitur, ac declaratur. tom.1. pag. 207.599

Prouidentia Dei.

DEmonſtratur ſumpto argumento ab auibus. tom. 2.258.758
Eius contemplatio maximam animæ quietem affert. 2.259.759
Iuuat ad obtinendas gratias ſalutares, quas petimus. 2.279.823

Prouidentia diuina deſcribitur. 2.258.757
Ex permiſſione malorum multa bona elicit. tom.2. pag. 22.80

Prudentia.

Prudentia deſcribitur. Quinam ſint eius effectus. 2.228.670
Prudentia declaratur. 1.207.600

Pueri.

Quare dicat Chriſtus: niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum? Hoc dixit: quia pueri à vitijs ſunt immunes. 2.22.74

Regulæ.

Regulæ octo ad cognoſcendam diuinam voluntatem. 2.281.832

Religio.

Actus religionis, ſeù pietatis quinam ſint. Religio græcè dicitur latria, ſiuè theoſebia. t.2.p.10.n.31. Quomodo violentur. 2.ibi.32

Remedium.

Remedia præſeruatiua ad mala auertenda aſſignantur. 2.350.1004

Reuelatio.

Reuelationes Dei per quos fiant. 1.60.195
Reuelationum finis à Deo intentus quinam ſit. 1.61.198
Reuelatio rerum altiſſimarum ſub myſterijs abſcōditarum vocatur Cabala pia, ac ſancta. tom.1. pag. 266.753

Sacerdos.

Sacerdotum dignitas, ac poteſtas deſcribitur. tom. 2.159.509

Sacra Scriptura.

Sacræ Scripturæ efficacia, & effectus mirabiles deſcribuntur. 1.265.748

Sacramenta.

Sacramentis nihil auguſtius, quorum effectus mirabiles deſcribuntur. 1.262.741.& ſeq.

Sacrificium.

Sacrificio aliquid ab homine ſacerdotali dignitate fulgente actu immolatur, ac conſumitur. tom. 2.10.31

Sancti, ac Beati.

Sancti imitantur Angelos in charitate erga homines. 2.290.857
Dicuntur gladios habere ad nos tuendum contra inimicos. 2.ibi.ibi.
Phialas tenent, vt nobis benefaciant. ibi.
Sub Sanctorum forma ſæpiùs apparent dæmones. tom. 1.112.149
Sancti, Beati, & Angeli quomodo à nobis adiuuari poſſint. 2.250.730

Saul.

Saulis vexatio non fuit ab atræ bilis ſpiritu producta, vt dicerent Medici; ſed à dæmone, qui pellebatur non vi citharæ, ſed orationis Dauidis citharam pulſantis. 2.130.432

Scandalum.

Scandalum comparatur monti cadenti, qui multa damna affert. 2.12.37.& ſeq.
Cur Deus maiori pœna multauerit Iezabelem, quàm Achab, etiamſi ipſe vineam vſurpauerit. tom. 2.13.40
Scandalum Maiorum vide verbo Exemplum.

Senſus.

Quomodo ſenſus repugnet rationi: & caro ſpiritui aduerſetur: ſeù pars animalis parti rationali. 2.247.721

Sidus comatum.

Sidus comatum quid præſignare poſſit. tom.2. pag. 71.246

SS. Simon. & Iudas.

SS. Simon Chananæus, & Iudas Zelotes fecerunt mirabilia in Nomine Ieſu contra Magos Zaroem, & Arphaxad in Perſide. tom.1. pag. 81.251

Simulatio.

Simulata æquitas eſt duplex iniquitas. tom.1. pag. 197.575

Societas.

Societas bona bonum facit. Societas mala malos facit eos, cum quibus fit. 1.178.515

Spes.

Spei obiectum, & definitio. 2.205.629

Superbia.

Superbi fiunt ſimiles Lucifero. 1.127.396
Nec non cuidam dæmoni, qui in Ruſſia in forma Viduæ rumpebat brachia meſſoribus, niſi proni ſtatim illum adorarent. 1.143.436
Superbi gaudent de honoribus, & triſtantur de irriſionibus ſibi factis: quia apprehendunt honores, vt ſibi conuenientes, & irriſiones vt diſconuenientes. 2.124.414

Superſtitio.

Multi vt ſanitatem conſequantur modis ſuperſtitioſis vtuntur. 1.218.634
Quomodo magorum mira differant à miraculis Sanctorum. 1.221.640
Superſtitio vnde originem ducat. 2.45.165

Tentatio.

Tentationum diaboli modus varius. tom.1. pag. 60.192
Tentatio dæmonis quomodo in voluntatem hominis tendat, quam tamen non poteſt cogere. tom.1. pag. 86.268
Tentat hominibus mala inferre in corpore, & in bonis temporalibus; cum non poteſt in anima. tom. 1.128.401
Tentandi occaſionem ſumit diabolus ex varijs caſibus. 2.349.1003
Vide verbo Dæmon.

Tolerantia.

Mali tolerantia facilem ad omne genus virtutum viam ſternit. 1.24.87

Triſtitia.

Quomodo cauſetur in damnatis, dæmonibus, & animabus purgatorij. 2.130.438

Vanitas.

Vana ſanitatis obſeruantia eſt à Chriſti fidelibus abominanda. 1.118.635
Multa, & magna dæmon offert; ſed omnia ſunt vanitas, & illuſio. 1.78.242

Viatores.

Viatores poſſunt & bonum agere, & malum facere. 1.16.58

Vigilantia.

Vigilandum in oratione contra fures diabolicos. 1.224.646

Virtus.

Virtus facit laudabilem eum, in quo eſt. to.2. pag. 198.605

Vitium.

Vitijs diuerſis diuerſi dæmones præſunt; & varios modos tenent. 1.138.424
Vitijs remedia adhibenda, antequam fiant habitus: quia tum remedia ſunt quaſi inutilia. to.2. pag. 127.426

Voluntas.

Voluntas Dei per Angelos regulariter declaratur. 1.61.197
Voluntas licèt poſſit à dæmone induci ad peccandum; non tamen poteſt cogi. 2.178.559
Voluntate ſigni vult Deus omnibus viatoribus benefacere, & eos à malo liberare. 2.335.971

Vox.

Vocis efficacia quos effectus valeat producere. 1.248.699

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS CONCIONVM

PER TOTVM ANNVM OCCVRRENTIVM.

Tàm de Dominicis diebus, quàm de D. N. Ieſu Chriſti ſolemnitatibus, ac de Sanctorum communi oſtendens accuratè, quod ſingulis diebus ex hoc noſtro Alexicacon Parochi, ac Verbi Dei Præcones Populo fideli audiendum proponant.

PROPRIVM DE TEMPORE.

DOMINICA I. Aduentus. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibūt. Lucæ 21. verſ. 33.*

De veritate, ac fidelitate Dei in ſeruandis ſuis promiſſis. Vide tom. 2. pag. 263. 770. & ſequentibus.

Dominica 2. Aduentus. *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. Matthæi 11. verſ. 2.*

De patientia, & fortitudine in tribulationibus perferendis. to. 2. p. 226. n. 667. & ſeq. & num. 1032. & 1047.

Vel de operibus Chriſti. to. 2. p. 317. n. 921.

Dominica 3. Aduentus. *Et confeſſus eſt, & non negauit; & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Ioan. 1. verſ. 20.*

De vana exiſtimatione fugienda in miniſterijs ſuis obeundis. t. 2. p. 225. n. 664. & ſeq.

Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias. v. 23.

De neceſſaria præparatione ex parte noſtra ad Chriſti gratiam, & beneficia recipienda. t. 2. p. 263. n. 768. p. 257. n. 755. & p. 317. num. 921.

Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. v. 26.

De præſentia Dei. t. 2. p. 262. num. 767. Vide indicem præcedentem verbo *Deus*.

Dominica 4. Aduentus. *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facitas eius. Lucæ 3. verſ. 4.*

De vijs Iuſtorum rectis, per quas ambulandum eſt. tom. 2. p. 281. num. 832.

Dominica infra octauam Natiuit. Domini. *Erant Ioſeph, & Maria Mater Ieſu mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Lucæ 2. v. 33.*

De meditatione operum Chriſti. t. 1. p. 27. num. 102. & ſeq.

Hæc Vidua, &c. non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens die, ac nocte. verſ. 37.

De ieiunio cum oratione coniungendo. t. 2. p. 292. num. 863. & ſeq.

Dominica 1. poſt Epiphaniam. *Remanſit puer Ieſus in Hieruſalem. Lucæ 2. verſ. 43.*

De Parētum officio circa curam liberorum. t. 2. p. 156. n. 499. & pag. 254. 746.

Dominica 2. poſt Epiphaniam. *Dicit Mater Ieſu ad eum. Vinum non habent. Ioan. 2. v. 4.* quomodo pro alijs orandum. to. 2. p. 278. num. 818. & ſeq.

Implete hydras aqua. Et impleuerunt vſque ad ſummum. verſ. 7. Voluit Chriſtus vt & ipſi apponerent aquam.

De neceſſaria cooperatione noſtra ad Dei beneficia, & auxilia obtinenda. t. 2. p. 214. num. 646. & p. 257. & ſequent. & p. 279.

Dominica 3. poſt Epiphaniam. *Sed vade oſtende te Sacerdoti. Matthæi 8. verſ. 4.*

De debito honore, ac reuerentia ordini Sacerdo-

cerdo-

cerdotali exhibenda. p.159.num.509.

Audiens autem Ieſus miratus eſt: & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. verſ.10.

De magnitudine fidei, ac confidentiæ in Deum. p.199.n.606. & ſeq.

Dominica 4.poſt Epiph. *Motus magnus factus eſt in mari, &c. Matthæi cap.8.verſ.24.*

De tribulationibus Iuſtorum ad patientiæ virtutem exercendam.p.226.n. 667.& ſeq.

Et ſuſcitauerunt eum dicentes: Domine ſalua nos; perimus. verſ. 25.

De inuocando per orationem Chriſto in omni neceſſitate. p.284.n.834.& ſequent.

Qui timidi eſtis modicæ fidei? verſ.26.

De fiducia in Deum numquam deponenda. p.204.n.629.& p.277.n.816.

Tunc ſurgens, imperauit ventis,& mari.ibidem.

De potentia magna confidentium in Deum. pag.219.num.657.&ſeq.

Et facta eſt tranquillitas magna.

De Dei clementia, qui poſt procellas ſerenitatem affert. p.218.num.655.

Dominica 5. poſt Epiph. *Cum autem dormirent homines,venit inimicus eius. Matthæi 13.v.25*

De negligentia Chriſtianorum meditando Dei bonitatem:& arguendo ſuam improbitatem p.260. n.761. & p.263.n. 768. *& ſuper ſaminauit zizania.*

De arte diaboli in tentando. t.1.p. 82.n. 287.

Inimicus homo hoc fecit. verſ.28.

De reſiſtantia noſtra facienda diabolicis tẽtationibus. t.2.p.350. num.1004.

Dominica 6. poſt Epiph. *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis. Matthæi 13.verſ.31.*

De fidei virtute, excellentia, & effectibus. p.199.n.607. & ſeq.

Dominica Septuag. *Exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Mat.20. verſ. 1.*

De prouidentia, & benignitate Dei in procuranda hominũ ſalute. p.258.n.757.& ſeq.

Dominica Sexageſimæ. *Venit diabolus,& tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Lucæ 8.verſ.12.*

De varijs diaboli tentationibus. tom.1.p.83. num.260. & ſeq.

De diffidentia. t.2.p.205. num.630.& ſeq.

Dominica Quinquageſimæ. *Cæcus multo magis clamabat: Fili Dauid,miſerere mei.Luc.18.v.39*

De oratione efficaci, ac perſeueranti. to. 2. p.202.n.621.& ſeq.

Ieſus autem interrogauit illum dicens: quid tibi vis faciam. verſ.41.

De neceſſaria cooperatione liberi arbitrij ex parte ægroti adulti.p.214.n.646.

Dom 1. Quadrageſ. *Ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertũ, vt tẽtaretur à diabolo. Matthæi 4. v.1.*

De varijs tẽtationibus, ac moleſtijs quas dæmon ſolet hominibꝰ inferre. t.1.p.86.n. 268.

Cum ieiunaſſet quadraginta diebus,&c.v.2.

De ieiunij vtilitate.t.2.p.n.863.& ſeq.

Non in ſolo pane viuit homo; ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei. v.4.

De perpetua,& infallibili Dei prouidẽtia circa ſuorum amicorum neceſſitates. tom.2. p.212.n.642.& 757.

Angelis ſuis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te, &c. verſ.6.

De cuſtodia angelica. to.1.p.146.n.448.to.2. p.288.n.850.

Vade Sathana, ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, &c.verſ.10.

De generali victoria omnium tentationum. t.2.350.n.1004.& ſeq.

Dominica 2. Quadrg. *Ecce apparuerũt illis Moyſes,& Elias cum eo loquentes. Matth.17.v.3.*

De modo cognoſcendi veras animas ab illuſionibus diabolicis.t.2.p.171. n.541. & ſeq.

Dominica 3. Quadrag. *Erat Ieſus eijciens dæmonium. Lucæ 11.verſ.14.*

De poteſtate dæmonis ſuper corpora humana.to.1.p.94.n.289. & ſeq. Quomodo poteſtas dæmonis fuerit ligata per paſſionem Chriſti.t.1.p.27.n.102.& ſeq.

Dominica 4. Quadrag. *Cum ſubleuaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Ioan.6.verſ.5.*

De prouidentia Dei erga illos, qui in eo ſuã conſtituunt fiduciam. t.2.p.212. n.642.

Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. verſ.7.

Contra diffidentiam humanam circa Dei auxilium. t.2.p.261.n. 765.

Dominica Paſſionis. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. Ioan.8. verſ.46.*

De modo captiuandi intellectum veritati Dei. p.221.n.661. De veritate, ac fidelitate Dei in promiſſis ſeruandis. p.263.n.770.

Nonne benè dicimus, quia ſamaritanus eſt tu, & dæmonium habes? uerſ.48.

De contumelijs patiẽter ferẽdis.p.226.n. 667

Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de tẽplo.v.59

De non vlciſcendo proprias iniurias. to.2. pag.372.num.1054.

Dominica Palmarũ. *Accepit Ieſus panẽ, &c.& ait; accipite,& comedite, &c.. Mat.26.*

De Santiſs.Euchariſtię Sacramẽto:quomodo defendat à dæmonibus.t.2. p.302.n.888.

Super Epiſt. Philipp.2. *Chriſtus humiliauit ſemeipſum, factus obediens, &c.verſ.8.*

De efficacia SS.Nom.Ieſu.t.2.p.284.n.834.

Dominica Reſurrectionis. *Ieſum quæritis Crucifixum: ſurrexit, non eſt hic. Marci 16.u.6.*

De victoria Chriſti contra diabolũ: ſuper illa verba. *Nũc princeps,&c.t.1.p.27.n.102.*

Feria 2.Paſchæ. *O ſtulti, & tardi corde ad credendum. Lucæ 24.uerſ.25.*

De fide vigoroſa, ac perſeueranti. t.2.p.202. num.621.& p.277.num.816.

Feria 3.Paſchæ. *Stetit Ieſus in medio Diſcipulorũ ſuorum, & dixit eis: Pax uobis. Lucæ 24.u.36.*

De pace, quæ conſiſtit in dilectione Dei, & proximi. t.2.p.224.num.663.& ſeq.

Conturbati uerò, & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum uidere.uerſ.37.

De varijs dęmonum apparitionibus. tom.1. pag.110.num. 342. & ſeq.

Dominica in Albis. *Cũ factus eſſet ſero die illa. Ioan.20.verſ.19.*

De ſpe,ac fiducia in Deum non deponenda. to.2.pag.277.num.815.

Elenchus Concionum.

Stetit Ieſus in medio eorum.
De præſentia Dei. t.2.p.262.n.767.& ſeq.
Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. u.23.
De Sacramentalis peccatorum confeſſionis neceſſitate, ac vtilitate ad ſe tuendum à dæmonibus. t.2.p.301.num.886.
Quia uidiſti me Thoma, credidiſti: Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. u.29.
De fidei actualis merito, & efficacia. to.2. pag.201.num.617.& ſeqq.
Dominica 2. poſt Paſcha. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Ioan.10.uerſ.11.*
De cura, quam habere tenentur Parochi ouium ſuarum, defendendo eas à lupo infernali. t.2.p.163.n.520. & ſequent.
Dominica 3. poſt Paſcha. *Amen, amen dico uobis, quia plorabitis, & flebitis uos, mundus autem gaudebit. Ioan.16.uerſ.20.*
De afflictione Iuſtorum, & maximè Exorciſtarum: ac de Fortitudine in perferendis aduerſitatibus. t.2.p.226.n.667.
Dominica 4. poſt Paſcha. *Cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio, etc. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Ioan.16.u.8.11.*
De poteſtate diaboli ſuper animas credentium ſublata per paſſionem Chriſti. to.2. p.167.num.528. & ſeq.
Dominica 5. poſt Paſcha. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Ioan.16.u.24.*
De orationis admirabili virtute, & vario effectu: ac de conditionibus bonæ orationi debitis. t.2.p.756. & ſeq.
Vſq. modò nõ petiſtis quicquã in nomine meo. u.24
De excellentia, & efficacia Sanctiſſimi Nominis Ieſu ad orationis effectus conſequendos. t.1.p.28.n.103.t.2.p.284.num.834.
Dominica intra octauam Aſcenſionis. *Et hęc facient uobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Ioan.16.uerſ.3.*
De ſignis cognoſcendi diuinam voluntatem. t.2.p.281.n.832.
Ignorantia de Deo, ac eius bonitate gladio verbi Dei ab hominibus eſt reſecanda. t.2. p.316.num.916.
Dominica Pentecoſtes. *Non turbetur cor ueſtrum, neque formidet. Ioan.14.uerſ.27.*
De animi fortitudine, & patientia in rebus aduerſis ſeruanda. to.2.p.226.n.667. & ſeq.
Venit princeps huius mundi, et in me non habet quicquam. uerſ.30.
De aſſidua diaboli circa cuiuſque mortem vexatione. t.1.tota diſp.2.p.2.
Loquebatur uarijs linguis Apoſtoli magnalia Dei. Act.2.
Monitum vtiliſſimum pro Miſſionarijs apoſtolicis. t.2.p.275.num.811.
Feria 2. poſt Pentec. *Sic Deus dilexit mundum, etc. ut omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam ęternam. Ioan.3.uerſ.16.*
De fide, ac fiducia, qua homo preſeruatur à vitijs, & peccatis plurimis, ac ęternam conſequitur beatitudinem. t.2.p.206.n.633.
Feria 3. poſt Pentec. *Amen, amen dico uobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium; ſed aſcẽdit aliunde, ille fur eſt, et latro. Ioan.10.u.1.*
Non poteſt aliquod beneficium à Deo obtineri niſi per Chriſtum; quia ipſe omnia nobis meruit bona. t.2.p.273.n.806.
Dominica 1. poſt Pentec. *Eſtote miſericordes, ſicut, et Pater ueſter miſericors eſt. Lucæ 6.u.36*
De operibus miſericordiæ exercendis. to.2. p.166.num.125.
Dominica 2. poſt Pentec. *Miſit ſeruum ſuum dicere inuitatis, ut uenirent: quia parata ſunt omnia. Lucę 14.uerſ.17.*
De ſumma Dei benignitate, ex cuius parte nihil deeſt; quod ad noſtram ſalutem ſpectet. t.2.p.260.num.761.& ſeq.
Dominica 3. poſt Pentec. *Erant appropinquantes ad Ieſum publicani, et peccatores, ut audirent illum. Lucę 15.uerſ.1.*
Bonus Sacerdos omnibus quamuis peccatoribus ſuum debet impendere auxilium. t.2. p.162.num.518.& 519.
Gaudium erit in cęlo ſuper uno peccatore pænitentiam agente. u.7.
Peccator ſuam debet arguere malitiam, vt à Deo gratias obtinere valeat. t.2.p.263.n.769
Dominica 4. poſt Pentec. *Cum turba irruerent in Ieſum, ut audirent uerbum Dei. Lucę.5.u.1.*
Ægroti, ac in quacumque neceſſitate conſtituti per verbum Dei ſunt diſponẽdi ad fiduciam in Deo collocãdã. to.2.p.316.n.916.
Sed in uerbo tuo laxabo rete. uerſ.5.
De fiducia in Deum circa difficilia. tom.2. p.280.num.827.
Dominica 5. poſt Pentec. *Ego autem dico uobis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Matthæi 5.uerſ.22.*
De ira, quæ aliquando eſt occaſio, quòd aliquis à dæmone poſſideatur. to.2.p.173. num.545. & ſeqq.
Si offers munus tuum ad altare, etc. uade prius ræconciliari fratri tuo. uerſ.23.
De offenſis, & iniurijs dimittendis pro amore Dei. t.2.p.372.num.1054.
Dominica 6. poſt Pentec. *Cum turba multa eſſet, etc. ait Ieſus: Miſereor ſuper turbam. Marci 8.uerſ.1.et 2.*
De prouidentia Dei circa neceſſaria nobis cõmunicanda. t.p.212.n.642.& p.258.n.757
Quia ecce iam triduo ſuſtinent me. u. 2.
De perſeuerãtia in petendo, & benè operando. t.2.p.275.n.812. & ſequent.
Vnde iſtos quis poterit hic ſaturare in ſoletudine? uerſ.4.
Contra diffidentiam. t.2.p.261.num.765.
Dominica 7. poſt Pent. *Attendite à falſis Prophetis, etc. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Matthęi 7.uerſ.15.et 16.*
De ſignis cogoſcẽdi homines diabolicos. t.2. p.193.n.598. Ac de operibus maleficorum. p.178.num.557.
Dominica 8. poſt Pent. *Homo quidam erat diues etc. et ait ei: redde rationem uillicationis tuæ. Lucę 16.uerſ.1.et 2.*
De ratione, quam Deo reddere debent Parochi, qui negligunt ſuorum Parochianorũ neceſſitatibus ſpiritualibus ſubuenire. t.2. p.163.n.520.

Domi-

Elenchus Concionum.

Dominica 9. poſt Pentec. *Cum appropinquaſſet Ieſus Hieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper eam. Lucæ 16. verſ. 41.*

De flendis peccatis proprijs, & alienis, vt poſſimus à Deo conſequi id, quod petimus. tom.2.pag.293.num.864. & ſequentibus.

Domus mea domus orationis eſt. verſ.46.

De orationis ſtudio frequentando.t.2.p.258. num.756. & ſequent.

Dominica 10.poſt Pentec. *Duo homines aſcenderunt in templum, &c. Qui ſe humiliat exaltabitur. Lucæ 18. verſ. 10.& 14.*

Humilitas cum fiducia in Deum vnita exaltat homines etiam in hac vita. to.2.p.218. 656.& 657.

Dominica 11. poſt Pentec. *Adducunt ei ſurdum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Marci 7.verſ.32.*

De prompta in ſubleuandis proximorum neceſſitatibus. tom. 2. pag.166. num.525. & ſequent.

Dominica 12. poſt Pentec. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum ſicut teipſum. Lucæ 10. verſ. 27.*

De charitate erga Deum, & proximum.t.2. p.224.num.663.& ſeq.

Dominica 13.poſt Pentec. *Occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè, & leuauerunt vocem. Lucæ 17.verſ.13.*

De fide explicita requiſita in his, qui ſanitatem à Deo obtinere cupiunt. tom.2.p.202. num.622. & ſeq.& p.213.num.645.

Regreſſus eſt, cum magna voce magnificās Deum, & cecidit in faciem ante pedes Ieſu, gratias agens, verſ.15.

De gratijs Deo agendis pro acceptis beneficijs. tom.2.pag,347.num.1000.

Nonne decem mundati ſunt, & nouem ſunt? verſ.17.

De bono perſeuerantiæ ad ſalutem neceſſario. tom.2. pag.275. num.812. & ſequentibus.

Dominica 14.poſt Pentec. *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis: neque corpori veſtro, quid induamini. Matthæi 6. verſ.25.*

Contra curas, & ſollicitudines huius vitæ auaris proprias. tom.2. pag.212.num.642. & ſequent.

Hæc omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter cæleſtis, quia his omnibus indigetis. verſ.32.

Contra diffidentiam de continua Dei prouidentia. t.2.p.261.n.765.

Primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius. & hæc omnia adijcientur vobis. verſ.33.

De ordine ſeruando in petitionibus noſtris. tom.2.pag.265.num. 774.& ſeq.

Dominica 13. poſt Pentec. *Quam cùm vidiſſet Dominus miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Lucæ 7.verſ.13.*

De miſericordia obſeſſis, & ægrotis exemplo Chriſti ab Epiſcopis, & alijs prælatis exhibenda. p.162.n.518.& ſeq.

Dominica 16. poſt Pentec. *Ecce quidam homo hydropicus erat ante Ieſum. Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum. Lucæ 14.verſ.2. & v.4.*

De pietate, ac miſericordia Domini N.Ieſu Chriſti erga infirmos. p.317.num.921.

Dominica 17. poſt Pentec. *Diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo, &c. Mat.22.v.17.*

De Deo ſuper omnia diligendo. p.224.n.663

Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. verſ.39.

De dilectione proximi.p.225.num.664.

Dominica 18. poſt Pentec. *Ecce offerebant ei paralyticum iacentē in lecto. Matthæi 9.verſ.1.*

De cura proximorum, & charitate erga eos. t.2.p. 166.num.525.

Videns Ieſus fidem illorū, dixit Paralitico: confide fili. verſ.2.

De lege ordinaria Deus requirit in ægrotis adultis fidem, ac confidentiam, vt illis impertiat ſanitatem. t.2.p.214.num.646.

Dominica 19. poſt Pentec. *Rex cùm audiſſet iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos. Matthæi 22.verſ.7.*

De pœnis, quibus Deus per dæmones punit peccatores. t.1.p.35. & ſeq.n.129. & ſeqq.

Dominica 20.poſt Pentec. *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Ioan.4.verſ.46.*

Calamitates eos ad Deum adducunt, qui abſque eis venturi non erant. t.1.p.25.n.89. & ſequent.

Rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium eius. uerſ.47.

De cura parentum erga liberos. t.2.p. 156. num.499.

Domine deſcende, priùſquàm moriatur filius meus uerſ.49.

De perſeuerantia in oratione. tom.2.p.275. num.812.

Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & abijt. uerſ. 50.

De modo captiuandi intellectum veritati verbi Dei. tom.2.pag.221.num:661.

Dominica 21. poſt Pentec. *Miſertus autem Dominus ſerui illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Matthæi 18.uerſ.27.*

De miſericordia Dei petentibus eam promptiſſima. tom.2.pag.260.num.761.& 824.

Dominica 22. poſt Pentec. *Magiſter ſcimus, quia uerax es, & uiam Dei in ueritate doces. Matthæi 22.uerſ.16.*

De veritate verbi Dei, ac fidelitate in ſuis promiſſis ſeruandis. p.263.num.770.

Dominica 23. poſt Pentec. *Si tetigero tantùm fimbriam ueſtimenti eius, ſalua ero. Mat.9.u.21.*

De fide, ac fiducia in Deum. p.202.n.622.

Dominica 24. poſt Pentec. *Cum uideritis abominationem deſolationis, tunc qui in Iudea ſunt, fugiant ad montes. Matthæi 24. u.15. & 16.*

De modo fortiter ſuſtinendi tribulationes. p.226.n.667.& ſeq.

De Dei bonitate infinita, qui vt in cunctis tribulationibus ad eum confugiamus, nos inuitat. p.260.num.761.

Cælum, & terra tranſibunt, uerba autem mea non præteribunt. uerſ.35.

De infallibilitate verbi Dei. p.263.num.770.

Elenchus Concionum.

IN SOLEMNITATIBVS IESV CHRISTI D.N.

IN die Natiuitatis Domini N.Ieſu Chriſti. *Paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus, &c. Et inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Lucæ 2.v.15. & 16.*

Qui vult Deum inuenire, & ab eo, quod cupit obtinere, debet primò quærere gloriam Dei, & omnia adijcientur ei. p.265.n.774.

De bonis, quæ licitè ſunt petenda. pag.268. num.785.

In feſto S.Stephani Protomartyris.

Ecce ego mitto ad vos Prothetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis. Matth.23.verſ.34.

De perſecutionibus Iuſtorum, ac de patientia eorum. p.226.num.667. & ſeq.

Cum autem Stephanus eſſet plenus Spiritu Sancto, intendẽs in Cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à Dextris Dei. Act.7.verſ.55.

De gratia, ac fide miraculorum.p.201.n.618

In feſto S.Ioannis Euangeliſtæ. *Conuerſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Ieſus. Ioan.21.verſ.20.*

De amore Dei erga homines, qui cognoſcitur ex prouidentia, ac bonitate eius infinita hominibus exhibita. p.258.n.757.& ſeq.

In feſto Sanctorum Innocentium. *Angelus apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum. Matthæi 2.verſ.13.*

De modo cognoſcendi malos à bonis ſpiritibus. tom.1.p.110.n.342.& ſeq. & n.350. Ac de protectione Dei, qua tuetur ab inimicis eos, qui in illo ſuam conſtituunt fiduciam. t.2.p.216.n.649. & n.1057.& ſeq.

In die Circunciſionis Domini. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circunderetur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Lucæ 2.ver.21.*

De Sanctiſſimi Nominis Ieſu virtute, & excellentia. t.1.p.28.n.103.t.2. p.284.n.834. & ſequentibus.

In die Epiphaniæ Domini. *Apertis theſauris ſuis obtulerunt Magi Domino aurum, thus, & mirrham. Matthæi 2.verſ.11.*

De adoratione, & humili oratione ad Deum effundenda. t.2.p.258.n.756.& ſeq.

In ſolemnitate Sanctæ Crucis. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Ioan.12.verſ.31.*

Quomodo poteſtas dæmonis per paſſionem Chriſti fuerit ſublata. to.1.p.27.n.102.t.2. p.168.num.530.

De mirabili crucis virtute contra dæmones. p.305.num.895.

In Die Aſcenſionis Domini. *Recumbentibus vndecim Diſcipulis, apparuit illis Ieſus: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis. Marci 16.verſ.14.*

De fide miraculorum: an ſit eadem cum fide catholica. t.2. p.201.n.618.& ſeqq.

Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient. verſ.17.

De poteſtate à Chriſto tradita omnibus in ſe credentibus ad dæmones eijciendos. p.160.cum.514. & ſeq.& 519.& ſeq.

Linguis loquentur nouis. verſ.7.

Quomodo, & quando poſſint homines loqui varijs linguis. t.2.175.num.811.

Serpentes tollent. verſ.18.

Deus protegit in ſe confidentes à morſu, ac veneno brutorũ ananimaliũ. p.209. n.638.

Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. verſ.18.

Fiducia in Deum quomodo liberat à veneno. ibi.

Super ægros manus imponent, & benè habebunt. verſ.18.

Fiducia in Deum infirmitates curat. p.213. num.645. & ſeq.

In feſto Sanctiſſimæ Ttinitatis. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Matth.28. verſ.18.*

De potentia Chriſti in dæmones eijciendo. ac cætera dona nobis conferendo. t.1.p.28. num.103.tom.2.p.284.num.834. & ſeq.

Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. verſ.19.

De efficacia Baptiſmi ad dæmones eijciendos. p.300.num.882.

In feſto SS.Corporis Chriſti. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis merè eſt potus. Ioan.6. verſ.55.*

De Sacramenti Euchariſtiæ efficacia ad dæmones expellendos. t.1.p.262.n.742.to.2. p.302.nnm.888.

COMMVNE SANCTORVM.

IN feſtiuitatibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Matth.1.v.16.*

Maria dominatur dæmonibus. to.2.p.286. num.845.

Nomen eius inuocandum. ibi. ibi.

In feſto Sanctorum Angelorum. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt. Matth.18.verſ.10.*

De Angelica cuſtodia: & de Angelorum miniſterijs. t.1.tota diſput.2.tom.2.p.288. num.850.& ſeq.

In feſto Sanctorum Apoſtolorum. *Conuocatis duodecim Diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos. Matthæi 10.verſ.1.*

De poteſtate Apoſtolis tradita à Chriſto ad dæmones eijciendos, ac miracula patranda. t.2.p.284.num.835.& ſeq.

De fide, quæ eis neceſſara erat ad dæmones eijciendos, & miracula facienda pag.199. num.606.

In feſto vnius Martyris. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam. Lucæ 14.verſ.26.*

De fide actuali erga Chriſtum, qua mediante reliquerunt omnia propter ipſum. p.202. num.620.

Qui vult venire poſt me abneget ſemeipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matthæi

thæi

thæi 16.verſ.24.
De modo tribulationes pro Chriſto perferendi. p.226.num.667. & ſeq.
In feſto plurimorum Martyrum.
Cum audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri. Lucæ 21.verſ.9.
De varijs dæmonum tentationibus. tom.1. p.83. num.258. & ſequent. De reſiſtentia eis ab hominibus facienda.t.2.p.323.n.945.
In feſto Confeſſoris Pontificis. *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo.* Eccleſia in Off. Sanctorum Confeſs.Pontif.
De miſericordia erga ſubditos afflictos exercenda ab Eiſcopis exemplo Sanctorum. p.159.n.509.& p.162.n.518.
In feſto Confeſſoris non Pontificis. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lucæ. 12.verſ.35.*
De operibus miſericordiæ exercendis à Parochis. tom.2.162.num.519. & ſeq. à Religioſis præcipuè ab obſeſſis. p.165.nu. 524. & ſequent.
De oratione aſſidua, ac de conditionibus ad impetrationem infallibilem requiſitis. tom.2.p.258.num.756.& ſeq.
In feſto Sanctarum Virginum. *Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus,quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. Matth.25.v.1.*
De ieiunio, quo carnem ſuam ſpiritui ſubiecerunt; ac inimicos viſibiles vicerunt. tom.2.p.294.num.867.
In feſto Sanctarum mulierum non virginum. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. Matth.13.verſ.44.*
Ex conſideratione theſauri terreni mentem eleuauerunt ad contemplationem theſauri cæleſtis, ac in Deo ſolo ſuam fiduciam collocarunt. De fiducia in Deo collocanda. t.2.p.218.num.655. & 660. De contemplanda Dei prouidentia, bonitate, ac fidelitate. p.258.num.757. & ſeq. Exemplum Iudith adduci poteſt, eiuſque orandi modus. p.280. num.827.
In feſto omnium Sanctorum. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matth.5.verſ.3.*
Sancti in cælo regnantes dicuntur gladios habere ad nos tuendum.p.290. n.857.phialas tenere, vt nobis benefaciant. ibi.
An licitè nobis ſint orandi. n.857.& ſeq.
Cur velit Deus nos Sanctos orare. p.291. num.861.
Pro alijs diebus infra hebdomadas Quadrageſimæ: ſicut etia pro diebus feſtis Sanctorum, ac Sanctarum prudens Concionator legat, quæ continentur in Indice propoſitionum prædicabilium, & ſi pro ſuo deſirio ſufficientem materiam non inuenerit, ex alijs curet colligere Auctoribus.

Proteſtatio Auctoris ad Lectorem.

ADuerte Lector in relatione diuerſorum Caſuum quorundam Virorum, ac Mulierum, in quibus videtur eſſe aliquod ſpecimen ſanctitatis, ac perfectionis Chriſtianæ: vel etiam miraculoſæ operationis, & euentus ſupernaturalis; cum tamen ipſi adhuc ſint Viatores, & in ſtatu peccandi. Hæc omnia meis Lectoribus ita propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata; ſed tanquam quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant; atque adeò non aliter, quàm humanam hiſtoriam ad aliorum exemplum relatam. Idcircò nec velle me venerationem aliquam vlli arrogare: vel famam, & opinionem ſanctitatis inducere, vel augere.

FINIS.

ALEXICACON

HOC EST

DE MALEFICIIS,

AC MORBIS MALEFICIS COGNOSCENDIS.

TOMVS PRIMVS.

Quatuor continens Diſputationes, quibus eorum cauſæ exactè demonſtrantur.

Quæ ſunt	Deus. Dæmon. Maleficus. Res naturales.	Vt cauſa	Permiſſiua. Effectiua principalis. Effectiua miniſterialis. Moralis.

QVARVM COGNITIO, QVA RATIONE AB EXORCISTIS, ET QVA A MEDICIS ſpeculatiuè, & practicè habeatur, ſtatuitur in fine.

AVCTORE

R. P. F. CANDIDO BROGNOLO

BERGOMENSE,

Ordinis Minorum Concionatore, S. Theologiæ Lectore Generali.

VENETIIS, Apud Io: Baptiſtam Cataneum, M. DC. LXVIII.

Superiorum permiſſu, ac Priuilegio.

IN TOMVM PRIMVM

PRÆFATIO.

CVM exacta rerum omnium ſcientia ex perfecta cauſarum, & princi- 1
piorum cognitione ab hominibus comparetur; & nullus poſſit aliquid ſcire, niſi prius illarum aſſequatur notitiam, vt docet Ariſtoteles 1. *Poſter.* 1. Non poſſumus accuratiùs ſuſceptam de maleficiorum cognitione diſputationem abſoluere, quàm perquirendo illorum cauſas; vt ſic opportuniùs agitata inter Exorciſtas, & Medicos controuerſia, ad quos ſpectet illa cognoſcere, ſuis concluſionibus dirimatur. Quas certè difficile non erit adinuenire, ſi ſcrutemur: quid ſit maleficium, quod præter ea, quæ dicta ſunt in Proloquio *num.* 13. *et* 14. poſſumus ſic definire: *Maleficium eſt praua operatio in corpore per virtutem dæmonis ex pacto tacito, vel expreſſo cum homine inito, & rerum naturalium applicationem, atque eiuſdem hominis ad ſuam malitiam explendam miniſterium, iuſto ſemper, etſi occulto Dei permittentis iudicio facta.*

Maleficiorũ cognitio ſumitur ex cauſarũ cognitione.

Quæ habetur ex maleficij definitione.

Ex qua definitione, quæ clarè, & diſtinctè complectitur omnia ad eius eſſentiam pertinentia, colligitur, quatuor cauſas ad maleficia patranda concurrere, quamuis diuerſimodè, Deum, Dæmonem, Veneficum, & Res naturales. Quarum cognitio cum potiſſimùm pertineat ad Theologum Exorciſtam, vt totius huius primi tomi decurſu manifeſtè probabitur; ſequitur ad ipſum præcipuè, non ad Medicum ſpectare maleficiorum cognitionem.

Maleficij cauſæ quatuor ſunt Deus. Dæmon. Maleficus. Res naturales.

Hic autem tomus in quatuor diſputationes, ſeù libros iuxta quadruplicem illam cauſarum ſeriem diuiditur, vt ſic omnibus pateat, Theologos circa maleficia iudicium ferre debere, non Medicos, qui ſe vltrò in ijs dijudicandis ingerunt, eò quòd opus maleficum ſemper naturæ tribuant; eiuſque effectus referant principijs naturalibus: non tamen eadem permoti ratione. Nam ſi conditionem illorum, qui Theologis inſultantes, huiuſmodi iudicium ſibi arrogant, attentè conſideres, videbis eos quaſi ad quatuor claſſes reuocari, & Alios non admitte-
re primam cauſam, Deum: Alios ſecundam, Dęmonem: Alios tertiam, Maleficos: Alios 2
quartam, Res naturales, vt ſigna. Ideò probandum venit, Deum permittentem, Dæmonem cooperantem, Maleficum cooperantem, & Res naturales vt ſigna ferè ſemper appoſitas, eſſe cauſas maleficiorum: Illaſque diuinas permiſſiones, operationes dæmoniacas, maleficas cooperationes, appoſitiones ſignorum theologici eſſe iudicij, non medici. Quod peculiari diſputatione de vnaquaque cauſa demonſtrabitur.

Harũ cognitio cũ ad Theologũ Exorciſtã non ad Medicum ſpectet, ipſius quoque eſt, iudicare de maleficijs.

Diuiſio primi Tomi.

Nam	In Prima	De	Deo, vt cauſa permiſſiua	diſputatur.
	In Secunda		Dæmone, vt cauſa efficiente	
	In Tertia		Malefico, vt cauſa cooperante	
	In Quarta		Rebus naturalibus, vt ſunt cauſæ phyſicæ, vel morales	

DISPVTATIONIS PRIMÆ
DE DEO, VT CAVSA MALEFICIORVM.
DIVISIO.

Partes. Capita. Sectiones. Articuli.

Deus maleficia

- 1. Antequam committantur.
  - 1. Non vult, nec docet.
    - 1. Immediatè.
      - Naturaliter. 1.
      - Supernaturaliter. 2.
    - 2. Mediatè.
      - Per Angelos. 1.
      - Per Homines. 2.
      - Per Mortuos. 3.
  - 2. Prohibet.
    - 1. Per ſemetipſum.
      - In veteri teſtamento. 1.
      - In nouo teſtamento. 2.
    - 2. Per ſuos deputatos.
      - Pontifices. 1.
      - Conciliorum Patres. 2.
      - Canoniſtas. 3.
      - Patres. 4.
      - Theologos. 5.
      - Principes. 6.
      - Philoſophos. 7.
- 2. Dum committuntur.
  - 1. Quomodo permittat.
    - 1. Pro materiali.
      - Concurrendo cum omnibus creaturis. 1.
      - Cooperando cum qualibet creatura. 2.
    - 2. Pro Formali.
      - Non concurrendo ſimpliciter.
      - Non permittendo ſimpliciter.
  - 2. Quare permittat.
    - 1. Ex ordine rerum in vniuerſo.
      - Quantum ad bonum ſubſtratum.
      - Quantum ad bonum oppoſitum.
      - Quantum ad bonum elicitum.
    - 2. Ex ordine rerum in finem. Ob
      - Gloriam Dei. 1.
      - Splendorem Eccleſiæ. 2.
      - Bonorum profectum. 3.
      - Malorum pœnam. 4.
  - 3. Quomodo impediat.
    - 1. Per ſemetipſum.
      - In toto. 1.
      - In parte. 2.
    - 2. Per Angelos.
      - Virtute naturali. 1.
      - Virtute ſupernaturali. 2.
- 3. Poſtquam commiſſa ſunt, punit.
  - 1. Maleficos.
    - 1. Ordinariè.
      - Auctoritate publica. 1.
      - Auctoritate priuata. 2.
    - 2. Extraordinariè.
      - In Vita. 1.
      - In Morte. 2.
  - 2. Conſulentes maleficos.
    - 1. Ad mala tollenda.
      - Publica. 1.
      - Priuata. 2.
    - 2. Ad bona conſequenda.
      - Spiritualia. 1.
      - Temporalia. 2.

DISPV-

DISPVTATIONIS PRIMÆ

DE DEO, VT CAVSA MALEFICIORVM.

SVMMARIA.

DEVS eſt omnium rerum principium, & finis. 1

Hunc eſſe negant Athæi quorum alij ſpeculatiui, alij practici. 2

Vtroſque imitantur quidam Medici ſpeculatiuè, & practicè. 6

Qui immeritò ſibi maleficiorum cognitionem vſurpant. 11

Omnia, quæ in mundo fiūt procedunt non à naturæ, aut fortunæ impetu; ſed à Dei voluntate, vel Efficiente: vt Bona; vel Permittente: vt mala. 12

Ideò maleficia prodeunt non ab efficiente: quia Deus illa non operatur, nec mandat fieri.

Ergo à permittente, vt tota diſputatione probatur; in qua oſtenditur: Quomodo Deus ſe gerat permiſſiuè in illis.

Antequam committantur. *Dum committantur.* *Poſtquam commiſſa ſunt.*	*vt tribus Capitibus palam fiet.*

Pars I. Antequam committantur.

Dęmon ſemper malum ſub ſpecie boni proponit peccatoribus, ac maleficis, quibus magicam artem commendat, vt operantem miros effectus naturales: ac procedentem à Deo. 14

Quare multi ſub illo prætextu magiam addiſcunt, cuius fætus ſunt maleficia: quæ, vt tollatur larua diabolo, probatur duobus Capitibus, Deum illam non velle, nec docere; ſed prohibere. 15

Caput I. Nec vult, nec docet.

Si ea Deus vult fieri, quæ docet facienda, ſequitur velle magicas operationes, ſi magiam docet vt nolunt magiæ defenſores.

An falſum eſt, Deum magiam docere, vt toto capite probatur; ergo falſum eſt velle magicas operationes, & maleficia. 17

Ratio. Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper. Eccleſ. 1. At magia non eſt à Deo: quia illam non docet nec per ſe immediatè: Nec per alios mediatè. vt ſequentibus ſectionibus patefiet.

Sectio I. Immediatè.

Sicut duplex eſſe largitus eſt Deus homini: ita duplicem ſcientiam alteram naturalem, alteram ſupernaturalem communicatam vel per modum diſciplinæ, & artis, vel per modum gratiæ particularis.

1. *Naturalis communicata eſt primo modo Philoſophis ſublimioribus: Secundo modo Salomoni, & alijs.*
2. *Supernaturalis communicata eſt primo modo Iuſtis omnibus: ſecūdo modo Apoſtolis, et Theodicatis.* 19

Quare ſi magia à Deo eſt, vel eſt naturalis; uel ſupernaturalis.

At neutra eſt horum. Non purè naturalis: Nec purè ſupernaturalis: ut ſequentes articuli demonſtrabunt.

Articulus I. Naturaliter.

Si conſiderentur magiæ opera poteſt dici naturalis, ac ſupernaturalis. Naturalis: quia omnia opera eius non ſunt ſimulata; ſed aliqua uera, quæ perficiuntur uel uirtute cæleſti, ut probabile uidetur: uel uirtute terreſtri, ut notum eſt. 20

Sed non eſt purè naturalis, etſi alquando induatur naturalibus.

Quia	*Effectus producit ſuperantes cauſas naturales.* *Non operatur modo naturali.* 20 *Acquiritur modo extraordinario, & non naturali.*

Ideò ut ſcientia naturalis à Deo non procedit.

Articulus II. Supernaturaliter.

Magica ſcientia uidetur ſupernaturalis. 24

Si ſpectes
- *Opera.*
- *Profeſſores.*
- *Modum operandi.*
- *Finem operationum.*

Iiſdem rationibus probatur non eſſe ſupernaturalem, et ideò ut talem à Deo non procedere. 25

Sectio II. Mediatè.

Deus non ſeipſo ſolùm; ſed etiam per alios docet ſcientiam.

Per
- *Angelos, qui ſunt in Cælo.*
- *Homines, qui viuunt in Terra.*
- *Mortuos exiſtentes in Inferis.*

Quarè tribus articulis examinandam: An ab his magia edoceatur.

Articulus I. Per Angelos.

Magi ſuam ſcientiam ab Angelis profectam probant ratione, et exemplo. 27
Angeli magorum pręceptores non ſunt boni, ſed mali. 28
Probatur ex modo, quo coluntur, euocantur, coguntur, includuntur.
Ideò Magia non traditur à Deo per bonos Angelos.

Articulus II. Per Homines.

Datur magia licita, et honeſta, quæ res naturales debito modo applicat. 29. et ſeq.
Diuiditur in naturalem, quæ eſt uel diuinatrix, uel operatrix; et in artificialem: quæ eſt uel Mathematica: uel præſtigiatoria.
Magia maleficorum etſi in aliquo ſit ſimilis ijs omnibus; tamen ab omnibus differre probatur. 32
Ideò à Deo non uenit per homines.

Articulus III. Per Mortuos.

Magi iactant ſe animas euocare, à quibus ſuas diſcunt operationes magicas. At falſum eſt: quia neque Beatæ illas docent. Neque Purgatorij ignibus applicatæ. Neque Damnatæ inferno incluſæ.

Concluſio Capitis.

Ergo magia non eſt à Deo, et per conſequens nec maleficia; ſed à Dæmone. Vt probatur ratione multiplici: Gentilium confeſſione: Patrum conſenſu, ac ſcripturæ auctoritate. 36

Caput II. Prohibet.

Deus omnia peccata odit, et per conſequens maleficia. Quæ fieri prohibet per ſemetipſum: ac per ſuos Deputatos, ut duabus ſectionibus comprobabitur. 37

Sectio I. Per ſemeipſum.

Deus ſuam nobis aperit uoluntatem in ſcripturis, maleficia prohibendo tum in Veteri: tum in Nouo teſtamento, ut ſequentes articuli patefacient. 38

Articulus I. In Veteri Teſtamento.

Deus prohibet in ueteri teſtamento acceſſum ad maleficos. 39
Puniri iubet.
Ipſemet punit. Ratio ex Philone.

Articulus II. In nouo teſtamento.

Magiæ, et maleficorum prohibitiones in nouo teſtaméto non ſunt irritæ; ſed ratæ manēt. 40. et ſe.
Probatur ex uerbis Legiſlatoris Matthæi 5.
Pręcepta legis lacinioſa ſunt ſoluta. Moralia tamen rata manent; ſed abbreuiata, et reducta ad duo pręcepta dilectionis Dei, et proximi.
Ideò Legiſlator monet, maleficos ab Eccleſia ſegregandos in hoc ſæculo, & in futuro puniendos igne, & ſulphure.
Obiter contra non admittentes maleficia.

Sectio II. Per ſuos Deputatos.

Deus maleficia uetat, & puniri iubet per ſuos quaſi per ſeptem Angelos Apocalypticos in ſeptem articulos diſtributos nempe Pontifices, Conciliorum Patres, Canoniſtas, Patres, Theologos, Principes, Philoſophos. 44

Articulus I. Pontifices.

Pontifices uarias edidere Conſtitutiones contra maleficos: ut Clemens Romanus, Ioan. XXII. Innocētius VIII. Alexander VI. Adrianus VI. Leo X. Sixtus V. Vrbanus VIII. 45

Articulus II. Conciliorum Patres.

Patres contra maleficos uaria fecerunt Decreta in Concilijs Cartaginenſe, Ancyrano, Agathenſe, Antiſiodorenſe, Pariſienſe, Leodiceno, Muguntino, Mediolanenſe, Tridentino. 49

Articulus III. Canoniſtas.

Quorum auctoritas plurimi facienda. 47

Arti-

Articulus IV. Patres.

Qui in ſuis ſcriptis ualde deteſtantur maleficia. 48

Articulus V. Theologos.

Theologi omnes condemnant maleficos, & maleficia, ſiuè Scholaſtici: ſiuè Poſitiui: ſiuè Morales; qui de ijs latè diſputant. 49

Articulus VI. Principes.

Hi maleficia uetant, & puniunt ſiuè ſint Chriſtiani, ſiuè Ethnici. 50

Articulus VII. Philoſophos.

Iſti damnant maleficia ſiuè Phyſici, ſiuè Medici. His omnibus condordat uox omnium populorũ. 52

Pars II. Dum Committuntur.

Hominis malitia, et excæcatio talis eſt: ut neque legibus coerceatur: neque pœnis terreatur; ſed prouoluitur ad maleficia.
Illa Deus aliquando permittit, aliquando impedit, prout concurſum ſuum dat, uel denegat. 53
Vtroque modo ſe gerit, dum Committuntur; ideò tribus Capitibus.
Oſtenditur | *Quomodo permittat. Quarè permittat. Quomodo impediat.*

Caput I. Quomodo permittat.

Cum maleficia permittit Deus dando concurſum ſuum, duo in quolibet conſideranda, uidelicet actio ſubſtrata malitię, ac malitia ipſa. Ad actionem ſubſtratam concurrit; non autem ad malitiam. Vndè ſecundùm illos duos reſpectus dicitur maleficia permittere uel pro Materiali, uel pro Formali, ut duabus ſectionibus patefiet.

Sectio I. Pro materiali.

Deus, cum ſit cauſa uniuerſalis omnium rerum influit in totam ſubſtantiam, et effectum. Concurrendo omnibus creaturis. Cooperando cum qualibet cauſa ſecunda, ut ſequentes articuli demonſtrabunt. 55

Articulus I. Concurrendo cum omnibus creaturis.

Concurrit Deus tam intrinſecè, ut ſine eius concurſu nihil fieri poſſit in creaturis Cæleſtibus, Terreſtribus, Inferis. 56

Articulus II. Cooperando cum qualibet cauſa ſecunda.

Cuilibet cauſæ ſecundę operanti Deus cooperatur dando concurſum Generalem, Indifferentem, ac Purum, ut Sol lumen. 59. et ſeq.
Ideo dicitur maleficia permittere pro materiali, in quantum illum concurſum omnibus largitur.
Ratione cuius non debet dici maleficia uelle, niſi impropriè.

Sectio II. Pro Formali.

Deus maleficia pro formali dicitur permittere
Non concurrendo ad malitiam. 64
Non cohibendo malitioſam operationem.
Vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Non Concurrendo.

Deus, cum non concurrat ad malitiam, à quo denominantur maleficia, dicitur ea permittere non concurrendo. 65
Probatur ex Ioanne cap. 1.

Articulus II. Non Cohibendo.

Deus dicitur maleficia propriè permittere, quatenus non cohibet actionem malitioſam. 68
In permiſſione concurrunt Scientia Dei: Non velle: & quoddam velle. Et ita non eſt auctor, nec cooperatur maleficiorum. 69

Caput II. Quare Deus permittat maleficia.

Deus ea permittit propter bona indè prodeuntia. Ex ordine rerum in Vniuerſo, & in Finem, vt duabus ſectionibus palam fiet. 70

Sectio I. Ex Ordine rerum in Vniuerſo.

Malum per ſe Mundo perfectionem non infert; ſed fœditatem. Occaſionaliter tamen confert ad perfectionem eius accidentalem ſecundùm ordinem, quem habet ad triplex bonum, Subſtratum, Oppoſitum, & Elicitum, vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Quantum ad Bonum ſubſtratum.

Bonum ſubſtratum malo eſt natura defectibilis, & libera.
Libertas eſt ſummum bonum naturæ intellectualis, ex qua procedunt plura bona, videlicet Virtutis actiones: Meritoria opera: Præmia. &c. 27. *& ſeq.*
Quare, ne tollatur illud bonum, ex quo tot bona prodeunt, permittenda ſunt mala.
Non obſtat, ex illa libertate ſequi etiam mala: quia

quia totaliter non conſumunt bona, nec ſunt æquiparanda bono communi naturæ.

Articulus II. Quantum ad Bonum oppoſitum.

Ex malo, in quantum habet ordinem ad bonum oppoſitum, pulchritudo mundi conſurgit, quia bonum ex malo clariùs agnoſcitur, & ardentiùs amatur. 75

Quare ſi mala non permitterentur, hoc decore priuaretur.

Quia non agnoſceretur vitij deformitas, ac pulchritudo virtutis, non vitaretur vitium, nec coleretur virtus.

Ex quibus multa mala inueherentur, ac multa bona tollerentur. Ideò præſtat, mala permittere.

Articulus III. Quantum ad bonum elicitum.

Ex malo, prout ordinem habet ad bonum, quod ex illo procedit, exurgit decor Vniuerſi, quia ex malo prodeunt bona naturalia, ac moralia. 78

Ideò permittendum, ne tot bonis Mundus priuaretur, quia abſolutè melior eſt ſine malis: Comparatiuè melior eſt cum malis.

Sectio II. Ex Ordine rerum in finem.

Prouidentia diuina ex per permiſſione malorum bona multa elicit, ſine quibus ea non permitteret. 80

Quatuor principaliter numeranıur quatuor articulis.

Articulus I. Ob Gloriam Dei.

In his permiſſionibus gloria Dei accedit. 81

Quia manifeſtantur Bonis, & Malis Dei Prouidentia, Sapientia, Miſericordia, Bonitas, Iuſtitia, Clementia, ac Potentia.

Articulus II. Ob Splendorem Eccleſiæ.

Ex permiſſione maleficiorum patefit, quàm potens ſit Eccleſia in ſuis Sacramentis, Rebus ſacris, Benedictionibus, & Exorciſmis. Et quàm potentes ſint eius Miniſtri contra Dæmones. 82 *& ſeq.*

Articulus III. Ob Bonorum profectum.

Boni perferendo maleficia ſolent declinare à malo ſinè culpæ: ſinè pænæ, ac facere bonum, & creſcere in virtute humilitatis, patientiæ, obedientiæ, ad charitatis. 86. *& ſeq.*

Probatur exemplo S. Mariæ Magdalenæ.

Articulus IV. Ob Malorum pænam.

Per permiſſionem maleficiorum mali à malis puniuntur, præcipuè Contumaces in Deum, Blaſphematores, Irriſores Sacrorum, Direptores templorum, Immiſericordes, ac Deſperati. Vel vt reſipiſcant à ſuis ſceleribus: Vel vt alijs ſint exemplo. 89. *& ſeq.*

Probatur exemplo Saulis à dæmone obſeſſi.

Ex ſupradictis colligitur, quarè Deus permittat, maleficia ab alijs exerceri, nempe maleficis, & ab alijs ſuſtineri nempe maleficiatis.

Alij exercent, ne illorum impediatur libertas.

Alij ſuſtinent vel ob peccata propria mortalia, vel venialia: Vel ob peccata aliena. Vel ſuſtinent vt prouocentur ad gratiã, & ad gloriam.

Vtrique agunt, & patiuntur; Vnde glorificatur Deus, & Eccleſia. Quare non mirandum ſi Peccatores ob mortalia: ac Iuſti ob venialia maleficijs vexantur, ac Pueruli ipſi innocentes ob peccata, vel probationem parentum.

Caput III. Quomodo impediat.

In maleficiorum permiſſione datur potentia magna dæmoni; ſed maior homini. Et quare. 94

Vtraque tamen coercetur à Deo: tum impediendo mala, quæ facere vellent: tum moderando illa, quæ ipſis permittuntur. Quod facit per ſeipſum, ac per Angelos, vt duabus ſectionibus notum fiet.

Sectio I. Per ſeipſum.

Deus dæmoni, & maleficis non omnia permittit nec omnia denegat. Ratio permiſſionis, ac denegationis. 95

Vndè impedit vtrumque in toto, vel in parte, vt ſequentes articuli manifeſtabunt.

Articulus I. In Toto.

Dæmon cani ligato comparatur.

Ligatur à Deo vel reſiſtente: vel non cooperante poſitiuè, aut negatiuè. 97

Hæc poteſtas cæpit ligari poſt Luciferi peccatum.

Probatur exemplo. Exodi 7.

Per paſſionem Chriſti totaliter ablata ob honorem Sanctiſſimi Nominis Ieſu, non abſolutè; ſed reſpectiuè tantùm pro his, qui in Domino confidunt, & præcippuè in virtute huius Sanctiſſimi Nominis. 102. *& ſeq.*

Contra iſtos nihil poteſt dæmon.

Articulus II. In Parte.

Dæmon nihil poteſt ſine licentia diuina.

Si aliud tentat, coercetur in quolibet maleficio à Deo moderante malitiam dæmoniacam, & ordinante malitiam humanam. 106

Cur

Cur maleficio afficiantur alij numquam, alij raro, alij ſæpè.
Numquam qui perfectam in Deo habent confidentiam.
Raro qui minorem in Deo habent fiduciam.
Sæpè qui minimam in Deo habent confidentiam, ac nimis timent dæmonis potentiam. 108
Probatur auctoritate Diuinæ ſcripturæ. 111
Auerſi à Deo totaliter, ac de eo diffidentes expoſiti ſũt maleficijs ad vota maleficorum, niſi Deus illos protegat ob aliquod bonum publicum, vel priuatum.

Sectio II. Per Angelos.

Angeli mandante Deo, maleficia vel impediunt, vel ſoluunt virtute naturali; vel ſupernaturali; vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 113

Articulus I. Virtute naturali.

Difficile eſt determinare, quomodo Angelus vnus ſit alio naturaliter fortior. An ſecundùm intellectum, vel voluntatem, vel virtutem aliam agendi. 114. & ſeq.
Reſoluitur affirmatiuè, vnum alium cohibere.
Probatur auctoritate, ac ratione.

Articulus II. Virtute ſupernaturali.

Virtute diuina dæmones coercentur ab Angelis, à Sanctis & à Fidelibus. 120

Pars III. Poſtquam commiſſa ſunt.

Tanta eſt maleficorum in peccando licentia, vt Prouidentia diuina nulla eſſe videatur. 125
Quæ tamen aliquando caſtigat poſt peracta peccata tum Maleficos: tum eorum Conſultores, vt duobus Capitibus palam fiet.

Caput I. Maleficos punit.

Quàm graue peccatum ſit maleficium, quod omnia peccata videtur comprehendere: nec vlla pæna condigna caſti gari poteſt. Ideò miſericors Deus ſic illos grauiter punit in hoc mundo ſiuè Ordinariè: ſiuè Extraordinariè, vt duobus Sectionibus manifeſtabitur. 126. & ſeq.

Sectio I. Ordinariè.

Ordinaria pæna multantur malefici, cum Diuina ordinatione per homines morte violenta puniũtur. 129
Solet enim Deus eos tolerare longo tempore, vt conuertantur, vel permittere incidere in manus hominum, qui in illos animaduertant auctoritate publica: vel priuata: vt ſequentes articuli manifeſtabunt.

Articulus I. Auctoritate publica.

Ad puniendos maleficos tenentur Principes, ac Magiſtratus iure diuino, Eccleſiaſtico, & humano. 131
Iudices, ſi mali ſunt, præualet contra eos dæmon, ſi boni, Deus illos protegit, & eis maleficos puniendos adducit: tum per ſe occulta prouidentia: tum per homines inſtinctu particulari: tum per dæmones coactione ſingulari. 132. & ſeq.
Principes ad idem tenentur.
Qui id præſtiterit, meretur gratiã apud Deum, & gloriam apud homines, vt exemplis probatur.
Per vtroſque cum puniuntur malefici, conuertuntur plerique.

Articulus II. Auctoritate priuata.

Maleficos puniunt ij, qui vltorem gladium accipiunt, & ex odio, furore, aut alia occaſione eos interficiunt. 137
Quod accidit ſine Dei voluntate approbante; non tamen ſine Dei prouidentia.
Ex eis alij mortem intentant maleficis incogitantes: vt qui occidunt delatos in nubibus, congregatos in arboribus, intromiſſos in cameras, transformatos in beſtias. Vel qui dederunt occaſionem eorum morti.
Alij cogitantes, & ex profeſſo inimici, qui variè à maleficis vexati eos occidunt. Amici verò vel conſulentes ipſos: vel Magi, & eandem artem profitentes in iudicio: vel extra iudicium pugna ludicra, vel funeſta. 138
Quæ omnia varijs exemplis probantur.

Sectio II. Extraordinariè.

Deus non punit homines pæna extraordinaria, niſi creſcente numero ſcelerum, & ſceleratorũ. 140
Quare maleficos pena extraordinaria caſtigat, cum nulla ſpes emendationis effulget, tunc Deus eos ſathanæ tradit.
Qui illos vexat in Vita, & in Morte: vt ſequentes articuli manifeſtant.

Articulus I. In Vita.

Sic puniuntur malefici, vt requiem nullam habeant die, ac nocte. Die; quia vitam ducunt infamem, indigentem, ac miſerijs cumulatam. Nocte: quia vel ad ſua maleficia explenda: vel vel ad ſuos conuentus perſiſtunt. 142

Articulus II. In Morte.

Si mors peccatorum peſſima, peior maleficorum: quia ipſis apparet diabolus horrende horribili morte eos abſumens, vt probatur morte multorum maleficorum. Citòque quia immatura morte tolluntur. Confirmatur vtrumque exemplis. 146

Caput II.

Caput II. Conſulentes maleficos.

Qui maleficos conſulunt, & ad illos accedunt, puniuntur, Quia ſunt vel Infideles; vel Idololatræ; vel Hæretici: vel malefici: vel inobedientes, vt ratione probatur. 148

Quoquomodo accedant ad illos, hoc eſt, vel vt à malis liberentur: vel vt Bona conſequantur; vt duabus ſectionibus notum fiet.

Sectio I. Ad mala tollenda.

Dum malis præmimur, ad Deum confugiendum. Quare illi, qui confugiunt ad Dæmonem, grauiter Deum offendunt, ſpe vana deluduntur, & grauioribus malis ſe inuoluunt: Quoquomodo accedant, ſiuè pro malis publicis, ſiuè priuatis; vt ſequentes articuli patefaciunt. 149

Articulus I. Publica.

Cum publica mala ſint innumera, hoc in ſolo bello, quod omnia complectitur, demonſtratur infelici exitu præliorum, & obſidionum, cum fiunt ope dæmonum: vitantium pericula belli per incantationem: ac confidentium armis incantatis.

Qui exemplis comprobantur.

Articulus II. Priuata.

Vt in publicis, ita in priuatis malis ad Deum confugiendum.

Qui ſecus facit punitur à Deo, & illuditur à dæmone variè.

Quod varijs exemplis declaratur.

Sectio II. Ad bona conſequenda.

Omnes bona appetunt ſummo deſiderio; ideò toti ſunt in illis acquirendis, & augendis. Si illa à Deo non accipiunt, à dæmone requirunt exitu infelici; ſiue petant ſpiritualia; ſiuè temporalia: vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Spiritualia.

Multi non gratias quærunt, vt fiant Deo acceptabiliores; ſed ſigna, prophetias, reuelationes, extaſes, quibus fiant apud populum honoratiores, & in admirationem.

Quæ cum non obtineant à Deo, quærunt à dæmone.

Hi puniuntur à Iuſtitia Diuina, Eccleſiaſtica, & Ciuili.

Quod exemplis declaratur.

Articulus II. Temporalia.

Oſtenditur miſeranda ſors illorum; qui à dæmone poſtularunt honores, diuitias, ac voluptates.

Exemplis varijs id teſtantibus.

Concluſio totius Diſputationis.

Ex ſupradictis colligitur, ad Theologum, non ad Medicum ſpectare maleficiorum cognitionem, in quantum à Deo ſunt, vt cauſa permiſſiua.

Nam ad illum pertinet maleficiorum cognitio, ad quem pertinet eius cauſæ cognitio, vt ex Ariſtotele initio ſuppoſitum eſt.

Sed ad Theologum, non ad Medicum ſpectat cognoſcere cauſam permiſſiuam maleficiorum; cum eius ſit, & non Medici.

- *Diſputare de Deo permittente mala: de modo, quo permittit, de rationibus, quare permittit.*
- *Iudicare, an maleficia eueniant vel ad pœnam, vel ad probationem, vel ad alium finem.*
- *Diſponere maleficijs affectos ad emendationem, ad conſtantiam, ac conformitatem Dei.*

Ergo ad Theologum, non ad Medicum ſpectat maleficiorum cognitio, vt ab illa cauſa procedunt.

Ideò ad Theologum recurrendum eſt.

DISPVTATIO I.

DE DEO, VT CAVSA MALEFICIORVM.

1 PRINCIPIVM igitur diſputationum noſtrarum ſumamus ab eo, qui principium, & finem non habet, quamuis ſit principium ſummum, à quo omnia prodiere, Deo, nempè, optimo maximo. *Qui etſi ab initio*, vt ait Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. p. 3. c. 1. *Sic notitiam ſui in homine temperauerit, vt ſicut numquam, quid eſſet totum, potuit comprehendi: ſic quia eſſet, numquam prorſus potuit ignorari*. A' quibuſdam tamen non admittitur, qui non modò dubitant; ſed etiam omninò negant, Deum eſſe; & ideò Athæi nominantur, quorum Alij ſpeculatiui: Alij practici dici poſſunt.

Deus eſt omniũ rerum principium, & finis.

Hunc eſſe, negãt Athæi, quorum.

§. I.

Alij ſpeculatiui.

PRimi ſunt illi, qui tantis cæcitatis tenebris offunduntur, vt etiam ipſa reclamante natura, & vi eidem quaſi de induſtria illata, quod, ipſa duce, & magiſtra, ignorare non poſſunt, hoc ſe neſcire fatentur; quamuis, vt aptiſſimè dixit S. Paulinus Epiſt. 2. ad Seuerum Sulpitium: *Quod Deus eſt, hoc omnis anima videat: ad hoc mens nulla caliget: hoc etiam infidelium fides recipiat*.

2 Quæ anima Deum non videat, ſi intra ſeipſam circumferat ſpirituales oculos ad illa circumſpicienda, quæ Diuinitatem intuentibus manifeſtant: cum ſignatum ſit ſuper eam lumen vultus Domini, vt loquitur Dauid *pſal.* 4.? Quid eſt enim vultus ille, niſi iuxta Auguſtinum *in pſal.* 46. demonſtratio, qua vtique, tanquam perſpicuo, ac euidenti ſigno ipſi impreſſo, & in intimis eius eſſentiæ receſſibus indito, Deus ſeipſum demonſtrat, & manifeſtat? quæque non apparere ſolùm, nec tantùm reſplendere aſſeritur, vt benè notat Chryſoſtomus; ſed ſignari, ad denotandum, ſic illam animis hominum inhærere, vt quaſi impreſſa, & inſculpta ſeipſam omnibus oſtentet, & prodat: nec ab aliquo ignorari poſſit, niſi ab eo, qui oculos claudere, & malitioſa obſtinatione ſeipſum excæcare voluerit? Ideò, vt anima in Dei notitiam deuenire poſſit, non indiget prodire foràs, & longiùs euagari; ſed in ſeipſa conſiſtere, ſequè attentiùs contemplari: quia, vt ait S. Athanaſius or. contra Idola: *Diuinæ contemplationis vim, intelligentiamque poſſidet, ipſaque ſibi ipſi vt via, & methodus quædam non aliundè; ſed ex ſeipſa Verbi diuini ſcientiam, apprehenſionemque haurit, & percipit*.

§. II.

QVæ mens caligat ad Dei notitiam: *cum inſit illi facultas*, vt proſequitur idem Athanaſius, 3
ex ijs, quæ apparent, eius cognitionem addiſcere, rerum natura veluti literis per ordinem, & harmoniam Dominum ſuum, conditoremque indicante, & altiſſima voce proteſtante: Bonus enim cum ſit Deus, & hominum amans, curatorque animarum, quas condidit; ſed tamen inuiſibilis, & incomprehenſibilis natura, & altior omnibus rebus creatis; ne homo in eo cognoſcendo fruſtra laboraret, eò quòd ipſe ex non ente ad eſſentiam prodierit: ille autem creatus non ſit: ideò rerum naturam ita ratione inſtruxit, vt quamuis per naturam ſit inuiſibilis, ex operibus tamen cognoſci poſſit; cum ſæpè artifex, etiamſi in oculis non ſit, ex operibus cognoſcatur! Hæc ille. Sic mundus manifeſtat eum, qui ipſum diſpoſuit; factura ſuggerit illum, qui eam fecit; ipſa conditio oſtendit, qui eam condidit, creatura indicat Creatorem. *Qui*, vt ait Mercurius Trimeg. in Pymandro cap. 5. *per ſingulas orbis particulas vbique ſplendet, atque adeò ſe notum præſtat, vt non intelligere modò; ſed manibus etiam ipſis, vt ita dicam, liceat attrectare*. Nam vndique noſtris oculis eius obuerſatur, ſeque objicit, & inculcat imago; & nihil eſt in rerum natura, quod non aliquam præſeferat Diuinitatis imaginem.

Quæ deniquè fides infidelium Deum non recipit? 4
ſeu *quiſnam hominum*, vt vtar verbis Arnobij lib. 1. contra Gentes, *non cum iſtius principij natione diem primæ natiuitatis intrauit, cui non ſit ingenitum, non affixum; immò ipſi penè in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum, eſſe Regem, ac Dominum cunctorum, quæcumque ſunt, moderatorem*. Quia, vt ſcribit Tullius lib. 1. de legibus. *Nulla gens eſt neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non habeat ſine doctrina anticipationem quamdam*

Deorum; & etiamſi ignoret, qualẽ habere Deũ deceat, tamen habendum ſciat. Cum enim non inſtituto aliquo, aut more, aut lege ſit opinio cõſtituta, maneatq. ad vnũ omnium firma conſenſio, intelligi, neceſſe eſt, eſſe Deum, quoniã inſitas eius, vel potiùs innatas cogitationes habemus. De quo autẽ omniũ natura conſenſit, id verũ eſſe, neceſſe eſt. Cui cõcinit Simplicius in Epictetum c.38.q.1. *Omnes homines tam barbari, quàm Græci*, inquit, *tàm infinito ſuperiori tempore, tùm nunc; quamuis alij alijs rationibus, Deum eſſe cenſent; & natura, non homines modo, ſed & bruta animantes, & ſtirpes, & lapides, & denique omnia, quæ ſunt, pro ſua quæque virili ad numen reſpiciunt*. Et tamen quod anima in ſeipſa videt, quod mens cernit in creaturis, quod fides in hominib⁹ intuetur, hoc Athei ſpeculatiui ſe deprehendere non poſſe, aut nolle dixerunt, quales fuiſſe Diagoram, Mileſium, Theodorũ, Cyrenaicum, Euemerum Tegetem, Protagoram, Euripidem, & alios, memorant; qui quantumuis philoſophicas diſciplinas profiterentur, tamen Dauide teſte pſal.13. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti in ſtudijs ſuis*. Quia, vt rectiſſimè dixit S. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate: *Hæc eſt ſumma delicti, nolle cognoſcere, quem ignorare non poſſis.*

§. III.

5 SEcundi ſunt illi, qui iuſto Dei in eos ſæuiente iudicio, & inducente impietate ſathanica in impietatis baratrum, & ſtolidiſſimam, ac quouis malo grauiorem exitij voraginem corruerunt; vt ſi non habitu, actu ſaltem Deũ eſſe inficientur. Certum eſt enim, vt eruditè notauit Alexander Alen. 1.p.q.3.mem.2. *Hominem ignorare non poſſe Deum habitu, qui ipſi naturaliter ineſt impreſſus, quo in Diuinæ Maieſtatis notitiam peruenire poteſt*. Et hoc præcipuè locum habet in ijs, qui litteras profitentur: *Quippè, vt ſemel dicam*, ait Clemens Alexand. lib. ad Gentes, *hominibus maximè autem ijs, qui verſantur in doctrina, & litteris, inſtillatus quidam diuinus influxus, qua de cauſa vel inuiti fatentur, vnum eſſe Deum ab interitu alienum, & ingenitum*. Idem docet S. Auguſt. tract. 106. in Ioan. *Hæc eſt vis*, inquit, *veræ Diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti non omninò ac penitus poſſit abſcondi.* Actu tamen Deum ignorare poſſe, præſertim ſi ſecũdùm inferiorem rationis partem, quæ in contemplandis creaturis verſatur per peccatum; & ſecundùm ſuperiorem per errorem à Deo auerſus obſcuretur; vt rectiſſimè aſſerit Athanaſius loco ſupracit. *Humana namq. mens*, ait, *etſi ab initio vim ſibi à Deo conditam habeat, qua Deum ipſum facilè cernere poſſit: ſi tamen corporalibus cõmercijs non immiſceatur; neq. vllam ex rebus extraneis admixtam habeat cupiditatem; ſed ſibi tota adſit, vt à principio condita fuit: alias ſuo merito in ſummam Diuinorum proruit obliuionem, & ignorantiam, vt potè ſi corporalibus voluptatibus obruatur, carnalibuſque concupiſcentijs ſcateat, & clauſis oculis, quibus Deum contemplari poterat, effectiſq. ſua imaginatione malis in ijs ſeſe agitet, & moueat in eaque ſola obtutum habeat, quæ ſenſibus occurſant*. Quibus verbis indicat, eos lumen ſibi à primordijs inditum amittere, qui exuperantibus eorum peccatis, per quæ oculus intellectus excæcatur, vſquè adeò obrunduntur, vt naturalis vis, qua ad veri Dei cognitionem ſuaptè ingenio ſubmoueri poterant, per ſe minus ſufficiens ſit ad illam aſſequendam. Dum enim actibus frequẽtiſſimis repetitis eum ignorant; tandem in totalẽ ignorantiam cadunt, quæ eos in Athæiſmum detrudit, & in extremã deijcit impietatem: *Cum*, vt ait S. Theodoretus in pſal.13. hæc verba Dauidis explicans: *Dixit inſipiens in corde ſuo. Fundamentum, & radix impietatis vitæ corruptela ſit. Cum enim ſeipſos intemperantiæ, atq. ferinæ vitæ addicunt, Dei memoriã à mente proijciunt*. Tales ſunt illi iuxta Apoſtolum *ad Titum* 1. *&* *Roman*. 1. *qui confitentur ſe noſſe Deũ factis autem negant*; & cum Deum cognoſcant, non ſicut Deum glorificant, aut gratias agunt; ſed euaneſcunt in cogitationibus ſuis; & obſcuratur inſipiens cor eorum, dicenteſque, ſe eſſe ſapientes, ſtulti fiunt.

Alij Practici.

§. IV.

AD vtroſque proximè accedunt quidam, quos Athæos mixtos iure dixeris, qui Deum partim ſpeculatiuè, partim practicè negant. Speculatiuè, qui alijs rebus ſpeculandis intenti à diuinis cogitationibus mentem auertunt. Practicè; quia etſi exteriùs ſaltem rectum viuendi ſeruent inſtitutum; Deũ tamen agnoſcere, & debitis honoribus colere negligunt; quorum numero ſe inſerunt quidam ex Medicis (anxiè dico, quia cogit veritas) quos vtroquè modo ad hoc athæiſmi genus deuenire experentia docet. (*Nec turbentut Medici deuoti, ac probi: nõ enim eos ſuggillo; ſed veneror, & colo.*) 6

Vtroſque imitãtur quidam Medici.

Speculatiuè etenim eos ad athæiſmum paulatim declinare certum eſt; quia iſti Medicis ſpeculationibus ſemper occupati lapſu temporis inſenſibiliter Dei cognitionem amitttunt.

Speculatiuè.

Fatemur quidem, medicinæ ſcientiam, etſi prout eſt practica inter mechanicas artes numeretur, vt ſpeculatiuam tamen in ordine artium liberalium quas homines profitentur, nobilem tenere locum; nec tam humano ſtudio partam, & longa experientia conquiſitam eſſe, quàm diuina inſtitutione communicatam; cum à Deo ipſo creata ſit, & quaſi cæleſte munus exhibita orbis habitatoribus, vt monet Sapiens *Eccleſ*.38. & cecinit Periſaluus Poeta de Medicina, his verſibus.

Artem aliam Deus, & rerum natura repertrix
Inſtituere ſacram, qua languida corpora morbo
Eriperent quouis propriæ rediture ſaluti
Hæc tibi ſi placeat, placet ars, quæ digna polito
Ingenio ſapiat, quocumquè humana ſapit vis.

Quarè *ſicut diuinitùs accepta eſt, ita diuinitùs exercetur*, ait Marſilius Ficinus *lib.* 1. *ad Thom. Valer. Phyſicam*.

§. V.

QVod Ethnicorum diſciplina commendat, cum non ſolùm illuſtriſſimos Philoſophos Platonem, Ariſtotelem, Democritum, Thymæum, & alios non ignobiles in hac arte ſcripſiſſe: Non ſolùm excellentiſſimos Principes, vt Hermetem, Meſue Regis Damaſci nepotem, Auicennam Cordubæ Dominum, & Cybelem minoris vetuſtiſſimæ Phrygiæ Regis filiam: Non ſolùm potentiſſimos Reges, Saborem, & Gigem Medorum, Sapidem Arabum, Mythridatem Ponti, & Apim Ægyptiorum illam meditari, & exercere nequaquam dedignatos fuiſſe, commemorat; Sed etiam ſemidæos ſcientia medica excelluiſſe aſſerit, quales Æſculapium, & Herculem ferunt, quorum primus Medicinæ fuit peritiſſimus: ſecundus pharmaea multa aduerſus venena, & ſerpentum morſus inuenit: Immò Deos ipſos cæteris eminentiores, Apollinem, nempè, & Mercurium, quos priſci, vt auctores, & fautores tam nobilis artis, & ſcientiæ hominibus proficuæ ſingulari honore proſequebantur. 7

§. VI.

IDipſum illuſtriori auctoritate, & commendatione Religio chriſtiana confirmat. Quæ primò à diuinis

uinis ſcripturarum oraculis huius ſcientiæ profeſſores colere docet, non impio, & ſacrilego honore, vt Ethnici, qui aliàs Paeonem in medica arte doctiſſimum, à cuius nomine Paeonia herba nomen ſumpſit, poſt obitum in Deorum numerum retulerunt; Et ne ocioſius eſſet, conſtituerunt Deorum Medicum; Sed culto debito ijs, qui à Deo edocti, & lõgo ſtudio exculti de vniuerſis hominibus benè merentur. Tum Apoſtolos, & apoſtolicos viros veneratur tanquam à Domino miſſos in orbem, non ad tollendas ſolùm animarum infirmitates; ſed etiam ad curandos corporum morbos iuxta inſignem poteſtatem, & admirandam virtutem *Lucæ 9.* ipſis gratis exhibitam; atq. ab eis diuerſimodè ore, tactu, vmbra applicatã ægrotantibus. Inſuper Angelos huius artis opus exercentes, & ad curandos infirmos ſpeciali gratia deputatos ſuſcipit: vt Raphaelem vnũ ex ſeptem, qui aſtant ante Dominum, qui modò medicinę theoriam docet, dum virtutes piſcis enumerat, ſiuè ad fugandos dęmones; ſiuè ad tollendam oculorum albuginem: Modò practicam exercet, dum vtrumq. Tobiã, & Saram ſanat fumo cordis particulæ ſuper prunas poſitæ, & vnctione felis oculis applicati. Deniq. Chriſtum Dominum Æterni Patris filium adorat, cęcis viſum, ſurdis audirum, claudis motum, leproſis munditiem, lãguẽtibus ſanitatem, mortuis vitam verbo, tactu, luto, modiſque admirandis reſtituentem tanquam humani generis Medicum, vt ſeipſum in Synagoga Nazaret *Lucæ 4. & Iſaiæ 61.* verbis probat, & profitetur.

§. VII.

9 Attamen, vt ſunt hominum ingenia ad malum procliuia, & cuiuſuis rei quantumuis bonæ datur vſus, & abuſus; ſępiùs euenit, medicinam diuinitùs inſtitutam, & diuinitùs exercendam, artemq. ſanctè traditam, & ab ijs, qui ſanctitatis amantes ſunt, piè adminiſtratam, à quibuſdã ex eius profeſſoribus non ſancto, & pio, ſed profano, & impio modo tractari: quia dum toti ſunt naturæ operibus conſiderãdis, & ſuiipſius, & naturę auctoris obliuiſcuntur, atq. ità paulatim ad atheiſmum vltimum, & horrendum errantis, & excęcati ingenij præcipitium dilabũtur. Quis magis ſuiipſius obliuiſcitur, quàm qui Animæ immortalitatem negat? Et tamen hoc faciũt quidam ex Medicis, vt Galenus, qui in hoc inferiori mũdo nihil putauit immortale, & diuinum contineri; à quo ſi huius aſſertionis cauſam ſciſciteris, videbis nimiam naturalium operationum ſpeculationem hunc illi errorem inſtillaſſe. Nam in libro, quem conſcripſit: *Quod animi mores ſequantur corporis temperamentũ*, fatetur, perſuadere ſibi non poſſe, in homine aliquam partem immortalem eſſe, qualis à Platone rationalis ſtatuitur: cum videat in phreneticis, & reliquis deliria patientibus lædi mẽtem mutato corporis temperamento; & mortem inferri extincto calore natiuo: quaſi calor natiuus ſit ipſius animæ ſubſtantia; alioquin ignorare ſe eius eſſentiam. Cuius ſententiæ putat, fuiſſe Hippocratem; & ideò in anima præter huiuſmodi calidum generationi, & corruptioni obnoxium, nihil immortale inſpexit.

Ab his non diſſentire videbatur quidam in tota ferè Lõbardia Medicis valdè notus hoc noſtro æuo, qui in ſuis publicis prælectionibus animæ immortalitatem negare nõ verebatur, ſuiſque diſcipulis hunc inſtillare errorem, animam nempè, ſimul cum corpore interire; licet cuiuſdam proteſtationis, ſeù potiùs inanis diſtinctionis, vt dicunt, concinnaret fuco, aſſerendo, videlicet, ſe hæc vt philoſophum ſentire: vt catholicum verò ſe quicquid Sancta Mater Eccleſia docet credendum credere: quaſi verò duos haberet intellectus, vnum, quo opinioni erroneæ adhæreret: alterum, quo veritati catholicæ aſſentiret. Pari modo iſti Deum negant, quia continua mentis occupatio circa phyſicas, & medicas operationes in humanis corporibus, in quibus rara, & inſolita naturę prodigia viſuntur, ſummã eius potentiæ, & virtutis opinionem inſpirat, quæ eò magìs creſcit, quò in dies prodigioſiora cum animi ſtupore cernuntur. Vndè ſenſim ſine ſenſu decreſcit Diuinæ potentiæ fides; & ſemper decreſcendo penitùs euaneſcit. Et è contra virtus naturæ quaſi ſumma concipitur, ideò tanquam potentiſſimæ operatrici ea dantur, quæ à Deo omnipotente ſingulari prouidentia in ſalutem hominum perficiuntur; atque ita non Deus, ſed Dea natura, vt mirabilium operatrix agnoſcitur ab eius cultoribus, qui illam pro Deo ſubſtituere non verentur, quaſi ſũmum aliquod numen, à quo omnia mira procedunt.

§. VIII.

10 *Practicè.*

Practicè verò ſe athæiſmi erroribus infeſtos teſtantur, cum in medicinæ praxi morbos omnes ſemper naturæ, numquam Deo tribuunt, vt videre eſt in morbis maleficis, in quibus dijudicandis, & curandis facilè ſeipſos immiſcent, & Theologos exorciſtas, quibus infenſi ſunt, ab huiuſmodi cognitione, & curatione longiùs arcent, quaſi mittant falcẽ in meſſem alienam. Si enim rationem attendas, quarè hanc ſibi cognitionem, & curationem aſciſcant: videbis non eſſe aliam, niſi quia putant nullum extare morbum, qui à cauſa ſupernaturali, aut ſupernaturaliter agente procedat; ſed omnes credunt à naturæ deficientis erroribus prouenire. Vndè maleficos morbos negant à Deo, Dæmone, aut malefico diabolica virtute operante inferri poſſe: Quia Deum negant; & Deum negantes, negant etiam extare Dæmones, & maleficos; cum ijſdem rationibus, quibus Deum à ſe abijciunt, Dęmones quoque, & maleficos reijcere, neceſſe ſit. Sed illos ad peccantem, & ad prauas, noxiaſque temperamenti, & corporis diſpoſitiones referunt; & tanquam effectus naturales naturalibus remedijs tollendos eſſe contendunt: atque de facto ſuis pharmacis tollere nituntur. Quare ſæpiùs Theologos irrident, qui Deo, Dæmoni, & maleficis tribuunt ea, quæ, vt aiunt, natura ſola facit, & operatur, atque ſacramenta, res ſacras, benedictiones, exorciſmos, totamque diuinam, & eccleſiaſticam poteſtatem in talium morborum curationem applicant, quos iſti Phyſici putant ſola vi lapidis, herbæ, oſſi, aut ſimilium quiſquiliarum ſanari poſſe, & debere.

§. IX.

11 *Medici immeritò ſibi male fiorum cognitionẽ vſurpant*

At immeritò hanc morborum maleficorum cognitionem, & curationem quaſi ſcientiæ medicæ opus ſibi vendicant, & perperam vſurpant Theologorum Exorciſtarum officium, cum falſiſſimo nituntur fundamento; nempè nullum extare Deum, Dæmonem, & maleficum; & ideò nullum morbum ad illos referendum eſſe; cuius falſitatem oſtendere facilè poſſem, ſi athæiſmi errores eruere, & Athæiſtarum dogmata veritatis arietibus deſtuere mens eſſet; ſed quia illud inſtituti noſtri ratio non patitur; paucoſque eſſe Medicos putem, qui ea de cauſa ſibi maleficorum morborũ cognitionem tribuant, quòd Deum, & cauſam ſupernaturalem extare non credant; ideò ad Medicos illos, cæteroſque ſermonem conuertimus, qui ex diuinarum ſcripturarũ auctoritate, vniuerſalis Eccleſiæ oraculis, ſacrorum Conciliorum canonibus, Sanctorum Patrum doctrina, Philoſophorum conſenſu, moribus, & inſtitutis omniũ nationum, naturæ ipſius inſtinctu Deum nouerunt, & Dæmones, maleficoſquè eſſe fatentur.

12 Hoc enim immobili, & firmo poſito fundamento dicimus, Deum morborum maleficorum cauſam eſſe, non efficientem, ſed permiſſiuam.

Omnia, quæ in mundo fiunt, procedunt. Conſtans eſt enim Theologorum ſententia, omnia, quæ in modo fiunt, euenire non quodam fluctuantis naturæ impetu, aut fortuito cauſarum concurſu, vt aliàs cenſuerunt Democritus, Heraclitus, & Epicurus *de grege porci*, teſte Lactantio *lib. 1. de ira Dei c. 9. & 10.* Sed infallibili Dei gubernantis voluntate. *A Dei Volũtate* Cum enim ad eum pertineat, non ſolùm res ſecundùm ſubſtantiam producere; ſed etiam dirigere in ſuum finem iuxta diuinam rationem, in eo quaſi in ſummo omnium principe conſtitutam, ſequitur omnia eius imperio eſſe ſubiecta, nihilque fortuitum, aut caſuale ab hominibus fieri poſſe, quod vel efficientis: vel permittentis eius voluntatis finibus non circumſcribatur.

Efficiẽte, vt bona. Efficit omnia bona, nec eſt aliquod bonum in rerum natura, quod tanquam manans è fonte riuulus ab eius incomprehenſibili bonitate non oriatur: cum initium, incrementum, & conſummationem det operibus bonis, quæ intantum bona ſunt, inquantum ab eo ſunt, atque ſacris eius influxibus plus, minuſuè participant.

Permittente: vt ſunt mala. Permittit aliqua mala, vt teſtatur Amos Propheta *cap. 3. Si erit malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus:* quia ad iuſtitiam eius ſpectat inducere mala pœnæ, quibus impiorum petulantia coercetur: Et ad eius prouidẽtiam omnes ſingularum cauſarum defectus permittere: vt ſunt mala culpæ, quæ ab hominibus perpetrantur. Nam ſic diſponit omnia ſuauiter, hoc eſt, vnumquodque ſecundùm conuenientem naturæ ſuæ modum, ſcilicet, naturalia naturaliter, & neceſſariò: libera verò liberè: libertati enim ſuarum actionum relinquendi ſunt homines, qui à ſuæ creationis primordijs liberum arbitrium acceperunt: vt communis omnium Theologorum ſchola teſtatur.

Maleficia procedunt nõ ab Efficiente. Quare, cum maleficia, quæ dæmones, & eorum aſſeclæ quomodocumque nuncupentur, vel ſeipſis; vel rerum naturalium adminiculo in dies malitioſè operantur, inter bona connumerari nequeant; ſed in malorum ſerie ſupremum locum teneant; non ad Dei voluntatem efficientem: ſed ad permiſſiuam referenda ſunt; & per conſequens eorum cauſa non efficiens, ſed permiſſiua dicendus eſt.

§. X.

13 *Quia Deus illa Non operatur nec mandat fieri.* ET certè, ſi eorum tantùm cauſa efficiens eſt, quæ ipſo vel operante, vel mandante fiunt, vt omnis ſchola teſtatur, quis audebit aſſerere maleficas operationes ei tribui debere, cum eas nec per ſe faciat: nec ab alijs fieri velit? Quomodo enim per ſe maleficia facere, magicisque operationibus ſe immiſcere poterit is, qui ſeipſo ſummè bonus cum ſit, bona nouit, mala non nouit notitia approbationis? ideſt, mala culpæ facere non nouit: quia cum ſit bonus per eſſentiam, non poteſt vllo modo ad malum declinare. Ideò ſicut non poteſt non eſſe beneficus, ità non poteſt eſſe maleficus, neque maleficia quoquomodo operari. Eſtò concurſum ſuum non deneget, dum perficiuntur, hunc præſtat, dum actionibus cooperatur humanis, prout phyſicæ ſunt, non vt malitioſæ: quod poſtea latiùs explicabitur. Sed quomodo per alios fieri velle poterit, cum Diuina eius Voluntas in eo, & in nobis ſemper feratur in bonum tanquam in proprium obiectum? In ſeipſo quid vult, niſi ſeipſum? Si enim eſt ſummum bonum, nec aliud datur maius bonum, ſeipſum neceſſariò vult: nec aliud velle poteſt. Vndè citiſſimo impetu voluntas illa primariò, vt ait Scotus *in 1. ſent.* tendit in ſupremam, & infinitam bonitatem, quæ totum eius implet affectum, & terminat amorem. In nobis quid aliud petit, quàm bonum? Et quid vult, quod non redoleat bonitatem? nam vt ait Paulus *1. Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio noſtra:* quæ omnia peccata excludit, & lato ſinu complectitur virtutes, & opera bona, quibus homo per quotidiana gratiæ incrementa propiùs accedit ad ſummum bonum. Ideò ea non vult, quæ bonitati, & ſanctitati aduerſantur: vt ſunt omnia peccata, & maleficia.

Sed à permittẽte. quomodo permiſſiuè ſe habeat. Quare, cum illa non faciat, nec fieri velit, ſequitur, Eum maleficia permittere, vt totius diſputationis contextu demonſtrabitur, oſtendendo: Quomodo vt cauſa permiſſiua ſe gerat antequam committantur: Dum committuntur: Et poſtquam commiſſa ſunt. Nam antequam committantur, non vult, ſed prohibet: Dum committuntur, permittit, vel impedit. Poſtquam commiſſa ſunt, caſtigat, & punit: Quod tribus partibus palam fiet. *Antequã committantur. Dum cõmittũtur Poſtquã commiſſa ſunt.*

PARS PRIMA.

Antequam committantur.

14 *Dæmon ſemper malũ ſub ſpecie boni proponit.* EA eſt humani generis hoſtis proditoria conſuetudo, cum homines ad malum conatur impellere, numquam illud reuelata facie exhibere: ſed ſemper contegere ſimulata boni ſpecie, atque ementitis titulis adornare, vt ſub ſpecioſo velamine amorem ſui ingerat, non horrorem. Nouit enim, omnes malum fugere, bonum appetere; neminemque, vt monet philoſophicum axioma 1. *Ethic.* in malum intendentem operari: Ideoque fucatũm boni ſimulacrum, ſub quo malum delitèſcit, intuentium oculis offerre ſolet, vt ſic faciliùs deſipientes decipiantur.

Peccatoribus. Hoc videre licet in tanto peccantium numero, in quo nullus eſt, qui aliter in ſcelera prolabatur, quàm ſub vana, & fictitia larua boni apparenter conuenientis. Quid prima fronte ſpecioſius, quàm cæteris præeſſe, bonis affluere, potiri delicijs, optatis perfrui voluptatibus, & lætam inter opiparas conuiuiorum menſas vitam ducere? Et tamen ſub apparenti illo fuco miſeri homines ad ſuperbiam, auaritiam, luxuriam, gulam, cæteraque flagitia inuitantur, & propelluntur à dæmone, qui eadem arte quos prodigos vult, liberales eſſe ſuadet: quos optat iracundos, docet eſſe magnanimos: tenacitatem appellat parſimoniã: vindictam generoſitatis nomine cohoneſtat: & vitium virtutum coloribus adumbratum obtrudere non ceſſat ijs, qui in malorum abyſſum præcipites ruunt: vt benè admonet D. Gregor. lib. 10. Moral. c. 16. in c. 12. Iob.

15 *Maleficis Quibus magicam ſcientiã commẽdat* Eundem deceptorium morem obſeruat, cũ Magos, Incantatores, & vniuerſam Maleficorum turbam dementare, & ad maleficia incitare deſiderat. Non enim maleficas proponit actiones tanquam maleficia; ſed vt miras, & inſolitas naturæ operationes oſtentat. Neque artem, qua peraguntur, vult eſſe magicam; ſed occultam ſcientiam, & dignam, quæ ab ijs, qui ſublimiori ſpiritus acumine vigent, addiſcatur.

Quam multi ad diſcunt.

tur. Vnde plures ex hominibus nimis creduli hanc artem perdiſcere, & illas exercere operationes contendunt. Quis enim nolit, artem maleficij adipiſci, quæ mira, & inſolita docet? Quis non aueat modum ſcire, quo naturales producuntur effectus ſua excellentia, & dignitate communem mortalium captum prætergredientes? Quis non quærat admiranda naturæ ſecreta, & abſcondita eius penetrare myſteria? Immò artem illam tanquam è cęlo dilapſam amplectuntur, magicaſque operationes, non vt à cacodęmone prodeuntes: ſed vt à Deo bonorum omnium auctore profectas ſuſcipiunt, & venerantur, qui eas ſe velle teſtatur, cum ipſe modum doceat, quo fieri debent: Ita coram me ſe iactabat quidam Magus, de quo infra *diſp.3.num.507.& n.546.*

16 At iactationes has non modò fallaces, & falſas, ſed Deo iniurioſas eleganter oſtendit Origenes apud Euſeb. *lib.7.præpar.euang.cap.9.* Nam ſi ars magica, mirabiliumque horum operum ſcientia ab eo tanquam à volente, & docente procedit (vt iſti volunt) ſequitur, eum maleficij eſſe auctorem, & cauſam: cum maleficium ſit horrendus magiæ fętus, & magicarum artium abominanda propago, vt oſtendimus ſupra *in Proloquio n.* 14. Quo quid iniurioſius Diuinæ Maieſtati? Quapropter, vt homines iſti Sathanę traditi diſcant, non blaſphemare, detrahamus huic malo laruam, & oſtendamus Deum maleficia non velle; ſed prohibere: quod duobus capitibus explicabitur.

Cuius fœtus ſunt maleficia quæ Deus Nō vult, nec docet ſed prohibet.

CAPVT I.

Non vult, Nec docet.

17 SI ea Deus vult fieri, quæ ipſe docet facienda, fatendum eſt, eum velle magicas operationes, & per conſequens maleficia, ſi magicam ſcientiam docet, vt vaniloqui, & blaſphemi iſti Iactatores aſſeuerare non erubeſcunt. Sed quia falſiſſimum eſt, quod aſſerunt, falſum etiam eſt, quod infertur; Ideò vt Diuinæ Maieſtatis honorem ab huiuſmodi blaſphemijs vindicemus, oſtendamus toto hoc capite, ſcientiam illam pernicioſam à Deo Doctore non procedere. Ex quo colligere licebit, nec eius operationes velle.

Cũ Deus non velit magicas operationes, neq; vult maleficia. Neque à Deo Doctore procedunt.

Omnis equidem Sapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum, vt ait Sapiens Ieſus Sirach *Eccleſiaſt.* 1. In quo enim erit, niſi in eo, qui eſt immenſa omnium perfectionum abyſſus? Nam ſi omnes, quæ in creaturis elucent, nobiliori modo in Creatore reperiuntur, cum ſcientia, ſiue certa cognitio ſui, & aliorum vna ex primoribus inter creatas reputetur, aſſerendum eſt, cum certiſſimam, & clariſſimam ſui, & omnium, quæ ſunt, & eſſe poſſunt, ſcientiam eminenter poſſidere, vt vnanimi conſenſu omnes fatentur Theologi, à quibus vocatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Sed à quo erit, niſi ab eo, cuius ſcientia non eſt acquiſita per ſpecies intelligibiles inhærentes, nec certis coercita limitibus, nec mutationi obnoxia, nec ſucceſſione comparata, nec nuda, & inefficax; Sed eſſentialis, infinita, inuariabilis, vnica, & efficaciſſima? A quo enim ea, quæ ſunt per participationem, quam ab illo, qui eſt per eſſentiam? *In eo autem fuit ſemper, & eſt ante æuum*: cum ſit eſſentialiter Sapiens. Ideò ſicut ab æterno eſſentiam habet, quæ ſucceſſiones, & mutationes non admittit: ità ab æterno ſapientia præditus eſt, quæ nullo clauditur termino. Sed ab eo eſt in tempore; cum, vt proſequitur Filius Sirach: *Effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundùm datum ſuum.* Non tantùm, quia in tot proprietatibus, virtutibus, & operationibus varijs vniuſcuiuſque creaturæ voluit eluceſcere multiformem ſuam ſapientiam; ſed etiam quamlibet ſuo modo fecit eius eſſe participem ſecundùm menſuram donationis diuinæ, & propriæ capacitatis. De hac Scot. in 3. diſt. 14. per totam.

Scientia Dei quomodo differt à ſcientia humana.

Quare omnis ſcentia, quæ in creaturis reperitur ſiuè obſcura, quæ in animantibus lucet: ſiuè clara, quæ viget in hominibus: ſiuè certa, quæ ſplendet in Angelis, ab immenſo, & perenni illo fonte manare non ceſſat. *Deus ſcientiarum Dominus eſt*, ait Anna in Cantico 1. *Regum c.* 2. Sed inter tot ſcaturientia vndique ſcientiarum flumina, quæ Diuina Sapientia effundit in homines, ſcientia magica ſola fluere non comprobatur: neque enim illam edocet aut per ſe: aut per alios, Mediatè: aut Immediatè. Quod ſequentes ſectiones declarabunt.

Magia nō eſt à Deo, quia illā nō docet. Nec per ſe immediatè, Nec per alios mediatè.

SECTIO I.

Immediatè.

SIcut Deus duplex eſſe hominibus contulit; ità duplicem ſcientiam largitus eſt; Naturalem 18 vnam, Supernaturalem alteram. Prima ſe ad omnes rerum naturalium cauſas, effectus, & proprietates extendit. Secunda notitiam tradit eorum, quæ naturæ vires ſuperant: vt ſunt omnia, quæ gratiæ, & virtutis diuinæ auxilio fiunt. Vtraque verò à ſpiritu ſapientiæ, communicatur immediatè, vel per modum diſciplinæ, & artis; vel per modum gratiæ particularis.

Deus largitus eſt homini duplicem ſcientiā. Aliam Naturalem aliā ſupernaturalem.

§. I.

NAturalem primo modo antiquos Philoſophos Platonem, Ariſtotelem, & ſimiles docuit, qui quamuis acutiſſima ingenij acie cuncta luſtrarent, & continuæ ſpiritus occupationi intenti ſublimes voluerent animo cogitationes; atque diuerſorum Auctorum libros non ceſſarent nocturna verſare manu, verſare diurna, vt rerum omnium etiam abditiſſimarum, quæ in orbe ſunt, notitiam conſequerentur; tamen ſolo ſpiritus acumine, continuo ſtudio, & Iectione non interpellata ad ſcientiarum apicem peruenire non potuerunt; ſed particulari ſapientiæ diuinæ theſauros naturę abſconditos reuelantis illuſtratione opus fuit, quæ virtutem intelligendi naturalem augeret, vt meritò dixerit Clemens Alexandrinus in ſtromat. *Dei dono Iudæis legem, philoſophiam Gentibus communicatam fuiſſe.* Quod probat ex illo dicto Dauidis *pſalm. 93. Qui docet hominem ſcientiam.* Secundo modo Salomonem erudiuit, vt de ſe ipſo *Sapientiæ* 7. teſtatur dicens: *Ipſe dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam veram; vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum: Initium, & conſumationem, & medietatem temporum, & cæt. anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones: Naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum; & quæ-*

Naturalis cōmunicata eſt Primo modo Philoſophis.

Secundo modo Salomoni, & alijs.

cumque

cumque ſunt abſconſa, & improuiſa didici: omnium enim Artifex docuit me ſapientia. Ita etiam latè tradit Franciſcus de Pitigianis in 3. Scoti diſt.14.q.3. art.3.

§. II.

Supernaturalis communicata eſt. Primo modo Iuſtis omnibus.

19 SVpernaturalè verò hominibus tradit. Primo modo Iuſtis, qui diuina luce donati creſcunt quotidiè in ſcentia Dei, hinc operante Diuino ſpiritu ſapientiæ illos maiora, & maiora edocente: Illinc cooperante homine, qui toto conamine ſpiritus humani fertur in ſecreta cæleſtia. Nam, vt rectè ſapiens ait *Prouerb.4. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.* Quamdiù enim in mortalis peregrinationis vijs, & rectis ſanctitatis, & iuſtitiæ ſemitis ambulant in enigmate, & non per ſpeciem: tamdiù in lumine Dei lumen æternum contemplantur primò obſcuriùs, tum clariùs, dein perſpicaciſſimè; ſicut ij, qui ab obſcura luce ſurgentis auroræ ad clarum lumen aſcendentis ſolis; & ab illo ad ſplendorem meridianum ſtantis iubaris mundi progrediuntur. Secundo modo Apoſtolis, & apoſtolicis viris, qui ſubitò diuina luce reſperſi omnium ſcientiarum plenitudinem acceperunt. Tum Theodicatis omnibus qui ſæcularium literarum prorſus expertes, diuinæ ſapientiæ lumine naturalium, & ſupernaturalium rerum rationes ſubtiliùs, & profundiùs penetrarũt, quàm illi, qui longo tempore, & aſſiduo ſtudio ſe ſe litteraria paleſtra exercitarunt: vt conſtat de S. Didaco, ac de Beato Ægidio ſocio Seraphici P. S. Franciſci, ac de alijs pluribus hominibus idiotis, qui rerum diuinarum maximam à Deo receperunt cognitionem ſine vllo diſciplinæ, vel artis exercitio: vt habetur ex Chronicis Ordinis Minorum.

Secundo modo Apoſtolis & Theodicatis.

Ideò ſi magia à Deo eſt, Vel eſt Naturalis vel Supernaturalis. Neutra horũ eſt. Non purè Naturalis, nec purè Supernaturalis.

Quarè ſi ſcientia magica à diuina ſapientia flueret, vel eſſet naturalis; vel ſupernaturalis; cum nulla alia detur ſpecies, quæ à perenni illo fonte ſcaturiat; atquè vno, aut altero modo ſuis profeſſoribus communicatur; Vndè cum non ſit neque omninò naturalis, neque omninò ſupranaturalis: neque vno, vel altero modo tradatur, ſequitur, ab illa non procedere: vt ſequentibus articulis enucleabimus.

ARTICVLVS I.

Naturaliter.

Si conſiderentur magiæ opera poteſt dici Naturalis vel Supernaturalis.

20 CVm ex fructu arbor dignoſcatur, vt monet Chriſtus *Matthæi* 12. non poſſumus certiori modo iudicium ferre de ſcientia magica: An ſit naturalis, quàm eius opera conſiderando. Si enim naturalia ſunt, & communem naturæ facultatem non excedunt, quis negabit, naturalem eſſe ſcientiam? Si vero ſupernaturalia, & vires naturales excedentia deprehendantur, quis concedet eſſe naturalem? At vtrunquè in illa reperitur, ità vt magiam vtroquè poſſis vocitare nomine.

§. I.

Naturalis, quia eius opera.

VIs naturalem? Certum eſt non omnia magorum opera eſſe ſimulata, & apparentia; ſed aliqua vera, & naturalia. Sæpiſſimè quidem nudam ſolùm repræſentant imaginem rerum; Illudunt enim ſenſibus, & fallunt ſpectantium oculos, qui nimis creduli, & ſuperſtitioſi rebus illis exteris admirandis facilè capiuntur. Quare, cum multa eorum opera falſa ſint, vt potè ab impoſtoribus conficta, vel nimiùm credulis perſuaſa, & à Vulgi vanitate, & leuitate credita, plures totam ſcientiam magicam, vt vanam, falſam, & impoſtricem condemnarunt; inter quos Plinius multis in locis, præcipuè *lib.30. cap.2.* Sed Sæpè realiter, & ſecundùm exiſtentiam talia opera fieri, non eſt dubitandum; cum ex ſacris litteris, & probatis hiſtorijs naturales, & veri effectus à Magis produci comprobètur. Poſſunt enim opera naturalia, hoc eſt, ex cauſis merè naturalibus, & non à ſubſtantijs ſeparatis dependentia perficere duplici virtute: Cæleſti: aut Terreſtri. His enim duobus modis illos operari, eſſerit Hermes Triſmegiſtus apud Auguſtinum *lib. 8. de Ciuit. Dei. c. 23.*

Aliqua vera ſũt.

Quæ proficiſcuntur Virtute.

§. II.

21 VIrtute cæleſti mira, & vera fieri poſſe videtur, & probatur, ſi Mercurium illum audire velimus ex duplici fundamento. Altero, quòd virtus cæleſtis licèt non formaliter, tamen virtualiter, & eminenter eſt virtus omnium elementorum, & mixtorum, eorumquè omnium efficaciam in ſeipſa complectitur. Altero, quòd multa fieri poſſunt plurium naturalium cauſarum concurſu, quæ vnius ſolius vim, quamuis efficacem excedunt. Ex quibus infertur nil obſtare, ex mente ipſius, in imagine, vel ſtatua, vel annulo aſtrologico fabricatis, & compoſitis ad certam ſtellarum diſpoſitionem, & influentiam ineſſe virtutem, & efficaciam ad aliquos effectus, ad quos producendos cauſarum multitudinem concurrere, neceſſe eſt. Et ſimiliter adhibitis certis, & paucis ſeminibus, quæ ſunt cauſæ naturales, ſub certo aſtrorum ſitu, & concurſu ſtellarum ſubitò opus exurgere poſſe, quod aliàs longiorem temporis moram, & plurium cauſarum concurſum requireret. Si enim aliquæ cauſæ naturales conuertere poſſunt aliquam materiam in aurum, aut ſerpentem, quare influentia cæleſtis opportunè adhibita, omnium aliarum cauſarum vicem ſupplere non poterit? Quòd confirmatur ex hiſtoria à Damide, vt refert Cælius Cripta, Iarcham Indorum principem annulos ſeptem ſtellarũ ſeptem nominibus præſignatos fabricaſſe, quibus opera mira edebat; eoſque Apollonio Thyanæo dono datos, in eo iuuentæ nitorem longiùs conſeruaſſe, cum diebus ſingulis ſingulos annulos geſtaret ſecundùm dierum, & planetarum nomina. Sed quia vterquè tàm dator, quàm acceptor fuerunt Magorum anteſignani, ſubiungamus annulum Gygis magici artificij egregium opus, quem geſtatum vertebat intra digitum, cum nolebat videri; Naturalem enim fuiſſe, cenſet D.Gregor. Nazianz. *in Moneg.* Et annulos ferreos ad certam ſtellarum poſitionem fabrefactos, qui vulgò geſtantur ad quaſdam ægritudines depellendas. Nec imagines aſtronomicas reijciunt Philoſophi nonnulli in curatione morborum, vt Marſilius Ficinus, qui illas numerat inter medicamenta, ſicut Victoria *Relect. 12. de Magia*, non dubitandum eſſe, cenſet, aliquid inſigne, & ſingulare, & præter communem ordinem naturæ, ſeu rerum contingere poſſe ad certum ſitum, & ordinem aſtrorum adhibitis paucis rebus naturalibus. Sed prædicta poſitio quoad id, quod aſtruit de imaginibus, & figuris aſtronomicis, à nobis vt ſuperſtitioſa, ac periculoſa infra improbatur *d. 4. n. 78[illegible] & 786. & to.2 .d.1. in fine ante concluſ. num. 29[illegible] & ſequent.*

Vel cæleſti.

Vir-

§. III.

22 *Vel Terreſtri.* VIrtute autem terreſtri mirabilia fieri certò aſſerere poſſumus. Eſſe enim in naturalibus terræ rebus virtutes admirandas, quas pauci hominum norunt: quia nec ſenſu poſſunt comprehendi, nec ratione aliqua inueſtigari, quæ ſi vel natura, vel arte iungantur, inſolita opera, & inuſitatos effectus producere queunt: quis dubitat, cum hoc natura ipſa demonſtret? Quot putas, ſunt eius miracula? Si lapides ſpectes; magnes ferrum attrahit, & illud affricatum aliud allicit, Vndè pro miraculo refert Auguſt. 21. *de Ciuit. Dei cap.*4. ſe vidiſſe annulum ferreum à magnete dependentem,& trahentem ſecundum, & illum tertium vſque ad certum numerum, quaſi catena contexeretur. Lapis molaris,qui in Tigride reperitur delatus feras coercet, auctore Ariſtotele *lib. de mirabilib.* Montes duo ſunt iuxta flumen Indum, quorum vnus ferrum attrahit, alter reſpuit. Si herbas, & arbores; Dictamum ſagittas expellit è ceruis; Chelidonia viſum reſtituit; herba pici feras aperit: frondes quercus ſerpentes necant; folia platani abigunt veſpertiliones; fagus viperas percuſſas occidit; Erynchium capræ ſumptum ore totum gregem ſiſtit; ficus alligatos tauros manſueſcere facit. Si aues; Galgulus viſu ſanat ictericum; Gallus gallinaceus terret Leonem; Aquilæ pennæ cæteris mixtæ illas abſumunt; pauonis caro neſcit putreſcere. Si piſces: Remora flatibus agitatam nauem firmat; lepus marinus viſu, aut tactu plures necat. Si animalia: Lupus raucedinem per viſum ingerit; Hyenæ vmbra canes mutos reddit; torpedo icta manum, corpuſque torpefacit; teſtudo, & ſtruthiocamelus viſu oua excludunt; lupinas fides ſi iungas agninis, iſtæ diſſiliunt. Si homines: aniculæ lippiētibus oculis pueros faſcinant; menſtruatæ viſu ſpeculum vitiant; lyncei homines vident abdita in terræ viſceribus; plures oſculo, & contactu morbos tollunt; ſeptimus mas ſtrumas, ſeù ſcrufulas ſanat; vt ferè nihil ſit in rerum natura, lapidum, herbarum, arborum, animantium, volatilium, piſcium,quod aliqua ſpeciali virtute non ſit præditum quæ ſi agnoſceretur, proculdubio per eius applicationem mirabilia fierent. De quibus integrum librum ſcripſit Ariſtoteles, qui inſcribitur: *De admirandis auditionibus*, quanquam eum nonnulli aſcribant Theopraſto. Plinius etiam *lib.2.hiſt. natur.* Proclus *in lib. de ſacrificio, & magia* S. Albertus Magnus *lib.2. Mineralium tract.2.c.1.11.& 17.* Fracaſtorius *in lib. de ſympathia*, & Ficinus *lib.4. Theologia Platonis.c.2.* multa prodiderunt. Si ergo tot ſunt naturalium rerum virtutes occultæ mirabilium effectrices, quare negabimus, magos mira opera naturalia poſſe efficere, ſi illas planè perſpectas habeant,& eas optimè ſciant ad vſum accōmodare?

§. IV.

23 *Sed non purè naturalis. Quia effectus producit ſuperantes cauſas naturales.* AT magorum ſcientia non eſſe purè naturalem, ſed potiùs præternaturalem; & prodigioſam patet ex hoc, quòd non viribus naturæ, & naturalibus cauſis,ſed poteſtate aliqua immateriali,& virtute ſeparata nituntur. Quamuis enim in ſuis operibus nonnumquam vtantur, ſeù potiùs abutantur facultate ſolùm naturali; tamen ſæpiſſimè aliquos producunt effectus, qui per cauſas naturales effici nō poſſunt: ſed neceſſariò ad cauſam, & naturam intellectualem, & ad aliquas ſubſtantias ſeparatas,quæ occultè cum eis operantur, referendi ſunt. ver. gr. Dare reſponſa de occultis, puta, theſauris deperditis; ſtatuas è ligno, aut altera materia compingere, eiſque nullo extrinſecùs impellente motum imprimere progreſſiuum;arboribus,aut rebus inanimis loquelam tribuere, ita vt quæſtiones de varijs rebus propoſitis ſoluant; indicare ea, quæ in remotiſſimis regionibus geruntur;ea,quæ clauſa ſunt,repentè patefacere; ſe, & alios ex hominum conſpectu ſubitò ſubducere; & alia huiuſmodi peragere, quæ niſi ab intellectu proficiſci nō poſſunt, & quidem humano, præſtantiore,atquè excellentiore. Quorum exempla plura narrat Philoſtratus *lib.6.c.3.*

Inſuper non operantur modo naturali,ſcilicet,per cauſas naturales: cum enim volunt illa mira perficere, certis quibuſdam veſtimentis induuntur, ducunt lineas,deſcribunt figuras,pingunt characteres,certas voces,& verba pronunciant,adhibent inuocationes, obteſtationes,comminationes, ſacrificia, proſtrationes corporum, & alia huius generis, quæ per ſe nec vim habent naturalem illos producendi effectus;nec materiam præparandi ad illos producendos,aut recipiendos:vt docet Benedictus Pererius *lib.1.de magia c.*4. *Non operatur modo naturali.*

Præterea neque illam ſcientiam acquirunt naturaliter,hoc eſt,per modum diſciplinæ,& artis, nempè per ſpeculationes, libros, & præceptores; ſed quadam traditiua,quam qui habent,ſtatim inuſitatos illos effectus producunt: vt videre eſt in multis,qui cum ſint penitùs ignari,& litterarum expertes;tamē illa operantur,quæ ſublimioribus imbuti diſciplinis nec tentare, nec cogitare quidem auderent. Quarè cum illa magica nec naturaliter acquiratur,nec operetur per cauſas naturales; nec opera intra limites naturæ concluſa, ſed excedentia producat, ſequitur ſcientiam purè naturalem dici non poſſe,ſed potiùs prodigioſam,& præternaturalem,& per conſequens non fluere à ſapiētia diuina vt naturales diſciplinas edocente: vt latè probant D.Thom. *lib.3.contra gentes c.*104. Alph. à Caſtro de *iuſta hæret. punit. à.c.* 13. *vſque ad* 17. *& Angl. in* 2. *quæſt. vnica de arte mag. ar.*2. *Acquiritur modo extraordinario, & nō naturali. Ideò vt ſcientia naturalis à Deo non procedit.*

ARTICVLVS II.

Supernaturaliter.

QVid ergò ſcientiam hanc magicam ſupernaturalem vocabimus? Quidni,cum multa primo intuitu illud ſuadere videantur,opera,operans; operatio, finis? 24 *Magica ſcientia videtur ſupernaturalis,ſi ſpectes.*

§. I.

SI enim ſcientiarum magicarum ſpectes opera, ſimilia vidētur operationibus à gratijs gratis datis,quas vocant,procedentibus. Nam quid tribuitur ſcientijs magicis, niſi actiones mirabiles ſupra cauſas naturales edere? Et quid gratijs gratuitò datis, niſi opera perficere ſupra naturæ facultatem? Si ergò iſtæ ſunt ſupranaturales,quare non illæ? Differre quidem videntur in hoc, quòd aliquæ gratiæ dantur totam naturæ creatæ excedentes facultatem, etiam Angelorum,& Dæmonum: opera verò magiæ naturæ fines non prætergrediuntur. Attamen fatendum eſt,aliquas eſſe gratias,quæ angelicam,& dæmoniacam poteſtatem nō ſuperant; vt ſunt genera linguarum, & gratia ſanitatum 1. *Corint.* 12. Cum boni, & mali ſpiritus omnes linguas norint, & morbos curare valeant, quarum actiones actionibus magicis poterunt comparari. *Opera.*

2. Si

Profeſſores. 2. Si profeſſores harum ſcientiarum conſideres, etiamſi ſint perditis moribus, forſitan hanc gratiam à Domino acceperunt. Nam nihil prohibet, homines etiam peſſimos talibus donari gratijs, cum ad publicum bonum, non ad particularem vtilitatem concedantur. Nonne operarij iniquitatis multas virtutes facere, vt dicitur Matthæi 7. v. 22. Charitate priuati montes transferre ſecundùm Paulum *1. Cor. 13.* & ſcelerati quædam miracula edere poſſunt, quæ boni facere ſæpè non poſſunt? vt affirmat D. Auguſt. *lib. 83. qq.* Quod exemplo Balaam, & Caiphæ confirmatur, qui ambo prophetauerunt, quamuis hic eſſet Simoniæ, auaritiæ, inuidiæ, aliorumque vitiorum ſordibus inquinatus: ille ariolus, idolatra, & cultor dæmoniorum.

Modum. 3. Si modum attendas, quo operantur, nihil apparet, quod non redoleat ſanctitatem. Orationi enim vacant: nomina Dei varia proferunt: Angelorum diuerſorum implorant auxilium: Sanctos in Cælo regnantes inuocant: ſcripturæ ſacræ verba adhibent: ſigno crucis multoties repetito vtuntur: & ijs, qui ad illos accedunt, iniungunt orationes, eleemoſinas, peregrinationes, viſitationes altarium, ſacroſanctæ miſſæ celebrationes, & alia pia, & religioſa opera; ex quibus colligere licet, ab ijs nihil niſi ſanctè fieri. Quæ omnia quidam Magus, cum ei ex mandato Reuerendiſſimi P. Inquiſitoris cuiuſdam Ciuitatis Lõbardiæ ſuadere contenderem, vt magicam deteſtaretur artem, objiciens mihi aiebat: *Quomodo ſuadebis mihi artem deteſtari magicam, ſi quicquid in ea geritur, totum redolet ſanctitatem?*

Finem. 4. Deniquè ſi finem operum reſpicias, videtur optimus, & ſaluberrimus, nempè, hominem ſanare longa infirmitate detentum, conſolari meſtos ob amicorum ægritudinem, certiorem facere de rebus perditis, iniuria paſſum ſubleuare, tollere impedimenta, quæ inter coniugatos generationi liberorum obſtant, patientem deliria reducere ad ſanam mentem, adducere pluuiam terræ areſcenti, aut ſubducere nimis madidæ, tempeſtates ſedare, & alia huiuſmodi peragere, quæ bona eſſe quis neget? Sed eſto magicis artibus eorum profeſſores in malos fines vtantur, nonne etiã ſuis donis abutuntur, qui habent gratias gratis datas? Si enim mali ſunt, vt dictum eſt, quare ad malum finem eis vti non poterunt?

§. II.

25

Iiſdem rationibus probatur, nõ eſſe ſupernaturalẽ nempè. Ex operibus.

AT iiſdem rationibus ſcientiam magicam non eſſe ſupernaturalem, niſi impropriè ideòquè nec à diuina procedere ſapientia, probatur. Sicut iiſdem præfatus Magus conuictus, & confuſus, ſed non conuerſus, confeſſuſuè remanſit.

1. Opera enim magica cum operibus gratiarum eadem non ſunt. Non enim præſtigia cum veris miraculis ſunt confundenda. Sed eſto ſint ſimilia in quibuſdam ver. gr. in ſanitatis reſtitutione: An ſola illa opera faciunt ſimilia? Sed quàm multa diſſimilia? Tempeſtates ciunt, ſterilitatem inducunt, peſtes excitant, traducunt meſſes, greges perimunt, immittunt ſciniphes, & bruchos, inducũt morbos, dolores, mortem ipſam, quæ nullo modo competunt gratijs gratis datis. Quàm multa verò impoſſibilia? vt ſunt illæ imprecationes, & minæ, quibus vtuntur. Imprecantur enim damna, & infortunia, & minantur, quod deponent ſidera, cælum vertent, ſolem retrocedere facient, vt narrat Porphirius *Epiſt. ad Anebonũ Ægyptium apud Benedictum Pererium lib. 1. de magia cap. 5.* & varij ſummi Pont. qui varias contra huiuſmodi operationes ediderunt conſt. de quibus infra num. 45.

Ex operãtibus. 2. Operantes verò quinam? Mali, inquies. At per malos Deus miracula operatur? Eſto edant aliquando propter reuerentiam Chriſti nominis, quod in ijs peragendis interponunt *Matthæi 7.* cum ſubeſt neceſſaria occaſio ad dilatationem fidei, & Religionis amplificationem; non tamen hoc habitualiter habẽt: nam ſublata neceſſitate, aut opportunitate nulla ad talia opera ſupereſt in eis facultas, vt docet Scotus *in 3. diſt. 25.* & Aretin. ibi *d. 13. qu. 2. ar. 8.* Magi verò operantur ex habitu quandocumquè volunt. Vndè conſtat, parem non eſſe rationem.

Ex modo operãdi. 3. Quid dicam de modo, quo agere conſueuere? Orare videntur, ſed dæmonem adiurant. Dei proferũt nomina, ſed incognitæ ſignificationis, vt ait idem Porphirius *loco citato*. Angelos vocant, ſed malos. Sanctorum ſuorum implorant auxilium, ſed ſpirituũ dãnatorum. Scripturam ſacram adhibent, ſed detortam in ſenſus alienos. Signo crucis vtuntur, ſed non, vt oportet, formato. Pia opera alijs imperant, ſed vt maleficia tegant, In ijs enim quãta incongruitas, & diſſonantia? Vim collocant, vt ait Pererius *lib. 1. cap. 8.*, in verbis ignotis, falſis, apocriphis, abſurdis, nihil cohærentibus: In certis diebus, & horis; ad certum ſtellarum ſitum; ſub certo numero crucium, orationum, candelarum; & certa corporis poſitura: In tali carta, talis coloris, talis figuræ talibus characteribus impreſſa: In obſeruãtijs ſuperfluis, & indifferentibus radendi pilos, telam numquam lotam induendi, ſpargendi capillos, pedem vnum denudandi, & veſtes diſcingendi; quibus omnibus ad ſuam operationem eliciendam opus eſſe, ita aſſerunt, vt ſi vnum deſit, totus operantis conatus irritus, & ſuperuacaneus euaneſcit: quaſi verò gratuita Dei dona ſubijciantur humano artificio, & certis numeratis, & ridiculis obſeruationibus: aut ad determinatũ tempus, occaſionem, & ceremonias reſtringantur; ita vt ſi minimum deficiat, nihil fiat.

Ex fine. operãdi. 4. Tandem quis horum finis? An gloria Dei, & ſalus animarum? Nequaquam; ſed lucrum, curioſitas, voluptas, vindicta, & huiuſmodi vitia. Qui enim ad tales operarios accedunt, atquè eorũ opera expetunt, varijs paſſionibus ducuntur. Hic diteſcere vult, & quærit pecunias, atque diuitiarum copiam. Ille prodigioſa intueri deſiderat, pugnantem Hectorem cum Achille, aut alia monſtra portentoſa: ex hoc dicitur hæc ſcientia prodigioſa ob varia prodigia, quæ operatur. Alius æſtuantis libidinis facibus vritur. Alter furore, & indignatione contra inimicum percitus ſpirat minas, & cædes, quibus ſatisfacere volens Magus ſubdolus è ſuo depromit penu, & ſcientia magica ſua maleficia, quibus Deũ nouis irritat ſceleribus, & proximum varijs vexat malis. Quare ex his finibus probatur illa opera à gratia non oriri.

Quibus adde, dona Dei gratuita, ſeù gratias gratis datas non poſſideri per artem, & diſciplinam ad præceptorum modum; quia, vt Paulus ait *1. Cor. 12. omnes gratias operatur vnus, atquè idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult*. Quinimmò in noſtra eſſet poteſtate acquirere gratias, ſicquè gratis non communicarentur, & per conſequens gratiæ non eſſent gratiæ. Magica verò ſcientia à Magis traditur ſuis diſcipulis, qui eorum præcepta ſecuti, eadem, quæ Magiſtri, operantur.

Ideo vt talem à Deo non procedere. Cum ergò nec naturalis, nec ſupernaturalis ſit ſcientia: nequè modo naturali, aut ſupernaturali cõparetur, aſſerendum eſt à ſapientia diuina non procedere, quæ immediatè naturales, & ſupernaturales ſcientias modo vtroque ſuperiùs explicato ſe ipſa edocere ſolet, quos vult ſpiritualibus fauoribus ampliare. Videamus ergo, an per alios mediatè illam tradat hominibus: quod ſequens ſectio declarabit.

SE-

SECTIO II.

Mediatè.

26 Diuina ſapientia non ſe ſola clamitat in plateis, vt loquitur Filius Dauid Salomon ſapientiſſimus *Prouerb. 1.* mittit inſuper ſeruos, & ancillas ſuas cum excelſa prædicatione vocare inſipientes ad comedendum panem vitæ, & intellectus, & bibendum vinum mixtum aqua ſapientiæ ſalutaris, quoties mortales erudit in lege Dei, & docet ſcientiam ſanctorum per prædicatores, quorum alij ſunt cæleſtes: alij terreſtres: alij inferi, nempè, Angeli, homines, & mortui. Cum enim vbiquè dominetur, quotquot reperiuntur in cælo terra, inferis, creaturæ intellectu, & bona voluntate præditæ, diuinæ eius ſcholæ ſunt alumnæ; & ijs ad libitum vtitur ad ſublimem ſuam doctrinam omnibus propalandam. Quare ſi per alios ſcientiam magicam hominem edocet, vtique miniſterio vel Angelorum; vel Hominum; vel Mortuorum. Quod, an verum ſit, ſequentes articuli elucidabunt.

Deus nō ſeipſo ſolo, ſed etiā per alios docet ſcientiam.

Per Angelos, Homines Mortuos.

ARTICVLVS I.

Per Angelos.

§. I.

27 Nihil eſt, quod Magi, vt ſuam ſcientiam extollant, tantoperè iactitet, quàm eam eſſe effectum bonorum Angelorum, quos antonomaſticè vocant ſpiritus. Eſtquè vetus impoſtura Platonicorum, Iamblici, Porphirij, Plotini, Procli, & Iuliani Apoſtatæ. Nec deeſt apparens ratio, quæ talibus iactationibus faueat. Si enim creduntur mali Angeli malis hominibus ſuum impendere obſequium: Si flectuntur precibus, & ſacrificijs vt ad libitum, & votum impiorum mirabilia operentur: Si præſtant ſanitatem, & alia bona collata mortalibus, quare boni etiam ſuam virtutem non communicabunt; aut flecti ſe ſinent; aut ſanationes conferent, cum ſint ad benefaciendum propenſiores, & potentiores ad agendum? An non Raphael Angelus, vt rationi exemplum ſuperaddatur, iuuenem Tobiā docuit mirabilem piſcis ab eo capti virtutem, cuius cordis particula poſita ſuper carbones omne dæmoniorum genus fumo extricabat, & fel vnctos oculos ſanabat ab albugine? Si vnus ex primoribus Angelis hæc charitatis miniſteria exhibere non dedignatur, quare alij non idem prǽſtabunt, illi præcipuè, qui ſunt inferiorum ordinum?

Magi ſuā ſciētiam ab Angelis profeſſam. Probant Ratione.

Exemplo

§. II.

28 Plauſibile dictum, ſed captioſum. Fateor, potentes eſſe Angelos, charitate flagrantes, ad benefaciendum propenſos, ſuamque aliquando potentiam communicare, flecti precibus, & oblationibus bonorum operum, conferre ſanitatem, & ſimilia beneficentiæ officia exhibere mortalibus, cum Deo præcipiente mittuntur: vt latè docet D. Bonauent. *in 2. ſent. d. 10. & 11.* & cōmuniter omnes Patres, & Theologi. Sed nego, bonos Angelos magorum eſſe præceptores, & cooperatores in operibus faciendis, quæ non fiunt per cauſas naturales. Malos eſſe concedo.

Angeli Magorū præceptores non ſunt boni, ſed mali.

1. Quomodo enim coluntur illi ſpiritus à Magis? Adorationibus, ſacrificijs, & ſummi honoris actibus, qui ad Diuinitatem ſolam pertinent: quod proprium ſolùm eſſe dæmonum, quis neget? Diuinam etenim æqualitatem, quam à primordio ſuæ creationis aſſequi non potuerunt, aliqua ex parte conſequi cupiunt, homines decipiendo. Boni autem, abſit, vt huiuſmodi committerent crimen, qui, cum ſint per gratiam impeccabiles, nec vnum minimum quidem defectum admittere valent: immò non ſolùm tales honores ſibi fieri non optant; ſed vehementer auerſantur: vndè *Apocal. 19.* vnus ex iſtis Ioannem prohibuit volentem eum adorare: *Vidè, ne feceris*, inquit, *conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu, Deum adora.* Vt benè obſeruat etiam Ioſeph Angles *in 2. q. de Arte mag. ar. 2. diff. 5.*

probatur ex modis quo Colūtur.

2. Sed quomodo euocantur? Precibus, & orationibus inanibus, & ridiculis libamentis, & ſuffimentis, verbis barbaris, & nihil planè ſignificantibus, quæ omnia ita obſeruare neceſſe eſt, vt ſi quid omiſſum fuerit, numquam comparentes videbis. Sunt enim quædā (vt iſti volunt) quibus auertuntur, & fugantur; quędam, quibus oblectantur, & alliciūtur: Hæc autem ridicula, & vana licèt cadant in dęmones, qui talia demētatos homines docuere; Quis tamen in bonos Angelos cadere audeat aſſerere? *Euocantur.*

3. Quòd ſi ſpiritus illi euocati venire noluerint, vt crebrius fit, poſt iteratas inuocationes ſolent Magi illis minari quædam impoſſibilia; immò planè abſurda, vt apud Euſebium *lib. 5. de præparat. euang.* docet Porphirius. Qui ſi adfuerint dicto obedientes, illis imperant, & cogere putant, ne indè diſcedant, eoſquè includunt vel loco, vel vaſe, vel annulo, vel ſtatua. At homines talem non habent poteſtatem, vt minis, coactione: & imperio vti poſſint in bonos Angelos: Secùs in dæmones, qui ſe cogi à Magis, ſimulant; cum tamen id voluntariè faciant, vt decepti homines tantam vim, atquè auctoritatem magicam admirantes, faciliùs dæmonum laqueis vinciantur. *Cogūtur.*

4. Queris, quare euocentur, & includantur? Fortè ad Dei gloriam, & proximorum ſalutem? Immò ad inferendum alijs exitium, ad patranda adulteria, homicidia, furta, infanticidia; & inuehenda varia mala in orbē: à quibus omnibus Angeli boni abhorrent; nec talia perpetrantibus cooperari vllo modo poſſunt; ſicut nec modo, quo peragūtur, multis, nempè, mendacijs, deceptionibus, fallacijs, quibus ipſi ſe immiſcere non poſſunt, cum ſint in gratia confirmati, ac in ſtatu, quo peccare non poſſunt. *Includūtur.*

5. Denique ſpiritus magici omnia faciunt ad oſtentationem, aut maleficium; ideò cum apparent, ſæpiſſimè in regia ſe exhibent pompa coronis redimitos, veſtibus aureis, & gemmatis amictos, longa aulicorum caterua ſtipatos, vt aliàs S. Martino; atquè ad varia flagitia hominibus inferenda ſolicitant, vt odium in totum genus humanum conceptum exſatient. Boni è contra numquam pomparicè procedunt; multò minus ad mala incitant; ſed potiùs prouocant ad bona, quia charitate ducuntur erga nos, & zelo prò gloria Dei. Vt eruditè docet D. Auguſt. ſcribens *ad Fratres in Eremo.* Ex quibus omnibus euidentiſſimè patet, artes magicas à bonis Angelis nec doceri, nec practicari.

Ideò magia non traditur à Deo per bonos Angelos.

ARTICVLVS II.

Per Homines.

§. I.

29 Certū eſt, magiā aliquā honeſtam, & licitā ab hominibus edoceri, quæ ſingulares virtutes in rebus naturalibus latitātes, mortalibus ignotas cognoſcit, & applicat: agentia, & paſſiua ſuo loco, & tēpore cōponit; & ſicut opus eſt, tēperat, effectusq. producit inuſitatos, quorū ratio videtur incōprehēſibilis. Hoc enim nomē magiæ præciſè, & abſolutè ſumptū

Datur magia licita, & honeſta, quæ res nat. debito modo applicat.

ſignificat; & in hac ſignificatione primitùs vſurpatum pro arte, & facultate huiuſmodi rerum effectrice, quæ pars eſt ſecretioris, & abſconditioris philoſophiæ; & pro exactiore arcanorum conditione, quæ cęlorum & ſiderum curſu, & influxu, ſympathijs, & antipathijs rerum ſingularum obſeruatis, debito modo res rebus applicat, & mirifica quædam hoc pacto perficit, quæ cauſarum ignaro præſtigioſa, miraculoſa, & auxilio dęmonum facta videntur: vt benè tradit Benedictus Pererius *lib. 1. de Magia c. 3.* Ariſtoteles, *lib. de admirandis auditionib.* S. Albertus Magnus, Plinius, Proclus, & alij ſupra relati *n. 22.*

Diuiditur in Naturalē, & Artificialē.

Hæc autem eſt duplex: Naturalis vna, Artificialis alia, prout effectus eius aſcribuntur, vel inſitæ rerum naturæ; vel humanæ induſtriæ. Et vtraq. rurſum bifariam diuiditur. Nam Naturalis ſecatur in Diuinatricem, & Operatricem. Artificioſa in Mathematicam, & Præſtigiatoriam; quarum præceptores innumeri ſunt, tot nempè, quot de ſcientijs phyſicis, mathematicis, & medicis libros edidere. Videamus modò, an inter illas ſcientiæ magicæ locus detur.

§. I.

30 *Naturalis eſt, vel Diuinatrix, vel Operatrix.*

NAturalis circa occultas rerum naturalium virtutes effectrices rerum mirabilium verſatur: & nunc abdita, & futura coniectat: nunc miros effectus producit, prout diuinatrix, aut operatrix eſt. Si abdita, & futura prædicit, hoc aliquando certò, aliquando coniecturaliter facit. Certò prædicit quæcumq. dependent à cauſis neceſſarijs, & ab alijs nequeunt impediri: vt ſunt motus Cęlorum, Eclypſes, coniunctiones aſtrorum, & huiuſmodi. Coniecturaliter præſcit ea, quæ non neceſſariò eueniunt; ſed vt plurimùm; quia poſſunt ab alijs cauſis impediri, vt ſunt pluuiæ, grandines, tonitrua, tempeſtates, & ſimilia; vt latè deſcribit Petrus Binsfeldius *Comment. ſuper C. de Maleficis, & Mathem. not. 10.*

Si verò effectus producit varios, hoc ſemper via naturali, applicando actiua paſſiuis perficit. Et ſi quid producitur, numquam virtutis naturalis fines excedit, vt videre eſt in phyſicis, & medicis operationibus.

Quomodo differat magia diabolica à magia naturali ſiuè vt diuinatoria.

Quare magica ſcientia inter illas computari non debet, quamuis diuinatrix, & operatrix ſit.

Si enim diuinat, nō ei ſufficit, ea, quæ ex cauſis dependent infallibilibus, prædicere; ſed vlteriùs progrediendo prænunciare ſe iactat ea, quæ ſunt omninò liberè futura: vt ſunt omnia, quæ abſolutè à libera voluntate diuina, aut humana dependent; & quæ omninò, & propriè ſunt futura contingentia: vt ſunt mutationes Regnorum, gubernationes Prouinciarū, ſucceſſiones Principum, actiones, & cogitationes futuræ hominis, quarum præcognitio vel Dei eſt: vel à Deo, vt ipſimet fatentur Gentiles Xenophon *lib. 4. de dictis, & fact. Socratis,* Apollonius Thyanæus *in orat. ad Domitianum,* Iulianus Apoſtata apud Amnianum, Pacuuius, & Phauorinus apud Aulum Gellium, *lib. 4. c. 5.* Sic præfatus Magus ſupra *num. 24.* cum Chiromantiæ, & Metopoſcopiæ arte præditus eſſet, ſe per inſpectionem linearum tum manuum, tum vultus, futura, quæ pendent à libero arbitrio, & à diuina Prouidentia poſſe certitudinaliter præſcire, prætendebat: puta quam mortem, quæ pericula, quæ infortunia, & alia id generis quis eſſet ſubiturus. De quo errore cum rationibus à me fuerit conuictus, ſe illum abiuraturum paratum præſtitit.

Siuè vt operatrix.

Si verò operatur, non ſe continet intra naturæ limites, nec cauſas naturales adhibet (etſi hoc faciat aliquando) ſed ordinariè ſola voce, & verbis vtitur, quæ cum ex ſe non habeant aliam vim, quàm ſignificandi, vel quodammodo afficiendi auditum, non poſſunt eſſe cauſa tot prodigiorum, quę ab ipſis producuntur; vt ſupradictum eſt.

§. II.

ARtificioſa mira perficit per humanam induſtriā, ſiuè mathematicè, ſiuè pręſtigiatoriè agat. Cū mathematicè laborat, nihil efficit, quod rerum naturę repugnet; quinimmò indiget naturalium cauſarū ſubſidio, & debita loco, & tempore applicatione: Nititur enim principijs geometricis, arithmeticis, & aſtronomicis, quibus res inſolitas naturam imitantes producit; inter quas Antiqui apud Aulum Gellium *lib. 10. c. 12.* memorant, & pro certo confirmat Phauorinus Philoſophus, Architę Pythagorici columbā ligneam libramentis ſuſpenſam, & aura ſpiritus incluſa, atquè occulta concitam, & volantem: Archimedis Sphęram tradit Cicero *lib. 1. Tuſculan. diſp. & lib. 2. de natura Deorum,* omnium cęleſtium orbium conuerſiones ſuis motibus clariſſimè, perfectiſſimèq. repręſentantem; manum ferream naues onerarias ad ſe adducentem; ſpecula naues comburentia, vt refert Zonaras in vita Anaſt. Imp. machinas Romanos Syracuſā obſidentes propellentes: Leonis Imperatoris auiculas aureas cantātes: Seuerini Boetij metalla mugētia: Æneos angues ſibillātes: aues ſimulatas dulciſſimè cantilantes; homines æreos buccinantes. Et moderni iactāt triremem argenteam pariſieſem, quā remiges eiuſdem naturę impellebant, ſiſtebant, & retroagebant: Aquilam Æneam Caroli V. volantem per aerem: hydraulica, & horologica artificia, quę intuentes rapiunt in ſtuporem. Cum pręſtigiatoriè agit, ludicra, & deceptoria vocari poteſt. Eius enim effectus tales non ſunt, quales extrinſecùs apparent: vt ſunt ea, quę à circulatoribus, funanbolis, & agyrtis, immò animalibus longo vſu edoctis fiunt. Nam in ijs omnibus nihil eſt, quod naturam ſuperet; cum huiuſmodi pręſtigia ſola agilitate pedū, & manuum inſtrumentis adhoc confictis, & longa praxi, vſuque perficiantur. Etſi incantationibus patrari credantur, quod nō negamus aliquando pręſtigiatorum malitia euenire, cum pręſtigijs naturalibus dęmoniaca inducunt, vt ſic ſpectantiū admirationem magis excitent. 31

Artificialis eſt, vel Mathematica, vel præſtigiatoria.

§. III.

AT magica ſciētia maiora tentat, & perficit. Sua enim matheſi edit prodigia artificij; Statuas enim ligneas, æreas, aut ex ſimili materia conflatas mouere facit, & loqui; vt fertur de capite æneo apud Alb. Magnum, quod maxima ſpectantiū admiratione articulatè loquebatur; quod Guilhelmus Pariſienſis, Medina, & alij credūt, humano factum eſſe artificio. Sed cum humana induſtria hucuſque non pertingat: nec humana patiatur ratio, vt res inanimata voce humanam ad libitum interrogantiū reſpondendo, emittat: quia hęc vitam, & reſpirationem in loquente, & perfectiſſimam vitalium organorum cooperationem & diſcurſum quendam loquentis requirant: quę omnia huic capiti deficiebant; videtur potiùs dicendū, ſi caput loquebatur, ille in capite loquebatur, qui in ſtatuis idolorum oracula fundebat, qui ſolus cacodęmon fuit. Notum enim eſt, ſimulacra vocis proprię expertia fuiſſe, vt habetur pſ. 134. *Simulacra Gentiū argentum, & aurum, &c. os habent, & non loquentur, &c. neq. enim eſt ſpiritus in ore ipſorum.* Idem exiſtimādum de vlmo quadam, quā memorat Philoſtratus *lib. 6. c. 5.* iuſſu Veſpeſionis, qui Princeps erat Gymnoſophiſtarū apud Æthiopes, voce quidē clara, & diſtincta; ſed tenui admodū, & quaſi fęminea ſalutaſſe 32

Magica maleficorum etſi in aliquo ſit ſimilis ijs omnibus: tamen ab omnibus differre probatur.

Apol-

Apollonium; aliaque id generis plura arte magica fieri, narrat Peterius *lib.1.de Magia*. Quod à virtute aliqua naturali habere non poſſunt: quia vel animatæ ſunt: vel non, vt benè argumentatur D. Thoma *lib.3.contra Gentes cap.*104. Si animatæ ſunt: vndè habent formam ſubſtãtialem, quæ eſt principium vitæ in omnibus viuentibus? vndè ſenſum, ſine quo vita eſſe non poteſt? An à magico artificio? Sed ſemper remanent inſenſibiles, nec amittunt formam ſubſtantialem, quam priùs habebant. Manet enim æs, lignum, argentum, &c. ergo non recipiunt formam aliquam ſubſtantialem, quæ ſit principium vitæ. Si verò inanimatæ, & inſenſibiles ſunt: quomodo ſeipſas mouent: cum inanimata hoc facere non valeant, vt monet Philoſophus 7.*Phyſic.*? ergo ab aliquo motore extrinſeco, & viuente; & non à virtute cæleſti, aut naturali. Ità ſuis præſtigijs ampliora,& portentoſiora facit, quàm artificioſa præſtigiatrix; Non enim agilitate pedum, & manuum, aut longo vſu ſolùm vtitur; ſed illuſionibus per mutationem obiecti, medij, & organi: vt infra explicatur *diſp. 2. huius tomi n.*283. ideoquè ſcientia prodigioſa,& portentoſa nuncupari ſolet. Quare inter vtraſquè artificioſas ſcientias numeranda non eſt; alioquè loco ſeorſum reponenda.

Ideò à Deo per homines non edocentur.

Et conſequenter, cum nec naturalis, nec artificioſa ſit ſcientia magica, certiſſimum eſt, illam à Diuina Sapientia per homines non edoceri; Et ſi qui ſint, qui illam profiteantur, alio Doctore, & Magiſtro, quàm diuina Sapientia eos erudiri, neceſſe eſt.

ARTICVLVS III.

Per Mortuos.

33 *Magi iactant ſe animas euocare, à quibus ſuas diſcunt magicas operationes. At falſũ eſt quia Neq. Beatæ illas docent.*

SI fides aliqua magicis iactationibus eſſet adhibenda, ſuam Magos ſcientiam à mortuis mutuari, crederemus; cum profiteantur, ſe eorum animas euocare poſſe; ex eis multa cognoſcere, quæ ſunt occultiſſima, & per eas effectus miros operari. Sed quàm verum ſit, ſcrutandum eſt tantiſper: Si enim mortuorum animæ necromanticis illis Doctoribus obediunt, & eorum operibus ſe immiſcent: Vel hę ſunt, quæ in cęlum receptæ æterna beatitudine perfruuntur: Vel quæ expiatorijs ignibus purgantur: Vel quæ æternis flammis addictæ pænas æternas luunt. Quæ omnia explodere facile eſt.

Beati quidem ad iuuandos in ſuis neceſſitatibus mortales Deo mandante, & propria ducente bonitate, è cęlo in terram liberè deſcendere valent: vt ſæpiùs plures Sanctos viſos fuiſſe, Eccleſiaſtica refert Hiſtoria: & Patres, Ambroſius *ſerm.90. de Paſſione S.Agnetis*. Auguſt.*lib de cura pro mortuis c.17.* Hieronym. *contra Vigilantium.* Gregorius *lib.4.Dialog. c.12.* Cęteriſque Eccleſiæ Doctores in ſuis monumentis recenſent. At inuocationibus, & euocationibus magicis adduci quis credat? Nam rationes, quæ ad falſum conuincunt de Angelis cęleſtibus, eædem in Beatorum animabus locum habent. Et tamen tam impudens eſt perditorum hominum audacia, vt ſuas diſciplinas omni digna execratione à Sanctis traditas oſtentare non erubeſcant; ſuoſquè libros nominibus Adæ, Abelis, Enoch, Abrahæ, Pauli, Cypriani, & aliorum mendaciter inſignire, quaſi auctores fuerint doctrinæ in eis contentæ.

§. I.

AN fortè Animæ, quæ ſunt in Purgatorio manus præbent auxiliatrices ijs maleficiorum conſarcinatoribus, & docent modum, quo opera malefica ſunt concinnanda? Quaſi verò aut iſti imperium habeant ſuper illas: Aut illæ exire è loco poſſint, in quo purgantur? Sed eſto, peculiari gratia exeant; vt docet Aug. *lib. de cura pro mortuis c.16.* An mala operari, & malis cooperari poterunt? Quis hoc audeat aſſerere? Animæ enim, quæ ſanctæ ſunt, & ad petenda viuorum ſuffragia, non ad damna cuiquam inferenda venire conſueuerunt; vt benè tradit Petrus Thyręus *lib.1.de apparit. ſpirituum.* 34

Neq. purgatorij ignibus applicatæ.

Probabilius aſſeri poſſet de damnatis. Profitentur enim iſti noui Mercurij petaſati, puta, caducæi potentiſſimi ope ſe ex orco animas poſſe reuocare; eorum præſertim, qui flagitioſè vixerunt, aut violenta, aut mala morte periere. Nam illæ quaſi in dęmonum conuerſæ naturam, eorum malitiam in hominibus decipiendis conantur imitari. Hoc aſſerit inter Ethnicos Porphyrius lib.2. de abſtinentia animalium. *Tales*, inquit, *ſunt animæ mortuorum, quæ vitijs oppletæ è corpore migrarunt; conflictantur enim etiam tunc iræ, & concupiſcentiæ perturbationibus, & in naturam conuerſæ dęmonum, ſimiles illorum redduntur noxiæ, ac turbulentæ in varias ſe vertunt formas, ac modò conſpicuas ſe oculis præbent, modò recondunt, & ita eludunt aciem tum intuentium, tum etiã cogitantium*. Et alibi. *Praua anima, quæ corpus ſuum violenter reliquit expoliata ad hoc ipſum deinde admouet, ibique moras trahit. Vndè nonnunquam viſæ ſunt lamentari.* Idem confirmat inter Chriſtianos Tertullianus *lib.de Anima*, vbi de inferis, & defunctorum euocatione diſſerit. *Publica iam litteratura*, inquit, *quæ animas etiam iuſta ætate ſopitas, etiam proba morte diſiunctas, & prompta humatione diſpunctas, euocaturam ſe ab inferorum incolatu pollicetur*.

§. II.

NOn tamen credẽdum eſt, damnatorum animas, etiam dęmonibus adiuuantibus, exire poſſe ex teterrimo carcere, in quo in æternum iuſta Dei ſententia detruſæ ſunt. Nam nulla vi indè poſſunt efferri, niſi mandante Deo, vt de pluribus refert D. Gregorius *in ſuis Dialogis varijs locis*. Quod fuſiùs patet infra *diſp.2. huius,num.375.* Non eſt tamen credibile, id concedere Necromantis; hi enim artem necromanticam per ſe infamem, & toties in ſcripturis reprobatam approbaret, fideque dignam redderet apud homines; & per conſequens ſibiipſi contradiceret; quo quid abſurdius? 35

Neq. dãnata inferno incluſæ.

Quarè, ſi quæ apparuiſſe circumferuntur Magorum,& Necromantorum miniſterio, non illas,ſed dęmones ipſas repræſentantes fuiſſe, exiſtimandum eſt: quod aliàs prolixiùs ſuo loco explicabitur.

Concluſio Capitis.

ERgo (vt huic capiti finem tandem imponamus) nõ à diuina ſapientia ſcientiæ magicæ prodiere,& conſequenter maleficia: quia cũ maleficium ſit ſpecies magiæ, ſub qua cõtinetur tanquã inferius ſub ſuo ſuperiori, nemini in logicis mediocriter ſciẽti eſt ignotũ, id dici antecedens, magia verò conſequens: Sicut ergo à poſitione antecedentis ad poſitionem 36

Ergo magia non eſt à Deo, ſed à Dæmone.

conſequentis tenet conſequentia, poſito, nempè, maleficio, poni magiam: ſic à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis pariter valet conſequentia: Si Deus non vult ſcientias magicas voluntate antecedenti, & approbatiua, pari modo non velle maleficia: Quod eò magis, ac magis oſtendit, quò pluriès in diuina ſcriptura prohibet opera Maleficorum, minatur contra illos pęnam mortis, varia præbet remedia contra dęmoniacas vexationes, inſtituendo ordinem Exorciſtatus, dando Apoſtolis, & Eccleſiæ poteſtatem dęmones eijciendi, fidem nobis, & alia ſpiritualia dona conferendo ad opera ſathanica deſtruenda: non ergò maleficia ſunt à Deo ea volente immediatè, vel mediatè; ſed à dęmonibus, qui artis magicæ auctores ſunt, non naturalis illius, quæ ex occultis rerum naturis, & cauſis, viribuſquè proficiſcitur; ſed diabolicæ ab omni ratione, & veritate vacuæ, fallacis, & noxiæ, fraudibus, & maleficijs implicatæ, & propterea infamis, abominandæ, & ex vniuerſa hominum ſocietate eliminandæ.

Vt probatur Ratione multiplici.

Hoc fatentur ipſi Gentiles, pro quibus vnus ſufficiat Porphirius, qui lib. de Reſponſis ſic ait: *Non ſolùm felicem conuerſationem ſuam; verùm etiam quibus rebus gaudeant, & quibus alligentur Dij hominibus ſignificarunt. Ad hæc quibus rebus cogantur, & quæ ſibi afferenda ſint, & quos dies vitare oporteat, & in quibus locis ipſi verſentur, & omninò nihil eſt, quod ab ipſis Dijs homines non didicerint.* Hoc docent communiter Patres, inter quos Lactantius lib. 2. Diuinar. Inſtit. *Eorum*, ait, *inuenta ſunt Aſtrologia, & Aruſpicina, & Auguratio, & quæ dicuntur oracula, & Necromantia, & Ars magica; & quicquid præterea malorum exercent homines, vel palam, vel occultè.* Hoc deniquè aſſerunt ſcripturæ ſacræ, quæ ſæueriſſimis legibus, & ſub ſæueriſſimis pęnis omnem magiam prohibent; vt ſequenti capite elucidabimus.

Gentiliũ cõfeſſione

Patrum conſenſu

Scripturæ auctoritate.

CAPVT II.

Prohibet.

37 SI Deus optimus maximus, *non Deus volens iniquitatem eſt*, vt monet Dauid pſal 5. *Si non habitat iuxta eum malignus, nequè permanent iniuſti ante oculos eius, ſi odit omnes operantes iniquitatem, perdit omnes, qui loquuntur mendacium, & virum ſanguinum, atquè doloſum abominatur*; non dubium eſt, omne maleficium ſummè habere exoſum, vt teſtantur tot prohibitiones ſub grauioribus pęnis mortalibus varijs modis propoſitæ tàm Per ſemetipſum, quàm Per ſuos deputatos: vt duabus ſectionibus palam fiet.

Deus omnia peccata odit & per cõſequẽs maleficia. Quæ fieri prohibet Per ſemetipſũ. Per ſuos deputatos.

SECTIO I.

Per ſemetipſum.

38 QVoniam, dum huius corporis ergaſtulo noſter clauditur ſpiritus, Deum non poſſumus oculis intueri corporeis, intellectu conſpicere, voluntatemquè ipſius intelligere, niſi per res ſenſibiles teſte Apoſtolo *Roman*. 1. *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciũtur*. Ideò ſuam nobis aperit voluntatem in ſcripturis ſacris, vbi quædam prohibet; quædam præcipit: concedit aliqua, ſuadetquè nonnulla, vt teſtatur D. Gregorius *in moralib.* Suadet, inquam, perfecta, concedit media, præcipit bona, ac prohibet mala: præcipuè magiam, & maleficia tum in Veteri, tum in Nouo teſtamento; vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Deus ſuã nobis aperit voluntatem in ſcripturis ſacris maleficia prohibendo.

In Veteri & nouo teſtamẽto.

ARTICVLVS I.

In Veteri teſtamento.

AVdiamus illum cum maieſtate loquentem in veteri teſtamento, in quo non ſolùm omnem Magorum, & Ariolorum conſultationem prohibet: vt Leuitici 19. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos*. Sed inſuper vltimo ſupplicio percuti iubet. Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere*. Et Leuitici 20. *Vir ſiuè mulier, in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur, & lapidibus obruent eos*. Quininimò vlteriùs ira excandeſcente diuina ſeipſum vltorem tanti ſceleris profitetur: Leuitici eod. cap. 20. *Anima, quæ declinauerit ad Magos, & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui*. Quod iteratò inculcat Deuteronomij 18. *Nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem: aut qui Ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria: nec ſit Maleficus, & Incantator: nequè qui pythones conſulat, nec diuinos, &c. omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu ſuo*; Ideò debitas ſcelerum pęnas vindice Deo tuliſſe Saul, Ochoziam, & Manaſſem legimus 1. *Paralipom*. 10. 4. *Reg*. 1. & 2. *Paralipom*. 33. 39

In veteri teſtamento prohibet acceſſum ad maleficos.

Puniri iubet.

Ipſemet punit.

Quod ſi ſubitæ illius vindictæ rationem quæris, audi Philonem in lib. de Specialibus legibus: *Non ſinit noſter Legislator procraſtinari Veneficorum ſupplicia; ſed abſque mora vult exigi, quòd dilatio noxijs opportunitatem peccandi præbeat, cæteris metum afferat, exiſtimantes, quicquid illorum vitæ accedit, ſuæ ſecuritati decedere; Idcircò ſicut viperas, ſcorpios, aliaſquè venenoſas beſtias, priuſquam mordeãt, aut ſaucient, aut omninò ſe commoueant, ſinè mora ad primum aſpectum occidimus, præcauendo naturalem eorum malitiam priuſquam noceant. Eodem modo etiam homines plectendi ſunt, qui cum ſint animalia rationalia, nihiloſeciùs à natiua manſuetudine in ferinos mores degenerant, & pro delectamento habeant lædendi quotquot poſſunt licentiam.* Hæc Phil.

Ratio ex Philone.

ARTICVLVS II.

In Nouo teſtamento.

QVamuis in Nouo teſtamento magia, & maleficia verbis non prohibeantur expreſſis; nihilominus implicitè in eo prohibita cenſentur. Huiuſmodi enim prohibitiones: *Non declinetis ad Magos: Maleficos non patieris viuere*, & aliæ huiuſmodi non ſunt de iure poſitiuo legis veteris, ſicut leges cęremoniales oneroſæ; ſed explicant ius diuinum, & naturale: vt ſubtiliter obſeruat Suarez *de Religione lib. 2. de Superſtitione c. 17.* ideò in nouo teſtamento non ſunt irritæ; ſed permanent adhuc in ſuo robore. Qua de re Chriſtus Saluator mundi, ac Legislator Diſcipulos ſuos animaduertens dixit. *Matth. 5. Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* Cum enim Apoſtoli audierint Dominum quædam noua 40

Magia, ac maleficiorũ prohibitiones in nouo teſtamento nõ ſunt irritæ. Sed ratæ manent.

Probatur ex verbis

præci-

Legiſlatoris. præcipientem, dubitare cæperunt; vtrum vellet legem ſoluere, & aliam nouam legem introducere; & quia hæc dubitatio voluebatur in cordibus eorum, præuidens hoc Dominus præoccupauit eos, ponens ſolutionem dicendo: *Nolite putare*, nec in errorem incidatis, *quoniam veni ſoluere legem. Non veni ſoluere*, ideſt caſſare legem: cum *pſal.*88. per Prophetam dixerim: *Neq. prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt à labijs meis non faciam irrita. Sed adimplere*, ideſt perfectè implere in meipſo, & in alijs eos docendo, quæ neceſſaria ſunt ad ſuum vltimum finem conſequendum.

§. I.

41 *Præcepta legis lacinioſa ſũt ſoluta.*

QVapropter concedamus quidem, circũciſionẽ, ſacrificia, purificationes, neomenias, cæremonias, vmbras, & tabernaculorum præcepta, quibus Hebræorum populus grauatus erat, fuiſſe per nouam legem irrita, & caſſa. Erant enim legis præcepta vniuerſa ſexcenta, & tredecim, affirmatiua ducenta, & quadraginta octo: Negatiua verò trecenta ſexaginta quinquè, vt obſeruat Abulenſis *in cap.*1. *Ruth.q.*24. Guilhelmus Pariſienſ. *lib. de fide, & lege c.*1. Galatinus *lib* 11. *cap.*4. Rabbi Moyſes Ægyptius *lib.* 3. *perplexor. cap.*56. & Paulus Burgenſis 1. *par. Scrutinij diſt.*8. *cap.*9. idcircò iuremeritò lex vetus à D. Petro *Act.*15. appellatur iugum graue: Sicut è conuerſo à Saluatore noſtro *Matt.*11. iugum legis nouæ ſuaue dicitur, ac onus eius leue: quia eſt verbum abbreuiatum, teſtantibus Iſaia 10. & Paulo *Roman.*9. Siuè vt Tertullianus legit *lib.*4. *contra Marcionem cap.*1. *&* 16. *deciſus ſermo*: quod ille ſic explicat; quia compendiatum eſt nouum teſtamentum, & à legis lacinioſis oneribus expeditum.

Moralia tamen rata manẽt vt prædicta.

Attamen moralia legis veteris præcepta non eſſe per legem nouam irrita, & caſſa, fatemur proculdubio: immò reſpectu horum non diſtingui duplex teſtamentum: vt ſæpè monet D. Auguſt. *lib. de ſpiritu, & litera cap.*14. *& lib.* 10. *contra Fauſtum c.*2. *& tract.*3. *in Ioannem. & in pſal.*73. Quod etiam docet S. Leo *de Ieiunio ſeptimi menſis ſerm.*7. *& ſerm.* 14. *de paſſione*, vbi ait: *Quæ vtriquè teſtamento erant congrua, nulla eſſe cõmutatione variata*: Idcircò *abbreuiatus, atquè perfectus ſermo euangelicus dicitur*, vt ait Hieronymus, *quoniam pro cunctis lacinioſa legis cæremonijs dedit præceptum breuiſſimum dilectionis, & fidei*. Sic etiam Scotus in 4. ſent. apertè docet, præcepta iudicialia veteris legis non manere in ſe, ſed in æquipollenti quantum ad finem: cæremonialia non manere in ſe, ſed in ſuis ſignificatis, quia vmbra tranſijt, & veritas ſucceſſit, moralia autem legalia manere iuxta verbum Chriſti non veni ſoluere legem, ſed adimplere: quia Decalogus ſimpliciter manet, ſed perfectiùs exponitur, quàm Iudæi intelligant.

§. II.

42 *Sed abbreuiata & reducta ad duo præcepta dilectionis Dei, & proximi.*

QVare omnia illa præcepta legis veteris: *Non declinetis ad Magos. Maleficos non patieris viuere*, & alia id generis ſupra relata, cum ſint moralia, non ſunt in nouo teſtamento ſoluta, & expedita; ſed abbreuiata tãtùm, & ad duo præcepta dilectionis Dei, & proximi reducta. Dum enim præcepit, vnum Deum ſuper omnia diligendũ toto corde, tota anima, tota mente, ac totis viribus: Proximũ verò ſicut ſeipſum quis non videat cõſequenter prohibere, ad maleficos accedere, qui docent, Deum abnegandum, dæmonem adorandum, Chriſtum blaſphemandum, Deiparam contemnendam, ſuſcepto Baptiſmatis ſacramento renunciandum; aliaque id generis facinora perpetranda? Proximis verò innumera propè damna inferenda, quæ omnia ſunt penitus dilectioni Dei, & proximi oppoſita, atquè contraria? Propterea ipſemet Legiſlator: vt habetur *Apoc.*22. admonet Epiſcopos, Rectoreſque Eccleſiarum, vt huiuſmodi hominum peſſimorum fæcem eijciant, & ſegregẽt ab Eccleſijs veluti canes indignos, & beſtiales dicens: *Ego ſum primus, & nouiſſimus, principium, & finis*. Deindè ſubdit: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Ego Ieſus miſi Angelum meũ teſtificari vobis hæc in Eccleſijs*. Volens autem vniuerſo terrarum orbi pænã ab eis ſoluendam in futuro ſæculo promulgare, capite antecedenti ait: *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda*. Si autem ſupremus ipſe viuorum, ac mortuorũ Iudex pænas indicit tum ſpirituales temporales, nempè à fidelium congregatione ſegregationem, aliaſquè formidabiliores, quibus Eccleſiarum prelati huiuſmodi maleficorum ſcelera compeſcere debent: tum æternales, quibus ob ſua opera peruerſa malefici percellentur in orco; quis apertè talia maleficorum crimina, vt prohibita iure naturali, ac diuino, cenſenda non aſſeueret: cum pęna culpam, & culpa alicuius præcepti tranſgreſſionem præſupponat.

Ideò Legiſlator monet Maleficos ab Eccleſia ſegregãdos in hoc ſæculo.

In futuro puniẽdos Pœna Ignis, Pœna ſulphuris.

Quid ad hæc noſtri ſæculi ſemi ſaducæi philoſophantes: qui (vt hæc obiter dicam) omnia ſuo cerebro metientes, putant, maleficia nil aliud eſſe, quàm ſomnia, fictiones, & meram phantaſiam eorũ qui maleficio imputant naturales effectus, quorum eſſentiæ ſunt occultæ? Ad quid ergo tot diuinæ prohibitiones, & punitiones, ſi maleficia non dantur? Anne ſomniabat Deus, cum hæc prohibebat; aut fingebat crimina, quæ eſſe non poſſunt? Seù phantaſia ductus pænis afficiebat innoxios, cum maleficos occidi imperabat? Sed *Diuinæ auctoritati*, ait Auguſt. lib. 10. de Ciu. Dei c.31. *humana cedat infirmitas*; cum ſacris potiùs inhærendum ſit dogmatibus, quàm philoſophicis; & plus tribuendum ſpiritus ſancti reuelationi, quàm erroneis humanæ rationis ſuggeſtionibus. 43

Obiter cõtra non admittẽtes maleficia.

SECTIO II.

Per ſuos.

AT non ſeipſo tantùm Deus inuehitur in maleficos, & odium, quo maleficia proſequitur, in ſacris litteris voluit eſſe teſtatum: Etiam ſuorum voce præconum, qui tanquã Angeli apocalyptici miſſi ſunt cum tuba, & excelſa prædicatione idem annunciat omnibus habitantibus in terra. Quis nolit auſcultare loquentem Deum per os Sanctorum? os, inquam, non ora; omnium enim vna eſt vox, vnus ſẽſus, vnus conſenſus in prohibendis, & damnãdis maleficijs. (Parcat Lector, ſi hæc prolixiori ſtylo proſequimur:) quia hoc eſt, vt terreantur ad maleficia procliues, & confundantur humana æquè ac diuina auctoritate noui ſaducæi, atquè obſtruatur omne os loquentium iniqua. Quod per ſeptem articulos præſtabitur. 44

Deus maleficia vetat, & puniri iubet per ſuos quaſi per ſeptem Angelos apocalipticos
Pontific.
Cõc. Pat.
Canon.
Patres.
Theolog.
Princip.
Philoſ.

AR-

ARTICVLVS I.

Pontifices.

45 PRimi ſunt illi, quos etiam in Eccleſia miniſtros voluit eſſe primarios, quorum labia cuſtodiunt ſcientiam; & ex quorum ore lex requirenda eſt. Hi enim varias aduerſus maleficam prauitatem edidere Conſtitutiones. Clemens Romanus *lib.2. Conſtit. Apoſtolicarum c.8. & lib. 5. cap.2.* iubet, de maleficio conuictos repelli, vitari, & capite damnari. Ioannes XXII. *in Conſtitut. ſuper illius ſpecula*: Excōmunicatione, & alijs pænis eos ferit, tanquam dæmonis adoratores. Innocentius VIII. *in Conſtitut. ſummi deſiderātes*: meminit de incubis, de ſuccubis, abortibus, ſegetum extinctione, coitus impedimentis, & alijs ſceleribus, quæ explicat, & deteſtatur. Alexander VI. *in Conſt. cum acceperimus*: & Leo X. *in Conſtitut. Honeſtis petentium*: Similiter condemnāt veneficos Galliæ Ciſalpinæ. Adrianus VI. *in Cōſtitutione Dudum vti nobis*: poſt enarratos illorum neſandos exceſſus pæna multari vult. Idem ſtatuit Gregorius XV. *in Conſtitutione Omnipotētis Dei* aduerſus maleficia, ſeu ſortilegia committentes. Sed ante ipſum Sixtus V. Conſtitutionem edidit aduerſus exercentes Aſtrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcumquè diuinationum, & incantationum genera, quæ incipit: *Cæli, & terræ*. Quæ anno 1631. alia Conſtit. Vrbani VIII. quæ incipit *Inſcrutabilis*: roborata fuit extenſiuè ad alia cū grauioribus pænis.

Pōtifices varias ediſcere Conſtit. cōtra Maleficos. Clemens Roman. Ioā. xxii. Inn. viii. Alex. vi. Leo x. Adr. vi. Greg. xv. Sixtus v. Vrb. viii.

ARTICVLVS II.

Conciliorum Patres.

46 EAdem cæteri catholicæ Eccleſiæ Epiſcopi ſuis decretis in Concilijs Generalibus, & Prouincialibus ſtatuunt; quos audire neceſſe eſt, nè tanquam Ethnici, & publicani à fidelium communione arceamur.

In Carthaginenſe IIII. trecentorum quatuordecim Epiſcop. *c. 89.* præcipit incantationibus ſeruientes à conuentibus eccleſiaſticis ſeparari. Et *cap.9.* Exorciſtas quotidiè energumenis manus imponere. Quod confirmat Ancyranum *lib.6.cap.7.* Idemquè ſtatuit Agathenſe *lib.8. in Decreto Iuonis*. Antiſiodorenſe *cap.4.* vetat ad ſacrilegos aſpicere. Pariſienſe diuina, & humana auctoritate puniendos eſſe, declarat. Mitto Laodicenum *cap.36.* Moguntinum *cap. 101.* Mediolanenſe 1. & alia plura, quibus ſubiungo nouiſſimum Tridentium *ſeſſ.4.* præcipiens Epiſcopis coercere iuris, & arbitrij pænis torquentes verba ſacræ ſcripturæ ad ſuperſtitioſas, impias, & diabolicas incantationes.

Patres varia cō tra Maleficos edidere decreta. In Concilijs Cartag. Ancyr. Agath. Antiſio. Pariſ. Laodic. Mogunt. Mediol. Trident.

ARTICVLVS III.

Canoniſtas.

47 POntificibus, & Epiſcopis tanquàm ſuperioribus Angelis adhærent Canoniſtæ ipſorum interpretes, quorum auctoritas plurimi facienda eſt: cum ex decretis eccleſiaſticis, ſanctorumquè Doctorum teſtimonijs depromatur. Notæ ſunt pontificiæ Sanctiones in Decretalibus conſignatæ circa veneficia; præcipuè, vbi *de frigidis, & maleficiatis* agitur. Sic Gratianus *33.q.1. c. Si per ſortiartas*, hortatur maleficio laborantes ad remedia ab Eccleſia propoſita confugere. *Et 26. q.5.* & præcipuè *c. nec mirum*. Sic. S. Iſidorus *lib.8. Ethimolog.c.8.* Necromanticorum, & Hydromanticorum ethimologiam aperit, Magorumquè deſcribit facinora. Quibus aſtipulantur Archidiaconus, Bernardus de Botono, Ioan. à Turrecremata, S. Iuo Carnotenſis in ſuo Decreto, Abbas Panormit. Burchardus, & alij omnes *in Rubric. & Titul. de Sortilegijs*.

Canoniſ. auctoritas plurimi facienda.

ARTICVLVS IV.

Patres.

SEd lubet Eccleſiæ Patres audire: Quid ità deteſtantur in ſuis ſcriptis, quàm maleficia? vt S. Irenæus *lib. contra Valentinum*: Hieronymus *in vita Sancti Hilarionis*: Chryſoſtimus *de fato ſerm. 7.* & alij, quos longum eſſet recenſere: Vnus ſufficiat Auguſtinus, qui *in libris de Ciuit. Dei 8. cap. 19. 9. cap. 10. & 11. 18. cap. 16. 17. 18.* docet, omnia Magorum miracula doctrina, & opera dæmonum fieri, & mathematicam diuinatoriam magicam, ac alias eius generis artes vitandas eſſe à Chriſtiano tanquam noxias, ac nugatorias. *Superſtitioſumque*, ait lib.2. de doctrina chriſtiana, *quicquid inſtitutum eſt ab hominibus ad colenda idola, aut creaturas: vel ad conſultationes, & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita, atque fæderata, qualia ſunt molimina magicarum artium, ad quod genus pertinent omnes ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque diſciplina condemnat; ſiuè in præcantationibus: ſiuè in quibuſdam notis, quas characteres vocant: ſiuè in quibuſdam rebus ſuſpendendis, atque ligandis, & cæt.* Quæ ſententia refertur etiam in corpore iuris 26 *q.5. c.nec mirum*. 48

Patres Spiritu Sācto inſpirati locuti ſunt.

ARTICVLVS V.

Theologos.

PAtres ſequuntur Theologi omnes, & voce vnanimi maleficia condemnant: Siuè ſcholaſtici: vt Alexander Aleſ. *2.par.q.43.* D. Thomas *contra Gentiles lib.3.cap.1. & 2.1.par.q.114. & 2.2.q.92. & 93.* D.Bonauentura, Richardus, Maior, Scotus Durandus, Thomas de Argentina, Antonius Andreas, Guilhel. Vorillon, & communiter omnes *in 4.ſent. d.34.* Henricus Gandenſis *quodlib.5.q.33.* Caietan.*tract.12. to.2.* ac S. Antoninus *par.2.tit.12. c.1.* Siuè poſitiui: vt Alphonſus Toſtatus, & alij omnes poſtillatores ſuper caput 7. Exodi, vbi agitur de Magis Pharaonis, Alponſus à Caſtro *lib.1. de iuſta hæreticorum punit.c.15.* Siuè Summiſtæ, vt Henriquez *lib. 12. de Matrim.c.8.* Syluester *ver. Maleficium q.7.& 8.* Tabiena *verb.Impedimentum 12.verſ. 9.* Fumus *ver. Maleficium*. Angelus *in verb.ſuperſtitio*, Roſella *ver. impedimentum v. 13.* Iacobus de Graſſijs *in deciſ. aureis cap. de maleficijs*. Leſſius, Sanchez, Suarez, & communiter omnes qui de ſuperſtitione, etiā de maleficijs tractare conſueuerunt, quorum naturam, ſpeciem, grauitatem, pænas, & cætera latè explicant. 49

Maleficos, & maleficia condemnāt Theologi omnes. Scholaſt. Poſitiui, Sūmiſtæ.

AR-

ARTICVLVS VI.

Principes.

50 ET quia ordinatione diuina *Prouer.* 8. Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, miſsi ſunt adhuc Principes, qui iure cæſareo, & imperialibus conſtitutionibus maleficia vetant, & puniunt.

Principes maleficia vetant, & puniunt.

In Codice enim Iuſtiniani de maleficis, & mathem. primò commendantur, ac præmio digni cenſentur, qui maleficos deferũt, *L. nullus*. Secundò ad illorum accuſationem quilibet admittitur, ſicut & in criminibus hæreſis, & læſæ Maieſtatis *L. Quicumquè*. Tertio ſuſpecti nulla ſuffragante quæſtioni ſubijci iubentur, confeſſi, vel conuicti equuleo torqueri, vngulisque ſulcantibus lacerari *L. Quicumquè*. Et beſtijs obijci. *L. Multi*. Etſi iam inualuerit conſuetudo, vt igni comburendi tradantur, fortaſſe propter ſexum fæmineum. Denique ſub pæna capitis omnibus prohibetur, aruſpices, ariolos, ac mathematicos conſulere. *L. nemo*. Nec eis ſuffragatur dignitas perſonæ. Licèt enim de lege communi excuſentur à tormentis perſonæ in dignitate conſtitutæ: vt Doctores, Equites aurei velleris, Decuriones, Capitanei militum, officiarij Principum, Rectores Ciuitatum, & ſimiles dignitate fulgentes: vt docent Franciſcus Brunus *de indicijs, & tortura 2. par. q. 3.* Marſilius *in pract. crimin. in §. Expedita à num. 27.* Iulius Clarus *lib. 5. ſent. §. fin. pract. crimin. q. 64.* Excipiuntur tamen crimina maleficorum, vt extat *in tit. C. de malefic. & Mathemat. L. Etſi excepta*. Sicut etiam crimen læſæ Maieſtatis. *L. Nullus. C. ad leg. Iulia Maieſt.* Et proditio patriæ, Ciuitatum, aut Principum, & ſimilium, *L. Deſertorem. §. His, qui ad hoſtes. Et L. Proditores. ff. de re milit.*

Chriſtiani.

51 Nec mirum, Imperatores chriſtianos has edidiſſe ſanctiones contra maleficos, cum Ethnici etiam gladio vltore in illos ad ſuarum legum præſcriptum animaduerterent. *Cur enim*, ait Auguſt. lib. 8. de Ciuit. Dei. cap. 19. *iſta plectuntur ſeueritate legum, ſi opera ſunt numinum colendorum?* An fortè iſtas leges Chriſtiani inſtituerunt, quibus artes magicæ puniuntur, ſecundùm quem alium ſenſum, niſi quòd hæc maleficia pernicioſa eſſe non eſt dubium? Vndè tempore eccleſiaſticæ perſecutionis ſæpè ſub hoc titulo Chriſtiani gladio, igne, tormentis cruciabantur, quia inſimulabantur magiæ, & incantationum. Sed de huiuſmodi pænis latiſſimè tom. 2. diſp. 1. p. 1.

Ethnici.

ARTICVLVS VII.

Philoſophos.

52 DEnique concors eſt omnis melioris notæ Philoſophorum ſententia, quos iuxta Clementem Alexandrinum Deus naturalem ſcientiam docuit, ſicut & Medicorum, non ſolùm dari maleficia, quod antiqui Mercurius Triſmegiſtus *in Pimandro*, Plato *lib 11. de legibus*, Proclus, Apulæius, Porphirius, & alij plures ratione dictante conceſſerunt: ſed etiã ab omnibus debere reprobari; vt ſuis ſcriptis teſtantur Ioannes Fernelius *de abditis rerum cauſis*, Baptiſta Codroncus *de morbis venef.* Daniel Sennertus *de morb. à venef. inductis*, & alij, quos ſuperſedeo enumerare, cum ſecundùm Auguſtinum ſupra citatum *lib. 2. de doctrina chriſtiana cap. 19.* Magicam artem Medicorum quoque diſciplina condemnet.

Maleficia damnantur A Philoſophis A Medicis.

Quare tot Sanctorum vocibus, quaſi tubis angelicis excitata innumerabilis hominum vtriuſque ſexus multitudo varijs temporibus, & in diuerſis mundi plagis maleficia execratur, & maleficos vltimo ſupplicio puniendos clamat, quorum vocem audiendam ſuadet effatum illud commune: *Vox populi vox Dei*.

His omnibus cõcordat vox omnium populorum

PARS SECVNDA.

Dum committuntur.

ECce quibus modis homines à maleficijs auertere Deus ſatagit, ſæuerioribus nempè edictis tum diuinis, tum ciuilibus, quæ iuſtas maleficis pænas infligunt, non ſolùm temporalis ignis, qui citò reos redigit in fauillã; ſed etiam æterni, cuius flamma cruciat, non ſoluit in cinerem; ſed deuorat, & depaſcit corpora, & animas in inferno. Attamen excæcati homines nec legibus coercentur, nec terrentur pænis; immò omni timore poſtpoſito ſuaue iugum Dominicæ legis confringunt, vt teterrimæ ſe ſubijciant tyrannidi diabolicæ ſeruitutis: Et potiùs ſeligunt illicitis vacare maleficijs, quàm operibus bonis. Quot enim maleficorum examina quotidiè deprehenduntur, qui incantationibus, veneficijs, & artibus magicis inaudita mala committunt, quæ Deus aliquando fieri permittit: Aliquando impedit, prout concurſum ſuum aut dat; aut denegat; Tunc enim Voluntas diuina permittit maleficia, quando tanquam cauſa vniuerſalis concurrit, vt fiant: Tunc impedit, quando non concurrit; & vtroquè modo ſe gerit, dum committuntur: quod tribus capitibus explicabitur, oſtendendo: Quomodo ea permittat; Quare permittat: & Quomodo impediat. 53

Hominis malitia talis eſt, vt neque legibus coerceatur, neq. pęnis terreatur. Sed prouoluitur ad maleficia. Ideò oſtẽditur Quomodo permittãtur Quare permittantur. Quomodo impediantur.

CAPVT I.

Quomodo Deus maleficia permittat.

CVm Deus maleficia ſuum denegando concurſum permittit, obſeruandum eſt, maximam eſſe differentiam ſecundùm quod duo reperire datur in quolibet malo, ſeù maleficio: Alterum actionem ſubſtratam malitiæ, in quantum eſt ens, & quid poſitiuum: Alterum malitiam ipſam, & deformitatem, qua formaliter talis actio mala eſt, & mala vocatur. Nam ad actionem illam ſubſtratam concurrit, non autem ad malitiam. Quare ſecundùm illos duos reſpectus videndum, quomodo Deus dicatur maleficia permittere Pro ſubſtrato, ſeù pro Materiali: & quomodo Pro per ſe ſignificato, ſeù pro Formali. Quod ſequentibus declarabitur. 54

In permiſſione maleficij duo concurrunt Actio ſub ſtrata malitia Malitia ipſa, id eſt materiale, & formale peccati.

SE-

SECTIO I.

Pro materiali.

Deus cũ ſit cauſa omniũ rerum vniuerſalis, influit in totã ſubſtãtiam, & effectum. Concurrendo cũ omnibus creaturis Cooperãdo cum qualibet cauſa ſecunda.

55 MAla, ac maleficia, quæ in dies fieri conſpiciuntur, Deus dicitur permittere pro ſubſtrato, ſeu pro materiali, quatenus concurſum ſuum non denegat; ſed tribuit omnibus, cum ſcelerati, & malefici operantur, ſine quo operari non liceret. Cum enim ſit omnium rerum, quæ cæli ambitu continentur, cauſa vniuerſaliſſima, actualiſſima, & immediata, vt docet D. Bonauentura *in primo ſent. diſt.* 45. *ar.* 1. *q.* 2. & vniuerſi Thelogi, certum eſt, illum in totam ſubſtantiam, & totum effectum earum, etiã ſine cooperatione alterius cauſæ particularis, influere; Concurrendo cum omnibus creaturis: Cooperando cum qualibet cauſa ſecunda: vt duobus articulis patefiet.

ARTICVLVS I.

Concurrendo cum omnibus creaturis.

Concurrit tã intrinſecè, vt ſine eius concurſu nihil fieri poſſit In Creaturis In Cæleſtibus.

56 DEus cum omnibus creaturis operãtibus cooperatur, & concurrit tam intrinſecè, & immediatè, vt ſine concurſu illo nihil in vniuerſa mundi machina fieri poſſet, omneſquè creaturæ cæleſtes, terreſtres, & inferæ inani torpentes otio ne minimum quidem effectum producere valerent.

§. I.

ASſumamus pennas ſicut columbæ, & præpeti volatu aſcendamus in montem Domini ad cæleſtem contemplandam Ciuitatem, quam lætificat fluminis impetus: quid videbimus in Beatis eius ciuibus, qui inebriantur ab vbertate domus Dei, & potantur torrente voluptatis, niſi ſummam cum Deo vnionem per actus beatificos viſionis, amoris, & poſſeſſionis interminabilis, quibus ita Diuinæ Maieſtati adhærent, vt ab ea ſeparari per aliquod peccatum nequeant? Vnde putas, procedit illa impoſſibilitas ad peccandum? An fortè, quia non habent liberum arbitrium, vt poſſint velle bonum, & malum, & operari iuſtitiam, aut iniquitatem? Sed quis dubitat, illos libera præditos eſſe facultate, & per conſequens potentiam habere remotam ad peccandum? Non tamen peccant, nec peccare poſſunt vllo modo: quia eorum voluntas proximè præuenitur à cauſa ſuperiore, nempè, à voluntate diuina eam determinante ad vnum oppoſitum, nimirum, ad actum beatificum viſionis, & dilectionis diuinæ, ad quem Deus continuè concurrit, & agit; nec vult agere, & concurrere ad actum oppoſitum, ſcilicet, peccaminoſum, ideò non poſſunt ampliùs peccare: quia ceſſare non poſſunt ab ijs actibus beatificis: vt ſubtiliter probat Scotus *in* 4. *ſent. d.* 49. *q.* 6. ac D. Bonau. loco cit.

§. II.

DEſcendamus nunc in Infernum viuentes, ne mortui deueniamus in hunc locum tormentorum: Quàm horrenda dæmonum ſors, & quàm deplorandus ſtatus damnatorum, cum ſuper vtroſquè pluat Dominus laqueos, ignem, ſulphur, & ſpiritum procellarum; & turbati timore horribili deſperatæ ſalutis æterno torqueãtur ſupplicio, in quo poſiti quid agunt, quàm Deum vltorem ſcelerum continuis laceſcere conuitijs, & excreſcente ſuperba malitia, noua crimina veteribus addere: ità vt non poſſint, aut peccatorum fructuosè pœnitere: aut actũ meritorium elicere bonum? Quæris, cur illam impoſſibilitatem habeant ad pœnitendum, & benè merendum? Certè non ex priuatione liberi arbitrij, cum illa facultas in eis inſit, & per conſequens potentia remota ad vtrumquè, ſed ex defectu propinquę. Operatiuum enim non eſt in potentia propinqua ad operandum, niſi quando nihil extrinſecum deficit, vt operetur. Extrinſecum autem principaliter requiſitum eſt diuina voluntas concurrens cum cauſa ſecunda ad omnem effectum, tamquam cauſa vniuerſalis, actualis, immediata, quæ ex decreto diuinæ Iuſtitiæ non vult cum illis concurrere ad actus pœnitentię, & dilectionis diuinę: quia ſunt in termino, & extra omnem merendi ſtatum. Quarè de potentia Dei ordinata impoſſibile eſt eis peccata deflere: aut quid ſimile operari, quo poſſint ad Deum accedere, à quo finali ſententia irreuocabiliter ſunt ſeparati, & flammis æternis addicti: vt latè docet Scotus *loco citato*. 57 *Inferis.*

§. III.

REgrediamur ab his extremis in terram viuentium, quæ ab vtroquè aliquid participat, quia media eſt; poſſunt enim eius habitatores & conuerti, & peruerti, operari bona cum Beatis, & mala cum damnatis peragere: quia quòcumq. ſe vertant, vel bonum, vel malum; eò ſe Deus conuertit ſuo concurſu, à quo non determinantur ad vnum oppoſitorum, cum ad vtrumquè libero ſe poſſint ferre arbitrio; nec magis ad vnum compellantur, quàm ad aliud. Si ad bona ſe vertunt, operatur cum illis, & ſuo concurſu naturali, & ſupernaturali gratia, teſte Paulo Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Si ad mala, & maleficia ſe conuertant, omnibus ordinariè cooperatur, non gratiæ auxilio; ſed concurſus naturalis miniſterio. *Omnia enim* ſecundùm Ioannem cap. 1. *per ipſum facta ſunt*. Qualis autem ſit iſte concurſus, quem in maleficijs impartitur Deus, patebit in ſequenti articulo. 58 *Terreſtribus.*

ARTICVLVS II.

Cooperando cum qualibet cauſa ſecunda.

DEus maleficia pro materiali dicitur permittere, cum non impedit cauſam ſecundam ſuum actum phyſicum producentem, ei ſuum ſubtrahendo auxilium; ſed vnà cum ea cooperatur, ſuum illi impertiendo influxum, & concurſum Generalem, Indifferentem, & Purum. Vndè in malorum, ac male- 59 *Cũ qualibet cauſa ſecũda operanti coo*

ſi-

peratur Deus sūt influxum impertiēdo.

leficiorum permiſſione rutilanti ſoli meritò comparatur. Sol, vt mundi oculus omnes eius partes è ſummo cælorum luſtrat, cum omnibus generaliter lucem infundit, & calorem, quibus omnes ſublunares creaturæ vegetant, ſentiunt, generant, mouentur, & agunt; Deus, vt primum principium generalem ſuum concurſum, & influxum omnibus creaturis impartitur: quia omnes ab illo dependent homines præcipuè in triplici dependentia, nempè, in eſſe, viuere, & operari. In eſſe, quia illud, quod eſt tale participatiuè, eſt ab eo, quod eſt tale eſſentialiter, cum ergò omnes ſint entia per participationem, quis neget, omnes dependere à Deo, qui eſt ens per eſſentiam? In viuere; quia, cum à Deo ſint, propter Deum, & in Deo eſſe debent; ſicut entia, quæ cum ſint ab alio, ſicut à cauſa efficiente, ſunt propter aliud, ſicut propter finem; In operari; quia cum cauſæ ſecundæ in omnibus cauſæ primariæ ſubiectæ ſint, ab illius actione dependent, ſine qua ne minimum quidem digitum mouere poſſunt. *In eo enim*, ait Paulus Actuum 17. *viuimus, mouemur, & ſumus:* Ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia. Quare, cum ſic dependeant ab illo primo principio, neceſſe eſt, vt exiſtentiam, vitam, & motum mutuentur ab eius concurſu, qui ordinariè eis non denegatur; ſed communicatur abundè, ſicut & cæteris creaturis, dum quolibet momento cooperatur omnibus actionibus, quæ ab ijs quoquomodo fiunt. Vndè talis concurſus verè dicitur generalis. Eodē enim concurſu, quo Deus cooperatur cum cæleſtibus ſphæris, vt moueantur: aere, vt agitetur: mare vt æſtuet: terra, vt germinet: herbis, vt creſcant: auibus, vt volent: piſcibus, vt natent: animalibus, vt moueantur: eodem concurrit cum hominibus, vt operentur, ſiuè bonum, ſiuè malum; cum in ijs omnibus agat vt cauſa vniuerſaliſſima.

§. I.

60 *Indifferentem.*

SOl omnibus ſublunaribus æqualem confert lucem, quæ tamen pro diuerſa rerum conditione varia operatur. Aliæ vegetant; aliæ creſcunt: aliæ ſentiunt: induratur lutum, liqueſcit cera, & huiuſmodi. Deus æquali concurſu cooperatur cum omnibus creaturis; quia ab illo, tanquam à primo principio dependent. Etenim *in omni ordine eſſentialiter vno, oportet, quòd omnia illius ordinis reducantur ad vnum aliquod, à quo dependeant ſecundùm rationem illius ordinis*, teſte Ariſt. 10. Metaph. puta, ſecundùm rationem cauſalitatis; alioquin non eſſet ordo per ſe vnus. Quare, cum omnium entium ſit ordo eſſentialis per ſe vnus, neceſſe eſt, in ipſis dari vnum ens, quo omnia ſecundùm realem ordinem eſſentialiter dependeant; quod aliud non eſt, quàm Deus Opt. Max. à quo omnia eſſentiam, vitam, & operationem ſortiuntur mediante illius concurſu, qui, vt ab illo tanquam à primo principio procedit, indifferens eſt, & indifferenter tribuitur omnibus hominibus; ſed determinatur ab vnoquoq. iuxta proprias inclinationes: cum eodem concurſu, quo quis brachia mouet, vt proximum percutiat, poſſit porrigere eleemoſinam. Vnde quando concurrit cum Veneficis, non illos impellit ad maleficia peragenda ſuo concurſu, quo, vt potè indifferenti vti poſſent ad bona præſtanda, ſi malitia ſua non excæcarentur.

§. II.

SOl denique puram rebus ſenſibilibus exhibet lucem, quæ etſi omnia illuſtret, & æqualiter diffundatur ſuper amenas hortorum ariolas, & lutuoſas paludes, aut fætentes lacunas, non tamen ſordeſcit. Deus purum largitur concurſum mortalibus, quamuis enim ad mala, & maleficia peragenda à peccatoribus determinetur, non tamen infert, aut contrahit malitiam: quia ad actiones illas, inquantum ſunt entia poſitiua, vt generalis cauſa concurrit: non verò inquantum malę ſunt, & defectuoſæ, vt mox dicemus. 61 *Purum.*

Quapropter concludendum eſt, Deum dici mala permittere, & maleficia, prout generalem, indifferentem, & purum illum concurſum maleficis non denegat, per quem ſic concurrendo non magis influit in maleficium, quàm in naturalem aliā hominis operationem, motum beſtiæ, aut arboris alicuius augmentum. Attamen per hunc concurſum generalem, indifferentem, & purum non eſt aſſerendum, niſi impropriè, Deum velle maleficia dicendo: Deus vult hunc vexari à dæmone: voluntas Dei eſt, vt talis perſona ſit maleficiata, ac vexetur à dæmone: hæc vexatio eſt à Deo, & ſimiles locutiones quorundam ſpiritualium hominum, ſed ſimplicium: ſunt enim impropriæ hæ locutiones. Nam actiones, & paſſiones, & cuiuſcumquè generis operationes attribuuntur cauſis proprijs, & immediatis, & non vniuerſalibus: Combuſtio namque igni, & non cælo attribuitur; etſi cælum ad combuſtionem concurrat: Deus ſua generali permiſſione, & concurſu non vt cauſa particularis, & propria; ſed vt cauſa vniuerſalis, & indifferens concurrit ad maleficia, ideò ei attribui non debet talis vexatio. Sol, & homo concurrunt ad generationem hominis: non tamen homo dicitur filius ſolis. Deus, & Leo concurrunt ad generationem Leonis; non tamen eſt dicendnm: Deus generat leonem, ſed Leo. Denominatio enim actionis non fit à cauſa vniuerſali, & indifferente, ſed à cauſa propria, & particulari.

62 *Ideò dicitur maleficia permittere pro materiali, inquantum illū influxū omnibus largitur. Ratione cuius non debet dici maleficia velle, niſi impropriè.*

Ex quibus omnibus patet manifeſtè ſumma Dei dignatio, qui vt cauſa vniuerſalis, indifferens, & pura, concurrere nō detrectat cum coniuratis hoſtibus, & dęmonū mancipijs in illis eiſdem actibus, quibus Maieſtatem ſuam tàm grauiter offendunt. Maxima è contra hominis malitia, qui continuo Dei concurrentis beneficio exiſtens, viuens, & operans, ſine quo non poſſet nec moueri, nec viuere, nec exiſtere, non veretur illo abuti ad peccata committenda; quibus ſuum benefactorem prouocat. De qua deteſtanda ingratitudine iuſtè conqueritur per Prophetam Iſaiā c.43. *Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Quia non lubens, ſed dolens cum peccatore materialiter concurrit. 63

SECTIO II.

Pro Formali. 64

Deus maleficia à formali dicitur propriè permittere Non concurrēdo ad malitiam.

QVamuis maleficia, ac mala pro ſubſtrato, ſeù materiali ſumpta Deus dicatur permittere, cum qualibet creatura ad actum phyſicum, ac poſitiuum concurrendo, ac cuilibet cauſæ ſecundæ per ſuum influxum, ac concurſum generalem, indifferentem, & purum impertiendo; Attamen cum actio malefica à ſubſtrato malitiæ non denominetur; ſed formaliter ab ipſa voluntatis malitia, ac deformitate

Non cohibēdo malitioſam operationem. nomen ſumat, Deus dici non poteſt propriè maleficia, ac mala permittere ad actum phyſicum, & materialem concurrendo, & cooperando; ſed non Concurrendo ad malitiam, ac deformitatem: Nec cohibendo, ac impediendo actionem maleficam: vt duobus articulis notum fiet.

ARTICVLVS I.

Non concurrendo.

65 *Deus cũ non concurrat ad malitiam, à qua denominātur maleficia, dicitur ea permittere non concurrendo.*

Sanè non mirandum, quòd Deus dicatur concurrere ad maleficia pro materiali ſumpta: cum illa actio malitiæ ſubſtrata ſit ens reale, & quid poſitiuum, conſequenter quid bonum nuncupandum. At maleficium pro formali ſumptum nil aliud eſt, quàm deformis malitia, ſeù malitioſa deformitas. Quis autem neſciat, totam illam actionis peccaminoſæ malitiam, cum non habeat cauſam efficientem, ſed deficientem, vt loquitur Auguſtinus *lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 9.* non poſſe procedere à Deo; cum ipſe ſit ſummè bonus: nec poſſit in aliquo deficere, nec malè operari, nam poſſe peccare, & poſſe deficere pro eodem à D. Auguſtino accipiuntur. Quam veritatem tanquam euidentem confitetur D. Paulus Roman. 9. dicens: *Numquid iniquitas apud Deum? Abſit.* ac Dauid pſalm. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Sed prouenire ab homine, qui natura fragilis, & conuertibilis ad bonum, & ad malum relicto bono praua ſua voluntate ad malum fertur? vel à Dęmone, vt latè probatur art. 2.

§. I.

66 Licèt enim Deus concurrat ad actionem poſitiuam ſubſtratam malitiæ, non tamen poteſt dici ſimpliciter, ac propriè concurrere ad maleficia, ſeù ad quaſcumquè alias actiones malas: quia actio mala non denominatur formaliter à re poſitiua ſubſtrata; ſed à malitia, & deformitate voluntatis, à qua procedit, quæ in ijs actibus humana eſt, vel diabolica, & non diuina. Ità non poteſt Deus dici ſimpliciter, ac propriè maleficia permittere concurrendo, ac influendo; ſed non concurrendo, nec influendo ad malitiam, ideſt, non volendo malitiam, ſeù nullum faciendo actum volitionis reſpectu malitiæ. Ratio eſt: quia concurrendo, non permittit ſolùm id, ad quod concurrit; ſed etiam illud vult. Si enim non vellet, non concurreret. Vndè quia concurrit ad actionem illam poſitiuam maleficij, illam vult: & quia vult, ſequitur non ſimpliciter, ac propriè illam permittere: cum ſimplex permiſſio nullum habeat actum directum voluntatis efficacis. Non concurrere autem ad aliquid, idem eſt, quod illud non velle, ſeù nullum facere actum voluntatis reſpectu illius: ſic non volendo, nec approbando illud propriè, ac ſimpliciter dicitur permittere. Quare cum Deus ad malitiam non concurrat, à qua denominatur actio, ſequitur, quòd illam, quando fit, non vult, nec approbat; & cum non velit, nec approbet, ſimpliciter, ac propriè illam permittat. Quod eruditè docet etiam Franciſcus Suarez par. 2. tract. de Angelis lib. 8. cap. 20. num. 3. vbi loquens de dęmoniacis obſeſſionibus, ac vexationibus, quibus homines à dęmone affliguntur, ait: *Sicut facultas tentandi non eſt ex poſitiua Dei ordinatione; ſed ex permiſſione: ita hæc poteſtas nocendi in ordine ad talem finem, (ſcilicet peccatum) tantùm eſt ex permiſſione diuina, ſuppoſita naturali poteſtate, quam dæmon ad nocendum habet: eſt enim in vtraque licentia eadem ratio.* Et infra exponens ſententiam Diui Anſelmi, lib. 1. *Cur Deus homo cap. 7.* afferentis huiuſmodi pęnas à dęmone inflictas nunquam fieri Deo iubente, ſed tantùm permittente ait: *Quando pęna eſt tantùm ad probationem, & exercitium, licèt ſupponat generalem ſtatum naturæ lapſæ, cum tamen non ſupponat proprium reatum talis pęnæ ex proprio, ac perſonali peccato contractum, non eſt à Deo volente, ac iubente, ſed permittente: quia non habet intrinſecè illam æquitatem iuſtæ punitionis, & vindicationis.*

§. II.

Hoc magis, ac magis probatur ex cap. 1. Ioan. vbi ait: *Sine ipſo factum eſt nihil.* Quid enim ſignificatur per illud *nihil*, niſi peccatum, ac malitia actionum, quæ fiunt ſine Deo volente, & approbante, vt exponit Origenes *tom. 2.*? Quæ malitia, ſeù *peccatum nihil eſt*, ideſt, *non ens: quia ſi ens eſſet à Deo factum eſſet, qui omnium entium eſt cauſa prima, & generale principium; ſed quia non eſt ens, à Deo factum non eſt. Et ſi factum eſt*, vt ſupponit Euangeliſta, *à dęmone, vel ab homine factum eſt, qui illud faciendo defecerunt: cum facere ſit entium, deficere non entium. Nec defecerunt ſolùm; ſed non entia facti ſunt* (moraliter loquendo:) *quia qui peccat, facit non ens*, ideſt, *peccatum: & fit non ens*, ideſt, *peccator: quia peccatum in ſuo formali non eſt quid reale; ſed deordiuatio, deformitas, & pura priuatio ordinis, conformitatis, & rectitudinis ad ſuam regulam.* Vndè rectè S. Auguſt. ac D. Bonauent. in Ioan. cap. 1. ſic legunt: *Sine ipſo factum eſt nihil*, ideſt, *peccatum, quia peccatum nihil eſt: & nihil fiunt homines, cum peccant.* Quocirca à Sapiente Regina Heſter *cap. 4.* vocantur non entia, cum dicit: *Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt.* Vndè & Verinus Poeta canit his verſibus: 67 *Probatur ex Ioanne.*

Peccatum eſt difforme malum tranſgreſſio legis
Diuinæ, & citiùs dixeris, eſſe nihil.

Quare cum maleficia pro formali ſumpta ſint non entia, ſeù nihil, ac puræ priuationes rectitudinis, Deus dici non poteſt ſimpliciter, ac propriè illa permittere concurrendo, volendo, & approbando; ſed non concurrendo, non volendo, non approbando per actum poſitiuum volitionis.

ARTICVLVS II.

Non Cohibendo.

Verùm cum nihil in rerum natura videatur euenire poſſe, quod illud Deus non velit, & ſi illud velit, quod etiam non approbet, & non cohibeat, noua oritur difficultas, ac ratio dubitandi: An Deus dicatur maleficia permittere, ea cohibendo: vel non cohibendo. 68 *Deus dicitur propriè maleficia permittere, quatenus non cohibet actionem malitioſam.*

Pro cuius difficultatis explicatione ſciendum ex Scoto *in 1. ſent. diſtinct. 47.* Guilhelmo Vorill. Tatareto, & alijs Scoti ſectatoribus, In omni Dei permiſſione tria inuolui.

Primum

§. I.

In permiſſione concurrunt ſciẽtia Dei.

PRimum eſt ſcientia : Deus enim præuidet, & ſcit, quòd fiunt mala, puta, maleficia ; Si enim neſciret, non diceretur permittere. Sicut prælatus, dum ignorat, quòd ſubditus malum facit, non dicitur permittere eum malum facere ; ſed cum ſcit, & non prohibet, nec impedit.

§. II.

Nõ velle

SEcundum eſt non velle, mala fieri, ideſt, non velle illa vel approbare : vel cohibere; & impedire. Nam actus diuinæ voluntatis Primò vel accipitur per modum volitionis ; & ſic dicitur volitio. Secundò aut per modum nolitionis, vt dicatur nolitio ; & ambo ſunt actus poſitiui ad modum duorum contrariorum in nobis ; ſed in Deo ſunt vnicus actus voluntatis ſimplicis ; & eſt ibi differentia tantùm ratione obiectorum. Tertiò vel accipitur, vt ſignetur per modum non volitionis. Et dicitur non volitio actus puræ negationis, nihil ponens. Vndè nolitio opponitur contrariè volitioni, ſicut odium, & amor. Non volitio verò contradictoriè opponitur volitioni.

Ad propoſitum autem propriè loquendo Deus habet velle reſpectu bonorum; & habet nolle reſpectu malorum, quæ ex toto cohibet, & impedit, ne fiant. Sed habet non velle, ideſt, nullum habet actum volendi reſpectu malorum, quæ permittit. Vndè communius eſt non velle, quàm nolle : quia nolle eſt reſpectu malorum tantùm, quæ omninò cohibet, & impedit. Sed non velle eſt reſpectu tam malorum, quæ omnino cohibet, quàm eorum, quæ permittit : quia tam reſpectu iſtorum, quàm illorum nullum habet actum volendi. Idcircò quemadmodum album, & nigrum ſunt contraria ; ſed album, & non album ſunt contradictoria ; Et non album communius eſt, quàm nigrum: quia omne nigrum eſt non album ; ſed non omne non album eſt nigrum : quia rubeum eſt non album, nec tamen eſt nigrum. Ità dicendum eſt de actibus diuinæ Voluntatis : Nam ſi Deus haberet ſimplex nolle, ne hoc malum, puta, maleficium fieret, numquam poſſet fieri : quia illud cohiberet. Hoc autem nõ habet reſpectu malorum, quæ euenire permittit ; ſed habet non velle, ideſt, non habet aut velle : aut nolle: vel dicamus ſub alijs verbis : ea non approbat concurrendo ad formalitatem ipſorum, vt probatum eſt præcedenti articulo : nec cohibet, illa impediendo, ne eueniant : ſic propriè dicitur permittere maleficia, licèt illa non velit fieri ; ideſt licet illa non approbet per actum poſitiuum volitionis : nec cohibeat per actum poſitiuum nolitionis.

Quoddã velle reflexum.

Tertium eſt quoddam velle, quo vult, ſe non velle mala fieri, nempè, aliquod velle diuinum reflexum ſuper huiuſcemodi non velle.

Et ita illa permiſſio tria dicit in Deo : vnum in intellectu, videlicet, ſcientiam, & duo in voluntate, ſcilicet, non velle ; & velle non velle, ideſt, velle non approbare, nec cohibere.

§. III.

EX quo patet euidenter, quòd cum in maleficiorum permiſſione in non concurrendo, & non 69
cohibendo non reperiatur aliquod velle, vel nolle : & in concurrendo iunctum ſit velle concurrere, Deus dicendus eſt ſimpliciter mala, & maleficia permittere, non quando concurrit ; ſed quando non concurrit, & non cohibet, ſeù non impedit actionem malitioſam, circa cuius malitiam nullum rectum habet actum volendi.

Et ita nõ eſt auctor nec cooperator maleficiorũ.

Quamobrem concludendum eſt, Deum mala permittendo, ut tot maleficia, quæ quotidiè Malefici patrant, nullo modo illorum eſſe auctorem, nec cooperatorem malitiæ ; ideòquè nec poſſe dici, niſi impropriè, Deum maleficia uelle, licèt ea permittat. Sicut quando quis ſuffocatur in aquis : uel cadit in puteum : uel occiditur ab homine, non dicimus, Deum hæc uelle, aut operari, quamuis illa permittat concurrendo ad actionem phyſicam, vt cauſa uniuerſalis ; ſed dicimus, hunc ex inaduertentia cecidiſſe : illum ex inertia fuiſſe ſuffocatum : alterum ex malitia inimici occiſum : ſemper in cauſas ſecundas proximas, & particulares effectus reducentes. Sic uexationes diabolicæ non ſunt Deo tribuendæ niſi permiſſiuè, quamuis Deus earum ſit cauſa uniuerſalis : cum potiùs per uoluntatem ſigni manifeſtetur Deus, quantum eſt ex parte ſua uelle oppoſitum, nempe, liberationem à maleficio, & à quacumque dęmoniaca uexatione : cum ſpiritualia tradiderit remedia, quibus huiuſmodi deſtruuntur dęmoniacæ operationes, dęmones expelluntur, & fideles eum fiducialiter inuocantes à quacumque uexatione dęmoniaca liberantur, ac præſeruantur. Solùm ergo dęmonem, uel hominem mali cauſam eſſe nemini eſt ambigendum, qui talento optimo, nempè, generali, indifferenti, & puro illo concurſu in ſuam perniciem abutitur ; quamuis tam liberaliter illo donatus ſit à Patre familias, vt eo utatur ad ſalutem : Et ideò tantò grauiùs eſſe plectendum, quantò ingratiùs ſuum benefactorem offendit.

CAPVT II.

Quare Deus maleficia permittat.

CVm ex maleficiorum permiſſione tot mala quo- 70
tidiè humano generi inferantur, quibus indiſtinctim videmus innocentes cum noxijs inuolui : cur Deus, qui eſt pijſſimus, benigniſſimus, ac clementiſſimus non impedit, nec cohibet; ſed permittit ea in dies hominibus inferri ? Nonne ſatius eſſet, talem denegare permiſſionem, quàm illam concedere etiam limitatam ? Reſpondet S. Bonau. *in 1. ſent. diſt. 47. q. 3.* hoc ordinatiſſimè fieri propter bona, quæ ex illa procedunt ſiuè ex ordine rerum in Vniuerſo : ſiuè ex ordine rerum in finem: vt ſequentes ſectiones declarabunt.

Deus maleficia permittit ob bona indè prodeuntia Ex ordine rerum In Vniuerſo, & In Finẽ.

✠

SECTIO I.

Ex ordine rerum in Vniuerſo.

71 ET certè hoc exigere illum ordinem, patet ex eo, quòd mala ad Vniuerſi conferant complementum, inquantum illorum permiſſionem conſequitur bonorum aggregatio, per quam rerum vniuerſitas perficitur. Verum quidem eſt, malum neq. per ſe, neque per accidens facere ad perfectionem, & decorem eſſentialem Vniuerſi; Illud enim per ſe confert ad perfectionem alicuius totius, quod eſt pars conſtituens ipſum; vel cauſa alicuius perfectionis in ipſo. Et quia malum non eſt pars Vniuerſi, cum non habeat naturam ſubſtantiæ, neque accidentis; ſed priuationis tantùm; nec etiam per ſe cauſat aliquod bonum; ideò per ſe non poteſt conferre ad illius pulchritudinem; immò potius infert fœditatem, cum ſit priuatio boni, & pulchri ſecundùm S. Dionyſium. Quarè Deus, qui bonus, & ſummè perfectus meliora, & perfectiora facere conſueuit, ſine malis mundum creauit ab initio: & mundus ante peccatum erat in bonitate perfectus iuxta illud Geneſ. 1. *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Quod ratio ipſa docet: quia illud pulchrius, & melius eſt, quod minus malo miſcetur, & purius in bono conſiſtit. Veruntamen in confeſſo eſt, malum ad Vniuerſi accidentalem perfectionem, & decorem occaſionaliter conferre, inquantum coniungitur alicui bono, quod eſt de eius perfectione: vt patebit, ſi conſideremus ordinem, quem habet ad triplex bonum Subſtratum, Oppoſitum, & Elicitum.

Malum per ſe mundo. Perfectionem non infert. Fœditatē infert. Tamen confert occaſionaliter ad perfectionem eius accidētalem ſecūdum ordinem ad bonū Subſtratum, Oppoſitū Elicitū.

ARTICVLVS I.

Quantum ad bonum Subſtratum.

72 PRimò enim malum, ac maleficium ordinatur ad bonum, quod ei ſubſternitur, nempè, naturam defectibilem, quæ, vt talis eſt, Vniuerſum decorat, & perficit. Quis enim neget, magnum accedere illi decorem ex eo, quòd ſicut reperiuntur creaturæ liberæ natura defectibiles, nempè, homines, quibus, cum Deus dederit libertatem arbitrij, quo liberè poſſunt bonum, & malum agere, debuit permittere, vt, illis agentibus ex præſcripto naturæ ſuæ, poſſent operari, ne illa libertate priuarentur: quia ad eius prouidentiam ſpectat, vt vnaquæque creatura naturæ ſuæ relinquatur, nec ſemper impediatur in ſuis officijs obeundis. *Prouidentia*, ait S Dionyſius c. 4. de diuin. nomin. *non deſtruit naturam, ſed conſeruat.* Et Auguſtinus lib 7. de Ciuit. Dei c. 30. *Adminiſtratio vniuerſitatis eſt, vt Deus ſic res conditas adminiſtret, vt eas agere proprios motus ſinat.*

Bonū ſubſtratum malo eſt natura defectibilis, & libera.

§. I.

73 HÆc autem libertas eſt ſummum bonum naturæ intellectualis, ex quo tanquam è fonte riuuli alia bona ſcaturiunt, omnes nempè virtutis actiones, & omnia opera meritoria, quæ à mundi exordio facta ſunt, & fient vſque in finem. Cur enim actiones ſunt virtutis; & quarè mercedem merentur temporalem, aut æternam; niſi quia liberæ factæ ſunt: niſi quia homines ſuo arbitrio, & libertati relicti fuere? quia ſi fuiſſent amara neceſſitate compulſi ad illa peragenda, nec actiones virtuoſæ eſſent: nec opera meritoria; cum virtus coacta non ſit virtus, ſed ſeruitus: Et operibus neceſſariò factis nulla debeatur remuneratio: vt eruditè docet D. Bonau. *in 2. diſt 25. ar. 2. q. 1.* Quantum ergò, putas, pulchritudinis confert Vniuerſo illa libertas, ex qua tanta fluit bonorum abundantia, vt nec cogitatione comprehendi poſſit?

Libertas eſt ſummum bonū naturæ intellectualis

Ex qua prodeūt plura bona.

Quarè ſi mala non permitterentur, tollerentur à mundo naturarum diuerſitas, & ab homine libertas: Sublata libertate, bona liberè facta: Sublatis bonis, merita: Sublatis meritis, præmia, & remunerationes. Vt è contra, poſita libertate ſequuntur bona libera: ex bonis liberis procedunt merita, ex meritis honor, gloria, coronæ in hoc ſæculo, & in futuro; Ideò neceſſarium fuit, vt diuina Prouidentia homines non cogeret, ſed fineret vnumquemq. ſpontè ferri vel ad bonum; vel ad malum; ne ſi malum non permitteretur, & amouerentur naturæ defectibiles, ſubtraherentur tot gradus bonitatis, & pulchritudinis ab Vniuerſo: vt benè teſtantur D. Bonau. *loco cit.* Guilhelmus Vorillon *ead. diſt.* D. Bernardus *de lib arb.* Pelbartus *tom. 1. Roſar. ver. Permiſſio* §. 4. & communiter omnes Patres, & Theologi.

Ideò ne tollatur illud bonum, ex quo tot bona procedunt, permittēda sūt mala.

§. II.

QVod ſi ex illa libertate ſequantur etiam plura mala (quæ totaliter non conſumunt bonum, in quo ſunt tanquam in ſubiecto; ſed graue damnum inferunt) non tamen æqui paranda ſunt bono communi naturæ intellectualis, & rationalis, nempè liberati arbitrij, & electionis, ex quo tot particularia bona procedunt; Et ideò vt bonum illud naturæ conſeruaretur, permittenda fuere mala: ac maleficia; quia bonum vniuerſæ ſpeciei præferendum eſt bono ſingularium, quod accidentalibus ijs malis imminuitur: *ſicut maius, & diuinius eſt*, ait Ariſtoteles 1. Politic. c. 2. *bonum vnius ciuitatis acquirere, & conſeruare cum præiudicio aliquorū ciuiū, quàm ciuibus velle conſulere cum damno vniuerſæ Ciuitatis.* Sic in creatione animæ rationalis, quia naturæ ordo exigit in vniuerſo, Conditorem naturæ appetitum naturæ adimplere; cum illa in fœtu hominis animam appetat rationalem, vt huiuſmodi appetitui, qui eſt de perfectione ordinis Vniuerſi fiat ſatis, in vltimo inſtanti perfectæ corporis organizationis Conditor naturæ creat animas, etſi earum plures eſſe damnandas, certò ſciat: quia bonum commune ſpeciei bono priuato indiuiduorum eſt præferendum, vt tradit D. Bonauent. in 2. d. 32. a. 3. q. 2. Quare præſtat, diuinam Prouidentiam mala, & maleficia ad interitum quorundam indiuiduorum permittere, quàm illa impediendo totius ſpeciei libertatem vel impedire, vel retardare: cum mala permittendo, ab illis homines auocare ſtudeat, & ad bona prouocare propoſitis præmijs, & ſupplicijs. Dignitas enim æterni præmij tanta eſt, vt abundè ſufficiat ad inflammandos affectus ad omnem virtutem, & ſanctitatem: Pari modo ſupplicia æterna, ſi benè perpendantur, ſatis ſunt ad ſceleratos ab omnibus flagitijs deterrendos, vt benè monet Horatius *Epiſtol. lib. 1. epiſt. 17.* 74

Oderunt peccare boni virtutis amore
Oderunt peccare mali formidine pœna.

Nec obſtat quod ex illa libertate ſequuntur mala quia totaliter non conſumat bona: Nec ſunt æquiparāda bono communi naturæ. Sic Deus creat animas, licet ſciat, plures eſſe damnandas.

AR-

ARTICVLVS II.

Quantum ad bonum oppoſitum.

75 SEcundò malum habet ordinem ad id, quod eſt ei oppoſitum, nempè, bonum, in quo non parum auget pulchritudinem, & perfectionem Vniuerſi, quæ ex illa oppoſitione conſurgit, inquantum per eam bonum, & clariùs agnoſcitur, & ardentiùs appetitur. Hanc enim Deus ſtabiliuit diuerſitatem in hoc mundo, vt vnicuique rei contrarium aliquod ſiuè in naturalibus, ſiuè in moralibus aſſignatum videatur.

Ex malo inquantum habet ordinem ad bonũ oppoſitum pulchritudo mũdi conſurgit. Quia bonum ex malo. Clariùs agnoſcitur.

In naturalibus calor, & frigus: humidum, & ſiccum: tenebræ, & lux: ignis, & aqua: motus, & ſtatio: vigiliæ, & ſomnus: ſanitas, & infirmitas: tempus, & æternitas: immenſitas,& circunſcriptio: infinitum, & finitum: ſerenum, & tempeſtas admiranda varietate, & iuſta ordinatione opponuntur.

In moralibus malum bono aduerſatur, contemptus honori, penuria abundantiæ, ignominia gloriæ, paupertas copiæ rerum, corruptio integritati, triſtitia gaudio, diſplicentia voluptati, & odium amori. Deniquè virtutes, & vitia inter ſe mira contrarietate concertant, vt verè dictum ſit à Sapiente *Eccleſ.*33. *Contra malum bonum eſt, & contra vitam mors: ſic & contra virum iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. Duo contra duo; & vnum contra vnum.* Ex quibus oppoſitionibus ſicut gratior, & pulchrior reſplendet facies Vniuerſi: ita boni pulchritudo ex mali deformitate clariùs patet intuentibus: vt monet philoſophicum effatum lib.2.de cælo, & mundo: *Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.*

§. I.

76 NEc clariùs patet ſolùm intellectui; ſed etiam ardentiùs appetitur à voluntate; Nam carentia boni, & indigentia ipſius auget appetitum,præcipuè quando quis caret aliquo modo eo,quod aliàs habuit. Quanta anſietate viator, vt alter Iob rurſum poſt tenebras ſperat lucem ſurgentis auroræ, & ſolis orientis? Aut quantis affectuum ardoribus infirmus exardet ad ſanitatem toties concupitam?Non minori deſiderio homo fertur in bonum, cum malo opprimitur. Malum enim ærumnis, anxietatibus, diſpendijs, & afflictionibus plenum eum prouocat ad bonum commodis, conſolationibus, & delicijs affluens ardentiori ſtudio ſectandum, & conquirendum, vt conquiſitum inueniatur, retineatur inuentum, & retentum poſſideatur. Nec eſt ei aliquid pulchrius, aut gratius, quàm ſi poſt malum anxiè toleratum, tandem bono diù deſiderato, ſolicitè conquiſito, gaudenter inuento, & ſuauiter retento gaudere delicioſè poſſit.

Ardentius amatur.

Conſideremus vnum, quem à ſpiritu immundo Deus permiſerat obſideri,de quo *Matthæi* 8.& *Marci* 5. Ecce hic miſer habitabat in monumentis, quo quid magis homini exoſum? ita furijs agitabatur, quòd neque catenis quiſquam poterat eum ligare, quoniam ſæpè compedibus, & catenis vinctus dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet; ità ſæuus, quòd nemo poterat eum domare: nec poterat tranſire per viam illam. Hic videns Ieſũ à longè cucurrit, adorauit eum,& clamans dæmon voce magna dixit: *quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei Altiſſimi. Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Sed ecce Saluator Mundi illius hominis miſerans eum liberauit à dæmone; quem cum vidiſſent incolæ illius regionis ſedentem, veſtitum, & ſanę mentis prædicantem in decapoli, quanta ſibi feciſſet Ieſus, obſtupebant, & admirabantur omnes. Sed vndè hæc admiratio? Cur priùs non admirantur videntes eum furijs agitari, viuentem habitare cum mortuis, humanitate præditum beſtialem præſeferre ſæuitiam, ac naturaliter ad bonum propenſum ſeipſum lapidibus concidentē,ſibiquè alia mala inferentem? Nonne hæc potiùs miranda? Cur igitur nonniſi, cum à dæmone liberum, quietum, ſanum, pacificum, & tranquillum conſpiciunt? Dicamus ergò, ex bono adepto poſt tot mala perpeſſa hanc ortam admirationem. Quid mirabilius, quàm hominem inſanę mentis illicò ſanam poſſidere mentem? Quid gratius, ac iucundius, quàm ſæuum, & crudelem, ſe totum mox exhibere mitem,humilem, pacificum, ac manſuetum: priùs Ieſu præſentiam ægrè ferentem, & abhorrentem. ac de aduentu eius conquerentem;dehinc illius ſtatim aſpectum gaudenter appetentem, ac ſequelam conquirentem? Vndè tam ſubitanea mutatio? Ex malo vtiquè recenter paſſo bonum oppoſitum ab eo cæpit clariùs agnoſci, ardentiùs appeti, & ſuauiùs retineri, eoque dono meliùs, ac perfectiùs vti.

§. II.

SI ergo nullum daretur malum, cuius oppoſitione bonum tam clarè agnoſcitur, tam ardenter 77
amatur,quanto decore mundus priuaretur? Sic enim nec vitij deformitas, nec pulchritudo virtutis poſſent ab hominibus percipi; & per conſequens nec vitari vitia, nec virtutes coli: quæ ſi darentur in mundo, quantis, putas, malis deturparetur? quanta bonorum ſeges, qua iam ditatur, & perficitur, illi deeſſet? Certe innumera: cum impoſſibile ſit intellectu aſſequi opera omnia bona, quæ ex horrore vitij, & amore virtutis proceſſere. Quare conueniens eſt à Deo mala, & maleficia permitti, ne mundus talem, & tantam bonorum patiatur iacturam,per quæ noua quotidiè recipit decoris, & perfectionis incrementa.

Si mala non permitterẽtur, mũdus hoc decore priuaretur. Ideò præſtat, mala permittere.

ARTICVLVS III.

Quantum ad bonum elicitum,

TErtiò malum habet ordinem ad bonum, quod 78
ex illo procedit: & ſic confert ad decorem Vniuerſi. Nam ex eo, quòd aliqui malè operantur, multa bona eliciuntur. *Nunquam*, ait Drexelius de conformat. Voluntatis lib. 1. cap.2. §. 1. *Bonitas illa infinita tantam in Orbe malitiam permitteret, niſi maiora inde bona eliceret, & reperta ad perniciem verteret ad ſalutem. Permiſit Deus fraternam inuidiam in Ioſephum innocentem ſæuire, ſed quanto id bono permiſit, non ſolùm parentum, & fratrum, ſed totius Ægypti? Permiſit Deus inſontem Dauid ab impio Saule grauiſſimis iniurijs exagitari; ſed Dauidis, totiuſque Regni hebræi bono maximo. Permiſit Deus Danielem iniquiſſimè accuſatum in Leonum voraginem præcipitari, ſed grandi Danielis ipſius, & plurimorum bono. Deus enim,* vt ait S.Auguſt.in Enchyridion c.11. & 17. *nullo modo ſineret aliquo malum eſſe in ſuis operibus, niſi adeò omnipotens*

Ex malo prout ordinẽ habet ad bonũ, quod ex illo procedit, exurgit decor Vniuerſi

Quia ex malo procedunt Bona Naturalia. Moralia

tens eſſet, & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Vndè ex malis bonum producitur Naturale: vt patet ex eo, quòd ſine corruptione vnius non poteſt eſſe alterius generatio: mors muſcę eſt vita araneæ: & ſi non eſſet occiſio ouis, aut alterius animalis, non eſſet vita Lupi, aut Leonis. Idem dicendum de Morali. Nam ſi nulla eſſet culpa, nulla dartur pænitentia: ſi nulla eſſet pæna, nulla reperiretur patientia: Tolle calamitates, non erit fortitudo: tolle iniurias, non apparebit humilitas: tolle peccata, nullum erit bonum miſericordię per remiſſionem; nullum bonorum iuſtitiæ per punitionem. Si aufers ſæuitiam tyrannorum, vbi gloria martyrum? perſecutiones peccatorum, vbi Iuſtorum merita? Si malum in mundo non erit, non erit humilitas, non temperantia, non miſericordia, non iuſtitia punitiua; exulabunt ergo conſtantia, perſeuerantia, longanimitas, quæ in illo ferendo præcipuè enitent; amandabuntur omnes virtutis actiones: vt charitatis, obedientiæ, reſignationis, quæ in calamitatibus, & exterorum bonorum priuatione, in infirmitatibus, & doloribus corporis, in anguſtijs, & vexationibus ſpiritus vel tolerandis, vel amouendis exercentur; ceſſabunt orationes publicæ, & priuatæ, eleemoſinæ, & opera vtriuſquè miſericordiæ, ieiunia, abſtinentiæ, mortificationes, caſtigationes voluntariæ ad hunc finem ſuſceptæ. Deniquè non dabitur gratia, non gloria pro tot operibus bonis; & ſic nec inſpirationes, excitationes, & motus illi primi, quibus peccator afficitur; nec iuſtificationis miranda beneficia; nec augmenta gratiæ, quæ ex actionibus laborioſis circa mala procedunt; nec vltima Beatitudo, & corona iuſtitię, quæ repoſita eſt pęnitentibus, & iuſtis patientibus. Quod attentè conſiderans Iacobus Billius Anthol. ſacr. cecinit.

Quis, bona quot nobis, quot morbus commoda ſecum
Afferat aduenięns, commemorare queat?
Faſtus abit, cadit ambitio, fugit ardor habendi:
Cum ludis fugiunt turpia verba procul.
Angitur ob noxas mens irrequieta priores
Nec liber ſceleri curſus, vt ante detur.
Ergo (breue vt faciam) ſic ſano corpore viue
Victurum, vt ſpondes, cum malè corpus habet.

§. I.

79 *Ideò permittẽdũ, ne tot bonis priuetur mũdus.*

VIde ergò, quantam pateretur mundus iacturam ex defectu malorum: & è contra malis ſuppoſitis quanta bonorum aggregatione ditatur; atque ex eo collige, quàm conueniens ſit, mala permitti, quæ occaſionaliter illi tanta conferunt bona, ex quibus eius decor, & pulchritudo ita conſurgit, vt etiam etſi melior eſſet ſine malo inſenſiuè: quia tunc eſſet magis ſimile ſummo bono, in quo nihil eſt mali; tamen melior eſt, & pulchrior extenſiuè cum malo: quia clarius bonus eluceſcit ex malo, & magis ipſum bonum probatur. Quare etſi abſolutè mundus ſine malis excedat mundum, qui nunc eſt; comparatiuè tamen mundus cum malis eſt melior: quia bona, quæ ex malis eliciuntur, præualent bonis, quæ corrumpuntur à malo.

Qui abſolutè melior eſt ſine malis Comparatiuè melior eſt cum malis.

§. II.

SEd quamuis nulla alia ſubeſſet ratio huius aſſertionis, quàm ſola D. N. Ieſu Chriſti Paſſio, nonne pluſquam ſufficiens eſſet huic veritati ſtabiliendę? Quot enim bona ex illa, tanquam ex perenni fonte in totam Vniuerſi machinam, & in omnes eius habitatores hactenus promanarunt, promanant indies, & promanabunt in ſæculum ſæculi? Mundus abundantiſſimè locupletatur, cum eius habitatores ſiuè cæleſtes Eccleſię triumphantis, ſiuè terreſtres militantis, ſiuè inferi patientis tot gaudent gratiarum donis ex tam copioſa redemptione abundanter effluentibus, vt iure exclamare poſſimus cũ D. Gregorio, immò cum tota Eccleſia: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Quorum omnium orbis pateretur diſpendium, ſi malum permiſſum non fuiſſet; Et ideò conuenientiſſimè ex ordine rerum in Vniuerſo mala, & maleficia permittenda ſunt, vt bonis illis verè magnis, verè immenſis ſummam pulchritudinem, & conſummatam perfectionem conſequatur. Hanc veritatem confirmat Origen. apud Gloſſ. *Num.* 22. vbi plura adducit.

SECTIO II.

Ex ordine rerum in finem.

SImul etiam concedenda ſunt ex ordine rerum in finem; cum ex tali conceſſione multa bona elicere ſoleat Diuina Prouidentia, ſine quibus ea non concederet, inter quæ Gloria Dei, Eccleſiæ ſplendor, Bonorum profectus, & malorum pæna, vt potiora computantur: vt totidem articulis explicabitur. 80

Prouidẽtia diuina ex permiſſione malorũ multa bona elicit

ARTICVLVS I.

Ob Gloriam Dei.

MAgna equidèm gloria ex malorum, ac maleficiorum permiſſione Maieſtati eius accedit. 81
Quamuis enim in ſeipſa non poſſit augeri, cum ſit infinita; tamen in nobis noua ſuſcipit incrementa, cum magis ac magis diuinæ eius perfectiones oculis noſtris manifeſtantur, vt in ijs permiſionibus, in quibus pro palam fiunt. Prouidentia, quæ maleficia moderatur, & ordinat: *Dæmones enim* ait Auguſt. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 18. *non omnia, quæ volunt facere poſſunt, niſi quantum illis diuina ordinatione conceditur.* Sapientia, quæ ex illis tot bona elicit, vt ipſe Aug. aſſerat in Enchyrid. loc. cit. *Nullo modo ſineret Deus aliquod malum eſſe in ſuis operibus, niſi ſciret de malo elicere bonum.* Iuſtitia, quæ per illa delicta hominum caſtigat, vt teſtatur S. Leo ſermone 19. de Paſſione; *Dignatur ait ſuos, aut corrigere diſciplina, aut exercere patientia.* Miſericordia, quæ maleficos *ſuſtinuit in multa patientia vaſa ire apta in interitum*, ait Apoſtolus Rom. 9. *vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ.* Clementia, quæ tot iniurias patitur: Vnde S. Ghryſoſt. illam admirans ait; *Quæ enim humana clementia diuinæ æquiparari poteſt.* Bonitas, quæ hominem liberum liberè agere ſinit, vt monuit Ieſus filius Sirach *Eccleſ. c.* 15. dicens: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui.* Sed præcipuè Potentia, quæ attingit à fine, vſque ad finem fortiter: quæ talis eſt, quòd *ſolo Dei nomine inuocato* ait S. Gregorius Nazianz. or. 1. *dæmones contremiſcunt.* Quid autem fortius, quàm fortes ipſos compeſcere, & ſua potentia vim coercere eorum, qui principes, & poteſtates, mundique rectores vocitantur? Quod facit quoties aliquid dęmonibus permittit in maleficijs exequendis, legem poenn-

In his permiſſionibus gloria Dei accedit: quia manifeſtantur Prouidentia. Sapiẽtia Iuſtitia. Miſericordia. Clementia. Bonitas. Potentia

ponendo, & ſtatuendo modum, quibus tali permiſſione vti debeant; ita vt nihil aliud moliri poſſint; etſi nõ deficiat animus ad maiora aggredienda: aut potentia ad perficienda, vt agnoſcat vniuerſa hominum multitudo, quàm potens ſit ille, cuius ordinationi reſiſtere nemo poteſt, & ſub quo curuantur, qui portant orbem: Iob teſtante *c. 9.*

Bonis, & malis. Quàpropter talia permittendo euadit glorioſior coràm non ſolùm bonis; ſed etiam malis; illis pręcipuè, qui nihil aliud exiſtere aſſeuerant, quàm quod oculis corporeis patet, negantes ſpiritus, dæmones, Angelos, Deum ipſum. Ipſa etenim illos conuincit experientia: quia, cum tot inſolitos maleficiorum effectus, & portentoſa dęmonum operationes vident, aliquid ſpirituale, magnum, & efficax ſupra corporalia confiteri coguntur. Nec poteſt efficaciùs Athæorum error conuinci, quàm malefica operatione; ità vt iure appellare poſſimus maleficiorum permiſſionem Athæiſmi confutationem, & Diuinæ occaſionem glorię, cuius ſplendor ſic inimicorum oculos perſtringit, vt ſeipſam etiam inuitis obtrudat, & manifeſtet.

ARTICVLVS II.

Ob ſplendorem Eccleſiæ.

82 *Ex permiſſione maleficiorũ patefit, quã potens ſit Eccleſia in ſuis Sacramentis, Rebus ſacris, Benedictionibus Exorciſmis.*

SImilis ſplẽdoris acceſſus fit Eccleſiæ ſanctæ Dei, & eius miniſtris; ita enim omnibus pateſit, qualis, & quanta ſit Eccleſia, quæ Sacramenta adminiſtrat ita efficacia; res ſacras adhibet tam ſanctis; benedictionibus, & precationibus vtitur tali vi præditis, vt quod Medicorum turba cum ſuis compoſitionibus, euacationibus, & operationibus in tanta remediorum differentia facere non poteſt, vnius ſacramenti, & ſacræ precationis virtute perficiatur.

§. I.

NEc mirum: Nam cum ſancta Eccleſia ſit ſponſa Chriſti, qui ipſius eſt caput, & ſponſus, ipſe per paſſionem, & mortem ſuam totam à dæmonibus nocendi hominibus ſufficienter abſtulit facultatem: vt dicitur *Ioan. 12. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Quod teſtatur etiam Paulus ad Coloſ. 2. dicens *exſpolians principatus, & poteſtates:* Dæmones, nempè virtute ac poteſtate priuando, & expoliando, eorumque opera deſtruendo: vt habetur 1. Ioan. c. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* Quam poteſtatem dæmones eijciendi, eorumquè opera diſſoluendi Chriſtus ſuis Apoſtolis communicauit, cum eos ad prædicandum miſit *Matthæi* 10. *Marci* 3. *& Lucæ* 9. *Tũc enim dedit illis poteſtatem ſpiritum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Quam poſtea *Lucæ* 10. iam eis conceſſam manifeſtauit dicens: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper Serpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem inimici.* Hanc verò toti contulit Eccleſiæ *Marci vlt.* dicens: *Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eijcient.* Vndè, quæ tantùm erat pulchra, vt Luna, electa vt Sol, quid mirum, ſi facta ſit terribilis, vt caſtrorum acies ordinata?

§. II.

HAnc poteſtatem confert ſuis miniſtris eccleſiaſticis in ordine exorciſtatus. Nec ijs tantùm; ſed omnibus in nomine Ieſu credentibus, ac confidentibus à Deo communicatur, vt ait Chryſoſtomus *in pſal.* 103. *&* 125. cum hac tamen differentia. Quod Exorciſtæ ex officio dæmonibus imperare valent; & præcepta nomine Ieſu interpoſito ab eis facta, vim, & efficaciam habent ex opere operato dęmones expellendi, niſi ponatur obex vel ex parte miniſtri, vel obſeſſi: vt dicetur infra *tom. 2. d.* 4 *nu.* 504. *& ſeq.* Indè S. Iuſtinus Martyr de virtute chriſtianæ Religionis diſſerens ait: *Nos, qui in Crucifixum credimus dæmonia cuncta, ſpiritusque malignos adiurantes ſub poteſtate noſtra eos habemus ſubditos.* Cæteri verò Chriſti fideles per fidem in Chriſti nomine, & opus operantis dęmones expellunt, & in fugam vertunt, eorumquè opera deſtruunt, ac diſſoluunt: Ideò meritò Eccleſia hac poteſtate munita terribilis vt caſtrorum acies ordinata eſt dicenda. 83 *Quàm potentes eius miniſtri cõtra dæmones.*

Videas ergo quanti pariter faciendi ſint eius miniſtri, qui per præcepta in Nomine Ieſu facta maleficia ſoluunt dæmoneſquè coercent? An aliqua in mundo poteſtas reperiri poterit huic æquiparanda? Reges potentiſſimi cum ſuis exercitibus, & innumera militum manu ab vno dæmone vertuntur in fugam. Tota dæmonum caterua ab vno Exorciſta fugatur; imbecillis homoncio potentes ſpiritus ita ſubijcit, vt eos ad ſordidiſſima, & abiectiſſima ferenda deijciat; Atque ita omnibus innoteſcit, Eccleſiam eſſe Dei ſponſam: quæ Diuina Potentia, quam à ſponſo accepit, & ſuis miniſtris communicat, inimicis inuitis, licèt & frementibus dominatur. 84

§. III.

HVius gloriæ ſplendorem inuidentes Dęmonis ſynagogæ per ſuos ſymmiſtas, quaſi per alios Pharaonis Magos ſæpiſſimè attentarunt, maleficia curare, & liberare energumenos; ſed quo exitu, nouit chriſtianus orbis. Idem enim illis accidit, quod Septem Scęuæ filijs, qui Paulum exorcizando imitabantur, de quibus *Actuum* 19. nempè: Vanus labor, fruſtra adhibitis ſuis adiurationibus è cerebro confictis: Contemptus, inſultante dæmone, & clamante; nihil ſibi timendum ad illis: Confuſio, ridentibus, & ſubſannantibus populis, qui aſſiſtebant: Et quod peius eſt, vulnera, ad quæ effugienda fugam arripere coacti ſunt. Vnus pro omnibus ſufficiat Lutherius huius ſæculi Nouatorum antesignanus, qui illa omnia expertus eſt, cum miniſtrorum Eccleſiæ ſimia in ſacrario Vuittembergenſi dæmonem exorciſmis è ſuo, puta Euangelio nouo depromptis voluit expellere. Etenim irriſiones, & inſultus dæmoniacos, iterata, & repetita verbera, ſummas anguſtias, & alui profluuium perpeſſus ſuo malo didicit, non vſurpare ampliùs ea, quæ ſunt catholicę poteſtatis, & ridiculum ſuis fautoribus auctoritatis Lutheranæ ſpectaculum præbuit, vt narrat Staphylus oculatus teſtis, tunc Lutheri ſectator, poſtea Eccleſiæ catholicæ filius *in abſoluta reſponſione contra Smidelinum.* 85 *Hic ſplẽdor nõ reperitur in ſynagogis. Vt patet exemplo Lutherana.*

ARTICVLVS III.

Ob bonorum profectum.

86 *Sancti perferendo maleficia solēt declinare à malo ſiuè Culpæ, ſiuè Pœnæ*

NEc minor eſt ſanctorum profectus ex illa permiſſione procedens. Solent enim maleficia ſanctè, & innocenter ferendo, implere omnem iuſtitiam, quę in duobus præcipuè conſiſtit: Declinare mala, & Bona facere.

§. I.

PRimum certum eſt ſiuè culpas conſideres: ſiuè pœnas peccatis debitas. Nam quoad culpas eò diligentiori ſtudio illas vitare contendunt, quò per maleficia in ſeipſis experiuntur, quanta, & quàm dira ſit dæmonum tyrannis, qui corpora torquentes in animas acriùs ſæuiunt; & ideò ſe à peccato cuſtodiunt, ne ad ſeruitutem illam intollerabilem redigantur. Immò à minutioribus offenſis ſatagunt abſtinere, maiori conatu pijs operibus incumbendo. Quantum autem ad pænas peccatis, quorum culpæ per pænitentiam deletæ ſunt, debitas, nullum eſt efficacius remedium Diuinam placandi Iuſtitiam, & ſatisfactorio opere ſoluendi, quæ ei debentur, quàm mala, & maleficia tolerare ad præſcriptam virtutis, & ad diuinæ Voluntatis normam. *Datur talis poteſtas dæmonibus*, ait Chryſoſtomus hom. 41. in Act. Apoſt. *vt meliores, & modeſtiores boni efficiantur; & vt pœnas peccatorum noſtrorum hic dantes, puri ad Dei conſpectum migremus*.

§. II.

87 *Facere bonum, & creſcere in virtute Timoris Dei Humilitatis Patiētiæ Obedientiæ Charitatis Zeli Cumuli gratiæ.*

ÆQuè certum eſt, per hanc tolerantiam bona ab ipſis perfici, cum facilem ad omne genus virtutum viam ſternat: Ad Dei timorem; quia cum ſe vident huiuſmodi dęmonis exercitio ſubiectos ignorant, vtrum odio; an amore digni ſint; & ità cum timore, & tremore ſalutem operantur: Ad humilitatem veram; Nam ipſis manifeſtatur, quàm exilis ſit eorum in virtute profectus, & quàm miſera humana conditio, quæ tot infirmitatibus obnoxia eſt: Ad patientiam, dum dolores corporis, & animi anguſtias æquo ferunt animo, non ſolùm volentes, ſed & gaudentes pati pro Chriſti nomine: Ad obedientiam; quæ ſe ordinationi diuinæ, etſi repugnante carne, ſubmittunt: Ad Charitatem; Nam quantò longiùs à ſenſibilibus recedūt, tantò propiùs accedunt ad ſpiritualia: & amorem proprium extinguentes, diuinum ſuſcitant in ſemetipſis: Ad zelum, quo accenduntur ad frequentanda ſacramenta, reuocantur ad res diuinas, & afficiuntur ad myſteria ſalutis: Denique ad meritorum, & gratiæ Dei cumulum, qui in dies noua ſuſcipit incrementa.

§. III.

88 *Probatur exēplo B. Mariæ Magdalene*

HAnc veritatem comprobare poteſt Sanctiſſima illa mulier, quæ fuit in ciuitate peccatrix Maria Magdalene: Videas hanc mulierem totam peccatis implicatam, criminibus obuolutam, mundanis deditam delicijs, concupiſcentijs carnalibus addictam, luxuriæ inquinamenta ſolicitè conquirentem, cunctiſque vanitatibus, vitijſque vniuerſis intendentem. Hæc, vt cognouit, quòd Ieſus accubuiſſet in domo Simonis leproſi, ſtatim amore currit ſaucia, pedes beatos vngere, lauare fletu, tergere comis, & ore lambere: nec ſiſtit; ſed ipſum Redemptorem, quoquò ſe vertit, pro ſuo poſſe ſequitur: adſtare non timet cruci; ſepulchro inhæret anxia: truces nec horret milites. Sed vndè tam vehemens in Chriſtum amor? Quid Magdalenam traxit ab immundicijs ad puritatem? A carnalibus concupiſcentijs ad charitatem diuinam? A mundanis delicijs ad veras conſolationes, cęleſteſque delectationes? Quid eam impulit, vt vitam illam deſereret delicijs affluentem, Chriſtumquè mundi Saluatorem toto ſuo corde, affectu, ac ſtudio ſequeretur? Scio, quòd dicent aliqui: Patrem ſuperni luminis, cum Magdalenam aſpexerit, flammas in eas excitaſſe amoris, geluquè ſoluiſſe pectoris: *Pater enim*, ait S. Auguſt. tract. 26. in Ioannem cap. 6. *trahit ad filium eos, qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum*, ſed quia & ipſe Chriſtus trahit, teſte eodem Auguſtino, dicamus cum D. Gregorio hom. 33. in Euangelia: *Chriſtus eam per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris*. Verùm eſto hæc fuerit cauſa attractiua: quodnam obiectum motiuum, & inductiuum, à quo, vt potè odibili, noxio, & pernicioſo potuerit excitari, ac moueri, vt declinaret ab eo tanquam malo, vel cauſa mali, & bonum faceret tam honeſtum, vtile, ac delectabile? Dira vtique tyrannis diabolica, vexationes, torſiones, afflictiones, quibus à ſeptem dęmonijs continuò afficiebatur, hæ fecerunt Magdalenam à malo declinare, ac bonum facere, vt cauſæ impulſiuæ inductiuæ, & excitatiuæ. Nonne hæc eſt illa Maria Magdalene, de qua D. Marcus *cap.* 16. ait: Chriſtum ſeptem dęmonia eieciſſe?

Quæ ob liberationem à dęmonijs declinauit à malo, ac bonum fecit

§. IV.

AN fortaſſe dices cum Diuo Gregorio *loco ſupracitato* per ſeptem dæmonia vniuerſa vitia deſignari, ideòque ſeptem dęmonia Mariam habuiſſe; quia vniuerſis vitijs plenā fuit? Sed eſto verùm ſit in ſenſu tropologico: Audiamus D. Lucam, qui in ſuo Euangelio *c.* 8. non loquitur in ſenſu morali, ſed literali eiuſque verba literaliter intelligenda ſunt. Poſtquam enim præcedenti capite Mariæ Magdalene ingreſſum ad Chriſtum in domo Fariſæi, pedum ablutionem, terſionem, vnctionem, ac peccatorum remiſſionem enarrauit, illicò immediatè ſubiungit altero capite hæc verba: *Et factum eſt deinceps & ipſe iter faciebat per Ciuitates, & Caſtella prædicans, & euangelizans regnum Dei; & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus*. Ibi enim apertè non in ſenſu morali, ſed literali loquitur de dęmonibus mulieres quaſdam obſidentibus, quæ à Ieſu liberatæ fuerunt. Quænam autem eſſent hæ mulieres, immediatè ſubiungit. *Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia*, quorum caput fortaſſe erat Aſmodæus illam ad carnalia inducens, *exierant, & Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Quaſi dicat Euangeliſta: Vndè, putas, hæ mulieres viam peccati, ac vanitatum relinquerunt, ac Dominum Redemptorem tanto affectu ſecutæ ei de ſuis facultatibus miniſtrauerunt? Quia eas à dęmonum tyrannica obſeſſione, ac iniqua redemerat vexatione. Quid ergo mirum, ſi Deus maleficia, ac dæmoniacas vexationes permittat, cum faciant ſanctos, ac iuſtos declinare à malo, ac proficere in bono?

ARTICVLVS IV.

Ob malorum pęnam.

89 SEd in ijs permiſſionibus malorum pęna clariùs eniteſcit. Maleficia etenim exercentur ab ijs, qui ſe dæmoni deuouerunt, & nocent vt plurimùm ijs, qui ſuis peccatis iram Dei concitarunt. Cum ſoleat diuina Iuſtitia temporali caſtigatione in homines animaduertere in hac vita, ne in alia æternis ignibus illos addicere cogatur.

Per maleficiorũ permiſſionem mali à malis puniũtur.

Quarè Malefico permittit maleficijs illos vexare; eiuſquè miniſterio vtitur, ſicut Iudex carnificis opera, vt illorum ſcelera puniat. *Iure Deus*, ait Drexelius, *per hos*, ideſt maleficos, *punit, per quos tam variè offenditur*. Hinc naſcentem ex ſuperbia contumaciam, qua Deo, & parentibus non obeditur: Libidinem eorum, qui ſe in cęnoſo carnis, & intemperantiæ luto coinquinant: Atroces in Deum, & Sanctos blaſphemias: Imprecationes malas, & horribiles execrationes: Irriſiones ſacrorum myſteriorum, & ſacramentorum abuſus: Direptionem templorum, & rerum ſacrarum depilationes. Immiſericordias in pauperes. Deſperationes in aduerſis, & his ſimilia ſæpè per maleficia vlciſcitur; quia peccata ſunt atrociora, quæ maiora ſcandala pariunt; vel vt reſipiſcant, & reſipiſcentes pęnas vitent æternas, paratus ſemper eos ad pęnitentiam recipere, etiamſi pactis, & conuentis diabolo ſe mancipàrint: Vel ſi in peccatis permaneant, cęteris ſint exemplo ſectandæ iuſtitiæ, & iniquitatis deſerendæ.

Vel vt reſipiſcant

Vel alijs ſint exẽplo.

§. I.

90 HViuſmodi punitiones, ac tormenta expertus eſt in ſeipſo primus ille Rex Iſrael Saul, qui cum obedientiæ præceptum ſibi à Samuele impoſitum fuerit tranſgreſſus, ſequè in malo præbuerit contumacem, à ſpiritu nequam exagitari cępit, qui non tantùm in corpore eum affligebat; ſed, quod peius eſt, inuidiæ ſtimulis ità cruciabat in mente, quòd leuius ſibi videbatur dęmoniacas ſuſtinere vexationes, quàm Dauidem benè habentem ab omnibus dilectũ, laudatum, & exaltatum intueri. Quod teſtatur Diuus Bernardus *de Domo interiori cap. 42.* dicens: *Saul Dauidis muſica à morbo liberatus haſtam in eum inuidia agitatus emiſit; maluitque à ſpiritu nequam torqueri, quàm Dauidem omnibus carum cernere*. Quale enim remedium ſuo malo opportunius inuenire poterat, quàm præſentem habere Dauidem citharam percutientem, qua melodia, ſimul ipſius additis deuotis ad Deum precibus, vt notat Lyranus, refocillabatur, & leuiùs habebat? *Recedebat enim ab eo*, vt habetur 1. Regum 16. *Spiritus malus*. Nihilominùs, quòd Dauid ob virtutis ſuæ inſignia ab omnibus honoraretur, laudibus extolleretur, ac præconijs exornaretur, tam ægrè ferebat Saul, vt cunctorum oblitus beneficiorum niſus ſit illum lancea configere cum pariete. Cuius inhumanitatem conſiderans Chryſoſtomus hom. 1. de Dauide, & Saule ait: *Crudelem illum, & inhumanum nihil horum flexit; ſed ad hæc omnia cæcus, inuidiæ permittens animum, conatus eſt illum è medio tollere*. Quis autem non fateatur, hoc illi à iuſto Iudice permiſſum in ſuorum pęnam peccatorum, vt qui à peccatis ſurgere non curabat, remedium quoque repelleret, quo ſe à pæna, dęmone nempè obſidente eximeret, eiuſque ſathanicas euaderet vexationes? ſicque cæteris ſaltem eſſet exemplo ſectandæ pęnitentiæ, vitæq. prauæ, ac improbæ funditus relinquendæ: & ità ex illius punitione eliceret Deus aliorum correctiones.

probatur exemplo Saulis à dæmone obſeſſi.

§. II.

IN ijs tamẽ maleficiorum permiſſionibus Deus miſericordia iuſtitiam temperat; Nec enim omnes reos punit (ſi eos pęniteat) nec omnes relinquit impunitos: Sic punit iuſtè, vt miſericorditer ſaluet: Sic miſericorditer parcit, vt obduratum puniat. Vndè S. Auguſt. lib. 1. de Ciu. Dei c. 12. *Si omnes remanerent in pænis iuſtæ damnationis, in nullo appareret miſericors gratia redimentis*: Rurſum. *Si omnes à tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret ſeueritas vltionis*. Ideò perpolitè Iacobus Billius *Anthol. ſacr.* cecinit. 91

Iudicium humanum, quod falli ſæpè neceſſe eſt
Non ſemper recipit regula iuſtitiæ
At Domini in cunctis æqua eſt, veraxque poteſtas
Aſpectum cuius nulla remota latent
Talis laudetur Iudex, timeatur, ametur
Qui verè iuſtus permanet, atque bonus
Aduerſos reuocans, conuerſis cuncta remittens
Atque malis veniam dando, bonos faciens.
Non ergò audacter mens veri neſcia culpet,
Quod placuit ſummi Iudicis arbitrio
Sed ſubdat ſeſe iuſto ignorantia Regi
Qui nunquam quæ ſunt non bona velle poteſt.

Hæc, & ſimilia ex maleficiorum permiſſione bona procedunt, quæ Deus ſua Prouidentia elicit conſequenter. Quapropter licet colligere iuxta duplicem illum ordinem rerum in Vniuerſo, & in finem, quarè Deus alios maleficia exercere, alios maleficia perpeti permittit. Primi exercent: quia illorum libertatem impedire non vult. Secundi patiuntur: quia vel caſtigat peccata, aut propria, ſiuè mortalia, ſiuè venialia: aut aliena. Vel ad maiora prouocat, virtutes, nempè gratiam, & gloriam. Deniq. vtriq. agunt, & patiuntur: quia ex illorum actionibus, & paſſionibus bonis, & malis ſuam, & Eccleſiæ gloriam manifeſtat. Vndè mirandum non eſt, ſi non ſolùm nocentes, & peccatores; ſed etiam innocentes, & iuſtos maleficia attingant, & vexent. Illi enim ob peccata mortalia rei ſunt: Iſti ob venialia: Cum nullus ſit, qui quotidiè in illa non prolabatur, teſtante Sapiente Prouerb. 24. *Septies in die cadet iuſtus, & reſurget;* quorum vnum ſolum ſine iuſtitiæ diuinæ præiudicio morbis grauioribus; immò ipſa poſſeſſione dæmoniaca puniri poteſt: vt innotuit in Abbate Caſſiano propter leuiculam iram *apud Caſſ. Coll. 7.* In Religioſo ob tepiditatem, & diſtractionẽ *in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 21.* Et in quadam Religioſa propter gulam præcipitem, & leuem *apud S. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 4.* 92

Ex his colligitur cur Deus permittat maleficia A maleficis exerceri A maleficis ſuſtineri.

Adultis.

§. III.

IDem dicendum eſt de pueris, & infantulis, quibus potiſſimùm veneficia nocent; quia ætas illa imbecillior eſt ad reſiſtendum, incautior ad cauendum, & incapacior ad accuſandum, & reuelandum. Hoc enim ſinit Deus; Vel vt parentes puniat, ſi mali ſunt: aut vt probet, ſi boni, ait Aug. *lib. 21. de Ciu. Dei c. 14.* Vel vt infantem, ſi baptizatus ſit, à peccatis præſeruet, & ad cęlum rapiat, antequam malitia mutet intellectum eius. Si verò non ſit baptizatus: Vel ne grauiorem ei damnationem imponat propter actualia peccata, quæ commiſſurus erat, ſi viueret: Vel vt peccatum originale puniat, propter quod ſolùm mortem merebatur. 93

Puerulis.

§. IV.

SEd quamuis in vtriſquè adultis,ſcilicet, & pueru-lis peccata non reperirentur,aut merita; iuſtè tamen poſſet permittere, illos maleficijs affici non ad punitionem, aut remunerationem: ſed ad ſuam gloriam;quę,cum maximum bonum ſit,omni creaturarũ malo anteponenda eſt, & nulli malo poſtponenda. (Quod maximè Exorciſtis,& Parochis attendendum eſt; & obſeſſis, maleficiatis, & ægrotis ab ipſis inſinuandum. Hoc probat dictum Chriſti Ioan. cap.9. de illo cęco nato, dum Diſcipulis ſuis cauſam ſciſcitantibus, cur natus eſſet cæcus: videlicet, an propter peccata propria, vel parentum: Reſpondit: *Neque hic peccauit,neque parentes eius; ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo:* nempè omnipotentia Dei, eius ſapientia, ac bonitas, dum Chriſtus ab eo cæcitatem abſtulit,ac perfectum illi viſum contulit; vt benè explicat Euthymius Zigabonus *in Bibliotheca V.V. Patrum*. Quod magis,ac magis comprobauit ipſe Chriſtus *Ioan*.cap.14. dicens: *Quodcumquè petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo hoc faciam*. Quaſi dicat: Si in veſtris infirmitatibus, tribulationibus, ac neceſſitatibus me inuocaueritis: exaudiam vos, quia ſic Deus Pater eas vobis permittit, vt vobis inuocantibus me, nomen meum honoretur,ac glorificetur,dum ea,quæ iuſtè, ac fiducialiter petitis, gratioſè vobis conceduntur, ac liberaliter communicantur.

CAPVT III.

Quomodo Deus impediat maleficia.

94 *In maleficiorum permiſſione datur potentia magna dęmoni. maior homini Vtraque coercetur à Deo, dum alia impedit, alia moderatur Vel per Seipſum: Vel per Angelos.*

IN ijs tamen maleficiorum permiſſionibus cauendum eſt,ne praua illa opinio in animum irrepat, omnimodam tùm dæmonibus, tùm maleficis tribui poteſtatem; ita vt poſſint laxatis habenis prorumpere in omne opus maleficum: aut quos volunt magicis artibus impetere. Quamuis enim malefici poteſtas liberior dęmonis poteſtate relinquatur; ampliorquè illi, quam huic concedatur permiſſio: quia dęmon valdè potens,& humano generi infeſiſſimus: homo infirmus,& ad ardua aggredienda debilis; tamen vterquè coercetur à Deo, dum alia mala impedit: alia moderatur: impedit plurima, quæ attentare vellent: Moderatur permiſſa,quæ exercent. Quod facit tàm per Seipſum,quàm per Angelos,vt ſequentibus articulis palàm fiet.

SECTIO I.

Per Seipſum.

95 *Deus Dęmoni, & maleficis nõ omnia permittit: nõ omnia denegat.*

SI in aliqua Ciuitate prouidi Gubernatoris eſt, probos tueri, & ad honores,& opes euehere; & improbos non dare licentiam graſſandi; ſed eos coercere, ad virtutem compellere, ne peſſimi quiquè impunè alijs iniurias inferant, & probi ciues ab eis iaceant oppreſſi, non eſt dubitandum ad iuſtam Dei Prouidentiam pertinere in hoc mundo, iniquorum impetus frangere, & inualeſcenti ponere fræna improbitati: cum non ſit æquum, amicos eius vſquequaque pati, & totas ferre vexationes ab improbis ſuſcitatas: nec inimicos omnimodè ſæuire,& totam poſſe implere malitiam; Ideò nec omnia permittit Dęmoni: nec omnia denegat. Si omnia permitteret, quis hominum à tali, & tanto inimico maneret illæſus,qui potentia armatus, & inuidia ardens totum citò perderet genus humanum; & vniuerſum mundi ordinem ſuſquè dequè verteret? *Cum conſtet*, vt benè docet S.Bernardinus ſerm. 6. de Miſer. perfect.art.2.cap.3. *Dæmonem velle, quod peius poteſt, ſi eius poteſtas eſſet quoad omnia libera, & ſoluta, ineffabili modo ſine omni ordine, & menſura ſubuerteret totum ſtatum inferiorum*. Si verò Deus omnia denegaret, violentum videretur conatibus eius ſemper obicem ponere, & impedire penitus actiones illius, cui dedit liberi arbitrij facultatem. Quarè alia denegat: alia permittit.

Ratio permiſſionis denegationis.

Et idem præſtat Maleficis, qui ſe diabolico miniſterio manciparunt: cum nec illos omninò impediat; nec eis permittat omnia maleficia exequi, ad quæ Dęmonis ſuaſione, & propria voluntate impelluntur. Non omninò impedit, ne voluntatis libertatem ſemel traditam impediat; ſed ſicut liberos creauit; itè liberè peccare ſinit. Non omnia permittit, nè in profundum malorum ſeipſos præcipites dent, & in alios nimis deſæuiant. Sępę impedit, & Aliquando permittit, vt ſic appareat ſapiens, & multiformis illa Prouidentia, quæ ità eorum malitiæ modum imponit, vt nequè omnia exequantur maleficia, quæ vellent: nec maiora faciant, quàm quæ permittuntur. Quod præſtat; tùm maleficia attentata impediendo: tùm permiſſa moderando. Ijs enim duobus modis illorum frangere, & retardare vires conſueuit In Toto,vel In Parte, vt ſequentes articuli declarabunt. 96

Vnde impedit vtrumq. In Toto In Parte

ARTICVLVS I.

In Toto.

97 *Dæmon cani ligato comparatur.*

VIdiſti rabidum canem ferreis innexum catenis: nunc inſilit in prætereuntes; ſed retinetur à catena: nunc incautos mordere tentat; ſed virga prohibetur à domeſticis, qui per iocum ſæpiſſimè illum irritant clamoribus, & percuſſionibus, vt latrantem, ſpumantem, ſtridentem dentibus, & toto corpore iraſcentem, ſed incaſſum videant. *Talis eſt dęmon*, qui ſecundùm Auguſtinum ſermone 197. de tempore, *alligatus tanquam canis innexus catenis in domo Domini latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omninò non poteſt, niſi, qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit*: cum ad hoc creatus videatur, vt ſit luſus Dei, & Sanctorum, teſte Pſalmiſta pſ.103. *Draco iſte,quem formaſti ad illudendum ei*. Quis non irrideat inſilientem, ſed impeditum? Ingenij vires acuit, rabiem excitat, vires exerit omnes, omnia molitur, & tentat, nunc dolis,& occultis tentationibus; nunc aperto marte, & publicis concertationibus, vt inſolita maleficiorum genera inuehere poſſit in orbem; ſed frendeat, & fremat, quantum voluerit, laborat, & laborabit in vanum. Quid enim agere poterit obſiſtente ſibi virtute Diuina: vel non concurrente ad diabolicos conatus? cum vtroquè modo impediatur, & ligetur à Deo poſitiuè, & negatiuè.

An

§. I.

98 *Reſiſten- te poſiti- uè*

AN fortiùs, & ſtrictiùs ligari poteſt, quàm Diuina virtute? Nam ſi in creaturis quantò aliquid eſt magìs actuale, vnum, immobile, & vniuerſale, eò cauſaliùs, & efficaciùs operatur: cum magìs actuale minùs habeat de potentia, ſiuè poſſibilitate: magìs vnum minùs diſſipatas vires: magìs immobile minùs inſtabilitatis, & debilitatis: magìs vniuerſale minùs de limitatione. Quàm potens erit Deus, qui eſt ens actualiſſimum, in quo nihil eſt de entitate, aut proprietate materiæ, ens vnum non ſolùm vnum, ſed maximè vnum; imò, vt ait S. Bonauentura *in* 1. *ſent.* omnimoda vnione vnitiſſimum: Ens immobile, quod aliquid recipere non valet: ens vniuerſaliſſimum, in quo eminenter congregantur omnes virtutes actiuæ, & productiuæ rerum; & conſequenter, quanta erit eius potentia? Certè ſumma, infinita, perfectiſsima, & talis, cui reſiſtere nemo poteſt. Quid ergò canina Diaboli malitia proficiet in ſuis maleficijs, ſi ab illa impediatur: cum vniuerſa potentia creata huic comparata ſit radius ad orbem ſolarem, gutta ad oceanum, arenula ad totius terræ molem; imò aliquid minus, nec minus ſolùm, ſed minimum: nec minimum tantùm, ſed nihil? Nonne ridiculum ſe præbebit imbellis creatura, ſi velit obniti omnipotenti Deo, rumpere non catenam ferream; ſed potentiam infinitam, & tentare impoſſibilia contra ſtimulum calcitrando?

§. II.

99 *Non cooperante negatiuè*

SEd non minùs fruſtrà laborabit, ſi Deus ſuum ſubtrahat concurſum, vel ab eo: vel à rebus naturalibus, quibus vtitur in ſuis maleficijs concinnandis: cum enim omnes cauſæ ſecundæ à prima dependeant; & ſine eius influxu nec operari, nec eſſe poſſint, ſi illa non influit, nullum poſſunt producere effectum, aut actionem externam admittere. Vnde ſi à Dæmone applicentur, quid illi manebit, niſi confuſio? Ecce meditetur noua maleficia, vt hominibus noceat; intellectum habeat ſubtiliſſimum ad illa inuenienda: voluntatem ad exequenda propenſiſſimam; virtutem maximam ad præparanda, & perficienda; ſed nec intelligere, nec velle, nec agere quidquam poterit, ſi Deus non concurrat. At dimittatur liber in ſuis potentijs: inueniat intellectus: voluntas impellat: virtus exeat ab agente tàm ſubtili, tàm voluntario, tàm potente: tentet maleficia, ut ſolet, applicando actiua paſſiuis: ecce ignis, aer, aqua, terra, mineralia, omnia reptilia, uegetatiua, ſenſitiua propalàm ſunt. Vtatur, abutatur eis, ut uoluerit. Quid poſt hæc? Operam perdet, & riſum mouebit. Applicabit ignem, ſed non comburet: Aerem, ſed non aget: Aquam, ſed non humectabit: Terram, ſed nihil producet. Mineralia, ſed uirtute carebunt: Cætera omnia, ſed uiribus erunt deſtituta. Res de ſe alterabiles non concipient calorem, aut frigus, aut humidum, aut ſiccum, aut alias exteras qualitates: ſi tàm ab actiuis, quàm à paſſiuis Deus ſuum ſubtraxerit concurſum; atquè ita dupliciter illudetur à Deo non concurrente cum illo, uel rebus applicatis; nec poterit quantumuis minimum producere, etſi omnem moueat lapidem, & totam uerſet induſtriam.

§. III.

HAnc autam dæmonis poteſtatem Deus alligare cæpit non quoad tentandum; ſed quoad ſeducendum, & vexandum ab origine mundi immediatè poſt Luciferi peccatum. Nam ſicut, cum ſuperba eius mens propriæ excellentiæ cupiditate intumeſcens, à Deo auerſa ad ſeipſam conuerſa eſt, vtriuſque ſapientiæ ſupernaturalis practicæ, nempè, ac ſpeculatiuæ iacturam fecit: quia practica, quæ eſt cauſa efficax amoris Dei, totaliter fuit ei ablata; & ſpeculatiua multùm diminuta, cum in ſtatu damnationis non nouerit tot myſteria ſupernaturalia, quot agnouiſſet, ſi in cognitione beata extitiſſet: vt docet Auguſtinus *lib.* 9. *de Ciuit. Dei cap* 21. Sic ob ſuperbiæ peccatum meritò cæpit à Deo cohiberi eius poteſtas, vt non poſſet ea omnia perficere, quæ vellet. Nam licèt poſt peccatum integra remanſerint eius naturalia quantum ad fundamentum, & quoad ſubſtantialia; non tamen quantum ad libertatem omnium operationum, & executionum earum. Quod perlucidè teſtatur Alexander Alenſis par. 2. q. 100. mem. 2. ar. 2. *Licèt ex prima, ait, poteſtate ſibi data poſſent dæmones ſuper huiuſmodi creaturas ex ordine naturali; tamen in pænam peccatorum eorum, & bonum hominum cohibetur eorum poteſtas.* 100 *Hæc poteſtas cæpit ligari poſt Luciferi peccatum.*

§. IV.

ITa dæmonem deluſum legimus Exodi 7. & 8. Mittitur Moyſes à Deo ad Pharaonem, datur ei virga miraculorum operatrix, vt ſuàm cōfirmet miſſionem, ſtupente illo Principe, & tota eius Curia: nunc illā conuertit in colubrum: nunc aquas ad tactum eius mutat in ſanguinem: aliàs è Nili flumine innumeras educit ranas; ſed ecce eadem præſtant Magi Pharaonis, concertantibus adhuc ipſis cum Moyſe in tertio ſigno deficiunt, nec poſſunt Sciniſes excitare. Quid tria illa prodigia Moſaycorum æmula, quam tres ſaltus ipſius canis Deo permittente, & catenam laxante longiorem, quam retrahit in tertio ſigno? Quò non ſe vertit Dæmon ſuperbia inflatus propter præcedentia ſigna, quibus parem cum Deo, vt videbatur, potentiam oſtentabat? Quid non tentat, vt Sciniphes poſſit producere, nunc reales, nunc apparentes, qui anteà produxerat ranas, virgaſq. & aquas mutauerat in alteram formam? Sed nihil proficit, quia virtute diuina, ſiuè obſiſtente, ſiuè non concurrente impeditur, quam eius miniſtri coguntur fateri dicentes: *Digitus Dei hic eſt.* 101 *probatur exemplo.*

§. V.

PEr paſſionem verò, crucem, ac mortem Ieſu Chriſti ablata eſt ſufficienter Dæmonibus huiuſmodi nocendi hominibus facultas: vt Veritas teſtatur *Io.* 12. dicens: *Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Quid eſt enim per mortem Chriſti principem mundi eijci, niſi poteſtatem à Dæmone auferri, qui tenebrarum harum princeps nuncupatur. Quod probant ſequentes Patres prædicta verba Chriſti exponentes S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Habuit quidem priùs Dæmon per tyrannidem principatum in totum genus humanum, & dominatum crudeliter exercuit in omnes. Atqui virtute mortis Chriſti, & ſanguinis confracta eſt illius poteſtas, & ſublata potentia; & quos iniuſtè detinuit captiuos, iuſtè perdidit.* Hilarion Monachus in eadem 102 *Per paſſionem Chriſti totaliter ablata, ſed reſpectiuè.*

verba loquens in perſona Chriſti ait: *Nunc morte mea fiet, vt dominatum in homines omninò amittat Diabolus, qui peccato primorum parentum in omnes acerbiſſimè principabatur.* Et ſubdit: *Quis igitur ad hanc mentionem non lætetur? non gratias agat continuè pro liberatore?* Ioannes Maldonatus in dicta verba: *Perindè*, inquit, *ac ſi dicat, deturbabitur de poſſeſſione ſua, eijcietur ex arce ſua. Eiectus foras dicitur, non quòd in mundo non ſit, & in multit etiam non dominetur; ſed quòd quantum in Chriſto fuit, eiectus fuerit, ita vt ſi homines vellent, nihil prorſus in ipſos haberet poteſtatem.* Quod & Apoſtolus *ad Coloſſ. cap. 2.* apertè docuit: *Expolians*, ait, *principatus, & poteſtates, traduxit cõfidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* Hac de cauſa S. Ioannes ep. 1. ſua canon. cap. 3. ait: *Apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* Vnde S. Hieronymus ſuper illud pſal. 91. *Exaltabitur ſicut vnicornis, &c.* ait: *Dominus in cornibus crucis ventilauit inimicos, ibi confudit diabolum, & omnem eius exercitum. Chriſtus quidem erat crucifixus in corpore, & verè crucifigebat dæmones.* Et S. Leo in ſermone de Paſſione Domini. *Claui illi, qui manus Domini, pedeſq. transfoderant, perpetuis Diabolos fixere vulneribus; & ſanctorum pæna membrorum inimicarum fuit interfectio poteſtatum.* Quod apertè teſtatur etiam Auguſt. *ſerm. 197. Venit Chriſtus, & alligauit Diabolum.*

§. VI.

103 *Ob honorem SS nominis Ieſu.*

QVam efficaciam, ac virtutem dęmones cohibendi, ac religandi, eorumq. opera totaliter diſſoluendi Deus Pater Sanctiſſimo Ieſu Chriſti Nomini communicauit. Audiamus eius præconem Paulum Apoſt. ad Philippenſes cap. 2. *Chriſtus*, ait, *humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Sed quid meruit Chriſtus pro tàm difficili, exactaque obedientia, ac pro morte tàm dura, dira, ac ignominioſa? Scimus meruiſſe, deleri *quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, illudque tuliſſe vt ait Apoſt. ad Coloſſ. 1. de medio, cruciquè affixiſſe, nobis donando omnia delicta, paradiſi ianuam aperiendo, gratiamque ac gloriam obtinendo. Verùm quid tam difficili conflictu ſibi ipſi acquiſiuit? An erunt tot labores, ac dolores vani, ac vacui pro ſeipſo? Dicamus ergò, præter ſui corporis glorificationem, ſibi meruiſſe nomen, *quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, cæleſtiũ, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Ideòque voluit Deus, quòd per huiuſce Nominis Sanctiſſimi virtutem, & efficaciam hominibus Dęmones ſubijciantur, ab eiſque confringantur, ac religentur. Quod benè experientes ſeptuaginta duo diſcipuli *Lucæ* 10. reuerſi ſunt cum gaudio dicentes magiſtro ſuo: *Domine etiam in nomine tuo dęmonia ſubijciuntur nobis.* Et ipſemet Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſponſæ cum Dæmones eijciendi tradidit poteſtatem ait: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient.* Vt ſignificaret: quòd non per purum actum voluntatis humanum, puta, per diſſenſum voluntatis à dæmonis obſeſſione, & eius vexatione homines ſunt præſeruandi: aut liberandi, vt docere volunt quidam moderni Exorciſtæ; ſed per actum intellectus, & voluntatis prout per fidem, ac confidentiam eleuantur in Deum, ac nituntur virtute, & efficacię Sanctiſſimi nominis Ieſu: vt infra latiùs docebimus *tom. 2. diſp. 4.* vbi *de Prud. in err. vit.*

§. VII.

QVarè proculdubio dicendum Dęmonis poteſtatem ante Chriſti aduentum tàm reſpectu animæ, quàm corporis pro illis duntaxat fuiſſe alligatam, atque pęnitùs ablatam, qui Deum, vt Creatorem, Conſeruatorem, & Adiutorem ſuum fideliſſimum in omnibus ſuis neceſſitatibus inuocabant, & agnoſcebant, ad illumque toto corde, & fiducia in ſuis tribulationibus confugebant. Vt enim monuit Dauid *pſal. 90.* & latè infra diſp. vlt. vbi de fiducia in Deum: qui habitat in adiutorio Omnipotentis Dei, non in proprijs confidens viribus; ſed totam ſuam ſpem conſtituens in Domino, hic permanet, & commoratur in defenſione Dei altiſſimi; & liberabitur ab incurſu, & dęmonio meridiano, cadent à latere eius mille, & decem millia à dextris eius: Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabit, & conculcabit infernalem leonem, & draconem. Cuius rationem reddit ipſe Deus per eundem Prophetam dicens: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* 104 *Sed pro his, qui in Domino confidunt.*

§. VIII.

SEd præcipuè poſt Chriſti paſſionem, ac mortem, per quam Sanctiſſimum Ieſu nomen ſibi acquiſiuit, nemini eſt ambigendum, funditùs eſſe euerſam dæmoniacam poteſtatem vt ſupra diximus, ac totaliter ablatam pro eis, qui in hoc Sanctiſſimo Nomine ſuam conſtituunt fiduciam: ac ità firmiter huic adhærent fundamento, ac propugnaculo, quòd ſinè vlla hæſitatione credunt, ac confidunt, ſe huiuſmodi auxilio, ac patrocinio fore à quacumquè dæmoniaca deceptione, ſeductione, ac vexatione animæ, & corporis liberos, atque ſecuros. Quod benè teſtatur S. Athanaſius orat. 1. contra Arianos. *Omnes* ait, *qui legitimè in Chriſtum fiduciam habent, pedibus conculcant eum, qui hæc verba dicebat* Iſaię 14. *In Cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Nam fides, ac fiducia inhæſitans in Sanctiſſimo Nomine Ieſu collocata eſt remedium, vt ait ipſamet Veritas *Marci vlt.* quo Dæmones fugiunt à nobis, ſerpentes tolluntur, venena non nocent, & infirmitates recedunt. Vndè benè ait S. Petrus Rauennas; *Hoc eſt nomen, quod dedit cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, ac curſum, ſermonem mutis, vitamquè mortuis, & etiam totam diaboli poteſtatem de obſeſſis corporibus effugauit.* Idcirco Dæmon aduerſus hoſcè Chriſticolas, vt canis inſurgere, latrare, ac ſollicitare poteſt, vt eos inducat ad diffidentiam de diuina protectione, qua poſſit ſibi via aperiri ad vexandum illos; ſed vani erunt latratus, inanes ſollicitationes, irritus omnis furor, & vacuus cunctus labor: quia ex promiſſione Dei, (cuius verba ſunt ità vera, quòd potiùs cęlum, & terra tranſibunt, quàm ipſa inania reddantur) aſſiſtet eis diuina protectio, & ſcuto circundabit eos veritas eius, qua ab omni incurſu, infeſtatione, ac vexatione dæmoniaca liberi, ſecuri permanebunt, ac illęſi conſiſtent per gratiam in conſpectu Dei. Quod animaduertens etiam Iacobus Billius ſuis Anthol. cecinit his ver.

105 *Præcipuè in virtute SS. nominis Chriſti.*

Contra iſtos nihil poteſt dæmon.

Cum canis eſt mordax, hunc tu compeſce catena
Irritus illius tum furor omnis erit.
Tum fruſtra ſeſe huc vertet, ſe vertet & illuc
Dum tibi ſemper ab hoc cura ſit eſſe procul
Sic Sathanam Chriſtus tam duro compede vinxit
Iam nullum vt ſæuo lædere dente queat.

Id

Id modo, dum quiſque tam caueat, ne ſtultus ad illũ
Tendat & æternæ ſit ſibi cauſa necis .

ARTICVLVS II.

In Parte.

106 *Dæmon nihil poteſt ſine licentia diuina.*

QVòd ſi maleficia abſolutè impedire nolit; ſed aliqua permittat; adhuc in illa permiſsione Dæmonis cohibet poteſtatem; cum illam limitare ſolet. Certiſsimum eſt enim, Cacodæmonem quantalibet potentia præditum, & ductum malitia nullo modo poſſe hominibus in aliquo nocere ſine permiſsione diuina. Nam quomodò ſine illa in creaturas rationales ſæuire poterit, qui ſine illa ipſas ratione carentes attingere non audet, nec expulſus humanis corporibus in porcos intrare? Quod quidem obſeruauit S. Athanaſius in vita S. Antonij. *Si ſuper porcos*, ait, *poteſtatem non habent, multò magis dominium nullum habent contra homines factos ad imaginem Dei*. Quarè nihil Dæmon attentare præſumit, niſi à Deo obtineat facultatem, quæ ſemper moderata conceditur à diuina Prouidentia: vt patet in Iob: *Ecce in manu tua eſt, veruntamen animam illius ſerua*. Vndè S. Auguſtinus *lib. 1. de Ciuit. Dei* apud Alenſem par. 2. q. 43. a. 2. ait: *Dæmones non omnia, quæ volunt, facere poſſunt, niſi quantum illis diuina ordinatione conceditur, cuius plena iudicia nemo comprehendit, nemo reprehendit*. Et vt verbis proprijs ipſius Auguſtini vtar. *Firmiſſimè*, inquit *credendum eſt, omnipotentem Deum omnia poſſe facere, quæ voluerit, ſiuè vindicando, ſiuè præſtando: nec Dæmones aliquid operari ſecundùm naturæ ſuæ, potentiam; quia & ipſa angelica natura eſt, licet proprio ſit vitio maligna; niſi quod ille permiſerit, cuius iudicia occulta ſunt multa, iniuſta nulla*.

§. I.

107 *Si aliud tentat coercetur à Deo. Moderãte malitiam dæmoniacã*

QVòd ſi malitia impellente aliud moliatur præter id, quod conceſſum eſt, cohibetur à Deo, qui poſt conceſſam licentiam Dæmonibus, & maleficis non ſinit tanquam ſpectator ocioſus ſuos agere ad libitum motus; ſed malitiam dæmoniacam, & humanam moderatur, & ordinat. Moderatur, nè plus valeat, quàm recta occultæ Prouidentiæ ratio exigit, per quam ei termini conſtituuntur, quos præterirè non poteſt, vt valeat malè agere cum talibus loco, tempore, & circunſtantijs contra tales, & determinatas perſonas: cũ hiſce tentationibus ſic, aut ſic intenſis, & non vltra. Quam veritatem aliquoties expertus ſum in diuerſis Energumenis, dum enim Dæmon grauiter vexaret eos, Dæmonem interrogaui dicens: *Cur ingreſſus es corpus iſtius Creaturæ Dei?* Qui reſpondens ait: *Ingreſſus ſum, vt eam occidam*. Ego autem ſubiunxi: *Cur hucuſque non occidiſti?* Qui reſpondit: *Non occidi, quia fui impeditus*. Ego verò addidi: A quo fuiſti impeditus? Ipſe autem: *Ego fui impeditus ab eo, qui me eſt potentior*. Ego autem præcepi, vt ipſemet pro ſua confuſione illius nomen explicaret, ſed ipſe dixit: *Nonne cognoſcis Factorem tuum!* Ordinat inſuper. Etenim ſi omnia, quę ſunt ab ipſo, teſte Apoſtolo *Roman. 13.* ordinata ſunt: nullum malum, aut maleficium permittitur ſine ordine, non ſolùm in finem bonum, de quo ſupra; ſed etiam in ſeipſo: quia peruerſas hominum voluntates iam ſeipſis præparatas, & determinatas ad malum Deus ſic dirigit; vt quamuis non cauſet in eis malitiam, nec operi malitioſo cooperetur, vt dictum eſt; modum tamen imponat malitiæ, & permittat ad illud potiùs peccatum ferri, quàm ad aliud. Et cum in aliud fertur, potiùs cum tali circunſtantia, quàm cum altera. Et hoc eſt, quod vult Auguſt. lib. de Gratia & libero arb. cap. 21. cum dicit: *Exiſtimo operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumquè voluerit, ſiuè ad bona pro ſua miſericordia, ſiuè ad mala pro meritis eorum, iudicio vtiquè ſuo, aliquandò aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto*. Quare, etſi dæmonibus maleficia exercere permittat; tamen hoc ità temperatè facit, & cum tali moderatione, & ordine, vt hoſtis ille ferox nihil exequi poſsit, niſi prout illi permittitur, & non prout vult; Ideò ligatus dicitur, non quòd funibus, aut ferreis vinciatur catenis; ſed quòd ad placitum tentare non permittatur, vt docet Auguſt. lib. 20. de Ciuit. Dei c. 8. *Alligatio Diaboli eſt*, inquit, *non permittere exercere totam tentationem, quam poteſt, vel vi, vel dono ad ſeducendos homines, in partem ſuam cogendo violenter, fraudolenteruè fallendo*. Et ità Deus per ſeipſum maleficia impedit; ex quo dæmones, & malefici non poſſunt omnia mala peragere; ſed illa ſolùm, quæ ab eo permittuntur; & eo modo, quo permittuntur.

Ordinãte malitiã humanã

§. II.

SEd qua ratione permittantur aliqui ſæpè maleficio affici, nonnulli rarò, alij verò nunquam, hoc difficillimum eſt, determinare. Si tamen mihi fas ſit pro ingenij mei paruitate, ac imbecillitate aliquid ſtatuere: Prȩter ea, quæ ſupra de permiſsione diuina ex ordine rerum in Vniuerſo, & in finem, hic aliqua ſubijciam ex parte maleficiatorum. 108

Cur maleficio afficiantur Alij nunquam, Alij ſæpè Alij rarò

Si enim maleficiandi ſint catholici veriquè, ac boni chriſtifideles, quibus impræſentiarum loquor, & ad quos hic meus dirigitur labor, Vel plenam, ac perfectam in Deo habent fiduciam, ac præcipuè in virtute Sanctiſsimi Nominis Ieſu: vel in protectione Beatiſs. Dei Genitricis Mariæ: vel ſuorum Cuſtodum Angelorum: vel ſancti alicuius, puta Sancti Franciſci, aut D. Antonij à Padua, vel alterius Sancti, quorum meritis, ac interceſsione firmiter, ac ſine vlla dubitatione, ſe continuè à quacunquè Dæmonis obſeſsione, vexatione, ac miniſtrorum eius infeſtatione ſecurè defendendos, ac protegendos, credunt. Hi cum nihil timeant, nullumquè in ſe neque minimum admittant timorem, liberi proculdubiò ab omni dæmoniaco incurſu, illæſiquè conſeruantur: quia vbi nullus eſt timor, ibi maxima in Deo confidentia, quæ prouenit ex amore, & charitate in Deum, quæ foras mittit timorem. Vbi verò maxima in Deo confidentia, ibi firma, ac indubitata Dei protectio: vt latè probatur infra *tom. 2. diſp. 4.* Ideoquè pro his in toto eſt alligata, imò totaliter ablata dæmonis poteſtas. (Hic loquimur de rationis vſum habentibus: Nam pro carentibus, eorum parentes, vel curam habentes ſupplere debent.)

Nũquam maleficio afficiuntur, qui in Deo perfectã habent fiduciam

§. III.

HAnc veritatem eruditè docet S. Bernardus in pſal. 90. ſuper illa verba qui habitat, etcæt. 109 *Beatus*, ait, *planè qui ſic habitat in adiutorio Altiſsimi: quia in protectione Dei Cæli commorabitur. Quid ei nocere poterit eorum, quæ ſub Cælo ſunt, quem*

probatur auctoritate.

Deus

Deus Cæli protegere, & conſeruare voluerit? Porrò ſub cælo ſunt quæcunque nocere poſſunt; ſub cælo ſunt aereæ poteſtates: ſub cælo præſens ſæculum nequam, & caro aduerſus ſpiritum concupiſcens. Optimè igitur eſt: In protectione Dei cæli commorabitur: vt nihil eorum, quæ ſub cælo ſunt, timere poſſit quiſquis protectionem eius habere meruerit. Hanc fidem in Chriſtum maxime commendat etiam ille magnus Antonius relatus à Delrio lib. 6. Diſquiſ. magic. cap. 2. ſect. 3. dicens: *Magna dilectiſſimi aduerſus Dæmonem arma ſunt vita ſincera, & intemerata in Deum fides.* Hanc docuit S. Hermam Pauli Diſcipulum eius Angelus Cuſtos, qui ſub forma Paſtoris diù cum eo habitauit, vt ipſe refert tom. 1. Bibliothecæ Veterum Patrum lib. 2. mandato 12. *Quicunque, ait, fide pleni ſunt reſiſtunt Diabolo, & ille recedit ab eis: quia non habet locum intrandi.* Cuius fidei virtutem in ſeipſo expertus eſt S. Ambroſius Epiſcopus, cui, vt memorat S. Paulinus *in vita eius*, nullus vnquam Magus, aut maleficus nocere potuit ob firmiſſimam in Deum fiduciam. Mortua namque Iuſtina Imperatrice Arriana cum Innocentius Magus in quæſtionem raperetur, inter tormenta faſſus eſt, Angelum Ambroſij Cuſtodem ſuum eſſe tortorem; nam viua Imperatrice eius iuſſu ſe nocte intempeſta ſub Templi tectum aſcendiſſe, & ſacrificaſſe dixit, vt Ambroſium infamem, inuiſumque faceret Plebi; nihilominus amorem in hunc virum, & fidem catholicam magis ac magis effloruiſſe: Miſſos etiam à ſe Dæmones, qui Ambroſium necarent; ſed ijs vltra ædium fores progredi non licuiſſe. En quibus excubijs Deus illos defendat, qui omnem in ſe ſolo collocant fiduciam! En quomodo poteſtas Dæmonis ligatur, & totaliter cohibetur pro his, qui firmiter in Chriſtum credunt, ac in eius protectione ſuam collocant fiduciam!

Exemplo

§. IV.

110 *Sæpè, qui diffidũt de diuina protectione.*

SI autem debilem, ac imperfectam in Deo habeat fiduciam, timore, oportet, concutiantur, quo dubitent, ſe à Dæmone vexandos. Quò enim decreſcit in eis confidentia, eò creſcit, & augetur de Dæmone timor, ac tremor, & per conſequens à Deo protegente magìs derelinquuntur, atquè tyrannidi diabolicæ ampliùs ſubijciuntur, niſi præſeruentur ob aliquam aliam deuotionem. Quod eruditè docet Lactantius Firmianus *lib. 2. Diuin. Inſtit. Nocent, ait, dæmones quidem; ſed ijs, à quibus timentur, quos manus Dei potens, & excelſa non protegit:* quaſi dicat: Qui timent Dæmones, diffidunt de diuina protectione, & per conſequens manus Dei illos non protegit: & tunc quid mirum, ſi Dæmones illis præualeant, ac noceant: cum deferente, ac recedente diuina protectione relaxentur eorum fræna, ac maleſaciendi poteſtas non ità ſtrictiori cohibeatur retinaculo? Propterea nos omnes admonet S. Theodorus Studita dicens: *Si dæmones nos viderint perduelles, cedent oppugnationi; ſin verò formidoloſos, arcum tendent.*

§. V.

111 *probatur auctoritate diuinæ ſcripturæ.*

QVam veritatem ſæpiùs teſtantur diuinæ ſcripturæ. Videas Petrum, alioſque Diſcipulos exiſtentes in nauicula *Ioan. 21.* cum ad hos venerit Ieſus, putauerunt phantaſma eſſe: & præ timore clamauerunt: ſtatimquè Ieſus locutus eſt eis dicens: *Habete fiduciam: ego ſum, nolite timere:* ac ſi diceret: Si fiduciam habebitis, illa foras mittet timorem. Quod audiens Petrus excuſſo omni timore miſit ſe in mare, & ambulabat ſuper aquas, vt veniret ad Ieſum; ſed videns ventum validum timuit; & cum cæpiſſet mergi clamauit dicens: *Domine ſaluum me fac.* Quem Ieſus manu apprehendens ait illi: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* quia modicam habuiſti fiduciam, ideò non mirum, ſi dubitaſti: quia dubium de damno, ac malo ſuſtinendo prouenit ex diffidentia de diuina protectione: ſic dixit aliàs Ieſus Diſcipulis ſuis Matthæi 16. *Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis, & Marci 4. Quid timidi eſtis? nec dum habetis fidem?* Non enim loquebatur de fide habituali, quæ eſt vna ex tribus virtutibus theologicis: nec enim iſta carebant Diſcipuli; ſed de fide actuali, ac fiducia, qua quis credit, ac confidit in Dei protectione, quæ in aliquibus maior, in alijs minor reperitur: de qua fuſiùs *to. 2. diſp. 4. vbi de fiducia in Deum.* Quæ fiducia ſecundùm quòd maior, vel minor eſt, ſic magis vel minùs foras mittit timorem. Quòd apertè docuit Filius Sirach *Eccleſiaſt. 24. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipſe eſt ſpes eius. Timentis Dominum beata eſt anima eius. Ad quem reſpicit, & quis eſt fortitudo eius? Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.* Qui ergò magìs de diuina confidunt protectione, minùs dæmoniacas timent vexationes: qui verò minùs in Domino confidunt, magìs deijciuntur, ac dæmoniacas pertimeſcunt infeſtationes: ac per conſequens iuxta eorum diffidentiam, ac timorem digni ſunt vt à Deo relinquantur, ac diabolicæ ſaltem quoad corpus tradantur poteſtati. Vndè ſapientiſſimè nos docet S. Leo ſerm. 1. quadrag. dicens: *Si nos erigimur, illi corruunt: Si nos conualeſcimus, illi infirmantur, remedia noſtra eorum plagæ ſunt: quia curatione noſtrorum vulnerum vulnerantur.* Ergo à contrario ſenſu ſequitur, vt nobis deiectis illi erigantur, nobis infirmantibus illi conualeſcant, & plagæ noſtræ illorum ſint remedia, & noſtris vulneribus illorum vulnera curentur. Sic dixit Angelus Hermeti, vt habetur in Bibliot. Veterum P. P. tom. 1. mand. 7. *Diabolum ne timeas; timens enim Dominum, dominaberis illius: quia virtus in eo nulla eſt.* Et ibidem Mand. 12. *Nolite timere Diabolum, quia in vobis poteſtatem non habet.* Et paulò infra: *Minas illius in totum timere nolite, ſine virtute enim ſunt, ſicut hominis mortui nerui.* Quid ergò mirum, ſi aliqui, licèt boni Chriſtifideles, varias ſæpè patiantur Dæmonum obſeſſiones, vexationes, atquè infeſtationes, cum ſint nimis timidi, ac conſequenter modicæ fidei, ac diffidentiæ magnæ; ideòquè mereantur aliqualiter à Deo derelinqui quoad corpus, ac ſub Dæmonis poteſtate affligi, atquè torqueri.

§. VI.

SI verò maleficiandi ſunt infideles, vel hæretici, vel ſchiſmatici, aut peſſimi Chriſtiani: cum hi ſint Dæmonum partiales, & aſſeclæ, eius præceptis, ac ſuaſionibus obſequentes, dicere poſſumus; cum Dæmones procertò ſciant, hos ſui eſſe iuris, impræſentiarum eos rarò vexare in corpore, quos perfectè poſſident in anima in æternum ſimul cum corpore torquenda in orco, & affligenda: vt teſtatur etiam Leonar. Vairus *lib. 3. de Faſcino c. 7.* Quam veritatem faſſus eſt quidam dæmoniorum prin- 112

Rarò qui per peccatũ voluntariè dæmoni ſtant ſubiecti.

princeps nomine Beelzebub in Gallia apud Oppidum Laudunum, vt refert Bartholomęus Faius Regius in Senatu Pariſienſi Conſiliarius, ac Inquiſitionum Præſes in ſuo Energumenico. *Dum enim*, ait, *Burſius Billius Cathedralis Eccleſię Canonicus quādam Nicolam Energumenam exoroizaret, pluribus Hæreticis præſentibus, à prædicto dæmone, qui eam obſidebat, quæſiuit Exorciſta: Cur tot vafris Hæreticis omiſſis ſimplicem catholicam adorſus eſſet? Plecteres, reſpondit Dæmon, tibi morigeros?* Sinit tamen Deus dæmones iuxta maleficorum, quibus ſeruire non dedignantur, vota, ſæuire in eos, quibus ipſi affligendis, vel enecandis maleficia conſinnarunt: niſi Deus prohibeat ob aliquod bonum publicum, vel priuatum. Nam huiuſmodi peccatores licèt rarò à Dæmone vexentur in hac vita, vt magis torqueantur in alia; habet tamen poteſtatem Dæmon, vt illos torqueat; vt teſtatur Auguſt. *aduerſus Manichęos* apud Alex. Alens p.3.q.100.m.5. ar.1. dicens: *Diabolus poteſtatem habet in eos, qui pręcepta Dei contemnunt.* Quare Deus maleficorum, ac Dæmonum poteſtatem non cohibet in toto; ſed in parte tantùm, vel ne videatur in maleficis totaliter liberi arbitrij impedire facultatem; ſed derelinquere in manu conſilij ſui: Vel quia maleficiandi, qui ſunt iniqui, ac peſſimi ob ſuam nimiam à Deo auerſionem nullam in Deo fiduciam elicere queunt. Quarè ſicut malefici non omnes homines ſuis afficere contendunt maleficijs: ſic Dæmones non omnes ſuis affligere, ac torquere vexationibus permittūtur.

Hi tamē maleficijs expoſiti ſunt ad maleficorum vota.

SECTIO II.

Per Angelos.

113 NEc ſolùm Deus ſeipſo hoc præſtat; ſed etiam Angelorum miniſterio, qui ſi ad Dei præceptum maleficis conatibus ſua virtute reſiſtant, non ſolùm tardiùs, & languidiùs ferri; immò euaneſcere certum eſt. Duplici enim virtute, qua pollent, illos aut impediunt, aut ſoluunt; præcipuè Spiritus illi beati, quibus Orbis cura commiſſa eſt, & hominum cuſtodia demandata: vt eruditè docet Alexander Alenſ. *par.2.q.100.mem.2.a.9.* Etenim, cum omnis Dæmonum turba, quæ cælo deturbata eſt, non ſit baratro concluſa, ſed plures ex illis, vt p... Petrum *in ſua Canon.2.cap.2.* docet S. Bonauentura *in 2. diſt.6.ar.2.q.1.* in aere iſto caliginoſo vagentur, quorum ſtudium omne eſt, ciere tempeſtates, excitare ventos, & turbare omnia inferiora; nec non mortales vel ad vitia impellere: vel varijs vexare calamitatibus per maleficia, & artes magicas, vi vtriuſquè virtutis Naturalis, & Diuinæ coercent: vt duobus articulis patefiet.

Angeli mandāte Deo maleficia Aut impediunt Aut ſoluunt.

Virtute naturali Virtute Diuina.

ARTICVLVS I.

Virtute Naturali.

114 PRopriam vnicuiſquè ſubeſſe virtutem nemo dubitat; ſed quomodò vnus Angelus alterum Dæmonem compeſcere, impedire, & expellere poſſit, non patet. Nam quoad naturam difficile eſt in vno maiorem depræhēdere virtutem, quàm in alio: cum enim ſint ſpirituales, & incorporeæ ſubſtantiæ, non eſt facile hominibus corporeis ſenſibus alligatis maioris, vel minoris potentiæ, & virtutis gradus eis aſſignare; & ideò difficillimum eſt, oſtendere: quomodo vnus naturaliter ſit alio potentior. Etenim talis eſt, aut ſecundùm intellectum: aut ſecundùm voluntatem: aut ſecundùm aliquam aliam virtutem agendi illi à Deo naturaliter inditam: vt benè dubitat P. Ioanues Marius Scribonius *in ſua Theandria diſp.15.q.6.* qui ſequ. modo diſcurrit.

Difficile eſt determinare: quomodo Angelus vnus ſit alio naturaliter fortior.

§. I.

SEcundùm intellectum quomodo poteſt eſſe maior capacitas à parte naturæ in intellectu vnius, quàm in intellectu alterius, cum ſint nudi, & puri ſpiritus? Etenim intellectus eorum nec adiuuatur, aut retardatur à ſenſibus, quia ſenſus non habent: nec ab obiecto, quia ſpecies inditas, & concreatas habent à principio ſuæ creationis: nec à facultate intelligendi, quia intelligunt ſine diſcurſu (vt ait ipſe.) Vndè quomodo naturaliter vnus intellectus illorum eſt potentior, aut acutior alio? Dices: Deus nonnullis ſtatim à principio inſtillauit maius donum ſcientiæ: aut ipſi per gratiam adepti ſunt poſtea maius lumen cognitionis in obiecto beatifico, vndè plura cognoſcere poſſunt: Reſpondeo plura cognoſcere non ſtatim eſt Dæmones expellere; immò actio intellectus creati nihil efficit extra intellectum cognoſcentis. Quapropter cum ſimplex cognitio nihil efficiat extra intellectum, etiamſi vnus Angelus haberet maiorem ſcientiam naturaliter, quàm alius, non poſſet ſola virtute intellectus Dæmonem expellere. 115

An ſecūdùm Intellectū.

§. II.

NEc minor eſt difficultas ratione volūtatis: quia nulla voluntas creata quicquam ponit in effectu extra ſe per ſuum velle, cum ſit actio immanens, quæ non tranſit ab agente in actum externum; ſed ſemper remanet in ipſo agente ad intra, vt ait Ariſtoteles 9. Metaph. *Actus agentium ſunt in patiēte benè diſpoſito*; ita vt nulla cauſa agere poſſit abſque accommodata paſſi ad agens aptitudine. Quęnam autem aptitudo poteſt eſſe paſſi exterioris ad voluntatem interiorem Angeli, vt per illam ſolam nunquam egredientem ad extra Angelus agere poſſit? Præterea ſi Angelus ageret per ſolam voluntatem extra ſe, ageret quantum vellet: quia ſi ſolùm velle ſufficeret; & ſola voluntas eſſet potentia ſatis efficax ad agendum extra ſe quicquid vellet, poſſet infinitum agere; quia poſſet infinitum velle: cum intellectus, & voluntas ſint potentiæ illimitatæ. Et ſicut quicquid poteſt eſſe, poteſt & intelligi (cum ens in tota ſua latitudine ſit obiectum intellectus) ità quicquid poteſt intelligi, poteſt & appeti. Quod primum conſequens, cum ſit falſum, falſum eſt etiam, quòd ſola voluntate agat, & operetur extra ſe ſinè adminiculo alterius virtutis. Ratio enim, cur non poſſit facere quicquid vult, eſt, quia eadem non eſt potentia faciendi, quę volendi: cum poſſit multa velle, quæ non poteſt efficere, quia potentia eius eſt terminata, & limitata, licèt illimitata, & indeterminata ſit potentia voluntatis. Inſuper ſi ſola voluntate poſſet Angelus agere extra ſe, cum vnus æquè habeat voluntatem, ſicut & alius, & æquè indeterminatam & illimitatam, nunquam Bonus malum ſola voluntate poſſet expellere: quia malus poſſet obſtinatè velle ibi remanere. Et ſi voluntas de ſe ſola eſſet efficax, nunquam à Bono poſſet extrudi: Non enim eſt voluntas angelica, ſicut humana; cum hæc mutetur; illa pertinax ſit in ſuo velle; & ideò cum æquè illimitata 116

An ſecūdùm Voluntatē.

mitata ſit voluntatis vnius potētia, ſicut & alterius, ſequitur, Angelum ſola voluntate Dæmonem expellere non poſſe.

§. III.

117 *An ſecũdùm virtutem aliam agendi.* QVare cum neque ratione intellectus, neque ratione voluntatis vnus Angelus alium expellere queat, dicendum, in eis præter huiuſmodi potentias intellectiuas dari aliam potentiam motricem executiuam, ſeu virtutem agendi naturalem diſtinctam ab intellectu, & voluntate, cuius actio non eſt immanens in ipſo Angelo, ſed tranſiens, ac conſtituens ſuum obiectum, nempè, motum in rerum natura, ſiuè in eſſe vero, & reali; ſuppoñitquè exiſtentiam rei motum ſubeuntis: vt ſuſtinent Henricus Gandauenſis *Quodlib. 13. q. 6.* Aureolus apud Capr. *in 2. d. 7. q. 2. a. 1.* Godephredus *Quod lib. 1. quæſt. 4.* & alij apud Conimbricenſes *in lib. 2. de Cælo cap. 5. quæſt. 7.* Qua potentia Angelus non ſolùm poteſt mouere ſeipſum; ſed etiam alia à ſeipſo diſtincta, ſiuè ſpiritualia, ſiuè corporalia, ad quę huiuſmodi potentia ſe extendit.

Hæc autem maior in Angelis aſſignatur, prout maioribus vel minoribus donis naturalibus à Deo fuerunt inſigniti: vt benè docent Doctores mox citandi.

§. IV.

118 *Reſoluitur affirmatiuè vnum alium cohibere.* PRopterea vnanimis eſt Theologorum ſententia, vnum Angelum huiuſmodi naturali virtute alio fortiorem eſſe; & ſic per illam Bonum poſſe coercere, & expellere malum. Quod locum non habet in omnibus omninò Angelis; ſed tantùm in ſuperioribus reſpectu inferiorum. Superior enim in natura poteſt extrudere inferiorem: non autem inferior ſuperiorem: vt Angelus infimæ Hiercarchiæ non poteſt coercere, & expellere Dæmonem, qui fuit, vel fuiſſet ex ſuprema, vel media Hierarchia. *probatur auctoritate.* Hoc docet S. Auguſtinus *lib. 83. qq. q. 79.* S. Thomas *in 3. par. q. 43. ar. 2. ad. 3. & q. 109. ar. 2. & 3. de Potentia Dei q. 6. ar. 10.* Albertus Magnus, & Dionyſius Carthuſ. *in Lucam c. 11.* Caſſianus *collat. 8. cap. 14.* Ioannes à Turrecremata *in qq. euangel. q. 1. domin. 3. quadrag.* Franciſcus Victoria *in Relect. de Arte magica nu. 22.* Ioſeph Angles *in 2. ſent. 1. par. q. de ead. materia ar. 5.* Benedictus Pererius *lib. 1. de magia c. 5.* ac Petrus Binsfeldius *de Confeſſion. malefic. dub. 3. concl. 10.*

119 *Ratione.* Ratio eſt, quia rerum ſubordinatarum debent quoquè actiones adinuicem eſſe ſubordinatæ: vt patet in corporibus cæleſtibus, quorum motibus, & actionibus actiones, & motus corporum inferiorum quemadmodum & ipſa corpora ſubijciuntur. At cum inter Angelos alij alijs ſint in naturalibus ſubordinati, vtiquè ſuperiores ſuper inferiores poteſtatem habere, nemini eſt ambigendum. Hinc Angeli tutelares, & cuſtodes ordinis ſuperioris poteſtate naturali, nedum ſupernaturali à ſuis valent clientibus arcere Dæmones inferioris poteſtatis: Et pręſides Prouinciarum frequenter impediunt, ne Dæmones inferiores nocumenta inferant certis locis, agris, fructibus arboribus cæteris bonis ad vſum hominis ſpectantibus, & ordinatis.

ARTICVLVS II.

Vitute Diuina.

IDeò dicendum, non naturali ſolùm virtute Angelos Dæmonibus imperare ad maleficia impediendа; ſed etiam virtute diuina; qua cum omnes polleant, minimus inter illos totam Dæmonum cateruam in fugam vertere poteſt: quia per gratiam conſummatam maior eſt illis data prælatio, quàm præſidentia Luciferi, aut aliorum quorumcumquè, & hoc modo tàm ſuperiores, quàm inferiores diabolicos impediunt conatus; vt probatur ex facto Sancti Michaelis (in cuius peruigilio hæc exaramus) *Qui*, vt refert S. Iudas in ſua Canonica, *dum diſputans altercaretur cum Diabolo de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ ſed dixit: Imperet tibi Deus.* Vbi vides, non virtute naturali, ſed diuina illum cohibuiſſe, nempè, interpoſitione diuini nominis; atque ex parte Dei interpoſuiſſe imperium. 120 *Virtute diuina dæmones coercentur.* *Ab Angelis.*

§. I.

121 QVòd ſi arguas, hunc Dæmonem fortaſſe fuiſſe Luciferum, qui Angelorum primus, & cæteris ſpiritibus eminentior natura fortior erat Michaele, ideò iſtum diuinam interpoſuiſſe auctoritatem, cum potentia naturali illi eſſet inferior.

Reſpondebimus ſic ſupponi, Luciferum fuiſſe ſimpliciter Angelum primum, quod non liquet. Concedimus quidem fuiſſe primum inter rebelles ſpiritus. Negamus tamen, fuiſſe primum abſolutè omnium ſpirituum: cum ſcriptura Ezechielis 28. vocet cum Cherub. *Tu Cherub extentus, & protegens*, ex quo ſequitur non fuiſſe ſimpliciter primum, cum ordo Cherubim, ex quo ſua culpa cecidit, non ſit ſupremus ordo, ſed Seraphin; Et S. Auguſtinus *in lib. qq. veteris teſtam.* Principem multorum, non omnium: *Lucifer*, inquit, *erat quaſi princeps multorum, inter quos clarior erat, quorum ſocietate ad impium deſcendit certamen.* Sed quia intricata hęc quęſtio variè agitatur, ne altercemur pro demone contra Angelum, concludamus, ſolitos ſpiritus beatos, cum tartareas poteſtates in maleficijs, & cæteris huiuſmodi compeſcere volunt, vti diuina poteſtate, & virtute ſupernaturali, qua illas ità coercent, vt ligatæ videantur: Sic Raphal Archangelus iunioris Tobiæ ductor Aſmodæũ ſeptem virorum homicidam in deſertis ſuperioris Ægypti religauit. Sic in Apocalypſi *c. 20.* Alius Angelus de Cælo deſcendens habens catenam in manu ſua apprehendit Draconem, & ligauit eum, vt non ſeducat ampliùs gentes. Sic quotidiè in orbe Cuſtodes Angeli ſolent impetus Dæmonum, & maleficorum impedire, vel retardare, ne quid attentent contra Dei voluntatem. Quod eruditè docet Rupertus Abbas ſuper Iudicum caput. 5. *Angeli*, inquit, *manentes in ordine, & curſu ſuo pro hominibus pugnant, cum Dæmones in nos inſurgentes fugant, & terrent. Suo enim miniſterio*, ait, Beatus Laurentius Iuſtinianus de ſpirituali animę reſurrect. *Dæmones arcent, ne ad libitum noceant. Quis quęſo, niſi angelico eſſet fultus auxilio, tàm immaniſſimorum hoſtium valeret ſuperare rabiem, effugere laqueos, tentationes vincere, fraudeſquè detegere? Cuſtodia ſiquidem ſua vias noſtras ſæpiunt, ne in petrã ſcandali ſpirituales animæ impingamus pedes.*

Quæ

§. I I.

122 *A Sãctis* QVæ ſuperna virtus, cum non ſolùm Angelis, ſed etiam Sanctis à Deo concedatur, aſſerendum eſt, potentem illum hoſtem neceſſariò cedere, ſi illorum æquè, ac Angelorum auxilium diabolicis machinationibus impediendis, aut ſoluendis interueniat. Quamuis enim tota hominum vis, vt potè inferior, dęmonum poteſtati æquiparari nequeat; tamen cum naturæ gratia accedit, ſuperior euadit; ità vt Sanctorum minimus ope fretus Diuina vniuerſas dęmonum cohortes procul expellere; nec non in nihilum redigere quicquid maleficis artibus tentare præſumunt, vt longa tot ſeculorum in tot Sanctis experientia docuit.

123 Extat luculentum exemplum apud Vincentium Beluacenſem lib. 12. cap. 11. Speculi hiſtor. de Sancta Iuſtina, quam cum quidam Scholaſticus nomine Agladius in Antiochia ardẽter amaſſet, eam ſibi vxorem petijt, quæ cum reſpondiſſet Chriſto cæleſti Sponſo ſe eſſe deſponſatam, volebat eam per vim rapere; ſed cum non potuiſſet iratus abijt ad Cyprianum Magum, & promiſit ei duo talenta auri, & argenti, ſi Iuſtinam Virginem per maleficia caperet. Qui per magicas artes vocauit dæmonem, & ait illi: *Amo Virginem de Galileis, potes eam ſuadere, & adducere mihi*. Qui promiſit ei dicens: *Accipe hoc medicamentum, & ſparge circa domum, & ego ſuperueniens paternum ſenſum ei inijciam, & ſtatim obediet mihi*. Cumque Cyprianus ita feciſſet, Sancta Virgo tertia noctis hora ſurgens ad orationem ſenſit impetum dæmonis, ſignauit ſe, & domum ſuam ſigno Crucis, & dæmonem exufflauit. Qui veniens ad Cyprianum confuſus, & cur Virginem non adduxiſſet requiſitus ait: *Vidi quoddam ſignum, & tabui*. Iterum per artem magicam alium dęmonem fortiorem vocauit, qui ex ſimili modo fecit, & ſimiliter ei accidit; tandem vocauit ipſum diabolum patrem dæmonum, & ait illi: Quæ eſt infirmitas veſtra? Victa eſt ab vna virgine omnis virtus, & gloria tua: Reſpondit ille: *Nunc adducam eam tibi ad deſiderium corruptionis, tu tantùm paratus ſis*. Tunc diabolus in ſpecie virginis ad Iuſtinam intrauit, & ſedens ſuper lectum eius dixit: *Hodie miſſa ſum à Chriſto ad te viuere tecum in caſtitate. Multùm autem te video vexatam abſtinentia*. Sancta Virgo dixit: *Merces autem multa, labor verò modicus*. Dixit ei Diabolus: *Deus in paradiſo benedixit Adam, & Euam dicens: Creſcite, & multiplicamini, &c. Puto ergo, quòd ſi in virginitate permanſerimus, iudicium incidimus, quia verbum Dei contemnimus*. Tunc, Virgo turbata ſurrexit, & per ſpiritum ſenſit quis eſſet qui ei loquebatur, & ſigno crucis ſe ſignans diabolum exufflauit, qui ſicut cera à facie ignis liquefactus non comparuit, ſed vt famam Iuſtinæ pollueret, & Cyprianum; necnon Acladium deludens ſuam potentiam iactaret, ad Cyprianum venit ſub forma Inſtinæ, quem cum vellet oſculari, Cyprianus putans eum eſſe Iuſtinam dixit: *Benè veniſti Iuſtina omnium fœminarum decora*. At dæmon non ferens etiam nomen eius, ſicut fumus euanuit. Vndè Cyprianus amplius anxiatus iterum dæmonem vocauit, qui Acladium apparenter mutauit in paſſerem, qui cum in altum volaſſet ſuper lignum prope Iuſtinæ feneſtram, mox vt Virgo eum vidit, non paſſer, ſed Acladius tremens ſtetit anguſtiatus nimis, quia nec fugere poterat, nec deſcendere, nec ſalire, ſed miſerta eius Iuſtina ne caderet, & creparet, eum per ſcalam deponi fecit, & vt à tanta inſania ceſſaret, ne quaſi maleficus iuxta leges periret, admonuit. Quare dæmon Cypriano confuſus apparuit, qui dixit ei: *Et tu quoque victus es, ſicut & cæteri tui ſubiecti? At quomodo victi eſtis ab vna Virgine Chriſtiana? Dic mihi, quæ ſit virtus victoriæ eius*. Qui reſpondit: *Dicere tibi non poſſum, vidi quoddam terribile ſignum, & tabui. Si autem virtutes illius ſigni vis diſcere, iura mihi per virtutes meas te numquam à me diſcedere*: Qui cum iuraſſet, ait ille: *Vidi ſignum Crucifixi, & tabui, & ſicut cera à facie ignis fluxi*. Cui dixit Cyprianus: *Ergo Crucifixus maior te eſt?* Qui reſpondit: *Etiam maior eſt omnibus, quia per ipſum mundo miſertus eſt Deus, & ſiuè Angeli tranſgreſſores, ſiuè homines Dei deſertores adducuntur ab Angelis ante faciem Chriſti Crucifixi, ibi ſic accipiunt ſententiam ignis inextinguibilis in æternum cruciandi*. Tunc Cyprianus ait: *Ego debeo feſtinare amicus fieri Crucifixi, ne talem pœnam incurram*. Ille reſpondit: *Iuraſti mihi per virtutem, quam nemo peierare poteſt*: Cyprianus ait: *Contemno te, & omnes fumigantes virtutes tuas, ſed & meipſum denego, meque conſignans dico: Gloria tibi Chriſte: dæmon recede à me*. Abijt ergo diabolus confuſus, ac Cyprianus ad Chriſtum perfectiſſimè conuerſus ſimul cum Iuſtina poſt multa tormenta perpeſſus ab Eutholomio Comite Orientis, quibus perferendis fortes, ac in fide conſtantes extiterunt, *tandem iuſſu Claudij Cæſaris Nicomediæ decollati ſunt*. Hæc Beluacenſis. Ex quo videas, quomodo canis ille infernalis non ſolùm Deo, & Angelis expoſitus eſt ad illudendum, ſed etiam Ciuibus Sanctorum, & Domeſticis Dei, qui illum non baculo, ſed virtute diuina pęnitus deterrent à maleficijs exercendis.

§. I I I.

NEc tantùm Sanctis Dei virtus aſſiſtit ad Dæmones profligandos, immò etiam omnibus fidelibus: 124 *A Fidelibus.* quia etſi maior dæmoni concedatur facultas nocendi malis, & præcipuè inſigniter ſceleratis, qui ſe voluntariè per peccatum dæmoni coniungunt, vt notat Auguſtinus *ſerm. 197. de tempore*: à quibus diuina Iuſtitia debitas ſcelerum pęnas exigit; tamen non niſi temperatè, & reſtrictè permittitur ei contra bonos aliquid attentare; ità vt eis facilè ſit, non ſolùm ferre patienter; ſed & alacriter, vt maiora gratiarum dona Dei auxilio conſequi mereantur. *Fidelis enim Deus eſt*, ait Paulus 1. Cor. 10. *qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*. Immò ſi in ipſis moleſtijs diabolicis toto corde; vera fide, ac firma fiducia ad Deum confugiunt, liberationem, ac euaſionem petentes, præcipuè ob honorem Sanctiſſimi Nominis Ieſu, ac per merita, & interceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorum Angelorum, ac Beatorum eo modo, quo docebimus infra *tom. 2. diſp. 4.* ab omnibus vexationibus diabolicis liberantur, illæſique, ac inoffenſi permanent, ac conſeruantur. Quare in omnium poteſtate eſt, ſe diſponere ad eliciendos actus fidei, ac fiduciæ in Deum, vt docetur *tom. 2. d. 4. p. 2.* qua huic cani facillimè illudere valeant; vt multi fecerunt irritantes, irridentes, exprobrantes eius imbecillitatem, quæ talis eſt, vt nihil poſſit: vel ſi quid poteſt, non niſi concedente Deo, qui euenire mala non permittit, niſi vt maiora bona eliceat: vt ſupra *præcedenti cap.* demonſtratum eſt.

PARS TERTIA.

Poſtquam commiſſa ſunt.

Tãta eſt Maleficorum in peccando licentia, vt Prouidentia diuina nulla eſſe uideatur Quæ tamen aliquando caſtigat poſt peracta peccata

125 ETſi Magis, & Maleficis magna pro ſuo arbitratu peccandi licentia concedatur, & tanta, vt eorum plerique in omnia ſcelera præcipites laxatis ferantur habenis, quaſi nulla ſit Numinis prouidentia, quæ rerum humanarum curam gerat: aut ſi aliqua ſubindè appareat, eius vim ſcelerati effugere videantur. Tamen non ità quieſcit, & latitat, quin ſæpiùs grauibus ſupplicijs in eos animaduertẽdo ſe prodat, ſuaſq. iniurias iamdiù toleratas vlciſcatur; vt omnes intelligant, Diuinam Prouidẽtiam excubare rebus humanis, eiuſq. diſpoſitiones ignotas, ſed iuſtas neminem poſſe prætergredi, quin pro qualitate meritorum, aut ſupplicia referat, aut præmia.

Sed quia nõ ſolum peccant, qui faciunt maleficia; ſed etiam qui conſentiunt facientibus; vt ſunt illi, qui ad eos recurrere ſolent, & auxilium Dęmonis implorare nõ erubeſcunt; ideò eorum iniquitates condignis caſtigationibus viſitat. Quamuis enim præcipuam omnium peccatorum vindictam futuro ſęculo reſeruet, quãdo iuſtitias iudicabit, & æquam faciet meritorum, aut demeritorum compenſationem; tamen in hoc ſæculo ſæuieriores immittendo pænas, teſtatur interdùm, quàm grauiter Maieſtatem eius offendãt, qui diabolicam opem, & miniſtrorum inferni operam quærunt, vt ex illis omnes reputent, grauia poſt hanc vitam eis manere tormenta, qui in iſta tam atrociter à iuſtitia vindice puniuntur.

Tum Maleficos, Tum eorum Conſultores.

At quia de pęnis hiſce delictis à iure ciuili, & canonico ſtatutis latè pertractatur *to.2. diſp.1.* Ideò hanc veritatem probare libet in hac tertia diſputationis parte exemplis potiùs, quàm alijs demonſtrationibus, doctum Lectorem ad ea remittendo. Cum enim plus moueant exẽpla iuxta commune effatum, clariùs iræ Dei magnitudinem declarabunt, quæ illos inſequitur, qui maleficia vel operantur: vel quærunt, nempè Maleficos, & ipſos Conſulentes; vt ſequentia Capita palàm facient.

CAPVT I.

Puniente Maleficos.

Quà graue peccatũ ſit maleficium, quod omnia peccata videtur comprehendere: nec vlla pæna cõdigna caſtigari poteſt.

126 SI criminis grauitas pęnæ grauitate commenſuranda eſt. *Deuter.25.* vt iuxta menſuram delicti ſit plagarum modus. *cap. Non afferamus 24. q. 1. cap. Sicut dignum de homic. & cap. Fælicis de pænis in 6. & L. perſpiciendum ff. de pænis. L. 1. §. Sed & qui ff. de abigeis.* Quæ pęna tàm atrox poterit reperiri, quæ maleficij crimine, in quod omnia crimina concurrere videntur, non ſit longè inferior? Nam quid peccant homines in Deum, aut proximum, quod Malefici non exequantur? Immò quænam ſunt illorum peccata, quæ horum ſcelera æquare aliquo modo poſſint?

§. I.

DEum omnium Creatorem, & opificem vnum, & trinum contemnunt, abnegant, blaſphemant, maledictionibus proſequuntur. Chriſto, eiuſq. meritis, morti, paſſioni, æternæ hæreditatis iuri, prætioſo eius ſanguine acquiſito, fidei catholicæ, baptiſmo, & Eccleſiaſticis Sacramentis renunciant: crucem venerabilem conculcant: Sanctiſſimum Chriſti corpus in Euchariſtia ſumptum aliquando, & in ore retentum in terram nefariè expuunt, & calcibus præmunt; Beatiſſimam Virginem Deiparam, Sanctoſque regnantes in cælis horrendis afficiunt contumelijs; atque ad antiquum humani generis aduerſarium deficientes ſeipſos perpetuo eius ſeruitio deuouent; & vt ſtrictiori vinculo ei deuinciantur, in damnatorum, mortiſq. perpetuæ libro nigerrimo ad hoc parato, nomina, & ſyngrapha propria manu apponunt, ſtigma ſuſcipiũt carni inuſtum, iureiurando mandatis eius ſe obſtringũt: in pignus fidei datę capillos, vnges, & quod horribilius eſt, ſemen proprium offerunt. Inſuper in forma, & ſpecie fędiſſimi, & fætentiſſimi hirci immutatum, vt Deum re, & verbis adorãt, ad eum candelas piceas accẽſas in manibus tenentes còmplicatis genibus accedunt, turpiſſimumq. eius anum (proh pudor!) ſumma cum reuerentia ore ſacrilego deoſculantur. Deniq. vt Deum conſulunt, frequenter inuocant, eiuſque gloriam, honorem, & regnum omni ſtudio promouere conantur: vt multis exemplis cõprobatur à Nicolao Remigio *de Dæmonolatr.* plur. locis.

§. II.

NEc ſibi ipſis meliores eſſe quis credat? Nam cõ- 127
tumelia afficiunt propria corpora nunc adulter a cõmittendo: nunc ſe cũ matribus, cum filiabus, & parentibus promiſcuè commiſcendo; ſæpiùs ſtupris, ſodomiã cum ſexus eiuſdem homine cõmiſſam ſuperaddendo: ſępiſſimè cum iumentis coeundo: & quod deteſtabilius eſt, cũ dæmonibus ſuccubis: aut incubis carnaliũ peccatorũ ſpurcitijs ſe inquinando, peccantes non tantum contra publicã honeſtatem, & ſexum; ſed etiam contra ſpeciem, & genus, vt tradit Binsfellius *de Confeſſ. Malefic. concl. 5.* Animus verò idolatrijs, ſacrilegijs, apoſtaſijs, periurijs, blaſphemiis, ſortilegiis, maleficiis, aliiſque ſcelerum ſordibus inquinant; ità vt omnium facinorum tetræ colluuies, & abominandæ ſentinæ videantur.

§. III.

SIbi ipſis nequam cui boni eſſe poterunt, & nõ po- 128
tiùs mali, cum faſcinationibus, incantationibus, & alijs maleficiis omnes inſequantur, morbos ignotos, & naturalibus remediis incurabiles immittant, inducãt famem, peſtem, diſſenſiones, & publica mala, quibus complures pereunt; ſed præcipuè infantes interficiant, opprimant, confodiant, è cæmeteriis exhumatos, & ex ſepulchris erutos, & in Synagogam facinariorum deportatos dæmoni offerant, capite, manibus, pedibus abſciſſis truncũ decoquant, lixent, aſſent, comedant, & deuorent, pinguedinem detractã ad diuerſa conficienda maleficia conſeruent; & ne quid malitiæ deſit, in animalia, ac vegetabilia, ipſaq. inſenſibilia ſæuiant, & graſſentur?

Quali ergo pęna ſcelerum omnium hoc epitome condignè puniri poterit; Etiamſi omnia tormentorum genera coacerues, quibus vnquam tyrannicus furor exarſit in ſontes; cum ſic coaceruata vni ex his criminibus plectendo non ſufficiant? Para virgas,

ſterne

ſterne aculeos, furcas erige, acue gladios, rogos accende, ignes excita, verſa feruens oleum, liquatum plumbum infunde, exere ſingula tormentorum genera, vre, ſeca, vexa quantùm volueris, quantùm poteris, quid illa omnia ad transfugium ad dæmones, & magicam apoſtaſiam, quæ vniuerſa complectitur ſcelera, quibus ſingulis puniendis humana iuſtitia hæc omnia adhibere conſueuit? Quare Diuina elucet miſericordia non ſolùm cum maleficia tanta permittit; ſed etiam cum illa in hac vita caſtigat, ſiuè Ordinariè puniat; ſiuè Extraordinariè; vt ſequentes ſectiones docebunt.

Ideò miſericors Deus ſic illos graue punit in hoc mundo ſiuè Ordinariè, ſiuè Extraordinariè.

SECTIO I.

Ordinariè.

129 ORdinariam criminum pęnam ſoluunt malefici, cum Diuina ordinatione per homines morte violenta multantur: Solet enim Deus eos longo tempore tolerare, vt conuertantur à vijs ſuis peſſimis. Quod ſi id facere abnuerint, permittit incidere in manus hominum, vt ſub acie gladij poſiti, & expoſiti flammis vrentibus, reſipiſcant.

Ordinaria pęna mulctātur Malefici, cū diuina ordinatione morte violēta puniūtur.

§. I.

PRimum docet Paulus *Roman. 9.* cum dicit: *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum.* Nam etſi de omnibus peccantibus hoc verum ſit; tamen meliùs in inſigniter ſceleratis, vt ſunt Malefici, comprobatur; in quibus ſuſtinendis potentiam, iram, & miſericordiam propalàm oſtendit. Quæ potentia ſuſtinere poteſt peccatores? *Peccatum ſicut pondus immenſum ità portantes aggrauat,* ait Chryſoſtomus homil. 19. in Matthæum, *vt nullus reperiatur in orbe, qui illud portare valeat, præter eum, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ.* Cęli, etſi ære fuſi videantur, vt ait *Iob 37.* inclinantur tamen ſub Lucifero, & Angelis apoſtaticis. Mare ingentes naues ſuſtinet; non ſuſtinet Ægyptios, qui deſcenderunt in profundum quaſi lapis, vt cantant hæbreæ mulieres *Exodi 15.* Terra, cui moles ædificiorum incumbit, dehiſcit ſub pedibus Core, Datan, & Abiron. *Num. 16.* Homines robuſtiſſimi, qui humeris maxima gerunt pondera, fatigantur ſub ſarcina peccatorum: *Iniquitates meę ſicut onus graue granatæ ſunt ſuper me,* ait robuſtiſſimus Dauid *pſal. 37.* Solus omnipotēs peccantes ſuſtinet; ſed quàm ægrè, teſtatur ipſe, dum per Prophetam Ier. 23. de peccatoribus conqueritur: *Vos eſtis onus mihi, dicit Dominus.* Vbi Lyranus ait: *Onus importabile propter peccatorum veſtrorum pondus.* Sed non minùs Diuina innoteſcit ira in illa tolerantia. Si enim quos diligit, caſtigat; quos odit peccare ſinit. Et ſi caſtigatio primos ſi fortè ſegniùs in via Dei ambulent, ad exactiorem vitę rationem reuocat, prouocatq. ad feruentiùs percurrendas iuſtitiæ ſemitas. Tolerantia ſecundis eſt occaſio vitæ laxioris; quia proſperitate excæcāte in noua peccata prolabūtur; deterioreſq. indies euadunt, qui fortè diſciplinam reciperent, ſi paterno pęnæ temporalis flagello corriperentur. *Vnde,* vt ait Bernardus, *tunc maximè Deus iraſcitur cum non iraſcitur:* Quod attentè conſiderans ille deuotus Poeta ſuis *Anthol. Sacr.* cecinit:

Solet Deus tolerare illos longo tempore, vt conuertātur

Cum datur iniuſto peccandi optata poteſtas
Vt mala mens praue quod cupit, efficiat
Ira Dei magna eſt, qua multos ſic quoque punit
Vt quibus exultant criminibus, pereant.
Creſcit enim occulto cum longo pęna reatu
Auſibus illicitis ſi nihil obſtiterit.
Et magis erranti ne parcant flagra timendum eſt,
Quàm ne non fiat, quod voluiſſe nocet.

Quare D. Auguſtinus de vera Innocentia ait: *Diuina bonitas ideò iraſcitur in hoc ſæculo, ne iraſcatur in futuro, & miſericorditer temporalem exhibet ſeueritatem, ne æternam vltionem inferat.* Et quia ſemper pax, & veritas obuiant ſibi, miſericordia, & iuſtitia ſeinuicem oſculantur, vt habetur *pſal. 84.* miſericordiam teſtatur, dum ſuſtinet in multa patientia reos: quia ſi ira omnem miſericordiam excluderet, non exerceret patientiam; ergò cum patitur miſeretur: & eò magis miſeretur, quòd patientia illa non vna eſt; ſed multa; atque ij, quos ſuſtinet, ad maiorem deuenere miſeriam. Quis enim miſerior ſtatus, quàm eſſe vaſa viæ apta in interitum? Vaſa, inquam, nihil aliud ſe totis continentia in potentijs ſpiritus, in facultatibus animæ, in membris corporis, quàm peccata, quæ iræ Dei cauſa ſunt; quia Deum ad iram prouocant, materiamque ardendi præbent igni inextinguibili.

§. II.

SEcundum teſtatur experientia: Nam illi, qui virtutis amore non flectuntur, formidine pęnæ conuerti ſolent; & quos tempore longioris tolerātiæ inſpirationes, exhortationes, interiores motus, ſolicitationes bonorum; & Sanctorum exempla ad pænitentiam trahere non potuerunt, finalis ſententiæ irreuocabilis ordo commouet. Quot enim obſtinati homines, qui toto vitæ curriculo nunquam de ſalute cogitarunt, cum ſe vident morti adiudicatos, ſeriò recogitant omnes annos ſuos in amaritudine animæ, & in corde contrito; atq. ad Deum redeuntes, à quo fuerant ſemper auerſi, finibus miſericordiæ excipiuntur! Ideò Maleficos, quos ad pęnitentiam Deus miſerādo reuocare non poteſt, vocat iraſcendo. Permittit enim illos incidere in manus hominum, qui ſiuè Auctoritate Publica: ſiuè Priuata illos gladijs, & ignibus adiudicant; vt ſic pęnæ tantis ſceleribus debitæ breuiori, & leuiori ſupplicio expientur: vt duobus articulis patefiet. 130

Permittere incidere in manus hominum.

Qui in illos animaduertunt. Auctoritate Publica, Auctoritate Priuata.

ARTICVLVS I.

Auctoritate Publica.

§. I.

NEmini dubium eſt, Eccleſiaſticos, Politicoſquè Iudices Dei eſſe miniſtros, & adminiſtros Diuinæ iuſtitiæ, cum à Domino poteſtatem acceperint; propter quam Dij frequenter nuncupantur. Et primi quidem gladio ſpiritus, quod eſt verbū Dei. Secundi gladio materiali, vt monet Paulus *Rom. 13.* debent inſontes animaduertere; præcipuè in Maleficos. Ad quod tenentur ſpeciali iure Diuino, eccleſiaſtico, humano, vt ſic Chriſtiana Reſpublica cōmuni peſte liberetur, & publici hominū hoſtes igne, & ferro aboleantur, vt latè oſtenditur infra *to. 2. diſp. 1. n. 45. & ſeq.* Ideò Deus ſuū libenter Iudicibus impertitur auxiliū, & iuſtitiā exercere, conatuſq. maleficos eludere valeant, ſi ritè ſuo fungātur officio, vt exēplis probat Sprenger *in malleo malef. p. 2. q. 1.* Nam ſi excæcantur auaritia, trahantur ambitione, ferantur crudelitate, diuino deſtituūtur fauore, & diabolicis exponuntur incurſibus: Immò ſi curioſitate ducantur ſuas perſoluūt pęnas, vt Iudex ille, de quo Cumanus Epiſ. & Sylueſter Prieras, qui volens experimentū facere, 131

Ad puniendos Maleficos tenētur Iudices Eccleſiaſtici, Politici. Iure Diuino Eccleſiaſtico Humano

an ea, quæ vulgò de Magis circumferuntur, vera, eſſent, facta conuentione cum muliercula, & egreſſus ex vrbe, intra cuius mœnia ſe quicquam poſſe facere ſubdola Maga negabat, vidit in agro dæmonem multa ſtipatum turba Magorum, qui eius iuſſu in Iudicem irruentes ità verberibus exceperunt, vt poſtea decimaquinta die cum alijs comitibus diem obierit.

Iudices, ſi mali ſunt, præualet cōtra eos dæmon.

§. II.

132 *Si boni sūt, Deus illos protegit ad maleficos puniendos.*

QVod ſi pietatem, firmitatem fidei, confidentiam in Sanctiſſimo Nomine Ieſu, & iuſtitiæ zelum præſeferant, cum procedunt in Maleficos, Deus non tantùm conſueuit illos ſua luce perfundere, vt è tantis difficultatibus eruantur, quibus à dæmone communiter inuoluuntur, decernantque inter opacas litigiorum tenebras ab illo ſpiritu nequam excitatas, quid iuſtitiæ, & æquitati conueniat; ſed etiam eis tanquam iuſtitiæ ſuæ adminiſtris Maleficos tradere; imò quaſi manu ducere puniendos. Cum enim neque Iudices de illis cogitant, nec ſibi Malefici timent, ſecreta eorum ſcelera Diuinę ope potentiæ, & medijs extraordinarijs reuelantur, vt omnes ſentiant inuiſibiliter operantem eum, qui reddit vnicuiq. ſecundùm opera eius. Hoc teſtantur tot vtriuſque ſexus Malefici mandante vtroque tribunali ignibus adiudicari, quorum ſi capturam, proceſſum, & condemnationem examines, clarè Deum perſpicies operantem, qui etiam miracula facit, vt illi in Iudicum cognitionem deueniant.

Tum per ſe occulta prouidentia.

Quod toties accidit, quoties Euchariſtia Sanctiſſima ſuper prunas poſita, aut Chriſti è cruce pendentis imago ſagittis, gladijs, & lanceolis percuſſa ſanguinem emiſere; qui cohiberi non potuit, donec re patefacta ſacrilegi traditi fuere iuſtitiæ miniſtris: vel cum perſtitere immobiles, & ità Eccleſiæ, aut alijs ſacris, profaniſque locis concluſi, vt patentibus ianuis poſt gyros, & circuitus exitum nunquam inuenire potuerunt, Deo inuiſibiles compedes inijciente, quoadusquè viſibilibus, & ferreis irretiti ad tribunalia ducerentur: vt pluribus exemplis oſtendit Delrius *lib. 3. Diſquiſ. Mag. p. 1. & lib. 5. per totum, & in malleo malefic.* ſparſim.

§. III.

133 *Tum per homines inſtinctu particulari.*

SIc ſuo ſpiritu homines vrget ad Magos in flagrāti delicto repertos, aut maleficia exercere deprehenſos in iudicio accuſandos, & deferendos nulla habita ſanguinis, conſanguinitatis, affinitatis, & amicitiæ ratione. Quo in genere laudem meretur Ruſticus Treuirenſis relatus à Sprengero *in ſuo malleo par. 2. q. 1. cap. 13.* qui cum filiolam octennem Magam comperiſſet, eò quòd poſt aquam in ſcrobem effuſam, & bacillo turbatam aliquorum verborum ſubmurmurando prolatorum virtute, pluuiam dediſſet in condictum horti locum, atque ab ea tacere neſcia didiciſſet, hoc, & ſimilia à Matre fuiſſe edoctam, poſt dies aliquot inuitatum ſe ad nuptias ſimulans, vtramquè nuptiali modo exornatam currui impoſuit, & in vicinum oppidum deductas tradidit Iudici, vltimo ſupplicio crimina expiaturas.

§. IV.

IMmò ipſummet cogit dæmonem viliſſima ſua mancipia prodere, & quaſi ducere ad magiſtratus capitali ſententia punienda. Quod ille lubens exequitur, cùm de hominum miſerijs, calamitate, & interitu gaudeat. Sic cuidam Opilioni, vt habetur *in Chron. Fratr. Min. S. Franc. p. 2. lib. 4. cap. 19.* poſtquam dæmonis arte multa perfecerat mira, tandem ei ſub forma mercatoris apparuit dæmon nonnullas tradens vaccas, vt eas ad nundinas duceret vendendas, debitam illi, ſi venderet, promittens ſoluere mercedem. At vix peruenit ad locum, quòd eccè vaccarum verus dominus, à quo fuerant furtim à dæmone ſublatæ, qui illis agnitis vt furem apud Iudicem accuſauit ductorem, qui cùm mercatorem, à quo eas acceperat, vt de veritate teſtaretur, non inueniſſet, ipſe de delicto conuictus morte damnatus pro ſeruitutis mercede à dæmone ſuo Domino furcam recepit. 134

Tum per dæmones coactione ſingulari

Nec ipſe ſolus dæmon; ſed & Magos aliquando vrget, detegere contubernales, crimina propalare, & indicare ſecreta ſtigmata, ac facinora, quibus Magi deprehendi poſſunt. Sic hoc noſtro æuo cum quidam malefici, vt felicis recordationis Sanctiſs. Vrbanum VIII. è medio tollerent, licèt incaſſum, maleficia concinnaſſent, vnus ex illis totum patefecit crimen, contubernaleſque detexit, qui omnes pęnas tanto ſceleri debitas Romæ publicè ſoluerunt. Aliquando ità excæcat, vt ipſi quaſi vltrò ſe prodant in Iudicum ferè oculis maleficia exercentes: Sicut ille, qui Venetijs damnatorum in triremibus animas promiſſa libertate, & decem aureis pro vnaquaquè numeratis emebat, emptaſquè addicebat dæmoni conſentientibus venditoribus, qui proprio ſanguine notato chirographo venditionem ratificabant; & poſtea ab emptore certo veneno necabantur: vt refert Villamontius ſupplicij eius ſpectator *lib. 1. Itinerarij cap. 33.*

§. V.

DEnique illi in more poſitum eſt, infallibilem promittere liberationem, ſi eos in manu Iudicum deuenire contigat. Vndè eò libentiùs ſe iudicio exponunt, quò promiſſionibus cōfidunt diabolicis: vt Eom famoſus ille Magus, qui damnatus in Concilio Rhemenſi, cum duceretur ad mortem, ſæpiùs terram pede proterens dicebat, quaſi eam compellaret: *Terra findere*. Teſte Guilhelmo Neuberg. *lib. 1. hiſt. Angl. cap. 18.* Quare Iudicibus ſummoperè cauendum eſt, ne huiuſmodi humani generis peſtes punire negligant, aut diſſimulent. Cum enim ſint à Deo conſtituti ad vindictam malorum: & gladium acceperint ad peccata publica, priuataque vlciſcenda, vt habetur *ex L. Congruit. de off. Præſidis*, ſæuerioribus pęnis in illos animaduertere debent; cum eorum ſcelera directè, & immediatè Diuinam offendant Maieſtatem, & Dei optimi Maximi indignationem prouocent, vt iuſtè nobis iraſcatur. Si ſecùs faxint, & nimis lenes, remiſſos, & negligentes ſe præbeant, ſciant ſe apud Deum conſcios eſſe eiuſdem delicti, & apud homines fautores magorum haberi; vt latè probat Delrius *Diſquiſ. Magic. Anacephalaeoſi monit. 3.* tenerique ad reſtaurationem damnorum, quæ per eorum conniuentiam, aut negligentiam ſubditi patiuntur: vt habetur *c. 1. de off. Iudic. delegat.* & D.D. ibidem *L. Congruit. de off. Præſidis*. 135

Eadem

§. VI.

136 EAdem Principes manet obligatio, qui cum Diuinam Maieſtatem repræſentent, Diuinas iniurias non negligere, aut remittere; ſed vlciſci debent, vt thronus eorum à Domino ſtabiliatur. Vnde qui zelo ducti Diaboli partiarios in virga ferrea regunt, & debitas de magis, & maleficis pœnas ſumunt, apud Deum gratiam, & apud homines laudem conſequuntur. Sic Iehu, dum zelum exercet pro Domino, & Sacerdotes Baal inſigniter magos ad vnum trucidat; atquè Iezabelem veneficijs, & abominationibus famoſam præcipitat de feneſtra, exponitquè canibus deuorandam, regno potitur vſquè ad quartam generationem longiori tempore illud poſſeſſurus, ſi eodem zelo vitulos aureos Ieroboam abſtuliſſet. Sic anno 1383. Allobrogum Comes (dum caſtrum Oui Neapoli obſideret Dux Andegauenſium) rogatus à prædicto Duce; an oblatio cuiuſdam Magi eſſet acceptanda, qui arcem tradere paratus erat eadem arte, qua illam in manu Caroli Pacifici dederat, petijt, magum ad ſe mitti, qui cum veniſſet, eademquè ſpopondiſſet, carnifici traditum capite feriri iuſſit, numquam ſe commiſſurum, proteſtatus, vt tàm ſtrenuis militibus, & belli ducibus exprobraretur, Carolum ſine infamia, & artibus vetitis debellare non potuiſſe; ſed ſibi ſpem in Deo, & Dei virtute collocatam eſſe.

principes ad idem tenentur Quid præſtiterit meretur. Gratiam apud Deum, & Laudem apud homines.

Atquè ijs, & ſimilibus modis operarij iniquitatis meritas ſcelerum pœnas recipiunt, qui aliquandò ſqualore carceris fracti: vel viſo rogo perterriti pijs Confeſſariorum monitis acquieſcunt; & dæmoni renunciantes ad Deum conuertuntur, à quo ſingulari miſerentis clementiæ beneficio, temporali igne expiati ignibus æternis eripiuntur; vt latiùs manifeſtabitur infra *tom. 2. d. 1. n. 71. verſ. Tertio.*

Per vtroſque cum puniūtur Malefici conuertūtur pleri qae.

ARTICVLVS II.

Auctoritate Priuata.

137 PRiuata auctoritate magorum, & maleficorum ſcelera vlciſcuntur hi omnes, qui non gladio publico, cùm non ſint Magiſtratus: ſed vltore gladio, ira, & furore commoti, vt perſonæ priuatæ vtuntur. Quod etſi Deo volente non fiat, qui omne homicidium prohibet; non tamen ſine eius prouidentia euenire, compertum eſt. Cum enim ſic dirigat humanas voluntates, quæ proprio impetu feruntur in malum, vt quamuis non det illis malitiam; attamen det illis ordinem, ſicut ſuperiùs demonſtrauimus: permittit ſæpiùs, plures ſæuire in maleficos, vt per illos ſcelera eorum puniat, ſicut aliàs per Philiſtæos, Babylonios, alienigenaſquè nationes ob deſertæ Religionis, & cultus diuini neglecti crimen vindictam ſumebat de Iudæis. Eorum autem alij incogitantes: alij cogitantes maleficis cruciatus, vulnera, & mortem ipſam inferunt.

Maleficos puniunt hi, qui vltorem gladium acipiunt, & ex odio, furore, aut alia occaſione interficiūt.

§. I.

Alij incogitantes.

PRimi ſunt illi, qui nihil minùs cogitantes, quàm de huiuſmodi hominum colluuie aliquos ex ijs occidunt, ſiuè delatos in nubibus: ſiuè in arboribus congregatos: ſiuè intromiſſos in cameras: ſiuè aliena forma transformatos. Vualones duo, vt refert Delrius *Diſquiſ. magic. lib. 5. ſect. 3.* anno 1587. ad pontem Nuleti propè Caletum, dum ſtant in præſidio ſub veſperam, vident ſub nigram nubem aduolare, & in ea ſibi audire videntur confuſas multorum voces: Vnus ex eis audacior librat archubuziam in nubem, & ecce ex ea ante pedes mulier nuda femur traiecta duplici vulnere cadit. Alius ab eodem relatus bombardam gerens, & deambulans extra municipium obſidetur à coruis, & picis obſtrepentibus in arbore propè viam, ſclopum collimat, & deplodit, vnam percutit certo ictu, quæ de ramo, vt videbatur, decidebat, reperit ſolam clauem ferream de cingulo muliebri collapſam, carpit, agnoſcit, domum petit eius, ad quam pertinebat; inuenit matrem familias glande latus ictam. Alij ſimiliter feles, & cattos in arbore congregatos, & clamantes: aut ingreſſos in cameras, & ſaltitantes vident. Alij obuios habent lupos, & feras ſimiles, quæ illos inuadere tentant: ij ſclopum laxant, aut enſe ſpiculis, & haſtis feriunt inuadentes, & ſtatim pro fele, aut lupo homo, aut mulier, puta, maga, aut malefica in eiſdem partibus ſauciata, in quibus fera vulnerata fuit, iacere deprehenditur.

His iungendi, qui ſagarum myſteria ignorantes, eorum morti ſæpiùs occaſionem præbuerunt. Ægrotat paterfamilias, vt refert Auctor Dæmonom. *lib. 3. cap. 2.* longaquè infirmitate detentus, & doloris impatiens quærit quoquomodo ſanitatem; adducitur Magus, qui negat ſe poſſe morbum tollere, niſi transferat in filium adhuc lactantem, aſſentitur genitor: intereà nutrix de ſalute infantis ſolicita fugit, & nutricium inter vlnas baiulando aliò aſportat; ſanatur ægrotus, ſed non comparente puero Magus ſubſtituitur, eademquè infirmitate correptus interficitur à dæmone.

§. II.

SEcundi ſunt illi tùm inimici, tùm amici, qui de magis vindictam ſumpſere. Inimici tot ſunt, quot homines in vniuerſo: Nam cum manus eorum ſint contra eos, acriùs proſequuntur qui grauem ab illis patiuntur iniuriam. Hic videt ſuos agros depopulatos, ſegetes grandine percuſſas, armenta quotidiè pereuntia arte vicinæ maleficæ: Ille conqueritur, domum incendio conflagrare, & opes omnes flammis abſumi maleficio magi cuiuſdam ſibi noti. Alius videt dilectum vnigenitum longo languore tabeſcentem, quem malis artibus ſaga immiſit. Villa cum circumiacentibus agris tempeſtate horribili quatitur: Prouincia tota peſte deuaſtatur. Regnum patitur ſterilitatem in omnibus finibus ſuis: auctores tot maleficorum diligenter quæruntur, & inueniuntur. Quis poſſit iuſtum dolorem non ſentire, aut reprimere exurgentem iram? Ideò tales gladio perimunt, tradunt ignibus, ſuffocant flammis, præcipitant ex tectis, lapidibus obruunt, ſuſpendunt arboribus, raptant per ſaxa, tribulos, ſentes, atquè diuerſo mortis genere afficiunt, vt priuatas, publicaſquè iniurias vlciſcantur. 138

Alij cogitātes, & ex profeſſo Inimici qui variè à maleficis vexati illos occidunt

Quid dicendum de amicis? Annè beneuolentiùs ſe erga illos gerunt? Audi ſigna amicitiæ. Conſulentes illos accedunt varijs de cauſis; ſed præcipuè vt incognita, aut futura addiſcant. Ea eſt enim hominum mens, velle ſcire quæ ventura ſunt; ideòquè à pſeudoprophetis, qui ſe omnia præſcire profitentur, ſciſcitantur, quæ ſit eorum ſors, ita tamen, vt ab eis ſpectent proſpera omnia, Iudæorum more, qui veros Dei Prophetas compellabant ijs verbis Iſaiæ 30. *Dicite nobis placentia.* Si ſecùs, infauſta omnia minantur, pro remuneratione accipiunt ictus,

Amici conſulētes ipſos.

ictus, vulnera, mortem. Et ne antiqua referamus exempla, Petrus Leonus Spoletanus occaſionem mortis Laurentio Mediceo, & ſibi ipſi præcipitationem in puteum præbuit. Aſtrologus quidam futuram mortem prædicens Ioanni Galeacio Duci Mediolanenſi, & ſibi longiorem pollicens, eius iuſſu ſtrangulatur. Lucas Gauricus Ioannem Bentiuolum Bononia expellendum prędicit, mandante violento Principe, ex alta trochlea ſuſpenſus fune quinquies quaſſatur, alijquè multi egregiè vapulant, præcipitantur, & pugionibus confodiuntur.

§. III.

139 *Magi, & eandem artẽ profitentes.*

Sed quis poſſet credere, Magos Magis inſidiari eiuſdem domini mancipia, & ſimilis artes profeſſores? Attamen hoc videas in iudicijs, in quibus maleficus contubernales accuſat; eiſquè confrontatus coràm conuincit de maleficijs; Et extra iudicia, dum certant inter ſe aliquandò ludicra, aliquandò funeſta pugna: Ludicra ex inuidia: Si enim figulus figulo inuidet, & fabrus fabro, cur non magus mago? Vt Pragæ accidit in Curia Vuenaſeslai Imperatoris Zythone præſtigiatore inſigni cum Bauaricis ludionibus contendente, quis eorum ludibria artis maiora ſpectantium oculis explicaret. Funeſta ex odio, & ferali inimicitia, cum alter alterum conatur impedire, nec à propoſito deſiſtere vult. Cujus rei duo exempla notatu digna ſubijciam ex Delrio *lib. 2. Diſquiſ. magic. quæſt. 30. ſect. 1.* qui auctores citat, ex quibus illa mutuatus eſt.

Quæ omnia varijs exemplis probantur.

In Diuerſorio publico quidam Germaniæ præſtigiator hoſpitis famulum petentibus reliquis conuiuis decollauit; cum autem rurſus vellet ei caput imponere, animaduertit adeſſe alium magum, qui eum impediebat: rogat iteratò, ne hoc faciat, repulſam paſſus in menſa lilium creſcere facit, cui cum caput, & flores amputaſſet, concidit abſquè capite de menſa magus, qui impedierat, & alter impoſito priùs capite famulo, ex vrbe aufugit, ne propter homicidium à Magiſtratu puniretur. Simile quid accidit in Anglicanæ Reginæ aula, dum magi iucundum exhibituri ſpectaculum paciſcuntur ſingularem neceſſitatem vna in re ſibi inuicem parendi. Prior iubet alterum per feneſtram reſpicere, quod dum facit, ecce ceruina ex capite cornua enaſcuntur: cornutus poſt ſannas, & ludibria tolerata euaneſcentibus cornibus atrocem meditatur vindictam: Pingit carbone hominis in pariete effigiem, quam ſubire alteri imperat, qui mortem ſibi cernens imminentem, horrore percuſſus rogat, & deprecatur, ne faciat: vrget alius conuenta, ſubit ergò coactus, paries dat locum ingredienti; ſed ingreſſus nuſquam poſtea comparuit occiſus à dæmone, qui corpus alicubi in ſpeluncam, aut locum deſertum aſportauit. Sic lupus lupum deuorat, ne infeſtantium greges numerus multiplicetur, & eo modo iuxta Dei permiſſionem hominum hoſtes ab hominibus caſtigantur.

SECTIO II.

Extraordinariè.

140 *Deus nõ punit homines pęna extra ordinaria. Niſi creſcẽte numero*

Præter ordinaria diuinæ Iuſtitię maleficos punientis acta, alia dantur extraordinaria, cum miſeros, & perditos homines, in quibus nulla ſpes emendationis effulget, tradit puniendos non ampliùs hominibus, ſed dęmonibus, qui tamquam teterrimi, & ſæuiſſimi carnifices ſententiam contra eos latam executioni demandant. Certum eſt enim, Deum ſeriùs vindictam de peccatoribus ſumere; nequè ad illam deuenire, niſi quaſi coactum, excreſcente nimis ſcelerum, & ſceleratorũ numero.

§. I.

ſcelerum

Singula ſcelera grauiter Maieſtatem eius offendunt; ſed quia miſericors eſt, non ſtatim punit delinquentes; ſed diſſimulat peccata hominum propter pænitentiam, ait Sapiens *Sap. 11.* Imò quãuis multiplicata reiterentur; tamen tolerat, donec ad certum numerum æterni eius conſilij decreto præfixum, & determinatum peruenere; quem ſi accedentibus nouis ſceleribus prætergredi contingat, iuſta de illis exigit ſupplicia, eò grauiora, quo tardiùs infertur: vt teſtatur D. Greg. *li. 25. Mor. c. 2.* dicens: *Peccatorem tantò ſequitur diſtrictior ſententia, quantò peccanti ei magna eſt patiẽtia prorogata: quia diuina ſeueritas eò iniquum acriùs punit, quò diutiùs pertulit.* Quarè cum magorum ſcelus quodlibet ſit in vno multiplex quædam colluuies, & repullulaſcens hydra ſcelerum, quò magis humana excreſcente malitia augetur, eò citiùs menſuram implet, & iram diuinam prouocat ad hunc cumulum iniquitatum accumulatis pænis caſtigandum.

§. II.

Sceleratorum verò turba multiplicatur, & canceris inſtar inſenſibiliter ſerpit, cum atrociora flagitia in omnium oculis per peccata impunita manent. Cum enim exempla plus moueant, quàm verba, fatendum eſt, praua impiorum opera eſſe cæteris irritamenta malorum. Nam ſi fortè aliqua reuerentia tenentur humana, nè publicè peccare audeant: cum vident ſcelera manere ſinè vltione, tunc poſtpoſito omni timore fiunt deteriores: quia & aliorum exemplo, & propria inclinatione feruntur in præceps. Ideò ne maleficorum horrendæ abominationes alijs ſint incentiua peccati, ſi ſemper impunè exercerentur, Deus grauiores maleficis pænas immittit, vt ſtulto pereunte ſapiens aſtutior fiat; & ſublatis de medio impijs reliqui ab huiuſmodi ſceleribus deterreantur. 141 *Sceleratorum.*

Ideò cum nulla ſpes effulget emẽdationis, tũc Deus eos ſathanæ tradit, qui illos vexat In Vita In Morte

Quarè illos tradit manibus dæmonum puniendos, ne diutiùs viuendo tolerati maiora aggrauatis maleficijs ſupplicia ſibi accerſant; & damna facto, & exemplo maiora proximis, & Reipublicæ vniuerſæ inferant; qui poteſtate accepta itã in illos ſæuiunt In Vita, & In Morte, vt iure dixeris, maleficos eſſe omnium miſerorum miſerrimum genus: quod ſequentes articuli comprobabunt.

ARTICVLVS I.

In Vita.

Sic malefici puniuntur in vita, vt nullã habeant requiem Die Nocte.

Audiamus peccatores priſtinæ vitæ calamitates, & labores anxiè toleratos quandiù vitali veſcebantur aura, in inferno cum eiulatu deflentes: *Laſſati ſumus* aiunt Sap. 5. *in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* Et meritò: ſeruiebant enim Dijs alienis, qui non dabant eis requiem die, ac nocte. Nam hac iuſta animaduerſione punitur peccator apud Ieremiam *cap. 16.* vt qui Deo viuo, & vero cum ſumma requie ſeruire 142

renuit,

renuit, dæmoni diro, & crudeli tyranno ſeruire cogatur. Quod clariùs patebit in maleficis, ſi eorum diurnos, atquè nocturnos labores conſideremus.

§. I.

Die quia vitam ducunt Indigentem.

QVis labor diurnus, vitam ducere omnibus bonis deſtitutam, & affluentem malis, vt porè indigentem, infamem, & miſerijs cumulatam?

Indigentia maleficorum comes eſt indiuidua. Nam etſi Deus ille alienus, cui ſeruiunt, montes aureos polliceatur; poſſitquè illos ditare, cum nouerint theſauros abſconditos in terra, & in mari; tamen non præſtat, quod promittit; vel quia non poteſt: vel quia non vult, Deo obſiſtente, & auaritia eius impediente; vndè hoc hominum genere nihil egenius. Si diuites ſunt, depauperantur. Si pauperes, nunquam ditantur. Quòd ſi ab eo importunè diuitias petant, raro paucas, & veras accipiunt: vt plurimum apparentes, quæ repoſitæ in arcam in fimum, folia ſicca, & huiuſmodi quiſquilias conuerſæ reperiuntur. Quod multis exemplis

Exẽplis probatur

confirmat Remigius teſtis oculatus *lib. 1. Dæmonolatriæ cap.* 4. quorum ſequentia referam: Semel armentaria Duzæ 1. Kalend. Octobr. 1586. accepta à dæmone, vt ſibi videbatur, pecunia, geſtiens domum properè redijt, eam vt numeret: ſed excuſſo ſacco, nihil niſi teſtas, & carbones reperit. Catarina Metenſis Duzæ pridie Non. Nouemb. 1586. Succerdam. Ioanna à Banno 3. Non. Iulij 1585. cum nummum aureum charta inuolutum in via reperiſſet, vt dæmon euentum prædixerat, atquè eum marito cupidè oſtentaret, aduertit tandem non ſine pudore pro auro nactam ſe calculum ferrugineum, qui etiam contactu primo facilè in fruſtra diſſiliret. Alij arborum folia, fimum equinum: Alij cornuum fruſta, ac cætera huiuſmodi viliſſima pro nummis adinuenerunt. Omnia hæc ille ex actis iudiciarijs ſe iudice exceptis, cuius exempla libens vſurpo, quia fide publica Notariorum, qui iudicijs interfuere, ſunt conteſtata. Quandoquè vana inueniendorum theſaurorum ſpe oblectantur, quos cum quærere incipiunt, aut metu exanimantur: aut præfocantur à dæmone; vel à terra abſorbentur, quorum exẽpla plura referuntur à Theuero *L. prima C. de Theſauris*; & à Cedreno *lib. 8. Coſmogr. c. 1.* Aut cum laborare permittuntur inſtigante dæmone deprehenduntur à Iudicibus.

§. II.

VEl modos addiſcunt præſtigioſos, & periculis expoſitos, quibus paupertati ſubueniant. Sic mendicus quidam, qui puerum morboſum, & faſcijs inuolutum ſumma cum defatigatione humeris geſtabat, comprehenſus, faſſus eſt, non puerum; ſed dæmonem fuiſſe, qui ſibi promiſiſſet, omnes ſe ad eleemoſinas ei conferendas pellecturum quandiù ſic circunferretur. Alius ſimilis mercis baiulus dæmonem in figura homoncionis ſuis omnibus membris aptiſſimè formatis in cauea incluſum circumoſtentans ſimiliter præſtigium confeſſus eſt. Mulier Eoligentis anno 1546. ventrem gerebat totam faciẽ obtegentem, & tumeſcentem in decem palmos; in quo a circunſtantibus lectum audiebantur galli cantantes, gallinæ coccinantes, anſeres ſtrepentes, balantes oues, latrantes canes, grunnientes porci, præſtigium etiam à Matre confictum lucri cauſa faſſa eſt. Alia in Burginbreyſſia, vt narrat Gerſon *lib. de examinat. doctr. lit. O. in fine*, aſſerebat, ſe vnam de quinquè fœminabus à Deo compaſſiuè miſſis ad redimendas animas de inferno, peccata occulta manifeſtabat, extaſes patiebatur; & ſub ſpecie deuotionis, & reuelationum fingebat mirabilia; tandem poſt multos deceptos, cum torqueretur, veritatem confeſſa eſt, omnia prędicta ſe cupiditatis occaſione finxiſſe, vt nutriri poſſet hoc modo, & paupertati ſuæ ſubuenire. Quarè dæmon non ſolùm promiſſas diuitias non elargitur; ſed quod peius eſt, vitam aufert, cum ſic miſeros tradit in manus Iudicum: aut ſqualidos, inopes, egenteſquè relinquit.

§. III.

AN infamia ſimilis poterit reperiri ea, qua laborant hæc mundi repudia, & peripſemata, cum 143 *Infamẽ.*
peioris ſint ipſis carnificibus conditionis? Iſti miniſtri ſunt iuſtitiæ, & quamuis ad commune hominum conſortium non admittantur; tamen nulli timori ſunt, niſi malis; cum ſciant omnes, nihil eos niſi iuſſos à magiſtratibus attentare poſſe: nec poteſtatem habere aliam, quàm iuſtas Iudicum Sententias in reos latas executioni demandandi: Illi verò miniſtri ſunt ſathanæ, quorum non ſolùm conuerſationem; ſed etiam occurſum omnes ita horrent, vt ſi fortè eos habent obuios, ſtatim ſolo viſu faſcinati, imò ſiderati ingenti terrore corripiuntur: cum credant, neminem quantumuis innocentem, & iuſtum tutum eſſe à maleficijs. Quarè alios videas vertere facies: alios declinare à via: alios retrocedere, & fugere, ne videant, aut offendant illos miſantropos.

§. IV.

SEd heù quàm magnis inuoluuntur miſerijs. Si è 144 *Miſerijs cumulatam.*
ſuis latebris aliquandò, exigente neceſſitate, foras prorumpunt in publicum, non audent nequè oculos eleuare: aut rectà homines aſpicere; ſed capite demiſſo procedentes, & ſemper aliquid ſubmurmurantes vultu apparent ferociore, qui efferatam illorum barbariem intuentibus apertè teſtatur: pallor faciem, tremor membra, timor animum occupant; obuerſatur ſemper eorum oculis, & menti facinorum memoria: horrent conſpectum eorum, quibus nocuere: nec poſſunt Iudicum, & Magiſtratuum minimorum etiam iuſtitiæ miniſtrorum conſpectum ſuſtinere. Quoties enim eos aduentantes proſpiciunt, ſtatim ſe ad furcam, aut rogos mittendos arbitrantur. Si verò domi clauſi remanent, quod ferè ſemper conſueuerunt; quia latebras amãt, & lucem oderunt, ne veniant opera eorum ad lucem, cruciantur à dæmone in mente, & in corpore. Mens enim furijs continuè agitatur: corpus ſępiſſimè vapulat ex contuſione membrorum deformatum, ſqualidum, ac languidum apparet exercitio nuſquam interrupto: ſolent ſemper voluere in animo modos, quibus nocere poſſint, præſcriptumquè à Sathana homicidiorum, infanticidiorum, & id generis ſcelerum numerum adimplere; minis, & maledictionibus inſectari eos, de quibus vlciſci deſiderant: conficere venena, pharmaca, vnctiones, pulueres: & maleficia concinnare. Qua diurna vita quid laborioſius?

Nequè

§. V.

145 NEquè nocturna felicior eſt. Dum enim cæteri in ſuis lectulis quieſcentes blandos capiunt ſomnos, membraquè defeſſa ſopore reficiunt, lucifugæ iſtæ noctuæ errant, vt ſuos pulueres immittant, infantes furto auferant, ſuſpenſos eruant è patibulis, educant è foſſis ſepultos in cœmeterijs, aut quid ſimile diabolicum moliantur. Quòd ſi à ſuis magiſterulis vocentur ad nefarios cætus, quos noctis ſilentio celebrare conſueuerunt, obedire, neceſſe eſt. De quo labore dicetur aliàs, cum de illis erit ſermo, vt ſunt cauſa maleficiorum. An requies aliqua poterit reperiri in talibus exercitijs diurnis, nocturniſquè, & non potiùs labor ingens, & moleſtia ſumma?

Nocte Qua perſiſtunt, Vel ad ſua maleficia explenda, Vel ad ſuos Conuentus.

ARTICVLVS II.

In Morte.

146 MOrtem peccatorum peſſimam eſſe docet Pſalmographus Pſaltes *pſal.* 33. Qualis ergò erit magorum, & maleficorum mors, quæ vitam tàm abiectam, infamem, & miſerà terminat, niſi abiectionis, infamiæ, & miſeriæ conſumatio? Ijs enim horrendè, & citò apparet Diuinæ executor ſententiæ, vt dicitur *Sapientiæ* 6.

Si mors peccatorum peſſima, Peior maleficiorũ, quia diabolus ipſis apparet.

§. I.

HOrrendè: quia horrenda morte eo operante, vel ſolicitante necantur. Alij ſub vltore gladio cadunt: Alij vrentibus flammis concremantur: Alij ſub populi ferocientis indignatione pereunt, vt dictum eſt. Sic Zoroaſter Magiæ inuentor tandem à dęmone, quem importuniùs ſolicitabat, igne ſuccenſus, & fulgure tactus interijt. Simon Magus in aerem ſubleuatus, & ex eo præcipitatus fractis cruribus cum ignominia, & dolore exhalat animam. Cynopes, Prochorus, Zaroes, Arphaxat nobiles magi exitu infelici extinguuntur *apud Abdiam lib.* 6. Duo magi volentes Chriſtianorum machinas incantare, primi illis interficiuntur, vt narrat Guilhelmus Tyrius *lib.* 8. *belli ſacri cap.* 15. Alius, dum omnes ad vnum miliare ſerpentes in quandam foueam cogere nititur, ab vno ingenti, & annoſo in eum inſiliente necatur. Anus Saga apud Polidorum Virgilium coram omnibus à dęmone abripitur. Zito famoſus Vuenceslai præſtigiator ad extremum ab eo in corpore, & anima de medio hominum tollitur, teſte Dubrauio *lib.* 23. *hiſt. Bohem.* Fauſtus nobilis magus in Germania tandem à cacodęmone lecto extractus ſtrangulatur, inuerſa in tergum facie, domoquè tota concuſſa, & penè euerſa. Alius relatus à Pico *lib.* 5. *de Prænot.* dum curioſo Principi pollicetur, ſe Troiæ expugnationem, & Achillis cum Hectore certamen exhibiturum, à dæmone viuus ablatus nuſquam ampliùs comparuit. Pluresquè alij quantuncunquè renitentes, gementes, vociferantes, & auxilium implorantes ab eo ſub forma nigerrimi Æthiopis apparente arripiuntur, ad muros alliduntur, in fruſta diſcerpuntur, violenter rapiuntur, & per aera ſpectantibus, & ſtupentibus omnibus, qui aderant, tandiùquè raptatos aſpicientibus, quandiù naturali oculorum acie ſubſequi poterant, ſecum aliùc aſportantur.

Horrẽdè terribili morte eos abſumẽs probatur multorũ maleficorũ morte

§. II.

CItò apparet; dum immatura, & inexpectata morte tolluntur. Nam etſi dæmon longam ſępiùs vitam promittat, tamen miſeros deceptos ſæpiùs conuenit, monet de pacto, tranſactum tempus conuentionis initæ teſtatur, & quicquid opponant in contrarium, præfocat; cadauerquè raptatum vel aſportat; vel contuſionibus, membrorumquè contorſionibus deformatum deſerit. Et vt ſcias inuiſibili potentia dæmonis infelicia hæc mancipia ita conſtringi, vt nequè poſſint pænas effugere debitas, nec vitare infernalis carnificis manus, multi ex eis vltrò ſibi mortem inferunt, cum audiunt, ſibi ab eo parari necem, vt deſperatione præueniant horrendam hanc aſportationem: Sicut Palumbus presbiter fecit, vt Vincentius Beluacenſ. *lib.* 25. *hiſtor. cap.* 29. & S. Antonin. *par.* 2. *ſummæ hiſt. tit.* 16. *cap.* 7. §. 4. referunt, qui temporibus Henrici tertij Romæ magicam artem exercebat. Ad eum enim, cum ſemel iuuenis locuples, & nobilis acceſſiſſet, qui ſponſalitium annulum Veneris ſtatuę ludendo inſeruerant, & ab eo tempore illudebatur à dæmone quoties cum vxore, quam recenter deſponderat, congredi conabatur, dedit ei compoſitam epiſtolam dicens: vade tali hora noctis ad compitum, vbi quatuor viæ conueniunt, & ſtans conſidera omnes prętereuntes; ſed caue, ne loquaris, eiquè trade epiſtolam, qui alios ſubſequetur. Fecit ille, quod iuſſum fuerat, viditquè tacitùs multos vtriuſquè ſexus prætereuntes lætos, triſtes, equites, pedites; & inter illos mulierem in habitu meretricio veſte ita tenui, vt penè nuda appareret virgam gerentem auream, mulam inequitantem, geſtuſquè exequentem impudicos: Vltimum Dominum turbæ ex aſſe ſmaragdis, & vnionibus ſuperbo terribiles in eum oculos exacuentem, & perquirentem cauſas viæ. Huic epiſtolam offert, quam cum legiſſet dęmon brachijs in cælum eleuatis exclamauit: *Deus omnipotens quandiù patieris nequitias Palumbi presbiteri*; nec mora ſatellites miſit, qui annulum extorquerent à Venere reluctante. Quod cũ didiciſſet Palumbus, ex clamore illo ad Deum directo intellexit, ſibi pręſignari finem dierum: quocircà omnibus mẽbris vltrò truncatis miſerabili pæna defunctus eſt, confeſſus coram populo Romano inaudita flagitia. Sic annò Domini 1667. dum hoc opus Venetijs erat ſub examine, vt typis ederetur, quæſiui à quodam Presbitero Conciue illius Doctoris Magi de quo infra num. 507. & 520. an adhuc viueret ille Doctor Iuriſperitus, qui putabatur, Magus, qui reſpondit: *Puto, quòd adhuc viuat, ſed iam diù illum non vidi, quia ſemper manet clauſus cathenis vinctus, nudus, totus piloſus, totaliter mente captus: Cum enim quadam die cum aliquibus ſuis ſocijs extra Vrbem profectus ad dæmones conuocandos circulum faceret necromanticum, aliquem commiſit errorem contra artem ſuam, ex quo dæmones in eum inſurrexerunt, ac fuſtibus ita ceciderunt in toto corpore, & maximè in capite, vt ſemimortuus à ſocijs in domum ſuam vix aſportari potuerit, ex quibus percuſſionibus totaliter amiſit nedum vſum rationis, ſed etiam ſenſuum interiorum, ita vt quocunque animali irrationali peior euaſerit*: Hæc ille, quod pluries illi prædixeram, cum menſe continuo quotidiè, vt ad ſanam mentem rediret, rogabam, & obſecrabam. Hæc ſunt ordinaria, & extraordinaria diuinæ Iuſtitiæ acta, quæ perficiuntur tùm ab Hominibus: tùm à dæmonibus, ex quibus colligere licet, non ſic permitti ſcelera maleficorum, quin ſubindè pænis inſolitis, & horribilibus ſupplicijs ira vindice puniantur.

147 Citò quia immatura morte tolluntur.

Confirmatur exemplis

CA-

CAPVT II.

Conſulentes Maleficos.

148 SI æquitati conſonum eſt, vt eiuſdem ſceleris conſcij ſimili pœna plectantur, vt habetur *L. Iubemus. §. œconomus c. de ſacroſanct. Eccleſ.* iuſtum eſt maleficorum Conſultores, qui ſocij ſunt criminis, etiam participes eſſe punitionis; ſuoquè malo diſcere, quàm grauiter ſupremum Numen offendant, qui ad dæmonem, ſuoſque miniſtros recurrere non verentur. Infideles ſunt, ſi talem eius oraculis, & reſponſis fidem adhibeant, quaſi verax ſit, & omniſciens, omniaquè putent ex eius nutu pendere: hoc eſt enim concupitam ei tribuere Diuinitatem. Idololatriæ, ſi eum ſacrificijs, oblationinus, atq. alijs ſupremi cultus honoribus proſequantur, creaturæ deferentes quod ad ſolum Creatorem pertinet. Hæretici, ſi Deum confitentes, aut ipſum putant non ſufficienter poſſe ipſorum neceſſitatibus ſubuenire: aut non abundè conſulere, & prouidere hominibus; cum illos malis concuti ſinit; nec bona confert, quibus carere videntur. Malefici, ſi quoquomodo cum operarijs ſathanæ pactum ineunt, aut operationibus ipſorum. Denique inobedientes Deo, & Eccleſiæ, ſi contra tot prohibitiones ſuperiùs allatas *nu. 39. & ſequent.* aliquo pacto diabolicam opem implorant; Ideò iuſtam Dei merentur iram, cum ad eius hoſtem accedunt: ſiuè vt Mala tollat: ſiuè vt Bona conferat: quod ſequentibus ſectionibus demonſtrabitur.

Qui maleficos cõſulunt, & ad illos accedunt, puniuntur: qui ſunt Vel Infedeles, Idololatræ, Heretici

Malefici Inobediẽtes Quoquomodo ad illos accedant, hoc eſt Vel vt à Malis liberentur Vel vt Bona cõſequãtur

SECTIO I.

Ad mala tollenda.

149 SI malis vndiquè premimur in hoc mundo tùm publicis, tùm priuatis, à quo auxilium expectare debemus, niſi ab eo, qui eſt refugium noſtrum, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis? Ipſe enim ſolatur afflictos, laborantes reficit, ſanat ægrotos, percuntes ſaluat, ſoluit compeditos, eliſos erigit, peregrinantibus vehiculum, naufragantibus portum, laſſis requiem æſtuantibus vmbraculum, languentibus vires prębet, tempeſtates quietat, peſtes ſedat, famem pellit, bella pacat, diſſidia componit, obſidiones ſoluit, calamitates aufert, tribulationes tollit, & cuncta diſſipat maleficia; Ideò ad ipſum recurendum eſſe toties ſcripturę docent, ipſaque conuincit ratio. Nam ſi omnia mala eo permittente eueniant, certum eſt, ne vllum minimum quidem ſine diuino eius nutu auferri poſſe. Quare ab eo pendet, illa immittere, & emittere, cum ipſe ſolus occidat, & viuere faciat; percutiat, & ſanet: mortificet, & viuificet: deducat ad inferos, & reducat; ſicut ſæpiùs Prophetę teſtantur.

Dũ malis premimur ad Deũ confugiẽdum.

150 Quàm lugenda eſt ergò hominum excęcatio, qui cum ſe malis obrui ſentiunt, confugiunt ad dæmonem, à quo liberationem ſperant; ſed iuſto Dei iudicio vana ſpe deluduntur. Nequè enim æquum eſt, vt qui Deum derelinquentes, Maieſtatem eius, virtutemque abnegant, & proterunt, aſſequi permittantur ea, quæ a coniurato eius hoſte expectant, in cuius clientelam ſe conferunt: *Domine* ait Propheta Ieremias cap. 17. *omnes, qui te derelinquunt, confundentur, recedentes à te, in terra ſcribentur, quoniam derelinquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Quòd ſi illa aſſequantur aliquandò, grauioribus inuoluuntur malis. Dæmon enim mercator eſt tenaciſsimus, qui nullam vult pati iacturam; nec aliquid ſibi deperire lubens ſuſtinet. Ideò cum rogantes ab aliquo malo liberat: vel malum temporale in alios transfert: vel in atrociora mala ſpiritualia ipſos præcipitat; quod clariùs patebit, ſi modũ, quo mala ſiuè Publica, ſiue Priuata tollere cõſueuit, duobus articulis ſubſequentibus conſideremus.

Quarè illi, qui ad dæmonẽ cõfugiũt ſpe vana deluduntur. Grauiter Deum offendunt.

Grauioribus malis ſe inuoluunt Quoquomodo accedant Siuè pro malis Publicis, Siuè pro malis Priuatis

ARTICVLVS I.

Publica.

151 TOt publicis exagitantur calamitatibus ſtatus omnes politici, vt ſi eas enumerare quis velit, longum opus texere, neceſſe ſit. Ideò breuitatis cauſa totam probationem ad ſolum bellum reuocemus. Cum enim cuncta mala complectatur, ex illo colligere facilè erit, quid de cæteris ſentiendum ſit. Conficitur verò vel prælijs, vel obſidionibus, in quibus ſi dæmonis auxilium peti contingat, grauem Deo inferri iniuriam nemo non videt: cum eius ſit euertere acies, pauorem immittere, perturbare ordines, fugare exercitus, obſidiones ſoluere, dare victoriam, & totum bellum perficere prout vult; vt potè qui Deus Sabaoth, & Dominus exercituum vocitetur. Et ideò, etſi aliquandò exitus pugnæ det in manus dæmonis, cui permittit ſuã exercere poteſtatem in eos, quos in conflictu, peccatis profligatorum id exigentibus, perire ſtatuit; tamen vt plurimum talem non concedit facultatem; ſed recurrentes ad dæmones ſtragibus varijs expugnat, donec omninò conſumentur.

Cum publica mala ſint innumera hoc in ſolo Bello quod omnia complectitur demonſtratur.

§. I.

152 NOtum eſt Saul exemplum *1. Regum c. 28.* vt videas manum Dei inuiſibiliter percutientem eos, qui ope dæmonis victoria potiri volunt, dum trepidans ob ingentes Philiſtinorum copias Pythoniſſam accedit. Et ecce irruentibus inimicis fugatur Iſrael, fortiores exercitus gladio pereunt, occiduntur eius filij, & ipſe deſperatione correptus proprio enſe ſeipſum confodit. Huic affine Maxentij factum, qui ad gerendum bellum contra Conſtantinum ſe comparans, etſi omnem locum, & ciuitatem Romam ingenti armatorum multitudine vltra centum millia muniuiſſet; tamen machinis præſtigiarum magis confidebat, ait Euſebius *in vita Conſtantini lib. 1. cap. 31.* quàm robore exercitus, aut beneuolentia ſubiectorum. Vndè confidentia vana deluſus, & à Conſtantino territus, fugatuſquè cum equo, & armis inſignibus in fluuium Tyberim ſe dedit præcipitem, cuius vorticibus deuoratus miſerè perijt; corpus dein extractum ab vrinatoribus, & ſectum caput, ſummæquè haſtæ affixum illuſtria fuere Conſtantinianæ victoriæ monumenta, & notiſſima ſigna diuinæ vindictæ ſubitò felici cõgreſſione conſumentis, quicquid inſtruxerat malefici ſceleris longa molitio. Ita Henricus Rex Sueciæ magicis artibus ſupra modũ deditus poſt plures victorias reportatas, tandè ab Oſtane ſuperatus. Federicus Stuphius, qui ſe Federicum ſecundum mentiebatur, cum ex magica pecunia paraſſet exercitũ ab Rudolpho Hasburgenſi victus, captus, & concrematus. Hadingus à magis inſtructus, ſed à Curetibus profligatus, va-

Infelici exitu prę liorum.

varijſquè cladibus affectus, & victus mæroris magnitudine ſeipſum ſuſpendio publicè necari iuſſit. Illuſtria ſunt exempla vindicis iræ Dei in eos, qui freti vana ſpe fallacijs Dęmoniorum, & reſponſis maleficorum innixi ſeipſos prælio commiſere.

§. II.

153 *Obſidionum cum fiunt ope dæmonū.*

NEc feliciorem belli exitum ſortiuntur, qui in obſidionibus magica incantatione, dęmoniſquè maleficio pro armis vtuntur, Ferdinandus, vt narrat Iouianus Pontans *lib. 5. de bello Neapolit.* arcta obſidione premebat quandam arcem ab Andegauenſibus occupatam; & defectu aquarum propè ad deditionem compulerat; obſeſſi magicis artibus imbres elicere auſi ſunt: nam Crucifixi imaginem maledictis proſecuti in mare execrabundi immiſerunt, cælo, mari, terriſquè tempeſtatem imprecati, & aſino præ foribus Eccleſiæ conſtituto cecinere funeſtum carmen, & poſteà iniectam Euchariſtiam in os eius viuum eodē loco humauere. Ijs horrēdis ſacris vix dū perfectis aer obnubeſcere incæpit, mare agitari, dies medius offundi tenebris, & pluuia prorumpere è nubibus, imbreſquè tàm validi, vt ſaxa, torrenteſquè vndequaquè prolapſos diffunderent; & ità Rex, qui in ſola ſiti potiundi oppidi ſpem collocauerat, obſidionem ſoluere coactus eſt. Andegauenſes poſteà Regno Neapolitano penitus expulſi horrendi illius ſceleris pænas luerunt.

§. III.

154 *Vitantiū pericula belli per incantationem.*

QVid dicam de ijs, qui belli pericula ope magica euadere tentarunt? Nonne illorum liberatio fuit aut mortis, aut exitij cauſa vel ſibi, vel ijs, quos habuere cariores?

Ità Gremozilao Bohemiæ Duci contra Vratiſlaum Ducem Lucentium ad bellum procedenti ſaga iuſſerat, vt primùm qui obuius fieret, occideret, atquè vtraſquè aures abſciſſas in pera reconderet: moxquè gladio inter priores equi pedes cruce in terra facta, & deoſculata fugam maturaret, aliter eum periturum populiquè partem cum eo interituram prædixit. Quod dum facit, effugit incolumis, ſed domi vxorem, quam valdè amabat interemptam carentem auribus, pectuſquè confoſſam reperit, vt refert Æneas Syluius *in hiſt. Bohem.*

Confidētium incantatis armis.

Eadem ſors illos manet, qui, vt ſe reddant in bellis, & certaminibus inuulnerabiles, arma certo ritu incantant: Vel ferunt interulam lineam horrendis imaginibus inſcriptam, quam vocant camiſciam inferni: Vel filacterijs, hoc eſt conſeruatorijs vtuntur, (de quibus omnibus latè infra *tom. 2. diſp. 1. nu. 170. & 188.*) Hos namquè videas audacter ſe committere periculo, & pugnis miſcere, atque dilabi è manibus inimicorum; ſed tandem deſeri à dęmone, præcipuè quando ſunt in ſtatu peſſimo lethalis culpæ: vt Germanis hęreticis Galliā inuadentibus, & à Duce Guiſio ſtrenuè debellatis accidit: Sic quendam Satellitum ducem ſalodienſem agnoui, qui cum huiuſmodi interula eſſet amictus, vt vulgò fatebatur, pluries ab hoſtibus ſuis tormentorum bellicorum laxatis in eum rotis igneis globulis percuſſus, virtute diabolica ſeruatus eſt illæſus; ſed tandem anno Domini 1644. cum denuò inimici eius ipſum inuaſiſſent, in eumquè ſcloppulos ſuos laxaſſent, ſed incaſsùm, cum adhuc illęſus permaneret, ſecuri eum percuſſere, cuius ictibus mortem cum vita commutauit: quia pactum cum dęmone non erat de præſeruatione à ſecuri, ſed duntaxat à bellici tormenti igneis globulis. Denìquè diuinæ Iuſtitiæ iram ſuſtinere coguntur omnes illi, qui in publicis calamitatibus peſtis graſſantis exundantium imbrium ſiccitatis nimiæ, & id generis à dęmone auxilium petere non reformidant, vt tot teſtantur hiſtorię, quas hìc referre longum eſſet, & tædioſum.

ARTICVLVS II.

Priuata.

CVm orbis vniuerſus pluribus conquatiatur malis; nec ſit in eo ſtatus aliquis, qui diuerſis calamitatibus non ſit obnoxius: An eorum quilibet, qui in mundo verſantur, ab illis liber erit, cum teſtetur Iob 14. Hominem natum ex muliere, & breui viuentem tempore repleri multis miſerijs? Hoc ſibi ſatis experientia comprobat; Nemo enim adeò felix eſt in hac vita, qui moleſtijs, & doloribus externis, & internis nō ſubijciatur, à quibus ſe liberare nequit, niſi ad eum confugiat, qui dixit pſal 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* 155 *Vt in publicis, ità in priuatis malis ad Deū confugiendum.*

Quòd ſi alium quærat liberatorem, opemquè poſtulet ab alio homine, puta, parentibus, cognatis, amicis, incaſſum laborabit, quia *Vana ſalus hominis* vt ait Pſalmiſta pſal. 19. Si verò confugiat ad dæmonem, à Deo plectetur, & dæmone, à Deo puniente, & à dæmone illudente. *Qui ſecus facit*

§. I.

PVnit Deus transfugas illos; vt in Rege Ochoziæ patet 4. *Regum* 1. qui cum cecidiſſet per cancellos cęnaculi ſui in Samaria miſit ad conſulendum Beelzebub Deum Acharon: an poſſet conualeſcere, & ab infirmitate, qua detinebatur, liberari, mandante Angelo, Helias mortem Regi minatur, nuncios alloquens, & poſt vltricibus flammis conſūptos duos quinquagenarios cum ſuis militibus, ipſi Regi ſententiam mortis à Deo vltore pronunciat his verbis: *Hæc dicit Dominus, quia miſiſti nuncios ad conſulendum Beelzebub Deum Acharon, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſes interrogare ſermonem: Ideò de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes ſed morte morieris.* Quod factum eſt. Grauiora ſcelera videbis in Manaſſe. Nam præter idololatriam introductam in Iſrael, aliaquè mala, quæ 4. *Regum* referuntur, magiæ operam dabat, ſciſcitabatur reſponſa ab Ariolis, obſeruabat auguria, & pythones, aruſpiceſquè multiplicabat, vt faceret malum coram Domino, & irritaret eum. Audi iam ſeueriores pænas non ſolùm impio Regi, ſed vniuerſo Regno intentatas: *Quia fecit Manaſſes Rex Iuda,* ait Dominus 4. Reg. 21. *abominationes iſtas peſſimas ſuper omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eū, & peccare fecit etiam Iudam in immunditijs ſuis; propterea hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Ecce ego inducam mala ſuper Ieruſalem, & Iudam, vt quicunquè audierit, tinnient ambæ aures eius, & extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Iacob, & delebo Ieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ, & delens vertam, & ducam crebrius ſtylum ſuper faciem eius.* Regis autem peccatum tàm ipſe, quàm poſteri eius luerunt, ità vt placari Deus non potuerit pietate Ioſiæ, vt dicitur 4. *Regum c. 23.*

Punitur à Deo

exemplis comprobatur.

Nec

§. II.

NEc minus exitialis fuit Magorum conſultatio Numæ Pompilio, Tullo Hoſtilio, Neroni, Valeriano, Licinio, & Iuliano Apoſtatæ inter Ethnicos; & inter Chriſtianos Heraclio, aliiſque Græcis, Ferrãdo Flandrenſi Comiti, Guilhelmo Iuliacenſi, Federico Auſtriaco, Venceslao Bohemo, & alijs, qui horrore præſentiæ dæmonum correpti, & ſpectris perculſi paucis poſt diebus obierunt: aut crebras perpeſſi calamitates ob vanam in dæmoniacis reſponſis confidentiam miſerrimo exitio periere. Quos recenſent Plutarchus in Numa, Dionyſius, & Liuius *lib.* 1. Plinius *lib.* 30. *Nat. hiſt. c.* 1. Petrarcha lib. 4. rer. memorand. c. 1. 2. & 3. Suetonius, Nicephorus, Claudianus, & alij. Neque priuatis ſolùm impunè ceſſit; ſed etiã regnis vniuerſis. Cur enim Chananæorũ populi ſuis ſedibus pulſi fuere, & omninò deleti ab Iſraelitis? Cur exciſa vrbs Niniue? Cur tot minæ intentatæ Ieruſalem à Prophetis? Nonnè ob magicas conſultationes, & operationes maleficas, vt dicitur *Deut.* 18. *Nahum* 3. *& Michea* 5.?

§. III.

157 QVòd ſi aliquandò non puniuntur à Deo Magorum, & Maleficorum Conſultores; tamen ſemper à dæmone illuduntur, qui lucrum aliquod ſibi ex ijs comparare, & animæ, corporiquè nocere ſtudet: cum eius odium in homines nunquam impleri, aut remitti poſſit. Si enim non permittatur ea facere, quæ rogãt homines, ſed impediatur à Deo, tunc ſaltem peccatum hoc præcedentibus addit; & ità animæ nocet, cui mortem aſſiduè inferre molitur, etiamſi non detur corpus interimere: Vel in deſperationem ægros, & in neceſſitate poſitos conatur adducere, vt ſic corpora cum animabus miſerè pereãt. Si verò permittatur malum auferre, ità eſt eius liberalitas, vt boni nihil vlli hominum præſtet, niſi cum æquali damno. Quarè cum virũ morbo liberat, transfert in mulierem: Si ſenem ſanat, adoleſcentem percutit: Si à Patre aufert languorem, filio illum tribuit. Si fortem Magus non transtulerit in alium, ipſemet necatur: vel ingens vitæ diſcrimen ſubit. Vndè plures ex ijs in ſeipſos, vel in liberos coacti ſunt, morbos transferre, quia non poterant in alios: Sicut illi accidit, de quo Auctor Dæmon. *lib.* 3. *c.* 2. qui, cum quartana grauiſſimè vexaretur, nec ſuadente Mago vellet, vel inimicis, vel ſeruo dare, conſenſit in Magũ ipſum transferri, qui febre oppreſſus interijt. Aliàs morbos tollit, ſed cum maiori damno: vt in Virgine obſeſſa patet apud Greg. *lib.* 1. *Mor. c.* 9. quæ opera Magorum ab vno dæmone liberata; à ſeptem, vel ſex dæmonũ millibus vni ſuccedentibus vexata fuit. Sæpiùs tollit ad tempus, quo elapſo grauior morbi vis redit, vt quotidiana docet experientia. Si verò ſanat abſolutè, alia infert mala cognatis, amicis, vel bonis exteris. Cum enim ſemper nocere velit, certò tenẽdum, nullis blanditijs, aut cultu placari, aut deliniri poſſe; & tunc grauiora hominibus damna moliri, cum ſe amicum, & beneuolum fingit, hoſtis eſt, homicida eſt. Ideò in omnibus etiam cum dona, & bona confert, timendus eſt: nec aliquod cum ipſo, vel eius miniſtris commercium inire licet ſine ſummo vtriuſque ſalutis corporalis, & ſpiritualis diſcrimine, vt latè probabitur *tom.* 2.

SECTIO II.

Ad Bona conſequenda.

SIcut omnia malorum genera homines exhorrent, ita ardentiſſimo deſiderio bona appetunt; immò nihil appetunt naturaliter, niſi ſub ratione boni. Ad hoc enim facultas appetendi eis data eſt, vt ferantur in ſuum bonum, & debitam conſequantur perfectionem, quæ ita inexplebilis eſt, quandiù in hoc mundo verſantur, vt quamuis ſibi diuerſa cõquirendo ſenſim congeriem bonorum ſtruant, qua imaginantur ſe fore beatos; tamen nemo illorum in hac vita ſuas ſiſtit appetitiones; ſed ſemper ad alia, & alia ſe extendit; atquè obtenta augeri exoptat. Hinc eſt, quod is, qui congeſſit honores, quærit diuitias, quibus obtentis ſectatur voluptates, & omnium moleſtiarum vacuitatem: Deinde in ſingulis eorum appetit creſcere, & ſe miſerum putat, cum ad ſuæ concupiſcentiæ voluptatem non peruenit. Nam agitur ardenti, & nunquam quieſcenti ſtudio, bona appetita conſequendi. Quod ità augetur in hominibus, vt plures omnibus modis viam ſibi parent ad ea obtinenda, quæ appetitum exſatiant. Et cum vident laborem humano iuxta communem Dei prouidentiam illa acquiri non poſſe, flectere ſi nequeũt Superos, Acheronta mouere, atquè à dæmonibus illa requirere conſueuerunt; ſed quo exitu ſiuè Spiritualia: ſiuè Temporalia petant, ſequentes articuli declarabunt. 158

Plures bona appetunt ſummo deſiderio

Ideò toti ſunt in illis acquirẽdis

Augẽdis

Si illa à Deo nõ accipiũt, à dæmone requirunt ſed exitu infelici. Siue petant Spiritualia, Siue petãt Temporalia.

ARTICVLVS I.

Spiritualia.

SPiritualia bona ſectantur plures ex ijs, qui ſe diuinis miniſterijs addixerunt; non illa quibus homo fit indies Deo gratior; ſed quibus apud homines honoratior euadit. Nam diuinæ incrementa gratiæ, & ſolidarum virtutum, humilitatis, patientiæ, charitatis, obedientiæ, & huiuſmodi progreſſum non quærunt; ſed gratuita dona prophetiæ, reuelationum, extaſum, & mirabilium operationum, per quæ Sancti honorem, & gloriam etiam nolentes conſequuntur. Nihil enim eſt, quod homines reuereantur impenſiùs, quàm ſanctitatem, quæ ſi in aliquo ſignis, & prodigijs elucet; ſtatim ab omnibus colitur, & habetur in pretio. Et quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, & deſcendens à Patre luminum*, vt monet S. Iacobus in epiſt. canon. c. 1. multi ſpirituales, quos vocant, ſpiritu ſuperbiæ ducti, cum illa dona à liberaliter largiente Deo non obtinent, à dæmone impetrare contendunt, vt ſic videantur ab hominibus. Quorum optatis ſatisfacere volens Angelus ille tenebrarum, mira in eis operatur. Alij ſimulato ſpiritu prophetico, quo agitati quędam futura prænunciant: Alij iactant ſuas reuelationes circa fidei myſteria: Alij extaſes patiuntur tales, vt nulla vi neque defixis ſub vngues accubus ad ſe redire compelli poſſint. Alij tolluntur in aera: Alij ſtigmata oſtentant: Plures miracula operari videntur, præcipuè circa ægrotorum ſanationes. 159

Non gratias quærunt, vt fiãt Deo acceptabiliores, ſed Signa Prophetias, Reuelationes, Extaſes, quibus fiãt apud populum honoratiores, Quę cum à Deo nõ obtineãt, à dæmone requirunt.

§. I.

Hæc falſa eſſe probatur ac puniũtur à Iuſtitia Diuina Eccleſiaſtica Ciuili. Exẽplis declaratur.

SEd hæc omnia tandem falſa comprobantur, atquè à Iuſtitia diuina, eccleſiaſtica, & ciuili cum digna animaduerſione puniuntur. Balaam, & Prophetæ Baal nobiles magi gladio cadunt. Maximilla, & Quintilla prophetiſſæ Montani ſuſpendio necantur. Maneti viuo pellis ex corticatione tollitur. Begardi, Dulciniſtæ, Beguinæ, & Lollardi ignibus cremantur. Illuminati eodem ſupplicio plectuntur in Hiſpania. Munzerus, & plures Anabaptiſtæ vario mortis genere tolluntur de medio, vt refert Delrius *lib.4.Diſquiſ.Mag.c.1.q.3.ſect.2.& 3.* ſicuti tot prophetantes fanatici, & impudentiſſimi Sycophantæ, qui ex omnium ſectarum hodiè Eccleſiam infeſtantium fętida colluuie prodeuntes tanta de Eccleſia mox adimplenda prædixere, quæ ætas, euentuſquè falſa, & ex cerebro conficta comprobarunt. Et inter catholicos plures perpetuo carceri, vel ignibus adiudicantur, inter quos in nouo orbe Franciſcus à Cruce, doctus Theologus, ac Theologiæ profeſſor catholicus, ac pius diù habitus, qui in Peruuia à muliercula quadam prophetante deceptus, ſe Regem, Pontificem, Legislatorem, & Redemptorem futurum iactitabat: Sanctitatem ſuper Angelos, & Sanctos ſibi conceſſam, & vnionem hypoſtaticam oblatam; ſed non admiſſam fuiſſe, dicebat: miracula innumera, & magna ſe feciſſe aſſerebat; multa prophetabat erronea, in quibus obſtinatè perſiſtens flammis adiudicatus, poſt promiſſi à dęmone cæleſtis ignis in Inquiſitores graſſaturi fruſtra aduentum expectatum in cineres redactus eſt: vt narrat Ioſeph à Coſta *de Nouiſs.tempor.lib.2.cap.11.*

In veteri verò orbe Hieronymus Sauonarola poſt prophetias tantas de Eccleſiæ reformatione, de conuerſione Turcarum, & Maurorum, de proſperitate Florentinorum ſtatim adimplendas, quas falſas eſſe, euentus coarguit, Apoſtolico iudicio condemnatus, concrematus eſt.

§. II.

160 HOs viros inſigniter deceptos ſequuntur mulierculæ pariter deceptæ Virgo Cæſarauguſtana, quæ anno 1585. pſeudoſtigmata Chriſti oſtentabat, raptuſque frequentes ex pacto cum dęmone inito patiebatur. Magdalena à Cruce famoſa Saga Cordubenſis, quæ totam Hiſpaniam tanto tempore ſua ficta ſanctitate, prędictionibus, reuelationibus, & miraculis falſis dementauit. Et Candenſis Virgo longo tempore pietatis operibus vacans, quæ ſuperbiæ ſpiritu inflata ſe parem Virgini Deiparæ credidit, nec aliud deeſſe, quàm fęcunditatem virginitati coniunctam: quam gratiam cum diù petijſſet, & obtinuiſſet, vt ipſa putabat, vtero intumeſcente, & adueniente partus tempore acutis doloribus toleratis pro prole humana copioſam vermium horridorum, villoſorum, & fętentium multitudinem effudit.

Quamplures aliæ ſimili exitu etiam hoc noſtro æuo varijs Italiæ vrbibus ſuam fictam comprobarunt ſanctitatem; inter quas de vnica tantùm quædam referam, cuius operationum fui teſtis oculatus, eiuſquè acta iudiciaria poſt illius condemnationem diligenter perlegi. Hæc Catharina nomine à Valletellina anno Domini 1642. cum iam ab aliquibus annis ad Vallemcommunicam Brixiẽſis Dięceſis tranſmigraſſet, ſe varias, ac quotidianas dęmoniorum ſibi ſub varijs formis apparentium, & ab oratione retrahere tentantium habere viſiones, quam plures à Deo recipere reuelationes; cum Chriſto infante quotidiè conuerſari, ac colloqui, qui vnà cum illa alternatim *Aue Maria* recitabat, poſt Sacratiſſimi Corporis Chriſti ſumptionem extaſim pati, aliaquè huiuſmodi mira ſe operari iactitabat; præcipuè aſſerebat ſe duodecim annorum ſpatio non alio cibo, aut potu nutritam fuiſſe, nec poſſe impræſentiarum nutriri, quàm auguſtiſſimo corporis Chriſti Sacramento; quod ter, aut quater in hebdomada ſumebat. Hæc ab omnibus tum Sæcularibus, tum Religioſis, etiam doctis, & pijs ſuſpiciebatur, vt ſancta: beatos ac felices ſe credentes, qui eam poterant videre, alloqui, eiuſq. ſe commendare orationibus. Quamplures diuerſorum oppidum obnixè precabantur, vt ad ſuos pertranſiret lares, ibiquè ſuam figeret habitationem, exiſtimantes ſub protectione huius nouellæ Sanctæ ſibi omnia proſpera euentura. Ipſemet Brixienſis felicis memoriæ Vincentius Iuſtinianus Prælatus doctus, pius, ac deuotus illam ad ſe venire iuſſit, quæ magno nobilium tàm virorum, quàm mulierum comitatu, armatorum cuſtodia Brixiam profecta, ſubitò accurrit innumerabilis populorum multitudo, qui eam venerabantur profundè, & ſi non poterant illius veſtes tangere, ſaltem coronas ſuas, roſariaquè porrigebant; vt aliquid ſanctitatis illius per contactum in ſe reciperent, ac genuflexi benedictionem ſuppliciter petebant, quæ oblita, quòd mulier eſſet, magno faſtu eos dextera manu eleuata benedicebat. At Epiſcopus vir vtiq. prudẽtia, ac ſapiẽtia exornatus, vt eam vidit poſt aliquas interrogationes, ex conſilio etiam aliquorũ piorum Theologorũ illam ad locũ; vndè diſceſſerat, remeare præcepit. Quarè cum ſequenti anno meorum ſuperiorum mãdato pro concione habenda tempore quadrageſimali in ea Parochia, vbi prædicta tunc temporis morabatur, fuerim deſtinatus; & in domo eiuſdem probi viri, apud quem ipſa diuerſabatur aliquot dies fuerim hoſpitatus, vix in eam oculos conieci, quòd ex oculorum motibus, ex corporis geſtu, inceſſu, capitis circumuolutione: deindè ex verbis eius inconſtantibus, vanis, mendacibus, non benè ſonantibus: tandem ex ficta, & apparenti duntaxat humilitate, alijſquè pluribus indijcis mulierem illam fictitionibus tantummodo eſſe refertam comprehendi; quod rei probauit euentus. Nam cum Parochus, me ſic ſuadente, aliquot dies eam, vt probaret, a ſumptione ſacratiſſimi corporis Chriſti prohibuiſſet, timens ſubdola mulier nomen Sanctitatis amittere, ſecum detulit ad Eccleſiam particulam hoſtiæ non conſecratæ, qua, dum Parochus nonnullis alijs Chriſtifidelibus euchariſticum panem miniſtrabat, poſita ſibi in ore ſuper linguam, annuit alteri mulieri ſibi proximæ, vt videret, quid hoc eſſet? Quæ reſpondens, eſſe particulam ſacramenti. Illico ficta Sancta ſubiunxit, ſibi ab Angelo Dei huiuſmodi hoſtiæ particulam adminiſtratam eſſe in contemptum Parochi eam communicare prohibentis. Quæ res vbi delata fuit ad Reuerendiſs. P. Inquiſitorem, informatione habita, & formato proceſſu, varijs delictis obnoxia inuenta eſt, ficta dun taxat, & ſimulata ſanctitate refulgens, prædictaquè omnia non niſi eſſe figmenta: vt clariùs infra *diſputat. ſequenti num.* 289. quoſdam in humeris, & lateribus impreſſos habens charateres, qui poſtea euanuerunt, quorum ſimulacra ponuntur *diſput. 3. nu.* 525. vt de hæreſi ſuſpecta decennio carceribus condemnata eſt, quibuſdam alijs pænitentijs iniunctis eo tẽpore adimplendis. Ex his videas quomodo Deus non patitur has illuſiones, ac fictiones diù perſeuerare; ſed tandem abſconditam impietatem vtriquè magiſtratui puniendam reuelat, & exponit. Quorum enim ipſe non eſt auctor, iuſtus eſt vltor.

ARTICVLVS II.

Temporalia.

Oſtenditur miſera ſors illorũ, qui à dæmone poſtularunt.

161 TEmporalia bona appetunt illi, qui de mundo ſunt, & de mundo loquuntur, & quos mundus audit, vt honores, diuitias, voluptates; quæ etſi vera bona non ſint, tamen vt bona reputantur, & per fas, & per nefas conquirunt, non humana tantùm induſtria; ſed etiam ope diabolica. At quàm infeliciter, exitus ſępiùs demonſtrauit.

§. I.

Honores

HOnores ſi tandem mundanos aſſequuntur, anxietates, indigationes, æmulationes, occaſioneſquè continuas timendi, appetendi, ſolicitandi, & vindicandi inueniunt. Nullum enim mare maioribus agitatur motibus, quàm ambitioſi animus: Nullæ culpæ grauiores tùm propter exemplũ, tùm propter damnum, quàm magiſtratuum: Nulla maior peccandi licentia, & impunitas: Nullum munus laborioſius: Nullus ſtatus ita curis expoſitus, quàm eorum, qui ſunt in dignitatibus conſtituti. Quòd ſi arte magica ad illas aſcendunt, vt fieri poteſt: cur enim illæ artes non poterunt, quod ambitio, ſimonia, & ſimiles corruptelę vt plurimùm aſſequuntur? Iram Dei ſuper ſe inducunt, niſi ſeriò reſipiſcant: vt Theophilus, qui poſt Vicedomini dignitatem auxilio dæmonis recuperatam cõtinuis lacrymis errorem ſuum diluere non ceſſauit, quouſquè Sanctiſſima Deipara opitulante in gratiam diuinam redijt. Sed non ſemper permittit Deus, ambitioſos ijs artibus ad honores peruenire; imo ſæpiùs dæmoni illudendos tradit, qui inani temporalis principatus Eccleſiaſticæ præfecturæ, aut ſimilis dignitatis ſpe eos paſcens, tandem ex prætenſis honoribus in ſummam præcipitat ignominiam. Sic Stuphius fictus Imperator Federicum ſe ſimulans viuus concrematus eſt. Baro de Rais Britannus apud Monſtreletum *lib.2. hiſt. cap.*248. ſimiliter deceptus, vulgi fabula fuit: Plures ex magis pro regalibus ornamentis coronam papyraceam, ſceptrum ligneum in palum efformatum, veſtem pice illitam, dæmonumq. figuris variegatam, illuſtre palatium rogum, nempe, flammis corruſcantibus ardentem, aliquos nobiles, ſcilicet, abiectos carnifices, & tot ſtipatores, quot ſpectatores ſuorum ſuppliciorum conſecuti ſunt; vt veriſſimum ſit, quod ait Dominus 1. Regum c.2. *Qui me contemnunt, erunt ignobiles.*

§. II.

Diuitias

162 IIſdem periculis ſe exponunt diuitiarum ſtudioſi. Cum enim laboribus, curis, moleſtijs, innumeriſque peccatis diuitiæ acquirantur, & conſeruentur, non dubium eſt, ſuos tandem poſſeſſores deſiderijs vanis, & nociuis irretitos demergere in interitum, vt Paulus docet *2. ad Timotheum c.3.* Quòd ſi arte dæmoniaca coaceruantur, citiùs eos ad extremam adigunt indigentiam. Etenim dæmonis diuites depauperantur, pauperes nunquam diteſcunt; & vt plurimùm illuduntur fictitijs nummis, qui nihil aliud ſunt, quàm fimus, calculi ferruginei, & cornuum fruſta, vt diximus ſupra *nu.*142. Aut theſauris abſconditis in arcis, & ſcrinijs omni nummiſmatum aureorum, argenteorum, æreorum genere refertis; ſed qui à nigerrimo cane incubante, terribiliquè latratu accedentes arcente ſolerti vigilia in penetralibus terræ cuſtodiuntur; Quos ſi cupiditate metum pellente quis tollere tentet, ſtatim ruente terra in ſpecu tumulatur: Sicut Mago Germanico Græculo Macriano Priori Margullinæ, & pluribus alijs accidit, vt ſupra dictum eſt *loc. cit.*

§. III.

NEc melior fortuna verſat eos, qui blandicijs voluptatum deliniti magicis artibus dæmonem euocant, vt optatis thalamis potiantur, & mulieres, quas depereunt, in ſui amorem pelliciant. 163 *Voluptates.*
Quantis enim modis vexentur à dæmone quis valeat enumerare. Nam aliquandò ſe offert ſub ſpecie lepidæ, & liberalis formæ puellæ, quæ vultu, geſtu, ornatu inuitat ad horrendos amplexus, qui corpus eneruant, animum bruteſcere faciunt, rationis lumen extinguunt, mærorem inferunt, & ſurdo flagello miſerum vexant hominem: aliquandò ſub eadem forma aſſumit beſtiæ cadauer. Et ſic deluſit militem, de quo Guilhelmus Pariſ. *par. vlt. de Vniuer.* qui, cum ſe formoſa virgine potitum putaret, inuenit ſe in amplexu cadaueris belluini tabæ ſoluti fædiſſimè iacentem. Aliàs mulieres adamatas repræſentat etiam defunctas, vt amatores impuros ad deſperationem adducat: ſicut cadauere aſſumpto puellę Philliniũ nominatę cum Macate ſe commiſcuit, qui à ſpectro ſe videns deluſum, nec ignominiam ferre valens, paulò poſt manus ſibi conſciuit, vt prolixiùs narrat Phlegon *lib. de mirib.* Aliàs mulierem mentitus, & ſe amore captum iuuenis alicuius formoſi ſimulans, venereorum cupidine allicit, & voluptatibus explet, vt poſſit deuorare. Quod faſſa eſt, vrgente Apollonio, lamia, quę Menippo nubere volebat, vt narrat Philoſtratus *lib.4. cap.*5. Sæpiùs ſub eadem larua ſe hominibus offerens, miſeros enecat, cum ad explendam libidinem ſe præparat, vt accidiſſe narrat Siffridus præsbiter *in Chronico anno* 1260. Adoleſcenti cuidam in Miſnia, qui vt ſuis potiretur amoribus, in locum aedium ſolitarium deductum à mago, dum manum porrigit dæmoni ſeſe offerenti ſub imagine puellæ, quam adamabat, ab eo parietibus illiditur, & miſerabilem in modum necatur, cadauere tanto impetu in magum proiecto, vt ſemianimis longo tẽpore iacuerit.

Ex quibus omnibus apertè colligitur, Deum ſic magicas, maleficaſquè operationes permittere, vt tamen ſæpiſſimè acuat diram iram in lanceam, zelumquè accendat contra maleficos, & eorum Conſultores, quos varijs pænis affectos publico exponit ſpectaculo, vt cæteri eorum exemplo diſcant, omne commercium cum dæmone, & eius fæderatis tanquam deteſtandum, & noxium, vitare, & abominari.

Concluſio Diſputationis primę.

HIs fuſiùs enarratis, quibus conſtat, Deum permittere maleficia modo diuinæ bonitati conuenienti, & ob rationes legitimas, ſupereſt, vt præſenti diſputationi colophonem imponamus, concludendo; Ad Theologos Exorciſtas, non ad Medicos ſpectare morborum maleficorum cognitionem, inquantum ſunt à tali cauſa permiſſiua. Ad quam concluſionem aſſerendam euidenti ratione compellimur, quæ talis eſt: Ad illum ſpectat maleficiorum cognitio, ad quem ſpectat, illorum cauſam cognoſcere, ſed ad Theologum, non ad Medicum 164 *Ex dictis colligitur Ad Theologum, non ad Medicũ ſpectare maleficiorum cognitionẽ*

in quantum à Deo ſunt vt cauſa permiſſiua.

Quia ad Theologum ſpectat cognoſcere.

Maleficiorum cauſam permiſſiuam.

dicum ſpectat cognoſcere cauſam morborum maleficorum permiſſiuam, ergò ad Theologum, non ad Medicum ſpectat illorum cognitio. Quis non concedat, cognitionem alicuius rei pertinere non poſſe ad alium, quàm ad illum, cuius eſt cauſas eius cognoſcere, cum, ſicut initio diſputationis probatum eſt, perfecta rei cognitio ex perfecta cauſæ notitia dependeat; nulluſquè valeat perfectam illam notitiam aſſequi, qui eius cauſas, & principia, imò effectus, paſſiones, operationes, & eſſentialia concomitantia perfectè non norit? Sed quis non fateatur, cognitionem cauſæ permiſſiuę maleficiorum, quæ depromi debet, non ex Hippocratis Aphoriſmis, aſſertis Galeni, aut alijs Medicorum placitis; ſed ex ſacris litteris, definitionibus Eccleſiæ, & Theologiæ ſcientiæ dogmatibus non ad Medicum pertinere; Sed ad Theologum, cuius partes ſunt: Diſputare de Deo maleficia non volente, ſed prohibente, & permittente: de rationibus, quare permittit: de medijs, quibus impedit, & alijs huiuſmodi, quorum notitia neceſſaria eſt morbis illis dignoſcendis inquantum ab illa cauſa procedunt: Iudicare, an ad pænam; an ad probationem; an ad alium finem Deus permiſerit euenire alicui. Deniquè maleficio effectos ritè diſponere vel ad emendationem ſi ob peccata illis morbis puniri, dignoſcat. Vel ad conſtantiam, ſi virtutes probare iudicet; ſed præcipuè ad actus fidei, & confidentię in magnitudine diuinę Bonitatis, & Clementiæ, in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu, perſuadendo ægroto, Deum quantum eſt ex parte ſua ſemper paratiſſimum eſſe, omnibus benefacere, inuocantibus eum ſuum impertiri auxilium, velle maleficia deſtruere, & à quacumquè dæmoniaca vexatione liberare, ſi etiam ipſe maleficiatus ritè ſe diſponat, & firmiter credat, & abſquè vlla hæſitatione ſanitatem ſe obtinere, confidat. In quib. omnib. Medicus ſe immiſcere non debet, ſi intra Medicinæ theoricæ, & practicæ cancellos velit ſe continere. Quare, cum iudicium Theologi in morbis maleficis dignoſcendis requiratur, illum conuenire debent maleficijs affecti, cum ad eum pertineat, maleficiorum cauſam agnoſcere, de illa iudicare, & conuenientia adhibere remedia, vt Deo auſpice priſtinæ ſanitati reſtituatur. Et ad illum ijs morbis affectos Medici mittere tenentur, niſi ingenti ſe ſcelere, & reatu contaminare velint. Scelus eſt, Deo, Eccleſiæ, & eius miniſtris iniurioſos eſſe, vt ſunt ipſi quoties hanc ſibi aſſumunt prouinciam curandi morbos maleficos. Nam quæ maior iniuria inferri Deo poteſt, quàm eius gloriam tollere, quæ etſi in omnium malorum permiſſionibus appareat, precipuè tamen in maleficijs elucet: cum ex huiuſmodi malis prouidentia, ſapientia, miſericordia, cæteraquè eius perfectiones clariùs manifeſtentur, vt dictum eſt, & per conſequens Diuinæ Maieſtati externa gloria maior ex illis accedat? Ideò ſcelus eſt, hanc ei gloriam velle detrahere, cuius ſe zelotem eſſe in ſcripturis tàm ſæpè teſtatur, præcipuè Iſaię 42. *Ego Dominus, & hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo.* Quod faciunt quicumquè obſeſſiones, & maleficia, ex quibus ipſe glorificatur, non admittunt; ſed ad cauſas naturales referunt. Quæ grauior offenſa Eccleſiæ Sanctæ Dei, cuius auctoritas maximè manifeſtatur, dum virtute ſacramentorum, rerum ſacrarum applicatione, & benedictionum, exorciſmorumq. efficacia cohibentur dęmones, pelluntur morbi, ſoluuntur maleficia, ſanantur ægroti, & tot prodigia in ſanandis energumenis, & maleficio affectis perficiuntur? Nam ſic detrahitur ei ſummum decus, quo ſuper iudaicas, & hæreticas ſynagogas extollitur? Quod damnum maius miniſtris eius infertur, quàm ipſorum poteſtatem eis eripere velle; quę maximè manifeſtatur; dum dæmonibus imperantes, ſuperbiam eorum calcant, virtutem eneruant, malitiam frenant, & opera diſſoluunt? Sic enim videmus Apoſtolos gaudentes ad Chriſtum accedere, eo quòd ipſis ſpiritus inuiſibiles ſubijciebatur. Nec immeritò. Quæ enim dignitas maior, quàm Angelis quamuis malis tamen natura, ſcientia, & potentia eminentiſſimis imperare? quam tollere conantur illi, qui maleficia negant, contumeliam ſuperaddentes ſacris ſcriptoribus, Pontificibus Summis, Doctoribus Eccleſiæ, immò vtriuſquè iuris profeſſoribus, pluribus Medicis, & omnium nationum Chriſtianarum hominibus, qui communi conſenſu maleficia eſſe docent, & illorum curationem ad Eccleſiam, & Eccleſiaſticos miniſtros pertinere aſſeuerant.

Sed nec minor eſt reatus, quem ſibi aſſiſcunt. 165
Si enim cuilibet culpæ æqualis pęna debetur, cogitent, qualiter affici debeant illi, qui tam ingentis ſceleris ſe reos conſtituunt apud Deum, cuius vindicem manum aliquoties ſentiunt in hoc mundo, vt de ſeipſo fatetur Baptiſta Codrõcus inſignis Medicus Imolenſis *in ſuis libris de morbis veneficis, & veneficijs*. Etenim, cum Medicorum more tales morbos neque veriſimiliter eſſe, crederet, placuit vindici Deo, in hanc eius incredulitatem animaduertere, & in eius filia, quæ vt lepida ardentiùs à Patre amabatur, eum punire. Nam permiſit, illam iteratis vicibus venefico morbo vexari, à quo liberari non potuit, quicquid ipſe, cuius res agebatur, ſuis pharmacis obniteretur è contra; donec repertis pluries ſignis maleficis, & ſacro igne combuſtis; validioribuſquè vt ipſe ait, per Exorciſtam peritum adhibitis auxilijs, Dei beneficio abſquè vllo remedio naturali conualuit. *Quod quidem veneficium*, ſubiungit ille lib. 1. cap. 8. *fortaſſe Deus permiſit, vt in mea puella experirer, quod in alijs parum credebam veritatis habere:* Ex quo caſtigatus à Deo medicam incredulitatem depoſuit, & chriſtianam credulitatem aſſumpſit, vt pluribus ipſe declarat. Ideò Medicorum eſt, vt hęc ſcelera, & pænas ijs debitas deuitare poſſint, maleficio affectos Theologis Exorciſtis conſignare; & ſic dare gloriam Deo, cuius opera reuelare, & confiteri honorificum eſſe, Raphael, quem Angelum Medicum poſſumus nominare, *capite* 1. vtriq. Tobiæ conteſtatur.

DISPV-

DISPVT. II. DE DÆMONE DIVISIO.

Partes. Capita. Sectiones. Articuli.

Diſputatio II. De Dęmone, vt cauſa maleficiorum.

- 1. Eius ſcientia.
  - 1. Ex parte ſubiecti.
    - 1. Innata.
      - Cita. 1.
      - Perfecta. 2.
      - Firma. 3.
    - 2. Acquiſita.
      - Speculatiua. 1.
      - Practica. 2.
    - 3. Communicata.
      - Ab Angelis. 1.
      - A Dęmonibus. 2.
  - 2. Ex parte obiecti.
    - 1. Præteriti.
      - Secundùm ſpecies vniuerſales. 1.
      - Secundùm ſpecies immobiles. 2.
    - 2. Præſentis.
      - Corporalis. 1.
      - Spiritualis. 2.
    - 3. Futuri.
      - Falſi. 1.
      - Veri. 2.
- 2. Eius potentia.
  - 1. In infimas creaturas.
    - 1. Exiſtentes.
      - Elementa. 1.
      - Mixta. 2.
    - 2. Vegetantes.
      - Realiter. 1.
      - Apparenter. 2.
    - 3. Sentientes.
      - Imperfectas. 1.
      - Perfectas. 2.
  - 2. In medias creaturas.
    - 1. In Spiritum.
      - In Intellectum. 1.
      - In Voluntatem. 2.
      - In Memoriam. 3.
    - 2. In Animam.
      - Vegetatiuam. 1.
      - Senſitiuam. 2.
    - 3. In Corpora.
      - Quoad Subſtantiam. 1.
      - Quoad Quãtitatem. 2.
      - Quoad Qualitatem. 3.
      - Quoad Relationem. 4.
      - Quoad Actionem. 5.
      - Quoad Paſſionem. 6.
      - Quoad Vbi. 7.
      - Quoad Situm. 8.
      - Quoad Quando. 9.
      - Quoad Habitum. 10.
  - 3. In Superas creatur.
    - 1. Beatos.
      - Angelos. 1.
      - Sanctos. 2.
    - 2. Patientes.
      - Pueros limbi. 1.
      - Animas Purgatorij. 2.
    - 3. Damnatos.
      - Dęmones. 1.
      - Homines. 2.
- 3. Eius malitia.
  - 1. Omnes volunt maleficia.
    - 1. Superiores.
      - Imperando. 1.
      - Cogendo. 2.
    - 2. Inferiores.
      - Superbiendo. 1.
      - Inuidendo. 2.
  - 2. Omni loco volunt maleficia.
    - 1. Publico.
      - Igne. 1.
      - Aere. 2.
      - Aqua. 3.
      - Terra. 4.
    - 2. Priuato.
      - Sacro. 1.
      - Prophano. 2.
  - 3. Omnibus modis volũt malefacere
    - 1. Inchoantes maleficia.
      - Apertè. 1.
      - Occultè. 2.
      - Mixtim. 3.
    - 2. Continuãtes maleficia
      - Die. 1.
      - Nocte. 2.
    - 3. Perficientes maleficia.
      - In omnibus. 1.
      - In ſingulis. 2.

DISPVTATIONIS SECVNDÆ

De Dæmone, vt cauſa Maleficiorum.

SVMMARIA.

DEVS in homines eſt ſummè beneficus,

Qui ſcit, poteſt, & vult omnibus benefacere. n.168.

Quia habet prudentiam ad inueniendum: potentiam ad exequendum: bonitatem ad volendum; Ideò cauſa efficiens eſt omnium bonorum.

Dæmon in homines eſt ſummè maleficus,

Quia maleficia incohat ineunte mundo: ea proſequitur in omnibus locis mundi: & conſumat in omnibus habitantibus mundum. Ideò cauſa eſt efficiens omnium maleficiorum. 170.

Quare tribus partibus tractatur:

In prima de Dæmonum ſcientia in adinueniendis maleficijs.

In ſecunda de eorum potentia in illis exequendis.

In tertia de illorum praua voluntate in eis appetendis.

Partis I. De Dæmonis ſcientia in adinueniendis.

SVMMARIA.

Dæmon ab initio ſuæ creationis à Deo acceperat Sapientiam ſpeculatiuam, & practicam, & vtramque magnam. 173.

Practica per peccatum totaliter eſt ablata.

Speculatiua per peccatum multùm eſt diminuta.

Ideò ſola ſcientia naturalis remanſit intacta; quæ inferior eſt ſapientia ſupernaturali; ſed ſuperior, & maior omni ſcientia humana: vtcunque conſideretur,

Siuè Ex parte Subiecti. Caput 1.

Siuè Ex parte Obiecti. Caput 2.

Caput I. Ex parte Subiecti.

Homo cæteris animantibus eſt præſtantior.

1. *Relatione ad prototypum.*	4. *Loquendi facultate.*	7. *Societate.*
2. *Corpore.*	5. *Vita.*	8. *Potentia præcipuè intelligendi.*
3. *Anima.*	6. *Dominio.*	

Per quam acquirit ſcientiam ex propria ſpeculatione; ex longitudine experientiæ: & ex Magiſterio aliorum. 174.

Sed inferior eſt Dæmonibus, quibus cedit.

In ſcientia Innata, Acquiſita, & Communicata, quæ eſt in eis, vt docetur tribus ſequentibus ſectionibus.

Sectio I. Innata.

Diabolus eſt verè Dæmon, ideſt, ſciens. 175.

Homo eſt æqualis Dæmoni in hoc, quia eſt intellectu præditus. Sed eſt inferior Dæmone, quia ab initio intellectus Hominis eſt vt tabula raſa; ſed intellectus Dæmonis eſt omnium rerum informatus; ex quo differunt in ſcientia, quæ in Homine eſt Tarda, Imperfecta, & Mobilis: Sed in Dæmone eſt Cita, Perfecta, & Immobilis, vt tribus articulis patefiet.

Articulus I. Cita.

Homo incipit ſcire, cum incipit ratione vti. 176.

Cum non vtatur in vtero matris per nouem menſes: Nec extra vterum per infantiam.

Vix vtatur in pueritia.

Parumque vtatur in adoleſcentia.

Angelus autem citam habet ſcientiam,

Quia ab initio recepit diuinum lumen, ſpecies concreatas omnium rerum: & exercitium liberum intellectionis.

Ideò ſoli comparatur. 177.

Articulus II. Perfecta.

Homo in pleno intellectus exercitio habet ſcietiam exiguam: quia non omnes habet ſcientias: non duas perfectas: nec vnam ſummè perfectam.

Habet opinionem ferè: quia latent illum eſſentiæ rerum; earumque differentiæ; atque externis accidentibus innititur.

Patiturque errorem ordinarium ex parte Obiecti: Medij: Speciei: Senſus: Phantaſiæ: Intellectus:

ctus: Modi cognoſcendi. 178.

Angelus nihil horum patitur; ſed eminet ſiuè amplitudine ſcientiæ, qua omnia nouit: Siuè præſtantiſſimo modo ſciendi omnia intrinſecè, ac diſtinctè. 179.

Articulus III. Firma.

Hominũ ſcientia effluit per diuturnã ab actu ſciendi ceſſationem: per perturbationem phantaſiæ: ac per nimiam ſenſuum petulantiam. 180.

Dæmonis ſcientia nihil tale ſuſtinet: quia intellectus non ceſſat ab intellectione: nec ſenſui, aut corpori eſt alligatus; ſed permanet ſemper; nec deperdi poteſt, niſi per potentiam Dei abſolutam. 181.

Concluſio Sectionis.

Ab initio Dæmon ſcientia inflatus Magiam docuit. Homo didicit: Ex homine Deus fieri volens morſu pomi.

Cum Doctor fallax formam propriam exuit, induit alienam Maleficus ſerpentinum aſſumpſit exuuium. 182.

Doctrinam tradidit Deo multipliciter iniurioſam. Homini, generiqae humano pernicioſiſſimam. 183.

Diſcipula verò curioſa videndo pomum. Malè credula credens Dæmoni. Decepta ſibi, ac poſteris mortem inducens doctrinam amplexa eſt. 184.

Sectio II. Acquiſita.

Datur in Homine ſcientia acquiſita ex experientia, per nouorum ſingularium ſpeculationem: ac per practicam nouorum effectuum notitiam.

Multò magis in Dæmone, qui cognitione illum in vtraque præcedit tàm ſpeculatiua, quàm practica, vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 185.

Articulus I. Speculatiua.

Homo cum difficultate ſcientiam acquirit in generali ob corruptionem in ſenſu: & in ſpeciali ob ſpeculationem cuiuſque obiecti. 186.

Angelus facilè: quia ſcientia innata eſt donatus: à ſenſu, & corpore eſt liber, & facilè intelligens, & actu eliciens.

Ideò creſcit ſcientia ex notitia ſingularium contingentium: quæ fit ſecundùm Scotum per acquiſitionem ſpecierum ſingularium. Secundùm verò D. Bonauent. per applicationem vniuerſalium.

Vtcunque fiat, per illam proficit in cognitione ſpeculatiua, experimentali, & acquiſita. 188.

Articulus II. Practica.

Homo experimentis creſcit in ſcientia practica.

Dæmon magis creſcit: quia experientia Dæmonis magis eſt certa, vniuerſalis, & longa. 189.

Hominis verò incerta, particularis, & breuis.

Ideò magnitudo eius explicari difficilè poteſt. 190.

Concluſio Sectionis Secundæ.

Hac ſcientia experimentali vtitur Dæmon ad magicas artes in totum mundum inuehendas. Per hanc enim didicit mala, quæ afferuntur Hominibus: Hominum inclinationes; & modum, quo ſe gerere debeat. 191.

Hac inſtructus in totum mundum quærit auditores curioſos, auaros, &c. tentat vt ſerpens variè, ac pollicetur omnia, ipſam quoque Diuinitatem.

Et ſic Homines decipit, ad ſe trahit, excultiſque magia vtitur ad maleficia. 192.

Sectio III. Communicata.

Homo acquirit ſcientiam à ſeipſo, & ab aliis.

Idem accidit Dæmonibus, qui eam acquirunt communicatam ab Angelis bonis, & malis, vt duobus articulis notum fiet. 193.

Articulus I. Ab Angelis.

Boni, & mali Angeli diſſimiles ſunt in voluntate; ſed ſimiles in intellectuali natura. 194

Boni docent: Mali docentur: cum Boni malis reuelant myſteria aliis annuncianda, ac mandata executioni mandanda. 195.

In quibus reuelationibus, ſi finem ſpectes, apparet Dei Sapientiæ diſpoſitio: Si verò modum attendas, apparet Dei Prouidentiæ ordo. 198.

Articulus II. A Dæmonibus.

Homo à Doctioribus inſtruitur diſcendo: ab æqualiter doctis illuminatur conferendo.

Dæmon à Superioribus edocetur: & cum æqualibus confert, & communicat.

Magna ſimilitudo inter vtrorumq. locutionẽ. 200.

Sicut inter Angelos ſuperior inferiorem loquendo compellat: & inferior ſuperiorem, & æqualis æqualem:

Ita inter Dæmones. Vnde vnus alium inſtruit, & ſic in ſcientia proficiunt. 201.

Concluſio Sectionis Tertiæ.

Per illam ſcientiam communicatam ſuperiores Dæmones inferiores docent noua maleficiorum genera: Inferiores verò conſulunt ſuperiores in dubiis occaſionibus.

Ità

Ita aſtutiores facti imperium diabolicum dilatant per maiorem numerum peccantium, & Magorum, & maleficiorum. 202.

Caput II. Ex parte Obiecti.

Quò forma eſt ſpiritualior, eò eſt capacior.
Ideò Homo capacior eſt in cognitione rebus inanimis, plantis, animalibus.
Dæmon Homine, cum eius ſe extendat ad Præterita, Præſentia, & Futura, vt ſequentes Sectiones demonſtrabunt. 203.

Sectio I. Præteriti.

Obliuio, prout opponitur recordationi cadit in Dæmones, qui ſic ſtulti dicuntur ab Eccleſiaſte.
Prout verò dicit ſpecierum deletionem cadere non poteſt in illos.
Quia intellectus ſpecies habet vniuerſales, & firmas, vt ſequentibus articulis explicabitur. 204

Articulus I. Secundum ſpecies vniuerſales.

Prodigioſa eſt memoria Hominis, quæ omnium ſpecies recipit per quinque ſenſus continuè. Receptas conſeruat inconfuſè. Conſeruatas exhibet promptè. 205.
Prodigioſior memoria dæmoniaca: quæ eſt ſinus capaciſſimus omnium rerum: Theſaurus immenſus omnia conſeruans: Promptuarium immenſum omnia exhibens: Quia ſpecies Hominis ſunt paucæ, & exiles. Dæmonis verò multæ, & magnæ. 206.

Articulus II. Secundùm ſpecies immobiles.

Species in Dæmonibus receptæ indelebiles ſunt.
Hoc requirit Dæmonis ſtatus, memoriæ qualitas, ſpecierum natura.
Ideò præterita tenet vniuerſaliter, & firmiter. 207

Sectio II. Præſentis.

Homo cæcutit circa præſentia corporalia, & ſpiritualia.
Dæmon cognitionem poſſidet corporalium, & ſpiritualium: vt duobus ſequentibus articulis patefiet. 209.

Articulus I. Corporalis.

Quæ in mundo ſunt obuia Homo difficilè cognoſcit.
Solus Dæmon altitudinem Cæli, latitudinem terræ, profundum abyſſi dimenſus eſt: vt diffusè ex Eccleſ. 1. probatur. 210

Articulus II. Spiritualis.

Anima patet Dæmonibus in ſuis operationibs vegetatiuis, ſenſitiuis, & rationalibus, vt ſunt cogitationes, & affectiones. 216.
Deus ſolus cognoſcit cogitationes quatuor modis. 217.
Angeli, & dæmones directè eas non cognoſcunt.
Indirectè eas cognoſcunt.
More Medicorum in corporibus, ipſi in ſpiritualibus ferè omnia norunt ex antecedentibus, concomitantibus, ſubſequentibus, propter colligationem intellectus, & imaginationis: voluntatis, & appetitus. 218.
Si non cognoſcunt, hoc procedit ex Diuina voluntate: vel ex Inaduertentia: vel ex Excæcatione. 219.

Sectio III. Futuri.

Diabolus totus fuit ab initio in futuris prædicendis
Per Idolorum Sacerdotes, vates, aruſpices, cæteroſque
Per Mulieres Pythoniſſas, & Sagas.
Per ſtatuas, tripodes, & arbores.
Ex quibus communiter falſa prædicunt.
Aliquando etiam vera: vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 220.

Articulus I. Falſi.

Falſitas oraculorum ipſis Ethnicis comprobata.
Ambiguitas in reſponſis ordinaria.
Ratio falſitatis, ambiguitatis eſt ignorantia futurorum. 222.
Futura contingentia, quæ cauſam habent neceſſariam noſcunt certitudinaliter.
Quæ vt plurimùm habent determinatam noſcunt minus certè.
Quæ verò habent indeterminatam noſcunt coniecturaliter. 223.
Ideò certam non habent cognitionem eorum, quæ dependent à voluntate humana, quod ſolius Dei eſt, vel à voluntate Diuina, vt ſunt gubernationes Regnorum.

Articulus II. Veri.

Si vera aliquando prænunciant, hoc non eſt ex cognitione futurorum, quam habeant. 224.

Sed vel ex
- *Reuelatione Prophetarum, & eorum, quæ nouerunt.*
- *Reuelatione ipſis facta per Angelos.* 225.
- *Aliena doctrina, & præparatione cauſarum.*
- *Acumine intellectus, qui res humanas nouit.*
- *Multa, & longa experientia.* 226.

In his tamen ſæpè hallucinantur coniectando.
Quia Deus multa agit præter naturæ ordinem.
Homo verò contra facit, quàm antea facere ſtatuerat.
Non tamen ceſſant prædicere futura etiam mentiendo, vt ſibi arrogent quandam Deitatis ſpeciem. 227.
Infirment teſtimonia Prophetarum.
Et capiant, ac decipiant faciliùs curioſos. 228.

Concluſio primæ partis.

Si ergo Dæmones vigent triplici acumine, & ſcientiam habent innatam, acquiſitam, & communicatam, quæ ſe extendit ad præterita, præſentia, & futura. 229.
Nihil mirum, ſi tam ſagaces ſunt, & acuti in adinueniendis varijs maleficiorum generibus, quibus tot, tantaque & tam mira operantur, quæ in ſecunda Diſputationis parte examinantur.

DISPVTATIO II.

DE DÆMONE, VT CAVSA MALEFICIORVM.

Aliqui Medici negant eſſe dæmones.

166 EXPEDITIS ijs, quæ ad Deum, vt cauſam maleficiorum permiſſiuam, ſpectant, aggredimur modò de ijs, quæ ad Dęmonem tanquam cauſam eorum efficientem pertinent, diſputare; quia illam non admittunt quidam ex Medicis, quos nouos ſaducæos verè dixeris, nihil in orbe agnoſcentes, quàm quod oculis corporeis exhibetur. Illi etenim, ſi non Deum, ſaltem dæmones, & maleficos dari negant; atque dæmoniacas, & maleficas operationes, quæ in obſeſſionibus, & maleficijs viſuntur, non ad ſpiritus inuiſibiles, & eorum aſſeclas; ſed ad cauſas naturales, præcedentium Medicorum more, referre conſueuerunt.

Hoc de ſui temporis Medicis teſtatur Origenes, cum *tract. in Matth. c. 17.* hæc verba Patris auxilium à Chriſto poſtulantis pro filij lunatici curatione elucidat: *Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur. Medici loquuntur, quæ volunt; quia nec immundum ſpiritum arbitrantur: ſed corporalem aliquam paſſionem. Et dicunt, humida moueri in capite ſecundùm aliquam compaſſionem ad lumen lunare, quod humidam habet naturam. Nos autem, qui Euangelio credimus, dicimus hanc compaſſionem immundum ſpiritum operari. Obſeruat enim quædam ſchiſmata Lunæ, & ſic operatur, vt ab obſeruatione Lunæ pati homines, mentiatur; & per hoc culpabilem Dei creaturam oſtendat.* Hæc ille.

§. I.

167 SImilis erroris notam illis inurit Pſellus platonicæ ſectæ philoſophus, qui in *libro de Dæmonibus* refert, ſe familiariter conuerſatum cum quodam Marco vitam ſolitariam agente in Cherſoneſo Græciæ contermina, & multa cum illo de dæmonum natura contuliſſe, vt potè qui priùs magicis ſtudijs adhæſerat, & abiuratis poſtea erroribus, chriſtianas amplexus fuerat diſciplinas. Nam in illo libro loquens de dæmonum mirandis operationibus, quæ in arrepticijs cernuntur, huic Marco obijcit in hunc modum: *Sed ego*, inquit, *ò Marce recentiora quædam ſapere nos Medicorum Sectatores adducunt, aſſerentes, paſſiones huiuſmodi non eſſe effectus dæmonum; ſed humorum, vaporumque malè ſe habentium; Itàque pharmacis, & dieta, & non carminibus incantantium, expiationibuſquè curare, hęc aggredi ſolent. Tunc Marcus reſpondit: Nihil mirum eſt, hæc Medicos dicere, qui nihil nouerint præter ſenſum; ſed corporibus tantùm incubuerint cognoſcendis. Illa fortaſſe decebat malorum humorum putare incommoda, capitis ſomniferam grauitatem, atrę bilis anguſtias, phreneſis deliramenta, quæ lauacris, potionibus, vel euacuationibus, vel emplaſtris ſedare conſueuerunt. Inſpirationes autem, occupationeſquè, quibus, qui obſeſſus eſt, agere nihil poteſt, non intellectu, non phantaſia, non ſenſu; aliud verò eſt, quod mouet, atquè ducit. dicitquè inſuper quæ non nouerit occupatus; & futura nonnunquam prædicit: quo inquam pacto dicemus, has eſſe erraticas materiæ motiones?* Ita Marcus.

§. II.

IN hoc etiam modernos ſugillat Binsfeldius Epiſcopus Azotenſis, & Treuirēſis ſuffraganeus eruditiſſimus in Theologia. Nam *in ſuo tractatu de Confeſſionibus malefic. prælud. 1.* ſic ait: *A Philoſophorum, & antiquorum Medicorum falſa, & impia opinione non videntur noſtris temporibus etiam aliqui phyſici eſſe alieni, qui ferè omnia, quæ dæmonum operatione circa hominem aguntur, vt contingit in energumenis obſeſſis, maleficis, & incantatoribus, referunt in humores melancholicos, complexionem corruptam, perturbatam phantaſiam, aliaſquè cauſas naturales; & fortaſſe etiam cum ſuperioribus animo verò ſentiunt, nequè eſſe dæmones, neq. infernum; ſed omnia ſimul cum corpore interire, licèt verecundia, & timore impediti non prodant. Quam impiam doctrinam aliqui etiam Itali, & phyſici ex philoſophia quorundam Ethnicorum hauſerunt noſtris temporibus.* Sic ille. Quapropter non verentur tales maleficiorum cognitionem ſibi arrogare, cum puros eſſe morbos naturales credant; nec à dæmonibus poſſe procedere, quos non eſſe niſi in opinione vulgi ſibi perſuadent; maiorem fidem adhibentes Democriti, Alexandri, Simplicij, Auerrois, & Ariſtotelis commentis, atquè Simoniacorum Doziteanorum,

alio-

aliorumquè Ethnicorum, & Hæreticorum erroribus, quàm cæleſtibus Chriſti, & Apoſtolorum oraculis, ac certiſſimis Eccleſię, Conciliorum, & Patrum dogmatibus, quibus nos Sanctiſſimis diſciplinis eruditi adhærentes dicimus; Extare dæmones, & eos malis, & maleficijs hominibus inferendis, continuè inuigilare.

§. III.

168 ET certè diſſimiles ſunt Dei, & dæmonis mores, & varia vtriuſquè ſtudia erga homines. Deus varijs illos proſequitur beneficijs, boniſquè innumeris mundum replet vniuerſum; cum nihil ei deſit eorum, quæ requiruntur in ſummo benefactore, vt velit, ſciat, & poſſit benefacere; quia præditus eſt bonitate ad volendum: Sapientia ad inueniendum: & potentia ad exequendum, cum ſit infinitè potens, perfectè ſapiens, & ſummè bonus: & vt bonus velit; vt ſapiens ſciat: vt potens valeat bona facere ad ſuam voluntatem.

Deus in homines ſummè beneficus qui omnibus benefacere Scit Poteſt Vult Quia habet Bonitatem ad volendū.

Quid non vult, vt benefaciat, cum ſit ſummè bonus, immò ſummum bonum omnia bona continens, & complectens, omnia efficiens; & conſeruans, omnia trahens, & terminans: Quia in eo omnium entium perfectiones præexiſtunt: ab eo omnes creaturæ dependent in eſſe, & operari: ad illud omnia tendunt; idquè appetunt ſuo modo, vt principium, quo creantur: vt auxilium, quo conſeruantur: vt terminum, quo quietantur? Quarè iuxta boni naturam, quæ eſt ſui ipſius diffuſiua, vt docet D.Dionyſ. *de diu.nom.c.3.* vellet ſeipſum ſummè diffundere, & totum ſe communicare; ſed quia nihil ad extra reperitur capax infinitę illius cōmunicationis, & diffuſionis, ſe tantùm effundit per varia bona creaturis collata, quantum vnaquæquè diſpoſita eſt diuinæ communicationi maiori, vel minori recipiendæ.

169 Quid non inuenit, vt diuerſimodè ſua teſtetur beneficientiam: cum ſimplici, & inuariabili ſuæmet eſſentiæ intuitu inueniat diuerſa bonorum genera, varias gratiarum ſpecies, multiplices donorum modos, quæ eis loco, & tempore, & circunſtantijs confert opportunis, prout in varijs ordinibus conſtitutæ nobiliorem, aut demiſſiorem locum occupant?

Prudentiam ad inueniendum.

Quid non exequitur, vt facto probet bonam, & beneplacentem voluntatem; notaſquè faciat in populis adinuentiones ſuas; cum nihil impoſſibile; ſed omnia poſſibilia, immò facilia ſint; eò quod potentia eius infinita materia præexiſtente non indigeat: non operetur in tempore: non vtatur alterius adminiculo; ſed momentanea operatione vocet ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt; & inſimul res velit, & faciat. Vndè in creaturis magna, & multa operatur; & tam magna, & multa, vt illorum magnitudinem, & multitudinem nec ipſę creaturæ explicare poſſunt, quę capere poſſunt.

Potentiā ad exequendū.

§. S V.

170 DÆmon è contra non ceſſat malefacere, & vltra ordinaria mala, quibus orbis opprimitur, innumera inuehere maleficia. Quod tàm obſtinatè præſtat, vt totas malitię vires, vniuerſos ſcentiæ aſtus, omnes potentiæ neruos intendat operibus maleficis inchoandis, proſequendis, & conſumandis; vt nouis calamitatibus extera bona diſſipet: nouis infirmitatibus afficiat corpora; & nouis iniquitatibus animas deducat ad interitum.

Dæmon in homines ſummè maleficus.

Inchoat maleficia ineunte mundo in ipſo Paradiſo, in quo malis omnibus aditum præbuit. Cum ſuis cuniculis primos parentes gratia, & immortalitate donatos à felici ſtatu deiecit in mortem, quæ in omnes homines pertranſijt; & in peccatum primum, quod transfuſum in poſteros fons eſt cænoſus, & fætidus eorum omnium, quæ poſtea commiſſa ſunt, & committentur in finem. Sed quomodo illa mala tum culpæ, tum pænæ introduxit niſi per maleficiū primò in orbe viſum, cū vel apparentem ſerpentis formam induens: vel loquens occultè per verum, & naturalem ſerpentem, Euam blandiſſimis deceptam promiſsis ad vetitum pomum edendum induxit?

Qui maleficia inchoat ineunte mūdo.

171 Proſequitur in omnibus mundi locis creaturas inficere maleficijs, quorum vim nulla effugere poteſt. Non ignis ardore, qui tepeſcit: Non aer puritate, quæ corrūpitur: Non terra ſtabilitate, quæ mouetur: Non venti impetu, qui cohibetur: Non mare agitatione, quæ pacatur: Non fluuij curſu, qui præpeditur: Non herbæ viriditate, quæ areſcit: Non arbores humore, qui deſiccatur: Non animalia ferocitate, quę miteſcit: Non aues volatu, qui retardatur: Non corpora compage, quę deſtruitur: Non membra ſuis nexibus, quæ diſſoluuntur: Non inteſtina ſuis clauſtris, quæ aperiuntur: Non oſſa ſuis medullis, quę penetrantur: Non viſcera ſuis receſſibus, qui patent: Non potentiæ ſua efficacia, quæ impeditur: Non organa ſuis meatibus, quę obſtruuntur: Non ſenſus ſua viuacitate, cui illuditur: Non ſpiritus ſua ſubtilitate, quæ obtunditur: Non anima ſuis actionibus, quæ varijs obuoluuntur obſtaculis; quia nihil eſt in tota rerum amplitudine tàm diſtans, quò illa non perueniant: tàm intimum, quod non penetrent: tàm velox, quod non aſſequantur: tàm ſubtile, quod non attingant: tam efficax, quod non eneruent: tam altum, quod non deprimant: tàm graue, quod non attollant: tàm forte, quod non infirment: tàm vnitum, quod non diſſoluant: tàm integrum, quod non diuidant: & tàm difficile, quod non exequantur.

Proſequitur in omnibus mundi locis.

§. V.

172 DEniquè conſummat opera malefica in tot maleficorum millibus, qui ſe totos eius miniſterio deuouerunt; & in tanta hominum multitudine, qui maleficijs vexantur. Sic enim & miniſtros habet, & ſubditos. Miniſtros, qui in nullo ſibi complacent, quàm in malis, ad eius præſcriptum perpetrandis, cum teſte Paulo 2. *Timoth.3.* captiui teneantur ad ipſius voluntatem. Subditos, qui vt priſtinam aſſequantur ſanitatem, ſummo illi honore, & varijs ſummiſsionibus exhibitis, ſuam neceſsitatem, & eius in ſubueniendo potentiam ad eum recurrentes, profitentur; ità vt ſi non æqualem, ſaltem ſimilem cum Deo auctoritatem habere videatur.

Conſummat in omnibus habitantibus mūdum.

Quarè ſicut Deus cauſa eſt omnium bonorum, quæ in mundo ſunt; ità dęmon cauſa eſt efficiens omnium maleficiorum, & architectus eorum eximius, eò ad malefaciendum, & nocendum promptior, quò ſcientia, potentia, & malitia armatus ſcit, poteſt, & vult maleficia operari, ſicut tota hac diſputatione probabimus: In qua Primò de eius ſcientia in eis adinueniendis. Secundò de eius potentia in exequendis. Tertio de eius malitia in appetendis, & procurandis, tribus partibus tractabitur; vt illa cauſa efficiente maleficiorum plenè cognita, faciliùs ad vltimum definire poſsimus, ad quem maleficorum effectum, & morborum cognitio ſpectet: Medicum, vel Theologum Exorciſtam.

Quia habet ſcitiam ad inueniēda, Potentiā ad exequenda. Malitiā ad appetenda. Ideò omniū maleficiorū cauſa eſt efficiens.

PARS

PARS PRIMA.

De ſcientia Dæmonis circa maleficia.

Dæmon ab initio ſuæ creationis acceperat Sapientiam Speculatiuã Practicã

173 MAGNA, & eminenti Sapientia donatum fuiſſe dæmonem in fauſtis ſuæ creationis primordijs teſtatur Ezechiel c.28. cum illum alloquitur dicens: *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & perfectus decore*. Sicut enim per eximiam donorum varietatem, qua inter creaturas, vt ſol inter aſtra, eminebat, decore induerat eum Dominus, ità repleuerat Sapientia ſupernaturali Speculatiua, qua Diuinam Maieſtatis gloriam, & varia ſupernorum operum myſteria cognoſceret: Practica, qua Deum ſuper omnia amaret, & ei inſeparabiliter adhærere poſſet, ſed ſuperba eius mens propriæ excellentiæ cupiditate intumeſcens, vtriuſquè iacturam fecit, cum à Deo auerſa ad ſeipſam conuerſa eſt. Nam practica ei totaliter eſt ablata; cum ſit cauſa efficax amoris Dei. Speculatiua verò diminuta; cum in ſtatu damnationis non nouerit tot myſteria ſupernaturalia, quot agnouiſſet, ſi in cognitione beata extitiſſet: vt docet Auguſt. *9. de Ciuit. Dei c.21.* Quare cum non poſſideat ampliùs ſapientiam, quæ Dei ſapida eſt ſcientia, ſola ſcientia naturalis integra remanſit in illo, ſicut & cętera dona naturę. *Dæmones*, inquit D. Dionyſius cap.4. de diu.nom. *non omnino exortes boni ſunt, quia & ſunt, & viuunt, & intelligunt; eſtquè in eis quidam deſiderij motus*. Quæ quamuis ſapientiæ ſupernaturali comparata multis partibus ſit inferior; tamen longo interuallo ſuperior eſt omni creata ſcientia, quæ in hominibus reperitur, ſiuè illam Ex parte ſubiecti: ſiuè Ex parte obiecti conſideres: vt ſequentib. capitib. demonſtrabitur.

Practica totaliter eſt ablata per peccatũ

Speculatiua multum diminuta.

Sola naturalis remanſit integra. Quæ inferior eſt ſupernaturali ſapientia. Superior omni ſcientia creata Ex parte Subiecti. Obiecti.

CAPVT I.

Ex parte ſubiecti.

Homo cæteris animãtibus præſtantior

174 FAteor, eximiam eſſe hominis ſcientiam, & maximam cognitionis ipſius naturali perfectionem, per quam cæteris preſtantior eſt animantibus. Sicut enim inter illa præeminet in relatione ad prototypon, quia factus eſt ad imaginem Dei: corporis compoſitione, cui ſtatura recta, & os ſublime datum eſt, cælumquè tueri iuſſum, & erectos ad ſidera tollere vultus: In anima, quæ ſeparata adhuc viuit: In loquendi facultate, qua ſingulos cum conſilio, & iudicio effert ſermones: In vita, quia capax eſt non ſolùm præſentis; ſed etiam æternæ. In dominio, cum ei data ſit poteſtas in omnia, quæ mouentur in mundo: Et in ſocietate, quam ſolus indiuiduam retinet, cum ſint aliorum ſodalitia vaga. Ità illis naturæ excellentia præeminet, eò quòd cętera rationis expertia, ipſe verò mentis, rationiſquè compos, & potentia intellectiua ſit preditus, per quam Nunc attentè conſiderat omnia, quæ ſunt rerum natura, quarum ſpecies acquirit; acquiſitas retinet: retentas profert è memoria, tanquam ex promptuario expeditiſſimo. Nunc variarum rerum cognitionem ex longitudine experientiæ adipiſcitur, quæ eò maior, quò certior eſt, & efficacior intellectui informando. Nunc plura diſtinctè, & citò addiſcit à Magiſtris; ad quorum notitiam niſi confusè, & maximo cum labore peruenire non poſſet. Quorum triplici illo modo informatus valdè magnarum rerum omnium cognitionem attingit; vt teſtantur tot Viri doctiſſimi, quos verè naturę genios poſſumus appellare: vt potè qui tàm perfecta, & vniuerſali rerum naturalium notitia pollent, vt nihil ipſos latere videatur. Sed quid tota hæc humana ſcientia diabolicæ comparata? Quæ, vt colligitur ex Magiſtro Sent. in 2. triplex eſt; Innatą, Acquiſita, Communicata; Ob quam homo dæmoni cedat, neceſſe eſt, vt ſequentes ſectiones declarabunt.

Præcipuè intelligẽdi facultate, per quam acquirit ſcientiã Propria ſpeculatione, Longitudine experientiæ Magiſterio aliorum. Sed inferior eſt dæmonibus quibus cedit In ſcientia Innata, Acquiſita, Communicata.

SECTIO I.

Innata.

175 QVid habet homo naturalis ſcientiæ, vt poſsit contendere cum dæmone, qui iuxta nominis ethymologiam verè ſciẽs dicitur? (Id enim ſonat verbum illud *dæmon*) eò quòd rerum omnium cognitione ita eſt informatus, vt totus ſciens, aut vniuerſa ſcientia videatur. Nam etſi aliquo modo poſsint æquiparari in eo, quòd vterquè intellectu prędītus poteſt omnium entium finitorum ac determinatorum notitiam aſſequi ſine aliqua limitatione; tamen in hoc differunt, quòd in ſuis conſiderati primordijs, ille vacuum habet intellectum omnium rerum ſpecie, cum ſit tanquam tabula raſa omnium formarum capax, ſed omnium expers, teſte Ariſt. *3. de Anima*: iſte plenum omnium rerum formis, & imaginibus, quę à Deo creante cum eo concreatæ ſunt. Vndè homo tarda, Angelus cita, homo imperfecta, Angelus perfecta: Homo mobili, Angelus immobili ſcientia potiantur; quod totidem articulis declarabimus.

Diabolus verè dæmon, id eſt, ſciẽs.

Quia ſcientia In Homine Tarda, Imperfecta Mobilis. In Dæmone Cita Perfecta Firma.

ARTICVLVS I.

Cità.

§. I.

176 ET quidem ſi tunc homo incipit ſcire, quando incipit ratione vti, nonnè tarda eſt eius ſcientia, cum non habeat rationis vſum, niſi ſeriùs? Quamuis enim anima rationalis intellectu, & voluntate prædita ab initio corpus eius informet; tamen ità carneæ moli immergitur, vt niſi poſt plures annos non poſſit emergere. Vnde ſiuè materni vteri repagulis ſit incluſus, ſiuè excluſus, non differt ab animantibus; quia deterioris videtur eſſe conditionis; quia illa recenter nata ſciunt quærere neceſſaria: hic verò ſuper faciem terrę proiectus adminiculis indiget alienis; & iuxta ſe poſitis mammis nouerit potiùs flere, quàm ſugere. Quòd ſi inuoluta illa anima incipiat tandem ſe ab ijs carneis inuolucris expedire tantiſper per aliquos rationales actus, tàm longo tempore præpeditur, vt parum, immò ferè nihil iudicij, & rationis appareat in ſuis moribus,

Tarda ſcientia hominis Ea non vtitur In vtero Extra vterum, in infantia Parũ in pueritia.

ribus, iuxta ſapientis illud dictum Prou. 22. *Stultitia colligata eſt in corde pueri.*

§. II.

177 EX oppoſito cita eſt, & velociter prorumpens dęmonis ſcientia; ad quam non ſtudio, vel diſciplina per temporis interualla profecit; ſed percepit diuinitùs ab exordio ſuæ creationis. Etenim eo ipſo tempore, quo conditus eſt, recepit à Deo modum intelligendi nobiliſsimum per influentiam diuini luminis impreſsi in ſpeciebus, & ſimilitudinibus rerum omnium in eius intellectu concreatis, vt teſtatur D.Bonau. *in 2.d.3.ar.2.q.1.* Scotus *ibi q. 10.* & cæteri Theologi. Et ideò iuremeritò Soli illum poſſumus comparare. Sicut enim ſtatim ac exit in oriente paret vſquè ad occidentem, & eodem tempore incipit oriri, & lucere; nec datur aliquod ſpatium inter ortum ipſius, & proditionem actus lucidi, qui eſt lux diſperſa per totũ hemiſpherium: Ità Angelus eodem momento, quo cæpit eſſe, cępit & intelligere, & ſcire; nec aliquod interuallum reperire datur inter momentum creationis intellectus, & momentum, quo cæpit actu intelligere: cum vnum aliud conſequatur. Quare cum abſoluta rationalis creaturæ perfectio, quoad naturã ſpectat, in abſoluta animi virium exercitatione conſiſtat, & intelligentiæ, & amoris actus maximam in illa præſtantiam præſeferat: eiuſquè defectus deforme vitium cenſeatur, quis non videt, quantùm homo ſit dæmone inferior; cum ille longo tempore ſit expers, iſte ſtatim compos ſcientiæ: vt verè de eo dicere poſſimus illud Eccleſiaſtici 17. & *Diſciplina intellectus repleuit illos; creauit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu impleuit cor illorum, & mala, & bona oſtendit illis, &cat. addidit illis diſciplinam, &cat. magnalia honores eius vidit oculus illorum.*

Angeli ſcientia cita, quia ab initio recepit Diuinũ lumen, ſpecies concreatas rerum.

Exercitium liberum in intellectionis.

ARTICVLVS II.

Perfecta.

§. I.

178 SEd demus homini plenam ſui ipſius poteſtatem; vires eius ſuam incipiant aſſequi perfectionem; & omnia habere in promptu, quibus protinus ſuas valeant exercere operationes: intelligentia eius, quæ eſt prima animæ vis, & facultas non ampliùs ijs vacet ornamentis, quæ eius excellentiam plurimùm augent; ſed varijs rerum formis, & imaginibus, quæ ſcientiam pariant, informetur: An ſcientia illa dæmoniacę erit æquiparanda in perfectione? Quis vnquam hoc dixerit, ſi conſideret, qualis ſit intellectiua dæmonis acies, & quanta humanę mentis imbecillitas? Homo exiguam de rebus aſſequitur cognitionem, plus ignorat, quàm ſciat; ſi aliqua ſcientia eſt peritiſſimus, in alijs eſt imperitus; quòd ſi duobus vacat, neutram capit; ſi multis, in omnibus cæcutit; vt ſit veriſſimum triuiale illud: *De quolibet aliquid, de toto nihil.* Sed & eorum, quę ſcit in vna ſola diſciplina quàm debilis cognitio? Illum latent non eſſentiæ ſolùm; ſed ipſæ quoquè propriæ rerum differentiæ: externis tantùm accidentibus innititur. Et ea, quæ nouit, probabili tantùm ratione nouit; nequè ſcit ex cauſis, ſed effectibus. Quare in omnibus ferè plus opinionis habet, quàm ſcientiæ; Immò errorem ſæpiſſimè patitur in ijs, quæ noſſe ſe, putat: non dico ſolùm in ſpiritualibus; ſed etiam in ſenſibilibus; qui ſuboritur, vt docet Ariſt. 3. *de Anima* ex parte Obiecti, quando propter ſimilitudines aliud pro alio ſumendo, decipitur: Medij, cum radius viſualis, aut ſpecies ſenſibilis immutatur: Speciei, quando repræſentat res aliter, quàm ſint; aut eſſe, quę non ſunt: Senſus, quando læſus eſt, aut aliqua praua infectus diſpoſitione: Phantaſiæ, cum organa deprauata ſunt: & in ſuis functionibus præpedita: Intellectus cognoſcentis, cum vnum ad aliud ordinat componendo, & diuidendo, vel errat circa differentias rerum: Modi cognoſcendi, quando fallitur circa principia demonſtrationis; aut neſcit falſam à vera diſcernere propoſitionem.

Homo in pleno intellectus exercitio

Scientiã exiguam

Opinionē ferè Errorem ordinarium.

§. II.

179 AT nihil horum contingit in intellectu angelico, qui generoſo volatu fertur in rerum cognitionem abſquè vlla deceptione. Quare ſiue amplitudine ſcientiæ, ſiuè præſtantia modi ſciendi cæteris antecellit; Omnium enim rerum naturalium notitiam, eamquè perfectam attingit, cum illam hauriat non ex effectibus, aut experimentis; ſed ex proprijs cuiuſquè rei cauſis, & principijs per claram, & oſtenſiuam demonſtrationem. Nec eſt aliquid tàm ſublime in eſſentia, tàm efficax in operatione, tàm inſigne in proprietatibus, quod eius cognitionem prętergrediatur: omnia aſſequitur ſupera, media, ima, quæ capaciſſimo ſui intellectus ſinu complectitur; nec tamen ea confusè; ſed diſtincto, & perſpicuo conſiderat intuitu: vt teſtantur Alexand. Alenſ. *3.p.q.24.* D.Bonau. Scotus, ac cæteris Theologi *in 2. ſent.*

Angelus nihil horum patitur, ſed eminet Amplitudine ſcientiæ Præſtantiſſimo modi ſciendi.

ARTICVLVS III.

Firma.

§. I.

180 DEniquè dæmonis ſcientia firmitate, & immobilitate hominis ſcientiam ſuperat. Humana facilè effluit, immò omninò amittitur Modò per diuturnam ab actu ſciendi ceſſationem. Nam ſicut aſſidua exercitatione habitus ſcientifici acquiruntur; ſic & longa deperduntur ceſſatione: Vndè non recordantur ſenes eorum, quæ in iuuentute didicere: nec homines grauioribus occupati negotijs, quibus gerendis omnimodè mens auertitur, ſpeculatiuarum diſputationum, quæ aliàs in ſchola probè callebant. Aliquando perturbatione phantaſię, & peruerſione ſenſuũ interiorum: vt ſæpè accidit litteratiſſimis, in quibus poſt diuturni morbi agitationem eorum memoria effluit, quæ anteà optimè nouerant. Communiter propter nimiam ſenſuum petulantiam: vt experiuntur voluptatibus dediti. Torpet enim ſpiritus, & mens habeſcit propter craſſiores ſpiritus, qui illam pręoccupant, & puriores ſcientiarum ſpecies confundunt, & delent: Sicut halitus, qui expolitam ſpeculi ſuperficiem ita inficiunt, vt imagines ſubducantur.

Hominũ ſcientia effluit, et deperditur.

Nihil

§. II.

Dæmonū ſcientia nihil tale ſuſtinet, Sed permanet ſemper, nec deperdi poteſt Niſi per potentiā Dei abſolutam.

181 NIhil autem horum dæmoniaca patitur: cum intellectus dæmonis nec ceſſet ab intellectione: nec retardetur à ſenſu: nec impediatur à corpore, quia corporeis vinculis abſolutus; nullumquè cum ſenſibus habens commercium, conſummata, & perpetua contemplatione ſuis actibus intentus perſeuerat. Vndè ſicut naturaliter illam ſcientiam non acquiſiuit; ità nequè naturaliter poteſt amittere. Si enim habitus ſunt difficilè mobiles à ſubiecto, habitus illi ſcientifici infuſi intellectui angelico non poſſunt deperdi, cum non habeant cauſas naturales ipſorum corruptiuas, vt inf. *n.* 44. niſi Deus obſcuret intellectum: aut inditas ſubſtrahat ſpecies, quod non facit: *ſine pænitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei*, vt teſtatur Apoſt. *ad Roman.* 11.

Concluſio Sectionis primæ.

Dæmon ab initio magiam docuit Adam, & Euā.

182 QVapropter ex innata illa ſcientia tàm cita, tàm perfecta, & tàm firma Angelus ille peſſimus intumeſcens; quia iuxta apoſtolicum effatum 1. Cor. 8. *ſcientia inflat*, hominem docere voluit ab initio, quem nouerat ſcientia inferiorem. Et homo de ſua tarda, imperfecta, & parum firma ſcientia conſcius ſpontaneum ſe præbuit diſcipulum huic magiſtro ab ipſis mundi incunabulis. Sed quam, putas, illi doctrinam tradidit, niſi magicam, arteſque ſuperſtitioſas, & maleficas? Si enim *magia*, vt communiter definitur, *eſt ars, & facultas diabolica efficiens mira, & inſolita ratione quadam incognita, & occulta; ſed fallaciter, & noxiè*. Nonnè tunc magiam Adam, & Euam edocere ſtuduit cum illis tradidit artem, qua ex hominibus Dij fierent vetitum pomum manducando? Nam quid mirandum magis, & inſolitum, quàm hominem Deum fieri? Quid tam fallax, quàm velle perſuadere, morſu vnius pomi talem poſſe fieri transmutationem? Quid tàm noxium, quàm diuinitatem promittere, & vniuerſam morte afficere poſteritatem?

Qui voluerunt fieri Dij.

§. I.

Doctor Fallax Maleficus.

SEd iuuat, doctorem intueri, & auſcultare doctrinam; ideòquè adire paradiſum voluptatis, vbi primò cathedram poſuit. Doctor Fallax eſt; Propriam enim formam exuit, induit alienam; quia malitiæ contegendæ ſtudet verſipellis ille hoſtis; & aptis vtitur inſtrumentis ad effectum cautiùs aſſequendum; aſtutiſſimo, ſcilicet, animante vero illius ſimulacro, qui nunquam tentationis caput ſinit emergere, ne dignoſcatur. Maleficus eſt, & ideò ſerpentinum potiùs aſſumit exuuium, quàm alterius, quia animal noxium eſt, reptile, & vitæ hominum inſidians. Ex cortice dignoſce venenum intus latens, quod ſimul cum verbis infundit: vt quibus Deus promiſit vitam, æternam inferat mortem. Doctrina verò, quam Serpentino ſibilo in aures auſcultantis inſtillat, Deo iniurioſa, & homini pernicioſiſſima eſt; ſed fallacijs contecta, & plena maleficijs. Non audet pro palam Deum erroris inſimulare, ne iniurioſa blaſphemia diſcipulam terreat; ſed interrogatiuè quaſi tentando Doctrinam cautè explicat Geneſ. c. 3. *Cur præcepit vobis*, inquit, *vt non comederetis ex omni ligno paradiſi?* Ecce mendacium impudens docentis: Pro eo, quod dixerat Deus, *tantùm de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas*, ſubiungit, *ex omni ligno paradiſi* obſerua modò multiplicem blaſphemiam. Probat, Deum eſſe inuidum, qui eos eximio velit bono priuare: *Scit Deus, quòd ſi comederetis ex eo, aperientur oculi veſtri*, vt benè docet Rupertus Abb. *lib. 3. de Trinit. & operib. eius cap. 7.* dicens: *Hoc vtiquè volebat intelligi, quod claritatem omnis Sapientiæ, diuinitatem quoquè, & omnium ſcientiam Deus inuidens homini, tale lignum interdixit*. Arguit eum eſſe mendacem: *Nequaquam moriemini*. Deorum inducit pluralitatem; & infinitatem illi detrahit, dum fingit, creaturam Creatori poſſe æquiparari: *Eritis ſicut Dij*. Deniquè diuinam includit Sapientiam intra metas intellectus creati: *Scientes bonum, & malum*, ità vt nullum proferat verbum, in quo diuinam non laceſſat Maieſtatem.

Eius doctrina Deo iniurioſa.

§. II.

SIc tegere conatur malum ex illa doctrina toti humano generi impedens duplici prætextu, ſubinnouendo, ſcilicet, metum pœnæ, cum dicit: *Nequaquam moriemini*: & bona pollicendo, cum addit: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*. Sed nè fallacia in vtroquè poſſit deprehendi, ſic ambiguè loquitur, vt verba eius in duplici ſenſu ſumere liceat. Illud (*non ex omni ligno*) poteſt, inquit Toſtatus, interpretari, *ex non omni ligno*, vt mendax mentiri non videretur: acſi ex vniuerſali faceret particularem *Nequaquam moriemini*, ſenſum duplicem capit, *nunquam moriemini, & non moriemini ſubitò*. *Aperientur oculi veſtri*, vel ad cognitionem: vel ad propriam videndam ignominiam. *Scientes bonum, & malum*, bonum per priuationem, malum per experientiam. *Eritis ſicut Dij*, vel vt Deus verus: vel Angeli: vel vt dæmones, qui omnes Dij appellantur; & ſic arte veteratoria malum boni apparentia contegit, vt cautiùs decipiat. 183

Homini pernicioſa.

§. III.

VIdiſti Doctorem, audiſti Doctrinam, conſidera Diſcipulam maleficiatam, Euam nempè, curioſam, & malè credulam mulierem, quæ doceri ſe patitur ab hoſte tàm vili, & ſub tàm horribili ſpecie: creditquè ſe vnius pomi morſu Deum poſſe fieri; vndè his maleficis artibus decepta manum extendit ad fructum prohibitum, carpit, guſtat, offert Marito, & ianuam aperit malis omnibus, quæ in totam eius poſteritatem inundarunt. Ideò iuremeritò illam arguit Iacobus Bill. *anthol. ſac.* his verſibus: 184

Diſcipula Curioſa Malè credula Decepta

Eua parens, quonam tua mens abſceſſerat, angui
Aures peſtifero cum patuere tua?
Quis furor, vt vetita legeres ex arbore pomum
Quod generi inuexit tam mala multa tuo?
Vos Euæ ſoboles, vos Euæ audite nepotes,
Quæ fuit, & vobis, & mihi cauſa necis.
Angui aditus omnes præcludite: nanquè parenti
Obfuit, huic facilem quod dedit ipſa fidem.

Quod ijs fallacijs, & maleficijs fallax, & maleficus dæmon prætendebat; qui ideò mendax, & homicida ab initio vocatur à Chriſto. *Ioan.* 8. Ex illo fonte cætera prodiere maleficia. Quod enim præſtitit in omnibus ſeculis, quàm quod initio peregit? vt patebit clarius, ſi eius acquiſitam ſcientiam conſideremus, quæ dedit progreſſum maleficijs, ſicut innata principium.

SECTIO II.

Acquiſita.

185 PRæter ſcientiam illam innatam, certum eſt dari etiam in dæmonibus acquiſitam ex longitudine experientiæ, ſecundùm quam multa cognoſcunt, Tum per nouorum ſingularium ſpeculationem: Tum per practicam variorum effectuum, & euentuum notitiam. Si enim hæ in homine reperiuntur, cur non etiam in dæmone, qui illum in vtraque cognitione multis præcedit paraſangis?

Dæmon excedit hominẽ in ſcientia acquiſita. Speculatiua. Practica.

ARTICVLVS I.

Speculatiua.

186 MIrandum ſanè, quomodo humana ſcientia quotidiana ſuſcipiat incrementa per acquiſitionem ſpecierum, per quas homo ſingularium rerum aſſequitur cognitionem. Quanto enim corporis, & animæ labore comparetur, norunt qui litteris ſedulò vacant. Corpus vigilijs, ſtudijs, & exercitationibus ſcholaſticis fatigatur continuis: Anima aggrauatur à corpore, quod corrumpitur, ait Sapiens *Sap.9.* Et intellectus multa cogitans deprimitur ab inhabitatione terrena, & à phantaſmatibus varijs, quæ ità eum auertunt, & impediunt, vt vix, ac ne vix quidem etiam integris ſenſibus, & ſano corpore liceat ei aliquid ſpeculari.

Homo cũ difficultate ſciẽtiam acquirit. In generali. Ob corruptionẽ in ſenſu

§. I.

SEd vacet ab ijs fatigationibus, & liberè incumbat cognitioni obiecti alicuius: vide, quæ requirantur: Primò ſpecies eius ſenſibilis appellere debet ad ſenſum externum: indè ad internum progredi, vt fiat ſpecies phantaſtica, ſeù phantaſma, cũ nihil recipiatur in intellectu, niſi in ſe, vel in ſuo ſimili fuerit priùs in ſenſu, vt ait Ariſt. *in lib. de ſenſu, & ſenſibili.* Vlteriùs procedere ad intellectum agẽtem, qui ſuo lumine ſpeciem illam illuſtrat; & depurando à conditionibus indiuiduantibus eleuat, transfertq. de ordine ſenſibilium, & materialium ad ordinem intelligibilium, & ſpiritualium, producendo ſpeciem intelligibilem, in qua communis natura differentijs exuta indiuidualibus repræſentatur. Denique perueniat ad intellectum poſſibilem, qui etſi ab agente non diſtinguatur realiter, ſecundum Scot. in 2.d.16. vel nec etiam formaliter, vt dicit D.Bon. *in 2.d.24.a.2.q.4.* Sed dicat tantùm quandam differentiam ratione ſuæ operationis; tamen cum illo in vnam completam operationem, vel actum intelligẽdi inſeparabiliter conuenit, vt recipiat ſpeciem intelligibilem ab intellectu agente: informatus ſpecie intelligibili intellectionem producat, productamq. intellectionem, quæ eſt actio immanens, in ſe recipiat. Quòd ſi vnius obiecti ſpecies, qua eius cognitio comparatur tantis ſinuationibus, & meatibus accedit ad intellectum, quàm difficile erit homini vniuerſalem inſerere ſcientiam, quæ ex tot tantarumq. rerum notitia plena conſurgit? Et tamen magna fit in dies intellectui humano nouæ cognitionis acceſſio: Concipit omnium rerum genera, gradus naturarum, & rationes vniuerſales à ſingularibus, à materia ſenſibili, à loco, & tempore abſtractas, eaſque per ſe cõtemplatur: Inquirit rerum cauſas, effectus, & proprietates, & de omnibus iudicat: Fingit animo, quod lubet, & alios in mente meditatur mũdos, atq. ijs conceptionibus, inquiſitionibus, & fictionibus varijs, mirum, ad quam ſcientiæ perfectionem attingat, vt videmus in vnaquaq. profeſſione, in qua plures Docti ſunt in admirationem.

In ſpeciali. Ob ſpeculationẽ cuiuſquè obiecti.

§. II.

187 QVòd ſi homo, quamuis tot impedimentis præpeditus, talem acquirit ſcientiam, quid de Angelo ſtatuendum eſt, cum ſcientia non inſerta ſed innatâ donatus expeditè operetur, & intelligat? Nec enim carnea maſſa circundatur, nec organis alligatur corporalibus, nec auertitur à ſenſibus, nec recurrit ad phantaſmata, nec laborat in ijs ab omni materia reſecandis; nec incumbit in eis transformandis, & transmutandis, vt ex ſenſibilibus fiant intelligibilia; ſed ſicut intellectu agente omnium rerum ſpecies aſſequitur, abſtrahit, & elicit; ità paſſibili illas abſtractas imprimit, & impreſſas indelebiliter conſeruat; Quæ, quia nullo neceſsitudinis vinculo cum phãtaſmatibus copulantur, ſunt magis luminoſæ, & vniuerſales, quàm ſpecies intelligibiles abſtractæ ab hominibus; ideòque nobiliorem, & excellentiorem generant cognitionem. Etenim intellectus innatis omniũ rerum vniuerſalium ſpeciebus illuſtratus promptiùs ſuos elicit actus, & eliciẽdo proficit in ſcientiis quæ magis, ac magis augetur ex facili, & continua rerum notitia, nouiſque experimento contingentium effectuum. Siquidem certum eſt, dęmones multa ſcire, cum res in eſſe proueniũt, quæ neſciebant antequã euenirent; quia ſpecies eorum intelligibiles non ducunt in cognitionem rerũ, niſi vt habent eſſe determinatum. Vndè tunc futura contingentia incipiant eſſe illis nota, cum iam præſentialiter determinantur per eſſe; nam antea erant ignota, cum eſſe nondum habebant, vt docent Alex. Alenſ. *3.p.q.24.* Angelus *in 2.d.4.q.6.* & communiter omnes Theologi *in 2. ſent.*

Angelus facilè ſcientiã acquirit quia ſcientia innata donatus. A' ſenſu & corpore liber. Facilè intelligens, & actus eliciens. Ideò creſcit ſcientia ex notitia ſingularium contingentium.

§. III.

188 SI autem quæras, quomodo ſingularia cognoſcant: An per ſpecies innatas, an per acquiſitas non eſt facilè determinare. Scotus namque *in 2. ſent. d.3. q.11.* putat, Angelos ſiuè bonos, ſiuè malos in rerum ſingularium notitia per ſpecies quaſdam à rebus ipſis acceptas poſſe proficere; quia etſi omnium quidditatum ſpecies habeant concreatas, per quas neceſſaria, & naturalia, puta, diſtincta obiecta, & diſtinctas eſſentias rerum agnoſcere queunt; nõ tamen ſpecies omnium ſingularium contingentium; ideòq. neceſſarium eſſe, ab ipſis ſingularibus per intellectũ agentem ſpecies abſtrahere; eaſq. recipere in intellectu poſſibili, vt ad illorum notitiam perueniant; cum per quidditates vniuerſales res ſingularis contingens cognoſci non poſsit. At D.Bon. *in 2.d.eadẽ p.2.a.2.q.1.* aſſerit vtroſque tàm bonos, quàm malos poſſe quidẽ recipere nouas ſpecies ex rebus de nouo creatis, ſi Deus aliquas perduceret; non tamen ex ſingularibus iam exiſtentibus, & productis; atque ideò eos neceſſaria cognoſcere per ſpecies innatas vniuerſalium; Singularia verò, & cõtingentia per earundem ſpecierum applicationem, atq. appropriationẽ; eò quòd vnica ſpecies, quæ naturam ſpecificã immediatè repræſentat, refert etiam mediatè omnia illius naturæ indiuidua poſsibilia, & omnia accidentia, quæ indiuiduis naturaliter contingere poſſunt.

Quot ſit Secundũ Scotum. Per acquiſitionem ſpecierum ſingularium. Secundũ D. Bonau. per applicationem vniuerſaliũ.

poſſunt ver. gr. ſpecies vniuerſalis, quæ humanam naturam immediatè repræſentat, ſimiliter refert omnia ſingularia illius naturæ, omnes, ſcilicet, homines. Quarè ad hoc vt cognoſcant ſingularia, non requiri ſpeciem ſingularem abſtractam; ſed ſufficere applicationem vniuerſalis ſpeciei: quæ tunc fit, cum Angelus conſiderando, & aſpectum dirigendo ſuper huiuſmodi ſpeciem, eam ſingularibus appropriat, & appropriando componit; atque eo modo eius producit notitiam, non per vnam conuerſionem tantùm; ſed per tot conuerſiones, quot ſunt ea, quorum notitiam vult acquirere.

Vtcunq. fiat, per illam proficit in cognitione. Speculatiua, Experimentali, Acquiſita.

Nihilominus quomodocunque intelligant ſingularia, & contingentia ſiuè per acquiſitionem ſpecierum illa repræſentantium: ſiuè per applicationem vniuerſalium, quas illi appropriant, certum eſt, eos noua ſingularia, & contingentia agnoſcere, & per conſequens proficere in cognitione. Cum enim ſingularia quotidiè in mundo producantur, quotidiè etiam augetur eorum cognitio ſpeculatiua, experimentalis, & acquiſita, quæ concreatæ, & innatæ coniuncta miram cōfert dæmoni ſcientiam, qui ideò in omnibus eminet facultatibus, quas homines profitentur; nec eſt aliquis etſi peritiſſimus in theologicis, philoſophicis, ac liberalibus ſcientijs, cæteriſque artibus inferioris notæ, qui illi poſſit æquiparari, cum omnes vincat rerum cognitarum vniuerſalitate, ſicut omnibus præit nobilitate naturæ, eminentia ſpiritus, & ſubtilitate intelligentiæ.

ARTICVLVS II.

Practica.

§. I.

Homo ex perimentis creſcit in ſcientia practica.

189 IDem aſſerendum eſt de practica eius ſcientia, quæ ex varijs rerum effectibus procedit. Solent enim peritiores quique in quauis facultate ea, quæ theoricè, & ſpeculatiuè norunt, in praxim reducere: vt fieri videmus quotidiè ab his, qui phyſicas, mathematicas, & medicas ſcientias profitentur; & ſic applicatione quarundam ſingularium virtutum, quæ ſunt in rebus naturalibus, quæque plurimas latent, agentia, & patientia ſuo loco, & tempore; atque vt opus eſt, inuicem componere, & temperare ad inuſitatos effectus producendos. Quibus experimentis, quis valet explicare, quantam aſſequantur rerum cognitionem, cum cogantur omnes fateri, nec ſpeculatiuam ſcientiam ſine practica, nec practicam ſine ſpeculatiua ſuam poſſe attingere perfectionem? Quæ ſi ſimul in vno cohæreant, peritiſſimum euadere in ſua facultate. Ideò aſſerendum eſt, dæmonem creſcere quotidie in ſcientia, quia practicè experitur, quæ ſpeculatiuè cognoſcit. Et eò magis quò eius experientia & vniuerſalior, & certior, & longior eſt humana.

Dæmon magis; qa eius experiētia. Certior Vniuerſalior, Longior.

Experiētia hominis Incerta.

Quàm ſæpè hallucinantur homines in ſuis practicis operationibus, & experimentis; quia occultas rerum naturalium vires ignorant; vel illas debitè applicare neſciunt, vt quotidie accidit in ſcientiarum candidatis, qui poſt ſtudia ſub doctiſsimis Magiſtris, etiam ſub felici exitu conſummata, non norunt cum totis ſuis ſpeculationibus illa reducere in praxim, quæ neophyti practici ſciunt facili negotio exequi: vt videre eſt in recenti Medico, & pharmacopola. Sed quamuis omnia perſpecta habeant, norint practicare, & ſpeculari: hoc in vna, aut altera ſcientia locum habet; nec enim humani vis ingenij talis eſt, vt ad omnium ſcientiarum theoriam, & practicam æqualiter ſe poſſit extendere. Detur tamen hoc per impoſſibile: quam breuis eſt illa experientia, quę tàm citò euaneſcit, & tàm breui vita terminatur.

Particularis. *Breuis.*

§. II.

AT dęmon, ſicut ea, quæ nouit, certò cognoſcit, ità quę reducit in praxim, certiſsimo euentu operatur; cum omnium naturalium vires perſpectas habeat, & perfectiſsimè ſciat illas applicare, temperare, miſcere debitis loco, tempore, circunſtantijs, vt deſideratum aſſequatur effectum. 190
Quod illi commune eſt in omnibus facultatibus, quas acutiſsimi amplitudine ingenij in ſeipſo complectitur, non ad ſęculum vnum, aut alterum; ſed ad omnem ſæculorum ſeriem, ad quam eius experientia, ſicut vita, protenditur, vt docet magiſter ſent. in 2. quem communiter ſequuntur omnes Theologi. Quarè facile eſt iudicare, quantum creſcat in ſcientia practica æquè ac ſpeculatiua. Fingamus aliquem in vna facultate, qui viuat neſtoreos annos; vel eò ampliùs mille, vel duo mille, quo tempore aſsiduè, & ſedulò incumbat ſpeculationibus: vacet practicis: & nihil intactum relinquat in vtroque, quod intelligere, & exequi non moliatur. Deus bone, quale prodigium ſcientiæ humanæ? Quid ergo credendum eſt de dęmone, qui æuiternitate donatus vitam viuit longiſsimam, & per tot annorum curriculum certis euentibus, & demonſtrationibus ad omnium ſcientiarum theoricarum, & practicarum cognitionem peruenire perhibetur.

Concluſio Sectionis ſecundæ.

§. I.

CErtè impoſsibile eſt, ſcientiæ eius acquiſitę magnitudinem explicare, qua ab initio mundi vſque modo vtitur ad maleficia per magicas artes in vniuerſas nationes inuehenda: 191

Hac ſciētia experimentali vtitur dæmon ad magicas artes in totum mundum inuehendas.

Per illam enim experimento didicit: Primò quanta, & quàm grauia mala inferantur hominibus. Nam etſi creaturis nocere cupiat vniuerſis; tamen maiori ardet deſiderio, hominem ad vltimum exitium perducendi, quem vt videt varijs oppreſſum calamitatibus, morbis, & anguſtijs, totam acuit ingenij aciem in adinueniendis diuerſis maleficiorum modis, quibus noua mala veteribus addat. Tùm exploratas habet hominum inclinationes, affectiones, deſideria, appetitus, machinas, quibus fortiores conuelluntur; & artes, quibus deijciuntur imbecilliores; quæ ad malum inducentia; & quæ retrahentia; & ſic pro diuerſa illorum cognitione variè eos ſollicitat, aggreditur, impugnat, & ſuperat. Inſuper experitur, quomodo ſeipſum transformare debet nunc in Angelum lucis: nunc tenebrarum, modò terrendo, modò conſolando, aliquandò minitando, aliquandò pollicendo prout ſperat, ſe victoriam reportaturum: vt clarè docet Auguſtinus *lib. Soliloq. cap. 17.*

§. II.

192 HIs inſtructus experimentis circuit totum mundum quærens quem deuoret; Et ſi fortè Euam aliquam curioſè aſpicientem, & ardenter prohibitum appetentem pomum reperit; Si, inquam, offendat quempiam ex hominibus vel curioſè tentantem aliquid elicere ex diuerſa herbarum, & mineralium applicatione; vel ſectantem abſconditas ſcientias; vel ira percitum contra inimicos: vel diuitias, honores, voluptates anxiè deſiderantem: ſtatim aſſumit ſerpentis formam aſtutus præſtigiator, & vt ſerpens repit, ſerpit, ſpiris ſe complicat, voluat, & tranat, vt decipere poſſit incautos. Statim timorem conatur depellere: *Nequaquam moriemini*. Tùm montes pollicetur aureos, & ſcientiam oſtentat ſublimem *ſcientes bonum, & malum*. Denique vitam curis, & ſolicitudinibus vacuam, alienam à malis, bonis omnibus affluentem, beatam, & Diuinæ ſimilem: *Eritis ſicut Dij*, conuerſantes cum Dijs, & Dijs ſimiles, omnia ſcientes, omnia operantes, omnia ad libitum conſequentes.

Hac inſtructus in totum mũdum quærit curioſos auditores. Tẽtat vt ſerpens. Pollicẽ omnia Ipſam diuinitatẽ.

Quæ etſi præſtare non poſſit; tamen ijs pollicitationibus ad ſuam trahit voluntatem miſeros illos, qui, vt ſcientiam aſſequantur occultam, potitis gaudeant delicijs, & diuitias expectatas acquirant, voluntarios ſe exhibent ſeruos infenſo huic hoſti; quì poſteà omnibus magicis artibus excultos, & maleficiorum executores conſtitutos, ad innumera compellit mala toto orbi inferenda, vt conceptum in totum genus humanum odium quodammodo exſatiet. Sic in omnibus populis ſeſe Doctorem exhibet fallacem, & malefaciendi auidum: Sic doctrinam tradit fraudolentem, & noxiam; Sic docet excæcatos homines, qui curioſitate, odio, amore, appetitu vario ducti per fas, & nefas optatis perfrui deſiderant. Huic progreſſui addit cumulum, vt patebit, ſi tertiam eius ſcientiam conſideremus, quæ eſt

Sic homines decipit, ad ſe trahit. Excultiſque magia vtitur ad maleficia.

SECTIO III.
Communicata.

193 NOn ſolùm ſeipſo ſcientiam acquirit homo, & ſuis ſtudijs ad maiorem progreditur rerum cognitionem; ſed etiam aliorum inſtructione, qui illum citò clarè, & methodicè edocent ea, quæ non niſi tardè obſcurè, & confuſè poſſet addiſcere. Hinc tot magiſteria, & diſcipulatus in vnaquaquè profeſſione. Idem accidit dęmonibus, qui præter ſcientiam innatam, & acquiſitam, nouam poſſident tum à bonis, tum à malis Angelis communicatam: vt ſequentibus articulis palam fiet.

Sicut homo acquirit ſcientiã à ſeipſo, & ab alijs; ità dæmones eam acquirũt Communicatam Ab Angelis, A Dæmonibus.

ARTICVLVS I.
Ab Angelis.

194 ETſi maximum ſit inter vtroſquè diſſidiũ ob diſſentientes voluntates, quę illis rectæ ſunt, & ad Deum conuerſæ, in iſtis diſtortę, & auerſæ à Deo; tamen inter ſe conueniunt in vno, nempè, in ſimilitudine intellectualis naturæ, quæ in omnibus eadem eſt; immò boni malis coutuntur, cum ex Diuinæ præcepto Maieſtatis aliqua illis reuelant; & tunc alij docent, alij docentur; & iſti diſcunt, quę ab alijs reuelantur: Diſcenteſquè creſcunt in ſcientiæ cognitione ab ijs, quæ manifeſtantur à Docentibus. Ità Auguſt. lib. 2. ſuper Geneſ. cap. 17. *Spiritus mali*, inquit, *quædam vera de temporalibus rebus noſcere permittuntur partim ſubtilitate ſenſus, partim experientia temporum, partim à ſanctis Angelis, quod ipſi ab omnipotente Deo diſcunt iuſſu eius reuelantibus*. Quod ait etiam D. Bernardinus lib. 1. ſerm. 10. de cultu latriæ; *Dæmones*, inquit, *nonnulla reuelant aliena doctrina, cum iuſto Dei iudicio permittente addiſcunt aliquid ab Angelis bonis.*

Boni, & mali Angeli diſſimiles in voluntate, ſimiles in intellectuali natura. Boni docent, mali docentur, cum boni malis reuelant.

§. I.

REuelationes autem illæ omnes ad duo capita reuocantur. Vel enim manifeſtantur myſteria: Vel mandata notificantur: vt patet illuſtribus exemplis in ſcriptura relatis.

Quoad myſteria communis eſt Sanctorum Patrum ſententia, Deum per ſe ipſum immediatè non apparere; aut reuelare ſecreta; ſed per ſpirituum bonorum miniſterium, qui ideò Angeli vocitantur, quia tanquam Diuinitatis legati mittuntur ſignificãdis eius voluntatibus, vel dæmonibus; vel hominibus. Cuius duplicis miniſterij vſum videmus in vno Balaam, qui ab vtriſquè aliàs diuina didicit ſecreta: *Numer. 22.* Aduerte, illum antequam diſcedat domo, inſtructum à dæmone. Solicitatur à Regis Moabitis miniſtris, vt illum conueniat: Negat ſe profecturum, niſi poſt conſultum Dominum, quod iteratò repetit, cum in procinctu eſt ſacrificandi. An putas, verum Deum intelligebat? Non; ſed dęmonẽ vt ſentit Procopius apud Gloſsã, & Liranus refert ex mente aliorum. Quod conijcere licet ex eo, quòd homo erat perditiſſimus, ariolus, idolatra, & augurijs deditus, maximumquè habens cum dæmonibus commercium, ad quos euocandos impia offerebat ſacrificia, profanis ritibus adhibitis: vt habetur *2. Petri c. 2. epiſt. Iudæ, & Apoc. c. 2.* Quare idem dæmon Dei perſonam ſuſtinens; ideòquè Deus in hoc loco vocatus, ei ſuggeſſit myſteria, quæ de Chriſto; de ſtella oriunda ex Iacob: de vaſtatione Gentilium, & felicitate Iudæorum prophetauit, vt plures exiſtimant *apud Toſtatum q. 5. in 22. Numer.* Hæc autem è ſeipſo non acceperat; cum impoſſibile ſit dæmoni, diuina penetrare ſecreta, & cognitione ſublimia aſſequi myſteria, quæ in imo Dei pectoris latent; ſed ab Angelo, qui iuſſus à Deo hęc omnia illi manifeſtauerat. 195

Vel myſteria alijs annuncianda.

§. II.

NEc quenquam mouere debet: infidelem idolatram, & diuinatorem Magum à Deo reuelationem accepiſſe, cum Sybillę antiquę, Pharao, & Nabuchodonoſor Reges ſimili gratia donati fuerint. Nequè Deo, & dæmoni eandem attribui apparitionem, cum multa Deo tribuantur, quæ per hos ſpiritus peraguntur. Nequè factam eſſe miniſterio dæmonum reuelationem; cum conueniens videatur, vt ſicut iuſtis per Angelos ſuam manifeſtat voluntatem; ità per dæmones eandem notificet impijs, & peccatoribus. Conſidera modò Balaam accedentem ad Balaac: Ecce occurrit ei in via Angelus bonus, qui illum primò detinet, poſteà dimittit; ſed diuerſus ab eo, qui ei ante diſceſſum apparuerat. Patet ex ijs, quæ in occurſu facta narrantur. Si enim idem erat, quarè modò ſe opponit illi eunti ad Balaac? Imò vult illum occidere, *quia peruerſa eſt via tua, mihiquè contraria* cum 196

ante

ante diſceſſum facultatem ei feciſſet illum adeundi Regem? Inſuper quomodo mandat, nè aliud dicat, quàm quod ipſe eſt ei præceptutus (loquens in futuro) & non potiùs quæ præceperat (in præterito) cum idem mandatum dederit poſteà, quod fuerat ei ante impoſitum? Quare dicendum eſt, duos fuiſſe Angelos eandem reuelationem annunciantes. Primum malum, qui illam à Deo acceperat non immediatè, ſed mediatè per Bonum. Secundum verò bonum Angelum, qui immediatè illuminatus à Deo, primò per dæmonem, poſteà per ſeipſum diuinam huic Prophetę intimauit voluntatem. Sic teſtatur P. Thyr. *de appar. dæm.*

§. III.

197 *Vel mandata executioni mandāda.* QVantum ad mandata non eſt dubitandum, illa hominibus denunciari per dæmones ab Angelis inſtructos; ea præcipuè, quæ peccatorum punitiones ſpectant. Sicut enim ſententia Iudicum à Miniſtris humanæ iuſtitiæ lictoribus intimatur; ſic cum agitur in tribunali diuinæ Iuſtitiæ de ſupplicio ab aliquo peccatore ſumendo, æterni Iudicis decretum ab Angelis notificatur dæmonibus, qui illud poſtea executioni demandant, vt patet *Apoc.* 7. vbi *Angelus habens ſignum Dei viui*, quem bonum eſſe, certum eſt, *clamat quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, & arboribus*: quod quatuor eſſe dæmones communiter D. D. aſſerunt, nè cuiquam nocumentum inferant, quoaduſquè ſignati ſint ſerui Dei. Sic cum in pharaonicam obdurationē Deus tot plagis animaduertebat, voluntas eius per Angelos declarabatur; qui iuxta imperata exequebantur ea, quę referuntur in Exodo. Dæmones enim fuiſſe plagarum Ægyptiacarum executores teſtatur Dauid pſal. 77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.*

§. IV.

198 *In his reuelationibus. Si finem ſpectes apparet ſapiētia Dei diſpoſitio.* IN quibus reuelationibus, ſi finem ſpectes, miram deprehendes Sapientiæ diſpoſitionem: Si modum; admirabilem Prouidentiæ ordinem.

Finis eſt adimpletio Diuinæ voluntatis, quæ à Deo Angelis manifeſtata, per Angelos dæmonibus reuelatur: vel ad confuſionem: vel ad executionem. Ad confuſionem: cum reuelantur myſteria pro ſalute hominum adimplenda: Vel Sanctorum gloria, iuſtitia, ſanctitas, vt rubore ſuffundantur, videntes Deum tot mirabilia operari pro hominibus, quos ſummo odio proſequuntur; & homines diuina gratia adiutos ſedes obtinere glorioſas, è quibus ignominioſè fuere depulſi. Ad executionem, cum ab Angelis reuelantibus præcepta diuina, etiam inuiti, & rebelles tanquam miniſtri punctualiter adimplere compelluntur. Quid verò Sapientius, quàm bonitatis effectus dæmonibus patefacere, quibus ſua ſe culpa indignos reddidere? Et inimicorum opera exequi, quæ Deus perfici deſiderat? Nam quomodo admirabilis illa Sapientia apparet in facto Patriarchæ Ioſeph, quem odio, & inimicitia Fratrum addictum morti, & deuotum diris, per ipſum illud odium, ipſaſmetquè inimicitias è carceribus ſuſtulit ad palatia, è ſeruitute euexit ad imperium; ex ignominia vocauit ad gloriam, & coronas: Eodem modo in quotidianis commendatur ordinationibus [illegible] iuſtos, quos diuerſis à dæmone permittit vrg[illegible]ri tentationibus, & creſcente patientia, & charitate, abundantiori gratia in hoc ſeculo perfundantur; & in futuro gloriam mereantur ampliorem. Quam permiſſionem ſignificat Angelis, qui illam poſtea dæmonibus annunciant, vt ad diuinæ voluntatis præſcriptum adimpleatur.

§. V.

MOdus verò ſi attendatur, ſuauem ſpirat Prouidentiæ ineffabilis ordinem. Non enim fiunt hæ reuelationes per mentis illuſtrationem, ſicut accidit in Prophetis; ſed ſola, & nuda prædictione, eo modo, quo quis alteri ſuam reuelat voluntatem; & ideò non ſunt opera gratiæ perficientis, & eleuantis naturam; ſed miſericordiæ, aut iuſtitiæ. Miſericordiæ, ſi ordinentur ad bonum eius, cui fit reuelatio, & prædictio: Iuſtitiæ, ſi punitionem alicuius ſpectent. Quare ſumma Dei prouidentia in hoc enitet, quòd ſecreta cæleſtia aliter reuelantur amicis; aliter inimicis. Illorum enim, qui ſunt in gratia, perficitur, & eleuatur intellectus per reuelationem: Iſtorum verò, qui ſunt in ſtatu damnationis, intellectus nihil tale patitur; ſed nudam recipit prædictionem rei reuelatæ. Quod confirmat D. Thom. *in 2. d. 7 q. 2. a. 5. ad 3.* cum ait: *Reuelationem à ſuperioribus Angelis dæmonibus factam non eſſe per modum illuminationis; ità vt lumen intellectuale eorum vigoretur per applicationem claritatis luminis angelici, ſed per modum locutionis; cum illis cognitiua quadam exponuntur modo, quo priùs non exponebant.* 199 *Si modū attēdas, manifeſtatur Dei prouidentiæ ordo.*

ARTICVLVS II.

A Dæmonibus.

HOs cæleſtes pedagogos infernales æmulantur, ſuperiores, nempè, dæmones, qui inferiores minus eruditos multa edocent. Cum enim ſint inæquales & conditione, & ſcientia, in qua alter alteri præſtat, vnus alium inſtruit tanquam Magiſter Diſcipulum; imò etſi æquales, plura ſibi inuicem communicant. Nequè enim quoad naturalia peioris ſunt conditionis hominibus, qui à Doctioribus varias recipiunt inſtructiones; & cum æqualiter Doctis frequenter conferunt de his, quæ didicere. 200 *Dæmon à ſuperioribus docetur. Cū æqualibus cōfert, ac communicat.*

§. I.

INter vtroſquè autem magna eſt in loquendo conuenientia. Nam vt homo interiores mentis conceptus ſoli Deo peruios, & nulli alteri perſpectos per locutionem externam declarat ijs, quos alloquitur; & ad illos declarãdos vtitur rebus, quæ in illo ab alijs dignoſcantur, puta, vocibus, & ſignis ſenſibilibus, per quæ annunciat ea, quę aliter ab ijs ſciri non poſſent; Ità dæmon per locutionem internam mentis cogitationes manifeſtat alteri dæmoni, qui eas ſeipſo non poſſet cognoſcere; cum ſolius Dei ſit, mentes intueri; atque illas exprimit per ea, quę vnus de alio naturaliter valet agnoſcere; cum hac tamen differentia: quòd homo ſenſibilibus ſignis vtitur, Angelus inſenſibilibus: Homo indiget medio, per quod locutio deferatur ad audientem, Angelus nullo; quia locutio eius eſt actio ſpiritualis, & intellectualis: Homo cum tempore loquitur, Angelus in inſtanti: Deniq. hominis locutio mouet auditum actione, quę eſt per neceſſitatem *Magna ſimilitudo inter vtrorūq. locutionem.*

tem

§. II.

Hac inſtructus in totum mūdum quærit curioſos auditores. Tētat vt ſerpens. Pollicetū omnia. Ipſam diuinitatē.

192 HIs inſtructus experimentis circuit totum mundum quærens quem deuoret; Et ſi fortè Euam aliquam curioſè aſpicientem, & ardenter prohibitum appetentem pomum reperit; Si, inquam, offendat quempiam ex hominibus vel curioſè tentantem aliquid elicere ex diuerſa herbarum, & mineralium applicatione; vel ſectantem abſconditas ſcientias; vel ira percitum contra inimicos: vel diuitias, honores, voluptates anxiè deſiderantem: ſtatim aſſumit ſerpentis formam aſtutus præſtigiator, & vt ſerpens repit, ſerpit, ſpiris ſe complicat, volutat, & tranat, vt decipere poſſit incautos. Statim timorem conatur depellere: *Nequaquam moriemini*. Tùm montes pollicetur aureos, & ſcientiam oſtentat ſublimem *ſcientes bonum, & malum*. Denique vitam curis, & ſolicitudinibus vacuam, alienam à malis, bonis omnibus affluentem, beatam, & Diuinæ ſimilem: *Eritis ſicut Dij*, conuerſantes cum Dijs, & Dijs ſimiles, omnia ſcientes, omnia operantes, omnia ad libitum conſequentes.

Sic homines decipit, ad ſe trahit. Excultiſque magia vtitur ad maleficia.

Quæ etſi præſtare non poſſit; tamen ijs pollicitationibus ad ſuam trahit voluntatem miſeros illos, qui, vt ſcientiam aſſequantur occultam, potitis gaudeant delicijs, & diuitias expectatas acquirant, voluntarios ſe exhibent ſeruos infenſo huic hoſti; qui poſteà omnibus magicis artibus excultos, & maleficiorum executores conſtitutos, ad innumera compellit mala toto orbi inferenda, vt conceptum in totum genus humanum odium quodammodo exſatiet. Sic in omnibus populis ſeſe Doctorem exhibet fallacem, & malefaciendi auidum: Sic doctrinam tradit fraudolentem, & noxiam; Sic docet excæcatos homines, qui curioſitate, odio, amore, appetitu vario ducti per fas, & nefas optatis perfrui deſiderant. Huic progreſſui addit cumulum, vt patebit, ſi tertiam eius ſcientiam conſideremus, quæ eſt

SECTIO III.

Communicata.

Sicut homo acquirit ſcientiā à ſe ipſo, & ab alijs; ità dæmones eam acquirūt Communicatam Ab Angelis, A Dæmonibus.

193 NOn ſolùm ſeipſo ſcientiam acquirit homo, & ſuis ſtudijs ad maiorem progreditur rerum cognitionem; ſed etiam aliorum inſtructione, qui illum citò clarè, & methodicè edocent ea, quæ non niſi tardè obſcurè, & confusè poſſet addiſcere. Hinc tot magiſteria, & diſcipulatus in vnaquaquè profeſſione. Idem accidit dęmonibus, qui præter ſcientiam innatam, & acquiſitam, nouam poſſident tum à bonis, tum à malis Angelis communicatam: vt ſequentibus articulis palam fiet.

ARTICVLVS I.

Ab Angelis.

Boni, & mali Angeli diſſimiles in voluntate, ſimiles in intellectu, & natura. Boni docent, mali docentur, cum boni malis reuelant.

194 ETſi maximum ſit inter vtroſquè diſſidiū ob diſſentientes voluntates, quę illis rectæ ſunt, & ad Deum conuerſæ, in iſtis diſtortę, & auerſæ à Deo; tamen inter ſe conueniunt in vno, nempè, in ſimilitudine intellectualis naturæ, quæ in omnibus eadem eſt; immò boni malis couruntur, cum ex Diuinæ præcepto Maieſtatis aliqua illis reuelant; & tunc alij docent, alij docentur; & iſti diſcunt, quę ab alijs reuelantur: Diſcenteſquè creſcunt in ſcientiæ cognitione ab ijs, quæ manifeſtantur à Docentibus. Ità Auguſt. lib. 2. ſuper Geneſ. cap. 17. *Spiritus mali*, inquit, *quadam vera de temporalibus rebus noſcere permittuntur partim ſubtilitate ſenſus, partim experientia temporum, partim à ſanctis Angelis, quod ipſi ab omnipotente Deo diſcunt iuſſu eius reuelantibus*. Quod ait etiam D. Bernardinus lib. 1. ſerm. 10. de cultu latriæ; *Demones*, inquit, *nonnulla reuelant aliena doctrina, cum iuſto Dei iudicio permittente addiſcunt aliquid ab Angelis bonis*.

§. I.

REuelationes autem illę omnes ad duo capita reuocantur. Vel enim manifeſtantur myſteria: Vel mandata notificantur: vt patet illuſtribus exemplis in ſcriptura relatis.

Vel myſteria alijs annuncianda.

Quoad myſteria communis eſt Sanctorum Patrum ſententia, Deum per ſe ipſum immediatè non apparere; aut reuelare ſecreta; ſed per ſpirituum bonorum miniſterium, qui ideò Angeli vocitantur, quia tanquam Diuinitatis legati mittuntur ſignificādis eius voluntatibus, vel dæmonibus; vel hominibus. Cuius duplicis miniſterij vſum videmus in vno Balaam, qui ab vtriſquè aliàs diuina didicit ſecreta: *Numer. 22*. Aduerte, illum antequam diſcedat domo, inſtructum à dæmone. Solicitatur à Regis Moabitis miniſtris, vt illum conueniat: Negat ſe profecturum, niſi poſt conſultum Dominum, quod iteratò repetit, cum in procinctu eſt ſacrificandi. An putas, verum Deum intelligebat? Non; ſed dęmonē vt ſentit Procopius apud Gloſsā, & Liranus refert ex mente aliorum. Quod conijcere licet ex eo, quòd homo erat perditiſſimus, ariolus, idolatra, & augurijs deditus, maximumquè habens cum dæmonibus commercium, ad quos euocandos impia offerebat ſacrificia, profanis ritibus adhibitis: vt habetur *2. Petri c. 2. epiſt. Iuda, & Apoc. c. 2.* Quare idem dæmon Dei perſonam ſuſtinens; ideòquè Deus in hoc loco vocatus, ei ſuggeſſit myſteria, quæ de Chriſto; de ſtella oriunda ex Iacob: de vaſtatione Gentilium, & felicitate Iudæorum prophetauit, vt plures exiſtimant *apud Toſtatum q. 5. in 22. Numer.* Hæc autem è ſeipſo non acceperat; cum impoſſibile ſit dæmoni, diuina penetrare ſecreta, & cognitione ſublimia aſſequi myſteria, quæ in imo Dei pectoris latent; ſed ab Angelo, qui iuſſus à Deo hęc omnia illi manifeſtauerat. 195

§. II.

NEc quenquam mouere debet: infidelem idolatram, & diuinatorem Magum à Deo reuelationem accepiſſe, cum Sybillę antiquę, Pharao, & Nabuchodonoſor Reges ſimili gratia donati fuerint. Nequè Deo, & dæmoni eandem attribui apparitionem, cum multa Deo tribuantur, quæ per hos ſpiritus peraguntur. Nequè factam eſſe miniſterio dæmonum reuelationem; cum conueniens videatur, vt ſicut iuſtis per Angelos ſuam manifeſtat voluntatem; ità per dæmones eandem notificet impijs, & peccatoribus. Conſidera modò Balaam accedentem ad Balaac: Ecce occurrit ei in via Angelus bonus, qui illum primò detinet, poſteà dimittit; ſed diuerſus ab eo, qui ei ante diſceſſum apparuerat. Patet ex ijs, quæ in occurſu facta narrantur. Si enim idem erat, quarè modò ſe opponit illi eunti ad Balaac? Imò vult illum occidere, *quia peruerſa eſt via tua, mihiquè contraria* cum 196

ante diſceſſum facultatem ei feciſſet illum adeundi Regem? Inſuper quomodo mandat, nè aliud dicat, quàm quod ipſe eſt ei præcepturus (loquens in futuro) & non potiùs quæ præceperat (in præterito) cum idem mandatum dederit poſteà, quod fuerat ei ante impoſitum? Quare dicendum eſt, duos fuiſſe Angelos eandem reuelationem annunciantes. Primum malum, qui illam à Deo acceperat non immediatè, ſed mediatè per Bonum. Secundum verò bonum Angelum, qui immediatè illuminatus à Deo, primò per dæmonem, poſteà per ſeipſum diuinam huic Prophetę intimauit voluntatem. Sic teſtatur P. Thyr. *de appar. dæm.*

§. III.

197 QVantum ad mandata non eſt dubitandum, illa hominibus denunciari per dæmones ab Angelis inſtructos; ea præcipuè, quæ peccatorum punitiones ſpectant. Sicut enim ſententia Iudicum à Miniſtris humanæ iuſtitiæ lictoribus intimatur; ſic cum agitur in tribunali diuinæ Iuſtitiæ de ſupplicio ab aliquo peccatore ſumendo, æterni Iudicis decretum ab Angelis notificatur dæmonibus, qui illud poſtea executioni demandant, vt patet *Apoc.* 7. vbi *Angelus habens ſignum Dei viui*, quem bonum eſſe, certum eſt, *clamat quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, & arboribus*: quod quatuor eſſe dæmones communiter D.D. aſſerunt, nè cuiquam nocumentum inferant, quoaduſquè ſignati ſint ſerui Dei. Sic cum in pharaonicam obdurationē Deus tot plagis animaduertebat, voluntas eius per Angelos declarabatur; qui iuxta imperata exequebantur ea, quę referuntur in Exodo. Dæmones enim fuiſſe plagarum Ægyptiacarum executores teſtatur Dauid pſal. 77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.*

Vel mandata executioni mandāda.

§. IV.

198 IN quibus reuelationibus, ſi finem ſpectes, miram deprehendes Sapientiæ diſpoſitionem; Si modum; admirabilem Prouidentiæ ordinem.

In his reuelationibus. Si finem ſpectes apparet ſapiētiæ Dei diſpoſitio.

Finis eſt adimpletio Diuinæ voluntatis, quæ à Deo Angelis manifeſtata, per Angelos dæmonibus reuelatur: vel ad confuſionem: vel ad executionem. Ad confuſionem: cum reuelantur myſteria pro ſalute hominum adimplenda: Vel Sanctorum gloria, iuſtitia, ſanctitas, vt rubore ſuffundantur, videntes Deum tot mirabilia operari pro hominibus, quos ſummo odio proſequuntur; & homines diuina gratia adiutos ſedes obtinere glorioſas, è quibus ignominioſè fuere depulſi. Ad executionem, cum ab Angelis reuelantibus præcepta diuina, etiam inuiti, & rebelles tanquam miniſtri punctualiter adimplere compelluntur. Quid verò Sapientius, quàm bonitatis effectus dæmonibus patefacere, quibus ſua ſe culpa indignos reddidere: Et inimicorum opera exequi, quæ Deus perfici deſiderat? Nam quomodo admirabilis illa Sapientia apparet in facto Patriarchæ Ioſeph, quem odio, & inimicitia Fratrum addictum morti, & deuotum diris, per ipſum illud odium, ipſaſmetquè inimicitias è carceribus ſuſtulit ad palatia, è ſeruitute euexit ad imperium; ex ignominia vocauit ad gloriam, & coronas: Eodem modo in quotidianis commendatur ordinationibus [illegible] iuſtos, quos diuerſis à dæmone permittit vrg[illegible] tentationibus, & creſcente patientia, & charitate, abundantiori gratia in hoc ſęculo perfundantur; & in futuro gloriam mereantur ampliorem. Quam permiſſionem ſignificat Angelis, qui illam poſtea dæmonibus annunciant, vt ad diuinæ voluntatis præſcriptum adimpleatur.

§. V.

MOdus verò ſi attendatur, ſuauem ſpirat Prouidentiæ ineffabilis ordinem. Non enim fiunt hæ reuelationes per mentis illuſtrationem, ſicut accidit in Prophetis; ſed ſola, & nuda prædictione, eo modo, quo quis alteri ſuam reuelat voluntatem; & ideò non ſunt opera gratiæ perficientis, & eleuantis naturam; ſed miſericordiæ, aut iuſtitiæ. Miſericordiæ, ſi ordinentur ad bonum eius, cui fit reuelatio, & prædictio: Iuſtitiæ, ſi punitionem alicuius ſpectent. Quare ſumma Dei prouidentia in hoc enitet, quòd ſecreta cæleſtia aliter reuelantur amicis; aliter inimicis. Illorum enim, qui ſunt in gratia, perficitur, & eleuatur intellectus per reuelationem: Iſtorum verò, qui ſunt in ſtatu damnationis, intellectus nihil tale patitur; ſed nudam recipit prædictionem rei reuelatæ. Quod confirmat D. Thom. *in* 2. *d.* 7 *q.* 2. *a.* 5. *ad* 3. cum ait: *Reuelationem à ſuperioribus Angelis dæmonibus factam non eſſe per modum illuminationis; ita vt lumen intellectuale eorum vigoretur per applicationem claritatis luminis angelici, ſed per modum locutionis; cum illis cognitiua quadam exponuntur modo, quo prius non exponebant.* 199

Si modū attēdas, manifeſtatur Dei prouidentiæ ordo.

ARTICVLVS II.

A Dæmonibus.

HOs cæleſtes pedagogos infernales æmulantur, ſuperiores, nempè, dæmones, qui inferiores minus eruditos multa edocent. Cum enim ſint inæquales & conditione, & ſcientia, in qua alter alteri præſtat, vnus alium inſtruit tanquam Magiſter Diſcipulum; imò etſi æquales, plura ſibi inuicem communicant. Nequè enim quoad naturalia peioris ſunt conditionis hominibus, qui à Doctioribus varias recipiunt inſtructiones; & cum æqualiter Doctis frequenter conferunt de his, quæ didicere. 200

Dæmon à ſuperioribus docetur. Cū æqualibus cōfert, ac communicat.

§. I.

INter vtroſquè autem magna eſt in loquendo conuenientia. Nam vt homo interiores mentis conceptus ſoli Deo peruios, & nulli alteri perſpectos per locutionem externam declarat ijs, quos alloquitur; & ad illos declarãdos vtitur rebus, quæ in illo ab alijs dignoſcantur, puta, vocibus, & ſignis ſenſibilibus, per quæ annunciat ea, quę aliter ab ijs ſciri non poſſent. Ità dæmon per locutionem internam mentis cogitationes manifeſtat alteri dæmoni, qui eas ſeipſo non poſſet cognoſcere; cum ſolius Dei ſit, mentes intueri; atque illas exprimit per ea, quę vnus de alio naturaliter valet agnoſcere; cum hac tamen differentia; quòd homo ſenſibilibus ſignis vtitur, Angelus inſenſibilibus: Homo indiget medio, per quod locutio deferatur ad audientem, Angelus nullo; quia locutio eius eſt actio ſpiritualis, & intellectualis; Homo cum tempore loquitur, Angelus in inſtanti; Deniq. hominis locutio mouet auditum actione, quę eſt per neceſſitatem

Magna ſimilitudo inter vtrorūq. locutionem.

tem naturæ aerem impellendo vſquè ad aures auſcultantis; Angeli locutio tota dependet ex voluntate loquentis; & tria tantùm exigit, vt perficiatur, nempè, Conuerſionem luminis angelicæ intelligentiæ ſuper ſpeciem, de qua vult loqui: Voluntatem manifeſtandi alteri Angelo ſuum conceptum, ſeù intentionem cogitationis, vt vocat D. Baſilius: & Innuitionem luminis intelligentiæ ad rem, quam vult manifeſtare, quę aliàs nutus nuncupatur. Quare ſicut homo poſtquam verbum aliquod actu intelligendo, & cogitando in mente formauit, poteſt etiam in imaginatione formare ſignum, & voce proferre ſonum, qui eſt expreſſio, & manifeſtatio illius verbi in mente concepti; ità Angelus poſt verbum aliquod intelligendo, & cogitando in mente formatum, eadem mente formare poteſt, & format intelligibile ſignum, per quod illud verbum alteri Angelo exprimit, & manifeſtat. Et ſic vnus alteri loquitur; talis enim ſigni intelligibilis formatio, & per tale ſignum intellectionis, & cogitationis expreſſio locutio Angelorum dicitur: vt docet D. Bonauent. *in 2. diſt. 30. a. 3.* & Gloſſa confirmat *in illud Pauli 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, dicens: Angelos loqui aliquibus nutibus, aut ſignis non ſenſibilibus; ſed intelligibilibus.

§. II.

201 QVod cum frequentiſſimè faciant dæmones *Non lingua opus habentes*, vt ait D. Damaſc. *lib. de fide Orthod. c. 3.* Verùm citra ſermonis adminiculum cogitationes ſuas, & conſilia inter ſe communicantes, quis neget illos in cognitione proficere ex his, quæ ab alijs didicerunt? Idem enim de illis aſſerere licet, quod de Angelis, inter quos mutuam videmus communicationem, qua ſuperior inferiorem, inferior ſuperiorem, æqualis æqualem loquendo compellat. Sic Superior Angelus, qui Zachariæ 1. & 6. *& ipſe ſtabat inter myrtheta* equo inſiliens rufo, alios mittit inferiores Angelos ſedentes in equis varijs, & rufis: *Ite*, inquit, *perambulate terram*; quia ſuperioris eſt, cum agitur de myſterijs Diuinæ Prouidentiæ, ſeù de rationibus diuinorum operum, inferiores inſtruere; cum ipſe plura cognoſcat in Deo. Vndè illos dicitur illuminare, inquantum veritatem manifeſtat, qua eorum perficitur intellectus. Sic Angeli iſti inferiores miſſi poſt terræ perambulationem viſa narrant Superiori, & dicunt: *Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quieſcit*. Non per modum illuminationis; inferior enim ſuperiorem illuminare non poteſt; ſed per modum cuiuſdam ſignificationis, per quam conceptus ſuos exprimunt. Sic æquales mutuò quærunt *apud Iſaiam c. 63. & pſal. 23. Quis iſte, qui venit de Edom? Et quis eſt iſte Rex gloriæ?* Vnus enim alterum illuminat, inquantum illuminatio omnem ſignificat agnitæ veritatis manifeſtationem, iuxta illud Pauli *Epheſ. 5. Omne, quod manifeſtatur lumen eſt*. Sic deniquè omnes qualiſcunquè ſint ordinis ſuperi, medij, inferi, ſuas cogitationes, & occulta cordium ex libero vniuſcuiuſquè arbitrio dependentia alijs patefaciunt, quæ in eorum notitiam venire non poſſent, niſi ipſi manifeſtarent. Quare ſi ſpiritus illi beati de omnibus loquuntur in inuicem, & loquentes ſe mutuò inſtruunt per illam conceptuum ſignificationem, non dubium eſt, quin idem dæmones præſtent, vt rebus ſuis conſulant.

Inter Angelos vnus alium loquendo cōpellat.

Superior inferiorē.

Inferior ſuperiorem.

Æqualis æqualem.

Omneſq. ſuas cogitationes alijs patefaciunt.

Inter dæmones vnus alium inſtruit, ſic proficiūt in ſcientia.

Concluſio Sectionis Tertiæ.

HInc eſt, quòd ſuperiores inferiores docent varios tentandi modos, diuerſa maleficiorum genera, nouas artes occultas, & magicas, quas ipſi poſteà homines edocent. Inferiores ſuperiores conſulunt, & ab eis ſciſcitantur, quid facto opus ſit in dubijs occaſionibus, vt in futuris contingentibus, in quibus cognitio connaturalis, aut acquiſita non ſufficit. Omnes verò ſuas inuentiones in inuicem communicant ad imperium diabolicum longè, latequè propagandum. Nequè ſuo fraudantur intento. Etenim per illam communicationem peiores, & callidiores facti, plures ſuæ ſubijciunt dominationi; cum nullus ferè ſit, qui crebris tentationum machinis ab ipſis adhibitis exagitatus non cedat libenter; immò omnes ferè eant in occurſum; & nulla expectata tentatione vltrò ſe prodant. Quod teſtatur non ſolùm prodigioſa illa peccantium multitudo, qui ſe vltroneè diabolicæ mancipant ſeruituti; ſed etiam numeroſus exercitus magorum, ariolorum, veneficorum, incantantium, ſagarum, ſtrigarum, lamiarum, pythoniſſarum, & aliorum maleficorum, qui ſtrictiori vinculo ſubiectionis, & ſecretiori obſequij ſingularis pacto ſeſe dæmonibus deuouerunt. Ex quibus omnibus dęmoniacum conflatur imperium; ad quod tuendum, prorogandum, & conſeruandum maligni ſpiritus omnes intendunt neruos ingenij, qui cum triplici acumine ſcientiæ vigeant, ex ſpeciebus ſibi concreatis, ex longitudine experientiæ, & ex aliorum reuelatione, vt dictum eſt, nouas quotidiè excogitant artes magicas, nouos fallendi modos, noua genera maleficiorum, per quæ totum mundum malis exagitant infinitis. 202

Ideò per illam ſcientiam communicatam Superiores docēt inferio. Inferiores conſulunt ſuperiores circa noua maleficiorū genera.

Ità aſtutiores facti imperium diabolum dilatant.

CAPVT II.

Ex parte obiecti.

TAnta eſt ſpiritus humani capacitas, & tàm magna ingenij amplitudo, vt nullis limitibus circunſcribatur. Nam ſi eò anguſtior, & minus capax eſt aliqua forma, quò magis eſt materialis; eò verò capacior, & amplior, quò eſt eleuatior, & ſpiritualior, quis non videat, ſpiritum hominis quoad capacitatem ad plura ſe extendere, vt ſe perficiat, quàm cætera ſenſibilia, quæ in mundo ſunt; cum ſit ſpiritualis forma minus materiæ alligata? Res inanimæ, vt ſaxa, earumquè formę, quia maximè materiales ſunt in ſe quietæ, & mortuæ manent; nec aliquid extra ſe ad ſuam perfectionem acquirendam moliuntur. Plantæ, quarum forma eſt magis eleuata, ſuum quærunt, attrahunt, immutant, & diſtribuunt alimentum; ſed quale ſit, nec norunt, nec ſentiunt. Animalia, quia forma eorum nobilior eſt, proficua, & noxia cognoſcunt; atquè illa inquirunt; aut reijciunt; Verùm tota eorum notitia ſtrictis limitibus continetur; ad ſenſibilia enim, & corporalia ſolùm ſe extendit. At homo anima rationali, ſeù mente prædítus capacitatem habet non limitatam; ſed illimitatam, quæ ſe ad omne intelligibile extendit; quia intellectus hominis, vt ſubtiliter tradit Scotus *in Prolog. ſent.* habet naturalem inclinationem ad recipiendam cuiuſquè obiecti cognitionem; quodlibet obiectum ſiuè creatum, ſiuè increatum, ſiuè ſit ens reale, ſiuè ens rationis, poteſt eſſe terminatiuū noſtri intelle- 203

Homo eſt capacior in cognitione.

Rebus inanimis.

Plantis.

Animalibus.

tellectus; quatenus actus ipſius terminatur ad huiuſmodi obiectum, illudque cognoſcit non per propriam ſpeciem ipſius; ſed per ſpeciem ab altero impreſſam. Vndè eius capacitas in cognoſcendo eſt aliquo modo infinita; non tamen tanta, ac intelligentia ſeparatorum ſpirituum, Angelorum, ſcilicet, & dæmonum, qui cum ſint formæ ſimplices, & magis eleuatæ ſupra omnem materiam, quàm homines, qui corporibus alligati plus ab ea dependent, non ſolum habet vim intelligendi maiorem triplici acumine ſubtilem, vt ſuperiori capite demonſtratum eſt; ſed etiam ampliorem capacitatem, qua ſe extendunt ad omnia obiecta Præterita, Præſentia, & Futura, vt totidè ſectionibus explicabitur.

Dæmon capacior homine cū eius ſcientia ſe extendat ad Præterita. Præſētia Futura.

SECTIO I.

Præteriti.

204 QVid præteritorum ſpirituales illas mentes effugere poteſt? Fateor, in illas cadere obliuionem, prout opponitur recordationi, inquantum ipſorum intelligentia actione ſua non conuertitur ſuper ea, quorum reminiſci tenentur. Nam beneficiorum ſibi à Deo collatorum, ex odio, quo eum proſequuntur, recordari nolunt; & ſuæ ſalutis immemores detrectant ea actualiter recolere, quæ ad illam quoquo modo conducunt. Sic enim præcipites feruntur ad malum plena, & totali animi conuerſione, vt inhabiles omninò ſint, & incapaces ſalutiferæ alicuius recordationis, quæ ſi fortè in mentem veniret, ſtatim à ſua malitia reppelleretur. Quare in hoc ſtulti dicuntur à Gloſſa ſuper illud Eccleſiaſ. 4. *Melior eſt puer pauper, & Sapiens Rege ſene, & ſtulto.* Quod exponitur de dæmone, qui alibi à ſapiente eadem fatuitatis nota inuritur, cum dicit Eccleſ. 25. *Tres ſpecies odiuit anima mea, pauperem ſuperbum, diuitem mendatem, & ſenem fatuum, & inſenſatum.* Cui enim conueniunt tres illæ notæ, quàm illi, qui *pauper* eſt, omnibus gratiæ donis ſpoliatus; ſed in tantum ſuperbus, vt diuinam appetat ſimilitudinem? *Diues*, & omnia regna mundi promittens; ſed mendax, qui nihil promiſſorum valet exhibere? *Senex*, cum ab initio mundi formatus vitam viuat longiſſimam; ſed *fatuus, & inſenſatus*, vt qui ab eo tempore ne vnius quidem boni à Deo accepti memoriam recolere, & ad illud intelligentia ſe conuertere voluerit; ſed inhabilis permanſit propter ſuam in malo obſtinationem, & malitiam ad qualiſcunque boni recordationem?

Obliuio, prout opponitur recordationi cadit in dæmones.

Ideò ſtulti dicuntur ab Eccleſiaſte.

At obliuio, quæ homini accidit per ſpecierum deletionem, in dæmonibus reperiri non poteſt; cum memoria eorum intellectiua poſt lapſum tot ſpeciebus intelligibilibus informata ſit, quot à Deo receperat ante lapſum. Quamuis enim in eis non ſit memoria ſpecierum ſenſibilium conſeruatrix; quia potentias non habent ſenſitiuas, & per conſequens nec ſpecies ſenſibiles, & phantaſticas, quas recipere, & conſeruare valeant, tamen in illis reperitur memoria intellectiua, in qua non tantum ſpecies innatæ; ſed etiam ex contingentibus per intellectum agentem acquiſitæ conſeruantur tàm Vniuerſaliter; vt omnes inſint: tàm Firmiter, vt nec deleantur, nec naturaliter deleri poſſint.

Obliuio prout dicit ſpecierum deletionem nō poteſt cadere in illos Quia intellectus habet ſpecies Vniuerſales, & Firmas.

ARTICVLVS I.

Secundùm ſpecies vniuerſales.

§. I.

PRodigioſum ſanè diuinæ potentiæ opus memoria hominis, quæ omnium rerum ſpecies recipit, receptas conſeruat, & conſeruatas exhibet ad eius placitum. Quis enim ſinus capax tot, & tàm varijs ſpeciebus recipiendis, quæ continuo quaſi fluxu per quinquè exteriores ſenſus, tanquam per longos quinquè atriorum ductus in ſenſum communem influunt: indè ad intellectum progrediuntur; & deinceps recipiuntur in illa capaciſſima potentia, in qua omnia viſa, audita, olfacta, guſtata, & tacta; omnes phantaſiæ, imaginationes, & ſenſationes; omnia intellecta, volita, & amata; omnia, quæ excitarunt amorem, odium, deſiderium, & cæteras animi paſſiones: omnes actiones, cogitationes, verba, colloquia, conferentiæ: omnia deniquè quæ vnquam in ſenſum, & mentem toto vitæ eius curriculo venerunt cum ſuis circunſtantijs, proprietatibus, accidentibus, formis, figuris, & alijs adiacentibus, quaſi in ampliſſimo palatio indifferenter admittuntur? Quis theſaurus immenſus continens opes, & diuitias infinitas, nempè, tàm varias ſpecies, quæ in eo repoſitæ ſic conſeruantur, vt vnicuiquè ſua particularis ſtatio aſſignata eſſe videatur? Etenim vna aliam non impedit, nec cum alia miſcetur, nec quoquomodo imminuit; ſed ſeparata, & diſtincta manet cum ſuis circunſtantijs, quaſi comitibus indiuiduis miro ordine collocata: ita tamen vt aliæ alijs firmiùs inhæreant, prout profundiùs infiguntur, & ſæpiùs renouantur. Quale promptuarium omnia exhibens, ex quo ſpecies illæ depromuntur ad libitum tàm citò, vt ſtatim ac aliqua ſermocinando, vel ratiocinando indiget homo, nulla interpoſita mora exhibeatur, quamuis ab eo tempore, quo primùm introducta eſt, nunquam fortaſſe fuerit auocata? 205

Memoria hominis prodigioſa, quæ omnium ſpecies recipit continuè per quinquè ſenſus.

Receptas cōſeruat inconfuſè.

Conſeruatas exhibet promptè.

§. II.

SEd mirabilius opus angelica memoria quæ ex natura ſua ſinus eſt capaciſſimus omnia recipiens, theſaurus immenſus omnia conſeruans, promptuarium indeficiens omnia exhibens, quæ à mundi primordijs vſquè modò vel intellectu aſſecuti ſunt dæmones: vel aliorum relatu didicerunt; quorum numerum, magnitudinem, excellentiam, claritatem, certitudinem infinitam propemodum eſſe, quis ibit inficias? Miramur homines eminentioris litteraturæ, qui per totam vitam oleum, & operam impendunt in comparanda omnium ſcientiarum, & artium notitia, in euoluendis omnium diſciplinarum libris, in conſulendis Doctoribus, in vnaquaquè profeſſione celebrioribus; eò quòd poſt tàm longa ſtudia, lecturas continuas, ſedulas conferentias; ſpeculationes ordinarias, & publicas, priuataſquè exercitationes ſcholaſticas mentem gerere videntur omnium rerum cognitione refertam; quam ſi explicare contingat in ſuis diſcurſibus, tanta, & tàm magna è ſuo penu depromunt, de quacumquè re ſciſcitentur, vt auſcultantes rapiant in ſtuporem. Et tamen quid totus ille ſcientiarum cumulus diabolicæ ſcientiæ comparatus, niſi arenula ad montem; 206

Prodigioſior memoria dæmoniaca, quæ eſt ſinus capaciſſimus omnium Theſaurus omnia conſeruans Prōptuarium omnia exhibens.

Quia ſpecies hominis. Pauca. Exiles. dæmonis ſpecies Multa. Magna.

tem; Cum Docti iſti diuerſas quidèm rerum ſpecies in mente teneant; ſed paucas, & exiles: dæmones verò multas, & magnas poſsideant; ſed tàm multas, vt omnium rerum multitudine exequent; cum nulla res ſpecifica in tota mundi vniuerſitate reperiatur, qualiſcunquè ſit, cuius ſpecies in intellectu eorum non ſit congenita, aut acquiſita; tam magnas, vt maiores ſpecificè dari non poſsint; cum vniuſcuiuſquè rei ſpecificæ eſſentiam, cauſas, principia, effectus, antecedentia, concomitantia, conſequentia, vnaquęquè clariſſimè, & perfectiſſimè repræſentent. Hoc teſtantur D. Auguſt. *ſuper Geneſ. c.* 1. & 4. D. Bonau. *in* 2. *d.* 3. *ar.* 2. *q.* 1. Scotus *ibi quæſt.* 10. ac D. Thom. 1. *p. q.* 55. *ar.* 2.

ARTICVLVS II.

Secundùm ſpecies immobiles.

207 *Species in dæmonibus receptæ indelebiles ſunt. Hoc requirit.*

SEd nè putes in tanta ſpecierum numero, quæ per tot ſæcula vel innatæ, vel comparatę fuerunt à dæmonibus, aliquam poſſe effluere; aut quoquomodo præterlabi ex eorum memoria; cum omnes indelebiliter fixæ inhæreant, quando ſemel ſunt receptę.

Hoc dæmonum ſtatus, memoriæ qualitas, & ſpecierum natura requirunt.

§. I.

Dæmonũ ſtatus.

DÆmones enim non ſunt obnoxij corruptioni; ſed incorruptione donati; Ideò ſpecies, & habitus in eis ſemel recepti nunquam deleri poſſunt naturaliter; cum iuxta philoſophicum effatum 4. de Anima tex. 4. *Quicquid recipitur, per modum recipientis recipiatur.* Vt conſtat in cælo, in quo accidentia ſunt ipſi naturæ coæua, quia ſubiectum eſt incorruptibile. Et certè nullum accidens in aliquo ſubiecto corrumpi poteſt, niſi per ſubtractionem virtutis conſeruatiuæ: aut per introductionem accidentis incompoſſibilis cum primo accidente: aut per aliquam corruptionem factam circa ſubiectum. Quæ tria in dæmonibus locum non habent, in quibus virtus conſeruatiua ſubſtrahi non poteſt, cum ab aliqua virtute creata exteriori non dependeat: ſpecies ſibi inuicem in eadem potentia non repugnent; cum, qua ratione plures ſimul eſſe poſſunt, eadem poſſunt eſſe ſimul in numero quantùmcunquè magno: Et potentiæ corruptione aliqua diſſolui nequeant.

§. II.

208 *Memoria qualitas*

MEmoria inſuper organo corporeo non eſt alligata; & ideò nec ſeneſcere: nec corrumpi poteſt. Cum enim virtutes animę, vt fatetur Ariſt. *lib.* 1. *de Anima*, non deteriorentur; neque potentia ſenſitiua vnquam inueteraſcat ratione ſui; ſed ſolùm ratione organi, cui annexa eſt; vndè Senex ſi haberet oculum iuuenis, æquè perſpicuè proſpiceret, ac ipſe iuuenis, ſequitur, memoriam dæmoniacam nec debilitari; nec in conſeruando poſſe deficere; cum ab omni organo corporeo ſit libera, & longè ſenſitiua vegetior.

§. III.

Specierũ natura.

SPecies deniquè naturaliter inſitæ ſunt indelebiles. Quod enim naturale eſt, eſt pariter indelebile: nec ſolùm inſitæ; ſed & aliæ, quas incorruptibiles eſſe patet, eò quòd omne, quod corrumpitur: aut corrumpitur, quia habet contrarium: aut quia componitur ex contrarijs: aut quia eſt in aliquo ex contrarijs compoſito: quæ omnia, cum non reperiantur in illis ſpeciebus rerum cognitarum, ſequitur deleri non poſſe; ſed profundè, & inſeparabiliter inhæreſcentes in memoria dæmonum permanere.

Ideò præterita tenent. Vniuerſaliter. Firmiter

Quanta ergo illorum ſcientia, qui præterita memoria tenent tàm vniuerſaliter, vt omnium recordentur: tàm firmiter, vt nullius obliuiſci poſſit!

SECTIO II.

Præſentis.

209 *Homo cęcutit circa. Præsẽtia Spiritualia. Corporalia. Dæmon cognitionem poſſidet. Corporalium. Spiritualium.*

SIcut obliuio circa præterita non cadit in intellectum dæmonum; ſic nec ignorantia circa præſentia, in quibus, mirum eſt, quantùm homo cæcutiat. Nam etſi acutiſſimo ſit ingenio, & maxima rerum cognitione præditus; tamen multa ſunt, quorum cauſas diligentiſſimè inueſtigatas reperire non poteſt: Spiritualia ſua ſubtilitate aciem eius fugiũt: Corporalia illum ſua quantitate retundunt; & vtraque etiam quotidiana intellectionis eius ſuperant facultatem. Non ſic dæmones, qui tam Corporalium, quàm Spiritualium notitiam poſſident: vt ſequentibus articulis palam fiet.

ARTICVLVS I.

Corporalis.

210 *Quæ in mundo ſunt obuia homo difficilè cognoſcit. Solus dæmon dimenſus eſt. Altitudinem cęli*

ARduum, & operoſum eſt etiam, quæ de mundo videntur minus difficilia, magiſquè obuia, perfectè cognoſcere. Nam, vt ait Sapiens Ieſus filius Sirach Eccleſiaſ. 1. *Altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt*, niſi dæmon, qui è ſummo cælorum in profundum illius abyſſi depulſus vniuerſas orbis partes dimenſus eſt: vt ei aliàs argutè reſpondit vnus ex heremi accolis?

Cælorum cognitio maximæ difficultatis, & laboris eſt hominibus; cum tanta altitudine nos ſuperent; & tàm longè diſtent à mortalibus, quibus per vnicum ſenſum, oculos nempè corporales patent; quos toties falli contingit vel propter tantam interualli longinquitatem: vel ſummam velocitatem cęleſtis motus: vel prauam affectionem medij, aut potentiæ viſiuæ: vel vitium inſtrumentorum aſtronomicorum. Vndè tanta opinionum varietas inter Philoſophos, quorum omnium facilè Princeps Ariſtoteles *lib.* 2. *de cælo* fatetur ingenuè, ſe rerum cæleſtium non ſcientiam exquiſitam; ſed opinabilem notitiam tenere; & cogi ſe ſæpiùs probabilibus duntaxat argumentis, & coniecturis vti; quia manifeſtis, certiſquè rationibus deſtituitur.

At

§. I.

211 AT facilis eſt illa cęlorum cognitio dæmoni, qui ſuo ſubtiliſſimo intellectus acumine quocumquè excellentiſſimo Aſtronomo perfectiùs illos globos metitur, ac conſiderat; ideòquè perfectè, & abſquè vllo dubio cognoſcit, quę ſit cęlorum natura, magnitudo, ordo, differentia, varietas, numerus. An cælum ſit natura quædam ſimplex; an compoſita ex materia, & forma. Vtrum materia cęleſtis, & terreſtris ſit eadem, an diuerſa. Sitnè cælum animatum, an inanimum. Num ſua vi moueatur à ſeipſo, an extrinſecùs ab Angelo aſſiſtente. Vndè iudicari debent eorum dignitatis præſtantia. Quarè non omnes eodem motu circumaguntur; ſed alij vno, alij pluribus, alij paucioribus. Quæ ſit vis, & potentia ſingularum ſtellarum in elementa, metalla, ſtirpes, & animantes. quinam effluxus, & effectus dimanant ex varijs aſtris ad diuerſas, & diſſitas mundi regiones. Quantus ſit ſtellarum numerus. Quarè planetæ interdum ſunt terræ viciniores: interdum remotiores: nunc ſtationarij: nunc directi: nunc retrogradi; & quis rerum motus in eccentricis, & epyciclis. Vndè illæ maculæ in ſole animaduerſæ, quę tamen non eundem retinent ſitum; ſed aſſiduè locum mutant; & nunc pauciores, nunc plures apparent; Et an corpori ſolari inhæreant; an circum illud vt paruæ ſtellæ in epyciclis moueantur. Vndè quatuor ſtellæ paruæ, quæ circa ſidus Iouis notatæ ſunt; & nunc ipſum ſequuntur, nunc antecedunt, nunc omnes, nunc alię non apparent. Quare Sidus Veneris creſcit, & decreſcit inſtar Lunæ; curuatur enim in cornua, dimidiatur, & impletur; & aliquando ſit multò altius, ſole, aliquando multò demiſſius. Quare corpus Lunæ veluti ſpongioſum, & floccis quibuſdam conſtans varijs locis interciſum: An detur ſphæra aere ſuperior, vbi vigeat ignis elementaris. Quæ ſint ventorum aerem ventilantium origo, progreſſus, & defectus. Quomodo fulgura, fulmina, & tonitrua formentur; atquè tanto fragore perſtrepant: Liqueſcant nubes, & deferantur: Generentur grandines, niues, procellæ, tempeſtates, & aliæ meteoricæ aeris impreſſiones, quæ omnia hominibus, vt plurimùm ſunt incognita. Nam *quæ in cęlis ſunt*, ait Sapiens *Sap. 9. quis inueſtigabit?* Sed dæmoni notiſſima, vt potè ſcientia perfecta prædito, cuius primas partes Aſtrologia, ſiuè notitia rerum cæleſtium ſibi vendicat, cum ſit natura eius omnium præſtantiſſima, & vſu, & poſſeſſione nobiliſſima.

§. II.

212 PAri indagine omnia terreſtria rimatur, & nouit. Nam *difficilè æſtimamus*, ait Sapiens in eodem loco, *quę in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore*. Ipſe verò facilè cognoſcit, quia latitudinem terræ dimenſus eſt, & dimetitur quotidiè: vt fatetur apud Iob 1. *Circuiui terram, & perambulaui eam*; ſed ſicut monet Petrus, *1. Petr. c. 5. tamquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret*. Dimetiendo verò videt totam elementi huius magnitudinem, circumferentiam, ſitum, cuncta naturæ miracula incompertæ rationis; in naturæ maieſtate penitùs abdita contemplatur; & creaturas omnes conſiderat, quæ ſunt, & mouentur ſuper faciem terræ. Cur in diuerſis terris harum quædam ſunt calidæ, aliæ frigidæ, lentę, friabiles, leues, ponderoſæ, pingues, macræ, pullę, giluæ, flauæ, albicantes, nubeſcentes, varij ſaporis, & odoris, varijſque rebus gignendis accommodatæ. Qomodo ſub eodem climate alia loca ſunt deſerta, alia fertiliſsima; non omnium omninò rerum; ſed quarundam, quæ potiùs creſcunt in vno ſolo, quàm in alio; & tranſplantatæ nonniſi renitente natura oriuntur, & maxima adhibita cura, quaſi dimidiata tantùm virtute fruuntur. Vndè tot virtutes in ſaxis, lapidibus, montibus, ver. gr. in Magnete, quæ ferrum attrahit, & acum nauticam ſua vi tacta eatenus agitat, quoad illa directò ſpectet Septentrionem. Vndè tot pretioſæ radices, & infinita florum, herbarum, arborum varietas; atquè proprietates inſidentes aliquandò in flore, aliquandò in folijs, aliàs in radice, nunc in trunco, ſæpè in corticibus, fibris, capillamentis, & medullis. Quæ ſit in culicibus, muſcis, vermiculis, apibus, ſciniphibus, & inſectis alijs velocitas, motus, ſenſuum acrimonia, & multiplex ſagacitas, organorum diſpoſitio, ſubtilitas, virtus ad totius animalculi completam formam, & functiones congruentes; Hæc enim non ſunt interiùs confuſa, & vniformia; ſed diſcreta, & impermixta, diuerſi temperamenti, facultatis, vſus, formæ, connexionis, ſitus; ſed tenuitatis inuiſibilis, humanæ induſtriæ incomprehenſibilis.

Quæ in auibus colorum pigmenta, pennarum pulchritudo, vocum diuerſitas, acuta, & longè penetrans vocalitas in exiguo corpuſculo. Quæ in ſingulis animantibus vis, qua locis congruentibus, figura, & colore accommodis formantur, & creſcunt oſſa, cornua, dentes, vngues, pili, cruſtæ, cutis, glabra; ſed magìs qua tot mira peraguntur, cum applicantur in morborum curationibus. Deniquè quomodo humana corpora formentur, cum tanta oſsium diuerſitate, varietate muſculorum, neruorum nexibus, arteriarum ductibus, ſubtilitate membranarum, interna medullarum ſinuatione, ſanguinis abundantia; calore continuè humidum depaſcente, & diſtributione ſpirituum vitalium, & animalium. Inſuper qua ratione creſcant, & vegetentur alimenti tranſmutatione in ſuccum optimum, & chyli in ſanguinem purum, in ſemen prolificum, & lac variæ concoctum ad conſeruationem indiuidui, vel ſpeciei propagationem. Præterea qualiter ſentiant, moueantur, operentur; præcipuè tria principalia viſcera, cerebrum, cor, & hepar, quæ per totum corpus extenduntur, & in ſingulis eius partibus quodammodo exiſtunt, atque ſenſum, motum, pulſum, & nutritionem perficiunt. Ijs adde, vt Auguſtini verbis vtar lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 24. *Quarè hominum quorundam natura multum cæteris diſpares, & ipſa raritate mirabiles, quædam, vt volunt, de corpore ſuo facientium, quæ alij nullo modo poſſunt, & audita vix credunt. v. g. ad libitum flere: ſudare: extra ſe rapi: aures mouere, vel ambas ſimul, vel ſingulas: cæſariem deponere, & reuocare ad frontem: algere in ſole: caleſcere in vmbra: voluptate perfici inter flagella: fugare ſerpentes: ſolo tactu, afflatu, oſculo varia curare vulnera: & alia id generis peragere*. Quæ omnia ignorant homines etiam doctiores, à quibus ſi petas tot prodigiorum naturalium rationes, ſtatim confugiunt ad qualitates occultas, quas, mirum eſt, quomodo deprehenderunt, ſi ſint occultæ: aut ſi occultæ ſint, quomodo ſciunt, hæc mira ab his fieri. Dæmones autem apprimè callent, & ſua ſagacitate intuentur.

Latitudinem terræ.

§. III.

213 SVpereſt ima mundi pars duplex, nempè, abyſſus terræ, mariſque mortalibus impenetrabilis, & inuiſa. *Nam profundum abyſſi quis dimenſus eſt*, quis, inquam, *nouit ea, quæ in terræ penetrabilibus latent?* Cur foſſilia non vno loco omnia produci, ſed diuerſis diuerſa? Alibi enim ſaxum gigni, alibi cretam, alij rubricam: Qua via metalla gignantur, ferrum, æs, plumbum, ſtannum, argentum, & aurum? Quomodo formentur gemmæ tot colorum varietate fulgentes, & tam diuerſis præditæ virtutibus? Vndè tam variegata diuerſitas ſita in marmoreis, iaſpideis, porphiditicis, & alabaſtrinis, lapidibus? Vndè tot fontium perenni curſu ſcaturientium origo, & cum tàm diuerſo motu, & differentibus effectibus? Alij calidi, alij frigidiſſimi ſunt, qui interpellatim fluunt; quia fluxum, & refluxum maris imitantur: qui cum ſint gelidi, immerſas faces extinguunt, & extinctas accedunt; vt in Dodone: qui comburunt expanſas veſtes ſuper aquas frigidas, vt in Illyrijs: qui lignum conuertunt in petram duriſſimam: qui liquidum bitumen fundunt, & cætera: Vndè pluribus locis flammæ continuò erumpentes; præcipuè in montium ſummitatibus; qui quamuis continua ferè niue tegantur, & rigeant glacie numquam diſſoluta; tamen fumant, & ardent igne perpetuo è terrę viſceribus prorumpente, vt in Vulcano, & Veſſuuio; in quibus quale alimentum, quæ materia, quam depaſcitur?

Profundũ abyſſi

§. IV.

214 QVis pariter penetrauit profundum abyſſi Maris? In quod, vt ait Dauid pſal. 106. *qui deſcendunt in nauibus facientes operationem in aquis multis, viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* Vident quidem vniuerſi maris ſalſedinem contra naturam illius elementi, ſed cauſam non penetrant. Vident continuum fluxum, & refluxum inundantium aquarum non fortuito impetu; ſed curſu, & æſtu ordinato; & tamen cauſam aſſignare non valent. Vident fæcunditatem prorſus admirabilem; eamquè varijs locis variam; Non enim in quauis parte maris quæuis genera piſcium reperiuntur; ſed quædam in Auſtrali: quædam in Septentrionali; Et hæc cum tanta diuerſitate, vt natura in eis ludere videatur. Etenim nihil fere eſt in terra vel rerum naturalium, vel artificiatarum, quæ illa non imitetur in aquis. Mare ſuas habet ſtellas, arbores, herbas, reptilia, aues, equos, lupos, animalia, piſces volantes, & natantes; quin ſuos homines, & mulieres, tritones, & ſyrenes; imò ſuos monachos raſos, & mitratos epiſcopos, vt non ſolùm cum terra varietate, & multiplicitate contendere; ſed etiam illam ſuperare videatur. In quibus omnibus quantæ ſint innatæ virtutes, vnus teſtatur Semipedalis piſciculus Echeneis, ſeu Remora vocitatus limacæ magnę ſimilis, qui adhærendo ſolùm abſquè alio labore nauem ingentem licèt ventorum vi, curſu feratur citatiſſimo, ſtare cogit (quicquid ſentiat in contrarium Leonar. Vairus de Faſcino) vt prætoria nauis Antonij Actiaco bello experta eſt; quorum omnium cauſas neſciunt, quamuis oculis pateant. Vident denique innumerabilem ibi ſpecierum, & formarum multitudinem, quarum ſingulæ omnes partes internas, & externas decentiſſimè formatas habent. Quæ ſtructuræ elegantia non ſolùm cernitur in piſcibus; ſed in ipſis etiam teſtis, quibus Conchæ teguntur, & inuoluuntur; Harum enim pulchritudo eſt diuinæ artis ſpecimen admirabile. *Tot ibi colorum differentiæ*, ait Plinius lib. 9. cap. 33. *tot figuræ planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe ceſis, in dorſum elatis, leuibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato, tum diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, canaliculatim, pectinatim diuiſa, imbricatim vndata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expanſa, denſata, porrecta, ſinuata, breui nodo ligatis, toto latere connexis, ad plauſum apertis, ad buccinam recuruis; nitor & puritas in pleriſquè incredibilis, omnia vincens auri, & argenti metalla, niſi longiſſimo æuo non obſoleſcens.* Hactenus Plinius. Sed vndè ſit illa varietas, neſciunt; præſertim cum fiat abſque ſemine informi, & elemento ſeminales omnium rationes in ſe continente.

§. V.

AT illa omnia dæmones vident; cum prçcipuè in locis maritimis habitent, vt ait Iob c. 40. 215
loquens de Behemot ipſorum principe, quem, dicit, dormire in ſecreto calami, & locis humentibus, atquè circuudari à ſalicibus torrentis. Et Chriſtus confirmat *Lucæ* 11. cum aſſerit: *Spritum immundum ambulare per loca inaquoſa, vt quærat requiem.* Atquè ità omnia terræ, & maris profunda norunt, diuitias in mari immerſas, auri atquè argenti fodinas, vnionum, & gemmarum latibula, & theſauros abſconditos. Cum enim ſint incorporei interpoſitione corporum non impediuntur; ſed celeritate motus, & acrimonia ſenſus omnium corporalium obiectorum notitiam aſſequuntur, dum altitudinem aeris, latitudinem terræ, & profundum maris dimetiri contingit.

ARTICVLVS II.

Spiritualis.

QVidni corporalia perſpecta habeant dæmones, cum etiam ſpiritualia oculis eorum pateant. 216
Animæ, ſcilicet, quę cum ſint ſpiritus corporibus alligati à ſolutis ſpiritibus faciliùs & in ſeipſis, & ſuis operationibus agnoſcuntur? Et quidem in anima vegetante arborum, virgultorum, herbarum, florum latentes rationes, & totius formæ ſtructuram conſiderant. In ſentiente occultam fabricæ corporeæ diſpoſitionem: Cuiuſque animantis rationem ſenſuum, imaginationum, appetituum, inſtinctuum, morum, & virium omnium cum ſuis obiectis, inſtrumentis, actionibus, & peculiaribus operandi modis. In rationali non ſolùm ſtructuræ corporis, & ſenſuum rationes; ſed etiam facultates intelligendi, volendi, & recordandi, per quas totum mundum, & res omnes corporeas in ſeipſa fingit, omnibus vtitur, vel fruitur ad ſuum commodum; omnes retinet; & cum opus eſt, in vſum profert. Inſuper eius operationes etiamſi occultæ ſint, & ſpirituales, à dæmonibus facile conſpiciuntur, quia vt cenſent Scotus in 2. d. 9. q. 2. ad 1. & in 4. d. 10. q. 9. ad 3. Durandus, & Ocham, ſpiritus ſpiritualia queunt agnoſcere, vt ſunt cogitationes, & affectiones cordis; ſed eo modo, quo mox explicabitur.

Anima patet dæmonibus in operationibus Vegetatiuis, Senſitiuis, Rationalibus.

Vt ſunt Cogitationes, & Affectiones.

Verum

§. I.

217 VErum namque eſt, Deum eſſe ſcrutatorem cordium, vt ſacræ inculcant ſcripturæ Ieremię 7. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* 1.Paralipom.cap.28. *Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit.* 3.Reg.8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Pſal.43. *Nonne Deus requiret iſta? ipſe nouit abſcondita cordis.* Iob.4.2. *Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.* Matthæi 9. *Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum.* Actuum 1. *Tu Domine, qui corda noſti omnium.* Roman.8. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret ſpiritus.* Et Hebræorum 4. *Diſcretor eſt cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius.* Immò fatemur, hoc illi ſoli conuenire præcipuè quatuor de cauſis. 1. quia ipſe ſolus eas vniuerſaliter, & ſimul expedibiliter nouit: 2. Solus cognoſcit eas vt Iudex: 3. Soli cognoſcere competit ex propria perfectione: 4. Soli ſibi ipſi vſque ad vniuerſale iudicium eorũ reſeruat cognitionem. Et ideò Angelos, & dęmones naturaliter non poſſe directè cognoſcere cogitationes, & affectiones, quæ à voluntatis libertate dependent, prout ſolis intellectus, & voluntatis terminis continentur. Quia ſicut Deus voluntati creaturæ rationalis largitus eſt dominium, cui nulla potentia præſidet niſi diuina; ſic eius cognitioni dedit conſcientiæ ſecretum, cuius profunda non penetrat, niſi diuina ſapientia. Quod docent plures ex Patribus. Aug. *lib. de Eccleſiaſt.dogm.cap.*80. *& lib.*2.*Retract. cap.*30. Hieron. *in* 9. *Matth.* Ambroſ.*in* 1. *ad Cor. c.*2. *& lib.*1.*de off.c.*14. Chryſoſt. *lib.*1.*c.*19. S. Cyrillus Alex. *lib.*2.*in Ioan.c.*19. D.Bonau.*in* 2.*d.*8. & communiter Theologi.

Deus ſolus cognoſcit cogitationes cordis. Quatuor modis.

§. II.

218 ATtamen in hoc cõueniunt, Angelos aliquo modo cognoſcere: aliquo modo non cognoſcere cogitationes, & affectiones illas, quamuis in aſſignando modo varijs concertent inter ſe altercationibus, quibus omiſſis, aſſerimus: Illos viribus naturæ de facto non cognoſcere futuras cogitationes; neq. præſentes quoad omnes earum circunſtantias: neq. quoad reſpectum ſingularem, quem habent ad obiecta ſingularia: neque quantùm ad affirmationem, & negationem; vtrum aſſentiant, vel diſſentiant: & in quem finem dirigantur: neque liberas prout ſunt in intellectu, & voluntate. Tamen poſſe venire in earum notitiam prout ſunt in effectu, vel interno, vel externo; Nam per actum, & effectum externum, vt per locutionem, & operationem, ſigna faciei, & immutationem vultus; prætereà per actum interiorem; nempè, motus phantaſiæ, & appetitus, qui exurgunt in parte inferiori animæ abſque voluntatis deliberatione non ſolùm Angeli boni, & mali; ſed etiam homines poſſunt volita, & cogitata cognoſcere. Sicut peritus Medicus, ait S.Bon.loc.cit. ex pulſu, & vultu nouit animi habitudines: vt hominem morti eſſe propinquum, triſtari, amare, alijſquè paſſionibus agitari. Quarè vtroquè modo indirectè illa cognoſcunt ſcientia non certa; ſed coniecturali: vt idem Auguſt.docet lib.2.de Geneſ.ad lit.c.17.& lib.de Diuinat.c.5. *Dæmones*, ait, *aliquando hominum diſpoſitiones non ſolùm voce prolatas; verùm etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quadam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcunt.* Idipſum tradit D.Hieron. in cap.15. Matth. explicans illa verba: *De corde exeunt cogitationes &c. Non debemus*, inquit, *opinari Dæmonem occulta cordis rimari, ſed ex corporis habitu, & geſtibus æſtimare quid verſemur intrinſecùs.*

Angeli, & dæmones directè eas non cognoſcũt.

Indirectè cognoſcunt.

More Medicorum in corporibus. Ipſi in ſpiritualibus ferè omnia norunt.

§. III.

SEd inhærendo comparationi à Seraphico Doctore allatæ addere poſſumus, quòd ſicut ſolent Medici tribus potiſſimùm ſignis ægritudinem interiorem corporis deprehendere, Dignoſticis, Cognoſticis, & Prognoſticis. Prognoſticis cognoſcunt futura, vt ex diuerſis anteceſſionibus febrem obuenturam. Dignoſticis latentia ſub cute vlcera, & vitia in intimo pectore exiſtentia: Cognoſticis ea, quę iam paſſus eſt æger ex diuerſis corporum diſpoſitionibus. Sic & dæmones cum acutiore mentis acie polleant, ex ſignis antecedentibus, concomitantibus, & ſubſequentibus deprehendunt penè omnia, quę verſantur in intellectu. Cum enim intellectus humanus ità ſtrictè in hac vita ſit ſenſibus alligatus, vt nihil ſinè illis poſſit intelligere; vixquè quicquam cogitare, quin fiat aliqua mutatio in ſenſu ſaltem interiori: Et voluntas ſic appetitui coniuncta, vt eius operationes in eum redundent coniunctione quaſi inſeparabili; dæmones, qui rimantur omnes nutus noſtros, omnes phantaſmatis, & imaginationis ſpecies, omnia ſpectra memoriæ, omnes motus appetitus, indè poſſunt experiri, quæ recipimus, quæquè reſpuimus. Antecedentia ſaltem cognoſcunt ex hominis phantaſmate. Subſequentia ex memoria, ſeù reminiſcentia ſenſitiua, aut aliquo alio nutu. Concomitantia autem, ſeù præſentia licet non poſſint ex viuacitate intellectus comperire; ex affectibus tamen, aut ſignis affectus conantur perſcrutari. Quod ſępè aſſequuntur propter ſubtilem, & acutam intellectus notitiam, quo clarè colligationes ſenſus, & intellectus; atq. appetitus, & voluntatis in cogitationibus, & affectionibus efformandis agnoſcunt. Quamuis ſæpiſſimè non veniant in talem cognitionem cogitationũ, vel quia ſpeciali Dei prouidentia eis occultantur: vel quia ipſi ex inadeuertentia eas non obſeruant: vel quia inuidia, ira, & malitia obcæcantur, vt non videant quæ aliàs videre poſſent. *Obſcurent illos tenebræ, & vmbra mortis*, ait Iob. 3. Quę tenebrę nihil aliud ſunt, quàm ignorantia ſecundum Gregor.4. *Moral.c.*10. & vmbra mortis, quàm obliuio. 219

Ex Antecedentibus. Concomitantibus Subſequentibus.

Propter colligationem Intellectus, & imaginationis. Voluntatis, & appetitus.

Si nõ cognoſcũt, procedit Ex diuina volũtate. Inadertentia. Excecatione.

SECTIO III.

Futuri.

VLteriùs adhuc progreditur dæmonis intellectiua facultas. Non enim ſolùm ad præterita, & præſentia ſe extendit; ſed etiam ad futura; In quibus prædicendis ab initio totus fuit. Hinc tot in orbe oracula futurorum prænuncia, quæ ab illo edebantur. Aliquandò per idolorum Sacerdotes, vates, aruſpices, & cæteros idolorum miniſtros inſigniter magia imbutos. Aliàs per mulieres pythonico ſpiritu afflatas, & horribili commotas agitatione, quando ex obſcura aliqua ſcrobe per loca pudenda, & fætida reſponſa dabant. Sæpè per ſtatuas, tripodes, quercus, vlmos, & arbores fatidicas Dijs conſecratas, ex quibus voces prodibant humanæ ſimiles: vt dodonea quercus apud Antiquos famoſa teſtatur. Sed illa, communiter Falſa: aliquando Vera: vt ſequentibus articulis demonſtrabitur. 220

Diabolus totus fuit ab initio in futuris prædicẽdis varijs modis. Ex quibus Communiter falſa. Aliquãdo vera prędicebat.

ARTICVLVS I.

Falſi.

221 FAlſitas, & ambiguitas oraculorum, prophetiarum, & prædictionum, quæ à demone fiunt, experimento comprobata eſt in nobiliſſimo, & clariſſimo apud Græcos futurorum præcone Apolline Delphico, quem in ſuis diuinationibus ſæpiſsimè mentitum fuiſſe, fatetur Porphirius lib. de oraculis. *Exquiſitam*, ait, *futurorum cognitionem non hominibus modò; ſed multis etiam Deorum incomprehenſibilem eſſe. Vndè interrogati mentiuntur nonnumquã, ſed non ſpontè; ſolent enim præmonere, ſe tunc vera reſpondere non poſſe; homines tamen ex amentia perſeuerant vrgere, & cogere eos, vt reſpondeant.* Deindè concludit: *Manifeſtum*, inquit, *iam fecimus, vndè falſitas ad Deorum oracula ſubrepat.* Hæc ex Porphirio Euſebius *lib. 6. de præpar. euang. cap.* 4. qui *lib.* 5. *c.* 10. refert, Oenomaum quendam apud Græcos tum philoſophia, tum eloquentia nobilem reſponſis Apollinis ſæpè deluſum diligenter collegiſſe quàm plurima eius oracula; eaquè vt vana, futilia, & falſa confutaſſe.

Falſitas oraculorum ipſis Ethnicis comprobata.

Ambiguitas verò ſentiebatur, cum res ipſi erat nõ cum ignaris, & ſimplicibus, quibus audacter, & palam mentiebatur; ſed cum prudentioribus, & doctioribus, qui fucum facilè deprehendere poterant. Nam tum exili ſono ità perplexè, obſcurè, & ambiguè reſpondebat, vt, aut vix intelligeretur; aut in vtramque partem reſponſa interpretari poterant; atque ità quomodocunquè res accideret, laudem conſequebatur, ſi pro conſultoris voto; ſi in contra, prætexebat ignorantiam, atque ſtuporem interrogãtis, qui mentem reſpondentis non intellexerat; vt patet in reſponſo Cræſo Regi reddito:

Ambiguitas in reſpõſis ordinaria.

Perdet Cræſus Halym tranſgreſſus maxima regna.

Per quod ſiuè vinceret, ſiuè victus eſſet, ſemper veritatem dixiſſe videbatur.

§. I.

222 RAtio ipſius falſitatis, & ambiguitatis, quæ adhuc in ſuis prædictionibus maleficis ſemper obſeruatur, eſt dęmonum ignorantia, qui etſi poſsint præuidere, & præſcire futura, quæ ex cauſis neceſſarijs oriuntur; non tamen contingentia, quæ cauſam habent indeterminatam. Et quidem non eſt ambigendum, vt eruditè docet D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 7. *q.* 4. quin futura illa, quæ habent cauſam determinatam, & infallibilem ad eorum eſſe producendum, certitudinaliter agnoſcant. ver. gr. Cælorum motus, planetarum ortus, & occaſus, Solis, & Lunæ eclypſes, in quibus eſt determinato, & omnis impedimenti remotio. Cum enim huiuſmodi futura habeant in ſuis cauſis neceſſariò determinatis eſſe determinatum, infallibile, & neceſſarium, neceſſariò ab eis cognoſci poſſunt iuxta Philoſophum 2. Metaph. *Sicut res ſe habet ad eſſe, ità ad cognoſci.* Nam ſi hæc norunt homines ingenij acumine, & ſolertia illis inferiores, quid ſpiritus illi clariorem, & certiorem nacti cauſarum notitiam? Quòd ſi futura illa habent cauſam, vt plurimum determinatam, & infallibilem; ſed fallibilem aliquoties ob multiplex impedimentum, quod eis accidere poteſt, illa etiam cognoſcunt quatenus rerum ſuperiorum, & inferiorum naturas apprimè callent; non tamen certitudinaliter, ſicut priora. Sed neque de vtriſque certam omnimodè habent ſciẽtiam, ſi comparentur ad cauſam ſuperiorem, Prouidentiam, nempè, diuinam; quia ignorant, an cauſæ talium futurorum ſint à ſuperiore impediendæ, vt de facto contigit temporibus Ioſue, Ezechiæ, & Chriſti Domini, cum ſol ſtetit, retroceſsit, & obſcuratus eſt.

Ratio falſitatis, & ambiguitatis ignorantia futurorum. Futura cõtingẽtia cognoſcunt. Alia certitudinaliter.

Alia minus certè.

§. II.

AT futura contingentia, quæ cauſam habent indeterminatam, & fallibilem, certitudinaliter præſcire non poſſunt: vt ſunt omnia, quæ dependent à voluntate humana, quæ indeterminata, & fallibilis eſt. Indeterminata, quia poteſt moueri ad oppoſita: Fallibilis, quia volenti aliquid perficere, multa poſſunt occurrere impedimenta. Quare non datur eis in earum cognitionem certam deuenire; immò ne ipſis quidem beatis mentibus, & ſpiritibus angelicis, qui liquidò cernunt, & clariſſimè vident Deum; poſſidentque perfectiſſimam cunctarum rerum naturalium ſcientiam. Nam certò ſcire futura non queunt, niſi in Deo; vel per Deũ. In Deo, qui cum ſit ſpeculum voluntarium ea manifeſtat illis prout vult. Per Deum verò reuelantem, & ſingularem notitiam impertientem pro libito ſuę voluntatis. Ratio huius rei eſt, quia cognitio creaturæ pendet ex re; quando igitur res incerta eſt, & in ſe, & in ſua cauſa, creatura non poteſt eam certitudinaliter noſſe, aut præſcire. Diuina autem cognitio non pendet ex re; ſed omnia, quæ nouit, ſecundùm modum ſuæ veritatis nouit. Et quia veritas eius eſt certiſſima, certiſſimè cognoſcit futura contingentia; Et ſicut certiſſimè nouit, certiſſimè poteſt illa reuelare. Ideòque hæc præcognitio futurorum vel Dei eſt, vel à Deo. Quam veritatem prꝫter mox citandos Patres, Gentiles ipſi fatentur: vt Xenophon *lib.* 4. *de Dict. & fact. Socrat.* Apollonius Thyanæus *in Orat. ad Domitianum.* Iulianus Apoſtata *apud Amnianum lib.* 5. Pacuuius, & Phaorinus *apud Aulum Gellium lib.* 14. *c.* 5. qui docent, cogitationes ſoli Diuinæ Naturæ perſpectas cæteros latere. 223

Alia coniecturaliter.

§. III.

QVòd ſi illa, quæ ex humani arbitrij libertate dependent, cognitionem dæmonum fugiunt, quantò magis ea, quæ abſolutè pendent ex diuina voluntate; cuiuſmodi ſunt ſupernaturalia myſteria, nec non gubernationes Regnorum, mutationes rerum publicarum, & Principum conſilia, quorum corda, cum in manu eius ſint, commutat vt lubet. Sicut enim ea, quæ ſunt in homine, nemo videt niſi ſpiritus hominis; ſic nequè ea, quæ Dei ſunt, niſi ſpiritus Dei; vel cui voluerit Deus reuelare, vt ait D. Paul. 1. *Corinth.* 2. Teſtantur Patres, Athanaſ. *in lib. quæſt. Sacræ Script. ad Anthiorum principem q.* 27. Damaſcen. *lib.* 2. *fidei orthod. cap.* 4. *& lib.* 3. *cap.* 16. Origen. *lib.* 4. *Periarc. cap.* 2. Tertull. *lib. Apolog. contra gent.* D. Auguſt. *lib. de Diuinat. dæmonum, & lib.* 2. *ſuper Geneſ. cap.* 17. *& lib.* 5. *&* 9. *de Ciuit. Dei.* B. Iſidorus *lib. de ſummo Bono cap.* 12. B. Gregor. *lib.* 28. *Moral. cap.* 6. & S. Thomas *lib.* 3. *contra gentes c.* 154. *& q.* 16. *de malo a.* 7. ac Theologi omnes in 2.

ARTICVLVS II.

Veri.

224 INter tot falſa, quæ dæmon effutit circa futura contingentia, ſi aliqua vera prænunciat, non prouenit ex aliqua cognitione, quam de illis habeat, cum in ſolo Deo reperiatur, aut in ijs, qui ab illo ſunt edocti, & inſpirati; ſed ex pluribus alijs cauſis.

Si vera aliquãdo dæmones prænunciãt Hoc prouenit Ex reuelatione prophetarum.

Aliquãdo ex vaticinijs Prophetarum, & à reuelationibus factis Sanctis Dei futura diuinat, & pręſcit. Cum enim accuratiùs perpendat, quid vaticinia illa prædicunt, & prædicant, ex veris ſæpè futura callet, non cognitione propria, ſed ſuffurata, vt loquitur Tertullianus *in Apologetico cap. 22. Diſputationes*, inquit, *etiam Dei, & nunc Prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus reſonantibus carpunt. Ità & hinc ſumentes quaſdam temporũ ſortes æmulantur diuinitatem, dum furantur diuinationem.* Hoc pacto tàm multa de fidei arcanis, Chriſti ortu, & miraculis, idolatriæ euerſione, & ſimilibus olim prędixere Poetæ, & Philoſophi, vel quia libros Prophetarum legerant: vel quia ab illorum doctrina, miniſterio dæmonum futura præcognouerant.

§. I.

225 ALias ex reuelatione particulari ipſi facta per Angelos, vt docent Auguſt. *lib. de Diuin. dæmon. cap. 6.* Iſidorus *lib. 2. de Summo bono cap. 12.* & S. Bernardinus *lib. 1. ſerm. 10. de idolatriæ cultu*. Iuſto enim iudicio permittitur aliquid ſcire, quod poteſt alijs manifeſtare, antequam illud executioni demandet. Nam hac ſæpè doloſa cautela vtitur, vt ante prædicat, tale quid euenturum, quod antea ſe facturum propoſuit. Sic poterat prædicere, filios Iob certa die perituros, decipiendum Achab, Exercitum eius profligandum, peſtem ceſſaturam, morbum, aliaquè mala, quæ Deo permittente, & ipſo efficiente regnis, prouincijs, ciuitatibus, & hominibus accidere ſolent.

Ex reuelatione facta per Angelos

Aliquoties ex aliena doctrina, nempè, ex Clandeſtinis Concilijs, verbis, ſcriptis, & ſignis huiuſmodi; ſicut ex pręparatione cauſarum, aliarumquè rerum, quæ ad gerendum aliquid debent concurrere; ex quibus tum publicas, tum priuatas hominum deliberationes non ſolùm præſentes; ſed etiam futuras ſolertiſſimè coniectando addiſcere poteſt, tùm alijs reuelare. Et ſic conſueuit ob incomparabilem ſui motus celeritatem, quæ in longinquis locis; remotiſquè regionibus geruntur, ea referre ijs, qui longiſſimè abſunt: vt Apollonio Thyanæo, cui Epheſi prædicanti mortem Domitiani annunciauit ea ipſa hora, qua Imperator ille necabatur. Quarè exclamando: *Percute tyrannum*, ſtatim populo propalaut, à quo fatidicus reputatus eſt.

Ex aliena doctrina.

Sæpè ex acumine intellectus, quando conſiderat, ad quid affectio inclinetur humana; vel quę ſint illam impellentia, aut retrahentia. Optimè enim nouit appetitus ſenſitiui diſpoſitionem, & cauſas, quæ illam inducere poſſunt. Hinc eſt, quòd vera ſæpiùs de actibus humanis pręnunciat, eò quòd voluntas ſecundùm dictam diſpoſitionem mouetur; & plures ſint, qui illius inordinatos motus ſequuntur, quàm qui reſiſtant. Adde, quod ex externis operibus intelligit, quæ ſit interior diſpoſitio iuxta illud Chriſti Domini *Matthæi 7 A fructibus eorum cognoſcetis eos*; atquè ita ex ſignis, quæ tàm interiùs, quàm exteriùs apparent, occultas hominum cogitationes tum præſentes, tum futuras conijciendo perſpectas habet.

Ex acumine intellectus

§. II.

SÆpiſſimè ex multa experientia tot millium annorum incredibili mentis ſolertia, & perfecta rerum omniũ naturalium abſolutaquè ſcientia, quæ eum ad præſcienda, & prænoſcenda futura callidiſſimum, & ſagaciſſimum faciunt. 226

Ex lõgo, & multa experientia.

In his tamen omnibus aliquando hallucinatur; quia Deus multa ſolet agere præter communem naturæ ordinem, & generalem, ordinariamquè prouidentiam. Dæmon ipſe exequi non poteſt, prohibente, & impediente Deo ea, quæ ante facere conſtituerat, vt latè oſtenſum eſt ſupra *d. 1. n. 97.* Homo facit, quàm antea facere cogitauerat, facturuſquè erat ſuo ingenio, & arbitratu: vel diuinitùs gratia Dei incitatus: vel ſeipſo permotus, & ſuo inuitatus arbitrio, quod, cum liberum mutabile, & flexibile ſit ad omnia, nonnunquam extraordinaria quadam ratione operatur.

In his tamen ſæpè hallucinantur coniectãdo.

Nec tamen ceſſat, futura prædicere, & mendacibus reſponſis homines dementare verſipellis ille veterator.

Non tamen ceſſat prędicere futura etiã mentiendo.

Primò, vt ſibi arroget quandam diuinitatis ſpeciem, vt docet S. Bernadinus *loco cit. de idol. cult.* Tale enim eſt ſuperbi illius ſpiritus genium, in omnibus Dei æmulum ſe præbere; præcipuè, vt ait Tertullianus *in Apolog. loco cit. n. 55.* cum diuinandi munus aſſumit; quia præcognitio futurorum ſolius Dei eſt, qui omnia videt in ſua æternitate, quæ, cum ſit ſimplex, toti tempori coexiſtit, & ipſum concludit; ideòque vnico intuitu fertur in præterita, præſentia, & futura tanquam præſentia. Quarè cũ dæmon futura nititur prædicere; tunc verè diuinam ſectatur ſimilitudinem; & quærit Deus reputari: ita Iſaiæ 41. *Annunciate, quę ventura ſunt in futurum & ſciemus, quia Dij eſtis vos.*

Vt ſibi arroget quandã deitatis ſpeciem.

§. III.

SEcundò ad infirmandum prophetarum fortiſſimũ teſtimonium, ex quibus chriſtianæ fidei veritas comprobatur. Nam prophetia, quæ eſt futurorum à libertate arbitrij pendentium prædictio, manifeſtum eſt ſignum diuinitatis. Quarè non poterat meliùs illa veritas comprobari, quàm per Prophetas, qui ſuis prędictionibus myſteria longo tempore antequam fierent, Orbi manifeſtarunt. Non enim poterant ſeipſis ad illorum peruenire cognitionem, quæ omnem mortalium facultatem longè excedit, & vim intelligendi infinitam poſtulat; ſed inſpiratione mentis illius infinitæ, cui vi propria hæc prę-notio competit; vt teſtatur Petrus epiſt. 2. cap. 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* Vndè tot diuinitatis teſtimonijs illa fides ſtabilita eſt, quot prophetiæ eius myſteria annunciantes in vtraque lege naturali, & ſcripta præceſſere. Ideòque teſtimonia illa irritare volens dæmon, & ipſe prædicere futura conatur, vt diabolica, & falſa prophetia diuinam, & veram aut omninò deſtruat: aut dubiam reddat. 227

Infirmet teſtimonia Prophetarũ.

Tertio

§. IV.

Capiat, & decipiat faciliùs curioſos.

228 TErtiò ad capiendas curioſorum animas, qui maximè expetunt, futura prænoſcere, vt colligitur ex D. Iuſtino *in Apolog. contra Gentes*, & Auguſtino *lib. 4. de Trinit. cap. 17.* Sunt enim multi nouarum, & innouatarum rerum, atquè adeò incomprehenſibilium auidiſſimi, quibus non tàm cordi eſt, vera noſſe, quàm videri vulgo ea ſcire, quæ ſummi Philoſophiæ Antiſtites neſcire ſe confitentur. Vndè ad intelligendum hebetes, & infirmi ad iudicandum ſe facilè credulos exhibent dæmoniacis prædictionibus, præcipuè cum ea audiunt, quæ audire volunt, atquè ideò à dæmone faciliùs capiuntur, & decipiuntur; quia ſeipſos in laqueos præcipites dant, à quibus ſe liberare nec poſſunt, nec volunt; quia placent, & delectant; vt verè dicatur à S. Cypriano tract. 4. de Vanitate Idolorum: *Nequiſſimi ſpiritus*, inquit, *ſub ſtatuis, & imaginibus conſecratis deliteſcunt. Hi afflatu ſuo Vatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper inuoluunt; vt ad cultum ſui cogant: Nec aliud illis ſtudium eſt, quàm à Deo homines auocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ Religionis auertere; cum ſint ipſi pœnales, quærere ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum fecerint errore participes.*

Concluſio primæ partis.

SI ergo dæmon triplici ſcientiæ acumine viget, 229
quæ tripliciter extenditur ad omnia præterita, præſentia, & futura, quid non poterit in adinueniendis maleficijs, & varijs artibus, quibus innumera inducit mala? Cũ enim perſpicaciſſimè agnoſcat cælorum motus, ſtellarum influentias, planetarum coniunctiones, elementorum mixtiones, virtutes lapidum, operationes metallorum, qualitates mixtorum, herbarum vires, animalium proprietates, hominum temperamenta, occultas, & admirandas rerum omnium facultates, eorumquè inter ſe ſympathiam, vel anthipatiam: Inſuper quomodo inuicem applicari, & temperari debeant: Quo tempore opus ſit ad tempeſtiuè operandum: Quid prætenſos effectus impedire, retardare, vel iuuare poſſit: Prætereà ſeligere materiam, cui naturalis inſit facultas alterandi, frigefaciendi, calefaciendi, nec non aperiendi, obſtruendi, diuidendi, trahendi, euacuandi, & vrendi: Deniquè quid mixtis, plantis, animantibus, hominibus obeſſe, vel prodeſſe poſſit, & alterationes, morbos, cruciatus, mortem ipſam, aut alia quæuis nocumenta inferre, quid mirum, ſi ſpiritus tàm ſagax, & ſubtilis in maleficiorum inuentionibus tot, tanta, & tàm mira operatur, quæ ſequenti parte videbimus.

PARTIS SECVNDÆ

De Dæmonum potentia in exequendis Maleficijs.

SVMMARIA.

DAEMONES ſicut ſcientia, ita & potentia Hominibus eminent. 230.
Potentia magna pollent, vt probatur ex Iob, D. Gregorio, & Gloſſa.
Hac poteſtate miros producunt effectus: alios veros mediatè, vel immediatè: alios apparentes.
Vtroque modo ſua exequuntur maleficia in omnes creaturas Infimas, Medias, & Superas: vt tribus Capitibus palam fiet.

Caput I. In Creaturas infimas.

Reſpectu noſtrorum corporum æqualis eſt poteſtas naturalis Angelorũ, & Dæmonum: quia vtriſque materia inferior ſubiecta eſt ſecundùm ordinis exigentiam: vt docet Auguſt. lib. 83. qq. lib. de Gen. ad lit. & lib. 2. de Trinit. 231.
Ideò per illam potentiam vel realem, vel apparentem multa poſſunt facere in creatura, quæ habet vel eſſe Simplex: vel Vegetatiuum: vel Senſitiuum: vt tribus Sectionibus explicabitur.

Sectio I. Exiſtentes.

Quid non poſſunt in eis vel per motum localem, vel per alterationem, & applicationem cauſarum. 232.
Quid poſſint in Elementa, & Mixta duobus articulis declaratur.

Articulus I. Elementa.

Sicut intelligentiæ immediatè mouent orbes cæleſtes: Sic Dæmones elementa, ſcilicet, Ignem, Aerem, Aquam, & Terram, in quibus mira operantur. 234.

Articulus II. Mixta.

Per applicationem cauſarum naturalium Dæmones aliorum agentium actiones poſſunt impedire indirectè, vel per cauſam contrariam, vel per motum aeris: ac producere, vt patet in transmutatione metallorum. 238.
An Chymica operatio aurum verum producere poſſit. 239.
Quæ ſint operationes in Elementis, & Mixtis. 242

Sectio II. Vegetantes.

In Vegetantibus mira producunt Dæmones duobus modis: nempè Realiter, & Apparenter: vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 243.

Articulus I. Reales.

Realiter varia operantur; ſed hoc modo vel illa perdunt, vel tranſmutant, vel producunt. 244.

Articulus II. Apparentes.

Effectus apparentes producunt tribuendo vel eſſe, vel motum; vel loquelam. 248.

Sectio III. Sentientes.

Horum præſtigioſam formam induunt variam: cum Homines Sanctos tentare volunt; vt Eremitas; Vel apparent in cætu Magorum, & Maleficorum. 249.
Alias vitæ in eis operationes edunt ſiuè in Imperfectas, ſiuè in Perfectas, vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Imperfectas.

Imperfecta ſententia producere poſſunt.
Hinc ſæpè procedunt tot inſecta producta per applicationem, vel deducta per motum localem. Tot reptilia, vt ſerpentes miræ magnitudinis, ac monſtra horrida. 250.

Articulus II. Perfectas.

Per applicationem non poſſunt eas producere. 252.
Per motum localem poſſunt eas deferre, mouere, educere, retinere, velocitatem præſtare, membra diſcerpere, & præcipitare. Non poſſunt tamen veram loquelam, aut intelligentiam tribuere.

Caput II. In Creaturas medias.

Homo eſt medium creaturarum in ſpiritou ſecundùm potentias; in Anima ſecundùm facultates; in corpore ſecundùm membra.
Spiritu accedit ad Angelos: Corpore accedit ad Bruta. 257.
Anima ab vtriſque participat.
Dæmon in eum habet duplicem poteſtatem, ſcilicet naturalem, & moralem: Secundùm quam maleficijs

leficijs tentat multa in Spiritum, in Animam, & in Corpus: vt tribus ſect. patefiet.

Sectio I. In Spiritum.

Deus ſolus poteſt in animam illabi illapſu generali, & ſpeciali. 258.
Dæmon non poteſt in animam illabi, vt Deus.
Nec eſſe in corpore vt anima. 259.
Poteſt tamen intellectum illuſtrare mouendo cogitationes: mouere voluntatē excitando affectus: iuuare memoriam per motum ſpecierum, vt tribus articulis palam fiet.

Articulus I. In Intellectum.

In intellectum cogitationes immittit Deus, vt cauſa principalis, Dæmon verò vt excitans. 260.
Dæmonis eſt officium prauas immittere cogitationes duplici via, videlicet per ſenſum, & per appetitum. Varij caſus referuntur. 261.
Neutro modo poteſt impellere ad cogitationes prauas. 264.
An poſſit immittere ſcientiam, declaratur.

Articulus II. In Voluntatem.

Non poteſt Dæmon illam mouere, vt principium intrinſecum, ſed vt principium extrinſecū. 268.
Poteſt voluntatis affectus mouere tripliciter, videlicet, per illecebras affectus ſenſitiui: per immiſſionem cogitationum, & per boni delectabilis obiectionem.
Non tamen ei neceſſitatem imponere poteſt, cum ſemper libera maneat. 269.

Articulus III. In Memoriam.

Poteſt Dæmon memoriam iuuare, ac debilitare. 270.
Si ergo non poteſt illabi animæ, ſufficienter in eius potentijs operari non poteſt, nec ad peccatum impellere reluctantes.

Sectio II. In Animam.

Quæ eſt pars inferior continens virtutes duas, videlicet Vegetatiuam vnam, cuius facultates ſunt nutrire, augere, ac generare. 272.
Aliam ſenſitiuam exteriorem, cuius ſunt quinque ſenſus: & interiorem, cuius ſunt quinque facultates.
In vtraque operatur Dæmon, vt duobus articulis explicatur.

Articulus I. Vegetatiuam.

Potentias vegetatiuas Dæmon vel impedit, vel iuuat, vt vult: vel ſibi promittitur.
Nutritiuam vel impedit multis modis, ſed præcipuè ſoluendo ſtomachum, vndè procedunt morbi, vel caninam famem immittendo.
Vel aliquando iuuat multipliciter; ſed præcipuè duobus modis: videlicet tollendo ſuperfluitates à ſtomacho, vel chylum bonum faciendo. 274.
Vel tandem conſeruat perſonam, ita vt homo ſine cibo viuat; quod duobus modis facit.
Augmentatiuam item iuuat, & impedit; ita vt naſcantur vel Gigantes, vel Pygmæi. Siuè in copula viri, & mulieris; ſiuè Dæmonis incubi, vel ſuccubi. 276.
Generatiuam rarò iuuat, ſæpè impedit.
Interuenit in copula humana etiam licita varijs modis impediendo, in his præcipuè, qui ſunt libidinoſi. 277.
Habet copulam cum hominibus vt ſuccubus: cum mulieribus, vt incubus, ac filij ex illa copula naſci poſſunt. 279.

Articulus I. Senſitiuam.

Operatur Dæmon in eius potentijs apprehenſiuis, & appetitiuis.
In apprehenſiuis tum exterioribus, tum interioribus ſiuè vigilantium, ſiuè dormientium; ſiuè extaſim, & ſoporem patientium. 283.
In appetitiuis Dæmon excitat paſſiones in vtroque appetitu, ſcilicet Concupiſcibili, & Iraſcibili. 288.

Sectio III. In Corpora.

Dæmon in corpora ſæuit interiùs, & exteriùs varijs modis, qui ad decem prædicamenta reuocantur. 289.

Articulus I. Quoad Subſtantiam.

Dæmon dicitur tranſmutare homines in bruta. 290
Quæ tranſmutatio verè fieri videtur, quia tranſmutati vt beſtiæ apparent, operantur, & patiuntur. 291.
Attamen impoſſibilis eſt tum ex parte tranſmutantis, tum ex parte tranſmutati. Quare quæ apparet præſtigioſa eſt.
Adducitur opinio Menghi circa vulnera Sagis inflicta, cum non adſunt, ac ratione confutatur. 296.

Articulus II. Quoad Quantitatem.

Circa quantitatem Dæmon facit, vt idem corpus in duobus locis eodem tempore appareat, & corpus vnum aliud penetrare videatur.
Sed vtrumque præſtigioſum eſſe probatur. 299.

Articulus III. Quoad Qualitatem.

Alterationes varias Dæmon efficit in corpore, qualitas

litates vel amouendo, vel introducendo, quæ ſunt innumeræ; ſed ad ſolos morbos reuocantur, quæ cauſat ſeptem modis, ſcilicet,
Phantaſiæ faſcinatione.
Permutatione humorum. 301.
Virium diſſolutione.
Organorum corruptione. 302.
Contractione membrorum.
Impulſu in varia pericula. 303.
Morte ipſa.

Articulus IV. Quoad Relationem.

Extraordinariam poteſt dæmon facere relationem, per quam homo ſibi, & alijs ſimilis, & diſſimilis ſit. Seni iuuentam reddendo. 304.
Hoc natura, & ars poſſunt; ideò poteſt & dæmon.
Exemplo lepido probatur de Fauſtiniano patre S. Clementis Papæ quoad figurã apparenter transmutato in Simonem Magum.

Articulus V. Quoad Actionem.

Multiplex eſt dæmonis operatio in corporibus; ſed præcipuè eſt poſſeſſio in Energumenis; in quibus inſunt, & operantur. 307.
Qualis ſit illa exiſtentia, & operatio; & quàm admirabilis.

Articulus VI. Quoad Paſſionem.

Tot paſſiones fiunt in corpore ope Dæmonis, quot actiones; ſed maius aliquid in paſſione: dum ex paſſibili viuente, vel mortuo reddit impaſſibili. 311.

Articulus VII. Quoad Vbi.

Dæmon transfert corpora de loco ad locum. 313.
Vel ſpiritualiter, ſeu phantaſticè; cuius phantaſticæ tranſlationis modus aſſignatur à Mengo; ſed refellitur ratione ſumpta ab ipſius phantaſiæ definitione. 316.
Vel verè, ac Realiter. Quam translationem realem probant Pontifices, Patres, Theologi, Iuriſperiti, Medici, Scriptores, Magi, Malefici, Sagæ, Curioſi maleficorum imitatores, Conuentuum Magorum Spectatores, Deducti, ac derelicti à Dæmone, Menſæ, ac Supellectiles inuentæ, Clamores, & Soni auditi. 321.
Obſtare videtur cap. Epiſcopi 26.q.5. 325.
Soluitur obiectio.
Repugnare videtur quidã modernus Auctor. 326.
Eius poſitio improbatur ratione, & auctoritate. 327.
Excuſatur aliquo modo: & auctoritates eius explicantur. 330.

Articulus VIII. Quoad Situm.

Cum Dæmones poſſint corpora mouere, dare etiam poſſunt ſitum ad libitum vel naturalem, vt ſtet, ſedeat, cubet: Vel non naturalem affectis certo modo partibus ſiue in ordine ad locum, vt niti cum manibus: & pedes in cælum verſos habere. 334.
Siuè in ordine inter ſe, vt caput in pectore habere.
Vtrumque vt plurimùm præſtigioſè.
Et in membro: vt membra mutare genitalia, & ſic ſexum tranſmutare. Exemplum modernum adducitur. 335.

Articulus IX. Quoad Quando.

Poſſunt facere Dæmones, vt quæ non ſunt amplius incipiant eſſe. 336.
Quod faciunt in animantibus imperfectis, & perfectis: & in Hominibus mortuis.
Aliquandò præſtigioſè: aliquando verè. Et quomodo. 337.

Articulus X. Quoad Habitum.

Dæmones corporibus habitum dant, cum illa faciunt viſibilia variè. Tollunt verò, cum illa faciunt inuiſibilia. 338.

Caput III. In Creaturas ſuperas.

Superbia eorum, qui Deum oderunt, aſcendit ſemper. 340.
Hoc patet in Dæmonibus, qui poteſtatem ſuam exercere tentant nedum in creaturas infimas, & medias, ſed etiam in ſuperas ſiuè Beatas: ſiuè Patientes: ſiuè Damnatas; videlicet Paradiſi, Purgatorij, & Inferni; vt tribus ſectionibus explicabimus.

Sectio I. Beatas.

Beati alij ſunt Angeli: alij Sancti. 341.
Occaſione ſuſcitationis Samuelis quæritur.
An aliquid poſſint Dæmones ſuper Angelos, & Sanctos duobus ſequentibus articulis.

Articulus I. Angelos.

Angeli apparent ſæpiùs. In quibus apparitionibus attenditur
Conditio apparentis.
Numerus apparentium, & apparitionum.
Modus apparendi.
Operationes, quas exercent. 342.
Perſona, cui apparent.
Tempus, quo apparent.
Forma apparentis.
Locus, vbi apparent.
Finis apparitionis.

Has Dæmones facere non poſſunt, ſed illas iiſdem modis transfigurantes ſe in Angelos lucis imitantur, cum diſſimilitudine tamen. 343.

Articulus II. Sanctos.

Abſit, nè vi dæmoniaca Sanctos poſſe euocari dicamus. 346.
Quid de Samuele ſentiendum, ſiuè falſus, ſiuè verus apparuerit. 347
Sub forma Sãctorũ Dæmones apparere poſſunt. 350

Sectio II. Patientes.

Nihil coinquinatum intrat in regnum cælorũ. 351.
Præter damnatos labe mortale infectos, excluduntur etiam inquinati peccato originali, vt pueri limbi: ac peccato veniali, vt animæ purgatorij.
De vtriſque quæritur, an poſſint euocari, ac torqueri, quod duobus articulis præſtatur.

Articulus I. Pueros Limbi.

In peccato duo dantur, ſcilicet auerſio à Deo, & conuerſio ad Creaturam. 352.
Auerſioni reſpondet pęna damni.
Conuerſioni reſpondet pæna ſenſus. 353.
Quid ſit pęna damni in pueris Limbi: qui an à Dęmonibus illùc deducantur, detineantur, & educantur, diſputatur.

Articulus II. Animas Purgatorij.

Certum aliquid de illis ſtabiliri poteſt. 355.
In Purgatorium deducuntur vel à bono, vel à malo Angelo; ſed diuerſo fine.
Deductæ à Dæmonibus ſpectantur, irridentur, ac torquentur ſecundùm aliquos. 358.
Educuntur aliquo modo. Probatur rationibus, & exemplis. 360.
Dæmones ſępiùs fingunt, ſe eſſe animas Defunctorum; varijs de cauſis. 362.
Quando apparent, quomodo dignoſcantur dęmones ab animabus. 363.
Animæ apparent per ſeipſas aſſumptis corporibus, non proprijs; ſed alienis vel phantaſticis, vel elementarijs.
Vtrumque probat Scotus cum ſuis aſſeclis. 366.
Animæ ex mente Soti, Suarez, & Peltani mouentur per aliorum miniſterium, nempè Angelorum, vel dęmonum. 367.

Sectio III. Damnatos.

Infernus dæmonum regnum longum, latum, profundum.
In eo dominatur Lucifer Dæmonibus, ac Hominibus damnatis. 369.
Et ſuper vtroſquè poteſtatem exercet, quod probatur duobus ſequentibus articulis.

Articulus I. Dæmones.

Dęmones in inferno torquent alios vt carnifices: & ipſi torquentur vt rei duplici pęna, nempè damni, & ſenſus. 371.
Vtriuſquè modus declaratur.

Articulus II. Homines damnatos.

Plenam in eos exercent Dęmones poteſtatem, dum deducuntur, retinentur, & educuntur reuerſuri in infernum. 373.

Concluſio Secundæ Partis.

Si ergo Dæmones tanta poſſunt in Creaturas infimas, medias, & ſuperas, non mirum, ſi peragunt maleficia. Mirandum, quòd non maiora, & plura operentur. Quod tribuendum non Homini, in quo duplex eſt diſpoſitio ad maleficia. Sed Deo benefacienti. 378.

PARS

PARS SECVNDA.

De Potentia Dęmonis in exequendis maleficijs.

230 *Quanta ſit potentia dæmonis.* QVemadmodum dæmones peritiſſimos quoſque ſcientiæ, & cognitionis præſtantia ſuperant; ità fortioribus potentiæ, & virtutis robore ſupereminent; cum teſte Iob *cap.*41. Non ſit poteſtas, quæ comparetur eorum potentiæ ſuper terram. Neque enim ſuperueniente peccato imminuta eſt; ſed poſt peccatum integra remanſit; & eadem, quæ à Creatore ſummo in eorum primordijs naturæ angelicæ indita erat: vt docet Gregorius illa verba explicans lib.34. Moral.cap.16. *Poteſtas dæmonis*, inquit, *ſuper terram cunctis eminentior perhibetur: quia etſi actionis ſuæ meritò infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturæ angelicæ conditionem non tranſcendit*. Quod ibi Gloſſa confirmat: *Omnia dæmon humana ſuperat, etſi meritis Sanctorum ſubiaceat; quamuis enim internæ felicitatis beatitudinem perdidit, naturæ tamen magnitudinem non amiſit, cuius adhuc viribus humana omnia ſuperat*.

Per hanc producũt effectus. Veros, Hanc autem naturalem potentiam nacti, ſi Deus annuat,& quoad executionem non impediat varios operantur effectus: Alios veros: Alios apparentes. Veros, cum vires ipſorum non ſuperant; quos producunt actione: altera immediata, quæ immediatè ab eis proficiſcitur, videlicet, per motum localem, quo corpora mouentur ſecundùm locum: altera mediata, quæ motionem localem ab ipſis factam conſequitur, nempè, per applicationem cauſarum naturalium, & compoſitionem agentium cum paſſiuis. *Apparẽtes. Et varia maleficia in Creaturas Infimas, Medias, Superas.* Apparẽtes, cum effectus vires ſupergrediuntur; vel non permittuntur à Deo. Tunc enim perſtringunt oculos, & ſenſibus illudunt ſpectantium, vanam objjciendo imaginem, quæ effectum deſideratum repræſentat; & ità ad præſtigia confugiunt, ne eorum impotentia detegatur: atque vtroque modo varia maleficia operè exequuntur, quæ per ſcientiam adinuenerunt, cum poteſtatem iactitent ſe habere in omnes creaturas vaſta mundi amplitudine comprehenſas Infimas, Medias, Superas. vt triplici capite declarabitur.

CAPVT I.

In Creaturas infimas.

231 *Æqualis potentia naturalis Angelorum, & Dæmonũ in res corporeas.* COmmunis eſt Doctorum omnium ſententia, æqualem eſſe tàm Angelorum, quàm dæmonum reſpectu rerum corporearum, & materialium à natura inditam poteſtatem; quia horum inferiorum materia tum bonis, tum malis ſubiecta eſt. Hoc enim naturalis rerum ordo exigit, vt inferiora ſuperioribus ſubiaceant; & quæ ex natura ſua conditionis ſunt humilioris, pareant eis, quæ nobiliorem ſunt ſortitæ naturam, & ſublimioris operationis altiorem gradum obtinent. Quarè cum natura corporalis ſit infra ſpiritualem, tanquam quid imperfectius ſub perfectiori, æquum eſt, vt illi ſubdatur. Vtrumque docet S.Auguſtinus, à quo cæteri mutuati ſunt, *lib.83.qq.q.79.* Vbi aſſerit, quaſcunque res, quæ oculis corporalibus patent, angelico ſubijci principatui: *Vnaquaque res viſibilis in hoc mundo*, inquit, *habet poteſtatem angelicam ſibi prapoſitam*. Quod repetit *lib.3.ſuper Geneſ.ad lit.* Ideòque non ſolùm ratione prædiτas; ſed etiam ea carentes: vt ſunt omnes illæ, quæ infimum locum tenent in hac creaturarum ſerie, cælum, elementa, mixta, plantas, animalia angelico, ait, ſubdita eſſe imperio. Idem de dęmonibus quoad ſublunaria docet *lib.3. de Trinit.c.*4. in hæc verba: *Mali Angeli præponuntur poteſtate rebus viſibilibus, & illis vtuntur priuato iure aliquando*. Quod priuatum ius non eſt aliud, quàm poteſtas naturæ ſecundùm Alex.Alenſ. *par.2.q.112. mem.2.ar.2.*

In has dæmones mira operantur, Siuè Exiſtentes, ſiuè Vegetantes, ſiuè Sentientes. Quarè multa facere poſſunt ſiuè realiter, ſiuè apparenter præter ſolitum naturæ curſum, omnem artis conatum, & humani captum ingenij in omnibus inferioribus ſublunaribus, quæ aliquo eſſe gaudent, ſiuè Simplici, ſiuè Vegetatiuo, ſiuè Senſitiuo, vt tribus ſectionibus manifeſtum fiet.

SECTIO I.

Exiſtentes.

§. I.

MVlta dixi, non omnia. Neque enim putandum, dæmones ità naturæ inferiori dominari, vt ea peragere poſſint, quæ lubet: vt benè docet Auguſt. lib.3.de Trinit.c.8. *Non ideò putandum eſt*, inquit, *iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum materiam; ſed Deo potius, à quo hæc poteſtas datur, quantum in ſublimi, & ſpirituali ſede incommutabilis iudicat*. Nam certum eſt, dum vtuntur motu locali, qui eſt immediata eorum operatio tranſiens, non poſſe, vt ait S.Thomas *q.16.de Malo. ar.8.& lib.3.contra Gentes cap.*108. deſtruere, aut ſubuertere vniuerſum; quia pars non poteſt plus toto; Cum ergo ſint partes vniuerſi, non habent vim, & poteſtatem in illud. Nec peruertere eius ordinem, & leges à ſummo opifice poſitas infringere; cum ordo ſit eius bonum. Nec perturbare, vel ſuis locis commouere principales eius partes, ex quibus eius conſtat integritas; aut earum tollere connexionem, & ſubordinationem, & per conſequens conſeruationem, quæ eſt ordinis, & connexionis cauſa, & finis. Nec cælum ſiſtere; aut eius motum agere in contrarias partes. Nec totum elementum aliquod ex vno loco in alium transferre. Nec vacuum introducere: cum tollat connexionem,& ſubordinationem omnium partium mundi. Nec cauſare infinitum vllum actu. Neque corpus quantalibet velocitate mouere in inſtanti. Neque cum corpora diſtant, efficere, vt vnum in aliud agat; quia mouens, & mobile debent eſſe ſimul. Neque illud transferre ab vno extremo ad aliud, non tranſmiſſo medio. Neque vt duo corpora ſint ſimul in eodem loco: vel vnum ſimul in duobus locis: vel vt vnum penetret dimenſionem alterius: vt latè docet Firmilianus epiſt.5.ad D.Cyprianum, & D.Thom.q.9.diſputat.q.16.a.10. 232 *Quid nõ poſſunt dæmones in res exiſtẽtes. Per motum localem.*

§. II.

Per alterationem & applicationem cauſarũ. SI verò alteratione, & varia actiuorum cum paſſiuis applicatione vtantur, non poſſunt aut aliquid creare ex nihilo, cum ſit infinitæ virtutis, & dæmonis motus, & operatio non poſſint in nihilo recipi: Aut ex quolibet facere quodlibet: Aut quouis inſtrumento, vel cauſa quemlibet effectum gignere: Aut formam aliquam ſubſtantialem, vel accidentalem immediatè producere: Aut producere ſine præuijs alterationibus, & diſpoſitionibus: Aut producere in inſtanti, & quantùmlibet paruo tempore: Aut quamlibet rem naturalem immediatè in quamlibet aliam transmutare etiam adhibendo cauſas naturales: Aut peruertere, & immutare ordinem, qui eſt inter formas, & diſpoſitiones rerum naturalium, vt poſſint poſteriores inducere, non introductis prioribus: Aut extremas, non inductis medijs. Deniquè directè impedire, ne agens naturale habens omnia requiſita ad agendum non agat. Quamuis indirectè impedire poſſit: vt ponendo aliquid inter agens, & paſſum, vt latè docent Alex. Alenſ. 2. par. q. 45. D. Bonau. S. Thom. ac communiter Theologi in 2. Ijs exceptis multa, & mira perficere poſſunt vtroquè modo in omnibus creaturis inferioribus, quæ eſſe Simplex habent: vt ſunt Elementa, & Mixta; quod ſequentes articuli docebunt.

Quid poſſunt In Elemẽta In Mixta

ARTICVLVS I.

Elementa.

234 *Dæmones mouent elemẽta* SIcut Intelligentiæ non per media aliqua inſtrumenta; ſed immediata operatione orbes cæleſtes mouent; Sic dæmones elementa omnia ſecundùm partem immediatè mouere poſſunt, in ſingulis talia operando, quæ fidem ſuperare videntur. Ignis, qui ſua leuitate ſurſum fertur, & ſemper tendit in altum, quaſi in ſuum centrum, nec in hac mundi parte inferiori hærere vult, niſi materiæ inhæreat, vi diabolica ex ſublimioribus aeris partibus dimittitur, & mittitur in certas domos, poſſeſſiones, animalia, quæ ſuis flammis reſoluit in cinerem: vt accidit Iob 1. *Cecidit ignis de cælo, & tactas oues, pueroſquè conſumpſit.*

Ignem

§. I.

Aquam. AQua perenni ſcaturigine in fontibus defluens: Riui è montium Supercilijs ruentes in proximas valles: Torrentes concitatiore curſu in ima vndequaquè prolapſi: Fluuij validiore impetu pergentes in mare virtuti dæmoniacæ cedere coguntur. Nam antiqui fontes venis exſiccatis fluere deſinunt, & noui recenter è ſaxis educti terras diluere incipiunt. Riui ceſſant: Torrentes pereunt: Amnes ſiſtunt: Flumina pelluntur in caput; ità vt retrò fluere videantur. Quod accidiſſe temporibus Heronianis, refert Plinius *lib. 2. c. 103.* Vel apertis meatibus, nouiſquè aquis additis proſilientes è canalibus ſuis vicinas terras occupant: arena valles implent; arbores radicitus euellunt: domos, pontes ædificia diruunt, & innumeros aquis præfocant: vt hoc noſtro æuo anno 1634. accidit Valli communicæ Brixienſis Diæceſis. Annoquè 1646. Vallibrembanæ, ac Serianæ Territorij Bergomenſis; quas vaſtationes, ac ruinas ope dæmoniaca factas eſſe, ex aquarum inundantium repentino impetu, alijſquè circunſtantijs, facile ſuſpicari potuit. Deniquè in paludoſis locis; & lacunis, & alijs receptaculis aqua crebrò corrumpitur, lethaleſquè vapores emittit, ex quibus aeris corruptio, morbi peſtes, plurium mors, & multa ſine numero mala oriuntur.

§. II.

TErra, quæ ſuo librato pondere in medio orbis pendula, & immobilis conſiſtit vi diabolica 235 *Terram.*
Aliquandò magnis motibus, ſi non tota, tamen in ſuis partibus concutitur; vel immiſſo vehementi quopiam ſpiritu in cauernas, & ſubterraneos meatus; vel agitato vehementiſſimè aere, qui in eis concluditur. Sic enim in varijs regionibus excitantur terremotus, quibus ædificia ſuſquè dequè corruunt, & ſuis ruinis plurimos inuoluunt. Aliàs diuerſis hiatibus viſcera pandit, & dehiſcens non domos ſolùm; ſed integras ciuitates cum ſuis habitatoribus abſorbet, & deuorat. Sæpè montes demitti, colles extolli, rupes ſcindi, ſaxa agitari ſentit. Nunc nimio calore aduritur; nunc diluitur crebrioribus aquis: modò conſtringitur frigore: modò ſpiritu in viſceribus intercluſo dilatatur, varioſquè patitur motus à dæmone, qui illam circuit, & perambulat.

§. III.

AEr, qui imbecillem ad reſiſtendum, ad recipiendum verò qualitates diuerſas facilem vim 236 *Aerem.*
habet, maiores experitur virtutis diabolicæ effectus, quaſi hæc vacua mundi pars, quæ à iuſto, & vindice Deo pro domicilio aliquibus dæmonibus aſſignata eſt, teneatur ab eis pro regno, & imperio. Ibi excitare poſſunt fulgura, tonitrua, & ſimilia meteora, quæ poſtquam longo fragore, & horrendo ſtrepitu terruere mortales, in agros, vel alia loca ad libitum immittuntur. Ibi formant grandines, quæ è ſummo aere in loca inferiora vibratæ, arbuſta, fruteta, & omnia vegetantia floribus, & folijs ſpoliata, varièquè percuſſa areſcere faciunt. Condenſant nubes calidis fœtas vaporibus, & ignibus micantes. Concitant horribiles tempeſtates, & procellas, quæ aerem turbant, fluctus maris agitant, & terram tremere faciunt. Ibi nunc fræna laxant ventis, & nimbis, qui inſanis flatibus vaſtant agros, euellunt arbores, turres deijciunt; & quicquid inferiùs eminet; vt patet *Iob cap. 41.* cuius filios, & filias cadentis domus ruinis oppreſſere. Nunc erumpentes reuocant, & tacentia ponere flabra cogunt; imò modò placidos; modò vehementiores dant; vel omninò vinciunt, & retinent, ne flatus emittant: vt videtur *Apocal. 7.* Vbi quatuor Angeli ſuper terræ angulos poſiti ventos impediunt nè ſpirent ſuper terram: quos eſſe dæmones Clemens Roman. *lib. 4. Recognit.* Hieronym. *in 7. Iſaia,* Auguſt. *lib. 5. contra Iulianum cap. 3.* & Strabus *in Apocalypſim* cenſuere. Ibi excitant tenebras, cum volunt, & vbi volunt; ità vt dies media noctem videat, cum facilè ſit obſcuriſſimas nubes adunare, quas lucida ſolis acies penetrare non valet, illas ex vaporibus, fumiſquè in ſublime elatis cogunt, & condenſant; & cum lubet, ſoluunt in imbres, & pluuias. Ibi cometas crinitos, & caudatos, ſerpentes ignitos, capras ſalientes, dracones volantes, & alia variæ formæ phænomina accendunt, quæ aſpicientibus terrorem, & horrorem incutere ſolent.

lent. Ibi emittunt pluuiam, non aquæ ſolùm; ſed etiam ſanguinis, frumenti, ranarum, bouum, & vitulorum, ſimiliaquè præſtant prodigia motu vaporum, quos ex terra, aqua, mineralibus aluminoſis, & nitro commixtis excitant, vel valido vehementioris venti ſpiritu. De quibus latè 26.q. 5.*can. Nec mirum, & L. multi, verbo, Elementa turbare*. Quibus leg. accedit Conſtitutio Innocentij VIII. quæ incipit: *Summis deſiderantes*, & communis omnium D.D. Sententia.

§. IV.

Alia mira poſsūt agere motu locali

237 DEniquè ſicut eodem motu locali corpora ex vno loco in alium transferre poſſunt, pari modo res præſentes è conſpectu hominum ſubducere, ſubitò aliò traducere, & eadem arte immobilia mouere, atquè efficere, vt ſtatuæ, vel aliȩ res inanimatæ ambulent, & incedant more hominum: vt factū eſt in Tripodibus lapideis,& pincernis æreis, qui apud Iarcham Gymnoſophiſtarum Principem Apollonio præſente, vt refert Philoſtratus *apud Pererium de Magia lib.1.cap.4.* in conuiuio per ſe mouebantur, & more famulorum miniſtrantium menſis pocula & fercula quæuis ſuo loco & tempore præbebant. Quare nemo mirabitur, ſi conſideret, quanta ſit virtus dȩmonum motiua, quæ in ſuperioribus maior eſt, in inferioribus minor.

ARTICVLVS II.

Mixta.

Dæmones per applicationē cauſarū naturaliū aliorū agentiū actiones impediunt.

238 NIhilò minus egregia operantur per aliā actionem, quæ motum localem conſequitur, nempè, per rerum alterationes, ſeù mutationes, aut actiones cauſarum naturalium, quas inuicem applicant, & temperant. Sunt namquè ſingulares quædam virtutes effectrices incredibilium operum, vt poſteà explicabitur ſuo loco, quæ etſi hominibus occultȩ ſint; tamen dȩmonibus ſunt notiſſimȩ, per quas poſſunt aliorum agentium actiones, aut omninò impedire, aut producere citiùs. Impediunt verò dupliciter, indirectè, & mediatè; Aut adhibendo cauſam contrariam, quȩ alicuius cauſȩ vim impediat: vt adamantem, ne magnes ferrum attrahat: Aut celeriter, & violenter mouendo aerem interiectum, quo impeditur actio naturalis, ne ſe in obiectum inſinuet: quomodo ſolemus moto aere abigere fumum, ne noceat oculis. Sic aliàs eorum opera factum eſt, nè difflueret aqua, quam Tuſcia Veſtalis cribro portabat in teſtimonium caſtitatis, & flamma Iouis Apameni templum abſumeret, aut exureret capillos ſerui Tullij.

Indirectè, Vel per cauſam contrariam; Vel mouendo aerem.

§. I.

Vel producunt citiùs.

239 SEd illa operatio præcipuè in mixtis enitet, in quibus ſi agens tardiùs ſuum producat effectum, citiùs properabit, modò dȩmon ſuam adhibeat operam. Et hoc modo non dubium eſt, quin inter opera per applicationem facta non ſit annumeranda metallorum transmutatio. Nam ſi arte Chymica tot mira homines operantur, quid ille non poterit? Certum eſt enim, Chymicam, quæ eſt phyſiologiȩ fætus, poſſe vnum metallum facere ſimillimum alteri: ferrum æri, & æs auro, & argento; Idquè clariùs apparet in gemmis. Extrahere id, quod in aliquo potentia continetur, per vim ignis, & ad perfectionem adducere. Ex metallis, gemmis,& plantis ſpiritus ſubtiliſſimos educere. Metalla depurare, ſegregare, & perficere. Conflare lapides, & tranſmutare viles in nobiliores, aquam elicere, vegetare ignem, multaſquè facere compoſitiones, & ſeparationes alias vtiles,& lucroſas. Aurum potabilem reddere, quo nihil vtilius ad ſanandum, ad alendum, & ad vitam prorogandam. Deniquè ex aſperſis pulueris aurei quibuſdam ramentis aurum multiplicare; vel ex non auro aurum producere. Quamuis enim hæc vltima Chymica operatio à quibuſdam denegetur; nullam tamen rationem philoſophicam, vel neceſſariam, vel admodum probabilem aſſerunt, qua demonſtretur, rationem chymicam efficiendi verum aurum eſſe impoſſibilem: quod non eſt huius loci examinare.

An Chymica operatio aurū verū producere poſſit.

§. II.

ATtamen, vt hoc obiter dicamus. Vndè repugnat talis traſmutatio? An ex parte materiæ? 240
Sed apta eſt alterari, corrumpi, & perduci ad formam præſtantiorem. An ex parte modi? Sed fit per decoctionem naturalem ignis, qui decoctionem naturalem caloris naturalis proximè imitatur. Etenim ſi obijcias, nihil eorum, quæ fiunt à natura, poſſe fieri ab arte, hoc falſum eſt; cum multa animalia, aliȩquè res opera, & miniſterio artis non ſecùs generentur, ac à ſola natura. An quia aurum naturale producitur virtute caloris cæleſtis, chymicum verò efficitur à calore igneo, qui cum multum inter ſe differant, non poſſunt eundem effectum producere? At ſimiliter falſum eſt, duos illos calores ſpecie diſtingui: & experientia docet, quȩdam animalia vtroquè calore ſimiliter generari; vt videtur in Cayro Ægypti, vbi ex ouorum multis centurijs in furnis collocatis ſolo calore ignis pulli excluduntur: vt refert Iulius Scaliger *in ſuis Exercitationibus contra Cardanum exercit.23.* Vel vt narrat Vinc. Beluacenſis *Specul. natur. lib.16.cap.168.* huiuſmodi oua ſtercore inuoluunt, & ſabulo cooperiunt: ſicquè dedito tempore ſine fotu gallinæ complentur, & eis extractis teſtȩ finduntur, & pulli prodeunt.

§. III.

ET vt hoc addamus, nonnè multarum rerum cauſȩ naturales latent; de quarum numero il 241
la eſſe poteſt? Nonne calor ignis vim habet transformandi metalla per varias alterationes? Et calor natiuus cibum tranſmutat in carnem? Nonnè ars gignere poteſt veſpas, ſcarbæos, crabrones ex cadaueribus, & ſtercore animalium? imò & ſcorpiones, ex herba, quæ baſilicus dicitur, quæ viuentia ſunt excellentiora metallis? Nonnè aurum ex auripigmento fieri poſſe, & factum fuiſſe ſua ætate teſtatur Plinius *lib.33. cap.4.*? Nonnè fornax in pullis Cayri edendis vteri ſupplet vicem? Cur non etiā terra in auro edendo? Nonnè videmus vermiculos multos mutari in volatilia, vt potè muſcas? Et tamen reptile, & volatile pluſquam ſpecie diferunt. Nonnè ars, ſicut natura, exhibet ſal, bitumen, atramentum? Deniquè nonnè in Scotia ex putridis nauium fragmentis gignuntur anates? Si tàm mirabilem effectum aqua exhibet, quid ignis, cuius maior eſt vis in agendo? Cur ergo alia tranſmutatio, quæ facilior ipſis, fieri non poterit? Quòd ſi homines ſtudio, & induſtria ad illam traſmutationem peruenire

uenire non poſſunt, quamuis innumeri in ea ſtrenuè, ſed fruſtra laborauerint; non tamen ſequitur, fieri omninò non poſſe. Multi errarunt, quia facilè peccatur in ijs, quæ ab ignis operatione dependent; ſed aliqui non errarunt, qui de facto verum aurum effecerunt: vt videre eſt apud Delrium, qui hæc fuſè proſequitur *lib. 1 c. 5. q. 1. Diſquit. magic.*

§. IV.

SEd demus, nullum adhuc chymicum huiuſmodi effectum producere potuiſſe; attamen hunc efficere poterit dæmon per applicationem naturalium agentium. Si enim per illam res inanimatas, & animalia imperfecta quæcumquè ex putrefactione naſcentia teſte Scoto *in 2. diſt. 7.* producere, & virgas in ſerpentes commutare poteſt; vt accidit coram Pharaone. (Nam veras virgas fuiſſe, ſtatim declarabitur) multò faciliùs poterit metallum vnum in aliud eadem applicatione commutare; quia longè minor eſt metallorum differentia, quàm inanimi, & animati. Poterit ergo materiam nummiſmatum, ſcilicet, corpus metallicum producere applicando actiua paſſiuis per modum naturalis, & artificioſæ productionis; cum poſſit producere inſecta viuentia, quæ metallis omnibus ſunt perfectiora: Quod etiamſi poſſit, vel non facit: vel facere non permittitur. Si hoc ei liceret, ſuo arbitratu quoſquè vellet, ditare poſſet; & ſic potentiſſima illecebra homines ad ſe adigere. Nam quid non mortalia pectora cogit auri ſacra fames? Quid.

§. V.

242 *Quas operationes appa rẽtes efficiant*

HIs operationibus phyſicis circa res inanimatas annectendæ ſunt apparentes, & præſtigioſæ, quæ à dęmonibus fiunt, cum ſenſibus illudunt, & cuiuslibet rei figuras repræſentant modo, quo infra explicabitur. Nam ſicut periti pictores, & ſculptores varias rerum figuras ex materijs ſibi ſubiectis effingunt; & interdum tales, vt à naturalibus nihil differre videantur; quod vuæ *Zeuzis* ab auibus appetitæ, & roſtro petitæ probant, teſte Plinio *lib. 35. cap. 10.* Ità dæmones ex aere condenſato, vel alia quauis materia exhibere valent cuiuslibet rei formas, palatia mira arte fabricata, aulas magnificè ornatas, hortos pulcherrimè virentes ſcrinia auro, & argento repleta, nummos ad oculum ſinceros, magnam vini copiam, dapes delicatiſſimè conditas, pretioſa ornamenta, variegatas veſtes, vniones, margaritas, & immenſas diuitias; Sed pro palatio Scrobem, aut cauernam: pro aula tuguriolum: pro hortis ſentes, & vepres, pro auro fimum equinum; pro argento calculum ferrugineum: pro numinis folia deſiccata: pro vino, & dapibus fumum: pro ornamentis, & vnionibus meras quiſquilias reperiri comprobant, qui huiuſmodi illuſionibus delectantur.

In Elementis

Mixtis.

SECTIO II.

Vegetantes.

243 QVàm grata terræ facies cum primùm ſummus Mundi Conditor pulſis inundantium aquarũ moleſtijs, quæ totam ab initio operuerant, iuſſit aridam apparere, & germinare herbam virentem, & facientem ſemen ſuum, lignumquè pomiferum fructus iuxta genus ſuum producens! Statim namquè depoſita lugubri veſte, hilari induta eſt, & tàm iucunda circundata varietate, vt nihil gratius ſpectantium oculis offerri poſſit. Quam potentiam cacodæmones æmulari conantur, dum ſua vi operantur plures effectus in Vegetabilibus alios Reales: alios Apparentes, vt ſequentes articuli comprobabunt.

Dæmones in Vegẽtatib. miros producunt effectus Alios Reales, Alios Apparentes.

ARTICVLVS I.

Reales.

REales quidem producunt, vel per motum localem: vel per alterationem, vt ſupradictum eſt de ijs, quæ fiunt in creaturis inanimatis. 244

Reales producunt.

§. I.

PRimò modo facillimè trãsferre poſſunt ab oriẽte in occidentem, & è quauis alia mundi parte in quamuis aliam herbas, flores, fructus, & arbores: imò meſſes, & fructus alienos pellicere, & aliò traducere, vt exemplis confirmat D. Auguſt. *lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 19.* vbi adducit illud Virgilij 8. *Eclog.*

Atquè Satas aliò vidi traducere meſſes.

Sed faciliùs ſolent illa perdere ad inducendam ſterilitatem; quod varijs præſtant modis. Nam ventos vel excitant vehementiores, qui ex arboribus fructus præcoces decutiunt: ipſas arbores eradicant; ſegetes ſolo æquant: arbuſta, legumina, virgulta, flores campeſtres, montanos, hortenſes proſternunt; vel eos ità compeſcunt, vt non ampliùs aerem ventilent; ſed ſtent immoti; vndè ſtatim putreſcere incipiunt omnia, & peſtilente qualitate concepta emori. Inducunt grandines variæ magnitudinis, quæ in floribus, folijs, fructibus nihil intactum relinquunt. Gelu educunt, quo vruntur omnia, cũ florere incipiunt. Tempeſtates ciunt, quæ ſegetibus, vineis, & arboribus frugiferis grauia inferunt damna. Nubes nunc continent, ne pluuiam immittant, & eccè omnia arida deficiente ſucco, & materia pingui, quæ è terra madida educitur: modò laxant, & ſoluunt in inſolitos imbres, qui non ſenſim è ſublimi ſtillant, nec in minutiſſimas guttas diſſecti, & velut cribrati blando illapſu terras aſpergunt; ſed ſimul & confertim præcipitant; vndè liqueſcit pinguis, & oleoſa materia, ex qua vegetantia nutriuntur, quæ nimia humiditate putreſcunt. Vndè Ouidius *lib. 3. de amore* cecinit.

Res Perdẽdo

Carmine læſa Ceres ſterilem vaneſcit in herbam
Deficiunt læſi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataquè vitibus vua
Decidit, & nullo poma mouente fluunt.

Hoc enim cauſant dæmones à maleficis inuocati huiuſmodi carmina, ſeù verba ex initio cum dęmone pacto recitantibus. Deniquè diuerſas locuſtarum, bruchorum, murium, erucarum, & ſimilium animalculorum ſpecies emittunt, quæ agros depopulantur, & vaſtant; atquè ſata, olera, fructus, ipſaquè interdum gramina, radiceſquè omnes abſumũt. Quod teſtatur ſupra allegatus Pontifex Innoc. VIII. quem ſequuntur Theologi Aug. *lib. 8. de Ciuit. Dei c. 19.* Iſidorus *lib. 8. Ethymolog. c. 9.* S. Thom. *in 2 d. 7.* & 8. Syluest. *in ſumm. verb. maleficium.* Alph. à Caſtr. *lib. 2. de iuſta hæret. punit. c. 15.* Iaquerius *in flag. Faſcinar.* & alij alibi. Conſentiunt Iuriſperiti

Bar-

Bartolus, Angel. Azo. Salycetus, Godefr. *in L. Eorum C. de maleſ. & Mathem.* Bonifacius de Vitalinis in tract. de maleficijs *in c. de ſortilg.* Ioan. ab Anan. *in c. 1. de ſortileg.* Paul. Grilli *lib. 2. q. 6.* Petrus Greg. Toloſan. *in ſyntagm. iuris vniuerſi c. 11. n. 12.* & alij apud Binsfel. *Com. de maleſ. & mathem. in L. Eorum. q. 4.*

§. II.

245 *Tranſmutãdo.* Difficilius plantas, virgulta, & arbores transformant in aliud. Nec tamen illa deeſt malignis ſpiritibus poteſtas; vt patet ex tranſmutatione virgarum in ſerpentes facta à Magis Pharaonis. Scio, plures ex Patribus ſcriptis ſuis prodidiſſe, prodigia illa magica non fuiſſe veros, & naturales effectus; ſed tantùm apparentes, & ſimulatos. Vt Rabanus *ſuper Exo. 7.* Rauclinus *de verbo mirifico*, & alij. Veruntamen ſolidior, & probabilior opinio eſt, hos ſerpentes fuiſſe naturales; iiſdem enim verbis Scriptura *Exodi 7.* memorat virgam Aaron, & virgas magorum fuiſſe conuerſas in ſerpentes; Ergo ſi ille Aaron fuit verus ſerpens, pariter & illi magorum veri erant ſerpentes. Inſuper nonnè virgas Magorum deuorauit virga Moyſes, ſeu Serpens vnus alios Serpentes? Si ergo non fuere veri ſerpentes, quomodo deuorauit? Sed cur fraudem Moyſes non detexit? Nec enim veriſimile eſt, Deum in re tàm graui illum decipi paſſum fuiſſe. Deniquè cur non potuere Magi ſciniphes producere in tertio ſigno, ſi veros ſciniphes pruducere non conabantur? Nonnè ex illo conatu intelligitur verè, & non in ſpecie tantùm eos duo priora ſigna feciſſe? Aſſerendum ergo, veros fuiſſe ſerpentes, ſicut illos ſimpliciter ſerpentes vocat Scriptura, cui hæc opinio magis congruit, quam etiam tenent Auguſtinus *lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 8. & lib. 83. qq. q. 79.* S. Theodoretus *in quæſt. Super Exodum q. 18.* D. Thom. *in 24. Matthæi, & p. par. q. 110. ar. 4.* D. Bonauent. *in 2. ſent. diſt. 7. p. 2. ar. 2. q. 2.* Lyranus, Toſtatus, Burgenſis, & alij recentiores.

§. III.

246 *Producendo.* Nequè putandum eſt, hoc factum fuiſſe per ſuppoſitionem verorum ſerpentum, & ſubtractionem virgarum tàm ſubtiliter, & ſubitò à dæmone factam, vt non aduerterent Ægyptij; atquè ità virgas in dracones conuerſas dici, non rei veritate, ſed opinione hominum; quia vera, & realis fuit conuerſio, vt putant iſti Doctores, per quam ex veris virgis veri ſerpentes prodierunt. Sunt enim animalia inſecta, & imperfecta, quæ diabolus ex putridis virgis breui tempore producere potuit, applicando illis inuiſibiliter quædam agentia naturalia nobis incognita ad illum effectum eliciendum potentiſſima, & efficaciſſima, & exiguo tempore peragendo, quæ ſolis calor multis diebus perfeciſſet. Nequè tamen eadem eſt Moyſis, & Magorum operatio. Ille enim miracula, Illi miranda faciebant. Tranſmutant virgas in ſerpentes; ſed Moyſis ſerpens alios deuorat. Aquas mutant in Sanguinem; ſed rurſus non poſſunt, vt Moyſes, ſanguinem in aquas mutare. Producunt ranas; ſed illas auferre non poſſunt. Maiora efficiunt animalia; ſed deficiunt in minoribus, nec poſſunt facere ſciniphes, aut ſe ab vlceribus liberare. Quarè tantò illuſtrior eſt Moyſis victoria, quantò humilior hoſtium proſtratio, qui cogente veritate, ſe victos eſſe fatentur, dum dicunt: *Digitus Dei hic eſt.*

§. IV.

Secundo modo per alterationem, & applicationem cauſarum naturalium poſſunt dæmones producere flores, fructus, plantas, & arbores. Sicut enim Agricola mediante ſemine iacto, terra germinante, & aqua irrigante, ſegetes creſcere facit: Sic dæmon adhibendo cauſas naturales florum, & plantarum productrices, varios flores, & diuerſas plantas educit, non immediatè, ſed præuijs alterationibus materiæ ante diſpoſitæ. Nam inter formas, & diſpoſitiones ad formam ordo in rebus naturalibus datur, quem ipſi peruertere non poſſunt; & quò formæ ſunt nobiliores, eò plures, & difficiliores preparationes requirunt. Ideòquè diſpoſitiones ad formam plantæ neceſſarias, & breui tempore introductas præmittunt; & ſic plantas, arbuſcula, & arbores è ſinu terræ ſurſum protrudere, radicibus firmare, ne ventorum flatu deijciantur, veſtire duris corticibus, ſtipitem ſurſum vehere, diuidere in ramos, fibris ligare, religare in nodos, frondibus ornare, & onerare fructibus ſolent. Sicut videmus ſæpiùs hortulanos fructus colligere ſolito maturiores, & citiùs, quàm anni ſtatio, & tempus patiantur; quia particulari adhibita diligentia varia applicant, quæ retardantem naturam, & non ſatis properantes arbores vrgent ad vltimum conatum producendum: quæ omnia citiùs, & expeditiùs poſſe facere dæmones in comperto eſt. 247

Vel per alterationem.

In rebus varias diſpoſitiones inducendo

ARTICVLVS II.

Apparentes.

Sed non ſemper in vegetantibus reales producunt effectus; ſed ſæpiſſimè apparentes tantùm eliciunt, cum ſolitis vtuntur præſtigijs, quibus homines fallunt. Sic paucarum horarum ſpatio arbuſculum è menſa excreſcere, arbores frondiferas, & fructiferas germinare, & flores omnis coloris, odoris, & formæ enaſci faciunt; atquè hortum ameniſſimum mox oculis ſpectantium exhibent, in quo herbæ vario decore terram veſtiunt; conſita omnium arborum genera poma oſtentant; virgulta multiplici nexu vias ſæpiunt: flores ſuis formis continuis, diſſectis, cornutis, caudatis, alatis, roſtratis, diffuſis, ſuis folijs ſimplicibus, triplicibus, quadruplicibus, multiplicibus conuolutis replicatis criſpantibus explanatis fimbriatis: ſuis coloribus candidis, flauis, ſanguineis, purpureis, hyacinthinis, palleſcentibus, rubeſcẽtibus, auratis, virgatis, ſtellatis, gẽmatis, oculos paſcunt, & odoratum delectant ſpectantium. Deniquè ſingulæ partes ad elegantiam diſpoſitæ, & mira varietate inter ſe conformatæ, ità vt nulla arte poſſit quid melius, & accommodatius inueniri, in admirationem rapiunt. Sed hortos Tantali vides mox tabeſcentes, areſcentes, euaneſcentes: quia cuncta fumus, illuſio, & præſtigium. 248

Dæmones ſæpiùs producunt effectus apparentes

Rebus tribuendo Eſſe

Eodem modo plantis, & arboribus motum, & loquelam tribuere viſi ſunt aliquandò; non quòd more hominum inanimata loqui poſſint; ſed quia ſermones articulatos, & humanis ſimiles maligni ſpiritus in aere formant; vt confirmatur narratione Philoſtrati, relati à Benedicto Pererio *lib. 1. de Magia cap. 4.* qui aſſerit, arborem vlmum humana voce ſalutaſſe Apollonium iuſſu Veſpeſionis Gymnoſophiſtarum Principis, cum apud illum diuerſaretur. Nec mirum ſi in arboribus præſtigia peragant, cum

Motum

Loquelã

cum

cum primum præſtigium, quo totum perijt humanum genus in arbore ſcientiæ boni, & mali ſint operati.

SECTIO III.

Sentientes.

249 SEntientium alia ſunt imperfecta, vt inſecta, & reptilia: alia perfecta, vt volatilia, & terreſtria animalia, & in vtraquè dæmones poteſtatem exercent. Nam præſtigijs aſſueti formas illorum præſtigioſè induunt, cum variè ſe transformant, & diuerſorum animalium aſſumunt ſimulacra: vt ſæpè fecerunt cum impauidos Chriſti Athletas circumeuntes, vt ait Paulus *Hebræor.* 11. in melotis, & pellibus caprinis, egentes, anguſtiatos, afflictos, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, ſpeluncis, & cauernis terræ ijs terriculamentis, & vanis phantaſmatibus à propoſito deterreri conati ſunt: vt Antonios, Pachomios, Hilariones, cæteroſquè eremi accolas, quos ſæpiùs circundabant perſonatorum dæmonum exercitus, lugendo, neſcio, an ridiculo ſpectaculo. Quis non lugeat infelicem horum ſpirituum ſortem, qui ſeipſos deploranda metamorphoſi transfigurant in porcos, aſinos, & id generis animalia bruta? Quis non rideat, ſpiritus natura ſuper creaturas omnes elatos degeneri fœtidate reformatos? Videas veſpertiliones, muſcas, ſciniphes, coruos, vultures crocitantes, aues fuligine horridas capite in roſtrum acuminato, pedibus aduncis, vnguibus firmis, & acutis, collo oblongo, oculis ſcintilantibus, & importuno volatu circunquaquè aerem infeſtare. Videas Satyros tripudiare, piloſos ſaltare, onocentauros ſibillare, girare ſerpentes, coaxare ranas, ſimias ludere, & geſticulari; atquè inſectorum vermiculorum, & ſcarabæorum diuerſiſſimas formas, quibus terra ſcatet vndiquè perſtrepere, & perſonare. Videas leones rugientes, vlulantes lupos, equos hinnientes, mugientes boues, aſinos rudentes, latrantes canes, oues balantes, grunientes porcos, capras ſalientes, & bruta huiuſmodi horribili fragore reboantia, & tot hoſtes in deformi proceritate; vel ſtatura pygmea Sanctos illos aggredientes roſtro, rictu, dentibus, calceis, vngulis, cauda ſpiculata, proboſcide; ſed fruſtra, cum nec veſtem ſolùm tangere liceat prohibente illo, cuius nomen inuocatum laruatas has phalanges ſtatim in fugam conuertit.

Dæmones ſentientium præſtigioſam formam variam induunt.

Nec meliori pompa inter amicos procedunt; cum ex ſagarum vniformi confeſſione diſcamus, in conuentibus diabolicis, vbi ſe videndos præbent ſub aliqua ſenſibili ſpecie, non alia, quàm felum, vitulorum, & caprarum apparere; principemquè inter ipſos dignam aſſumere ſua dignitate formam, hirci, nempè, aſpectu fœdi, atri, horridi, & fœtentis: vt ſuo loco dicemus. His præſtigijs adde veras, & reales operationes tàm circa Animalia Imperfecta quàm circa Perfecta, quas ſequentes articuli repræſentabunt.

Cum apparent in catu maleficorũ.

ARTICVLVS I.

Imperfectas.

§. I.

IMperfectorum productio per applicationem rerum actiuarum cum paſſiuis nullo negotio fit à dęmonibus, vt docet Auguſt. *lib. 3. de Trinit. c. 7.* Inde tot examina locuſtarum, bruchorum, muſcarum, erucarum, lumacum, vermium, murium, ranarum, bufonum, & ſimilium beſtiolarum, quæ ipſis operantibus ſtatim naſcuntur. Cum enim ex putrefactione naturaliter prodeant, nemini dnbium eſt, quin etiam ſæpiùs actione dæmoniaca producantur. Præcipuè cum illi hominum hoſtes in aliquam regionem ſterilitatem, & famem inducere volunt; Nam confeſtim erumpunt illæ agrorum peſtes, quorum in terram ſe abdunt, & germina, radiceſquè corrodunt. Aliæ in ipſis leguminibus natæ totam medullam abſumunt, toto cortice exteriùs apparente relicto: Aliæ repentè ſuper olera quicquid viride eſt, depaſcunt: Aliæ agmine facto per aerem volitant, & in agros ſe demittunt, in quibus omnia deuaſtant, & depopulantur. Quia, licèt illarum productio præter communem naturæ ordinem facta quantum ad producentem, & mouentem agentia naturalia ad ſuum effectum mirabilis ſit; tamen ſuppoſita productione, nihil mirum ſi noxia ſunt agris, cum id conueniat ipſarum naturæ. Indigent enim nutrimento aliquo, etſi imperfectiora ſint, & ex putredine orta; vel vt loquitur Ariſtoteles 7. *Metaph. tex.* 23. quaſi à caſu. Ideò præcipitanter feruntur in id, quod ſibi ex natura conuenit, fructus, nempè, adhuc teneros, & folia recenter nata, quæ maximo hominum damno contaminant, & depaſcunt. 250

Producunt dæmones imperfecta ſentientia Inſecta producta per alterationē.

Hæc autem Deo permittente, & dæmone operante communiter accidunt, qui à ſe productos illos infeſtantium beſtiolarum exercitus ducit, & cõgregat per motum localem, quò vult; dimittitquè, vt dux ſuos milites, in certas regiones, & prouincias; immò pellit in ſingularem quendam agrum, prout Diuinæ decreto Iuſtitiæ varijs pœnis homines afficiendi ſunt. Ità aliàs Ægyptiorum vaſtauit agros: Iſraelitarum agris pepercit, vt dicitur *pſal.* 77. *Et dedit erugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ.* Nam à dæmonibus has agrorum vaſtationes factas fuiſſe, teſtatur Idem ſubiungens: *Immiſſiones per Angelos malos.* Et confirmant S. Auguſtinus, & Caſſiodorus in illa verba.

Per motum localem.

§. II.

QVæ omnia locũ habent in ſerpentibus, & alijs inſolitis monſtris, cum quibus potiùs, quàm alijs feris ſerpentis antiqui familiaritatem ineunt, non natura; ſed permiſſione diuina ob fraudem, qua primi parentes fuere deluſi ſuper ſerpentis imagine: vt cenſet S. Auguſtinus *lib.* 11. *de Geneſ. ad lit. cap.* 28. Videas aliquando eductos è latebris miræ magitudinis angues ſerò trahentes corpus immenſum, ſibilantes, & exceptantes trifidam linguam, ſquammis horreſcentes, tumidum corpus plicantes, & cogentes in orbem, quærentes quem mortifero veneno inficiant: quales Babylonicum & Epidauricum literæ ſacræ, & profanæ deſcribunt 251

Reptilia ſerpentes miræ magnitudinis.

Ali-

Aliquando monſtra horrenda tecta corio lacertæ, oculis ſcintillantibus, lingua flammea, mammis prętumidis, bifidis brachijs, cauda nodoſa, & aculeata, ore hiante, & præacutis dentibus armato venenoſum trahere ſpiritum ex imo, quo omnis vicinia infeſtatur. Huius rei exemplum refert Vincentius Beluac. Specul. Hiſtor. lib. 9. cap. 74.

Monſtra horrida.

Erant duo Magi Zaroes, & Arphaxath apud Aethiopes in Ciuitate, quæ dicitur Nadabis ludificantes populum, & Regem eius nomine Aegyptum, dicentes ſe eſſe Deos, qui inter alia mira, quæ faciebant, imperabant ſerpentibus, vt percuterent, & ipſi cantando curabant; ideoque curare putabantur, quia à læſione ceſſabant, curam ergo hominum Deus gerens, Matthæum Apoſtolum contra hos miſit. Qui ingreſſus Vrbem cæpit detegere præſtigia eorum. Prædicante autem illo venit, qui dixit Magos illos cum ſingulis draconibus aduenire. Erant autem dracones galeati, flatuſque eorum ſtammifero ardore emanabat, ſulphureas ſpargebant auras naribus, quorum ardor homines interficiebat. Tunc conſignans ſe Apoſtolus cæpit exire ſecurus. Mox autem vt venerunt ambo dracones ante pedes Apoſtoli obdormierunt. Et ait Apoſtolus Magis: Vbi eſt ars veſtra? ſi poteſtis excitare eos. Ego niſi rogaſſem Dominum Ieſum Chriſtum, omnem furorem, quem in me exercuiſtis, in vos retorqueret. Conabantur illi arte magica excitare eos, nec poterant omninò. Tunc Apoſtolus conuerſus ad dracones ait: In nomine, & virtute Ieſu Chriſti adiuro te ſpiritus, cui omnes dracones in poteſtate dedit, vt excites eos, & cum manſuetudine redire facias ad locum ſuum, ita vt nullum lædant. Ad hanc vocem eleuantes caput ſerpentes ire cæperunt, & apertis portis egreſſi Vrbem nuſquam comparuerunt. Magi verò Zaroes, & Arphaxath à facie Matthæi Apoſtoli aufugentes de Aethiopia in Perſidem profecti ſunt.

Simon autem Cananæus, & Iudas Zelotes Apoſtoli Ieſu Chriſti cum per reuelationem Spiritus Sancti regionem Perſidis fuiſſent ingreſſi, inuenerunt ibi dictos duos Magos, cum quibus varijs habitis certaminibus coram Vuaradac Rege Babyloniorum, de quibus Beluacenſis loco citato cap. 78. tandem c. 80. ait, quòd *illi Magi irati contra Apoſtolos fecerunt multitudinem ſerpentum, vt in eos ſæuirent: Sed Apoſtoli venientes impleuerunt pallia ſua de ſerpentibus, & miſerunt in Magos dicentes: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti non moriemini, ſed morſibus eorum attrectati mugitum dabitis dolorum veſtrorum. Quod & factum eſt. Cæperuntque Magi vlulare ſicut lupi. Rex autem & omnes dicebant Apoſtolis: Permittite eos, vt moriantur ab eis. At illi reſponderunt: Nos miſſi ſumus à morte ad vitam reducere, non à vita in mortem præcipitare. Oratione autem facta dixerunt ſerpentibus: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ad loca veſtra redite, & omne venenum, quod in his Magis effudiſtis, vobiſcum auferte. Maiores autem cruciatus paſſi, cum vniuerſi ſerpentes iterum morſibus edebant carnes eorum, vt venena ſua tollerent, ſugentes ſanguinem eorum: vndè per triduum nec edere, nec bibere, nec dormire illis poſſibile fuit, ſed ſola vociferatio doloribus exorta inceſſabilis extitit, donec ab Apoſtolis corporali ſanitati reſtituti ſunt.*

Quid autem communiter ſunt hæ noxiæ ſerpentum productiones, quàm diaboli opera, qui ſerpens antiquus dictus, & monſtrum horrendum infame ingens ſerpentibus, & monſtris delectatur! quamuis ſæpiùs cum apparent, meræ ſunt illuſiones: Sicut enim realiter hæc poteſt producere, ita apparenter repræſentare.

ARTICVLVS II.

Perfectas.

252 EX imperfectis ad perfecta deueniamus, quæ per applicationem agentium ad paſſibilia, certum eſt, dęmones non poſſe producere. Licèt namquè virtute propria queant in materiam veras inducere formas artificiales; non tamen naturales, quæ non producuntur niſi à Conditore naturæ, vel ab ipſa natura operante per modum naturæ. Et quidem ſi *nihil dat; quod non habet,* teſte Ariſtot. 7. *Metaphyſ.* quomodo dabunt naturalem corporibus formam, qui nec genere, nec ſpecie conueniunt cum corporibus? Inſuper corpora indigent ſemine ad hanc productionem apto; quia præparatio materiæ ad formas animantium perfectorum dependet à virtute ſeminali ex formatrice, quæ non tantùm primarum qualitatum mixturam recipit; ſed prætera exigit perfecti animantis cooperationem, vt aliquod animal perfectè formetur, ſicut docent Philoſophi.

Dæmones non poſſunt res perfectas producere per applicationẽ.

§. I.

253 SEd quamuis animalia non poſſint producere per applicationem; tamen per motum localem multa poſſunt in illis operari; cum ex ſuo ordine naturali illi ſubiecta ſint, ſicut alia materia inferiorum. verb. gr. Ea deferre ex vno loco in alium, quo modo ſæpiùs viſi ſunt dracones, vituli, boues per aera volantes. Mouere mirabili quadam ratione, ità vt agant ea, quæ ſine intelligentia, & rationis vſu minimè fieri poſſe videantur. vt patuit aliàs in ſerpente Epidauro Romam aduecto; ſed quaſi volente, intelligente, & dante quædam ſigna rationis, & diuinitatis apud Philoſtratum *lib. 5. cap. 15.* Educere ex cauea, & adigere in quem volunt locum: vt lupos ex ſyluis in certum ouile, & gregem; vnde nonniſi graui illata ſtrage reuertuntur. Velocitatem, aut tarditatem eis in curſu tribuere: vt fiebat in Circenſibus equis ſecundùm Arnobium *lib. 1.* Hieronymum *in vita Hilarionis*, & Caſſiodorum *lib. 3. epiſt. 51.* Retinere immobilia; ità vt nec retrocedere, nec vlterius progredi poſſint quouis ſtimulo incitata. Vel currentia incitare tàm validè, vt ſequentes illa aſſequi non poſſint: quod ſæpiùs accidit in venatione ferarum, & leporum. Hoc apertè vidi Anno 1647. Romæ in equulo cuiuſdam Numularij, quem emerat ad trahendum currum, in quo licèt nullus appareret defectus, nihilominus ac ſi cæcus eſſet, caput allidebat parietibus, vel alteri rei ſibi obuiæ, quando auriga

Tamen per motũ localem poſſunt Eas Deferre, Mouere. Educere, Velocitatem, aut tarditatem tribuere. Retinere

L impel-

impellebat, vt progrederetur, ille ſe retrahebat, ita vt nec ſtimulus, nec virga illum vrgeret, nec habena cohiberet, quare illius Dominus ſuſpicans, quòd fortaſſe eſſet maleficio affectus, me rogauit, vt viderem quid eſſet, quòd talia inſolita operaretur. Cum ergo ad illius domum acceſſiſſem, præcepi, vt coram me extra ſtabulum adduceretur equus, deinde omnia illa præſtiti, quæ tradidi in Manuali Exorciſt. par. 3. numer. 767. ac ſequent. ac traduntur infra tom. 2. diſput. 4. ac ſtatim equus à quacunque moleſtia diabolica liber euaſit, habenæque, ac ſtimulo, aliiſque ab auriga inſtrumentis adhibitis obedientiam præſtitit. Spiritus etiam, & humores in corporibus ad diuerſas inferendas infirmitates concitare ſolent. Partium compages, &
Membra diſcerpere, & præcipitare. connexiones diſiungere, atque diſtrahere, vnde acerbiſſimi ſequuntur cruciatus. Denique ſubire corpora, eaque præfocare, præcipitare, diſcerpere, & varijs modis trahere in interitum: vt factum eſt in grege porcorum apud Geraſenos. *Matth.* 5.

§. II.

254 Maior eſt difficultas; An ſuis operationibus poſſint illis tribuere loquelam, & intelligentiam, quam ſoli homini competere, omnes fatentur. Et certè non deſunt exempla locutionum ope diabolica ſimulatarum in animalibus apud Gẽtiles. Nam geminæ columbæ Dodonis, ſicut & quercus illa famoſa *apud Sophoclem in Trachino, & Lucianum in Micyllo*, Equus Achillis *apud Homerum Illyad.* 19. Canis Simonis Magi *apud Clement. Rom. in Itinerario* loquaces introducuntur. Sicut opere angelico Aſina Balaam *Numer.* 22. Ita rationis, prudentiæ, & prouidentiæ veſtigia reperiuntur in multis animalibus non ſolùm ordinariæ, quæ cernitur in leonibus, ceruis, arundinibus, & alijs auibus, in piſcibus, & omnibus ferè animalibus, quæ tàm ſolerter norunt, noxia fugere, commoda quærere, pericula deuitare, vario aſtu ſequentes deludere, pullos educare, & id generis alia, quæ animam rationis compotem redolent; ſed etiam extraordinariè in canibus, & equis circulatorum, qui aptiſſimis ſuis motibus, & geſticulationibus inſolitis loco, tempore, rebus perſonis accommodatis videntur audire, diſcernere, & ratiocinari: vt patet de illo Elephante hoc noſtro æuo ducto per Italiam, qui pugnabat enſe, laxabat rotas, & alia huiuſmodi præſtabat ad nutum, & ad præcepta Domini ſui, ex quibus videbatur intelligere, ac ratione vti.

§. III.

255 *Non poſſunt loquelam, aut intelligentiã tribuere.* Hæc autem ſolo inſtinctu naturali fieri poſſe quis aſſerat? cum concedendum ſit, hęc mira ab agitante, & geſticulante dęmone poſſe peragi; Non quòd loquelam, aut intelligentiam tribuere poſſit eis conuenientem eo modo, quo in hominibus reperiuntur; ſed quia voces formantur ab eo, vel in corpore; vel extra corpus. In corpore quando apta ſunt organa, & viuentia inſtrumenta, qualia ſunt in Picis, coruis, Pſittacis, & huiuſmodi loquacibus brutis. Extra corpus, quando viuens proprijs organis caret vt aſini, equi, boues. Locutio in primis eſt actio vitalis ipſius animalis, quo tanquàm organo dæmon vtitur. In ſecundis verò tota tribuitur Angelo verba formanti in aere, qui medium eſt, & inſtrumentum vocis formandæ, cuius reſpectu intellectualis eſt: cum prima neſciant, quid dicant: ſecunda neſciant, quid dicatur; & ideò ab humana locutione ab homine ratione vtente mediante lingua, aliiſquè organis huic muneri à natura dicatis, formata, omninò differt.

§. IV.

Ità actiones illæ ordinariæ animalium non à prudentia; ſed ab inſtinctu naturali prodeunt; cum 256
prudentia, quæ ex Ariſtotele 6. Ethic. *ſit habitus faciẽs nos prõptos ad eligendum media alicui fini proportionata*, non detur in brutis, quæ in ſuis actibus nec media, nec finem cognoſcere poſſunt; atque ideò caſu, & fortuitò operantur; quamuis inſtinctum naturæ particularem ſequendo, finem generalem ſpeciei conſequantur, quem Deus vnicuique indidit; ſed qui ab vnoquoque ignoratur. Extraordinariè verò dęmoni agitanti debent aſsignari, qui per illa bruta eas peragit actiones, quas ipſa facerent, ſi ratione, & intelligentia prædita eſſent; Vndè à dæmone ex inſtituto: A brutis fortuitò producuntur. Nec alio modo ijs cooperantur, quàm inſtrumenta, quæ ab artifice applicantur operibus artificioſè ſebrefaciendis.

CAPVT II.

In Creaturas Medias.

Verè medium tenere locum in admiranda omnium creaturarum ſerie homines comprobantur, ſi compoſitionem eorum conſideres. Conſtant enim ſpiritu ſuis potentijs intellectus, voluntatis, & memoriæ prædito, qui eſt ſuperior Animæ pars: Anima ſuis facultatibus apprehenſiuis, & appetitiuis ornata, quæ eſt pars inferior: Corpore ſuis membris inſtructo, quod eſt infimum in illa mirabili ſtructura: Spiritu accedunt ad Angelos ab omni materia defæcatos, cum idem habeant eſſe, & operari. Corpore deuoluuntur ad bruta in materia, & carne immerſa, cum illarum inſtar vegerent, ſentiant, moueantur. Anima ab vtroque extremo participant, cũ in organis eius corporis ſpirituales, & ſenſibiles inſimul edant operationes. Ideòquè tenentur omnes inferiora deſerere, quærere ſuperiora, vt iuxta apoſtolicam Pauli doctrinam 1. ad Teſ. 5. *Integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in aduentu* D.N.

257 *Homo eſt medium creaturarum.*

Accedit Spiritu ad Angelos, Corpore ad Bruta. Anima ab vtriſque participat.

In eum dæmones habent duplicẽ poteſtatẽ Naturalem, Moralẽ. Secundũ quã maleficijs tentant multa In Spiritum Animã, Corpus.

D.N. *Ieſu Chriſti ſeruatur*. Nam dæmones toto conatu illos à ſuperioribus auertere, & ad inferiora trahere contendunt, atquè ità ad ipſum infernum; duplicem in illos exercendo poteſtatem: naturalem vnam: moralem alteram. Naturalis eſt, quam à natura ſortiuntur, quæ, cum in eis ſit nobilior, perfectior, & eleuatior rebus omnibus corporeis, illos euehit ſuper homines, qui corporei ſunt, & materiæ ſenſibili alligati. Moralis illa, quam homines eis voluntariè conceſſere, quando libertate reiecta filiali, ſemetipſos tradiderunt tyrannicæ eorum ſeruituti. Vnde duplici illa poteſtate armati quid non moliuntur ſuis maleficijs, vt ipſis noceant; præcipuè ſi per peccata ab ipſis captiui teneantur? Nam permiſſione diuina ea, quæ volunt, liberiùs exequuntur in eorum Spiritum, Animam, & Corpus: vt tribus ſectionibus declarabitur.

SECTIO I.

In Spiritum.

§. I.

258 SI vera eſſet Priſcillianiſtarum opinio, qui putabant, à malo Deo, ſeù dæmone corporibus animas diſſeminari, vt refert Seuerus Sulpitius *lib. 2. Sacræ Hiſtoriæ*, non dubium eſt, quin dæmones in illas omnimodam haberent poteſtatem. Sed quia catholicè ſcimus, animas non à malo Deo, qui eſſe non poteſt, ſed à bono; non ab Angelis, ſed ab ipſo ſummo Opifice; non ante corpora, ſed in corpore; non ex traduce, ſed ex nihilo creari, infundi, ac corpori vniri; ideò dicimus, ſolum Deum Animæ humanæ poſſe illabi· Ipſe enim ſolus eſt intimus menti humanæ, & ſolus ea ſuperior: vt benè docet S.Bonauent. *in 2 d.8.par.2.a.1.quæſt.2.* Quare ſolus illam implet, & in ea intimè operatur, intellectum illuſtrando, voluntatem mouendo, & memoriam excitando ſuis illapſibus: Vel generali, qui eſt intima eius præſentia ad creaturas, dum illas mouet ad operationes liberas, aut naturales. Vel Speciali, qui eſt concurſus eius ad opera ſupernaturalia, & meritoria, atquè ad vltimam diſpoſitionem ad gratiam.

Deus ſolus poteſt illabi in Animã.

Illapſu, Vel Generali, Vel Speciali.

§. II.

259 DÆmon verò, etſi corpus humanum ſubintrare, & vexare queat; non tamen illabi in animam vt Deus: aut exiſtere, vt Anima. Non illabi, quod ſolius eſt Factoris, vt docet Auguſt. lib. de Eccleſiaſt. Dogmat. cap. 81. tom. 3. *Dæmones*, inquit, *per energicam operationem non credimus ſubſtantialiter illabi animæ; ſed applicatione, & oppreſſione vniri. illabi autem menti, illi ſoli poſſibile eſt, qui eam creauit, qui natura ſubſiſtens incorporeus capax eſt ſuæ facturæ*. Non exiſtere, vt Anima; Etſi enim ſint ſimul in corpore; non tamen eodem modo: Sed Anima per modum informantis: Dæmon verò per modum aſſiſtentis, ſiuè obſidentis. Anima ſimul cum corpore, in corpore, & in eſſentia corporis, vt eſſentia eſt; Dæmon ſimul cum corpore, & in corpore; ſed non in eſſentia corporis, vt eſſentia eſt. Quid ergo dices? Poteſt operari ſpiritus ille nequam in ſpiritu humano, qui eſt pars animæ ſuperior? Certè in triplicem eius potentiam, Intellectum, Voluntatem, & Memoriam virtutem exercet. Poteſt enim primum inſtruere, ſecundam allicere, tertiam iuuare, excitando cogitationes: prouocando affectus: procurando, accommodando; aut commouendo, & perturbando ſpecies: vt tribus art. oſtendemus.

Dæmon nõ poteſt illabi in animã vt Deus.

Nec eſſe in corpore, vt Anima.

Poteſt tamen in triplicẽ eius potentiam.

Intellectum, Voluntatem, Memoriam.

ARTICVLVS I.

In Intellectum.

§. I.

260 SOlius Dei eſt, vt principaliter agentis, & efficientis in intellectum cogitationes immittere, & illas in eius intimis generare; quia ſolus ſufficientem habet virtutem reſpectu talis effectus: vt docet D. Bonau. *loco cit.* Dæmon verò non poteſt illum producere; quia ſi illi eſſet poſſibilis, mentem humanam ſemper in malum impelleret; & ſic homo nunquam à prauis cogitationibus deſiſtere valeret; quod falſum eſt. At quamuis non queat vt cauſa principaliter agens cogitationes immittere, hoc tamen poteſt vt cauſa excitans, & impellens; cùm reſpectu talis effectus ſufficiente virtute præditus ſit. Immò ſicut Angelorum hæc quaſi propria ſunt munia, in homines ſanctos, & optimos immittere cogitationes, & virtutes excitare; Ita dæmonum hoc ſingulare officium, mortiferis ſuggeſtionibus, (quæ nihil aliud ſunt, quàm prauæ cogitationum immiſſiones) ad vitia vrgere, vt patet in Iuda, qui ſuggerente, & impellente dæmone Chriſtum tradidit. *Ioan. 13. Cum diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas*. Nam mittere in cor nihil eſt aliud, quàm cogitationes inſtillare. Et experimur ipſi quotidie tot noxios cogitatus, quibus incitante dæmone prouocamur ad malum; quia indefeſſo, & continuo ſtudio ſpiritui noſtro inſidiatur.

Deus tãtùm immittit principaliter cogitationes in Intellectũ.

Dæmon eas immittit vt excitãs.

§. II.

261 DVplici autem via intellectum adoritur, ſenſus, nempè, & appetitus; cum tota eius interior operatio circa vtrumque verſari videatur.

Duplici modo. Per ſenſus.

Ex parte ſenſus ſuas illuſiones tanquam per feneſtras immittit: quia *cum nihil ſit in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*, teſte Ariſtot. lib. de ſenſu, & ſenſibilibus, quandiù ſpiritus in ergaſtulo corporis retruſus manet, hoſtis primò ſpecies rerum affingit exterioribus ſẽſibus, & obtrudit oculis ſpectra, & obijcit in phantaſmate, in quo tanquam ſpeculo omnium rerum ſimilitudines repræſentantur. Vndè idem nobis accidit, quod ei, qui ante oculos ſpeculum habet ita potentiæ viſiuæ alligatum, vt eos aliò contorquere non poſſit. Nam ſicut iſte non ſe poteſt impedire, quin videat imagines in ſpeculo repræſentatas; ita cum phantaſma ſit tanquam ſpeculũ potentiæ cogitatiuæ ſemper alligatum, quod aſſiduè menti noſtræ obuerſatur, & in eo diuerſæ rerum formæ, & ſpecies obijciuntur, prout aſſiduè ab exterioribus ſenſibus, vel ab alia cauſa ſubminiſtrantes repræſentantur, non poteſt fieri, quin ſpiritus illud conſideret, & contueatur, cum in tenebroſo carnis ergaſtulo nihil videat: vel ſi quid videt, alio non poſſit cernere lumine, quàm ſibi vtriuſque ſenſus ope ſubminiſtrato. Et ita ex obiectis ſpeciebus ſequitur cognitio in intellectum per quemcunque ſenſum immiſſa: vt benè teſtatur etiam S.Bernardinus lib.3.ſerm.2.cap.4.

Cuius veritatis etſi plura exempla referre poſſem 262

Exẽplo comprobatur. corum, qui huiuſmodi tentationibus diabolicis vexati ad me confugerunt, vt ſibi opportuna remedia adhiberem, vnicum tantùm referam ſcitu dignum, Anno Domini 1664. Venetijs Adoleſcentula annum ætatis quartumdecimum agens filia cuiuſdam viri vtique ſicut fortunæ bonis ditati, ita morum grauitate, prudentia alijſque bonis qualitatibus ornati, hæc cum ſui effigiem in ſpeculo magno in cubiculo exiſtente contemplaretur, & aliqualem complacentiam de ſua pulchritudine haberet, ſæpiùs huiuſmodi operationem repetebat, tandem dæmon in ſpeculo apparuit ſub ſpecie Iuuenis pulcherrimi effigiem illius amplectentis, & oſculantis, cuius facti cum ipſa magnam perciperet delectationem ſe totam in tali contemplatione addicebat, quare dæmon ſeipſum ei patefecit dicens ſe eſſe dæmonem Deorum principem, qui eam valdè amore proſequebatur, ſed ſi & ipſa vellet ei placere, opus erat, vt crederet non eſſe alium Deum, quàm ipſum dæmonem, nec crederet in Chriſtum, cæteraque fidei dogmata abnegaret, quæ omnia abſque vlla animi aduertentia, ac conſideratione adimpleuit, prout ſibi verſipellis inſinuarat; ſed interim ſuperueniens ipſius mater mulier vtique prudens atque deuota eam interrogauit, cur tandiù ſe detineret in contemplatione illius ſpeculi, & quænam eſſent illa verba, quæ verſus ſpeculum ſubmurmurabat, cui licèt difficulter ob ſecretum dæmoni promiſsũ, tamen tacere neſcia omnia patefecit, quare mater illam reprehendit, abſcondit ſpeculum, & admonuit, ne amplius talia præſtaret. Tunc filia in tantum incidit mærorem, & triſtitiam, quòd die, noctuque lacrymis, ac fletibus detinebatur, nec poterat præ dolore ſomnum, vel cibum capere dicens, ſe fidem negaſſe, nec amplius credere in Deum, ac ſub dæmonis poteſtate totaliter exiſtere, ac propterea nihil ſibi manere, quàm infernum; accurrerunt amici, & conſanguinei alij dicentes eſſe humorem melancholicum, alij humores matricales; ideoque accitus fuit Medicus omnium Medicorum Venetijs exiſtentium quoad ætatem faciè princeps, qui ſtatim multis pharmacis adhibitis, emiſſione ſanguinis ſæpiùs repetita, cibi maxima abſtinentia adoleſcentulæ indicta, vt humorem compeſceret peccantem, omnia præſtitit incaſſum; ita vt adoleſcentula, quæ priùs vnicum habebat ſeductorem torquentem in anima, cæpit habere duos tortores affligentes vnum intrinſecùs in ſpiritu, nempè dæmonem, alterum extrinſecùs in corpore, ſcilicet Medicum, qui ad talem, ac tantam eam perduxerat debilitatem, vt vix poſſet in lectulo dimoueri. Tandem cum Medicus adhuc repetere vellet medicamina, ac ſanguinis emiſſionem, Confeſſarius dictæ filiæ eius Genitori conſuluit, vt me aduocaret, ad quam vt vix acceſſi, agnoui in ea eſſe dæmonem talia operantem, ideoque Medicum eſſe admonendum, vt ſaltem quinque dies, vel ſex expectaret, donec meam functionem exercerem, propterea præcepi, vt cibis delicatis, ac vino generoſo reficeretur, ſequenti die eam feci è lecto ſurgere, tertia die ad Parochialem Eccleſiam, quæ propè eorum palatium extat, accedere, ac Sanctiſſimis Sacramentis Confeſſionis, & Cõmunionis refici, quarta die operi Manuali incumbere, ſicut & ſequentibus diebus: quotidie orationi iugiter eſſe intentam, actus fidei, ſpei, & charitatis eliciendo, & contemptus in dæmonem proferendo. Tranſacta autem quinta die venit Medicus, cui practicè oſtendi præſentibus eius Genitoribus, nec non patruo, eiuſque vxore pijs, atque deuotis, eam eſſe à dæmone obſeſſam, idcirco non corporalibus, ſed ſpiritualibus remedijs eſſe liberandam, ac roborandam. Itaquè Medicus ceſſauit eam inuiſere, ego verò meum proſecutus munus per exercitium diuerſorum actuũ theologicorum, Sacramentorum frequentiam, voluntariam ipſius præſentationem coram Reuerendiſſimo P. Inquiſitore S. Off. ad quem acceſſit nomine ipſius prædictus eius Patruus, qui miſſo R.P. Commiſſario omnia præſtitit coram me, quæ neceſſaria æſtimabantur: tandem per obiurgationes frequenter à me dæmoni factas, ac præcepta in Nomine Ieſu ſæpiùs repetita, continuam Patris, ac Matris ipſius ſollicitudinem, ac diligentiam in ea ad executionem præceptorum meorum impellenda, perfectè ſanitati reſtituta eſt.

Ex quo videas, quomodo verſipellis dæmon per ſenſus tanquam per feneſtras deceptionem immiſerat in intellectum illam ad Deum, eiuſque fidem catholicam abnegandum inducendo.

§. III.

Similiter ex parte appetitus ſenſitiui Diabolus facilè poteſt cooperari, determinatum cordis motum, humores ſingulares, & paſſiones varias excitando, quæ cauſa ſunt, quòd homo aliquid imaginetur, & cogitet; Nam ex illis paſſionibus in appetitu excitatis ſubſequitur, intentionem ſenſibilem, ſeu ſpeciem ad principium apprehenſiuum deductam magis ab homine percipi: quia, vt ait Philoſophus lib. de ſomno, & vigilia cap. 2. *Amantes modica ſimilitudine in rei amatæ apprehenſionem mouentur; & illud, quod proponitur imaginationi, iudicant proſequendum*. Nam illud homini aliqua paſſione detento videtur eſſe bonum, ad quod per paſſionem inclinatur. Hinc eſt, quòd multi operante dæmone varijs cogitationibus ita torquentur, vt vix die, noctuque conquieſcant: illi præcipuè, qui alicuius effrænatæ paſſionis furijs agitantur: ita enim cogitationibus rei amatæ ver. gr. addicti ſunt, vt ſi parumper auerti contingat, reuertantur citiùs in idipſum. 263 *Per appetitum.*

Hoc experientia comprobatum eſt in quodam Presbytero Bergomenſi, qui ab omnibus ſimplicibus, & ignaris ſuſpiciebatur vt ſanctus, hic præ nimio amore, quo diuerſas ſuas filias ſpirituales adoleſcentulas etiam ſatis pulchras proſequebatur, in plures pro lapſus eſt errores, de quibus conuictus, ac ſpontè confeſſus anno Domini 1662. in aula Palatij Epiſcopalis coram Eminent. ac Reuerendiſſimo D. D. Cardinali Gregorio Barbadico Epiſcopo Bergomi, ac Reuerendiſſimo Patre Inquiſitore generali S. Officij, aſſiſtente Excell. D. Vicario Prætorio, ac cæteris, ad quos ſpectat, præſentibus vocatis Presbyteris multis, & aliquibus omnium Religionem Regularibus condemnatus eſt, prout infra. Quorum errorum, vt alij diſcant eos euitare, ſummarium hic ſubijciam ex actis publicis Sanctæ Inquiſitionis extractum.

Art. I. *Conuentus, ac Congregationes faciebat mulierum ſecretò, ne ad aures Superiorum notitia perueniret, à quibus vocari poſſet.*

Art. II. *Sæpiùs ſolus cum ſola clauſo oſtio manebat.*

Art. III. *Docebat modum orandi paſſiuè, ideſt, manere genuflexum non eliciendo aliquem actum intellectus, vel voluntatis, ſcilicet actus theologicos Fidei, Spei, Charitatis, vel morales, etiam meritorios, qui fiunt per intellectum, ac voluntatem.*

Art. IV. *Prohibebat meditari Paſsionem Chriſti.*

Art.V. *Dixit, quòd quærere humilitatem, patientiam, aliaſque virtutes eſt impedimentum in via Dei, ac murus, qui ſeparat à Deo.*

Art.VI. *Dixit, quòd anima à Deo ad ſe tracta non indiget aliquo genere mortificationum.*

Art.VII. *Dixit, non eſſe reſiſtendum diabolicis tentationibus.*

Art.VIII. *Docuit quandam Salutationem Angelicam.*

Art. IX. *Laudauit Pelaginos Valcamonicæ eo tempore, quo ſciebat aliquos eorum eſſe carceribus mancipatos Brixiæ, ac fuiſſe in manibus eorum inuentum librum continentem propoſitiones hæreticales, & erroneas.*

Art.X. *Dixit, quòd ſecuri erant de ſua ſalute illi, qui obediebant eius præceptis, & obſeruabant ipſius documenta.*

Art.XI. *Prohibuit ſuis Sectatoribus confiteri peccata Regularibus: & aliquibus præcepit, vt ei ſoli confiterentur.*

Art.XII. *Dixit, quod tactus carnales inter hominem, & mulierem non ſunt peccatum in illis, qui ad perfectionem peruenerunt.*

Art.XIII. *Præcipiebat ſuis filiabus ſpiritualibus, vt aliæ emitterent tria vota, ſcilicet, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, aliæ duo, aliæ vnum.*

Art. XIV. *Conuerſans cum mulieribus prædictis ſolus cum ſola tactus carnales committebat.*

Art. XV. *Dixit ſe numquam tetigiſſe, aut oſculatum fuiſse aliquam mulierem vetulam.*

Prædictus Presbyter à Superioribus in Tribunali S.Inquiſitionis

Primò, *fuit condemnatus ad clauſum manendum in aliquo Monaſterio per triennium cum obligatione recitandi ſemel in hebdomada Veſperas mortuorum, ac tertiam partem Roſarij.*

Secundò, *fuit exilio demandatus à ſua patria abſque limitatione temporis, ita quòd non poſſit ei appropinquare ſpatio decem milliarium, reſeruando Sancto Officio facultatem alterandi huiuſmodi penitentias.*

Tertiò, *fuit ei preceptum impoſitum ſeuerè non ampliùs faciendi huiuſmodi congregationes, nec aſſumendi directionem perſonarum, ac præcipuè mulierum.*

Quartò, *fuit condemnatus ad abiurandum tanquam vehementer ſuſpectus de hereſi, & ſpecialiter abiurauit articulum ſeptimum, & duodecimum.*

Mulieres verò eius filiæ ſpirituales, ac ſectatrices, quæ erant circiter 24. nulla fuerunt publicè pena multatæ, quia cum mihi onus formandi inquiſitionem contra prædictum Presbyterum fuiſſet impoſitum, tempus gratiæ propoſui eas inuitans ad ſponte comparendum, quę ſponte coram me comparuerunt deponentes contra ſe, & alios id, ad quod per leges tenebantur, ideoque liberæ à quacunque pænitentia publica euaſerunt.

Videas modò benignè Lector, quibus decipulis dæmon capiat incautos, eorumque intellectum per appetitum effrænatum in errores inducat deteſtabiles.

§. IV.

AT licèt vtraque via, nempe per ſenſus, & appetitum ſenſitiuum poſſit dæmon in intellectum cogitationes introducere; non tamen valet eum compellere ad cogitationes malas ſimpliciter: quia voluntas poteſt imperare intellectui, vt aliò ſe conuertat, nempe ad contemplationem Diuinorum, quibus intellectus non facilè à prauis cogitationibus per ſpiritum nequam immiſſis diſtrahitur. Sic enim experimur in nobis, quòd nonnumquam apertis oculis prætereuntes vel non videmus, vel videre non attendimus propter fortem imaginationem, vel ſpiritus attentionem. Quare non facilè dæmoniacæ ſuggeſtiones obtruduntur ijs, qui in bonis occupantur; ſed ocioſis, qui primæ cogitationi obuerſanti inhærent. 264 *Neutro modo poteſt impellere ad cogitationes prauas.*

In hoc eſt laudanda quædam Adoleſcentula Diœceſis Bergomenſis, quæ nuper hoc anno 1664. habitum tertij Ordinis Sancti Franciſci ſuſcepit, cui aliquoties dęmon apparuit modò diurno, modò nocturno tempore ſub ſpecie nunc vnius Iuuenis etiam conſanguinei, nunc alterius, qui eam diligebat, tentans, ac eam alliciens ad carnaliter peccandum, ac coeundum, plures actus immundos in conſpectu eius gerens; ſed ipſa ſemper ſtabilis, & inconcuſſa manſit in fide, ac fiducia in Deum eum inuocans, ac dęmonem contemnens, qui tandem illam grauiter percuſſit, ac laceràuit in mamillis, pectore, cruribus, quę hoc anno menſe Nouembris Bergomi ad me confugit omnia prædicta enarrans coram ſuo Confeſſario, quam ſacris benedictionibus muniui, ac documenta, quibus facilè huiuſmodi dæmonem Aſmodæum in fugam verteret, ac de eo victoriam referret, tradidi. Quam veritatem etiam in me ipſo ſæpiùs expertus, præcipuè anno 1648. Dum enim Paduæ in Conuentu S.Caroli occupatus eſſem in componendo, & ſcribendo Manuale Exorciſtarum, ac præſertim doctrinam de fide, ac fiducia in Deum collocanda, vt typis ederem contra diabolicas phalanges, ſerpens infernalis me ſuis ſtimulis vrgebat, vt oculum dextrum mihi eruerem, ac deinde Deum magna fide, ac fiducia deprecarer, vt illum mihi reſtitueret; quòd ſi vera eſſet illa doctrina, quam ſcribebam, vtique Deus illum reſtitueret, ſic poſtea huiuſmodi miraculū pro teſtimonio meæ doctrinæ referre valerem; ac de hac re ita vehementer meos ſenſus exagitabat internos, vt quoties manu ſcalprum librarium ſumebam, toties huiuſmodi renouabat tentationem: ac ſi nollem dictum oculum eruere, ſaltem acumine gladioli pupillam illius oculi leuiter tangerem. Ego autem virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu huiuſmodi diabolicas technas tanquam fumum diuino fauente Nomine diſperdebam.

§. V.

MAiora adhuc aggreditur in intellectu. Non enim ſolùm cogitationes excitat; ſed etiā ſcientiam infundere ſimulat, & æmulatur: vt videmus in Idiotis, qui arte dæmoniaca ſtatim fiunt periti. Poteſt enim verſipellis Doctor artes, & ſcientias aliquas ſuos edocere fideles, ſi Deus permittat, non tantùm voce ſenſibili, cum viſibiliter apparet, & loquitur; ſed etiam interna ſuggeſtione, locutione, & manifeſtatione ſui conceptus. Nam nihil illi facilius, quàm tùm exteriùs velociſſimè formatis ſimulacris in aere ita phantaſiæ proponere 266 *An poſſit immittere ſcientiam.*

ſpe-

ſpectanda ea, quæ docere vult, vt ſpiritus, quaſi in ſpeculo vno intuitu cuncta conſpiciat. Tùm interiùs ſpiritum ſenſitiuum expurgare ab humoribus denſioribus, & expeditiora reddere interni ſenſus organa, vndè expeditior naſcitur intellectio. Inſuper apta ad hoc tribuere pharmaca, & adhibere medicamenta agentium naturalium, & ſic velociſſimè ingerere, quæ interiùs vult à diſcipulis concipi, & retineri: vt ſæpè accidit in Anabaptiſtis hæreticis, & ordinariè in Magis, & maleficis, qui in inſtanti ab illo accipiunt ea, quę ſucceſſiuè, & in tempore forent addiſcenda. Sic in vita S. Norberti cap. 27. apud Surium 6. Iun. legitur, Idiotam quendam Sacrę Scripturæ ſubitò peritiſſimum reddidiſſe. De his legendus Delrius Diſq. Mag. *lib. 2. quæſt. 24.* ver. *Quintò*.

§. VI.

267 Omnis tamen illa cognitio non illuminatio, nec purgatio intellectus; ſed potiùs illuſio, & infectio dicenda eſt. Non enim tendit ad Deum; ſed malum finem reſpicit. Neque ſolùm tenebras mentibus offundit humanis; ſed etiam non rarò à recto mentis ſtatu deijcerę ſolet. Spiritus enim illi excitati imbecilles ſunt, & impuri, miſeroſquè homines non doctos faciunt, ſed fanaticos. Ideò ſi ſemel hos diſcipulos tenebrarum ad veram lucem venire contingat, ſtatim tota hæc profana peritia, & ſcientia diabolica euaneſcit; priſtinæque ignorantiæ docti illi ſubitanei reſtituuntur: vt experimento probant, qui relicta magia, & hæreſi catholicam veritatem amplectuntur. Hoc eueniſſe incomperto eſt Romæ anno Domini 1647., dum ibi cōmemorarer, peruenit illùc quidam puer annos circiter octo ętatis habens cum ſuo Magiſtro Religioſo cuiuſdam Religionis, quos ego vidi: qui quidem puer publicas theſes propoſuit diſputandas continentes totam philoſophiam, ac theologiam vniuerſam D. Thomę quas dicauit Summo Pontifici felicis recordat. Innocentio X. eaſque publicè defendit in Eccleſia Mineruæ pręſentibus multis Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, Theologis, Religioſis, ac cuiuslibet conditionis, ac ſtatus hominibus, qui omnes huiuſmodi puerum vt prodigioſum admirabantur, poſt quarum defenſionem multis à Cardinalibus donarijs acceptis vnà cum ſuo Magiſtro è Roma honorificè diſceſſit. At cum Lauretum perueniſſet, & quidam Prælati in magnam Eccleſiam Lauretanam eum adduxiſſent, obſeruarunt, quòd nec aqua benedicta frontem abſterſit, nec ſigno crucis chriſtianorum more ſe muniuit, ac tandem dum in ſanctiſſimam ædiculam Beatiſſimæ Virginis introducere vellent, illicò Dæmon illum ſe poſſidentem prodidit, voces clamoroſas emittendo; Magiſter verò illius aufugit, qui cum à Miniſtris Sanctę Inquiſitionis quæreretur, ſeipſum voluntariè ex alta turri pręcipitem dedit. Puer verò dæmoni abrenuncians totam illam ſcientiam à demone infuſam amiſit, ac priſtinę ignorantiæ reſtitutus in quodam Conuentu piorum Religioſorum incluſus ſub magiſtro catholico, ac pio educatus vitam in melius commutauit. Ex quo patet, quòd illius pueri ſcientia in publica Eccleſiæ Mineruę patefacta non fuit habitus acquiſitus, vel infuſus, ſed potiùs dæmonis illuſio, ſeù fanatica conſperſio, atque infectio. Contra quam vanitatem fusè ſcripſit Ciruelus *lib. de ſuperſt. par. 3. c. 1.* ac Ioan. Baptiſta Segnius *de opuſcul. cap. 8.*

ARTICVLVS II.

In Voluntatem.

§. I.

At in Voluntatem dæmon non tàm liberam aſſecutus eſt poteſtatem. Non enim poteſt illam mouere tanquam principium intrinſecum, quod ſolius Dei eſt illam creantis: ſed tanquam principium extrinſecum. Quod contingit tripliciter. Primò per illecebras appetitus ſenſitiui. Tanta eſt enim illius cum voluntate connexio, vt potentia concupiſcibilis pars voluntatis videatur. Vndè difficile eſt, vnam ab alia ſecernere in delectationibus ſenſitiuis, & determinare: an voluntas conſenſerit, an non. Secundò per excitationem cogitationum. Quamuis enim intellectus, & voluntas ſint diſtinctæ potentię diſtinctos habentes actus; tamen ita ſunt connexę, vt vna agente, alia ſimiliter agere videatur; cum ſemper ad actum voluntatis concurrat intellectus, ex cuius cognitione mouetur ad volendum. Tertiò per boni delectabilis, & apparentis obiectionem. Obiectum enim mouet potentiam; & potentia ſine obiecto moueri non poteſt. Quare cum dæmon valeat mouere appetitum ſenſitituum per motionem ſanguinis, ſpirituum, & humorum: cogitationes immittere per irritationem ſenſus, & appetitus ſenſitiui: & obiectare ſpeciem boni delectabilis, & conuenientis per miniſterium ſenſuū, & phantaſiæ, poteſt etiam mouere voluntatem, & affectiones excitare, non efficienter, & principaliter agendo: ſed ſubminiſtrando ea, quibus tanquam lenocinijs demulceri valet. Quod teſtatur D. Auguſt. *lib. 83. qq. loquens de dæmone. Serpit*, inquit, *hoc malum per omnes aditus ſenſibiles, dat ſeſe figuris, accommodat coloribus, odoribus ſe ſubijcit, infundit ſaporibus. Quod nihil aliud eſt, quàm ex his illicitis delectationem in animo prouocare.* Quare ſicut in materialibus ille dicitur ignem accendere, qui pabulum igni miniſtrat, & ei aliquid combuſtibile applicat; ita in ſpiritualibus dæmon dicitur malas accendere in voluntate affectiones, cum ſenſui, appetitui, & concupiſcentiæ, ſeù peruerſæ libidini pabulum offert obiectorum carnalium, & terrenarum affectionum; ferueręque facit ſanguinem; aut humores mouet, vt voluntas ad concupiſcentiam prouocetur. Hoc probauit in ſeipſo Bergomi anno Domini 1657. quidam Iuuenis Mercator ætatis annum agens circiter 22. qui vexabatur à ſpiritu ſuccubo, qui mihi enarrauit, iam ab aliquot menſibus ſibi noctu in cubiculo dum in lectulo ſtratus expergefactus iaceret, dæmonem apparuiſſe ſub ſpecie cuiuſdam adoleſcentulæ pulcherrimæ, quam ipſe amore proſequebatur, quam videns exclamauit, ſed dæmon ei ſtatim ſilentium indixit, afferens ſe eſſe Adoleſcentulam, quam ipſe amabat, illucque migraſſe, quia à matre fuerat percuſſa alapa, idcirco ſe indignatam è domo aufugiſſe, & acceſſiſſe ad inuiſendum ſuum dilectum. Ipſe autem benè nouit illum non fuiſſe Tereſiam, ſed dæmonem aliquem familiarem, nihilominus poſt diuerſas collocutiones, & aliquos amplexus ſecum concubuit, ac poſt concubitum eum admonuit ſe non eſſe Adoleſcentulam, ſed dæmonem ipſius amatorem, qui die, noctuque ei vt ſocium ſe præberet, ac coiret, ſic aliquot menſes proſecutus eſt, donec à Deo per meum miniſterium totaliter liber euaſit, ac de peccatis 268

Nō poteſt mouere voluntatem dæmon vt principiū intrinſecum, ſed vt extrinſecum, et hoc per Illecebras affectus ſenſitiui, Immiſſionem cogitationū, Delectabilis obiectionem.

catis ſuis pęnitentiam egit. En quibus pedicis dæmon Iuuenem traherat in naſſam.

§. II.

269 His tamen artibus non valet dæmon voluntati neceſſitatem imponere. Siuè enim excitatis imaginarijs illuſionibus: ſiuè paſſionibus inflãmatis: ſiuè obiectis amabilibus, aut odibilibus propoſitis, ſemper libera manet, & ſui actus domina. Euicerit dæmon ſenſum vtrumquè internum,& externum, nondum rationem perſtringit. Sed eſto rationem occupauerit per obiecta in potentia cogitatiua repræſentata, adhuc voluntatem cogere non poteſt. Mænia vrbis, & portas occupauit, nondum inuaſit arcem. Oſtentat afforis delicias, & diuitias, remanens præforibus ſenſuum non peruertit mentem. Actu allicitiuo demulcet voluntatem, non tamen extorquet actum eius elicitiuum; Nam eius eſt facultatis elicere,vel non elicere; conſentire, aut diſſentire. Poteſt quidem moueri ſimplici apprehenſione; non autem cogi plena determinatione. Semper ſui iuris eſt, & liberè poteſt reſpuere, quæ ſenſus, & ratio dictant: quæ appetitus, & concupiſcentia offerunt: quæ dæmon & eius miniſtri repręſentant. Nam nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas: vt benè dixit Auguſtinus *lib. 1. de Retract. cap. 22.*

Non tamen ei poteſt neceſſitatẽ imponere cũ ſemper libera maneat.

ARTICVLVS III.

In Memoriam.

§. I.

270 Deniquè in memoriam intellectiuam dęmon ſuam conatur exercere virtutem, eam vel fortem: vel debilem reddendo; non quidem immediatè operando ſcilicet in illa, aut altera; ſed mediatè ſcilicet operando in memoria ſenſitiua. Nanquè pro ſtatu iſto iſtæ potentiæ ſenſitiuæ ſubſeruiunt intellectiuis, vt intellectus nil actu intelligere valeat, niſi phantaſia phantaſietur circa phãtaſma tali obiecto intellecto accomodatum. Phantaſia autem ad hoc vt operetur,indiget ſpeciebus phantaſticis. Hę autem in memoria ſenſitiua veluti in quodam penu conſeruantur, ex quo promuntur, quando ijs operari volumus. Et quò promptiores hæ ex penu ſenſitiuo promuntur, eò faciliùs, & promptiùs etiam memoria intellectiua ſuas correſpondentes ſpirituales imagines depromit; ac ſic promptè præteritorum aliàs à nobis cognitorum recordamur. Si ergo dæmon vult memoriam ſenſitiuam fortem reddere ſpeciebus vel recipiendis: vel retinendis, reddit illam ampliorem,& tenaciorem vtroquè modo; quo vtitur in ſuis operationibus, ſcilicet, motu locali, & applicatione agentium naturalium. Nam vel impedimenta motu locali tollit, ſcilicet, humiditatem nimiam, propter quam ſpecies cõcreditas fluere, & dilabi, neceſſe eſt. Vel applicatione iuuantium remediorum moderatam ſiccitatem inducit, ob quam imagines rerum profundiùs imprimuntur, & impreſſæ longiùs remanent.

Poteſt dæmon memoriã iuuare, ac debilitare.

§. II.

His adde diſpoſitionẽ organi, quod ita adaptat, vtq; aptius ſit ad recipiendum, & retinendum. 271 Talem puto fuiſſe memoriam Athalidæ apud Laertium lib. 8. *in vita Pythagoræ*. Talem Apollonij Tyanæi, quam laudat Suidas.

Quòd ſi illam potentiam debilitare, aut omninò tollere deſiderat, contrarijs vtitur modis, & ſic intentum conſequitur. Talis fortaſſe fuit obliuio Simonis Thuruaij Angli, de quo Delrius lib. 2. Diſq. Mag. qu. 24. Hic cum eſſet dialecticus acutiſſimus, & artium liberalium Pariſijs profeſſor magni nominis, plenior ſcientia, quæ inflat, quàm charitate, quę ædificat,temerè in Scholis,& palam non eſt veritus iactitare, ſe ſcire totam Chriſti legem, & improbando eam poſſe annihilare, ſed ita ſubita obliuione percuſſus fuit, vt primarum litterarum oblitus nec Dominicam orationem pronunciare, nec alphabetum legere ſciret. Quod factum eſſe, Deo ſic volente, nemini eſt ambigendum.

Cum tamen non poſſit dęmon ſpiritui humano illabi, nec ſufficienter in illius potentijs operari, quauis ſit ipſe ſpiritus, ſequitur, eum non poſſe homines reluctantes ad peccatum impellere: aut in peccato detinere. Vndè ſi ſagæ,Magi, & malefici pręcipites feruntur ad maleficia, hęc libenter faciunt. Voluptates, deliciæ, diuitiæ, res omnes ſenſibiles promiſſæ, vel oblatę eos incitare poſſunt, cogere non poſſunt. Si obſtinato animo perſeuerant in maleficijs perpetrandis, voluntariè perſeuerant. Suggeſtiones, conſilia, pacta, & alia huiuſmodi obſtinationem poſſunt fouere, non cauſare. Pæniteant ſeriò, Deo reconciliabuntur etiam renitente diabolo. Plus enim potens eſt Deus in benefaciendo, quàm dæmon in maleficiendo. Et plus paratus eſt Deus benefaciens homines in gloriam introducere, quàm dæmon malefaciens detrudere in gehennam.

Cũ tamẽ non poſſit illabi animæ, nec poteſt efficienter in eius potentijs operari: nec ad peccatũ impellere reluctãtes.

SECTIO II.

In Animam.

Qvamuis vnica ſit hominis Anima, duæ tamen ſolent aſſignari eius portiones, ſcilicet, Superior, quam ſpiritum vocamus, in qua 272
tres illę potentiæ reſident nullo organo corporali alligatæ,de quibus locnti ſumus. Et Inferior,quam nominamus Animam, quæ dicitur ab animando, in qua virtutes vegetatiuæ, & ſenſitiuæ continentur. Et ità, ſicut vegetatiua triplici ornata eſt facultate: nutriendi: augendi: & generandi: Sic ſenſitiua tum apprehenſiuis exterioribus, & interioribus: tum appetitiuis concupiſcibilibus, & iraſcibilibus prædita eſt; in quibus omnibus dæmon diuerſa agere poteſt, ſi à Domino concedatur, vel locali, vel applicatiua operatione: vt duobus articulis palam fiet.

Anima dicitur ab animando, quæ duas continet vires Vegetatiuam Senſitiuam In vtraque operatur dæmon.

ARTICVLVS I.

Vegetatiuam.

Et primò quidem potentias vegetatiuas adoritur, quarum actus, aut impedit, aut iuuat. 273

Quoad

Quoad Nutritiuam.

§. I.

Nutritiuam impedit varijs modis.

IMpedit nutritiuam, non ſolùm è beſtiarum rumis, & nutricum mammis lac eliciendo, mulgendo, & exſiccando, ex quo fætum marceſcere, neceſſe eſt; ſed etiam cibi in ventriculo recepti ſoluendo digeſtionem. Nam ſtomacho relaxato, eius viribus in aſtrictione ſitis diſſolutis concoctio reliquorum ciborum impeditur, qui ſemicocti, & ſemicrudi ſtomacho excidunt. Vndè oritur cruditas morborum omnium Mater, vt ait Galenus *lib. 1. de cibis boni, aut mali ſucci;* quæ quamuis ordinariè procedat, vel ex nimia ciborum quantitate, vt docet Franciſcus Valeriola *locorum communium lib. 2. c. 6.* vel ex eorum qualitate contumaci: vel ex varietate ſimul aſſumpta, teſte Diſario Medico *apud Macrobium lib. 7. Saturnal. c. 4.* & Socrate: vel ex eo, quòd iuſtum deeſt interuallum ad perfectam concoctionem: Extraordinariè tamen diabolica operatione cauſatur. Vbi verò introducta eſt, Chylus, aut ſuccus, qui ex cibis conficitur, eſt crudus, ſeù malignè à ſtomacho confectus, & inquinatus potiùs, quàm concoctus: Ex illo chylo non poteſt in Epate ſanguinis officina confici probus ſanguis; ſed vitioſus, quia ſecunda concoctio, vt aiunt Medici, non poteſt emendare primam: Ex vitioſo ſanguine non fit proba nutritio; ſed neceſſe eſt, vitioſum exiſtere corporis temperamentum, & morbis obnoxium: Nam tertia concoctio, quæ in poris minutiſſimis toto corpore agitur, vbi ſanguis parti cuilibet alendæ aſſignatur, & vltimò diſponitur ad eius formam ſuſcipiendam, non poteſt emendare ſecundam. Hac ratione per cruditatem totius corporis temperamentum ſenſim mutatur, & deprauatur. Venæ per totum corpus impuro, & multis humoribus prauis permixto ſanguine replentur, qui tractu temporis putreſcunt; & tandem data occaſione per laborem, æſtum, frigus, ventum, &c. in graues, periculoſas, & mortales febres accenduntur. Fumi in caput emittuntur, vndè nebulæ, tuſſes, aſthmata, aliaque pulmonis mala; Viſcera prauis humoribus, & materia febrili replentur, dum partim in bilioſos: partim in flegmaticos ſuccos cibi conuertuntur. Denique in ventriculo obſtructiones, inflationes, tormina, morſus, lancinationes cauſantur; atq. ità corporis, & animi functionibus læſis, quotidiè vita decreſcit, tabeſcunt artus ex defectu nutritionis; & tandem longa inædia miſer homo perire cogitur. Nec hic ſiſtit demoniacæ virus malitiæ: Sepiùs enim caninam famem inducit, quę qualicumque ciborum multitudine compeſci non poteſt; immò quò largiùs manducatur, & bibitur, eò magis eſuritur, & ſititur, toto corpore interna pallente, & ſitum æthiopicæ cutis obducente, donec omninò deficiat. Quorum omnium plures ſæpiſſimè varijs temporibus huiuſmodi moleſtijs affecti ad me confugerunt, qui diuino ſuffulti auxilio à quacunque diabolica vexatione liberi remanſerunt. Huius rei teſtes oculati fuerunt parentes, ac conſanguinei cuiuſdam Pueri, qui anno Domini 1665. mẽſe Iulij, dum Venetijs exiſterem, fame canina, vel lupina ita afficiebatur, quòd licèt à mane vſque ad veſperas inceſſanter manducaſſet, numquam ſaturari poterat; ſed continua macie extenuebatur. Maternus Auus D. Filippus Braſius meus familiaris pręſentibus pueri parentibus, ac conſanguineis hæc mihi enarrauit: quare illis à me benè inſtructis in fide, ac confidentia in Deum, ac poteſtate à Deo, & ab Eccleſia mihi tradita, præcepi dæmoni, ne puerum fame afficeret, deinde admonui Auum, vt ipſe puerum interrogaret: an eſuriret, vel non: qui ſtatim reſpondit: minimè. Deinde latino idiomate præcepi dæmoni, vt iterum puerum fame vexaret, & immediatè monui Auum, vt idiomate vulgari puerum interrogaret, vt ſupra, & ipſe illicò, reſpondit iuxta præceptum à me dæmoni factum: quas interrogationes negatiuè oppoſitas ſepties, vel decies repetij, & Puer ſemper, reſpondit Auo interroganti, prout ego dæmoni præceperam. Tandem præcepi dæmoni, ne vllam amplius operationem in puero exerceret, qui Deo fauente perfectę ſanitati reſtitutus eſt.

Præcipuè Soluendo ſtomachum, vndè morbi

Caninã famem immittendo.

Alij ita à dæmone affecti ſunt, quòd ſpreto cibo naturali ad nutritionem apto, terra, carbone, corio, & ſimilibus ad nutritiønem ineptis veſcuntur, eaque magno deſiderio inquirunt. Sic anno 1658. quidam homo Diæceſis Bergomenſis annos natus 35. toto corpore pallens, varioſque in ſtomacho, ac cæteris corporis membris dolores ferens coram me à ſua Vxore ductus fuit, quæ mihi aſſeruit, eum nolle cibos aptos ad nutritionem ſumere, ſed terram, & carbonem, ideoque ſpatio vnius menſis magnam carbonis ſportam manducaſſe; quod etiam ipſe affirmabat dicens, ſe maiori guſto carbonem, ac terram manducare, quàm cibos lautos; qui fauente Deo ab huiuſmodi dæmonis vexatione liber euaſit. Sic quædam Adoleſcentula quindecim annos nata ex parentibus diuitibus Bergomatibus maiori guſtu manducabat corium cathedrarum, quam lautos cibos. 274

Eandem nutritiuam iuuat multiplicitèr Præcipuè Tollendo ſuperfluitates à ſtomacho. chylum bonum faciẽdo.

Quòd ſi nutritionem iuuare deſiderat, nec poteſtas, nec induſtria, nec varia pharmaca digeſtioni proficua illi deſunt, vt hinc cruditatem è ſtomacho, putredinem è venis, obſtructiones viſcerum, ſuperfluitates iuncturarum, & totius corporis humores ſuperuacaneos tollere valeat: Illinc ex cibis chylum facere naturæ conuenientem: ex chylo probum ſanguinem; ex bono ſanguine bonam totius corporis nutritionem; ex bona nutritione bonum temperamentum, & debitam humorum proportionem, atquè ſymmetriam, tàm ſecundum qualitatem, quàm ſecundùm quantitatem, ex quibus longæuitas, & extrema ſenectus procedunt. Quod vidi apertè adimpleri Venetijs anno 1662. in quadam Adoleſcentula vidua à dæmone obſeſſa, quæ nullo alio cibo veſcebatur, quàm ouis putridis, quorum quotidie comedebat pluſquam ſeptuaginta, & ita conſeruabatur pinguis, atque robuſta. Sed ſtatimac coram me fuit adducta præcepi dæmoni, ne vllam amplius operationem in ea exerceret: ſic immediatè non amplius oua putrida, ſed cibos ordinarios, quibus alij familiæ ſuæ veſcebantur, comedere cępit, ac tandem à dæmone libera permanſit.

Alio modo dæmon adiuuit nutritionẽ in quodam Homine Bergomẽſi à Gandino, qui mihi enarrauit ſe biennio à dæmone varijs tormentis in corpore fuiſſe vexatum, ſed præcipuè ſe ab hominum conſortio aufugere coactum, in nemoribus ſe abſcondere compelli, ita vt menſe Nouembris anni 1665. quadam nocte è domo ſuo aufugiſſe, ac ſe abſcondiſſe in quadam ſpecu in nemore ſupra Gandinum ſito, nemine ſciente, vbi manſit ſexdecim diebus ſine vllo cibo, ac toto illo tempore bis tantùm bibiſſe parum aquæ in fundo cuiuſdam Ciſternæ, in quam deſcendebat noctu tempore obſcuriori manibus, ac pedibus ad ſimilitudinem pecudum per nemus progrediens, die verò ſemper abſconditus manebat in illo ſpecu; tandem diuino auxilio ſuffultus cæpit ſe eſſe hominem cognoſcere, ac recitauit

tauit coronam D.N.Ieſu Chriſti, cuius adiutorio ad ſe reuerſus domum ſuam petijt, ac manducauit. Iterum autem anno 1667. huc illucque per nemora diſcurrebat, ac diebus 24. ſine cibo, ac potu abſconditus permanſit, in quodam ſpecu tandem inuentus à ſuis filijs coram me ductus, ac in fide, ac confidentia in Deum inſtructus facto dæmoni præcepto de egreſſu, à dæmoniaca tyrannide liber diſceſſit. Ex quo manifeſtè apparuit, dæmonem in eo nutritionem iuuaſſe, cum tot diebus manſerit ſine cibo.

Sed circa hanc facultatem iuuandam progreditur in vlteriùs, præcipuè in ſagis, & mulierculis, quibus vtitur ad incautos ſub ſpecie pietatis decipiendos. Sexum enim fœmineum, vt potè imbecilliorem dæmoniacis operibus aptiorem eſſe, docet experientia. Nam ſibi ſomnia fingit, quæ credit vera; quia paſſionibus admodum acribus,& vehementibus abundant. Citiùs imaginatur, & ægriùs, ac ſeriùs ab imaginatione recedit; cum ſit naturæ humidioris, & viſcoſioris, & humidum facilè commoueatur, & varias recipiat figuras. Dæmoniacas ſuggeſtiones vt plurimùm habet pro diuinis, & eò magis, quò talibus ſuggeſtionibus, viſionibus, & reuelationibus famam aucupatur, & nomen. Præterea mulieres ſunt vagæ, garrulæ, criminatrices, cerebroſæ, auaræ, laſciuæ, & laudis appetentiſſimæ, ideòquè eis quaſi inſtrumentis Cacodæmon vtitur in ſuis fallacijs concinnandis.

275 *Conſeruat perſonam ita vt homo ſine cibo viuat duobus modis.*

Inter ea verò, quæ in eis operatur, vt pro ſanctis ab omnibus reputentur, efficit, vt aliæ multorum menſium inędiam ferant: aliæ nihil omninò manducent, nec alio cibo vtantur, quàm Sanctiſſimo Sacramento; quòd ſi ſemel recipere omiſerint, videntur velle exhalare animam: ſi ſumpſerint, vegetiores,& alacriores apparēt corpore benè ſano, forti, nec vlla macie tentato, etiamſi ieiunæ perſiſtant, nec aliud cibi prægustent; quarè ſuſpiciuntur, & laudãtur à pluribus, præſertim ab alijs mulierculis, vel ſacerdotibus ſimplicioribus, qui vana illa ſpecie decepti non aduertunt vitiligatoris antiqui præſtigia, quem, certum eſt, ſagas illas dupliciter nutrire poſſe.

Primò modo Per humorem flegmaticum,

Primò interiùs in corpore: Vel per humorem flegmaticum crudum, lentum, atquè viſcoſum, quo naturalis calor (præſertim ſi debilior ſit) vtitur, donec totus abſumatur; qui humor, aut à morbo præcedente reſiduus, aut ab alia cauſa procedens, aut à dæmone cauſatus ſufficiens eſt pabulum calori illi, & conſequenter vitæ aliquo tempore ſine alio cibo prorogandę. Vel per materiam aliquam ſubtilem, & pituitoſam ex ſumma cerebri humectatione prouenientem, quæ à capite deſcendit in ſtomacum, & interea cædit, & ſeruit corpori in alimentum. His enim duobus modis, aut vno ex ijs toto eo tempore, quo ſaga à cibis abſtinet, quicquid expiratur, vel diffluit à corpore continuò ab hoc humore in alimentum conuerſo reſtituitur. Nec alio alimento opus eſt, quandiù vterquè hic humor durat. Sic reperti ſunt plures abſtemij ab omni cibo, & potu naturaliter. Vndè non mirum ſi operatione diabolica quidam ſunt non manducantes, nequè bibentes; cum ei facilè ſit prauas illas corporis affectiones excitare, quæ pabulum cædunt, & conuertuntur.

Vel Per materiam ſubtilem

Secundò modo Exteriùs eis præbendo cibos delicatiſſimos.

Secundò exteriùs prębendo prętenſis illis ſanctis, aut cibos delicatiſſimos, qui ſemel in die, vel rariùs accepti ſufficiunt ad vitam conſeruandam: vt ſunt confectiones ex rebus ſucculentis elicitè; aut pharmaca, & radices, quæ geſtatæ longo tempore famem repellunt: vt fertur de herba ſcythica, & alia hyppicè nominata, quæ teſte Matthiolo per duodenos,& ampliùs dies famem, ſitimquè tollunt. Quem effectum etiam apud Indos habere herbam Coca tradunt, qui de ijs Nationibus ſcripſere. Hęc autem inuiſibiliter poteſt nutritor ſubdolus adminiſtrare; & nutriti fallaces ab eo accipere, alijs vel dormientibus, vel non aduertentibus. Sic creditur feciſſe cũ illa ficta beata, de qua ſupra *diſp. 1. n. 160.*

Nam faſſa eſt in iudicio, ſe antequam Eccleſiam peteret ad ſacram ſumendam Euchariſtiam, domi priùs benè manducaſſe, ac bibiſſe: quis autem illi cibos ſubminiſtraſſet, tacuit. Tali modo conſeruabatur illa, de qua narrat B.Proſper infra to.2. diſp. 4.par.3. vbi de Euchariſtia.

Quoad Augumentatiuam.

§. II.

Sic augmentatiua facultas poteſtati diabolicę ſubdita eſt; eamquè vt pręcedentem vel impedire, vel iuuare poteſt. Et certè ſi naturali virtute Gigantes, & Pygmęi naſcuntur, quare non vi diabolica, cum dæmones per motum localem omnia poſſint (ſi à Deo ſinantur) quę naturaliter fieri queunt? Hoc clarè probaretur, ſi vera eſſet quorundam Patrum opinio Clementis Alex. Iuſtini *in vtraquè Apologia*, Tertull. *lib. de Habitu muliebri*. Ambroſij *lib. 1. de Noe, & Arca cap. 4.* & aliorum, qui cenſuerunt Gigantes ante diluuium ex dæmonum, & mulierum concubitu generatos fuiſſe, de quibus dicitur Geneſis 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, ſumpſerunt ſibi vxores*; ſed quia ſpirituales Angelos eſſe, Scriptura ſacra teſtatur Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſpiritus*. Et Lucæ 24. *Spiritus carnem, & oſſa non habet*. Nec non Eccleſiæ ſententia definiuit in ſimbolo Nyceno, vbi Deum creatorem viſibilium & inuiſibilium pronunciat: Et in Conc. Later. ſub Innocentio III. cuius verba habentur *in c. Firmiter credimus de ſumma Trinit. Creator omnium viſibilium, & inuiſibilium: & ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramquè de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem; angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Conſentitquè communis Doctorum ſententia. Dicendum eſt, dæmones per ſeipſos Gigantes, aut pigmęi generare non poſſe; Eſſe tamen in eorum poteſtate (ſi à Deo ſinantur) vt illi, qui generantur, vel communem ſtaturam excedant; vel ad illam non perueniant, vt ſic gigantes; vel pygmæi procreentur. Nam poſſunt ſuis artificijs tam viris, quàm mulieribus maiorem voluptatem afferre, & illam augendo, ſemen abundantius, craſſius, calidius, & ſpiritibus affluentius elicere; præſertim ſi vtriquè ſint calidioris, & robuſtioris naturæ, multoque abundantes ſemine, ex quo corpora procerioris ſtaturæ formantur. Sicut è contra, ablata voluptate calorem, & craſſitudinem ſpiritus ſeminalis diſſipare, ſemenq. liquare, & frigefacere, ex quo filij naſcuntur pumiliones. Quę ſi operari valet in copula viri, & mulieris, idem præſtare poteſt, cum rem veneream habet, vel vt ſuccubus cum viris: vel vt incubus cum mulieribus: vt patebit, ſi modum attendamus, quo circa facultatem generatiuam in copula tum humana, tum diabolica operatur. 276

Augmētatiuam Vel Impedit, Vel Iuuat. Ita vt naſcantur, Vel Gigantes, Vel Pygmæi.

Siuè in copula viri, & mulieris.

Vel dæmonis incubi, & mulieris

Quoad Generatiuam.

§. III.

277 CErtum eſt in copula humana etiam licita dæmones quandoque interuenire, & ſuis maleficijs generationem rarò iuuare: at cum hoc faciunt, malo fine faciunt. Quod facilè credendum eſt de quadam muliere vxore cuiuſdam Sutoris Bergomatis, quæ anno Domini 1654. ad me confugit dolens de ſua miſeria, & paupertate, quia aliquoties pepererat vno partu duos filios, ſic breui tempore vigintiquatuor filios pepererat, quos cum modicas vnà cum marito poſſideret facultates, niſi cum maxima difficultate enutrire poterat. Quæſiui ab ea, an aliquem dolorem, vel grauitatem in corpore ſentiret, reſpondit ſe in ſummitate vnius coxæ propè matricem ſentire veluti pilam grauem. Præcepi dæmoni, ſi fortaſſe ipſe cauſaret talem grauitatem, illicò diſcederet ab eo loco, qui immediatè ſe prodidit mutando ſe de loco ad locum. Propterea poſt debitam inſtructionem in fide, dęmoni à me facto pręcepto de diſceſſu, ſtatim à tali moleſtia libera permanſit; nec amplius geminos concepit filios. Sæpiſſimè verò impedire, & alterare ſolet. Quod ipſos poſſe, ratio clarè manifeſtat. Poteſtas enim eorum maior eſt omni poteſtate creata; Si ergo opere humano poteſt aliquis fieri potens, vel impotens ad carnalem copulam, quare non diabolico? Sic varijs modis ei impedimenta ponere conſueuerunt. Aliquando enim efficiunt phantaſmate, ſeù ſpectro interiecto; aut aliquo alio medio interpoſito, ne corpora mutuò appropinquare valeant. Aliquando vnum alteri exoſum reddunt, imaginationem turbãdo. Et quamuis ſeparati ſe ament ardentiſſimè; tamen ſtatim ac ſunt in proſpectu, alter alterum vel fugit, vel aggreditur calce, pugnis, vnguibus, morſu; quaſi hoſtem infenſiſſimum. Aliàs efficiunt, vt perſonæ, corpora, & generationis organa appareãt horribilis formæ, vel fęditatis intolerandæ: Sępè ſpiritus vitales intercipiunt, & ſic impediunt ſeminis deciſionem: vel ſi non impediunt, illud exſiccant, & ſubtrahunt. Sępiſſimè ligant, coarctant, abſcondunt, retrahunt, & adimunt: vel de facto, vel apparenter inſtrumenta generationi dicata; alijſque modis, quos videre eſt apud Caſiſtas. Poteſtatem exercent circa vim, & actum potentię generatiuæ; quia actus ille fędus cum ſit; & vt plurimùm coniungantur homines libidinoſè, ideò plus dæmonibus permittitur in eo, quàm in alijs. Quod monet ſapienter Raphael, dum Tobiam compellat metuentem, ne idipſum ſibi eueniret, quod alijs ſeptem viris iunioris Saræ, quos Aſmodęus interfecerat non in conuiuio, ſed in lecto. *Audi me*, inquit, *c.6.* (vtinam etiam omnes audirent coniugati) *& oſtẽdam tibi, qui ſunt, quibus praualere poteſt dæmonium. Hi ſunt namquè qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſua libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dęmonium ſuper eos.* Horum omnium plures prædictis maleficijs affecti varijs temporibus ad me confugerunt, qui etiam diuino fauente auxilio ab huiuſmodi dęmoniacis vexationibus liberi euaſerunt. Sed de his latè *infrà diſp.3. huius tomi n.657. & ſequentibus*.

Generatiuã rarò iuuãt.

Sæpè impediunt.

Interueniunt in copula humana etiam licita.

Varijs modis.

In his præcipuè qui ſunt libidinoſi.

278 Similiter certum eſt, dęmones cum Maleficis rem veneream habere. Nam etſi incorporei ſint, & puri ſpiritus, poſſunt tamen corpus ex aere, vel alia materia compactum formare, calefacere, mouere, & per illud copulam exercere: ſicut omnium Doctorum ſententia, & omnium ſæculorum experientia comprobatur; ità vt illud negare impudentiæ videatur, ait S. Auguſt. *lib.15. de Ciuit. Dei cap.23.* Inſuper ad libitum ſexum ementiri queunt; & nunc ſe viris ſub ſpecie fæminæ ſubijcere: nunc fęminis ſub ſpecie viri ſuperiacere, atquè ita modò ſe incubos, modò ſe ſuccubos exhibere: vt memorat etiam Innocentius VIII. *in Bulla contra maleficos, quæ incipit: Summis deſiderantes*. Quamuis inter illos ſexus diſcretio non reperiatur, ex qua vtraquè copula aliqua proles ſuſcipi poteſt; Nõ quòd virtute propria, & ex propria ſubſtantia, ſicut homines, & animalia generare, aut concipere poſſint: Ex ſeipſis enim ſemine proprio carent, quod eſt ſubſtantiæ corporeæ viuentis pars, & reſiduum cibi concocti, & optimè digeſti; ideò illud aliundè mutuãtur, prout variè incumbunt; aut ſuccumbunt.

Habent copulam

Si incumbunt vt viri, procurant ſemen, aut quod homines emiſere pollutionem patientes: aut quod ipſi ſuccubendo ex hominibus ſuſceperunt. Suſceptum verò his duobus modis ea, qua ſunt, agilitate, deferunt. Delatum in ſuo calore prolifico quantumuis ſit ſubtilis, & ardens, ac facilè diſſipabilis, conſeruant; & conſeruatum in momento, quo mulier ad concipiendum apta eſt, matrici infundunt: muliebriquè ſemini commiſcent: ex qua commixtione in fæmineo vtero facta aliqua proles naſci poteſt, vt benè affirmant Arnobius *lib.5. contra Gentes*, Alexander Alenſ. *p.1.q.78.* D. Bonau. D. Thom. Scotus, Durandus, Gabriel, & Paludanus *in 2.d.8.* Martinus de Arles, Franciſcus Valeſius Medicus, & Delrius *lib.2. diſquiſ. mag.q.15.* Quæ proles ſi ſequatur, dęmon incubus genitor dicendus nõ eſt; quia generare præſupponit animam vegetatiuam, & nutritiuam, quam ille non habet; & ſic operationes eiuſdem animę habere nequit. *Nam cuius non eſt potentia, eius etiam nec eſt actus*, ait Ariſt. *lib. de ſomno, & vigil. & 9. Metaph.* Neq. proles filius, aut filia dęmonis nominanda eſt: ſed eius hominis, cuius ſemini abuſus eſt dęmon: vt rectè obſeruat D. Thomas *quodlibeto 5. a.8. ad 6.* Quia verè generat ſibi ſimile, & ſpeciem propagat propriam, non aliam. Sic ſuſceptos, & natos fuiſſe antiquos Semideos, Merlinum, Lutherum, pluresquè alios, dicunt. 279

Cum mulieribus, vt incub

Quòd ſi ſuccumbunt, & poſſint in aſſumpto corpore ſemen in corpus organicum cõmutare, vt perficiatur tota corporis fabrica: ſupplere continuã animæ vegetantis in fætu alendo operationem: & alia id generis præſtare, quæ matres faciunt, poterunt etiam ſuccubæ concipere. Quòd ſi non poſſunt omnia illa peragere, vt probabile eſt; nec etiam concipere poterunt. Ideò dicendum eſt, filios ex matre ſuccuba natos, vel ſuppoſititios alterius fęminę partus: vel proles ementitas eſſe cenſendos: vt patet in puerulis, qui ex ſuccuba, vt dicitur, nati, vagiones vocantur, ſemper vagientes, lacte inſaturabiles, macilenti, & ponderoſiſſimi: Nam poſt aliquot annos euaneſcunt. 280

Cum hominibus, vt ſuccubi.

Quæ omnia etſi vera ſint, & ex ordinario Sagarũ, & maleficorum cum dæmone coitu poſſibilis ſit generatio ſecundùm Theologorum placita eo modo, quo diximus; tamen communiter non fit: cum dęmon non homines generare; ſed horrendis ſpurcitijs fædare contendat, vt animas certiore inuoluat exitio, & corpora iniuria afficiat fædiore, vt ex ſequentibus exemplis planè conſtat.

In primis anno Domini 1649. Venetijs quidam ex mãdato Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D.D. Nuncij Apoſtolici me rogauit, vt exorcizarem quamdam mulierem obſeſſam, quę ſequenti die me inuiſit ad ianuam Conuentus Sancti Bonauenturæ indutã habitum

bitum ſororum tertij Ordinis Sancti Franciſci, ſed valdè lautum, vanum, & exuberantem, quæ pariter obnixè me rogauit, vt illam à dęmoniacis vexationibus liberarem, erat mulier ſatis pulchra, triginta quinque circiter ætatis annos habens, ſed admodum vana; Nam mihi quærenti: quas vexationes dęmon illi inferret, reſpondit: Sunt circiter decem, & octo anni, quibus dęmon ſub forma viri abutitur carnaliter corpore meo, etiam dum viuebat maritus meus, tunc enim illi in lectulo ſoporem grauem immittebat, & interim ipſe me carnaliter cognoſcebat, ſicut quotidie facit, cum quo veluti cum proprio marito ego ſemper conuerſor, ac loquor, qui ad Deum blaſphemandum me inducit, me ſępiùs defert noctu extra domum ad concumbendum cum viris Magis, & maleficis. Quam cum exorcizare cæpiſſem in eius habitatione, ex verbis ipſius planè agnoui illam habere cum dęmone commercium, nec tantùm implicitum, ſed explicitum conſenſum dęmoni præſtaſſe. Nam imprimis mihi dixit ex parte dęmonis ſui Amaſij, quòd ſi volebam illam à Dęmone liberare, ſeruare deberem modum exorcizandi antiquum, faciendo illas interrogationes, quas tradit Rituale Romanum, & Flagellum dęmonum Hieronymi Męghi, deinde quærerem à dęmone ſigna maleficij, quę in quodam cranio humano facta erant, & tandem iecur illius piſcis inueſtigarem, quo vſus fuit Tobias iunior, qui illud poſuit ſuper carbones viuos ad dęmonem expellendum è Sara vxore ſua: addidit autem, ſi hæc, & alia, quæ dęmon præſtanda indicaret, ipſe tandem recederet, & liberam eam relinqueret. Cui reſpondi, mihi opus non eſſe inſtrui à diabolo de modo, quo à viris, ac mulieribus fidelibus, ac Dei amicis eſt expellendus. Interim ipſa, quæ cum illo dęmone familiaritatem habebat, illi diceret, vt ipſe, qui eſt ſpiritus, ac faciliter maria peruagari, ac perluſtrare poteſt, vadat ad capiendum illum piſcem, ac Venetias deferat ad forum piſcarium, ad vendendum, quod poſtea, ſi mihi iuſtum, ac decens iudicatum fuerit, ibo ad ſumendum illud iecur, & de illo faciam quicquid iuxta catholicam praxim mihi opportunum videbitur. At ipſa ſubridens tacuit rogans, vt iterum eam inuiſerem, cum ab ea fuerim vocatus, Cui varia dedi monita de pęnitentia agenda, & de alijs remedijs ſpiritualibus adhibendis, vt è diabolica poteſtate, qua in anima, & in corpore detinebatur, ſe eriperet. Cum autem altera vice ab ea fuerim vocatus in domum cuiuſdam Pictoris, vbi ipſa morabatur, ancilla illius Pictoris Mulier ſimplex, ac timens Deum me admonuit, vt cauerem, quia illa erat Saga, quæ ſe vngebat, ac deinde nuda à dęmone extra domum ferebatur; cum ergo ad cubiculum illius perueniſſem, interrogaui, ſi monita mea adimpleſſet, quæ reſpondit, dęmonem ſibi obtitiſſe, ac noluiſſe, quòd ea adimpleret. Ex quo apertè agnoui illam cum dęmone incubo commercium habere, nec me quæſiuiſſe, vt à dęmone liberaretur, ſed vt me in perditionem trahere conaretur; ſed illam ſua fefellit opinio.

281 Anno verò 1650. cum Bergomum reuerſus eſſem, me vocauit mediante ſuo Confeſſario quædam Adoleſcentula, quæ mihi enarrauit, ſe à ſpiritu incubo ſub forma cuiuſdam Religioſi, quem diligebat, aliquandiù ſingulis noctibus comprimi, nec poſſe ab eius violentia liberari, quamuis fortiter reſtitiſſet, ac multas pro tali liberatione pænitentias egiſſet. Ego autem inſtruxi eam ad actus fidei, ac confidentiæ in Deum eliciendos, aliaque præſtanda, quæ traduntur *in Manuali Exorciſt. part. 3.* nec non *tom 2. huius operis diſputat. 4. numer. 920. & ſequentibus*, ac maximè præcepi, vt ipſamet dæmonem incubum deteſtaretur, opprobriſque, ac contumelijs acriter illum inſectaretur; Ego verò poſt actus fidei ab ea elicitos, cubiculum, ac cubile, illamque ſacris benedictionibus muniui, necnon præcepi, vt in eodem cubiculo, lampade accenſa, in alio lectulo manerent duæ aliæ eiuſdem Congregationis mulieres ætate graues, ac maturæ, animo inuictæ, ac intrepidæ, quarum dum vna dormiebat, altera genuflexa ſuper lectulum vigilaret, & obſeruaret Sororem à Dęmone vexatam, ſi aliquem motum ore, vel oculis, vel corpore vnquam gereret, & tunc ſine mora, excitata ſocia dęmoni In Nomine Ieſu præciperet, vt recederet, ac Iuuenem vexatam traheret ſuper terram, ac tres ſimul genuflexæ recitantes pſalmum *Miſerere mei & cæt.* diſciplinam facerent, deinde Litanias Beatiſſimæ Virginis recitarent. Ante ergo mediam noctem ſequentem prædictis obſeruatis venit Dęmon incubus, ſed non viſus à muliere vigilante cæpit comprimere Amaſiam, quæ compreſſa aliquos motus ore, ac facie egit, ac vocem tenuem lamentabilem emiſit; tunc mulier vigilans excitata ſocia, metu procul ambo acceperunt Adoleſcentulam vexatam, vt traherent è lectulo ſuper terram, ſed dæmon fortiter illam tenebat, illæ trahebant, ſed dęmonis violentiam ſuperare nequibant: tandem vna earum memor moniti à me ſibi dati: In Nomine Ieſu dęmoni pręcepit, vt recederet, qui ſtatim aufugit, ipſæ verò tres ſtatim adimpleuerunt, quæ ſibi à me fuerant impoſita. Sequenti autem die ego profectus ad domum earum, auditis, quæ ſibi euenerant, iterum animum adieci, & excitaui eas ad fortiter contra dęmonem dimicandum, ac denuò ſacris benedictionibus vexatam, nec non cubiculum, ac cubile muniui, præcepta dęmoni impoſui, ne amplius ad illam accedere auderet. Quare ſequenti nocte venit adhuc dęmon, ſed ingreſſus oſtium non eſt auſus ad lectulum accedere, quem vidit Adoleſcentula habentem formam illius Religioſi, quem diligebat, ſed ipſa inuocans nomen Ieſu illum in fugam vertit: Ego verò iterum innouaui monita, vt ſupra. Tertia verò nocte venit adhuc dæmon, ſed inuiſibiliter aliquos duntaxat leues ſtrepitus in cubiculo gerens: tandem totaliter eam deſeruit, ac ipſa diuino fauente auxilio impoſterum perfectè libera permanſit.

282 Tandem anno 1664. dum Venetijs moram traherem, ad me acceſſit quidam Canonicus Vicarius Generalis cuiuſdam Epiſcopatus terræ firmæ cõſilium petens pro ſequenti caſu. In quodam Monaſterio quarundam Monialiũ eſt quædam Monialis ieiunijs, & abſtinentijs valdè dedita iuxta tamen ſuam propriam voluntatem, & non ſecũdum Maiorum beneplacitum: Inſuper valdè curioſa tenendi, & legendi libros profanos tractantes de tranſmutationibus factis à Circe Maga, alijſque Magis; nec non à Dijs antiquorum Gentilium de hominibus in beſtias, in aues, in ſerpentes, in ſpiritus, & huiuſmodi. Obſeruata ab antiquo humani generis hoſte inclinatione prædictæ Religioſæ quadam nocte ei apparuit ſub ſpecie Iuuenis pulcherrimi, illique admiranti de tali apparitione dixit: *noli timere ſoror mea cariſſima: nonne tu es illa Monialis, quæ maximopere diligis ieiunium, eique te toto animo dicaſti? Scias ergo, quòd ego ſum Angelus, qui vocor ieiunium, & veni ad te, vt tibi gratias referam, ac pari amore tibi correſpondeam; aliàs eram filius cuiuſdam Regis, at cum in mea adoleſcentia, in qua etiam me nunc contemplaris, valdè diligerem ieiunium, eique toto pectore me dediſſem, pater meus hoc agrè ferens me acriter reprehendebat, ego verò nihili faciens ipſius reprehenſiones in mea perſiſtebam voluntate, quare*

ipſe contra me indignatus, ac furore repletus me è domo eiecit: at Dij, quos colebam, huiuſmodi non ferentes contemptum mihi illatum, me collegerunt, & in Angelum tranſmutarunt, nomenque mihi impoſitum eſt Ieiunium, cum hoc priuilegio, vt, quandocunque mihi libuerit, aſſumam meam priſtinam formam adoleſcentis, ſicuti me vides, qui nunquam ſeneſcam, agilitate ſum præditus, ita vt in tempore imperceptibili ex vna ad alteram mundi partem me transfero, inuiſibiliter vado, & præcurro, viſibilem dumtaxat meis amatoribus me exhibeo, propterea, cum à Dijs fuerim admonitus te amorem tuum in me collocaſſe, nunc ad te veni, vt tibi gratias agam vnà tecum maneam, ac tibi in omnibus ad tuum beneplacitum inſeruiam, idcircò cum longum iter hac nocte, vt ad te peruenirem, fuerim executus, tecum hac nocte in lectulo tuo quieſcam, ſi tibi libuerit: nec timeas meã ſocietatem, quia amator ſum caſtitatis, ac pudicitiæ. Ex huiuſmodi locutione, ac diſcurſu Monialis valdè læta, & illecta cum exultatione illum ſecum in lectulo recepit; ſed ipſe illam non tetigit prima nocte, ſecunda nocte cæpit in ſignum gratitudinis, & amoris eam amplecti, & oſculari, tandem cum ea die, noctuque coire non ceſſauit, monens, ne vmquam Confeſſario, vel alteri creaturæ hoc patefaceret, ei iugiter inſeruiebat, per monaſterium, ac per hortum aſſiduè comitabatur, fidum ſocium, ac ſeruum ſe illi præbens; tandem anno 1664. cum Iubilæum fuerit publicatum dicta Monialis tacta dolore cordis intrinſecùs totum factum Confeſſario manifeſtauit, qui ei perſuaſit, vt extra Confeſſionem res geſtas Reuerendiſſimo Vicario generali illius Epiſcopatus notas faceret, vt ipſe opportuna valeret remedia ei adhibere, vt ab huiuſmodi dæmonis commercio liberari poſſet. Qui poſtea Venetias petens me inuiſit in Conuentu S. Bonauenturæ à me quærens, quodnam ſicurum remedium eſſet adhibendum, quem adhortatus fui, vt meum Manuale legeret, ac maximè tertiam partem cap. 4. art. 4. vbi *de dæmone obſiſtente*, eique enarraui caſum ſupra relatum de illa, quæ fuerat à dæmone incubo an. 1650. totaliter liberata.

Ex ſupradictis exemplis facilè colligi poteſt, quomodo dæmon ſæpiùs ſexum ementitur, nunc ſe viris ſub ſpecie fæminæ ſubijciendo, vt patet ex exẽplo relato num. 110., & alijs infra deſcribendis: nunc ſe fæminis ſub ſpecie viri ſuperiacendo, vt ex dictis conſtat; atque ita ſe modò incubum, modò ſe ſuccubum exhibere, vt ſic homines tandem in perditionem ducat.

ARTICVLVS II.

Senſitiuam.

283 *Operatur dæmon in potentijs ſẽſitiuis*

VEgetatiuæ animæ ſenſitiua ſuccedit, quæ pariter in omnibus ſuis facultatibus ſiuè apprehẽſiuis, ſiuè appetitiuis dæmonum ſubditur poteſtati.

Quoad ſenſus apprehenſiuos.

§. I.

In apprehenſiuis.

IN apprehenſiuis enim ſenſibus tum exterioribus, tum interioribus quid non operatur, ſiuè homines vigilent: ſiuè dormiant; ſiuè extra ſe rapiantur in extaſim extraordinario ſomno?

Cum vigilant, vtrique ſenſui ſpiritus illi nequam illudere ſolent externo, & interno.

Exterioribus.

Externo quidem viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus illuſio duobus modis accidit. Primò cum extrinſecus varia ſenſibilia obijciuntur non vera, hoc eſt, non talia, qualia videntur; ſed ſolę illorum imagines, & ſimulacra. Vel propter variationem aliquam ex parte obiecti apparentem: vt contingere ſolet cum candela adipe ſerpentino compacta exponitur, ex cuius luce paleæ videntur ſerpentes. Vel propter prauam aliquam affectionem organo illatam, vt cum externa rubra videntur ab eo, cuius oculos humor ſanguineus inficit. Vel per mutationem factam in medio: vt cum baculus partim immerſus in aquam tortuoſus videtur: aut propter interpoſitam nubem tres Soles apparent. Vel per impedimentum in eo poſitum, quo virtus ſenſitiua præpeditur, ne ſenſibile percipiat: aut ſpecies ſenſibilis non perueniat ad ſenſum. Secundò cum intrinſecùs commouent ſpiritus, quorum commotione ſenſus exteriores variè affecti turbantur, nè rectè iudicent de ſuis obiectis; quod videmus ſenſibus phreneticorum accidere, qui propter vim imaginatiuam vehementer affectam putant ſe videre quæ non ſunt. Sic anno Domini 1666. menſe Septembris Bergomi quædam mulier nobilis, quæ diù fuerat à dæmone obſeſſa, à quo varia ſuſtinuerat tormenta, ſed Deo fauente medijs meis inſtructionibus, ac præceptis dæmoni factis tandem fuerat à diabolica tyrannide liberata, mihi enarrauit, quòd, licèt nullo amplius à dæmone afficeretur dolore, veruntamen quando ambulabat ſiuè in domo, ſiuè extra domum ſibi videbantur poſt ſe ambulare quinque, vel ſex mulieres omninò ſibi ſimiles vna immediatè poſt aliam, acſi ſimul eſſent colligatæ, ſed cum poſt ſe eas aſpicere vellet, ſe retrahebant, & abſcondebant. Sic aliàs quidam Vir mihi aiebat ſibi videri caput ſuum eſſe tympanum; ego autem vt illum ab huiuſmodi remouerem errore, cæpi percutere illius caput, ac crines trahere, ac conquęrenti mecum de tali operatione dicebam: non caput tuum, ſed tympanum tundo, non crines, ſed tympani funes traho. Quis autem non iudicet has meras eſſe ſenſus illuſiones? Atquè ità vtroquè modo ſenſibus illudunt. Aut oſtendendo præſens, quod non eſt, & aliter quàm eſt: Aut abſcondendo quod præſens eſt. Quod in ſuis operationibus communiter faciunt, quando nec motus localis, nec applicatio cauſarum naturalium iuuant ad prætenſum effectum conſequendum, tunc enim ſolent confugere ad præſtigia, & circulatorias deceptiones; Vndè malefici, & maleficiati putant ſe videre res pulcherrimas, audire ſonos, cibos guſtare, quæ reuera nec vident, nec audiunt, nec guſtant, niſi per illam ſenſuum illuſionem: vt eruditè tradit D. Bonau. *in 2. diſt. 8. p. 2. a. 1. q. 3.*

Vigilantium.

Non diſſimili operatione internis ſenſibus illudunt: imaginatiuè præcipuè, & phantaſiæ, quam etſi nouæ ſpeciei impreſſione immutare non poſſint; 284 *Interioribus.*
& per conſequens efficere, vt qui nunquam vidit colores externos, elegantiam tabellæ pictæ diſcernat: aut qui non audiuit, iudicet de muſicæ ſono. Poſſunt tamen potentias illas decipere, & turbare: Vel corpus formando phantaſticum, quod oculis obijciant: Vel ſpecies eorum, quæ homo vidit aliquando, confundendo, & ex illa cognitione formando nouas ſpecies eorum, quæ nunquam vidit: Vel ſpiritus animales, qui interiorum ſenſuum functionibus peragendis inſeruiunt, mouendo: Vel in corpore concitando motiones, & affectiones varias; atquè ità ex illis formationibus, concitationibus, commixtionibus, & agitationibus ſpecierum, aſſumptis etiam vaporibus inſtituto accommodatis efficere, vt homo videat: aut ſe videre credat ea, quæ nec ſunt nec viſa: nec audita vnquam fuere. Hac arte vtitur in ſuis prætenſis apparitionibus, & reue-

reuelationibus, in quibus ſeipſum, & ſecreta diuerſa Magis, & maleficis manifeſtat: vt docet Auguſt. *lib de cura pro mortuis age n. cap.* 12.

285 *Dormientium.* Quod ſi vigilantes talem ſenſuum illuſionem à dæmonibus patiuntur, quid dormientes: cum praui illi architecti in ſomno liberiùs, quàm in vigilia operentur? Nam negari non poteſt, quòd ſicut ſomnia vera procedunt (nec enim de falſis agimus) Modò à Deo immittente, ſuamque voluntatem, & ſecreta myſteria reuelante: vt accidit Abrahæ, Iacob, Danieli, Ioſepho, Paulo, & alijs; Modò à vehementi aliquando animæ affectu, & concitata perturbatione, ver. gr. amoris, metus, odij, & iræ: vt experiuntur, qui amant, timent, oderunt, & iraſcuntur: Modò à praua corporis affectione, quæ in eis prę ualet: vt quando flaua, aut atra bilis incaleſcit, pituitus humor abundat, redundat ſanguis, aliudue corruptum mouetur, & iactatur: vt ſentiunt cholerici, ſanguinei, pituitoſi, & malancholici. Sic etiam crebrò à dæmonibus proueniunt; quod ex ſacris literis colligitur: *Leuit.* 19. *Deuteron.* 18. & 2. *Paralipom.* 33. in quibus obſeruatio ſomniorum tanquam à Deo exoſa prohibetur; magiquè & arioli extremo damnantur ſupplicio. Patet etiam ex antiqua dæmonum praxi, qui hoc modo gentibus illudebant. Nam cum infirmi diuerſis morborum generibus vexati templa illorum remedijs quærendis adibant, Æſculapius, Serapis, & Amphiaraus, qui Dij vulgò exiſtimabantur, in ſomnijs apparentes ſingulis morborum curationes præſcribebant: vt Pauſanias in *Baeot.*, & Strabo *lib.* 6. teſtantur. Deniquè ex moderna experientia: Nam dæmones maleficis, & Magis dormientibus inſpirare, & ingerere ſomnia ſolent: aut ad occultam rerum demonſtrationem; poſſunt enim ex certis cauſis naturales effectus neceſſariò euenturos, ſicut præterita, & pręſentia cognoſcere, & illis, quibus occulta ſunt, per ſomnium indicare: aut ad paſſionum, agitatis, turbatiſquè humoribus, & ſpiritibus, perturbationem, ut inflammentur ad libidinem, odium, vindictam, cæteroſquè animi prauos affectus. Nam ſemper diabolicæ poteſtati calliditas, calliditati malitia coniuncta eſt; qua agitati quaquauerſum hominibus nocere deſiderant; ijs præſertim, qui ſomnijs fidem habent; & ex ipſis actiones humanas vel ſuas, vel aliorum cognoſcere, & dirigere volunt. Eorum etenim mentes ſuperſtitionibus imbutas erroribus implicant, qui omnes demergunt in interitum.

Patientium. Obſtructionem totalem ſenſuum

Sed nec ſufficit ijs pręſtigiatoribus vtriquè ſenſui in vigilia, & ſomno illudere, aliud moliuntur magis arduum. Nam vſum ſenſus nunc tollunt omninò, nunc ad tempus. Primò modo, cum illos ita ligant, & obſtruunt, vt infecti nec videre, nec audire, nec loqui poſſint: Sicut illæ qui *Luca* 11. cęcus, ſurdus, & mutus factus à dęmone à Chriſto dæmonem eijciente, ſanatus eſt. Quod vi propria, & virtute rerum naturalium in confeſſo eſt, eos facilè poſſe perficere. Quorum etiam plures ad me confugerunt, ac liberi receſſerunt. De vnico puero referam ſex annis nato ex parentibus nobilibus, iamdiù capite laborante, ac loquela ab aliquot diebus priuato, qui anno Domini 1666. die 22. Auguſti coram me ductus fuit, at cum ipſe adhuc perfecto rationis vſu careret, inſtructo in fide, ac confidentia in Deo eius Ductore, præcepi dæmoni, vt ſine mora recederet ab eius capite, lingua, ac toto corpore, quo præcepto formato, ſtatim puer idiomate paterno clamare cæpit dicens: *Fugge il Baò, Fugge il Baò* digito oſtendens dęmonem fugientem: ſic à quacunque dæmoniaca vexatione liber remāſit.

Extaſim Secundo modo, cum efficiunt, ne actu quis ſentiat, quod natura ſenſibile eſt: vt Magis, & maleficis accidit, dum ſuas diabolicas extaſes patiuntur. Obſtruunt enim meatus, quibus à cerebro ſpiritus ſenſitiui ſe ad exteriores ſenſus penetrant: vel eoſdem ſpiritus ab exterioribus ſenſibus ad internos attrahunt; ibiquè retinent, ne ad externorum organa deſcendere poſſint. Sic exteriorum ſenſuum munia impediuntur propter nimiam internarum virium applicationem, & ſpirituum ſenſibilium ad interni ſenſus organa confluxum; ita vt corpus viuum extaſim patientis ſpeciem mortui præſeferat, nec videat, nec audiat, nec ſentiat quicquam eorum, quæ coram dicuntur; aut aguntur, non aculeos, non ictus, non ignem adhibitum; ſed in terram collapſum ſine ſenſu, ſine motu videatur exanime, quaſi extincto illo, reuera anima eſſet à corpore ſeparata. Tales patiuntur extaſes Magi, malefici, & Sagę, cæterique ſathanæ miniſtri, qui etſi in vno loco immobiliter maneant; tamen aliquando ſe varia loca peragraſſe, ibiquè diuerſa peregiſſe arbitrantur, quicquid in contrarium aſſerant circumſtantes. Talem extaſim, puto, patiebatur mulier illa, de qua ſupra *diſput.* 1. *num.* 160. præcipuè poſt ſacratiſſimi corporis Chriſti ſumptionem; ſed fictam fuiſſe, nec à Deo procedere, aliquoties probaui. Quare dum populo concionem habebam, prædicta extatica in medio Eccleſiæ, vbi videretur ab omnibus procumbebat ita ſenſibus deſtituta, quòd verbum Dei numquam audiebat; quin potius cæteros audientes ab attentione reuocabat. De qua re à quibuſdam admonitus, memor verbi D.N. Ieſu Chriſti *Ioan.* 8. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: vos autem non auditis, quia ex Deo non eſtis*: præcepi illi extaticæ, ne ampliùs in medio Eccleſiæ permaneret, oſtendens illam extaſim non eſſe à Deo, ſed à demone, vt Dei verbum impediret. Deus enim qui præcepit audire verbum ſuum, non poteſt contradicere ſibi, producendo actū oppoſitum, vt cauſa particularis.

Huic extaſi adde ſomnum inſolitum inductum pariter à dęmonibus, aut per ipſos immediatè: aut 287 *Soporem,* ope pharmacorum narcoticorum, quæ conſopiendi vim habent naturalem: vt opium, ſolanum, & ſimilia, quibus turbantur humores, obſtruuntur neruorum origines, impeditur ſenſatio, ſenſus ſtupefit, & ſopor altus concitatur. Sic enim naturaliter ſopor per quadraginta ſeptem, aut ſexaginta ſeptem annos in homines irruere poteſt ſi verum eſt: quod refertur de Cretenſi Epimenide à Pauſania. Quid dęmone operante, & apta adhibente remedia? nonne eò longiùs, & profundiùs, & inſenſibiliùs ſoporabuntur, quò agentia naturalia, & ſomnificus hic architectus extraordinarius efficaciùs agent? Hoc teſtari poteſt anno 1657. quædam adoleſcentula Bergomenſis annos nata 17. in qua per annum integrum ita ſopor altus concitabatur, quòd die noctuque profundè dormiebat, ac difficulter poterat à ſomno expergefieri, ita quod nec cibum appetere, nec niſi coactè illum ſumere vellet, ad quam vocatus à parentibus accedens à dæmone talē ſomnum excitari, & cauſam planè agnoui, ac coram me genuflexam modò dormire, nunc vigilare eam faciebat dæmon, prout præceptis ad hoc illum cogebam, quæ tandem in fide ac fiducia in Deum benè inſtructa perfectæ ſanitati reſtituta eſt.

His duobus modis, extatico, & ſomnolento ſpiritus inferi ſurdos, ac mutos reddunt magos, maleficos, & ſagas, cum à miniſtris iuſtitiæ torturæ ſubijciuntur. Nequè enim audiunt Iudicum interrogationes; nec ad interrogata reſpondere valent; Immò tunc videntur eſſe ita ſenſibus deſtituti, vt flagella non ſentiant validiſſima, nec pedum vſtulationes, nec diſtractionem membrorum, nec cæte-

ros

ros cruciatus ſi adhibeantur, vt ex ore eorum eliciatur veritas. Quod plures innocentiæ miraculo conteſtatæ tribuunt: cum potius virtuti dæmoniacæ, & obſtinatæ malitiæ aſſignandum ſit, vt infra *tom. 2. d. 1. n. 140. & ſequentibus*.

Quoad facultates appetitiuas.

§. II.

288 *In appetitiuis excitant paſſiones* DEniquè Cacodæmones, ne quid intactum in anima relinquatur, vtriuſquè appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis varias excitant paſſiones duabus vijs, extera vna, interna altera. Exteriùs obijciunt ſpecies rerum, quæ ad paſſionis amoris, odij, timoris, & huiuſmodi excitandas plurimùm valent. Nam illæ receptæ in ſenſu exteriori deuoluuntur ad interiorem, qui apprehenſa tali ſpecie facilè appetitum mouet, ſicut intellectus voluntatem. *In vtroquè appetitu* Interiùs verò phantaſmata mouent ad ſimiles res repræſentandas: Vel excitant, & accendunt humores, qui ſunt talium paſſionum materia, ſanguinem, nempè melancholiam, atramquè bilem. *Concupiſcibili.* Et ſic appetitus ſenſitiuus immutatur, qui, cum ſit virtus in corpore, poteſt ad aliquid appetendum accendi, & incitari. *Iraſcibili.* Nam bile inflammata homo ad iram promptior eſt, ſanguine accenſo, procliuior ad luxuriam; melancholia perturbata pronior ad odiũ, & vindictam. Cumquè appetitus ille libertate careat, & coactione quadam in obiectum ſuum impellatur, poſſunt hoſtes ij coniurati, homines in malum aliquod impellere neceſſariò, inquantum ſenſitiuus hic appetitus non poteſt obiecta illa non appetere. Nihilominus non ſemper ſuum conſequuntur intentum, quamuis ſic excitent, & moueant illam facultatem; quia concupiſcibilis ſunt potentiæ per participationem rationales, ideſt ſubſunt rationi, à qua poſſunt gubernari; & cui à natura aptæ ſunt obedire. Quare poſſunt omnes ab illis incitationibus diſſentire per rationem; & motus illi peccati omnes expertes ſunt: imò ſemina gloriæ, & maioris meriti, cum voluntas fortiter eis non conſentiendo renititur. Impijs autem, & ſceleratis, quales ſunt Magi, & malefici crebram nouorum maleficiorum anſam ſubminiſtrant. Illi enim tanquam ſubditi à ſuis magiſtris incitantur, agitantur noua rabie; & atrociora mala meditantur, quæ poſtea opere conſummant, odia, rixas, & diſſentiones ſuſcitando: vt videbimus inferius, cum de maleficijs amoris, & odij tractabitur.

SECTIO III.

In Corpora.

289 *Demon ſæuit in corpora varijs modis.* QVantis miſerum hominem machinis implacabilis eius hoſtis oppugnat? Nunc in bona eius extera, quæ fortunæ vocantur, eum omnibus ſpoliando, impetum facit. Modò aggreditur ſpiritum praua ſuggerendo: vel impediendo, nè rectum ſequatur: Sæpius graſſatur in animam, quam artibus circumuenit, & potentia proſtrat. Sæpiſſimè ſæuit in corpus; ſed tot, tantiſquè modis, *Qui ad decem. Prædicamenta reuocãtur.* vt ſi totam rerum omnium, quæ ſunt, aut fingi poſſunt, ſeriem decem philoſophicis prædicamentis contentam conſideres, inuenies in vnoquoque malis affici ſingularibus à potenti, & ſolertiſſimo veteratore, qui tot nocendi artibus in grauem hominis ruinam inſtructus, ſi non perficere, ſaltem tentare non ceſſat omnes nocumentorum modos: vt ſequentes articuli notum facient.

ARTICVLVS I.

Quoad ſubſtantiam.

NOnnè in primo Prædicamento ſummam nititur oſtentare potentiam, cum homines in bruta traſmutare videtur: vt apparet in Magis, ac maleficis, quos in lupos, feles, bufones, & id generis animalia traſmutare ſimulat. Hic enim potentiam vult æmulari diuinam, qua vxore Loth in ſalis ſtatuam conuerſam, ac Nabochodonoſor in bouem ſaltem quoad imaginationem, ac mores verſum ſacræ paginæ repræſentant. 290 *Fingit homines transmutare in bruta.*

§. I.

TAles autem mutationes reales eſſe videntur, eò quòd homines ſic transmutati, velut beſtiæ apparere, operari, & pati videntur. *Quia trãſmutatio verè fieri videtur.* Apparitionem illuſoriam eſſe, nemo audebit aſſerere, ſi obſeruet, eis, quos traſformare nititur, veras ferarum pelles, & exuuias luporum, leonum, & huiuſmodi aptiſſimè circundare: membra membris, caput capiti, brachia brachijs, pedes pedibus, os ori circumponere: tum operatione, & virtute ſua ita illos efferare, vt figura, & temperamento veluti mutatis, naturam humanam in belluinam tranſijſſe probabile videatur. *Quia transmutati vt beſtiæ.* Etenim illi ſtatim more ferarum incedunt, manibuſquè pro pedibus vtentes tantâ curſitant velocitate, vt à nemine aſſequi poſſint: Quod teſtatur experientia in Lycantrophis. Et ſicut in beſtiam transfiguratos ſe credunt; ità videntibus beſtiæ reputantur, qui quocumquè laruatos illos pertranſire contingit, lupi, aut alterius animalis impreſſa terræ veſtigia deprehendunt. *Apparẽt*

Confirmatur ampliùs ex eo, quòd more belluarum operari apparent. Si enim operari ſequitur eſſe iuxta Philoſophum *2. Metaph.* & ex irrationabilibus operibus, & brutis animalia dignoſcuntur, quis illos non verè eſſe beſtias, credat; cum ferarum more homines inuadant, mulieres iugulent, pueros interficiant, eorum comedant cerebellum, carnes deuorent, accedentes mordeant, & dentibus, vnguibus, totoquè corporis niſu impetum faciant in eos, quos curſu aſſequi poſſunt; vt ſæpiùs clamoroſis experimentis in varijs regionibus comprobatum eſt. 291 *Operantur.*

§. II.

ACtionem ſequitur paſſio, & ſicut in corpore illo aſſumpto vt beſtiæ agunt, etiam vt beſtiæ aliquando patiuntur. 292 *Patiuntur.* Nam ſi ab inſequentibus vulnerentur, in illis poſtea membris humanis ſaucij inueniuntur, quæ in ferino corpore ictum accepiſſe creduntur. Quod ſæpè probauit euentus, cum fele, & bufone haſtæ, aut gladij cuſpide in collo, ventre, pedibus, aut altero membro perforatis, cæſim, punctimque illata eadem vulnera in malefico reperta ſunt. Quæ omnia ſigna videntur non apparentis, ſed veræ transmutationis.

Nec exempla deſunt, quæ idem probare videntur, non petita ex Poetarum fabulis, quæ Vlyſſis ſocios in porcos, & Diomedis familiares in aues, alioſ-

alioſque in diuerſa ferarum genera tranſmutatos fingunt; ſed ex varijs hiſtorijs deſumpta, quibus lubens ſuperſedeo, cum in vtriuſque mundi noui, & veteris regionibus plures in feras transformari, ſicut Arcades in veteri, Nicaraguanos, Quatrutemallanos in nouo paſſim Auctores referant; & præcipuè P. Chieza Hiſtor. Perun. par. 2. c. 205. & 210.

293 Plura ſæpè refert Vincentius Beluacen. ſpeculo hiſt. quorum vnicum memorabile referam ex libro 4. de Nectabano Rege Ægypti inter Ægyptios Mago celeberrimo.

Hic cum à ſuis Dijs, ſeù potiùs dæmonibus fuiſſet admonitus ſe ab inimicis ſuis vincendum, & capiendum, niſi fugæ conſuleret, mox raſo capite, & barba, collectis omnibus, quæ ſibi precioſa erant appulit Macedoniæ, vbi amictus veſte linea ſe aſtrologum profeſſus vim ſuæ peritiæ cum magna admiratione commendabat, quod cum ad aures Olimpiadis Reginæ perueniſſet tempore, quo Rex Philippus eius vir aberat cauſa belli, cæpit eius peritiam conſulere. Nactabanus autem pulchritudinem Reginæ admiratus amore eius captus eſt. Cumque acriùs vultum Reginæ intueretur, ait illa, cur ita me intuendo defigeris: cui ille, recordor oraculi illius, quod apud Aegyptum à Dijs acceperam, quòd oportet te miſceri Deo, genituramque filium vltorem omnium, ſi qua Philippus in te audebit: tunc illa: cui Deo ad thorum debeor; reſpondit: Hammoni Deo Libiæ; ergo para te ad huius nuptias, vt reginam decet. Videbis autem & in ſomnio nuptias tibi cùm Deo futuras. Igitur Nactabanus quærit herbas ad immittendum ſomnium neceſſarias, quibus in ſuccum preſſis effigiat ex cera corpuſculum fæminæ, cui nomen Reginæ aſcribit, lectulumque ei fabricat, cui illa effigies ſupponitur, & lucernis iuxta accenſis ſuccum herbarum potentium ſuperfudit, carmenque indicit efficax, & ſecretum, quo effectum eſt, vt quicquid ſimulacro cereo loquebatur, id etiam fieri ſibi Regina nunciaret. Fecit ergo eam ſomniare, quòd Hammoni miſcebatur, & de eo grauida fiebat. Quod cum illa retuliſſet Nectabano, ille reſpondit, huius ſomni effectus citò ſubſequetur: quapropter ſecùs cubiculum tuum ſecretò mihi lectum parari iubeto, vt ſi fortè aliquis repentinus ingruerit metus, poſſim tibi eſſe ſpes ſubſidij, quod ita factum eſt. Tunc Magus ad Reginam, præcurſor tibi adueniet Deus, draco ſcilicet reptabundus, quo viſo, tu egredi iube omnes, & cum te lecto collocaueris, explora vultum illius, quem in ſomno vidiſti. Tunc Magus prouidit ex arte vellus Arietis molummum ſimul cum cornibus decerptũ, & amictum candidum; fecit ex ſcientia reliquum corpus veluti draconem veſpera aduentantem ad fæminam. Quo illa viſo, cunctos egredi iuſſit, deditque ſe mox lectulo, & operto capite ſolo oculos ad ſuperuentum opinati Dei curioſè intendit. At ille ſceptro depoſito, aſcenſoque lectulo nuptias egit; poſt accepit accipitrem ſacratum, & monet eum ire ad Philippum, cui per noctem in ſomnio perſiſtens illum mandatis inſtruxit. Excitatus autem Philippus aduocans ſomniorum interpretes ait: vidi per quietem Deum quendam formoſum, & canitie capitis cæſariatum, arietiſque cornibus inſignitum ſuperueniſſe Olimpiadi coniungi meæ, ſeque illi miſcuiſſe, quibus peractis hæc verba addiderat, excepiſti ò mulier ex me filium vindicem. Ad hæc interpres, quod ſignari virginali fæminæ vidiſti, ſcito, quòd illa conceperit, nemo enim vas vacuum conſignat, quoniam Deum capite arietino teſtaris, eundemque canum, Deus eſt Libiæ Hammon nomine. Hanc interpretationem non æquo animo Philippus accepit. Redijt ergo feſtinata re bellica Macedoniam. Cui cum Regina diffidentiùs occurſaret, aſtu diſſimulans indignationem ait: me quidem clam res geſta non eſt, ſcio tamen me nunquam alicuius popularis amori ſeruiſſe, enimuero Dei Deorum pulcherrimi: atque his dictis animum mulieris inſtaurauit. Deinde iam Philippo efferueſcente, coniugem acriùs increpante, quòd conceptus ille non ex Deo foret, hæc Nectabanus audiuit. Cum ergo conuiuium celebre regium pararetur, ob reuerſionem Philippi, nec ille frontem explicaret, ſtatim Nectabanus ſe reformat in illum draconis ſeductiorem tractum, tricliniumque penetrat reptabundus ſpecie ſpectabilis, tum maieſtate totius corporis, tum etiam ſibillorum acumine adeò terribili, vt parietes etiam, ac fundamenta domus quati viderentur. Cæteris ergo terrore concuſſis, & Olimpias quo fidem faceret diuino Numini, manum protendit ad beſtiam, & draco caput in ſinum mulieris extendit, & omne agmen in ſpheram manſuetus collegit, & promptum oſculum mulieri porrexit. Sicque dehinc vertit ſe in Aquilam, & volatu diſceſſit, tunc ex admiratione exhilaratus Philippus ait: patuit ò coniux, argumentum diuini circa te cultus, ſed cuius Dei neſcio, vel Iouis ex Aquila, vel Hammonis ex dracone. Ad hæc mulier, ſe Hammonem eſſe profeſſus eſt, cum primùm mecum conuenire dignatus eſt. Hæc Beluacenſis loco citato ex Euſebio hiſtorico.

§. III.

QVamuis autem dæmones huiuſmodi apparentes tranſmutationes operari queant: attamen certum eſt non poſſe ſpeciem perfectam in aliam perfectam, & organicam ope dæmonis tranſmutare: nec ferinam animam humanum corpus informare: aut corpus humanum ab anima ferina informari. Multò minus ſimul cum corpore immutari. Et impoſſibilis eſt talis tranſmutatio tàm ex parte tranſmutantis, quàm tranſmutati. Tranſmutans dæmon imbellis eſt huic effectui producendo: Nam nulla forma ſubſtantialis poteſt alicui materiæ velut illius forma vniri, niſi à ſolo agente, qui poteſt illam producere; ſed dæmon non poteſt formam ſubſtantialem producere; ergo nec poteſt illam materiæ vnire: alias ſic vniendo, videretur ipſũ compoſitum ex materia, & forma producere: quod fieri non poſſe, liquet ex eo, quòd agens non poteſt aliquod compoſitum producere, cuius nec materiam, nec formam producere valet. Quare ille ſolus poteſt animam à corpore ſeparatam iterum corpori vnire, qui ſolus animam, & corpus producere queit. Et ſi hoc poſſet dæmon, factor, & creator eſſet illius hominis, quod nefas eſt dicere. In illa etenim tranſmutatione, ſi realis eſſet, & fieret totius in totum, homo deſineret eſſe, atquè deſinendo moreretur, quando inciperet eſſe beſtia. Ideòquè cum beſtia rediret ad naturam hominis, homo denuò

294 *Attamẽ impoſſibilis eſt.*

Tum ex parte tranſmutantis.

denuò à dæmone crearetur, quod omnem eius potentiam, vt potè limitatum prætergreditur.

§. IV.

295 *Tum ex parte transmutati.* SEd ſi transmutatum conſideres, quomodo talis poterit fieri in homine metamorphoſis, vt eius anima beſtiæ corpus informet: cum tantæ ſit nobilitatis, vt præter humanum, & organicum corpus nullum aliud informare poſſit? Nam ſi quælibet forma ſubſtantialis certas in materia exigit diſpoſitiones, vt illam informare, atquè informando ei ſuum eſſe tribuere valeat; quid fieri poterit, vt belluina humanum, humana belluinum corpus informet: cum neutra in aſſumpto corpore diſpoſitiones conueniẽtes, & organizationem propriam non inueniat?

His philoſophicis rationibus eccleſiaſticæ ſententiæ accedit auctoritas, quæ *c. Epiſcopi 26. q. 5.* Anathematis mucrone percutit talium transformationum aſſertores: *Quiſquis credit, poſſe fieri aliquam creaturam aut in melius, aut in deterius commutari, aut transformari in aliam ſpeciem, vel in aliam ſimilitudinem, niſi ab ipſo Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt, proculdubio infidelis eſt, & pagano deterior.* Quod auctoritate D. Auguſtini *lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 17. & 18.* comprobatur, cum quo aſſerendum eſt, omnes illas magorum, ac maleficorum tranſmutationes illuſorias, deceptrices, & apparentes tantùm eſſe, non veras. Quod etiam docet Chriſoſt. *hom. 28. in Matth.* D. Bonau. *in 2. d. 7. p. 2. a. 2. q. 1. & 2.* S. Thom. *1. par. q. 114.* cęteraque ſcholaſticorum turba.

Quare quæ apparet, preſtigioſa eſt. Quod ſi huiuſmodi homines ſe putant transformatos in beſtias, & ab alijs tales reperiuntur: Illi ex humorum vitio, & atræ bilis exceſſu: Iſti ex illuſione, & præſtigio ſenſibus facto peccant. Nec pellis circumpoſitio talem tranſmutationem cauſare poteſt.

Si ſequunt in homines, & pecora: Aliquando hoc dæmon ſeipſo præſtat in aſſumpto aereo corpore, quod creditur ab homine factum interea abſente, & in abdito loco latitante, grauiquè ſopore immerſo: aliquando in proprio corpore malefici, & licantrophi perturbatis humoribus, ex quibus deſiderium greges inuadendi, & lacerandi, odiumquè in homines excitantur.

Si patiuntur, nihil mirum cum adeſt maleficus: nec enim habet impenetrabile corpus. Cum autem abeſt, hoc agit dæmon in eius corpore vero, quod in apparẽte patitur. Vulnerat enim verum in eiſdem locis, & membris, in quibus vulnera excipit ſubſtitutum:

§. V.

296 *Opinio Menghi adducitur circa vulnera inflicta cum non adſunt.* NEc audiendus eſt in hoc loco Hieronymus Mẽghus à Viadana, qui in ſuo Compendio Artis exorciſtæ *lib. 2. cap. 10. in fine,* modum explicans, quo ſtriges, & malefici vulnera ſuſcipiunt, cum non adſunt, dum lupis, felibus, bufonibus, & alijs id generis animalibus, ſub quorum figuris apparent, vulnera infliguntur, ait: (vt vtar verbis eius.) *Li demonij ſicome aſſaltano gli huomini in effigie di gatti, ò lupi col moto locale; coſi parimente ponno pigliare le baſtonate, & ferite di quelli huomini date à quei gatti, ò lupi, & ſubito portandole per l'aria, introdurle ne gli corpi di quelle donne ſtãdo elle nelle loro caſe; ne crederò che di queſto alcuno dubiti, ſendo coſa facile al demonio, quando tutti ſapranno, che à queſto modo anco ſogliono queſte ſcelerate ſtreghe indurre leſioni dolori, & punture nei corpi humani, quando li piace; perche ſi dipingono, ò fanno alcuna imagine, che vogliono maleficiare, & fatturare, & offendendo quella con punture, ferite, ouero altre leſioni con animo di offendere il figurato, & imaginato, il diauolo con il patto, che tiene con eſſe loro, pigliando (come habbiamo detto) quelle ferite, l'introduce nel corpo di quel fatturato, nei proprij luoghi, oue la Maga hà offeſo l'imagine.* Hæc Menghus.

297 *Ratione improbatur.* At quis mediocriter in philoſophicis ſcientijs verſatus huiuſmodi non rideat vanitatem? Quid enim eſt percuſſio niſi relatio realis, quæ vt actiua fundatur in percutiente, ſeù vulnerante, & terminatur ad percuſſum, ſeu vulneratum: vt paſſiua verò fundatur in percuſſo, ſeù vulnerato, & terminatur ad percutientem, ſeù vulnerantem: vno autem iſtorum terminorum deſtructo, deſtruitur relatio: quia *relatiua* ex Philoſopho *ſicut poſita ſe ponunt, ſic perempta ſe perimunt.* Sicut fundamentum relationis ad aliud non refertur, quàm ad ſuum terminum: ità terminus non ad aliud, quàm ad ſuum fundamentum. Relatio verò non refertur: quia *Relationis non eſt relatio,* ex *4. Phyſic. context. 117. & 5. Phyſic. cap. 10.* Dum ergo quis percutit dæmonem felis, lupi, aut alterius animalis formam præſeferentem, ſaga aut malefico abſente; tunc illa percuſſio, ſeù vulneratio actiua fundatur in homine percutiente, ſeù vulnerante, & terminantur ad dæmonem ſub illa ſpecie animalis apparentem; ſed deponente dæmone illam præſtigioſam formam, in qua non verè, & realiter; ſed apparenter tantùm vulnera acceperat, forma animalis, quæ erat ſaltem apparentes fundamentum percuſſionis, aut vulneris deſtruitur: deſtructo autem fundamento deſtruitur terminus relationis, nec ampliùs manet relatio; ideſt, vulneratio, aut vulnus.

Nec eſt dicendũ quod maneat aliquid abſolutum in illo corpore aereo, dæmon enim cum ſit ſpiritus ſimplex, & indiuiſibilis non poteſt vulnerari, aut percuti: ſic corpora illa cum non ſint vera, ac realia; ſed tantùm apparentia, & aerea; qui illa verberant, aerem, & nebulas diuerberant. Si ergo illæ percuſſiones, & vulnera non ſunt; nec dæmon poteſt illa de vno in alium terminum transferre: quia nullius entis nulla poteſt eſſe actio realis.

298 Sed eſto, illa animalia vera eſſent animalia, & vera, ac realia reciperent in ſe vulnera, adhuc non poſſet à dæmone per aerem deferri, & in aliud corpus introduci: quia cum ſint relationes reales, non ſunt entia abſoluta; ſed reſpectiua, quæ non poſſunt ſeparari à ſuo fundamento, & termino. Sed ſi aliqua vulnera in corpora ſagarum, ac maleficorum, vel maleficio afficiendorum à dæmone introducuntur, non ſunt eadem numero vulnera, quæ à percutiente illis animalibus fuere inflicta; ſed diuerſa: nec referuntur ad hominem illa animalia percutientem; ſed ad dæmonem illa vulnera infligentem.

Idem prorſus fatendum de illis punctionibus, ac vulneribus à ſtrigibus, ac maleficis illis imaginibus inflictis. Nam de ſimilibus idem eſt iudicium; & *vbi eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet. L. illud ff. ad L. Aquiliam cum ſimilibus.* Quoquomodo autem vulnerentur, ſufficit nobis ſcire, quòd ſagæ, ac malefici verè, ac realiter in animalia transformari nequeunt.

Quarè hinc abeant iſtæ tranſmutationes à nugiuendulis aſſertæ; quibus vxoris Loth, aut Nabuchodonoſor tranſmutationes ſuffragari non poſſunt: cum factæ fuerint, non operatione dæmonis; ſed virtute Dei, cui nihil eſt impoſſibile. Et an vltima

fuerit

fuerit vera, vel apparens, incertum eſt inter Auctores pro vtraquè parte contradictoriè inter ſe digladiantes. Nam Lyranus, & Dionyſ. Carthuſian. referunt, Ioſephum ſenſiſſe, illũ verè mutatum eſſe in bouem, teſtante ſacra pagina: *Fænum ſicut bos comedes*. Sed Medina *lib. 2. de recta fide in Deum c. 7.* exiſtimat, hanc mutationem non fuiſſe veram, ſed ſimulatam tantùm, & apparentem. Idem ſentiunt Dorothæus, & Epiphanius, D. Thom. verò *lib. 2. de regimine Principum*, & Hieronymus ad illa verba: *ſenſus meus redditus eſt mihi*: & alij quos videre licèt apud Stephanum Facundex *in 1. Præcept. Decalogi lib. 1. c. 41. n. 15.* aſſerunt, Nabuchodonoſor non formam amiſiſſe, ſed mentem: Quam ſententiam, & ego libenter amplector.

ARTICVLVS II.

Quoad Quantitatem.

§. I.

299 Tentat adhuc artifex verſipellis mirabilium operum productionem in corporum quantitate. Videt diuina potentia plures ex Sanctis eodem tempore in diuerſis locis apparuiſſe: Inſuper ad compeditos ſoluendos loca clauſa, & carceres obſerratos penetraſſe, vt plures teſtantur hiſtoriæ. Idem in ſuis vult factitare, quaſi parem cum Deo virtutem ſit aſſecutus. Collocare enim illum poſſe vnum, & idem corpus in duobus locis diſinnctis, ità vt idem homo in vtroquè eodem tempore videatur, probatur experientia. Miſſis enim, quæ de Simone Mago, & Silenæ eius meretrice referuntur à Clemente *lib. 2. Recognit. & lib. 4. Conſtit. Apoſtolicarum*: de Apollonio à Philoſtrato: de Pythagora in duabus vrbibus viſo ab Origene *lib. 6. contra Celſum*. Berengarium inſignem ſui temporis Magum, & hæreticorum ſacramentariorum coriphæum eadem nocte Romæ fuiſſe, & in Eccleſia Turonenſi lectionem decantaſſe, tradunt Hiſtorici illius temporis: vt Nangiacus in *Chronico*. Nec plura addenda ſunt, quandoquidem hæc quotidiè præſtare ſimulat in Magis. Solemne eſt enim dęmoni, vt dicetur poſtea, generales celebrare congregationes; in quibus maxima hominum, & mulierum conueniente multitudine, ſi aliquis ex Magis propter leuiſſimum aliquod ſuperueniens impedimentum comparere non poſſit, excuſatur ab illo; ſed ne priuetur participatione ſacramentorum infernalium: quamuis domi remaneat, non tamen deſinit in cętu diabolico comparere, vbi ludit, cantat, comedit, ſaltat, & alia peragit à Magis fieri conſueta; ita vt eadem nocte remaneat in lecto, & in cętu comparere videatur: vt aliàs patuit in mulierculis illis conuiuentibus, & tamen domi dormientibus, de quibus agitur *in vita S. Germani*: Sic Magos ope dęmonis ædes penetrare, etiamſi clauſæ ſint ianuæ: vel per tenues rimas in cubicula irrepere; immò per quaſuis anguſtias nullo negotio viam ſibi parare. Experientia quoque ipſa teſtari videtur. Nam ab illo illuſoriè contrahuntur, & diminuuntur in puſilla animalia, v. gr. in feles, mures, locuſtas, & alia minutiora: tum introducuntur in ædes, carceres, cameras, & loca ſecretiora, ita vt duo corpora in vno, & eodem loco penetratiuè collocari videantur.

Circa quantitatem dęmon mirabilia opera producit. Oſtendit quòd idẽ corpus ſit in duobus locis eodem tempore.

Et quod vnum corpus aliud penetrare videatur.

§. II.

Sed hæc omnia, vt ſuperiora, meræ ſunt præſtigiæ. Certum eſt enim ex principijs phyſicis, quodlibet corpus ſuo loco contineri: nec naturaliter poſſe vnum, & idem corpus ſimul eſſe in duobus locis; quòd ità obſtinatè aſſerunt moderni ſacramentarij, vt neque per diuinam potentiam id fieri poſſe velint, quamuis falsò. Inſuper ſuis ita circunſcribi dimenſionibus corporalibus, vt aliud iuxta naturæ ſuæ leges penetrare non valeat. Ideòquè dęmonē non poſſe ſic mutare corporis quantitatem, vt vnum in duobus locis, vel duo in vno loco collocentur: cum nihil ei liceat agere, quàm quod naturæ ordo patitur. Vndè ſequitur, Magos in duobus locis viſos in vno verè, & realiter eſſe; in alio phantaſticè, & apparenter, dęmone ipſos repræſentante, & poſtea per mentis exceſſum exhibente omnia, quæ in Conuentu ſathanico fiunt: vt pluriès ſagæ coram Iudicibus confeſſæ ſunt. Similiter Magos per has rimas in cubicula non introire; ſed per feneſtras, & portas, quas præcedens dęmon latenter aperit, & claudit: ſed tàm ſubtiliter, vt dormientes in cubiculo non euigilent: ſicut eadem faſſos ſuiſſe, refert Grillandus *lib. 2. de ſortilegijs c. 8.* Vel ſi verè cattis, & ſimilibus patet aditus per has rimulas, non magos eſſe; ſed dęmones, qui ſub tali forma ingrediuntur, & illa operantur, quæ Magi ſe operari credunt, dum eadem in eorum imaginatione operatione diabolica effinguntur. 300

Sed vtrũquè preſtigioſum probatur

ARTICVLVS III.

Quoad Qualitatem.

Efficacior eſt dęmonis virtus in qualitatibus corporis, vel amouendis: vel introducendis cum vtrumque ſit illi facillimum. Quod probant omnes alterationes in corporibus virtute diabolica factæ, quæ cum ſint innumeræ, eas ad ſolos morbos reuocemus ab illo variè illatos: quicquid in contrarium dicant Auicenna, Galenus, & alij putantes, ex naturalibus cauſis ſemper oriri; quaſi verò Saul, & Iob in veteri teſtamento: Cæcus, & mutus epilepticus, ſeù lunaticus, & mulier conuulſa in nouo non fuerint à dęmone, vt ab efficienti cauſa, varijs infirmitatibus diuexati. Idemquè nos docet quotidiana experientia in tot vtriuſquè ſexus perſonis, quæ maleficio aliquo affectæ patiuntur febres varias, languores ſummos, morbos graues, cęcitatem, ſurditatem, dementiam, deliramenta, dentium ſtridorem, melancholiam, lepram, paralyſim, epilepſiam, apoplexiam, ſtuporem, & conuulſionem membrorum, obſtructiones, & intemperies, modò mitiores, modò validiores, emacinationem corporis; deniquè mortem ipſam. 301

Alterationes varias dęmon efficit in corpore. Qualitates Amouendo. Vel Introducendo. Quę sũt innumere ad ſolos morbos reuocantur.

Quod ſeptemplici modo peragit, vt ſe opponat ſeptem donorum Spiritus ſancti diſtributionibus. 302

Primò phantaſiæ faſcinatione, ex qua horrendæ procedunt infirmitates: cum omnes extraordinarij effectus, qui in energumenorum corpore conſtituuntur, & à dęmonibus cauſantur, huic perturbatæ potentiæ ab incredulis, qui poſſeſſiones reales negant, aſſignentur. Tam enim potens eſt in homine agitando, vt eius effectus omnem naturæ virtutem prętergredi videantur.

Quod cauſat ſeptem modis. Phantaſię faſcinatione.

Secundò motu, & perturbatione humorum; excitat enim atram bilem, quam adauget admotis cauſis exurentibus, vel detento ipſo humore, ne expurgetur; fulgines in cerebrum, & internos ſenſuum meatus propellit: noxia excremẽta coaceruat ad iuncturas;

Humorũ perturbatione.

N

ras, ſpirituoſam ex ipſo ſanguine ſubſtantiam expurgat à craſſitie materiæ; & ea inficit ſpiritus vitales, atq. diuerſas infert noxas. Vndè *ſi aliquem melancholia morbo dęmon afficere velit*, inquit, Codr. Medicus timoratus, & doctus lib. 3. c. 2. de morbis veneficis, *melancholicum ſuccum auget; vel iam genitum, aut auctum commouet in cerebrum; atq. in internorũ ſenſuum ſedes vapores atros defert. Quòd ſi apoplexiam, catochum, & alios ſimiles affectus excitare ſtatuerit, craſſos ſuccos ad cerebrum defert, quibus venas cerebri, vel eius ventres, vel neruorũ origines obſtruit. Si cęcitatem; excrementa ad oculos traducit: vel etiã humorem aqueum chryſtallinum oppoſitum agitat, vel craſſefacit, vt ſpiritus viſiui permeare non poſſint. Simili ratione ſurditatem infert: vel excrementa aceruando; vel retinendo aerem congenitum quominus moueatur.* Hæc Codroncus.

Virium diſſolutione.

Tertiò virium, & potentiarum debilitatione, diſſolutione, & deſtructione. Nam ſi integræ, ſua exequuntur munia, non dubium eſt, quin ad illa pręſtanda reddantur ineptæ, ſi debilitentur, diſſoluantur, aut deſtruãtur: vt cum cæcitatem vult inferre, neruos viſorios ita cõprimit, quominus ſpecies viſiua per eos recipiatur. Sic cum ſurditatem, neruum auditorium, quominus ſuum valeat exequi munus.

Organorum corruptione

Quartò corruptione organorum, quibus ſenſus ſũt alligati. Nam ſic eos, vel hebetat: vel noxiè afficit. Cum enim non poſſit corpus ritè operari, niſi illis mediantibus, tunc à dæmone eis corruptis non ſolùm deſinunt, ſuas exequi functiones; ſed omninò fatigantur, franguntur, langueſcunt, & pereunt.

Contratione mẽbrorum.

Quintò contractione, & diſtractione membrorum, vndè maximi excitantur dolores. Nam ſi parturiẽtes tanta patiuntur, quid maleficijs affecti, cum membra contrahantur, & diſtrahantur tam atrociter, vt in equuleo torqueri videantur.

Impulſu in varia pericula.

Sextò impulſu in varia pericula: nunc in ignem, vt flammis conſumantur: nunc in aquam, vt ſuffocentur: nunc in præcipitia, vt collidantur, aut aliàs miſerè pereant, cuius impulſiones *Marci* 9. luculentum habemus exemplum.

303

Morte ipſa.

Septimò ipſa morte, quam variè infert; atquè ijs modis diuerſimodè corporibus detrimenta procurat, illa alterando per qualitates noxias, quas immittit, pluribuſque, vel paucioribus vtitur, prout nocere deſiderat, vt patet in ſeptem viri Saræ à dæmone occiſis, vt habetur Tobiæ cap. 6

Probatur exẽplo.

Horum ſeptem modorum varia paſſim in hoc toto opere referuntur exempla; vnicum tamen hìc referam de vltimo modo, cuius fui teſtis oculatus. Anno Domini 1645. in territorio Bergomenſi quidam Iuuenis annos natus circiter 25. fuerat maleficio affectus ità quòd non poterat ampliùs manducare, bibere, nec alias naturales exercere operationes, immò nec penè loqui, ac reſpirare; ad me acceſſit vigilia S. Laurentij, quem cum cæpiſſem ſacris munire benedictionibus, illicò dæmon totius mali ſe prodidit auctorẽ, cuius motibus, & agitationibus per eccleſiaſtica præcepta confractis, ac depreſſis, iuueni, vt ſua alicui Confeſſario confiteretur peccata, ac ſequenti die ſacram ſumeret Euchariſtiam, poſtea Brixiam peteret ad quendam peritum, & famoſũ Exorciſtam, perſuaſi (nondũ enim ego dæmoniacos exorcizare, ſed duntaxat maleficio affectos ſacris benedictionibus ad maleficia tollenda ordinatis munire, conſueueram). At ipſe cum ſe à dæmone obſeſſum comperiſſet, repentè in quandam vetulam maleficij, & obſeſſionis cauſam conſtituit, cuius mala opera benè nouerat; ac domum profectus dixit amicis ſuis ac domeſticis, ſe ab illa vetula fuiſſe ità malè affectum, ac optimè noſſe, alios ab ea olim ità fuiſſe affectos, ideòquè ſe velle eam Sanctiſſimæ Inquiſitionis deferre tribunali. Interim rogauit Superiorem Conuentus, vt ea nocte vnà cum quodam ſocio ſuo fideliſſimo illum reciperet in Conuentum. Quo obtento, (nec loco peperit crudelitas diabolica) poſt quartam noctis horam, dum in cubiculo maneret expergefactus, oſtio, ac feneſtra apertis, vidit illam mulierculam cubiculum ingredientem, & ſuper lectulũ aſcendentem, à qua miſer ille in collo fuit manibus comprehenſus, vt penè ſuffocari videretur. Quam toto conatu à ſe depellere nitebatur, interim, eam cõuicijs afficiendo, & tanta vi ab ea ſe eximere contẽdendo, quòd lectum, quo decumbebat, cõfregit, omnia hæc ſocio audiente licèt neminem vidente. Nec ſemel hoc factum eſt; ſed poſt dimidiam horam illum in altero lectulo vnà cum ſocio decumbentem iterum eſt aggreſſa, quem conabatur extrahere è lecto; ſed ſocius amplexus illum detinebat, vim magnam, ac motum contra ſe fieri perſentiens; ſed neminem aſpiciens. Ex quo euenit, quòd caput ipſius miſeri, & collũ ità fuere tumefacta, vt totaliter fuerit deformatus, & tanquam phreneticus agitaretur, ſpumaret ore, dentibus fremeret, ſolo collideret, ac præcipitem ſe dare vellet. Quarè mane me præſente corã multis teſtibus omnia narrauit, prius eius gutture, ac lingua munitis ſigno crucis; cõtinueq. voces emittebat raucas, & truncas, conquerendo ſe de illa vetula, ac dicendo hæc verba: *me affligit illa mulier* (illius proprium nomen enunciando) nec vult ceſſare, donec me mortuum videat: quod factum eſt hora eiuſdem diei nona, qua expirauit. Et fuit à quibuſdã obſeruatum, mulierem illam eo mane non fuiſſe viſam more ſolito miſſæ ſacrificio intereſſe, nec Eccleſiam adijſſe; niſi poſt prandium quando miſer ille iã ſpiritum exhalauerat. Nemini autem eſt abigendum, quin hoc facinus patratum fuerit vel ab illa vetula ope dæmonis mediante; vel à dæmone ſub illius vetulæ figura, ea ſic conſentiente, ac præcipiente, ne illam denunciaret. Quod magìs, ac magìs conformauit mors neptis ipſius vetulæ, quæ poſteà immediatè ante completum menſem quadã inſolita infirmitate è medio ſublata eſt per maleficium, vt ſuſpicabatur, ab eadem vetula patratum: quia cum prædicta Adoleſcentula ardenter pręfatum diligeret Iuuenem, dolens de morte illius, enarrauerat, maleficiũ ab auuncula ſua per bucellam iuueni traditam factũ eſſe. Immò ipſamet vetula mortis illius cooperatricem ſeipſam patefecit, dum poſtea prædicti Iuuenis ſocio, qui omnium, quæ euenerant teſtis fuerat oculatus, & auritus, niſi taceret, ſimilem ſe mortem inflicturam minata eſt, Cuius euentus teſtis fui oculatus vnà cum nõnullis alijs pijs Religioſis. Neq. hoc negabunt, niſi ſtrigarum fautores: vel eorundem criminum participantes.

ARTICVLVS IV.

Quoad Relationem.

§. I.

POteſt inſuper dæmon extraordinariam in homine facere relationem: ſeni iuuentam reddendo. 304

Dęmon extraordinariã poteſt facere relationem per quã homo ſibi & alijs ſimilis, & diſſimilis ſit.

Eo enim ipſo quòd erit ſic renouatus, ad alios homines ſe habebit vt diſſimiliter ſimilis, & ſimiliter diſſimilis. Similis iuuenibus, quia iuuentam recipiet: Viris, quia maturitate, & virtute virili donatus erit. Senibus, quia prouectioris erit ætatis. Diſſimilis à iuuenibus, quia pueritię, & adoleſcentiæ ætas longè prætergredietur: A' viris, quia ætatem attinget ſenũ, inter quos erit meritò cõnumerãdus: A Senibus, quia non ſuſtinebit incõmoda ſenectutis; ſed vultu, facie, totoq. corporis habitu adoleſcentem exhibebit; vel alium omninò ſibi diſſimilẽ ſimilem repręſentabit.

De

Probatur exẽplo.

De qua re luculentum exemplum refert Vincentius Beluacenſis Specul.hiſt.lib.9.cap.35. de Fauſtiniano Ciue nobiliſſimo Romano patre Sancti Clementis Papæ Nicetæ, & Aquilæ Diſcipulorum S.Petri Apoſtoli, qui profectus Athenas ad quęrendum Mathidiam vxorem ſuam, quæ vnà cum duobus filijs Fauſto, & Fauſtino, qui poſtea vocati ſunt alter Niceta, alter Aquila, iter direxerat: cum autem Fauſtinianus nullibi inueniſſet dictam ſuam vxorem cum ſuis filijs, manſit in Vrbe Laodicęe: & factus eſt diſcipulus Simonis Magi, donec S.Petrus vnà cum S.Clemente, inuenta Mathidia eius matre, ac cognitis Clementis fratribus Niceta, & Aquila omnes Laodiceam perrexerunt, vbi inuento, ac cognito etiam Fauſtiniano eorum Patre cuncti admiratione ſtupefacti poſt amplexus, & oſcula ſimul lætitia pleni filij, qui Chriſtiani erant cum patre pagano qui paratum ſe præbuit fidem catholicam recipere, diſputare cæperunt, ſed vtar verbis S.Clementis relatis à Beluacenſe loco citato.

Poſt diſputationem autem cum iam domi eſſemus præparantes ad edendum, ingreſſus quidam nunciat Appionem cum Anubione nuper veniſſe ab Antiochia, & hoſpitari cum Simone Mago. Quod audiens pater gauiſus eſt, & ait Petro: Si permittis volo ire, & ſalutare Appionẽ, & Anubionem, quia valdè amici mei ſunt; fortaſſis autem Anubionem ſuadere potero diſputare cum Clemente de Geneſi. Permitto, inquit Petrus, & laudo, quòd amicos colis. Conſidera tamen, quòd per prouidentiam Dei omnia tibi ex ſententia concurrunt. Ecce enim non ſolùm affectio tibi propria, Deo teſtante, reparata eſt, ſed etiam amicorum præſentia procurat; & pater inquit, verè aduerto ita eſſe vt dicis. Abijt ergo ad Anubionem. Nos autem cum Petro poſiti per totam noctem interrogando de diuerſis quæſtionibus, & diſcendo ab eo delectatione ipſa doctrinæ peruigiles manſimus. Et cum iam auroreſceret, Petrus intuens me, & fratres meos ait: Miror quod viſum ſit Patri veſtro. Cum hoc diceret, ſuperuenit Pater, & inuenit Petrum de ſe nobis loquentem: cumquè nos ſalutaſſet, ſatisfacere cæpit, & cauſam exponere, ob quam foris manſiſſet. Nos autem ad eum reſpicientes expauimus, vultum in eo Symonis videntes, vocem tamen patris noſtri audiebamus. Cumque refugeremus eum, & execraremur, ſtupebat, quòd tam auſterè erga eum ageremus, & barbarè. Petrus autem, qui vultum eius naturalem ſolus videbat, ait ad nos: Cur execramini patrem veſtrum? Cui nos vnà cum Matre reſpondimus: Hic nobis videtur Symon vocem habens patris noſtri. Et Petrus: Vobis quidem vox eius, quæ maleficijs mutata non eſt, ſola nota eſt. Mihi autem etiam vultus eius notus eſt, qui alijs arte Symonis mutatus apparet. Ecce autem vnus ex his, qui Antiochiam præceſſerant, regreſſus ait ad Petrum: Domine mi, Symon apud Antiochiam multa prodigia faciens nihil aliud populo perſuadet, niſi quòd ad odium tui pertinent, magum te nominans, & homicidam, ita vt deſiderent ſi te vſquam inuenire queant, etiam carnes tuas deuorare. Hos ergo videntes commotam Ciuitatem conſiderabamus quid fieri oporteret. Superuenit autem Cornelius Centurio miſſus à Cæſare ad præſidem Cæſareæ publici negotij gratia. Hunc accerſientes clam cauſam expoſuimus, & vt iuuaret, ſi quid poſſet, rogabamus. Qui ait, Cæſar maleficos per prouincias inquiri iuſſit, & perimi, ex quibus plurimi iam perempti ſunt: Ego autem diuulgabo me ad hoc miſſum à Cæſare, vt iſtum Magum capiam, vt cum ſocijs ſuis puniatur, & ſic metu compulſus fugabitur. Igitur hoc audiens Symon deſcendens ex Antiochia huc venit, ſicut audiuimus. Cumquè hoc ille dixiſſet Petrus reſpiciẽs ad patrem noſtrum ait: A Symone Mago transformatus eſt vultus tuus, ſicut apparet. Putans enim, quòd à Cæſare quæreretur, ad pænam territus fugit, & vultum ſuum tibi impoſuit, ſi fortè pro ipſo capi, & ad mortem duci poſſis, vt filijs tuis triſtitiam moueret. Hoc audiens pater cum lachrymis ſe infelicem exclamare cæpit. Mater quoque ſparſis, & laceratis crinibus plangebat, & nos ſtupentes quaſi amentes eramus. Anubion autem venit ad nos indicans nobis Symonem fugiſſe per noctem verſus Iudæam. Dicam, inquit, quomodo res geſta eſt. Vbi venit Fauſtinianus ad ſalutandum nos, contigit, vt ipſa hora circumſtaremus Symonem dicentem, quòd fugere vellet ipſa nocte, eò quòd quoſdam venire audiſſet, qui ex præcepto Imperatoris eum comprehenderent. Omnem furorem vellet conuertere in Fauſtinianum. Tantùm, inquit, vos facite eum cænare vobiſcum, & ego quoddam vnguentum componam, quo cænatus perungat faciem ſuam, & ex eo vultum meum habere videatur. Vos autem herbæ cuiuſdam ſucco faciem perungimini priùs, vt non fallamini in miratione vultus eius. Volo enim vt comprehendatur ab his, qui me quærunt, & luctum habeant filij eius, qui me derelicto confugerunt ad Petrum. Ego autẽ Anubion timui tunc Fauſtiniano indicare hoc; ſed nec ipſe Symon ſpatium nobis dedit, vt poſſemus ei ſecretiùs loqui, & conſilium Symonis aperire. Interea Symon nocte Iudæam petens fugit cum Appione, & Athenodoro. Ego autem ſimulaui inęqualitatem corporis, vt domi remanens facerem hunc velociùs ad vos redire, ſi fortè poſſit aliquo modo occultari apud vos, ne ab his, qui Symonem quærunt comprehenſus gratis pereat. Flentibus ergo patre, ac matre, ac omnibus pro his, quæ acciderant, Petrus miſeratione commotus ait: audi Fauſtiniane, cum nobis prius aliquid vtilitatis contulerit error iſte transformationis, tunc ego veram tibi vultus tui imaginem reddam. Præcede nos Antiochiam, & in loco publico ſtans denuncia pænitentiam tuam, & dic: Ego Symon denuncio vobis, & confiteor me feſelliſſe omnia de Petro; neque enim ſeductor eſt, neque Magus, neque homicida; ſed omnia dixi furore commotus. Obſecro igitur vos ego, qui dudum cauſas odij vobis dederam contra eum, vt nihil tale de eo ſentiatis; ſed ipſi credatis vt prædicatori verè à Deo miſſo, & veri Prophetæ diſcipulo; etſi etiam ego ipſe poſt hoc veniens ad vos aliquid dicere contra eũ tentauero, ne credatis mihi. Cum autem videris populum ex ſermone tuo conuerti, & depoſitis odijs recipere deſiderium noſtri, manda mihi, & ſtatim veniam, vultumque proprium, qui tuis omnibus notus eſt, tibi reddam. Profectus eſt igitur pater meus cum Matre, & duobus fratribus meis, & quibuſ-

quibuſdam ex familiaribus. Interea dum Petrus populum quotidiè doceret, & virtutes multas faceret poſt dies decem venit quidam miſſus à patre annuncians Fauſtinianum omnia præſtitiſſe, ac eueniſſe, prout ſtatuerat, ac prædixerat Petrus, idcircò rogat, vt velociter venias, & viuentem eum occupes, ne occidatur à populo, ſimiliter & creſcenti erga tui deſiderium Ciuitati appareas. Quibus cognitis Petrus profectus eſt à Laodocia, vt veniret Antiochiam, cui occurrit Fauſtinianus. Eadem autem die ad ueſperas reſtituta eſt in Fauſtiniano facies propria, & receſſit ab eo reſpectus, ſeù relatio, ideſt ſimilitudo Symonis Magi. Audiens autem Symon uultum ſuum in eo ad Petri gloriam profeciſſe feſtinus præuenit Petrum, & cæpit occultè per amicos ſuos amplius derogare, quàm fecerat. Tunc omnes expuentes in faciem eius expulerunt eum de Ciuitate dicentes: Reus es mortis tuæ, & ſi vltra locuturus contra Petrũ hùc tibi credideris eſſe ueniendum. Omnis autem Antiochiæ populus audiens uenire Petrum, occurrit ei, & nobiles, ac maiores natu cinere aſperſi capita pœnitentiam agentes, quòd contra prædicationem eius per Magum Symonẽ ſuſcepiſſent.

Hæc Clemens. Nemini autem eſt ambigendum prædictam tranſmutationem factam in vultu Fauſtiniani à Symone Mago ope dæmoniaca fuiſſe operatam; non enim illæ res à Symone appoſitæ ſufficientes videntur ad huiuſmodi tranſmutationem perficiendam, ſicut nec ad ſeni iuuentam reparandã.

§. II.

POſſe autem etiam naturaliter talem in homine fieri mutationem, probaretur facilè, Si Apollonij, Rhodij, Æſchyli, Pherecidis, Simonidis, & Lycophronis poeticis inuentionibus credendum eſſet. Statim nanquè nobis proponerent Iaſonem à Medæa recoctum, & lacti nutrices reiuueneſcentes; Sed quia hæ metamorphoſes fictæ, & incredibiles ſunt; ideò efficaciores quærendæ ſunt probationes huiuſmodi renouationis, vel mutationis, quam impoſſibilem eſſe, ratio ipſa ſuadere videtur. Nam vndè putas, vita noſtra quotidiè deperit, & tandem morte ſoluitur, niſi quia cõſumitur indies humidum radicale, in quo illa conſiſtit? cuius conſumptionis cauſæ ſunt annorum multiplicatio, & nutritio alimenti; Nequè enim continua cibi nutritione tantum reparari poteſt, quantum deperit; immò per illam nutritionem diminuitur; quia *omne agens agendo repatitur 1. de generat. tex. 46.* Si ergo poſſet illud humidum radicale in aliquo reſtaurari, nonnè homo in primam rediret iuuentutem? Nam ſic reficerentur illa, quæ veteraſcebant, vt ſuccus melior ſufficeretur: tolleretur nimia ſenectutis ariditas, & rediret primi genium indiuidui temperamentum.

305 *Hoc præſtare poteſt natura.* Hoc autem à natura perfici poſſe certum eſt. Nam plura exempla ſuppetunt quorundam, qui vires reſumpſerunt, & habitum iuuenilem denuò induerunt, etiamſi eſſent centenarij. Et quidem ſi renouatur, teſte Dauide *pſal. 102.* aquilæ iuuentus, & ſerpentis ſenecta, cum illa ponit veteris pennas, iſte antiquum deponit exuuium, quare non poterit idem accidere homini, ſicut de facto euenit nobili Peruuiano ab hiſtoricis Indicis toties decantato, qui ter ex ſene iuuenis factus eſt; & ter exareſcens ter refloruit ſpatio trecentorum annorum, quibus vixit: vt referunt Petrus Maffæius *hiſt. Indicæ lib. 11.* & Ferdinandus Caſtanneda *lib. 8.*? Nec illi ſolùm accidit; ſed alijs pluribus, qui poſita canitie, pulſa macie reiecto pallore, ſitu, & ſquallore ſenectæ, viderunt in ſeipſis naturæ benefacio dentes renatos, comas denigratas, rugas ſuppletas, ſulcos cutis adæquatos, atquè primam agilitatem, & iuuentam reſtitutam; quos referunt Torquemada *Dialogo primo horti floridi*, Valeſcus Tarentaſius *lib. 6.* & Delrius *lib. 2. Diſquiſit. magic. q. 23.*

§. III.

QVòd ſi natura hoc poteſt ſeipſa præſtare, nonne arte iuuari poterit, adhibitis efficacioribus remedijs, quibus humidum radicale reſtauretur? 306 *Idem ab arte iuuari poteſt.* Nam hoc cauſis naturalibus non eſt impoſſibile, ſatis, ſufficienterquè probat lignum vitæ, cuius fructus ad aliquot annorum millia vitam in hominibus protraxiſſet. Hanc enim vim illi naturalem fuiſſe, docent D. Thom. 1. *par. q. 97. a. 5.* & Scotus *in 2. diſt. 19. q. 1.* poſt Strabonem, Hugonem à S. Victore, & alios. Si ergo in rerum natura darentur aliquæ cauſæ æqualis virtutis nonne poſſent eundem effectum producere? Et certè dari, non eſſet negandum, ſi liceret Indicis relationibus fidem adhibere, quæ duos fontes celebres, alterum in Inſula Bonica, alterum in Lucaya reperiri teſtantur, talis efficaciæ, vt aquarum virtute incolæ vtriuſquè regionis ſenectutem exuant, & induant iuuentutem.

Sed eſto vna cauſa ſola huic effectui non ſufficiat; nonnè plures poterunt illum producere, ſi arte medica componantur? Quis namquè neget, eſſe mineralia, arbores, herbas, aquas, & id generis naturalia, quæ ſi ritè adhibeantur, noxia à corpore repellere, & proficuam temperaturam introducere; atquè ita vitam prorogare poſſint? Quare cum talem ſenis in iuuenem mutationem & natura operetur, & ars præſtare queat, non dubium eſt, quin ſit poſſibilis dæmoni: cum illa omnia poſſit peragere, quæ à natura fiunt; & in praxim reducere ſcientiam, quam habet, ignotam quidem Medicis, ipſi verò notiſſimam de ratione reſtaurandi humidum radicale, cum apprimè norit virtutes, & proprietates cuiuslibet rei naturalis, modumquè, quo vnaquæquè opportunè applicari debet.

Poteſt igitur & dæmon idem operari.

ARTICVLVS V.

Quoad Actionem.

ETſi multipliciter dæmones agant in corpora, & varia in eis operentur; tamen illorum actio clarius patet in Energumenis, in quibus debent ineſſe, & operari, vt eorum corpora poſſideri dicantur. Quod dum faciunt quis non miretur & exiſtentiam, & operationem, quæ omnem naturæ conatum videntur ſuperare? 307 *Multiplex eſt dæmonũ operatio in corporibus, ſed præcipuè eſt poſſeſſio in energumenis.*

§. I.

EXiſtentia talis eſt, vt plures in vno corpore inſint. Nam gaudent ſocietate. Et quamuis inter ſe ſæpiùs diſſideant; tamen idem volunt, conantur, & moliuntur, quando hominem poſſident: cum vnum ſit conſentiens ſtudium, vna concors voluntas, nempè, illum vexare, immò aliquoties integra legio, quæ *6666.* dæmonibus conſtans in vno corpo-

In his exiſtunt.

corpore reperitur, vt probatur ex dæmoniaco *Lucæ* 8. & dicto Chriſti aſſerentis *Luce* 11. immundum ſpiritum ſuis ſedibus expulſum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, per quos multitudo dæmonum intelligitur, aſſumere, atquè in domum reuerti, ex qua exierat. Hi autem ſpiritus non inſunt, vt accidentia ſuis ſubiectis; nam ſunt ſubſtantiæ perfectæ: Nec vt partes ſuis totis, & compoſitis; quia partes corporis, aut animæ non ſunt: Nec vtriuſque nec alterius vices ſupplere poſſunt, ſi idem homo viuus perſeuerat: Neque totum quoddam, & abſolutum in aliquo ſuppoſito concurrentibus duabus perfectis naturis in vnam hypoſtaſim; hoc enim ſoli Chriſto Domino conuenit. Sed vt motores rebus motis: nam corpora mouent: ſed ita vt nullum iſtis dent nouum eſſe; nec propriè vnum quid cum obſeſsis conſtituant.

Qualis ſit exiſtentia.

Et ſic exiſtentes aliquando totum corpus hominis occupāt; ſic vt anima, quę tamen alias habet operationes, & arctiùs, quam dæmon, corpori iungitur: Aliquando membrum aliquod, caput, brachia, tibia, pectus, & huiuſmodi partes ſingulares, in quibus ſuas ſedes ponunt. Aliquando in ſumma, & imperceptibili hominis particula, in qua latent, cum ſint ſpiritus corporis expertes, nec tamen ità inſunt in illis, vt ſemper in eadem parte permaneāt; cum ſæpè mutent ſtationes, & nunc plures poſsideant, nunc pauciores.

§. II.

308 NEc minori admiratione digna eſt operatio. Nā vel omnes, & ſinguli inducunt & cauſant mala, quæ homo patitur: quia copora non ad leuamen, ſed ad cruciatum ingrediuntur: nec aliam capiunt voluptatem in carneo illo domicilio, quàm quæ ex hominis vexatione conſurgit; & ideò omnes, vt potè inimici implacabiles miſerum hominem torquēt, ex quo augeri malum, neceſſe eſt. Si enim malum eſt, ab vno torqueri, vexari à pluribus erit peſsimum. Vel ſinguli propria habent tormenta, quibus eandem partem afficiunt, officijs ſic inter ſe diſtributis, vt vni vnum, alteri aliud malum procurandi cura demandata ſit; & ità alius contrahat; alius retrahat vnum, & idem membrum: alius paralyſim, alius ſtuporem cauſet, & ſic de cęteris. Vel ſinguli certa quædam, & determinata loca occupant, in quibus pro libito tyrannidem exercent; ita vt vnus caput, alter brachia, ille pectus, iſte ventrem, hic inteſtina torqueat. Vel ſi in vno reſident membro, illius eſt tormenta afferre carni, huius oſſibus, illius neruis, alterius venis, alterius medullis, prout cuiquè ſingulæ ſunt prouinciæ deſignatę. Hac politia diabolica conſtituta, quid non agunt in miſero corpore, quod illis ſicut alia materia corporalis ad nutum paret? Oculos perlucidos, & tranſparentes diſtorquent, ore ſpumam emittunt, linguam mouent præter voluntatem obſeſsi; atquè illam incredibili oris hiatu aut contorquent; aut inflant; emittunt: barbaras edunt voces, & horribiles vlulatus: ſtrident dentibus, latrant more canum, voces edunt more vulpium, leporum, aliorumquè animalium terreſtrium: Cantant more auiū, picę, gallinæ, corui, cornicis, aliorumquè volatilium: rident, lugent, ſaltant, aliaſquè geſticulationes exercent: quandoquè gulam in tumorem attollunt, fauces ita conſtringunt, vt miſeri ſtrangulari videantur: caput vna cum facie inſigni rubore perfundunt; ſuffundunt cutem totam flauo, ſeù citrino colore: cæcitatem, ſurditatem, & morbos inducunt varios: appetitum deijciunt, vt nec cibum ſumere, nec ſumptum continere valeat: partes interiores aut inſolita palpitatione: aut crebris punctúris commouent: exteriùs quaſi formicæ ſub cutę repentes permeant, diſtorquent membra; & corpora nunc tollunt in aera: nunc inflexibilia reddunt: modò in terra volutant: modò ad parietes alliduntː ſæpiſsimè horribili motu agitant; ita vt neque multorum hominum viribus, nequè ferreis nexibus contineri poſsint. De quibus omnibus paſsim plura extant exempla in Euangelijs de dæmoniacis ad Chriſtum adductis, ab eoquè à dæmone liberatis: & praxis quotidie docet.

In illis operātur

Qualis ſit operatio.

Quàm admirabilis.

§. III.

QVarum operationum nonnullæ à dæmone ſiuè intra corpus: ſiuè extra exiſtente exerceri valent. Poteſt enim extra manens ſic torquere arreptitios (dummodo ſint infra ſphæram ſuæ actiuitatis) eos cogendo cadere in ignem, vel aquam: ſicut illum, de quo *Matthæi 17 & Marci 9.* Mouere ex impetu ad diſcurrendum huc, illucquè vt dicitur de quodam arreptitio *Lucæ 8.* qui ruptis vinculis agebatur à dęmonio in deſertum. Inducere, vt ſe torqueant: vt ille ſe concidebat lapidibus *Marci* 5. Aliaquè huiuſmodi opera in eis exercere: ſicut *Actuum* 19. de arreptitio, qui inualuit contra duos, ita vt nudi, & vulnerati fugerent de manibus eius. Quæ omnia poſſunt fieri à dęmone extra corpus manente per ſolam applicationem virtutis motiuæ ad impellendum; licèt meliùs, & vt plurimum fiant exiſtente dæmone intra corpus, quia meliùs poteſt illud ſibi coaptare ad mouendum, quàm ſi extra manſerit: ſicut in prędictis eueniſſe credendum eſt. 309

Alia exerceri poteſt extra corpus dæmone exiſtente.

Aliæ verò ſunt operationes, ad quas regulariter, dæmon eſt intra corpus, vt loqui. Multa enim arreptitij loquuntur, quę conſtat eos non dicere; ſed dęmones per illos: cum ſæpè ipſi non ſe intelligant. Adhoc autem neceſſe eſt, vt ſentit Toſtatus, dęmonem eſſe in corpore, quia locutio fit per motum organorum interiorum, quę à dęmone mouentur non ſolùm prout eſt in corpore; imò prępicuè prout eſt in ventre: quia principale inter locutionis organa eſt pulmo, qui mouetur, & aerem concitat ad refrigerandum cor, & ibi ſubtiliatur aer, vt ſit conueniens materia ad voces articulatas: nam aer exterior manens ſic groſſus eſt quidem conueniens ad ſonos faciendos, ſed non ad voces perfectas formandas: Cum ergo principium vocis ſit in pulmone, neceſſe eſt, quando dæmones per arreptitios loquuntur, ſint in pulmone, ſicquè ſint in ventre. Quis ergo dæmonem per hominem loquentem eſſe in corpore eius audeat negare? Nonne 1. *Regum c.* 28. Saul abſtulit magos, & ariolos de terra, & interfecit eos, qui habebant pythones in ventre? & tamen pythones ſunt dæmones illi, qui loquuntur per hominem, vt teſtatur S. Lucas *Actuum* 16. *Factum eſt euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem ſpiritum pythonem obuiare nobis, quę magnum quæſtum præſtabat dominis ſuis diuinando. Hæc ſubſecuta Paulum clamabat dicens: iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis.* Sic & illi, in quibus dæmon loquitur, dicuntur habere ſpiritum pythonem, quem quidèm habere in ventre haud dubium eſt.

Alia in corpore tantùm exiſtēte.

§. IV.

310 SEd quid dicam? Non ſolùm regulariter quando per homines loquuntur, ſunt in corpore; verùm etiam ſi nunquam loquantur. Ad quid enim Chriſtus, cum aliquem ſanabat arreptitium, de corpore exire dæmoni præcepiſſet, niſi in corpore fuiſſet? Hunc namquè modum loquendi, *Exi ab homine ſpiritus immunde* non ad operationem dæmoniacam; ſed ad perſonam dæmonis in corpore exiſtentis, & operantis dirigi planè conſtat. Quarum locutionum formulæ extant *Matth.* 8. *Marci* 5. *Lucæ* 8. Vnde non ſolùm verum eſt de ſpiritibus loquentibus: vt dicitur *Marci* 1. *& Lucæ* 4. Scilicet, *exibant dæmonia à multis clamantia, & dicentia: tu es filius Dei, & Actuum* 16. dixit S. Paulus ſpiritui: *Præcipio tibi in nomine Ieſu exire ab ea*, & dicitur, quod exijt eadem hora. Sed etiam de ſpiritibus non loquentibus: ſic patet *Marci* 9. de illo dæmone, qui allidebat puerum, & cogebat ſpumare, & proijciebat in ignem, & in aquam, & tamen non loquebatur, quia erat ſpiritus mutus, & ſurdus, ſicut Chriſtus dixit illi: *Exi ab eo, & amplius ne introeas in eum*. Poteratnè clariùs Chriſtus explicare, ac demonſtrare, dæmonem eſſe in corpore ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & exiſtentiam? Si enim tantùm in corpore ſuam habuiſſet operationem, cum poſſit operari in corpore, etiam manendo extra corpus, Chriſtus tantummodo præcepiſſet dæmoni, ne ampliùs noceret homini: nec vſus fuiſſet illo verbo: *Exi ab homine, nec introeas*: quæ verba ex vi propria reſpiciunt dæmonis ſubſtantiam & exiſtentiam, & non puram operationem: cum dæmon poſſit manere in corpora diſinitiuè, & nullam efficere ſenſibilem operationem. Sic generaliter quandocumquè agitur de ſanatione arreptitiorum dicitur, quòd eijciuntur dæmonia: vt habetur *Matthæi* 10. *Dedit Diſcipulis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos*; qui neutiquam eijci dicerentur, niſi priùs intra corpus exiſtentiam haberent. Cui veritati ſe ſubſcribit Toſtatus *q.* 113. *in Matthæum c.* 8. Scotus *in* 2. *d.* 2. *q.* 5. *&* 6. Ioſeph Angles *ibi q.* 3. *diffic.* 2. cum tota Scotiſtarum Schola.

ARTICVLVS VI.

Quoad Paſſionem.

311 INter multiplices hos malorum vortices, quibus actione dæmoniaca corpus obruitur, illud etiam pati, neceſſe eſt: vndè tot paſſiones ſunt, quot actiones, per quas aliquid dæmones in eo operantur. Nam ex paſſibili impaſſibile faciunt, quicquid exteriùs applicetur, vel accidat. Quid tàm efficax in ſoluenda membrorum compage, quàm ignis, qui ſuo ardore omnia comburit, liquat, & redigit in fauillam? & tamen cacodæmonis ope malefici aliquando in medijs rogis illæſi manent; & non ſolùm non conſumuntur, ſed nec minimum patiuntur ne vnius quidem capilli diſpendium. Ita Simon magus inter flammarum vndiquè volitantium ardores volutatus non vrebatur: vt referunt D. Clemens Romanus *lib.* 2. *Recognit. & lib.* 4. *Conſtit. Apoſtol.* & Anaſtaſius Nicænus *quæſt.* 23. *in Sacr. Scripturam*. Quid tàm violentum corpori torquendo, quàm equulei, pedum vſtulationes, diræ membrorum diſtractiones, & alia huiuſmodi tormenta, quę à Iudicibus adhibentur, vt à reis pertinacibus veritatem extorqueant? Et tamen ſagæ quandoquè illa non ſentiunt, eorumquè ſæuitiam ſæpiùs eludunt. Quid tàm validum ad membra laceranda, & comminuenda, quàm gladij, ſecures, & arma? Attamen gladiorum acies ſic non rarò retunditur, vt nec leui vulnere malefici cutem perſtringere queat: ferri vis coercetur, dum ſecuri addicitur, & ſclopporum grandines eius carnem vulneribus aperire non poſſunt. Quos autem modos ſeruet dæmon in his peragendis, explicatur infra *tom.* 2. *diſp.* 1. *n.* 140.

Tot paſſiones fiunt in corpore ope dæmonis, quot actiones.

Ex paſſibili reddit impaſſibile. Siuè illud ſit viuens.

Nedum poteſtas dęmonis in corpore viuente exercetur; adhuc perſentitur in mortuo, in quo pręter ea, quæ poteſt in alijs rebus corporalibus, ſolet mira operari, & efficere, vt flammis appoſitum non reducatur in cinerem; vel ſub die expoſitum, putredinem non admittat, atquè diù ſeruetur incorruptum. Quod etiam procedere poteſt, vel ex temperamento: vel ex vnguentis adhibitis: vel ex loci qualitate; atquè alijs huiuſmodi naturalibus cauſis: vt tradunt Cælius Rhodiginus *lib.* 26. *c.* 24. Herodotus *lib.* 2. *hiſt.* & Diodorus *lib.* 1. *Bibliot.* Atquè ita Magi, & malefici in corpore, carne, & ſanguine compacto non paſſibiles; ſed impaſſibiles homines ope dæmonis eſſe videntur. 312

Siuè mortuum.

ARTICVLVS VII.

Quoad Vbi.

CVm inferiora Angelis tùm bonis, tùm malis pareant quoad motum localem; nullumquè ſit corpus, quod dæmon quadam impulſus impreſſione loco mouere nequeant; Certum eſt, in multis de loco in locum transferendis plenam exercere poteſtatem. Quod clarè patet in Magis, & maleficis, in quibus duplicem cernimus translationem. Nam ſicut Deus per Angelos Prophetas transfert de loco in locum: Aliquando ſpiritualiter, vt de ſeipſo teſtatur Ezechiel cap. 8. *Et emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me cincinno capitis mei, & eleuauit me ſpiritus inter terram, & cælum; & adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei.* Aliquando corporaliter; vt videre eſt in Abacuc è Paleſtina in Babyloniam, & Philippo ex deſerto in Azotum deportatis: ità dæmon, qui Dei ſimia eſt, in ſuis vtrumquè transferendi modum imitari conatur. 313

Transfert corpora de loco in locum.

§. I.

SPiritaliter & imaginariè transferri Magos ad nocturna conuenticula, quæ varijs in locis, & diuerſi anni temporibus ſolemniter à dæmonibus celebrantur, certiſſimum eſt. Cum ſæpiùs experientia comprobatum ſit, plures ex illis, qui ſe ad huiuſmodi conuentus redire iactitabant, nedum ſe loco mouiſſe. Ex quo colligitur, ea, quæ à ſe verè, & realiter viſa, & facta aſſerebant, in extaſi diabolica & ſenſuum abſtractione ipſis imaginariè fuiſſe repræſentata. Nihil enim eſt tam facile huic præſtigiatori, quàm ſenſibus externis, internisquè vinctis, & perturbata phantaſia, corporiſquè, & animi viribus læſis per ſimulacra, imagines, & phantaſmata propoſito accommodata homines vehemẽti ſomno conſopitos deludere; ità vt transferri per aera, conuentui intereſſe diabolico, choreas celebrare, epulari, gaudere, coire, & ludere cum cæteris putent: etſi neque ex lecto exierint, neque ex loco, in quo corpore iacent, ſe mouerint; totumquè fuerit imaginatione tranſactum. 314

§. 1. Vel ſpiritualiter, & imaginariè.

Hinc

315 *Cuius imaginarię trăſlationis modus adducitur à Mengho.* Hinc facillimè deducitur quàm hallucinetur Hieronymus Menghus in: huiuſce imaginariæ tranſlationis modo aſſignando. Notum eſt enim apud Exorciſtas, qui ferè omnes doctrinæ Menghi ſunt ſtudioſi, ac ſectatores, ipſum *in ſuo Compendio Artis Exorciſtica lib. 2. cap. 14.* indubitanter aſſerere.

Che quando i malefici, e le ſtreghe uogliono andare imaginariamente à quei giuochi notturni, & à quelle loro ſcommunicate congregationi, ſi conſacrano con certe parole al demonio, ilche fatto incontinente egli pigliando le fantaſie di cadauna di loro, le conduce per quei luoghi, à quali elleno deſiderano andare, & in quelle conſolationi, che ſi ſogliono fare in quei giuoghi, laſciando i corpi loro ſenza alcuno ſentimento, & coprendoli con l'ombra ſua, talmente che niuno gli può vedere. Et quando il demonio vede nelle fantaſie loro, ch'hanno adempiuto tutto quello, che deſiderauano, ſenza mouere dalle loro fantaſie quello, che hanno veduto, per opera diabolica riduce quelle imaginationi, e le congionge con i loro proprij moti, & corpi leuando l'ombra ſua di ſopra à quei corpi; oue che incontinente poſſono eſſere veduti. Et quantonque ſiano iti vagando con le fantaſie, è loro imaginationi, nondimeno i loro corpi mai ſi ſono partiti da quei luoghi inſieme con le loro anime. Et queſta attione ſolamente vien fatta con l'idolo di quelle coſe, che il dæmonio ha preſentato alla fantaſia di queſti ſuoi ſeguaci. Hæc Menghus.

316 *Sed refellitur ratione ſumpta ab ipſius phantaſię definitione.* Quem modum ſi attentè, ac medullitùs contemplari aggrediamur, facili negotio à pertè à veritate declinate conſpicimus. *Phantaſiam enim*, ſi ſumatur pro principio motus, puta phantaſticandi, ſeù imaginandi, nil aliud eſt, quàm *facultas animæ, qua percipimus obiecta iam ſenſata ab externis ſenſibus etiam poſtquam ſenſata ſunt, licèt actu non ſentiantur*. Hæc autem facultas ſeù potentia, cum conſtet ex realitate animæ, & organo phantaſtico, licèt in morte, cum deſtruitur compoſitum, ſeparetur ab anima, & anima exiſtat ſine phantaſia: attamen pro ſtatu iſto, dum anima corpori eſt vnita, non poteſt phantaſia ſeparari ad anima, neque à corpore nedum per potentiam dæmoniacam; ſed neque per potentiam diuinam: quia implicat contradictionem, quòd ſit, & ſeparata exiſtat à ſuis partibus eſſentialibus, ex quibus conſtat. Si enim poſſet ſeparari à corpore, poſſet etiam ſeparari ab organo phantaſtico: etſi poſſet pro ſtatu iſto ſeparari ab anima, poſſet ſeparari à realitate animæ. Hoc autem eſt impoſſibile: quia non poteſt conſiſtere ſine realitate animæ, & organo, ex quibus duobus conſtat. Aliter ſi poſſet ſeparari, vt ait Mengus, etiam realitas animæ ex qua conſtat, poſſet ſeparari ab anima: quod eſt falſum: quia anima cum ſit ſimplex, indiuiſibilis, & vna in eſſentia in ſe, & in ſuis potentijs, ac realitatibus (vt latè probant Auguſt. *ſerm. de tempore, & tract. 15. in Ioan. & 10. Confeſſ. cap 14.* D. Bernardus *ſerm. 11. in Cantic.* & Scotus *in 2. diſt. 16. q. vnica cum ſchola noſtra*) & eius potentiæ, ac realitates ab ea, & inter ſe tantùm formaliter diſtinguantur, ſequitur eas ab anima nullo modo ſeparari poſſe.

317 Sed eſto etiã cũ illuſtriſſimis Thomiſtis potentiæ ab anima, & inter ſe realiter diſtinguerentur, adhuc phantaſia ab anima ſeparari nequit: quia etiam ſecundùm ipſos potentię per ſe dependent ab anima in operando, tamquam à principio principali. Ita Conimbr. *2. de Anima c. 3. q. 4.* Zabarel. *de facultate anima cap. 4.* Fonſ. *5. Metaph. cap. 5. q. 1. Sect. 5.* Suarez. *diſput. 18. met. ſect. 3.* Auerſa *q. 47. ſect. 1.* Ruu. *tract. de potentijs in gener. q. 1.* & alij plures relati à Bartholomæo Meſtrio, & Bonauentura Bellutο *in Ariſt. ſtag. libros de Anima diſput. 2. q. 1.* Nec perciperet obiecta iam ſenſata ab externis ſenſibus, vt potè ab ipſis ſeparata; ſed reciperet ab ipſiſmet obiectis externis ſenſibilibus, quod non eſt ſui muneris; ſed potentiarum ſenſitiuarum externarum. Non enim potentiæ internæ poſſunt aliquod percipere obiectum, niſi priùs à potentrijs ſenſitiuis externis percipiatur. Cum ergo repugnet à parte rei, phantaſiã ab anima ſeparari, ſequitur, fieri non poſſe per potentiam Dei; quomodo ergo audeat aſſerere Menghus, poſſe dæmonẽ ſtrigarum phantaſias aſſumere, atquè illùc, quò ipſæ proficiſci cupiunt, deferre, & iterum animæ vnire? niſi aſtruere fortaſſe velit, dęmonem maiorem habere potentiã ipſo Deo? quod dicere eſſet hęreſis.

Sed cur non dixit Menghus, dæmonem etiam poſſe accipere ſtrigarum potentias ſenſitiuas exteriores, viſiuam, auditiuam, olfactiuam, guſtatiuam, & tactiuam, eaſquè deferre ad nocturnos ludos, vt omnia percipiant delectabilia, quibus poſtquam fuerint plenè affectæ, eas iterum animabus, & corporibus vnire, ſicut de phantaſia aſſeruit? quod fieri poſſe faciliùs appareret; cum huiuſmodi potentiæ ab obiectis exterioribus ſpecies ſuſcipiant immediatè. An forſitam hoc tacuit, quia huiuſmodi potentiæ ſine anima, & corpore eſſe nequeũt? Sed & phantaſia, & imaginatiua eadem ratione ab anima, & corpore ſeparari non valent. 318

Si verò phantaſia, ſiue imaginatiua ſumatur pro actu phantaſticandi, & imaginandi, & vt realiter dinſtinguitur ab anima, cum ſic accepta ex Ariſtotele *2. de Anima c. vlt.* ſit motus à ſenſu ſecundùm actum factus, adhuc manifeſtum apparet, per potentiam dæmoniacam ab anima, & corpore ſeparari non poſſe: quia motus huiuſmodi fit per ipſam animæ potentiam à ſenſu externo, prout ab eo obiecta percipit ſenſata. Si autem phantaſia, ſiuè imaginatiua ab anima, & corpore ſeparari poſſet, ſic poſſet ſeparari à ſenſu, cum ſenſus non ſit ſine anima, & corpore: exindè ſequeretur, quòd poſſet actu obiecta percipere à ſenſu ſine ſenſu, quod implicat contradictionem. Idem prorſus fatendum de idolo, ſeù ſpecie phantaſtica, de qua dicit Menghus in fine: *& queſta attione ſolamente vien fatta con l'idolo di quelle coſe, che il demonio hà preſentato alla fantaſia di queſti ſuoi ſeguaci*. Nam ad idolum, ſeù ſpeciem phantaſticam non pertinet recipere ſpecies ſenſibiles ex obiectis exterioribus. Idcircò nullo modo poteſt dæmon ſtrigarum phantaſias, quomodocumque ſumantur, ab anima & corpore ſeparare, & ad conuentus ducere nocturnos, vt ait Menghus, niſi maior quàm Deo, facultas dęmoni aſcribatur. 319

Dicendum ergo, cum ſtriges, ac Magi imaginariè, ſeù phantaſticè ad nocturna transferuntur conuenticula, imaginatiuam, ſiuè phantaſiam ab anima, & corpore non ſeparari, neque ad conuentus illos deferri diabolicos; Sed ſenſibus externis, interniſquè vinctis, & perturbata phantaſia dæmonem in phantaſia ſimulacra, & ſpecies phantaſticas, quas aliàs à ſenſibus externis perceperant, mouere, ea repreſentantes, quæ fiunt in illis conuenticulis, vt ſupra dixi, illaſquè vnire, & componere; ità quod in imaginatiua, ac phantaſia ea, quæ ſunt abſentia ſicut præſentia ſibi videantur, puta ſpecies eorum, quæ quandoquè in illis conuenticulis viderunt; vel ſpiritus animales, qui interiorum ſenſuum functionibus peragendis inſeruiunt mouendo: vel in corpore 320 *Verus modus aſſignatur.*

pore excitando motiones, & affectiones varias; atquè ità ex illis formationibus, concitationibus, commixtionibus, & agitationibus ſpecierum, aſſumptis etiam vaporibus inſtituto accommodatis, efficere, vt ſtriges videant, aut ſe videre credant ea, quæ fiunt in illis conuenticulis ſathanicis, licèt à ſua propria domo, & lectulo non dimoueantur, nec recedant.

§. II.

321 *§. Vel verè, & realiter.*

SEd non ſemper imaginariè transferuntur: cum etiam compertum ſit illos reuera corporaliter deferri ad ſathanicos conuenticulos. Nam quid poteſt huic corporeæ tranſlationi obſtare? An corporis reſiſtentia, & grauitas? An motus velocitas? An defectus corporis mouentis? Sed ſi corpus graue eſt, longè maior eſt dæmonis virtus facili negotio illud deferentis. Si velox eſt motus, & ſpatio breui confectus, hoc tribuendum eſt vi naturæ angelicæ, quæ ſubitò ab vno extremo fertur ad aliud. Si corpus mouens proprium dæmoni deficit, aſſumit aereum; & nunc ſe transformat in hominē: nunc in hircum, vel aliud animal: & ſagas vnguento ſathanico delibutas, atquè arundini veræ, vel ſcoparum baculo inequitantes aſportat; non quòd vtrumquè neceſſarium ſit: cum ſine baculo, aut vnctione eas facillimè poſſet transferre; ſed quia ex pacto ſic dæmon, & maleficæ conuenerunt.

322 *De hac tranſlatione reali teſtantur Patres.*

Hoc teſtantur Patres, qui Simonem Magum inſpectante Nerone in aera ſublatum, ſed orante Petro deturbatum fuiſſe, referunt D. Clemens Papa *lib. 6. Conſtitutionum Apoſtol.* Cyrillus Hyeroſolomit. *Cathecheſi 6.* Arnob. *lib. 2 contra Gentes*. S. Maximus Taurinenſis *in ſerm. 5. de Natali Apoſtolorum*, & Epiphanius *lib. 1. contra hæreſim*. Idemquè de Hermogene, & Phileto alij aſſerunt, qui iuſſu S. Iacobi Apoſtoli per aerem à dęmone deuecti ſunt manibus poſt terga reuinctis. Id Theologi teſtantur Thomas, Scotus, Bonau. Durand. & cæteri.

Sed pręcipuè, qua Sagę feruntur ad nocturnos ludos, realem eſſe probant Pontifices.

Sed potiſſimùm de tranſlatione vera, & reali ad ſathanicos conuētus loquitur, & huiuſmodi congregationes diabolicas inſectatur Adrianus VI. *Conſtitut. Dudum*. Vbi poſtquam Innocentius VIII. mandauerat primò Inquiſitoribus Alemanię, & Iulius II. Inquiſitori Cremonenſi, vt contra Magos, ac maleficos procederent, ac condignis pænis in eos animaduerterent, ipſe Adrianus Pontifex omnibus Inquiſitoribus Lombardiæ mandat, vt officium Inquiſitionis exerceant contra prædictam ſectam perſonarum, quæ à fide catholica deuiantes, fidem ipſam, quam in ſacri ſuſceptione baptiſmatis abnegantes ſacram crucem pedibus conculcantes, & opprobria ſuper eam perpetrantes, &c. inueniuntur: eoſquè puniant ſecundùm modum contra alios hæreticos à iure, & ſacris canonibus ſtatutum, Hæc autem ſecta, vt teſtatur Bartholomæus Spineus Sacri Palatij magiſter *quæſt. de ſtrigibus c. 15. poſt med. verſ. Vnde patet. fol. mihi 67.* non eſt, niſi ſecta ſtrigum, quæ nefanda à prædictis Pontificibus memorata faciunt non niſi pto magna parte in curſu: etiam ibi ſectam faciunt, & conuentum, & non alibi, nec alio tempore; ideò ſequitur, quod Pontifex ſupponit, & determinat, non illuſoriè; ſed verè, & realiter hæc in curſu fieri, & perpetrari. Quam etiam ſectam Clemens VII. per Breue, quod directum eſt Reuerendiſſimo Epiſcopo Polenſi, Gubernatoriquè Bononiæ mandans eidem, vt contra quoſdam Mirandulanos eiuſdem ſectæ præſtet omnem fauorem Domino Inquiſitori Parmenſi, & incipit: *Accepimus non ſine animi*, appellat expreſsè hæreſim ſtrigiatus. Cum ergo ex prædictis concludatur, quòd prædicta crimina non committuntur à prædictis hominibus illuſoriè; ſed verè, oportet, quòd non in ſomnis vadant, aut deportentur ad curſum; ſed verè, & realiter.

Hãc veritatem fatentur etiam S. Albertus Magnus *apud Cantipratenſem lib. 2. c. 57. par. 19.* D. Hippolitus Martyr *lib. de conſummat. ſeculi*. Abulenſis *in 4. cap. Matthæi, quæſt. 47.* Petrus Damianus *epiſt. 4. c. 17.* Alphonſ. à Caſtro *lib. 1. de iuſta hæretic. punit. cap. 16*, Sixtus Senenſis *lib. 5. Biblioth. annot. 73.* Ioan. Beetzius Carmelita *in 1. præcept. expoſit. 5. cap. 4.* Creſpetus *da odio ſathanæ diſcurſ. 15. lib. 1.* & fere omnes Patres. *Patres.*

§. III.

HOc Doctores Theologi omnium nationum vniformi conſenſu agnoſcunt, & docent, Ciruelus *de ſuperſtitione par. 2. c. 1.* Ioannes Dodo: *in Apolog. contra Fratrem Samuelem*, Guilhelmus Pariſienſis *par. vlt. de Vniuerſo cap. 23.* Sylueſter Prier. *in verbo Hæreſis n. 3.* Franciſc. de Victoria *Relect. de arte magica n. 32.* Caietan. *2. 2. q. 95. art. 3.* Ioſeph Angles *in 2. quæſt. vnica de arte magica artic. 4. difficul. 5.* Petrus Binſf. *de Cōfeſſion. malefic. concluſ. 11.* Ananias *lib. 4. de natura dæmonum*, Grilenzonius *conſil. 117. num. 3.* latiſſimè Iacobus Sprenger *in Malleo malefic.* Bartholom. Spineus Sacri Palatij Magiſter *queſt. de ſtrigib. à cap. 5. vſquè ad 33. & Apologia prima, ſecunda, & tertia de lamijs contra Ponzinibium* Nicolaus Iaquerius *lib. faſcinar.* Sebaſtianus Michael. *in Pneumalog.* Alexand. Alenſis *2. par. q. 122. membro 10. §. 14.* Stephan. Facundex *in 1. præcepit. Dicalogi lib. 1. c. 41. nu. 2. & 9.* vbi ait: *Quòd ſagæ ad loca remotiſſima ferantur, & iterum in domum propriam breuiſſimo temporis ſpatio traducantur tam certis teſtimonijs, ac tam euidenti rerum experientia comprobatum eſt, vt id negare ſit prorſus inſanire.* Penna *in Director. Inquiſitor par. 2. comment. 68.* Ferdinandus à Caſtro Palao *pr. p. tract. 4. diſput. 8. punct. 16. §. 5. n. 2.* Baſinus *de artibus magic. propoſit. 9.* Delrius *diſquiſit. mag. lib. 2. q. 16. & lib. 5. ſect. 16. verſ. De tranſlatione corporali fol. mihi 724.* & quotquot de maleficio tractant. *Theologi*

Hoc aſſeuerant omnes Iuriſconſulti Turrecremata *in cap. Epiſcopi 26. q. 5.* Remigius *lib. 1. Dæmonolatricæ c. 14. 24. & 29.* Grillandus de Sortilegijs *quæſt. 6.* Farinacius *de Hæreſi quæſt. 185. §. 8. num. 152.* Cęſar Carena *tract. de officio S. Inquiſitionis par. 2. tit. 12. §. 2. num. 5.* vbi ſic ait: *Circa corpora hominum, & animalium poſſunt dæmones illa celerrimè de loco ad locum transferre, prout accidit communiter in ſtrigibus, ſeu lamijs, quas dæmones verè, & realiter ad nocturnos conuentus transferunt. Quidquid enim aliqui dixerint, quod tranſlatio hæc ſit tantummodo imaginaria: attamen opinio hæc falſa eſt, & reipublicę pernicioſa: Nam licèt negari nequeat, quin tranſlatio hęc aliquando ſit imaginaria; attamen negari non poteſt, quòd etiam aliquando realis ſit.* Hæc Carena *loco cit.* vbi plures adducit Doctores: Grilenzonius *conſil 117. num. 3.* Felin. *in c. ſicut ſuiſ. de Simon.* & alij. *Iuriſperiti.*

Hoc recentiores Medici affirmant, vt Ronſſæus *lib. 2. de morbis vene f. c. 8. & lib. 3. c. 8.* Ceſalpinus *inueſtig. dæmon. c. 2.* Codronc. *de morb. venef.* & alij. *Medici.*

Hoc teſtantur gentium ſcriptores, cum narrant tot tranſportationes Phytagoræ, Empedoclis, Apollonij Thyanæi, & aliorum ab vna vrbe in aliam longè diſtantem delatorum. *Scriptores.*

Hoc

§. IV.

323 *Magi malefici, & Sagæ.* HOc omnes Magi, Malefici, & Sagæ eadem penitùs referentes vnanimiter confitentur: nec in minutiſſimis circumſtantijs circa diem, locum, horam, delationem, reditum, & occurſum aliorum in itinere diſcrepant: atquè in hac confeſſione perſiſtunt etiam in ipſo rogo, vbi fictio nihil proficit. Sic faſſus eſt mihi ille magus, de quo infra *diſput. ſequenti num.* 517. & 546. qui pluries, & varijs locis ſe prædictis à diabolo delatum adſtitiſſe conuenticulis, mihi enarrauit: nequè is erat hebes, nec mente captus, nec atrabili vel aliquo alio morbo affectus, ſed vir ſanæ mentis, non ignarus, ſed vtriuſquè iuris doctor: nec ioco, ſed ſeriò retulit: quinimmò mihi dixit: *Nos Magi, & Necromantæ, ſi quandoquè ad nocturnos conuentus ire nolumus, tunc, vt noſtra docet ars, circulos facimus necromanticos cum quibuſdam adorationibus dæmoni exhibitis; & tunc ab huiuſmodi greſſu excuſamur; dæmonquè noſter noſtras ſupplet vices. Sic ſæpiùs, aiebat, ego, cum peruolare renuerem, per tales circulos factos in camera mea, vel alibi, dæmoni honorem exhibendo, debitum perſoluebam.*

Qui pariter mihi indixit loca, vbi huiuſmodi ſathanici conuentus celebrabantur Venetijs, Bergomi, Taruiſij: aſſeruitque ſe fuiſſe delatum diuerſis temporibus ad conuentus ferè omnium Ciuitatum ditionis Venetæ, nec non Galliam, Germaniam, Bataniam, & alias Prouincias mediante ſuo Magiſtello perluſtraſſe.

Hæc ſæpiùs videmus enarrari ferè à cunctis magis, maleficis, & ſagis cum ad manus iudicum deueniunt: vt varijs conſtat exemplis paſſim relatis à Remigio, Binsfeldio, & Delrio, qui contra magos, ac maleficos Iudicum munere peſuncti ſunt. Si enim hęc contingerent nuda duntaxat imaginatione, & delirio muliercularum inſaniæ morbo laborantium, fieri non poſſet, vt tot maleficæ omnibus ſæculis à diuerſis, remotiſquè locis incarceratæ perpetuò in eiſdem depoſitionibus, & confeſſionibus conſentirent. Quamuis enim melancholici incredibilia ſibi perſuadere ſoleant; eorum tamen deliramenta non ſunt vniformia; immò ità diuerſa, vt vix multis ſæculis duo reperti fuerint, qui eiſdem delirijs laborarent. Quare falſiſſimum eſt, maleficas melancholia obrutas narrare tantùm fabulas, & imaginationes.

§. V.

324 *Curioſi maleficorum imitatores.* HOc experti ſunt multi, qui quamuis Magi, aut Malefici non eſſent, tamen Magos, ac Maleficos obſeruantes, vt ſolent hi, qui curioſitate ducuntur, & videntes ipſos inunctos ſubitò transferri, voluerunt eandem tentare aleam. Hi namquè ſtatim rapti fuere, & delati in diſſita loca, vbi cætus maleficarum celebrabantur, è quibus poſt celebratas cum illis orgias iterum ab eodem vectore deportati poſt reditum omnia, quæ fuerunt ab ipſis viſa, retulerunt, diligenter notantes loca omnia, flumina, montes, agros, arbores, ſepes, & domos; atquè diſcernentes perſonas, conuiuas ibi ludentes, ſaltantes, epulantes, accumbentes in menſis, miniſtrantes, & cæteros omnes, quamuis antea loca illa, vel perſonas numquam vidiſſent, quæ ſola fieri poſſe imaginatione, quis credat?

Hoc aſſerunt ij, qui nocturnos, & diurnos illos cætus viderunt: vt accidit aliquandò eis, qui ad tales congregationes à maleficis deducti fuere, quando rei nouitate obſtupefacti, & maximo terrore perterriti, inclamato Sanctiſſimo Nomine Ieſu, & implorato diuino auxilio (vti quibus ſiniſtri, inauſpicatiquè aliquid imminet) omnia ſubitò euaneſcere comperierunt, ſagis à ſuis dæmonibus celerrimè aſportatis, & hircis vix anhelitum ducentibus domum redire coactis. *Conuentuum magorũ ſpectatores.*

Hoc probant illi, qui ſæpiùs nudi reperti fuere inter dumeta, & loca horrida; vel à demone deducti, eò quòd dum deportarentur, nomen Dei inuocauerant: aut auditus fuerat à vectore campanarum pulſus, quo ad orationem populus conuocatur, ac Religioſi ad matutinum officium recitandum congregantur: Vel à ſagis eos deportantibus præcipitati, vt caſus violentia excæcarentur, ne arcana furialium huiuſmodi feriarum patefacerent, qui ſpeciali Dei miſerantis prouidentia præſeruati proprios lares ab illis locis diſſitos repetentes, omnibus teſtabantur, quæ ipſis acciderant. *Deducti, & derelicti à dæmone.*

Hoc oſtendunt menſæ repertæ, & ſuppellex argentea à ſagis delata, atquè à dominis poſtea agnita in ijs locis, vbi horrendi ij conuentus celebrabantur, quando nonnumquam cætu ſubito diſſoluto quiſquè in propria remeare coactus eſt. Inſuper veſtigia in terra impreſſa alia humana maleficorum, & ſagarum; alia bouina, & caprina dæmonum caprinis, bubuliſquè pedibus apparentium. *Menſæ, & ſupellectiles inuentæ.*

Deniquè clamores perſtrepentium, cantus ſaltantium, ſoni tibicinantium eminus auditi à vicinis locorum, vbi bacchanalia illa, & orgiæ diabolicæ fieri conſueuerunt. Quorum omnium plura exempla referuntur à Petro Binſf. *tract. de Confeſs. malefic. priori quæſt. parte, concluſ.* 12. & Delrio *diſquiſ. magic. lib.* 2. *q.* 16. ex varijs auctoribus deſumpta. Quæ omnia clarè, & apertè teſtantur, non ſolo imaginario motu; ſed corporali, reali, & phyſico ad conuentus ſathanicos maleficos, ſagaſquè deferri. *Clamores cantus, & ſoni auditi.*

§. VI.

AT contra hanc noſtram poſitionem obſtare videtur cap. *Epiſcopi* deductum ex Concilio Ancyrano, vel, vt alij vocant, Anquirenſi, vel Anquirano: Vbi prima fronte decretum eſſe videtur: hæc omnia fieri in ſtrigibus illuſionibus dæmonum. Vndè cum ſolùm in phantaſia ea patiantur, mens illarum hæc non in animo; ſed in corpore poſtea opinatur euenire. 325 *Obſtare videtur cap. Epiſcopi 26. q.5.*

Cæterum, vt docent Simanchas *de catholis. inſtit. titul.* 26. *num.* 9. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de Superſtit. cap.* 16. *num.* 27. Alphonſ. à Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæretic. punitione cap.* 16. Nicolaus Iaquerius hæreticæ prauitatis Inquiſitor *in flagello hæreticorum faſcinariorum cap.* 7. Spineus *lib. de ſtrigibus cap.* 21. *cum ſequentibus*, Syluester *in verbo Hæreſis* 3. Paulus Grillandus Iuriſconſultus Romæ cauſarum criminalium Auditor *in tract. de ſortilegijs q.* 77. pro qua ſentent. citat Auguſtinum Bottam de *Soluitur obiectio.*

O Saui-

Sauiliano, & Ioannem Graſſum Doctores iuris in quibuſdam conſilijs, & reſponſis, Petrus Binsfel. *de Confeſſionib. maleſic. in ſolut. argum.* Delrius *lib. 5. Diſquiſit. magic. ſect. 16.* Turrecremata *in dicto capite Epiſcop. 26. q. 3. ar. 3.* Concilium Ancyranum, & caput *Epiſcopi 26. q. 5.* non loquuntur de ſtrigibus; ſed de quibuſdam mulieribus hæreticis, quæ credebant, dari aliquam Deam Dianam, quę ex muliere fuerit in Deam conuerſa, & veram poteſtatem haberet, vt ipſæ illius virtute per aera equitando ad illius obſequium vocarentur, ferrenturquè, vt Herodiadi inſeruirent; & quòd creaturas mutare poſſet, & transformare ex vna ſubſtantia in aliam, quæ omnia hæretica ſunt. Nequè Patres illi Concilij Ancyrani negant, fieri poſſe ea, quę ſępè à dæmonibus cum lamijs perpetrantur. Vndè huiuſmodi credulitas ibi magis damnatur; quàm opus transferendi ſtriges corporaliter de loco ad locum dęmonum naturali virtute ex pacto cum illis inito.

§. VII.

326 *Repugnare videtur. Modernus Auctor.* Deniquè huic noſtræ poſitioni repugnare videtur quidam Auctor, qui tractans de obligatione ad crimina Officio S. Inquiſitionis denuncianda lib. 4. diſt. 9. art. 2. diffic. 1. vt probet Confeſſarium non debere cogere pænitentem, qui iuit ad ludum dæmonis, vt denunciet Inquiſitori conſocios, quos illuc, aſſerit, conueniſſe ſecum, relicta prædictorum Pontificum, & tot Auctorum catholicorum probatiſſimorum opinione, vt minus probabili, aſſerentium, ſagas aliquando verè, & realiter ad conuentus deferri diabolicos, vt probabiliorem approbat, & amplectitur quorundam Auctorum, nempè Lutheri, Melanchthonis, Agrippæ, Vuieri hęreticorum, Godelmanni, Duareni, Alciati, & aliorum, & pręcipuè Franciſci Ponzinibij ſtrigarum apertè fautorum, ac defenſorum opinionem, qui aiunt, ſtrigas non deferri corporaliter; ſed tantùm illuſiuè, & imaginariè, & conſequenter illas minimè videre realiter; ſed tantùm illuſiuè. Inſuper addit, eundem Ponzinibium *in tit. de lamijs num. 13.* aſſeuerare, quòd licèt alij teſtes affirmarent, dictas mulieres ſe vnxiſſe, & ad dictum locum pergiſſe, nihil tamen probarent, quia ipſi quoquè deluſi fuiſſent, vbi allegat textum *in cap. Qui ſine Saluatore 26. q. 2. & cap. Nec mirum eadem cauſa q. 5.* Prædictus autem Auctor, vt Ponzinibij, cæterorumque ſententiam magìs roboret, adducit auctoritatem Ferdinandi à Caſtro Palao *tract. 4. diſput. 8. punct. 16. §. 5. num. 2.* Farinacij *de Hæreſi q. 185. §. 8. num. 152. circa finem & quæſt. 188. §. 4. num. 76. verſ. Imò ex Depoſitionibus.* Pelbarti *in Roſario Theol. tom. 2. verbo dęmones 5. §. 81.* & Arſen. Inquiſit. *par. 10. admon. 141.*

Eius poſitio reprobatur. Verùm quicquid ſit de obligatione ad huiuſmodi conſocios denunciandos, diſputatur infra *tom. 2. diſpu. 1. num. 104.* Pro nunc ſufficiat diligentiſſimè animaduertere, dictam opinionem Ponzinibij, ac cæterorum auctorum eſſe falſam, magnamquè diuino Numini iniuriam, animabus perniciem, euidentiſſimum Chriſtianæ Reipublicę detrimentum afferre. *Ratione.* Vetat enim, ne ſtrigarum tot, & tàm nefandiſſima, ac pernicioſiſſima crimina eradicentur, pænisquè debitis expurgentur. Si enim deferuntur ſtriges ad nocturnos conuentus duntaxat imaginariè, & illuſiuè, conſequenter illæ vnctiones, adorationes, proſtrationes genuflexiones ibi dæmonibus exhibitæ; illæ comeſſationes, ac ſaltationes tantummodo imaginariè: illi cum dæmonibus incubis, vel ſuccubis concubitus nefarij, quibus ibi coinquinantur tantùm imaginarij: pulueres, qui in fine ludi à dæmone magis, ac ſtrigibus tum ad malefaciendum, tum ad ſanandum, vt ipſimet magi fatentur, diſtributi, ſolummodò imaginarij; ideòquè, & maleficia, pacta cum dæmone inita, cæteraquè ab ipſis crimina patrata imaginaria erunt. Non enim videtur maior ratio de hoc ſagarum crimine, quàm de reliquis. Sicut hoc ex mente Ponzinibij, ac cæterorum huiuſce opinionis ſectatorum tantummodo imaginariè in ſagis operatur dæmon: cur etiam reliqua nefaria crimina imaginariè duntaxat, ac illuſiuè operari non poterit? *Vbi enim eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet L. illud ff. ad legem Aquiliam, cum ſimilibus.* Nonnè etiam in alijs criminibus à ſagis, ac maleficis patratis, vtut ſint, & cuiuſcumquè generis intuentium oculos, ſenſuſquè reliquos poterit dæmon illudere; ità quòd, dum ipſe malum operatur, puta aliquem occidit, greges perdit, tempeſtates ciet, vel aliud ſcelus committit, oculis adſtantium oſtendere maleficum, ac ſagam tale committere crimen, interim in phantaſia ſagæ, ac malefici tales mouere, & vnire ſpecies mediante alio dæmone, quibus ſibi videantur talia perpetrare crimina? Etſi hoc eſſet verum, cuncta, quæ de ſtrigibus tum ipſemet modernus Auctor, tum quilibet alius Doctor diſſerit, eſſent imaginaria, & non realia. Si autem duntaxat imaginaria, & illuſoria, quomodò tot pænis tum canonicis, tum ciuilibus dignè, iuſtèquè poſſent tales multari crimino ſi? Qua ratione poſſent pręallegati Pontifices contra maleficos incubos, & ſuccubos, alijs innumeris criminibus obnoxios in ſuis conſtitutionibus tam acriter animaduertere, Principeſquè eos diræ mortis pæna dignos adiudicare, ſi omnia eorum opera eſſent imaginaria tantùm, & illuſoria? Pro nihilo enim pænæ non aſſignantur: quia *non entium nulla ſunt qualitates L. fin. ff pro ſoc.* vt ipſemet Auctor allegatus adducit *loco cit.* Quo quid abſurdius, & pernicioſius?

Quarè iuremeritò à Bartholomæo Spineo Sacri Palatij Magiſtro reprehenditur Ponzinibius; quia, cum ſit purus legiſta vult materiam Theologicam ità diſcutere, vt præclariſſimis ſapientibus tum Philoſophis, tum Canoniſtis, nec non, & Theologis profundiſſimis, quales ſunt communiter Domini Inquiſitores hæreticæ prauitatis ſe opponat. *Autoritate.* Vndè *tract. de prẹeminentia ſacrę Theologiæ ſuper alias ſcientias in procmio* modò illum nimis temerarium vocat: nunc cæcum, & ignorantem appellat: aliquando ipſius inſolentiam, & inſaniam exhorret: tandem *Apologia 3. contra ipſum cap. 4.* illum de hæreſi vehementer ſuſpectum; nec non hæreticorum fautorem, defenſorem, ac pro modulo ſuo Sanctiſſimi officij fidei impeditorem condemnat. ſic Delrius etiam illum appellat ſæpiùs *lib. 2. diſquiſit. magic. q. 16. & lib. 5 ſect. 16.* Sic Leonardus Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iure cap. 44. de magia dub. 3. num. 15.* ipſius, & aliorum ſectatorum opinionem falſam eſſe, ac Reipublicæ pernicioſam apertiſſimè docet. Quis ergò huiuſmodi opinionem tueri velit, niſi in fide catholica nutet, & ſe apertum magorum, ac maleficorum fautorem prodat?

Hinc

§. VIII.

329 *Excuſatur aliqualiter.* HInc præcitatus Auctor, ne tali macularetur labe, ſubiunxit, dicens: *Verum ſciendum, non eſſe improbabilem ſententiam aſſerentium, dictas maleficas à dæmonibus interdum deferri corporaliter,* & probat per duo exempla relata à Grillando *in titul. de ſortileg. quæſt.* 7. *n.* 21. 26 & 27. quaſi non ſit alia auctoritas, qua probari valeat: quaſi nihil ſint tot auctoritates Patrum, Theologorum, Iuriſtarum, Medicorum, Hiſtoricorum, & aliorum ſupra allegatę, quæ omnes teſtantur, priorem, quam ſequitur Ponzinibius, & approbat præfatus Auctor, eſſe falſam, Deo iniurioſam, ac Reipublicæ catholicæ pernicioſam. Albertinuſquè *de agnoſcendis aſſertionibus catholic. quæſt.* 24. *n.* 24. vocat noſtram ſententiam communem Theol. & veram, vt eſt reuera.

330 *Refelluntur auctoritates ab eo adductæ* Satius ergo fuiſſet, Deo gratius, ac Reipublicę catholicę vtilius, ſi relicta opinione Pōzinibij, & aliorum iniquorum hominum, communem Doctorum catholicorum fuiſſet amplexus, quia auctoritates, quas allegat nil faciunt ad propoſitum. Primò enim ille canon: *Qui ſine Saluatore* 26. *q.* 2. & *cap. Nec mirum, eadem cauſa quæſt.* 5. à Ponzinibio relata, vt ait præfatus Auctor, nullo modo noſtrę repugnant ſententiæ: quia in primo ibi tantùm dicitur: Magos, & diuinos, qui magicas ſectantur curationes, cæteraq. opera diabolica, eſſe à dęmonibus deceptos, alioſquè decipere quotidiè, non quia ad nocturnos conuentus ducantur illuſiuè tantùm, & imaginariè, cum de hac translatione ibi non loquatur; ſed quia per has ſcientias magicas vanas, & pernicioſas ſagę, & magi, ſi non ſe correxerint, ad æternam tendūt perditionem; ſuæquè perditionis alios faciunt eſſe participes. *Sic in cap. Nec mirum* nihil agitur de huiuſmodi ad ſathanicos ludos translatione; ſed tantùm dicitur: quæ magorum præſtigijs fiunt, non vera eſſe ſed phantaſtica: & rectè: quia vt dictum eſt ſupra *diſput.* 1. *n.* 20. & infra *diſput.* 3. *huius tomi n.* 640. & *ſequent.* Magi aliquando quædam operantur vera, & realia: aliquando quædam præſtigioſa: quando ergo præſtigijs vtuntur; tunc non vera; ſed apparentia tantùm, & phantaſtica repræſentant.

331 Doctores vero illi à præfato Auctore citati, nempè Ferdinandus à Caſtro Palao, & Farinacius non ſunt rectè allegati: Non enim dicunt maleficos, & Sagas ad nocturnos ludos deferri tantummodo imaginariè, & illuſoriè, vt ait Ponzinibius; ſed apertiſſimè aſtruunt, ſagas & maleficos aliquando ad ſathanicos conuentus deferri verè, & realiter: aliquando tantùm imaginariè, & illuſiuè. Sic Eliſæus Maſinus in Arſenal. Inquiſitor. non negat ſagas, & maleficos deferri corporaliter; immò ſupponit, ibi deductos eſſe uerè, & realiter: ſed ait, dum ſagæ, & malefici in illis morantur ſathanicis orgijs, à dæmone illuſi multa uidere, uel exiſtimāt uidere uana, & ficta.

332 Quod uerò adducit ex Pelbarto totum falſum eſt, & malè intellectum; Nam Pelbartus loquitur de illis mulierculis hæreticis, de quibus extat *caput Epiſcopi* 26. *q.* 5. de quo ſupra; quæ credebant ſe equitare cum Diana: ſic ait Pelbartus, eas fuiſſe deceptas. Non autem loquitur de ſagis, quæ ad ludos diabolicos trāsferuntur: ut patet cuilibet legenti, & benè intelligenti. Velle antem extendere hunc canonem ad lamias noſtras, primò lamijs ipſis infructuoſum eſt, ut latè probatur infra *tomo* 2. *diſput.* 1. *num.* 73. Secundò pernicioſum Reipublicæ Chriſtianæ. Nam docet experientia, ſagas iſto prætextu impunitas; vel minus quàm oportet, punitas dimitti: nec ſidei Inquiſitores inter Catholicos vllum maius impedimentum experiuntur, quàm Legiſtas quoſdam falſa opinione imbutos ab hoc canone, definire, hæc cuncta, quę de ſagis aſtruuutur, eſſe illuſoria, nec ideò grauem mereri pænam: vt latè infra demonſtratur *tom.* 2. *diſput.* 1. *n.* 115. Qua de re conquæruntur ſcriptores ferè omnes pij, catholici, & docti, præcipuè Nicolaus Remigius *in dæmonol'atr.* Ludouicus Richeamus *lib. trium diſcurſuum.* Petrus Leloyherus *lib.* 2. *de ſpectr.* Spineus Sacri Palatij Magiſter *Apolog. contra Ponzinib.* Creſpetus *lib. de odio Sathanæ* 1. *diſcurſ.* 2. vbi teſtatur iam Franciſci 1. tempore in Francia delatum numerum ſagarum maiorem centum millibus; ſed plurima cum acceſſione adauctum poſtea Iudicum conniuentia, & magnatum clandeſtino fauore. Cauſam autem gliſcentis mali, ait, eſſe Iudicum perfidiam deceptorum ſcriptis eorum, qui maleficorum, ac ſagarum opera eſſe meras illuſiones, aſtruunt, & docent. Tertiò aſſertoribus ipſis valdè pericuſoſum tum, quia, vt ex Eſaiæ verbis *c.* 47. infra citandis *tom.* 2. *diſp.* 1. *n.* 124. Babylonicam ſortem in vltionem ſibi conſciſcunt, qui Babylonis ſcelus defendunt, ac protegunt: vt latiùs infra *loco cit.*

Quare, ſolo illo Canone *Epiſcopi* niti, & verba vrgere, non ſententiam: nec ad ipſa quidem verba 333
ſatis attendere, totamquè Canonis ſeriem, ſed fruſtulatim eum diſcerpere, nec explicationem Theologorum, & Canoniſtarum doctiſſimorum admittere: nec Iudicium ſuum communi omnium Europæ Catholicorum Sæcularis, & Eccleſiaſtici fori Tribunalium praxi, rerumquè iudicatarum auctoritati ſubmittere; ſed vnū malle Vverium reprobatæ religionis hominem: aut alterum Ponzinibium apertum magorum, maleficorum, & ſagarum fautorem, ac defenſorem ſequi; & cum ſcandalo audientium publicè iſta iactare, ac typis edere, quid aliud eſt, quàm Tribunalia omnia Catholicæ inſcitiæ, iniuſtitiæ, credulitatiſuè damnare? quàm maleficis, & eorum ſceleribus habenas permittere ad nocendum? quàm Reipublicæ, & humano generi toti, & Deo Optimo Maximo tali conniuentia, patrocinioque teterrimæ apoſtaſiæ atrociſſimam iniuriam inferre?

ARTICVLVS VIII.

Quoad Situm.

SI dæmones corpus ad libitum mouere poſſunt, 334 *Dæmones poſſunt corporibus dare ſitum ad libitum.*
conſequenter talem ſitum poſſunt ei dare, quem lubet, & ideò facere, vt ſtet, ſedeat, cubet, inclinetur, aliaſquè habeat poſitiones naturales; immò non naturales, ſecundùm quas certo quodam modo habet partes affectas ſiuè in ordine ad locum ſiuè in ordine inter ſe. Primo modo facere poſſunt, vt quis conuerſis ad cælum veſtigijs manibus nitatur: aut alia ſimili inſolita forma ſedeat, vel ambulet. Secundo modo mutare membrorum ſitum: vt caput apponere in pectore, aliaquè monſtruoſa fæditate totam corporis connexionem perturbare.

Sed quia hæc præſtigioſa, & illuſoria ſunt, addamus aliud verum, & naturale, nempè, membra 335 *Quod ſępè operātur preſtigiosè.*
generationi à natura dicata tali ſitu diſponere, vt ſexus fæmineus in virilem commutetur. Nam ex fęminis plures viros factos, certum eſt. Neget qui

Precipuè cum mutant mẽbra genitalia. voluerit, Lapithæ Cænei, Hypermneſtræ, Siproetæ Cretenſis, & Leucippi mutationes, quos dono Deorum ex fæmineo ſexu ad virilem tranſiſſe, referunt Gentiles. Certè non negandum Phaetuſam vxorem Pithæi, & Anamiſiam vxorem Gorgyppi apud Hippocratem *lib.6.Epidem.par.*8. Mulierem Spoletanam, de qua Titus Liuius *lib.*24. Puerum Smirnenſem, & alium Caſſinenſem Areſcuntem Argium, Coſſitium Tiſdritanum à Plinio *lib.7.c.*4. & Aulo Gellio *lib.9.Noct.c.*4. relatos, & alios plures antiquitùs ex fæminis in viros abijſſe, de quibus Auguſtinus *lib.3.de Ciuit.Dei cap vltimo.* Idemquè accidiſſe recentiori euentu in vrbibus Caietæ, Salerni, Beneuenti, Vitriaci, & Ezgueyræ Luſitaniæ mulieribus, quarum aliæ in initio pubertatis: aliæ in die nuptiarum: aliæ longo tempore poſt in marium numerum eruperunt, mutatoquè habitu inter mares habitæ ſunt: vt teſtatur Iouianus Pontanus Neapolit. *in hiſt.neapolit.* Fulgoſus *lib.1.exemplorum cap.6.* Antonius Torquemada *dialogo* 1. Amatus Luſitanus *cent.2.Curat.*39. Michael Montanus *lib.1.Experiment.c.*21. Coccius Sabellicus *lib.9.Exemplorum*, & alij de quibus Delrius *lib.2. diſquiſ.mag. quæſt.*22. Quare ſi hoc natura poteſt, vt aſſeritur à tot Auctoribus: cur non poterunt dæmones, qui cauſas naturales norunt, per quas fęmina in virum abire poteſt? Vel etiam vt volunt alij, vir fieri fæmina: cum talis mutatio virilis ſexus in fæmineum Tireſiæ acciderit. Quæ etiam in leporibus, & Hyenis conſpicitur? Quę mutationes ſi fierent; prima non eſſet per productionem noui membri; ſed per incluſi, & abſconditi eductionem. Altera non per membri ablationem, & vuluę abſconditæ productionem; ſed per membri retractionem, & incluſionem, & vuluæ aperitionem. Cuius veritatis vnicum referam exemplum de quadam muliere innupta ætatis ſuæ annum quadrageſimum agente à ſuo Confeſſario miſſa, ac mihi litteris commendata, quæ mihi enarrauit ſe diù à dæmone incubo eſſe vexatam, cum quo ſub forma cuiuſdam Presbiteri, à quo ardenter diligebatur, ſibi apparente carnaliter die noctuque commiſcebatur, quam vt ad maiora facinora induceret, ſub vuluam, vt ipſa mihi aſſeruit, dæmon à biennio ei emergere fecit membrum virile longum, & groſſum ſicut maiorem manuum digitum: quod ſe intus aliquando retrahebat, & abſcondebat, ita vt extra nihil appareret. Ea hoſpitari feci aliquot diebus in domo cuiuſdam Sororis Tertij ordinis S.Franciſci, quo tempore nullam paſſa eſt vexationem interim cum à me ſpiritualibus documentis, ſalutaribus monitis, ac ſacris benedictionibus fuerit munita, totaliter à dæmone libera diſceſſit.

ARTICVLVS IX.

Quoad Quando.

336 *Poſſunt facere dæmones.* NEquè deeſt dæmonibus poteſtas in corpora circa eſſe in tempore, cui ſe ſubeſſe, & ſubijci aliquando demonſtrant in hoc, quòd ſecundùm variam Lunæ diſpoſitionem maleficio affecti magis, vel minùs vexantur. Nam etſi ſpiritus illi nequam moleſti eſſe omni tempore valeant; nequè dependeant ab aliqua temporis differentia, vt potè agentia libera, & rationalia, quibus vires, & nocendi libido non deſunt; nec accidit fatigatio ex actuum frequentatione: tamen potiùs in vno, quàm in alio tempore obſeſſos, & maleficiatos torquere ſolent: vt patet in Lunatico *Matthæi* 4.& 17. & alijs pluribus, quos vel in plenilunio, vel decreſcente luna moleſtant.

§. I.

ALiàs ſe ſupra tempus eſſe ſimulant in hoc, quòd corpora, quæ fuerunt, nec ſunt amplius, iterum eſſe in præſenti fingunt, dum illa reuocare videntur ad eſſe priſtinum, ex quo ceciderant per non eſſe. *Vt quæ amplius non ſunt eſſe incipiant.* Quod facilè præſtant in animantibus ex putrefactione ortis. *Quod præſtant in animātibus. Imperfectis.* Norunt enim vim caloris neceſſariam, & alia requiſita, vt mortua iterum reuiuiſcant: ſicut naturaliter euenire videtur in muſcis, ſi ſubmerſæ in aqua reponantur in cineribus tepidis. Et apibus, ſi ſucco nepetæ perfundantur. Difficiliùs in animantibus perfectis, quæ tamen ab eis vitæ reddi videntur; *Perfectis* ſi credendum eſt ſtrigibus aſſerentibus, boues, & arietes ab ipſis occiſos, eliſſos, & comeſtos iterum à dæmonibus ſuſcitari; quod magis credibile apparet: cum muſtellę catulos, leones, leunculos, pellicani pullos, voce, & ſanguine fuſo ex mortuis vitæ reddi videantur. Difficillimè in hominibus; *Hominibus mortuis.* Nam etſi illos perfectè reſuſcitare non poſſe feratur; & ideò reijcientes ſuſcitationes Admeti, Glauci, Tyndaræi, Eri Armeni, Gabinij, & aliorum factę ope Æſculapij, Apollonij Tyanæi, & Simonis Magi: tamen eos apparenter reſuſcitare poſſe ad tempus, videtur, non eſſe denegandum; ſicut euenit curioſo commenſali Cornelij Agrippæ, qui à dæmone ſtrangulatus iterum ab illo ſuſcitatus eſt; ita vt poſt ſuſcitationem per plateas Louanij ambulauerit aliquoties. Iterumq. puero à patre interfecto Dalhemij in Lotharingia anno 1581. Sed poſtea à dæmone viuo præſtito per annum integrum: vt narrat Nicolaus Remig. *lib.2. Dæmonolatr.c.*1.

§. II.

SEd hæc omnia mera eſſe præſtigia quis neget, cũ à priuatione ad habitum naturaliter non detur regreſſus? 337 *Aliquādo præſtigiosè.* Quòd ſi animal aliquod imperfectum ſuſcitatur à dæmone, non eſt idem numero animal, licèt ſit materia eadem. Noua enim anima ex potentia materiæ educitur, quæ veterem materiam nondum corruptam denuo informat. *Impoſſibile enim eſt*, inquit Ariſtoteles *lib.2. de Generat. & corrupt.* cui ſe ſubſcribit Petrus Tatar. *generabile pluries generari, ſiue ſucceſſiuè quia corruptum naturaliter non poteſt idem in numero redire. Nam materia non eſt amplius in potentia ad formam corruptam, quia nulla eſt potentia ad preterita.* Vndè ſi perfecta viſa ſunt reuiuiſcere: Vel mortua non erant; ſed immota, & ſopita: vt pulli, & catuli pellicani, muſtellæ, & leonis: Vel ſi mortua erant, apparenter, non realiter vitæ redduntur. Requirunt enim perfectiores quaſdam organorum diſpoſitiones, quæ niſi naturalis ſeminis virtute fieri non poſſunt. Si homines ex mortuis ad viuos rediere, idem aſſerendum eſt: Vel mors ſimulata erat: vt in apopleticis, ſideratis, vel attonitis, qui ità ſenſu, & motu priuantur, vt reputentur pro mortuis: *Aliquādo verè.* Vel ſi vera erat, corpus illud denuò ſuſcitatum, aut eſt aereum, & loco veri corporis ſubſtitutum; aut verè mortuum; ſed aſſumptum à dæmone, qui illud mouet, viuentiſquè opera, & geſtus imitatur. *Quomodo fiat.* Non enim dęmonum; ſed Dei ſolius eſt, idem nemero reproducere, quod morte perierat; & ea, quæ aliàs fuerunt, nec ſunt, iterum ad eſſe reuocare. Quod teſtatur D.Dionyſius *cap.6.de diuinis nominibus.* Ambroſ.

brof. Lactantius, & alij Patres Durandus *in 4. d. 43. q. 3.* Marſilius *ibidem q. 20.* Capreolus, & Sotus *diſt. ead. & quaſt.* Soncinas 5 *Metaphic.* Suarez *in 3. par. q. 53. ſect. 6.* Bannes, & communiter recentiores Theologi.

ARTICVLVS X.

Quoad Habitum.

§. I.

338 HAbitum dęmones vel dant, vel tollunt corporibus, cum maleficos viſibiles alio, & alio modo: aut omninò inuiſibiles reddunt. Quantis autem, & quàm varijs modis Proteus infernalis ſuos transformet, explicare quis valeat, non reali mutatione; ſed apparenti facta in corpore per diuerſimodam illuſionem, & mutationem obiecti, medij, & organi, vt ſupra dictũ eſt *n. 278. & ſeq.?* Simon Magus vt Glycas *p. 2.* & Anaſtaſius Nicenus *q. 23. in ſacram Scripturam* referunt: Facies aliquando binas habebat: fiebat ſerpens: in columnam conuertebatur, atque in alias formas migrabat; cum à Cæſare perquireretur, terrore percuſſus fugiſſe dicitur, alteri ſua forma relicta, vt patet ſupra art. 4. Apollonius Thyanęus ſub varijs ſimulacris ſe videndum præbebat. Zito Bohemus teſte Dubrauio *lib. 23.* nunc in ſua, nunc in aliena facie, ſtaturaque: item in purpura, & ſerico, & confeſtim in lana, & panno ſordido ſe offerebat. Et nihil frequentiùs circulatoriè, quàm diuerſo pręſtigio ſe oſtendere, nunc mares; nunc fęminas: modò ſub regali habitu: modò ſub pannoſis veſtibus: aliquandò in ornamento eccleſiaſtico; aliquando in veſte profana.

Dæmones habitum dant corporibus.

Cum illa faciũt viſibilia variè.

§. II.

339 SEd ſępiùs ſuos reddunt inuiſibiles: Vel ſenſuum vires obnubilando, ne ſenſus obiecta percipiát: Vel obiectum ipſum occultando, eiuſquè loco ſubſtituendo rem aliam: Vel vim oculorum impediendo: Vel condenſando aerem intermedium, & nubem opponendo: Vel celeriter obiectum offerendo, & transferendo. Atquè ita quamuis nequeant efficere, vt corpus quantum, & coloratum verè reddatur inuiſibile oculis ſanis, & non præſtigiatis; tamen facere poſſunt, vt per accidens tunc actu non videatur, cum præſens eſt, etiamſi reuera viſibile permaneat. Sic fraude dęmonum Domitiani oculis ſe ſubtraxit Apollonius apud Piloſtratum; atquè iiſdem technis membra aliqua ab homine, puta, virilia, brachium, manus ſępiùs ablata videntur, quia non videntur.

Habitũ tollunt à corporibus, cum illa reddunt inuiſibilia.

Quanta ergo dęmonum poteſtas in creaturas medias; cum nihil ſit in homine, quod permittente Deo, illorum vim poſſit effugere? Non intellectus, non memoria in ſpiritu. Non facultates, nutritiua, augmentatiua, generatiua: non potentiæ apprehenſiuæ ſenſuum tam exteriorum, quàm interiorum; non appetitiuæ concupiſcibilis, aut iraſcibilis in Anima. Non ſingula corporis membra, oſſa, nerui, medullæ, & intima penetralia. Quare non mirum eſt, ſi tot maleficijs homines moleſtent, & vexent, cum tàm potentes ſint in totum hominem.

CAPVT III.

In Creaturas Superas.

QVàm aptè genium dęmonum deſcribit Regius Pſaltes, cum dicit *Pſal. 73. Superbiam eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Nam quacumque felici, vel infelici ſorte verſentur, ſemper alta petere, & in corde ſuo aſcenſiones nequiter diſponere conſueuerunt. Si ſubleuantis manus Dei beneficio ſuper omnes mundi creaturas naturæ pręſtantia, & donorum magnitudine extolluntur, ſtatim volunt conſcendere ſuper aſtra Dei; & eodem ferè momento, quo eſſe incipiunt, feruntur in altum; atquè propria excellentia tumidi, ſimiles eſſe volunt Altiſſimo. Si verò in brachio forti, & extento diuinæ Iuſtitiæ deijciuntur in præceps, & è ſummo cælorum deturbantur in profundum inferni, quamuis infra omnia creata deiecti humilientur ſub potenti manu Dei; tamen ambitioſo conatu ex profundo emergere moliuntur. Et iterum ad ſummum dominationis peruenire. *Qui non cognouerunt*, ait Ioannes Apoc. c. 2. *altitudines ſathanę* Ideòquè non ſubeſſe, ſed præeſſe deſiderant, & omnes creaturas ſuæ ſubijcere ditioni. Quare non eis ſufficit, ſuper inferas, & medias ſuam exercere poteſtatem: vt vidimus; ſed inſuper tentant, illam extendere ad Superas, ſiuè Beatas, ſiuè Patientes, ſiuè Damnatas: vt totidem ſectionibus explicabimus. 340

Quia ſuperbia dęmonũ aſcendit ſemper.

Poteſtatem ſuã exercere tentant etiam in creaturas Beatas Patiẽtes Damnatas.

SECTIO I.

Beatas.

BEati habitant in domo Domini in ſupremo cælorum, ſcilicet, Empireo. Nam etſi vniuerſa mundi moles domus Domini dici poſſit, cum tota, quælibet eius partes infinita eius eſſentia, potentia ſumma, & præſentia glorioſa impleantur; tamen cæleſtis eius pars hoc titulo cohoneſtatur: quia ſeipſam, ſuamquè gloriam in ea exhibet beatis eius habitatoribus, qui duplicis ſunt ordinis. Alij puri ſpiritus, Angeli, ſcilicet, qui in diuerſas diſtincti Hierarchias Dei laudant Maieſtatem. Alij Angelorum conſortes, Animę, videlicet, ſanctę, quæ expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, cum iteratò corporibus ſuis immortalitate donatis coniungentur; Deum collaudant in ſæcula ſæculorum. Quamuis autem Beatitudine perfruantur, quæ ab extero agente peturbari nequit; tamen beata illorum ſors non omninò videtur illos eximere à poteſtate aliqua dæmoniaca: vt apparet in Samuele à Pytoniſſa ſuſcitato 1. *Regum c. 28.* cuius ſuſcitatio anſam præbet examinandi: An aliqui dæmones poſſint ſuper vtroſquè Beatos Angelos, ſcilicet, & ſanctos; adhoc ſaltem, vt illos poſſint euocare, & efficere, vt hominibus appareant; quod ſequentes articuli declarabunt. 341

Beati

Alij Angeli, Alij Sancti.

Occaſione ſuſcitationis Samuelis quæritur: An aliquid poſſint dæmones ſuper Angelos ſuper Sãctos.

AR-

ARTICVLVS I.

Angelos.

342 *Angeli apparēt ſæpiùs, in quibus apparitionibus attenditur.*

ANgelos hominibus viſibiliter adeſſe, atquè in ſpectabili forma ſeſe viſendos exhibere probatur certiſſimo ſcripturarum teſtimonio, quæ in vtroquè teſtamento angelicarum apparitionum mētionē faciunt, in quibus iuxta nouenarium ipſorum numerum nouem obſeruanda veniunt.

§. I.

Apparētis conditio.

1. SI enim apparentium conditionem ſpectes. Ex pluribus ordinibus ſpiritus illi beati rebus humanis interſunt. Nam etſi videant ſemper faciem Patris, & in vnica Dei contemplatione, atquè beatifica fruitione continuò occupentur; tamen illos eſſe adminiſtratorios ſpiritus in miniſterium miſſos propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, clamat Paulus *Hebræor.* 1. Et ſic videmus, non ſolùm mitti inferioris ordinis Angelos ad ordinaria munia obeunda, & Archangelos ad ſecretiora Dei conſilia patefacienda; ſed etiā aliquando ſuperiores: vt ſeraphin ad polluta Prophetæ labia purganda. Et inſuper Michaelem, Gabrielem, & Raphaelem, quos eſſe ex principibus primis, ipſi ſua ſe voce declarant. Nequè talis miſſio eorum minuit dignitatem; ſed illuſtrat: cum hac ratione angelica poteſtas, & charitas demonſtrentur.

Numerus.

2. Si numerum. Sæpè vnus; modò plures: aliquandò multi ſeſe ſpectandos præbent: Vnus communiter Patriarchis apparet, cū de myſterijs adimplendis; vel ſecretis reuelandis agitur. Plures veniunt in domos Abrahæ, & Loth, Vni informando: alteri liberando de Sodomitarum incendio. Multi in ſummitate Montis Synai legem promulgant iuxta illud Dauidicum pſ. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lętantium, Dominus in eis in Syna in ſancto.*

Modus.

3. Si Modum. Duplex eſſe ſolet. Vel enim mouent phantaſmata, ac ſpecies in phantaſia exiſtentes, & accommodant, vt imaginem, ac formam ſui, puta iuuenum ſplendentium repræſentent; colorantquè ad libitum ad ſignificandum id, quod prętendunt. Vel corpora aſſumunt peregrina ex inferioribus elementis compacta, & ipſorum vſui accomodata, quibus coniunguntur, non vt eorum formæ; ſed vt motores, ea tandiù agitantes, & retinentes quoad ſua munia expleuerint.

Operationes.

4. Si operationes. In illis corporibus aſſumptis loquuntur, ambulant, comedunt, ſonos formant, loca mutant, itineris ſe ſocios præbent, & alia huiuſmodi munera exercent vt infra *to. 2. d. 2. n. 399.* Non tamen famem patiuntur, aut fatigationem. Et dum hæc omnia operantur, nihil de ſuo exercitio remittunt; nequè felices eſſe deſinunt; ſed omnia peragunt, ad quæ vel natura, vel gratia deſtinati ſunt.

Perſona, quibus apparēt.

5. Si perſonas. Pluribus apparent, cuiuſuis nationis, ſtatus, ſexus, ætatis. Exhibent enim ſe ſpectandos Iudæis: vt Zachariæ Ioannis Baptiſtæ Patri. Gentilibus, vt Centurioni. Nobilibus, vt Gedeoni. Ignobilibus, vt Agar. Viris, vt Ioſepho. Mulieribus, vt Magdalenæ. Hominibus prouectæ ætatis, vt Abrahamo. Iuuenibus, vt Danieli. Incarceratis, vt Petro. Peregrinantibus, vt Iacob. Perſecutoribus, vt Heliodoro.

6. Si tempus. Nunc clara die, nunc nocte apparent. Die vigilantibus vt Loth, Manue, Ioſue, & alijs. Nocte dormientibus, vt Ioſepho. Aliquando breui tempore, vt Danieli. Aliquando pluribus diebus vt Tobiæ, & Hermæ Pauli Diſcipulo ſicut à diuina Prouidentia ordinatur. Quarè recedens Raphael vtriquè Tobiæ dixit; *Cum eſſem vobiſcum per voluntatem Dei eram, & tempus eſt, vt reuertar ad eum, qui miſit me.* Angelus verò cuſtos, qui ſub paſtorali habitu Hermæ apparuit, illi dixit: *Miſſus ſum ab illo Venerabili Nuncio, vt habitem tecum reliquos dies vitę tuę*, vt habetur tom. 2. Bibl. V.P. *Tempus.*

7. Si formam. Viri ſchema, non mulieris aſſumunt. Et nunc hoc, nunc aliud prout requirit officiorum diuerſitas. In veſte fulgenti Machabæis. Optimis operimentis adornati Heliodoro. In armis aureis haſtam vibrantes, Machabæo. Induti lineis, & ſcriptoris atramentarium habentes in lumbis, Ezechieli. In habitu peregrini Loth. In veſte candida Apoſtolis. In niueis veſtimentis, & fulgenti aſpectu Magdalenæ, & militibus ſepulchri. *Forma.*

8. Si locum. Omni loco videntur. In templo à Zacharia. Inter priuatos parietes à Gedeone. Ruri à Iacob. In fornace accenſa à pueris Babylonijs. In carceribus à Petro. In ſepulchris à Magdalena. In deſerto ab Agar. In vrbibus, itineribus, lectis, menſis, & conuerſatione ordinaria à Tobia, & Herma. Nec eſt locus aliquis, quo miſſi non ſe libenter manifeſtent. *Locus.*

9. Deniquè ſi finem conſideres. Apparent, vel vt Dei conſilia hominibus innoteſcant: vel vt eius decreta executioni mandentur, quæ ſpectant aliquando ad ſingularis hominis conſolationem: Aliàs vnius nationis conuerſionem: ſæpè vnius vrbis liberationem: Sæpiùs vnius Prouinciæ, aut Regni regimen: Sæpiſſimè totius orbis ſalutem. *Finis.*

§. II.

HAs autem apparitiones quoquomodo opera dæmonum fieri; Vel Angelos vi dæmoniaca, & malefica euocari poſſe, ne ſuſpicandum quidem. Nam etſi plures ex ſpiritibus beatis, vt potè qui ordinis ſunt inferioris, cedant potentia, & vi naturali dęmonibus, qui ex ſuperioribus ordinibus cecidere, & ità minus potentes à potentioribus euocari poſſe videantur; tamen potentiam illam naturalem maiores dæmones in minores Angelos exercere non poſſunt: cum iſti gratiæ Dei beneficio, & felicis gloriæ ſtatu potentiores ſint, vt ſuperiùs diximus diſp. 1. n. 120. 343 *Has dæmones cauſare non poſſunt.*

Quare dæmones, qui potentiſſimi haberi volunt, ne ſuam in cæleſtes ſpiritus impotentiam fateri cogantur, eorum ſæpiùs formam aſſumunt. Et cum ſint Angeli tenebrarum, transfigurant ſe in Angelos lucis: vt ait Paulus 2. *Corint.* 11. Vt ſic aliquid ſuper illos, ſi non verè, ſaltem apparenter poſſe videantur.

Sic illos imitantur in ſuis apparitionibus. Nam omnes ſe ſpectandos exhibent, non ſolùm qui eorundem cum Angelis, & Archangelis ordinum fuere: verùm & qui ob præſtantiora naturæ, & gratiæ dona ſuperioribus ordinibus aſcripti erant. Omnes hanc conditionem ſubeunt, vel affectant: & nunc vnus, nunc plures, nunc multi apparent, prout ſtatus, ratio, & ſuperiorum mandata requirunt. Omnes, cum proprias formas non habeant, eadem, qua Angeli poteſtate peregrinam aſſumunt, & deponunt, atquè ea vtuntur ad ſua officia peragenda, vel in ſenſibus operando: vel externum effigiendo ſimu- 344 *Sed illos imitātur transfigurantes ſe in Angelos lucis.*

ſimulacrum. Omnes in corporibus aſſumptis, comedere bibere,loqui,moueri comprobantur. Omnibus ſe manifeſtant, non ſolùm Magis, maleficis, & peccatoribus, alijſquè inſigniter ſceleratis; imò bonis, & ſanctis, cum ipſi Sancto Sanctorum Chriſto Domino viſibiliter (vt conijcere licet) apparere non erubuerint. Omni tempore videntur; ſed potiùs nocturno, quàm diurno; Cum enim principes ſint tenebrarum, tenebras amant; etſi aliquoties plena luce meridiana ſeſe manifeſtent. Omni loco ſimiliter ſe obtrudunt; nec eſt aliquis tam ſacer, in quem non penetrent: cum ſæpiùs iuxta altaria, & penetralibus Eccleſiarum, locisquè ſacroſanctioribus viſi fuerint: vt latius infra par. 3.

§. III.

345 *Diſſimiles ſunt. Forma.* SEd diſſimiles ſunt. Primò forma. Nam Angelis vna eſt forma, ſcilicet, humana, & quidem viſibilis: dæmonibus verò nunc humana virorum, mulierum, & puerorum; ſed difformis: nunc beſtialis volatilium, reptilium, & animantium: nunc monſtruoſa centaurorum, chimerarum, & aliorum portentorum: vt ſequenti parte declarabitur.

Fine. Secundò fine. Angelorum etenim finis eſt Dei gloria, & mortalium ſalus, ad quem ſemper in ſuis diſcurſibus collimant:Dæmonum verò Dei contemptus, cuius honorem vſurpare contendunt, & ſummum nocendi hominibus ſtudium, cui vacant etiam medijs, quæ ſpeciem pietatis, & religionis præſeferre videntur; ſed quæ falſa, ſuperſtitioſa, & maleſuada admixta habent. Deniquè effectu: *Effectu.* Angeli enim metum initio incutiunt, vt Gedeoni, Manue, & Sanctiſſimę Virgini accidit; ſed eum poſtea pace, charitate, & iucunditate maxima compenſant: Dæmones delectant initio, & præſentes lætitiam afferunt; ſed abſentes contriſtant, miſerumquè hominem turbatione, timore, & confuſione plenum deſinunt.

His, & alijs diſſimilitudinibus ſolent viri ſpirituales bonorum, & malorum ſpirituum apparitiones diſcernere, nè externa tenebricoſi ſpiritus in forma Angeli lucis apparitione decepti in errores incidant, in quos ſæpiùs ſanctorum multitudo prolapſa eſt, & quotidiè magorum, & maleficorum turba prolabitur, nempe, in deteſtanda peccata, horrendas abominationes, hæreſes varias, & vltimam deſperationem. Quare Sapienter dilectus Domini Diſcipulus *epiſt. 1. cap. 4.* monet, probandos eſſe ſpiritus, ſi ex Deo ſint.

ARTICVLVS II.

Sanctos.

346 *Nequaquam Sancti euocari poſſunt à dæmonibus.* ABſit, vt dicamus Sanctos deterioris factos eſſe conditionis dæmonibus: vt iſti vbiquè toto orbe vagentur, ſæpiùſquè hominibus appareant: illi verò vſquè ad diem Iudicij in cælo quaſi in cuſtodia teneantur incluſi: nec eis fas ſit apparere mortalibus; cum Sacra Scriptura, Oniam Sacerdotem,& Ieremiam Prophetam Iudæ Machabæo Moyſem, & Heliam Apoſtolis per viſum ſe obtuliſſe, teſtetur *2. Machab. c. 15. & Matthæi 17.* Et ſæpiùs plures ſanctos viſos fuiſſe, eccleſiaſtica ferat hiſtoria. Et Patres: Ambroſius *ſerm. 90. de Paſſione S. Agnetis.* Auguſt. *lib. de cura pro mortuis cap. 17.* Hieronym. *contra Vigilantium;* Gregor. *lib. 4. Dialog c. 12.* Cæterique Eccleſiæ Doctores in ſuis monumentis recenſeant. Sic Sanctorum Regina Beata Virgo Iacobo Apoſtolo, Gregorio Thaumaturgo: Damaſceno, Cyrillo Alex. Ioanni Patricio, Liberio, Ruperto, & pluribus alijs apparuit. S.S. Petrus, & Paulus Conſtantino, & Iuſtiniano. S. Iacobus Carolo Magno. S.S. Philippus, & Ioannes Teodoſio, Imperatoribus. Geruaſius, & Prothaſius Ambroſio. S.S. Iuuenalis, & Eleutherius Probo. S. Agnes Conſtantiæ, & alij ferè omnes ſancti pluribus, quos longum, & tædioſum eſſet recenſere: cum in tanta teſtium, & exemplorum luce cęcutire proteruæ ſit obſtinationis.

§. I.

SEd an Sancti, beata ſorte non obſtante, poſſint à dęmonibus, vel à maleficis eorum miniſtris euocari, quamuis certa concluſio dari poſſit: tamen, quia Samuelis apparitio à Pythoniſſa *1. Regum c. 26.* facta negotium faceſſit; & probare videtur, dæmones quandam in Beatas Animas poteſtatem exercere; ideò videndum prius: quid ſacri Doctores ſentiant, quorum alij fictum: alij verum Samuelem apparuiſſe opinantur. 347 *Quid de Samuele ſentiendum.*

Dæmonem laruatum, ac ſubditicium, non ipſam Samuelis animam volunt Tertull. *lib. de Anima c. 33.* Cyrillus *lib. de adorat. Spiritus.* Auctor libri de mirabilibus Sacræ Script. *lib. 2. q. 2. apud Auguſt.* & plures alij: quia indignum videtur, mulierem pythoniſſam magica, & dæmoniaca arte Sanctiſſimum virum ſuſcitare potuiſſe; ipſumquè Sanctum diuinę legis zelatorem inſigni ſagæ cooperari voluiſſe: aut permiſiſſe ſe adorari, multominus dixiſſe mendacium, vt patet in eius reſponſo: *Cras mecum eris.* Nec enim in limbo; ſed in inferno die ſequenti fuiſſe Saulem, communiter aſſeritur.

At veram fuiſſe Samuelis animam pręter hebraicos ſcriptores, Rabbinos, & Ioſephum *lib. 6. Antiquit.* Iuſtinus Martyr. *contra Toyphonem*, & Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis cap. 15.* conſtanter aſſerunt, quos ſequuntur Toſtatus, Lyranus, & recentiores. Illa etenim opinio magis conſentanea eſt Sacræ Scripturæ, quæ ſemper vocat illum, qui ſurrexit, Samuelem; & verum fuiſſe Samuelem aſſerit *Eccleſiaſt. 26.* cum dicit de illo: *Et poſt hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuę, & exaltauit vocem ſuam de terra in prophetia.* Cum, ſcilicet, prædixit Sauli, eum die craſtino moriturum. Nec ijs verbis aliquid opponi poteſt à contra ſentientibus, ſi librum illum pro canonico recipiunt, vt Sacroſancta facit Eccleſia. Conſentanea inſuper eſt huiuſmodi opinio Samuelis oraculo, qui ſicut viuens principium regni Saul prænunciauerat; ita mortuus finem prædixit. *Quid interrogas me*, inquit 1. Reg. c. 28. *faciet enim tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea; & ſcindet regnum de manu tua.* Nam quis antea regni ſciſſionem prædixerat, niſi Samuel? Ideò idem qui ante prædixerat, idem poſtea apparuit. Conſentanea prædictioni eorum, quæ ventura erant. Non enim ſolùm prophetiam veterem confirmauit; ſed nouam addidit, qua mortem Saul, & filiorum eius, atquè iſraelitici exercitus fugam prænunciauit, dicendo: *Cras autem tu, & filij tui mecum eritis ſed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Phyliſtijm.* Quę certiſſimè euenere, vt fuerant prædicta. *Siuè Falſus, ſiue Verus apparuerit* Ideoque ad iſtam prædictionem, neceſſe fuit, interuenire propheticam reuelationem, quæ dæmoni fieri non debuit; ſed quæ tunc vero Samueli facta eſt. Quare verus Samuel apparuit, non dæmon, qui prophetare non poteſt.

Nec

§. II.

349 NEc multum vrgent, quæ in contrarium opponuntur. Cum dixit Samuel Sauli; *Cras mecum eritis*, ad ſimilem mortis conditionem. Vel ad loci, & habitationis viciniam reſpexit: quia die ſequenti: & mori, & in locum gehennæ, qui non diſtabat à limbo, deuenire debebat. Cum adorari ſe paſſus eſt, non de latria; ſed de dulia, & reuerentia humana hoc intelligendum eſt. Sic namquè adorationis verbum ſæpius in ſcriptura ſumitur. Cum apparuit, non poteſtati magicæ tribuendum eſt, quaſi dæmones, aut eum coegerint, aut ſuaſerint venire; vtrumque enim falsò aſſeritur. Cogere impoſſibile: quia iuſtus erat, & in Abrahæ ſinu reſidens, quò eorum poteſtas non pertingebat. Suadere inutile; nec enim conſenſiſſet: aut ſi conſenſiſſet, Deus non ei immiſiſſet ſpiritum propheticum, cum per mortem ablata fuiſſet ei prophetia. Sed tribuendum diuinæ voluntati: quæ Samuelem apparere ordinauit, vt impius Rex corriperetur, & ad pænitentiam metu denunciatę mortis prouocaretur.

§. III.

350 AT quicquid ſit in hac quæſtione, quam problematicam putat Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis cap.* 10. licèt aliter videatur aſſerere cap. 15. Ex hac hiſtoria patet, inferendum non eſſe, animas Sanctorum à dæmonibus, & maleficis euocari. Si enim non verus, ſed falſus fuit Samuel, inde colligitur ſolùm, dæmonem Sanctorum figuram aſſumere; ſicut formam Angelorum. Nec negandum, à ſpiritibus illis nequam hoc præſtare, vt ſub amictu ſanctitatis decipiant. Si autem non falſus; ſed verus fuit Samuel puta anima eius, non magiæ; ſed Deo apparitio tribuenda eſt, qui ſæpius per ſuos Prophetas reſpondet, cum dæmonis Prophetæ conſuluntur. Ita per Balaam prædixit futuram Iudæorum proſperitatem, cum ariolus ille dæmoni ſacrificaret. Et per Heliam mortem Ochoziæ, cum eius nuncij mittebantur ad conſulendum Deum Acharon. Quarè non Pythoniſſam Samuel allocutus eſt, quaſi vi, & imperio malefico euocatus; ſed Saulem, cui, vt teſti diuinæ iuſtitiæ in eo adimplendæ: & vitæ, & regni iacturam, ſic exigentibus peccatis ab eo commiſſis, particulari Dei ordinatione prænunciauit.

Sub forma Sanctorum apparere poſſunt dæmones

Concludendum ergo, nec animas Beatorum diabolicis ſe immiſcere operibus; nec illas dæmones, aut eorum miniſtros poſſe euocare: quia, vt monet Sapiens cap. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Vndè ſi è cælo in terram aliquando deueniunt, propria bonitate, & voluntatis diuinæ mandato ducuntur ad Dei gloriam, & hominum ſalutem, vt ſupra de Angelis dictum eſt. Sæpius tamen dæmon apparet aliquibus, maximè Mulierculis ab ipſo dæmone obſeſſis nunc ſub forma Ieſu Chriſti, nunc ſub forma B. Virginis, vel alicuius, vt conſtat ex ſequentibus. In primis anno Domini 1664. Bergomi ad me confugit quædam Adoleſcentula à Leuato à dæmone obſeſſa, quę mihi enarrauit, ſibi lectulo decumbenti, à quo non poterat ſe expedire, appparuiſſe Chriſtum primò ſub ſpecie infantis cum Matre in Ægyptum fugientis. Secundò ſub forma Crucifixi, qui ei dixit, quòd genuflexa rogaret Patrem ſuum, vt conſiteretur peccata ſua, quibus obnoxius erat, quod tamen non fecerat. Tertiò apparuit ſub forma Chriſti reſurgentis à ſepulcro. Sed huiuſmodi apparitiones, non eſt dubitandum, fuiſſe technas diaboli, vt eam in aliquem induceret errorem. Sic quędam alia adoleſcentula anno 1666. Bergomi coram ſuo Parocho, ac Confeſſario mihi enarrauit, ſibi dæmonem apparuiſſe ſemel ſub forma B. Virginis Mariæ dicentis ſe veniſſe, vt eam à dæmone liberaret: cui dixit: *ſi tu es Beata Virgo, doce me facere voluntatem Dei*, qui ei reſpondit: *Vade ad Miniſtros Sanctę Eccleſię, qui hoc te docebunt.* Alia vice apparuit ſub ſpecie Sancti Franciſci. Bis ſub forma Angeli Cuſtodis dicentis, quòd ipſe eam à dæmone liberaturus erat. Bergomi verò illi apparuit ſub ſpecie Sanctiſſimę Trinitatis ea forma, qua demonſtratur à Pictoribus; & dixit Chriſtus ſe veniſſe, vt eam à dæmone liberaret, quod tamen rei non probauit euentus. Ex quo clarè innoteſcit, dæmonem ſæpius ſe transfigurare in Angelum lucis, ac formas varias aſſumere nunc Dei, nunc Angelorum, nunc Sanctorum, vt ſub ſpecie boni homines, ac maximè mulierculas facilè credulas in errores inducat deteſtabiles.

SECTIO II.

Patientes.

SI æternę Beatitudinis aditus non patet, niſi mundis corde; & nihil coinquinatum intrat in regnum cælorum, vt aliàs auditum à Ioanne in Apocalypſi c. 21. Non ſolùm ab eo arcentur, qui flammis adiudicantur ęternis ob peccata actualia mortalia, quorum ſordibus inquinantur; ſed etiam qui originalis labe infecti, aut venialis peccati maculis minus puri à felici illo ingreſſu, vel in æternum; vel ad tempus excluduntur. Primi ſunt pueri, qui ante ſuſceptam ſacri baptiſmatis gratiam ex hoc mundo migrarunt. Cum enim ſolo originali crimine rei ſint, nec cęlum ingredi poſſunt: quia ſunt coinquinati; nec ad infernum detrudi debent: quia propria voluntate non ſunt iniqui; ideòquè in tertio loco incluſi remanent, qui puerorum limbus communiter à Doctoribus vocitatur. 351

Præter damnatos labe mortali infectos, excludũtur à Beatitudine Pueri Limbi

Secundi ſunt Iuſti, qui aut propter peccata venialia: aut propter pænas peccatis actualibus, quorum culpę remiſſæ ſunt, debitas, diuinæ Iuſtitiæ ſunt obſtricti. Nequè enim pro leuibus culpis: vt vt ſunt humanarum actionum defectus quotidiani, cum à rectitudinis linea exorbitant, aut declinant, amandandi ſunt in infernum. Nequè admittendi in Paradiſum ob maculas contractas, quibus ſpiritualis pulchritudo minuitur. Neque ob pænas facilè expiabiles diuina viſione priuandi; ideò in Purgatorio detinentur, vbi tales pęnę expiantur, manentquè recluſi, quoaduſquè reddant vniuerſum debitum: vt ſubtiliter docet Scotus *in* 4. *d.* 21. *q.* 1.

Animę Purgatorij donec pęna remiſſa ſũt

An autem ſuper vtroſquè dæmoniaca ſe extendat poteſtas, qua vel euocentur; vel torqueantur, non facilè eſt definire. Si quid tamen in re incerta aſſerendum venit, ſequentes articuli declarabunt.

De vtriſque quęritur An poſſint euocari, vel torqueri.

ARTICVLVS I.

Pueros Limbi.

SIcut in peccato duo deformia reperiuntur: Alterum auerſio à Deo: Alterum conuerſio ad creaturam: 352

turam: itâ à Deo duplex pœna peccatoribus infligitur; vna damni: altera ſenſus, quarum illa auerſioni: hæc verò conuerſioni reſpondet; ſed cum hoc diſcrimine, quòd omnes, qui propria voluntate mortaliter peccantes ſine vera pœnitentia moriuntur, vt iuſtam ſubeant ſcelerum pęnam, in æternum ſeparantur à Deo, & ignibus adiudicātur æternis. Qui verò non propria; ſed aliena voluntate peccarunt: vt ſunt pueri abſquè baptiſmali gratia decedentes ſola damni pęna puniuntur in Limbo, quam læuiſſimam eſſe, nec vllam in eis cauſare triſtitiam euidentiſſimis rationibus probat Scotus *in 2. d.33. ad 4. princ. & in corp. queſt.*

353 *Quæritur an illuc à dæmonibus Deducātur.* Quomodo autem illuc deducantur, detineantur, aut educantur, incertum eſt.

Deduci non ab Angelis; ſed à dæmonibus tanquam à miniſtris, & executoribus Diuinæ Iuſtitiæ putat Sotus *in 4. diſt. 45. q. 1. a. 3.* Et quidem probabiliter. Si enim Iuſtorum animæ à corporibus ſolutæ ſuſcipiuntur ab Angelis, qui eas deducunt in ſinum Abrahæ, & Paradiſum exultationis: vt videtur in Lazaro: quia Dei amicorum notam, gratiam, nempè, eos ab inimicis diſcernentem gerunt, nonnè à dæmonibus ſuſcipi debent animę peccatorum; atquè in locum à diuina Iuſtitia aſſignatum deduci; cum Dei ſint inimici, & inimicorum nota, peccato ſcilicet, iniuſti ſint? Nam etſi hi pueri actualia peccata non admiſerint; originali tamen labe inficiuntur, & inſignia dæmonis geſtant. Ideòquè ſeparandi ab amicis Dei, & in locum particularem ſegregandi; quem cum ignorent, ab aliquo indicari neceſſe eſt. A quo verò niſi à dæmone miniſtro iuſtitiæ, cuius charactere inſignuntur?

Detineantur. Detineri verò in illo loco, & in illa detentione nihil in ſenſibus pati, concors eſt Theologorum ſententia. Nam etſi pœna damni afficiantur; tamen à pœna ſenſus omnino ſunt liberi. Vnde nequè infernali igne torquentur: nequè vexantur à dæmonibus. Eſto eos deducant infernales illi ſatellites: non tamen in eos ſæuiunt, nec vllam inferunt moleſtiam, quæ cum ſit quoddam ſupplicium inferni, non debet eſſe niſi in ijs, qui propria voluntate peccarunt.

354 *Educātur.* Educi autem eos ex hoc ergaſtulo, quamuis neget Toſtatus *in 25. Matthæi q. 754.* tamen probabile cenſet Thyreus de locis infeſtis *par. 1. cap. 4. num. 8. & ſequen.* non vniuerſim, ſed particulariter, vt iuſto Dei iudicio terreant, & affligant, vel crudeles homicidas, qui eis in tenera adhuc, & immatura ætate vitam eripuerunt: Vel parentes, qui ipſos plus æquo amantes, Deum offenderunt grauiter: aut eos procrearunt per nefandam libidinem. Nam defunctorum animæ viuentes moleſtāt non ſolùm ob defunctorum delicta; ſed etiam ob viuentiū demerita. An autem factum ſit aliquando, etſi factum eſt, an ductore dęmone, & cooperatore, nouit ille, qui, vt ait Anna 1. Regum 2. *deducit ad inferos, & reducit.*

ARTICVLVS II.

Animas Purgatorij.

355 *Animę in Purgatoriū Deducūtur.* Certius aliquid poſſumus aſſignare circa animas, quæ expiatorio igne torquentur, ſiuè deductas, ſiuè detentas, ſiuè eductas conſideremus.

§. I.

Deducuntur ad locum expiationis, vel extraordinarium, qui eſt aliquando ille idem, in quo culpæ leues, & negligentiæ commiſſæ fuere: aliquando diuerſus, ver. gr. Balnea, flumina, cauernę, terræ, maris inſulę, montium cacumina prout à iuſto Iudice ordinatur. Vel ordinarium ſubterraneum, nempè, terræ receptaculum in eius viſceribus ſitum, & damnatorum gehennæ proximum; quod purgandis ijs erroribus leuioribus: nec non & pœnis debitis nondum ſolutis pro peccatis mortalibus quoad culpam iam dimiſſis à Diuina Prouidentia deputatum eſſe, docent communiter Theologi.

Ad hunc deducuntur ab Angelo ſiue bono, ſiue malo; ſed diuerſo fine. Bonus enim qui fuit indiuiduus vitæ tranſactę cuſtos, & teſtis, animam non deſerit; ſed ad Purgatorij locum comitatur, vt ſolent amici alios amicos, qui ad ſupplicia rapiuntur; & quandiù in eo permanet, illam ſua conſolatione confortat: quod teſtarur S. Anſelmus *in Elucidario: Dum ibi ſunt poſiti,* ait, *apparent eis Angeli, vel alij Sancti, in quorum honore aliquid egerunt in hac vita, & aut auram, aut ſuauē odorem, aut aliquod ſolamen eis impendunt vſquè dum liberati introibunt in illam aulam, quę non recipit vllam maculam.* Malus verò, vt fremens hoſtis ſua præda fruſtratus poſt tot tentationes, inſidias, & inſultus, quibus eam ſubuertere conatus eſt, ſocium ſe adhibet, vt illam, quam ad æternos cruciatus trahere non potuit, ſaltem temporarios ferentem videat. Sicquè ex illis tormentis aliquam hauriat voluptatem, vt piè credi poſſe dicit Gabriel Biel *in Canone miſſę lect. 55.* *Vel à Bono Angelo, Vel à Malo. Sed diuerſo fine.*

§. II.

Qvid verò in expiatorijs illis locis conſtitutæ animæ à dæmonibus patiantur, id potiùs meditatione, quàm certa aſſertione definiendum eſt. Conueniunt in hoc ferè omnes D.D. & præcipuè Theologi *in 4. diſt. 21* Purgatorium Inferno damnatorum eſſe coniunctum: nec aliquam inter vtrumquè receptaculum dari loci intercapedinem, puta, muri, aut terreæ molis; eodemquè animas hinc, & inde conſtitutas igne torqueri; ſolumquè differre in hoc, quòd illæ cruciatus ferant temporales: iſtę æternos, illę euadendi aliquando ſpem habeant; iſtę deſperatione continua agitentur ob æternam pęnarum diuturnitatem, illæ conſolationem in ſuis anguſtijs ab Angelis ſumant: iſtæ rabiem ſentiant cruciantem ab inſultantibus dęmonibus. Tamen diſcrepant in hoc, quòd dæmones animarum Purgatorii alii ſpectatores: alii irriſores: alii tortores eſſe volunt. 356 *Deducta à dæmonibus.*

§. III.

Spectare illarum pœnas, & cruciatus, aſſerunt quidam; ſed nihil attentare poſſe, quod eis moleſtiam ferat; cum indecens ſit, animas Dei amicas, & ſponſas tormenta ab implacabilibus hoſtibus, & diris carnificibus ſuſtinere; nec æquum, vt quę per totum vitę curriculum inter periculoſa certamina oppugnantes vixerunt, victos calcarunt, calcatos duxerunt in triumphum poſt bellum confectum, poſt victorias reportatas, poſt triumphos peractos non ſolùm debitam non aſſequi coronam, quæ in aliud tempus differtur; ſed egregios pugiles 357 *Secundū aliquos Spectantur.*

P ſubdi

ſubdi hoſti, victores nobiles victo, ouantes generoſos proſtrato, glorioſos triumphatores tyranno ſuperato; imò tradi diro carnifici, tortori crudeli, hoſti ira, & odio percito, vt in eos ſæuiat, & ſuam explicet, & oſtendat ferocitatem.

358 *Irridentur.* Sed alij aliter ſentientes dicunt, dæmones non ſpectatores tantùm eſſe; ſed etiam irriſores, vt Franciſcus Arrias *de imitatione Chriſti tit.* 4. *ex D. Thoma in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *a.* 1. Nam etſi ab omnipotenti Deo non ſit eis datum, has torquere animas, à quibus toties in vita, & præcipuè in morte ſuperati fuerunt; tamen ob viciniam Purgatorij Inferno adiacentis, malignos, & crudeles ſpiritus omnia inferre mala, quæ ſibi à Deo permittuntur: nunc horribilibus ſpectris terrendo: nunc gaudium ſimulando de eorum tormentis: nunc inſectando ſcommatibus: nunc proſequendo irriſionibus varijs, quæ non poſſunt non maximum afferre doloris augmentum. Quid enim tam intolerandum, quàm dæmonem toties proſtratum, & conculcatum ſuſtinere tot modis inſultantem?

§. IV.

359 *Torquentur.* AT ſecundùm alios, inſultibus addere tormenta permittuntur. Neque enim inconueniens, aut parum æquum putant, animas, quamuis Dei filias, & regni cæleſtis hæredes ab eis torqueri; præſertim cum nihil aliud tortoribus liceat, quàm quod iuſto Dei iudicio conceditur. Fauet ratio. Nam ſi iuſti in hac vita dæmoniacæ traduntur poteſtati, vt temporaliter puniantur, cur non in alia, vt temporalem ſimiliter perferant cruciatum? Etſi Deus, cum illos ante mortem in manus dæmonis dat, vt ſuæ iuſtitiæ ſatisfaciat, amare non deſinit; quare poſt mortem ſine amoris præiudicio; imò cum maximo amoris indicio non poterit eoſdem ad tempus tradere Sathanæ, non vt ſæuienti inimico, aut crudeli tortori; ſed vt ſuæ iuſtitiæ miniſtro, & executori latæ ſententiæ, quam per omnia, & in omnibus æquam, & rectam eſſe, nemo dubitat? Sic enim delinquentem filium quamuis dilectum, & bonorum hæredem Pater & ipſe diligens, atquè hæreditatem parans per domeſticum ſeruum condigna animaduerſione caſtigat. Nec deſunt exempla, quæ idem ſuadent apud Bedam *lib.* 3. *hiſtor. Anglic. c.* 19. Dionyſ. Carthuſ. *de quatuor Nouiſs cap.* 47. Thomam Cantipatr. *lib.* 2. *Apum c.* 16. Speculum Exempl. *diſt.* 3. *cap.* 16. Guilhelmum *in vita S. Bernardi lib.* 2. *c* 10. qui diuerſas apparitiones referunt, ex quibus conſtat, animas in Purgatorio plura à dæmonibus pati.

Quod ſi B. Birgittam audiamus, facilè hæc opinio cum præcedenti poterit conciliari. Docet enim *lib.* 4. *Reuelat. c.* 8. Purgatorij locum in duas quaſi partes diſtingui: vnam altiorem: alteram profundiorem. In prima detineri Iuſtorum animas, quæ perſeuerantes in iuſtitia, & ſanctitate omnibus diebus ſuis diem vltimum obiere; non tamen ſine quibuſdam leuioribus culpis, quas expiare, neceſſe ſit. In ſecunda animas eorum, qui poſt grauia commiſſa ſcelera, & vitam in varijs iniquitatibus traductam, beneficio confeſſionis in morte diuinam gratiam aſſequuntur. Atquè ad illam partem primam non accedere dæmones: ſecùs in ſecundam. Idemquè Beata Ioanna Magdalena ſibi reuelatum aſſerit, vt in vita eius cap. 17. legitur; & vt pium veriſimile, & rationi conſonum recipit Franciſcus Arias *de imitat. Chriſti tract.* 4. *cap.* 9.

§. V.

NEc putes ita in ijs receptaculis animas detineri, vt nunquam ad nos redire liceat. Certiſſimum eſt enim, eas aliquando educi. Nam etſi ſecundùm legem ordinariam neque ad nos exeant; neque vllum habeant nobiſcum commercium; tamen ſecundùm diuinam permiſsionem, & diſpenſationem extraordinariam nihil vetat, quominus ad nos reuertantur, vt docet Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis c.* 16. Alij, inquit, *ſunt fines rerum humanarum: alij diuinarum.* Animæ, quæ ſecundùm naturalem cognitionem ſuas ſedes non relinquunt, ſecundùm ſecretam Diuinæ Sapientiæ diſpoſitionem, & ordinem aliquando indè egrediuntur, & ſe hominibus offerunt. 360 *Educuntur aliquando.*

Hoc decet diuinam permittere Maieſtatem. Illæ namquè apparitiones oſtendunt diuinæ Potentiæ amplitudinem, quæ non ſolùm viuis; ſed etiam mortuis dominatur: Ineffabilem diuinæ Prouidentiæ ordinem, quæ rebus noſtris per parentes, amicos, & notos varia dantes monita conſulit: Tremendæ iuſtitiæ rigorem, quæ loca varia aſsignauit, vbi ſontes indeſinenter cruciantur, expiantur leuiarum culparum rei, iuſti æterna beatitudine donantur. Docent ſanctorum communionem, quæ inter vtroſquè tum militantis, tum triumphantis, aut patientis Eccleſiæ ſanctos intercedit: Nam etſi varius ſit eorum ſtatus; tamen eadem ligatur compagine charitatis, per quam viuentes in ſuis neceſſitatibus à mortuis ſolamen expectantes, & mortui ſuis precibus illud à ſummo obtinent Benefactore. Manifeſtant: quæ ſit animarum, & corporum conditio, & has non ſimul interire cum corpore; ſed corporis ſoluto ergaſtulo aliâ viuere vitam, atquè ad angelicas mentes accedere ſine corpore ſubſiſtentes: illorum verò nō eſſe impoſſibilem reſurrectionem, cuius quædam adumbratio eſt ſpiritus apparitio. Hortantur ad cultum Deo exhibendum: ad corpora condigno honore proſequenda; & ad perſoluenda pietatis officia in ſolamen pænarum, quas patiuntur. Mandata Dei ad nos perferunt; rationem vitæ obſeruandam edocent; mala ceruicibus impendentia repellunt: ſanitatem reſtituunt; aut modum aſſignant, quo deperdita recuperari poſſunt. Denique ſuis apparitionibus fidem noſtram fulciunt, vt credamus dari Paradiſum Purgatorium, Infernum; animas de ſuo ſtatu poſt mortem eſſe ſecuras, & noſtro bono ſolicitas: noſque ſuis precibus iuuare apud Altiſsimum: & orationibus, ieiunijs, & eleemoſinis noſtris iuuari; & alia id generis dogmata, quæ egregiè miniſtrantur, dum ad nos redire permittuntur: vt benè admonet Petrus Thyræus *lib.* 1. *de apparit. ſpirituum.* *Probatur Rationibus.*

§. VI.

SIc Animæ plures viſæ in expiatorijs Purgatorij ignibus: Paſchaſij, nempè, Apoſtlicæ ſedis Diaconi in Thermis angularibus à Germano Capuano apud Gregor. *lib.* 4. *Dialog. c.* 39. Domini Balneorum centum cellentium in ipſis ſuis balneis à Presbytero conteraneo apud eundem *lib.* 4. *c.* 55. Sancti Seuerini Colonienſis Epiſcopi in flumine à ſuo Clerico apud Petrum Damianum *epiſt.* 13. *ad Deſiderium Abb.* Militum in Vuomartienti campo apparentiū apud Chronicum Hirſagienſe circa annum Domini 1098. Sic Iuſtus Monachus Fratri apparens, ſe grauia pertuliſſe ſupplicia, à quibus fuerat liberatus, narrauit, vt refert Gregor. *lib.* 4. *Dialog. cap.* 55. Duæ Moniales egredi viſæ è templo quotidiè, donec pro eis oblatum fuit Sacrificium Miſſæ *lib.* 2. *cap.* 23. 361 *Explic.*

Vita-

Vitaliana à S.Martino interrogata, tum benedicta, poſtea liberata à pęnis Purgatorij multis apparuit apud Gregorium Turonenſem *lib. de Gloria Confeſſorum cap. 5.* Sic Soror Sancti Malachiæ eidem Epiſcopo teſte Diuo Bernardo *in eius vita*. Frater quidam Ciſtercienſis eidem Bernardo, apud Guilhel. Abb. *lib. 1. cap. 10. vita eius*. Mater S Eliſabet filiæ Regis Vngariæ eidem Sanctæ apud Iacobum Montanum *cap. 23. eius vitę*. Arnulphus Presbyter Sancto Remberto Epiſcopo Bremenſi apud Surium *tom. 5.* Simon quidam nobilis Teuto Sanctæ Lutgardæ apud Thomam Cantipratenſem *in vita eius lib. 2.* Et hoc noſtro æuo nonne multæ huiuſmodi feruntur, factæ apparitiones, inter quas vnicam referam, quam quidam Religioſus Sacerdos ex noſtris coram Adm. Reu. Miniſtro ſuo Prouinciali ſic ab eo iuſſus ipſamet die talis apparitionis mihi enarrauit. Anno Domini 1648. calendis Ianuarij in quorum Conuentu Fratrum noſtrorum manè valdè diluculo, dum hic Sacerdos feneſtra aperta rutilante aurora vigilans maneret in cubiculo, ei apparuit quidam Sacerdos aliàs ipſius condiſcipulus, qui iam ante quinque menſes in eodem Conuentu è vita migrauerat, qui ſuper lectulum ſedens dixit illi, quòd Deum pro eo ſuppliciter exoraret: quia magnos patiebatur cruciatus: qui reſpondens ei dixit: quòd eo mane libenter pro illo offerret ſacrificium, niſi pro alio Sacerdote iam nuper defuncto offerre teneretur: quo audito euanuit ab oculis eius. Quare ſequenti nocte ex præcepto admodum Reuerendi Miniſtri Prouincialis, qui tunc aderat, ego dormiui in illo cubiculo, ſed ante dormitionem facta oratione, per præcepta tribus vicibus intimaui in Nomine Ieſu Animæ illius defuncti, ſi ſuffragijs indigebat, mihi appareret, & ſuam exponeret indigentiam, quam vtique Reuerendo Prouinciali patefacerem, qui ſtatim omnia adimplere promiſerat; Si verò erat dęmon, qui apparuerat, præcepi in Nomine Ieſu, vt cauſam talis apparitionis mihi explicaret; ſed nec dęmon, nec Anima cuiuslibet mihi apparuit, ac dormiui ſecurus, nec amplius in illo cubiculo vllæ factæ fuerunt apparitiones. An tamen vera eſſet anima illius Religioſi, vel dęmon, vt in errorem aliquem induceret illum Sacerdotem, incertum eſt. Hoc certum eſt, quòd plures alijs apparuere ſuffragiorum auxilia poſtulantes, quibus è Purgatorij ignibus liberarentur.

Sed quid opus eſt, tot exempla congerere, cum hæ apparitiones fieri quotidie deprehendantur?

§. VII.

362 *Dęmones ſæpius fingunt, ſe eſſe animas defunctorũ Varijs de cauſis.*

Nequè eſt denegandum, quin ſæpè dęmones permittente Deo hominibus appareant, fingentes ſe eſſe animas defunctorum, puta animam alicuius ſcelerati hominis: Vel vt inducant homines in illam hæreſim, quæ aſſerit, animas ſceleratorum hominum poſt mortem in dęmones, & in quæcumquè animalia bruta ſuis meritis congrua conuerti. De qua Auguſtinus *lib. de Hæreſibus cap. 86.* Vel vt ſe aſpicientes homines errore aliquo decipiant: puta, animam alicuius maximi peccatoris, qui abſquè peccatorum confeſſione, vel vllo doloris ac contritionis actu interno, & externo ſigno è viuis ad mortuos migrauit, eſſe in tuto ſaluationis loco, viuentibus perſuadeant: ſic mortuos in peccato mortali pæna gehennæ æterna non puniri credant. Sic anno Domini 1667. Venetijs, dum acceſſiſſem ad exorcizandam quandam mulierem, dęmon ex ore eius clamabat ſe eſſe animam cuiuſdam viri nobilis mortui, quem proprio nomine, ac cognomine publicabat dicens, ſe condemnatum fuiſſe in infernum, quia operarijs mercedem negabat, pauperes deſpiciebat, debita non ſoluebat, Deum blaſphemabat, ac multa alia peccata grauiſſima patrarat, ſed conuerſam fuiſſe in dęmonem, & miſſum à ſuo Principe ad poſſidendam hanc mulierem: hæc & alia dicebat verſipellis, vt maritum eius, & alios in aliquem induceret errorem. Vel ſi mortui ſunt Sancti diuina iam Beatitudine perfruentes, eos infament dicentes, magnos in Purgatorio pro delictis ſuis ſuſtinere cruciatus: ita eruditè docet Auguſtinus *lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 11. à medio* Chryſoſtomus *homil. 29. in Matth.* D.Thom. *1. par. quæſt. 117. art. 4. ad 2.* Sanchez *tom. 1. Decalogi lib. 2. cap. 38 num. 23.* Sylueſter verbo *maleficium quæſt. 4. dicto. 2.* Victoria *de Magia quęſt. 4. num. 17.* Sotus *lib. 8. de iuſtitia quæſt. 2. artic. 2. colum. 4. verſiculo: Sed rogas.* Ciruelo *de ſuperſtit. par. 3. cap. 8.* Pedraza *in ſumma in 1. præcepto* §. 10. Delrius *lib. 2. Diſquiſ. Magic. quæſt. 26. ſect. 3. & 7.* & Stephanus Facundez *part. 1. in 1. præceptum Decalogi cap. 36. num. 10.*

Et quamuis bona conſulant, petantquè ſuffragia fieri; aut aliquid reſtitui, efficiunt gratia poſtea faciliùs decipiendi: vt benè docet Pedraza, Victoria ibidem, & Thyræus *de ſpirituum apparitionibus cap. 16. num. 9.*

§. VIII.

Ex his autem apparitionibus mali à bonis ſpiritibus dignoſcuntur. Nequè enim boni iudicandi ſunt: Aut quia forma ſe exhibent pulchra, & amabili, cum dęmones ſe transfigurent in Angelos lucis, & Sanctorum formas aſſumant, vt dictum eſt. Aut quia bona conſulunt, vel expetunt; his enim technis ſuam malitiam contegunt. Aut quia in locis ſacris conſpiciuntur: *Aſtant enim inter filios Dei, Iob 1.* Aut quia plena luce apparent, cum ſint dęmones meridiani homines infeſtantes. Aut quia bonis, & ſanctis viris ſe manifeſtant: Quoties enim ijs artibus eos deludere tentarunt? Nequè illi mali: quia Vel malis, & peruerſis ſeſe videndos præbent, cum Angelus ipſe ſanctus accedat ad impios: Vel grauem de mortalibus ſumant vindictam: quia hoc Sancti ſæpiùs præſtitere: Vel terrorem immittant ijs, quibus apparent: cum hoc etiam ſoleant Angeli. Ideòquè magna cautela in talibus vtendum eſt. Nam abſque particulari Dei dono nemo poteſt in ijs eſſe tutus: cum diſcretio ſpirituum ſit gratuita Dei gratia teſte Paulo *1. Corinth. 13.* Vide infra tom. 2. diſp. 4. n. 542. 363 *Quomodo quando apparent, dignoſcantur dęmones ab animab.*

Non ſunt ergo petendæ huiuſmodi apparitiones: quia ſufficit nobis doctrina ſacræ ſcripturæ, & ſanctæ Matris Eccleſiæ, qua contenti eſſe debemus: quia in apparitionibus plus periculi quàm commodi eſſe poteſt. Vndè ſi quandoque eueniant, ne error capiat, de illis docti, æquè ac pij viri conſulendi ſunt. 364

In ijs namquè conſultoribus doctrina pietati debet accedere, ne omnia vel reijciantur: vel recipiantur: quia Doctus impius omnia reijcit; cum nemini credat, niſi ſibi ipſi. Pius ignorans omnia recipit: quia omnia credit. Sit ergo Conſultor doctus pariter, & pius, vt circa apparitiones certum iudicium ferre poſſit.

§. IX.

365 *Apparet per ſeipſas.*

CVm autem animæ Purgatorij ergaſtulo deducuntur, quomodo appareant: An verè per ſeipſas; An repræſentatiuè per Angelos, & dæmones, non facilè eſt definire.

Per ſeipſas apparere aliquando, non alicuius Angeli ſiuè boni, ſiuè mali miniſterio teſtatur Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis cap* 15. *exemplo* Moyſis, & Samuelis. Aliquando alieno videri miniſterio, patet ex eo, quòd idem ſpiritus eodem tempore in diſſitis, & diuerſis locis fuiſſe, eodem Auguſtino teſte probatur, in quibus idem per ſeipſum eſſe non poterat.

Aſſumptis corporibus, Vel proprijs, Vel alienis.

Quòd ſi apparent ipſæmet Animæ, cum puri ſint ſpiritus ab omni viſibili quantitate ſemoti, neceſſe eſt, vel propria reſumere corpora: vel aſſumere aliena. Corpora propria reſumere poſſe, demonſtratur exemplo eorum, qui in morte Chriſti in Vrbe Ieroſolyma multis apparuerant. Hi enim in proprio viſi fuere corpore; nec illud poſteà depoſuere; ſed Chriſto aſcendente euexerunt ad cęlos. At illud non fieri, probatur experientia; cum eiuſmodi ſpirituum apparentium corpora tempore apparitionis è ſepulchris non eruantur. Si enim eruerentur: Vel ab eis denuò viuificarentur, & ſic verè reſurgerent. Etſi iterum deponerentur in tumulo, iterum eis mori contingeret. Vel mouerentur ſolo motu locali, vt nauis remige; ſed neque illud fit, cum non exeant à ſepulchris; nec aliquando facilè ſit, ea reſumere: quia ſunt diffluentia, tabida, varijs locis diſperſa, aut enim in puluerem diſſoluta: vndè corpora aliena ſumere fatendum eſt.

366 *Si alienis, Vel Phantaſticis, vel Elementarijs.*

Sed quomodo? An apparentia ſolùm, ſeù imaginaria, ac phantaſtica: An elementaria, & realia? Certè vtrumquè præſtare poſſunt, ſi ſequi volumus, vt fas eſt, mentem ſubtiliſſimi Scoti cum ſuis aſſeclis. Nam imaginaria ac phantaſtica corpora aſſumere, & apparere, dicuntur, cum formas aliquas alienas menti noſtræ, ſeù imaginationi indunt, puta, efformant ſpecies, & imagines quaſdam in phantaſia hominis, quæ repræſentent corpus, cui erant coniunctæ in vita: quia vt tradit Scotus *in* 4. *d.*45.*q.*1. & Fauentinus *aduerſ. impios Atheos diſp.* 1.*c.*12.*nu.*293. Anima ſeparata poteſt mouere ſpiritus, & phantaſmata exiſtentia in imaginatione alterius, & formare imaginem totius coniuncti ſcilicet ſui ipſius, & corporis, & illas imagines colorare ad libitum, ad ſignificandum dolorem, vel lætitiam, quam habent. Et hæ apparitiones maximè fieri ſolent in ſomnis.

Vtrumq. probat Scotus cum ſuis aſſeclis.

Elementaria verò, ac realia corpora aſſumunt, cum elementa ab eis condenſantur, & ex eis condenſatis corpora ſuis vſibus apta componuntur; quòd vtiquè præſtare poſſunt: quia vt docet Scotus in 4. ac validiſsimis rationibus probat d 10.q.7. & d.49.q.14. cum Henrico, Aureolo, Capreolo, Fauent. & alijs, Anima ſeparata, cum ſit ſpiritus intellectualis à materia ſeiunctus per ſe ſubſiſtens ſicut Angelus, non ſolùm ſui, ſed aliarum rerum ſibi externarum motricem dicitur habere potentiam; ideò cum egreditur ad viuos, poſſe ſibi corpora formare aerea, ſicut Angeli, & dæmones.

§. V.

367 VErùm ex ſententia aliorum, nempè, Dominici à Soto *in* 4.*diſt.*45.*q.*1.*a.*3. Suarez *in* 3.*p. q.*45. *diſput.*32.*ſect.* 2. & Peltani *de Purgatorio cap.* 5. videtur, eam non poſſe vi propria talia corpora extrinſeca mouere: Nam caret organis corporeis, quæ illi ad mouendum corpus erant neceſſaria, quando erat in corpore; neque tantam habet ſcientiam, & poteſtatem, quantam Angeli, & dęmones, qui ſibi aerea corpora fingunt, cum opus eſt. Quare, cum non poſsint Animæ ex horum D.D. mente ſua vi propria, aut aliena aſſumere corpora, dicendum eſt, illa corpora, in quibus apparent, vel ope diuina, vel angelica efformari. Deus enim qualitatem aliquam illi largiri poteſt, quæ defectum ſuppleat; quod eò probabilius: quia ficta illa corpora non ſuo arbitratu, ſed Dei voluntati, & imperio ſubſunt. Aut Angelus aliquis hoc præſtat Dei mandato; cum enim ſibi corpus parare poſsit, cur non alij? quod de Cuſtode pręcipuè credendum eſt. Aut dæmon, ſi hoc à Deo liceat, cum ei æquè ac Angelo talis aerea compoſitio facilis ſit; quod tamen non eſt veriſimile, eo modo fieri.

Ex mēte Soti, Suarez, Peltani Mouentur. Per aliorum miniſteriū, nempè Angelorum, Cacodęmonum.

Vtut ſit, in aſſumptis illis corporibus apparent, quæ ab eis non eodem modo mouentur, quo propria corpora, dum viuebant. Proprijs vtebantur vt formæ, & vitam, ſenſum, atquè organicum motum imprimebant. Alienis autem, vt motores tantùm, qui illa circumferunt, deponunt, agitant abſquè vitali aliqua operatione; nec ideo nobis illudunt. Nam quando apparent, non ad nos redeunt, vt ſint tales, quales cernuntur; ſed vt hiſce corporibus, quaſi notis ſe agnoſcendos præbeant. Ad illud autem corpus effictum ſufficit, quòd in ea appareat forma, qua ab alijs quibuſcumquè diſtinguatur ille, qui apparet; & ij, quibus apparet, in ipſius notitiam perueniant. Aliàs negandum erit, Deū aliquando ſub aliquibus ſymbolis ab hominibus viſum. Quod tamen toties ſcriptura teſtatur, quæ rerum ſimilitudines ipſarum rerum nominibus appellat: vt latè Scotus in 3.d.9.q.1. Arretinus ibi ar.2. 368

Quare ſi ad Dei gloriam, hominum ſalutem, vel propriam vtilitatem Animas in Purgatorio conſtitutas Mortali cuidam apparere conueniat, non decet à dæmonibus deduci: aut ſi verè ſeipſas exhibeant, ab eis corpore aereo indui, aut repræſentari; quamuis ſecundùm quorundam opinionem eas vexare poſſint, vt ſupradictum eſt. Non enim omnimodam habent ſuper illos poteſtatem: ſed determinatam talibus pænis, tali loco, & cum tali intenſione infligendi. Ideòque non licere eas educere, aut efficere, vt alijs appareant. Quare, cum ſe videndas exhibent, vel verè diuina potentia: vel ſeipſis, vel miniſterio Angelorum repręſentatiuè fieri, aſſerendum eſt.

SECTIO III.

Damnatas.

DEſcendamus modò lugentes ad inferos, vt loca horrentia, & fęta tormenti viſitemus, in quibus dæmones plenam exercent poteſtatem ſuper eos, qui iuxta Iudicis æterni ſententiam in ea detruſi ſunt. Infernus enim domus eſt Sathanę, & regnum eius Longum: quia à principio paratum dæmoni, & angelis eius, non ſolùm ſæculorum à mundi exordio ad finem inter ſe ſuccedentium longitudinem exequat; ſed etiam ad incomprehenſibilem æternitatem, quæ ſæculis ſuperueniet, protenditur, & principium habens numquam finem habebit. Latum: quia tam magnam continet damnatorum multitudinem, vt cogitatione concipi non poſſit, 369

Infernus eſt dęmonum regnum Longum, Latum,

poſſit, nempè, quotquot à principio ad conſummationem mundi, omni tempore, omni loco, in omnibus nationibus, quæ ſub cęlo ſunt in actuali mortali peccato moriuntur, quorum immenſum eſſe numerum, nemo non nouit. Profundum quia in centro mundi, quaſi ſentina poſitum tale eſt, vt animæ, quæ ſemel in illud præcipites dantur, numquam niſi Deo aliquando diſponente, vt dicetur infra, exire poſſunt; ſed gregatim colligatæ pænas patiuntur ſempiternas. In illo autem regno maledictionis Lucifer quaſi Princeps dominatur: Tum in dæmones, quaſi ſtatus infernalis officiarios, & miniſtros: Tum in homines, tanquam in ſubditos: vt ſequentibus articulis declarabitur.

Profundum.

In eo dominatur Lucifer, & poteſtatem exercet In Dęmonibus, In damnatis hominibus.

ARTICVLVS I.

Dæmones.

370 *Dęmones in Inferno*

QVàm horrenda dæmonum conditio, qui ex Angelis lucis facti Angeli tenebrarum, & è ſūmo cęlorum vertice in profundiſſimum inferni Chaos deturbati torquentur, & torquent.

§. I.

Torquēt alios, vt carnifices.

TOrquent alios tanquam truces Diuinæ Iuſtitiæ carnifices, qui tum in Inferno, tum extra homines varijs modis vexare non ceſſant. In inferno vbi maximam habent ſæuiendi facultatem, Deus bone, quantis, & quàm varijs modis miſeras damnatorum Animas affligunt? Cum nullum tormentum tam atrox, tam dirum, tam horrendum concipi poſſit, quod infernalibus valeat æquiparari, vt benè animaduertit Auguſtinus *lib. de Triplici habitat. Mala, ait, inferni, vt ſunt, dicere, vel cogitare nemo poteſt; peiora valdè ſunt, quàm cogitantur,* De quibus latè Vaſquez in primam par. D. Thomæ *tom. 2. diſp. 243.* Suarez *de Angelis lib. 8. cap. 14.* Ideò Iacobus Billius *Anthol. ſacr.* de Sathanæ aduerſus hominem crudelitate cecinit:

Sæuitiam horrendam Sathanæ cui noſſe licebit,
Quoquè ſuos tractet perfidus ille modo?
Is ſibi proponat dira feritate Tyrannum
Atquè hominis pręter qui nihil ora gerat.
Namquè cadaueribus velut hic, quos morte ſubegit,
Alligat, vt miſeris ſit mora longa necis.
Sic atri quoquè Rex Erebi, quos arripit, ad res
Fluxas, & fragili ſorte, ligare ſolet.

Extra autem infernum, etſi minor ſit eorum poteſtas, quot mala, quot calamitates, quot tribulationes orbi, & eius habitatoribus inferunt, vt conceptum odium in genus humanum exſatient?

§. II.

371 *Torquentur vt ei duplici pęna Damni,*

TOrquentur verò duplici pæna graui ſupra modum, & aſpera, priuatione, ſcilicet, diuinę viſionis, & pæna ſenſus. Priuatio eò magis illos affligit, quò cęteris creaturis, & natura, & miniſterio Deo contemplando aptiores erant. Natura enim acutiore mentis acie, ſubtiliore ſpiritus acumine, nobiliore intelligendi modo prediti: Miniſterio diuinis laudibus decantandis, & ſupremæ Dei Maieſtati deſeruiēdę deſtinati ſemper videre faciem Patris, & ante Dominum aſtare debebant.

Et Sēſus

Sed non minore cruciantur pæna ſenſus, quam Gloſſa *in cap. 3. Epiſt. can. D. Iacobi* vocat ignem infernalem, quem dæmones vbiquè portare ſecum, aſſerit. Quid autem ſit ignis iſte, explicat Richardus *in 2. ſent. diſt. 7.* dicens: verba illa Gloſſę non eſſe intelligenda de tormento ignis materialis inferni; ſed alijs pænis, quas nunc etiam habent dæmones, & earum complementum habebunt poſt iudicium; quæ nil aliud ſunt, quàm flammæ vitiorum, iræ, inuidiæ, dolor mentis, deſperatio, & huiuſmodi, quæ etiam dicuntur pænæ infernales, quia ibi perfectè habentur. Quod confirmat D. Gregor. *lib. 2. moral.* dicens: *Immundi ſpiritus licèt adhuc non receperint infernalis complementum ſupplicij, quia ſunt in ſtatu demerendi pænæ complementum vſquè ad iudicium; veruntamen iam habent, quod eſt principaliſſimum in pæna, ſcilicet, carentiam viſionis Dei, & alias graues pęnas. Poſt iudicium verò extremum igne etiam punientur materiali,* eo modo, quo mox dicam; de quo Moyſes, aut per Moyſem Deus loquens dicit Deuteron. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſquè ad inferni nouiſſima, deuorabitquè terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.* Quibus verbis eius cauſam, durationem, & actionem aptè deſcribit. Nam ſi cauſam efficientem, & auctorem quæris: *Furor eſt Domini*, ideſt, voluntas, & firmum propoſitum puniendi, non vulgari modo; ſed prorſus horribili, & inaudito, qualem furor ſuggerere ſolet: Non quòd furor, ira, & huiuſmodi paſſiones in eo reperiantur; ſed quia voluntas eius tranquilla, & rationalis; acerrima tamen, efficax, & potentiſſima in puniendis ſuis inimicis omnem furorem æquat, & ſuperat. Si durationem: *Deuorat vſquè ad inferni nouiſſima*, ideſt, in æternum. Nam ſi nouiſſima inferni eſſe non poſſunt, quia perſeuerat in perpetuum; nec nouiſſima erunt illius ignis ſemper deuorantis: quia ſemper quod deuoretur, inuenit, nec vnquam ad nouiſſima inferni deueniri poteſt. Si actionem verò. *Deuorat terram cum germine ſuo*, ideſt, omnia, quæ in terra ſunt, à terra gignuntur, & creſcunt, repunt, & mouentur ſuper terram: Homines præcipuè peccatores, qui terreni habitatores dicuntur, quia terræ cogitatione, & affectu ſemper inhærent. *Et montium fundamenta comburit*, ideſt, dæmones inſtar montium ſuperbia inflatos, & tumidos, quorum potentias intimas, quæ ſunt quaſi ipſorum fundamenta, penetrabit, & pæna afficiet quatuor modis: vt docet Scotus *in 4. d. 50. q. 1.*

Primo detinendo, ſeù alligando non quidem propria, & naturali virtute; ſed diuina, inquantum eſt inſtrumentum Diuinæ Iuſtitiæ iudicantis, & ſuas iniurias vlciſcentis. 372

Modus exponitur, quo puniuntur pęna ſenſus.

Secundo impediendo ab executione propriæ voluntatis, ne operentur ſecundùm quod volunt, ſicut hominem detentum in carcere; aut vinculis conſtrictum pati dicimus, quia non poteſt ire, quò vult.

Tertio ſubiugando, ſiuè ſubdendo: quia cum dęmones, qui nati ſunt Deo frui, conſiderant, ſe infimis rebus ſubditos, maxima pęna torquentur. Eſt enim voluntati, quæ ſubſtantia eſt ſpiritualis, contrarium, rei corporali, puta, igni ſubmitti, à qua libera eſſe debet.

Quarto inimicando: quia cum apprehēdunt ignem illum, vt inſtrumentum Diuinæ Iuſtitiæ vindicantis, ſibi eſſe noxium, & per conſequens inimicum, & cognoſcunt non poſſe ſe diuertere à tali conſideratione, quia Deus non concurrit, interiori triſtitia anxietatem, & afflictionem duriſſimam ſuſtinent. Atquè vtroquè modo, ſiuè inferno concluſi teneantur, ſiuè mandante Lucifero exeant ex horribilibus illis latebris, in aſſumptis corporibus ſe mortalibus viſendos præbent, vt ſupradictum eſt.

AR-

ARTICVLVS II.

Homines damnatos.

Dæmones plenam poteſtatem exercent in damnatos

373 SI iuxta Apoſtolicam Pauli doctrinam 2. *ad Timoth.* 2. *Peccatores à demone captiui tenentur ad ipſius voluntatem*: Quid expectandum damnatis à tam diro Tyranno, quàm infauſta omnia, cum eius voluntas implacabili mortalium odio continuè ardeat? Ideoquè eos iuxta Dei ordinationem torquêt, dum deducuntur, retinentur, & educuntur iterum reuerſuri in infernale regnum.

Dam in infernũ

§. I.

Deducũtur.

STatim namquè ac Animæ è corporibus egreſſæ tenebricoſis illis carceribus à Chriſto prolata ſententia adiudicantur, ſtatim à furijs infernalibus rapiuntur. Quam veritatem inter multa exempla, quæ referri poſſent, vnico comprobabo relato ex lib. Scalę Cęli à Pelbarto *ſtellarij ſui lib.* 12. *par. vlt.* de quodam Clerico, qui cum totus libidini eſſet intentus, nec aliud bonum opus ageret, niſi quòd quotidie officium Beatiſſimæ Virginis deuotè recitabat, quadam die dum ad ſuam cum meretrice libidinem explendam pergeret, ex quodam ponte in rapidum cecidit fluuium, cuius aquis ſubmerſus mortali peccato maculatus perijt. Ex quo repentè dæmones animam eius, vt ad flammas gehennales deferrent, arripuerunt. At Beatiſſima Virgo prohibuit, illos cogens, animam illam ante Iudicis tribunal præſentare. Ipſi è contra aſſerebant eſſe ſui iuris, eò quòd ex hoc mundo in mortali peccato exiſtens deceſſiſſet. At Iudex ob honorem B. Virginis iuſſit animam corpori vniri, ac peccatorum ſuorum pænitentiam agere. Vbi videas, quòd dæmones illicò, vt animæ peccatorum mortalium maculis conſpurcatæ à corpore diſcedunt eas, vt diuinæ Iuſtitiæ miniſtri arripiunt, & ad gehennam æterno igne vſtulandas deducunt. Quod poſt Magiſtrum ſent. in 2. d. 6. docuit etiam Franciſcus Garcia loquens de Iudicio finali, quando damnati ab æterno Iudice amandabuntur ad inferos *diſc.* 182. *nu.* 17. ſuper illa verba *Matthæi* 13. *Colligite primùm Zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, &c.* ſic ait, *Vix perſonabit hæc vox, cum dehiſcente terra in longiſſimos currus ingenti ſtrepitu inferni meſſores catenis, & funibus preparatis, ſicut ſerpentes in faſces redigent, & deferent comburendos. Sinite me, quia ſum Cęſar, quare Pompeio me alligatis? Auferte me ab iſto faſciculo.* Hæc ille. Quare nonmirum, ſi dæmones eas inuadunt; & vt loquitur Cyrillus Alex. ac latè Suarez de Angelis cap. 2. lib. 8. de pænis Angelorum, qui peccauerunt, cap. 20. n. 1. In terrarum opaca deducunt, & aperta tellure ſolidiſſimis compedibus reuinctas in terram tenebroſam, & fuliginoſam, in infimas carcerum, inferorum partes, in horrendas erebi cuſtodias deijciunt: vt etiam colligere licet ex euangelico Regis præcepto, qui dixit Miniſtris: Ligatis manibus, & pedibus mittire eum in tenebras exteriores, qui ſine veſte nuptiali regiam intrare præſumpſerit.

§. II.

374 ILluc deductæ, quid non patiuntur? Ignem inextinguibilem, frigus inſuperabile, vermes immortales, fætores intolerabiles, palpabiles tenebras, flagella cædentia, horrendas viſiones, denſiſſimum fumum, continuum fletum, ſtridorem dentium, membrorum torſiones, planctus nunquam intermiſſos, perpetuos vlulatus, blaſphemias, maledictiones, immunditias, putrefactiones, ſulphura, & ineſtricabiles malorum nexus: vt teſtantur D. Gregor. *homil* 129. *in Euang.* Auguſt. *lib. Medit.* & in ſerm. ad Eremitas: D. Bernardus *lib. de interiori domo cap.* 36. ac paſſim ferè omnes Patres. Quæ omnia ità firmiter impijs adhærebunt, vt nulla arte valeant illa à ſe excutere: atquè ſeipſos vel ad breuiſſimum tempus ab eis euoluere: Quia laborabunt in æternum, & viuent adhuc in finem: vt ait Dauid *pſal.* 48. Vnde de quodam pænarum loco loquens Claudianus Poeta varias recenſendo afflictiones, quas ibi ſuſtinent damnati lib. 2. contra Ruffinum, ait.

Retinentur.

Eſt locus infauſtis, quo conciliantur in vnum
Cocytus, Phlegethonquè vadis inamanus vterquè
Alueus: hic voluit lachrimas, hic igne redundat
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur, ſolidoquè rigens adamante ſiniſtrum
Proluit igne latus, dextra cocytia fundit
Æquora, triſte gemens, & fletu concita plangit.
Huc poſt emeritam mortalia ſæcula vitam
Deueniunt, vbi nulla manent diſcrimina fati
Nullus honor, vanoquè exutum nomine Regem
Perturbat plebeius egens.

§. III.

EDucuntur quidem aliquando ex illo baratro; ſed non ad libitum. Quare diues epulo *Lucę* 375
16. non audebat rogare Abraham, vt permitteretur ad ſuos ire; ſed vt mitteretur Lazarus. Cum autem exeunt, hoc fit ad Dei beneplacitum, cui non ſufficit tot exhortationes, & comminationes vtriuſquè teſtamenti: tot ſcripta, & exempla Sanctorum, tot prædicationes, & inſpirationes adhibere ad impios è cænoſo vitiorum volutabro ad vitam meliorem reuocandos; ſed inſuper, ne qua neglecta videatur ratio, eorum ſalutem promouendi, non imagines tantùm pænarum; ſed ipſas quoquè pænas oculis obijcit.

Educuntur reuerſuri.

Tunc deduci, exhiberi, & reduci à dæmonibus certum eſt. Deducuntur velut incarcerati à cuſtodibus, cum è foueis prodeuntes coram Iudicibus ligati comparere iubentur. Sic viſus Theodoricus Rex Arrianus inter Ioannem Pontificem, & Simmacum Patricium vinctis deduci manibus, & detrudi à nigris dæmonibus in ollam Vulcani, vt refert Gregorius *lib.* 4. *Dialog. c.* 30. Monialis in Eccleſia S. Laurentij Romæ ante altare per medium ſecari apud eundem *lib.* 4. *c.* 55. Pandulphus princeps Capuanus ferreis nexibus vinctus, & in cænoſo, ac fætido lacu vſquè ad guttur demiſſus, atquè reſtibus à duobus ſpiritibus nigerrimis in profundum ſubinde demiſſus, iterumquè extractus, vt fertur *in Chronico Caſſinenſi lib.* 2. *cap.* 62. & alij plures diuerſis ſæculis apparuerunt diabolis ſtipantibus, & torquentibus in forma bufonum oculis, capiti, & humeris inſidentium, ſerpentum membra varijs nexibus implicantium, horribilium monſtrorum miſeros deferentium, vt ijs exterioribus ſpectris indiuidua dæmonum, & damnatorum ſocietas, inſeparabiliſquè connexio deprehendatur.

§. IV.

EXhibentur aliquando verè in proprio corpore, quod ex ſepulchro reſumitur, & ope dæmoniaca

niaca mouetur. Certum eſt enim ſpiritus nequam in illorum corpora aliquid poſſe, qui dum viuerent eis fidele obſequium præſtiterunt; & in quorum animas crudelem exercent carnificinam. Hinc putris ille odor, & fętor intolerabilis, quo locus perfunditur, vbi apparent, proditquè ex fætidis illis cadaueribus: Et ſepulcra viſa ſæpius vacua. Aliquando in corpore ex aere compacto forma horrida, oculis ſcintillantibus, ore hiante, lingua tumida, latere cincto, velut ignitis faſcijs membris ardentibus, & corpore ex omnibus iuncturis flammas emittente. Et cum vtroquè modo exhibentur, horribili voce, terribili boatu, crebriſquè vlulatibus ſua mortalibus tormenta conteſtantur: non vt eorum ſuffragia expetant; aut cum ipſis mitiùs agatur; vel à pænis illis aliquando abſoluantur: aut vt eſſe deſinant; ſciunt enim in damnatis nullam eſſe ſpem reliquam nè leuioris quidem ſupplicij: ignem æternum ſibi eſſe paratum, à quo numquam ſunt egreſſuri: nequè deſinere vnquam poſſe. Sed vt teſtentur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.

§. V.

377 DEniquè, iiſdem vectoribus reducuntur in infernum, à quo nulla eſt redemptio. Nequè enim, quandiù apud nos ſunt, apparitiones illæ poſſunt eis ſupplicij eſſe leuamen, quaſi ex locis illis ſubterraneis egreſſi à grauitate pænarum paululum reſpirent; aut ſolatium aliquod hauriant ex hominum conuerſatione; imò ſunt pænarum incrementa. Sic namquè ſuo ſe ore accuſare, propriaquè voce ſuas iniquitates, tormenta, & damnationem æternam apud illos prodere coguntur, qui fortè apparenti aliqua ſanctitate decepti eos in ſinum Beatorum receptos credebant; cum ſæpè accidat, multos laudari, vbi non ſunt, & cruciari, vbi ſunt. Ideóquè refugiunt egredi è ſuis ergaſtulis, nè eſſentiali pęnæ accidentalis illa diffamatio ſuperaddatur: aut ſi quàdoq. egrediuntur, ad illa protinus redire feſtinant. Confirmatur exemplo relato à Diſcipulo *in ſpeculo exempl.* de quadam Moniali, ab omnibus vt ſancta venerata, quæ triginta dies poſt mortem Abbatiſſæ apparuit inter dæmones conſiſtens, flammis circundata, ac voce dolente dicens: ſe perpetuo igni infernali eſſe addictam; ac peccata, ob quæ damnata erat, propalauit.

Concluſio ſecundæ partis.

SI ergo dęmones tanta potentia ſuper infimas, medias, & inferas creaturas præditi ſunt, vt hac 378
parte ſecunda demonſtratum eſt, mirandum, quòd non plura exerceant maleficia, quibus orbis incolas opprimant. Nam cum ſagaces ſint ad inueniendum; & ad exequendum potentes, quis illis obſiſtere poterit, cum nullus reperiatur ſuper terram, qui poſſit ei robore, & fortitudine comparari? Imò quis ſic euadere queat illorum vim, quæ cum ad omnes terrenas, & inferas creaturas extendatur, infeſtat præcipuè homines ob duplicem diſpoſitionem, quæ eos veneficijs reddit obnoxios? Prima eſt corporis: omnes enim aut corpora habent molliora, & laxiora, vnde morbis, qui ex aeris intemperie, & cauſis externis procedere ſolent, faciliùs corripiuntur: Aut duriora ex cutis deſitate, & ideò à cauſis internis promptiùs redduntur. Secunda eſt animæ, cum peccatis, & potiſſimùm grauiſſimis labefactantur, quibus vniuerſum ferè hominum genus inuoluitur: & propterea citiùs malis externis, & internis afficitur, teſte Auguſt. aduerſus Manichæos *apud Alex. Alenſ. 3. p. q.* 100. *m.* 5. *a.* 1. Quare omnes recipiendis impreſſionibus maleficis præparati videntur; nec eſt aliqua ætas, aut temperamentum, non ſtatus, aut conditio immunis ab vna, aut altera præparatione, cum vtraquè in pluribus reperiatur. Et tamen reſpectiuè ad multitudinem hominum paucos ijs morbis affectos videmus; quod diuinæ Bonitati aſcribendum eſſe iure merito credendum eſt. Hæc enim tum potentes inimicos cohibet; nè ad libitum ſæuiant in omnes, qui in eorum iura incidunt; circa quos, velut circa rem ſuæ poteſtati ſubiectam, tum in anima, tum in corpore, tum in rebus exteris efficere poſſent, quę vellent, niſi coercerentur, cum ſcientia, & potentia prædidi ſint, vt ſciant, & poſſint malefacere: nec deſit praua voluntas, qua illud velint, & optent: vt ſequenti parte iuxta ordinem initio diſputationis propoſitum declarabitur.

PAR-

PARTIS TERTIÆ

De praua Dęmonum voluntate in volendis maleficijs.

SVMMARIA.

AD maleficia perficienda Dæmoni neceſſaria eſt voluntas, quæ vtatur ſcientia inuentrice, & potentia executrice. 379.

Voluntas malefaciendi in dæmone datur, quæ eſt contraria Diuinæ, cuius eſt benefacere, ideò dæmones maleficia, volunt omnes, omni loco, & omnibus modis: vt indicat Paulus ad Epheſ. c. 6. ac tribus capitibus palam fiet.

Caput I. Omnes volunt maleficia.

Boni Angeli officijs charitatis vacant: quia beneuoli.

Siuè Aſſiſtentes: ſiuè Miniſtrantes. 380.

Probatur ex Tobia, Daniele, Paulo.

Mali Angeli maleficia volunt: quia ſunt maleuoli, ſiuè Superiores: ſiuè inferiores: vt ſequentes ſectiones demonſtrabunt. 381.

Sectio I. Superiores.

Ordo inter dæmones datur, quo alij præſunt: alij ſubijciuntur.

Probatur ex Diuina Scriptura: ex Patribus: & Ratione. 382.

Qui præſunt ſubiectis, hoc faciunt vel moraliter Imperando: vel phyſicè Cogendo: vt duobus articulis patefiet.

Articulus I. Imperando.

Societas dæmonum regnum repræſentat, in quo alij imperant: alij obediunt. 383.

Mirum, quomodo inferiores obediant ſuperioribus, qui ſuperbi, ac rebelles ſunt.

Inuiti obediunt, ex quo in eis non datur ordo formalis, & ſubordinatus: ſed ordo materialis, & imperfectus. 384.

Voluntarij obediunt ex fœdere inito, more latronum, & Hæreticorum.

Ideò inter illos Belli duces, & pręcipientes, & Milites obedientes.

Articulus II. Cogendo.

Dæmones ſuperiores vi naturali cogere poſſunt inferiores. 385.

Obſtare videntur coactioni dæmoniacæ Dictum Chriſti Lucæ 11. & Ratio à natura eorũ petita.

Non obſtat dictum Chriſti, quod dupliciter explicatur. 386.

Ideò confirmat ratio contraria.

Superiores per potentiam motiuam poſſunt expellere inferiores, eoſque ligare. 387.

Inferiores, cum obediunt vel coguntur à ſuperioribus: vel cogi ſe ſimulant. 388.

Omnes vniuerſa maleficiorum miniſteria obeunt ſiuè Superiores ex odio Hominis: ſiuè Inferiores ex eodem odio, & exemplo Superiorum: & ſe Magis, & Sagis ſubijciunt.

Sectio II. Inferiores.

Dæmones inferiores omnia obeunt officia ducti exemplo ſuperiorum; nec non ex propria inclinatione. 391.

Superbia eſt quaſi incentiuum miniſterij.

Inuidia eſt quaſi ſubſequens impulſiuum. 392.

Vtraquè laborant, & ideò malefacere volunt, Lucifer ſuperbiendo: Dæmones cæteri inuidendo: vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Superbiendo.

Natura Superbiæ qualis ſit ſecundùm Platonicos: & qualis ſecundùm Chriſtianos. 393.

Superbia Luciferi ex Iſaia: ac dæmonum ex Hugone Victorino. 395.

Ex ſuperbia maleficis ſeruiunt, & cooperantur.

Quia eos pro Dijs habent: & alios ſolicitant ad cultum diuinum eis exhibendum. 396.

Et ſic non habent aut ſuperiorem: aut conſortem.

Articulus II. Inuidendo.

Naturæ inuidiæ qualis ſit. 398.

Ob inuidiam dæmones triſtantur de bono Hominis, ac de ſuo malo proprio, ac gaudent de malis illatis, ac de bonis ablatis.

Ex inuidia oritur in eis odium in Deum, & in Homines. 401.

Ex ſuperbia, inuidia, & odio dæmones Maleficis ſeruiunt.

Caput II. Omni loco volunt Maleficia.

Dæmones rectores mundi tenebrarum harum.

Eorum poteſtas in mundo alia ficta: alia vera in Chriſtianos, in Gentiles, & Iudæos. 402.

Ratio poteſtatis.

Ob poteſtatem malefaciunt in omni loco Publico, & Priuato: vt ſequentibus ſectionibus notum fiet.

SE-

Sectio I. Publico.

Locus proprius dæmonum eſt infernus. Tamen in omni loco vagantur; & vbique nocent in Igne, Aere, Aqua, Terra, vt ſequentes articuli patefacient. 403.

Articulus I. Igne.

Dæmones ignei quinam ſint. Et quare ita dicti. 404.
Non coutuntur Maleficis.

Articulus II. Aere.

Dæmones aerei.
Aer eis conuenit propter caliginem, ac velocitatem. 405.
Cooperantur Maleficis. Et quomodo.

Articulus III. Aqua.

Dæmones aquatici, qui in forma Hominum, ac Mulierum illudunt Hominibus, & Maleficis. Loquuntur cum vtriſque, ac ſollicitant ad carnalia. 406.

Articulus IV. Terra.

Dæmones terreſtres ſunt varij; videlicet Syluestres, Campenſes, Solitarij, Montenſes, Compitales, Domeſtici, Subterranei. 407.
Quorum oſtenduntur Nomina, Apparitiones, Illuſiones, Officia, Maleficia.

Sectio II. Priuato.

Cum Dæmones loca priuata occupant, infeſtant ſacra, & profana: vt duobus articulis demonſtrabitur. 409.

Articulus I. Sacro.

Sacra loca dicuntur quæ dedicata ſunt Deo: vt Eccleſiæ, & oratoria: Vel Sanctis viuentibus: vt Monaſteria, & Eremitoria: Vel mortuis: vt Cœmeteria.
Quæ omnibus à Dæmonibus malefacientibus infeſtantur. 410.
Exemplis comprobatur. 411.

Articulus II. Profano.

In profanis locis Dæmones nocent, terrent, & illudunt. 415.

Vt ſunt | *Loca memorabili cæde clara.*
Pagi à ſceleratis habitati.
Caſtra, & arces, vbi Homines occiſi.
Loca publica vſui deputata.
Vaſta, & ampla ædificia.
Domus particularium.
Loca impiorum, & ſceleratorum.

Caput III. Omnibus modis volunt malefacere.

Dæmones omnibus modis maleficia exercent: quia Nequitiæ ſunt. 418.
Spirituales nequitiæ.
Nequitiæ ſpirituales in cæleſtibus.
Probatur ex initio, dum inchoant: ex progreſſu, dum continuant: & ex conſummatione, dum perficiunt, vt tribus ſectionibus aperietur.

Sectio I. Maleficia inchoantes.

Milites hoſtes aggrediuntur vel aperto Marte, vel occulta pugna, vel mixto certamine. 419.
Sic Dæmones adoriuntur Homines vel Apertè, vel Occultè, vel Mixtè, vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Articulus I. Apertè.

Dæmones æmulatores Angelorum ſe exhibent in forma humana, vel ferina, vel monſtruoſa, non phantaſtica; ſed corporali.
Si in forma humana, aut cum vero corpore, id eſt cadauere, aut cum apparente ex aere formato ſub ſpecie vel Viri cuiuſcunque conditionis, vel Mulieris procacis. 420.
In qua ſpecie aliquid apparet monſtruoſum.
Si in ferina apparent, aut cum vera, vel apparenti, vel Volatilium, vel Aquatilium, vel Reptilium, vel aliorum brutorum animalium; nunquam tamen in ſpecie Agni, vel Columbæ, vel ouium. 421.
Si in monſtruoſa: tunc vel Centaurorum, vel Chimærarum, vel Gorgonum, aut Harpiarum.
In quibus cum maleficis conuerſantur, colloquuntur, aut cooperantur. Et quomodo. 423.

Articulus II. Occultè.

Facilis eſt acceſſus occultus ad Homines; ſiuè velint animam vitijs oppugnare, ſiuè corpus morbis afficere, ſiuè bona extera diſſipare. 424.
Animam ad vitia trahunt: quia vnicuique vitio præeſt Dæmon ſuperior, & ſub vnoquoque alij de eodem vitio tentantes. Ac tentant occultè tum accedentes, tum recedentes. Et vnumquemque iuxta inclinationes ſuas. 425.
Corpus verò morbis afficiunt varijs modis ita deſtinati; idcirco occultè accedunt ad corpus, morantur in corpore, & recedunt à corpore. 426.
Bona autem extera diſſipant iuxta diſtinctionem offi-

officiorum, ſecundùm quam malefaciunt in aere, frugibus, gregibus, & animalibus.

Articulus III. Mixtim.

Mixtus acceſſus fit partim occultè, partim apertè. 427.
Signis externis acceſſum teſtantur, vt voluntati Diuinæ, ac diabolicę faciant ſatis.
Signa alia interioribus, & exterioribus ſenſibus percipiuntur.
Prima ſunt apparitiones imaginariæ, quæ accidũt vigilantibus, ac dormientibus. 428.
Secunda, quæ percipiuntur ſenſu.
Viſus, vndè mos cruce ſignare os.
Auditus, vt leues, vel magni tumultus.
Odoratus, vt fætor Dæmonum, & Sagarum.
Guſtus, ut eſculenta, & poculenta maleficia.
Tactus, vt varia ſenſibilia. 429.

Sectio II. Continuantes Maleficia.

Mundus eſt Ciuitas; cuius vigiles ſunt Boni Angeli benefacientes, ac dæmones malefacientes, quia maleficia continuant die, ac nocte, vt ſequentibus articulis demonſtrabitur. 430.

Articulus I. Die.

Dæmones diurni alij mites, alij tetrici, ſeù truculenti. 431.
Mites alij illudentes, qui dicuntur ſagittæ uolantes per diem, incurſus, ac dæmonia meridiana.
Alij terrentes, qui non apparent, ſed terrent modo inuiſibili, vel viſibili. 433.
Vel apparent in forma Homocionũ, vel Fæmellarũ in fodinis, & in domibus particularium. 434.
Truculenti Homines vexant modo Vel viſibili ſub diuerſa forma: Vel ſenſibili per ſigna externa, puta, per ventos, lapides, tegulas. Vel ſpirituali per tentationes varias, præcipuè in meridie. 436

Articulus II. Nocte.

Dæmones nocturni moleſtant homines per ſe. 438.
1. *Illudendo, vt apud Aquilonares.*
2. *Terrẽdo de nocte per ſpectra, vel tumultus.* 439.
3. *Vexando animas vigilantium, vel dormientium tentationibus occultis, aut prouocationibus externis. Corpora verò diuerſimodè: Bonaque extera varijs modis.* 441.

Per maleficos autem vexant diurno tempore intra parietes domeſticos in operibus magicis, & in publicis conuentibus.

Sectio III. Perficientes Maleficia.

Dæmones mali, & mala voluntate ſemper malefacere volunt. 445.
Phantaſia proterua.
Concupiſcentia amenti.
Iraſcibili furioſa.
Maleficia perficere tentant in omnibus, & ſingulis: vi ſequentibus articuli patefacient.

Articulus I. In Omnibus.

Dæmones inſurgunt in Deum, à quo percutiuntur. In Angelos, qui eis reſiſtunt. Et in Homines, qui ab eis ſuperantur, vt viribus impares. Quod vt faciliùs aſſequantur, ad inſtar bonorum Angelorum cuiq. Regno, Prouinciæ, ac Patriæ alij præficiuntur: alij ſubijciuntur. 447.
Vt omnes homines maleficijs inſectentur varijs.
Sed præcipuè peſte, bello, fame; quæ tàm per ſeipſos, quàm per maleficos inducunt.
Alijſque malis, quæ ſi non ſæpiùs accidunt, hoc eſt miſerationis Diuinæ parcentis; non diabolicæ voluntatis malignantis.

Articulus II. In Singulis.

Si maleuoli ſunt dæmones contra omnes homines, etiam ſingulos oderunt.
Magna dignitas animæ cuiuſq. habere Angelum cuſtodem. 448.
Maior dignatio Angeli hoc exercere miniſterium.
Maxima beneficentia Dei, Angelũ cuiq. deputare
Magna inuidia, Maius odium, Maxima malitia Principis tenebrarum cuique homini dęmonem deputantis. 449.
Quæ ſit diuerſitas in exercitijs.
Angeli Cuſtodis protegentis; ac dęmonis aduerſarij impugnantis.
Ad maleficia in ſingulis perficienda concurrunt Dæmon Prouinciæ, Dæmon Malefici, ac Dæmon maleficiandi.
Quare boni præ malis obnoxij ſint maleficijs, quibus Anima, Corpus, & Bona extera pereunt.

Concluſio tertiæ partis.

Miſera ergo Hominum conditio, qui ſemper luctantur.

Aduerſus — *Principes, & Poteſtates.*
Mundi Rectores tenebrarum.
Spiritualia nequitiæ in cæleſtibus.

At fidendum in Dei Potentia, Sapientia, ac Bonitate, qui potentiam diabolicam vel impedit: vel moderatur.

Concluſio totius Diſputationis ſecundæ.

Dæmon eſt cauſa efficax maleficiorum, quæ vt procedunt à tali cauſa non ſunt de conſideratione Medici; ſed Theologi Exorciſtæ. Ratio fauet. 450
Ideò Medicus non debet iudicare de Maleficijs: quia hæc fines ſcientiæ medicæ tranſcendunt. Secùs faciens uel alienum aſſumit officium, uel ſuum non benè adminiſtrat.
Hoc eſt munus Exorciſtarum, Quod ſacrilegè ſibi uſurpant, qui talia moliuntur ſine iure uel ordinario, uel extraordinario. 451.
Medici phyſicis remedijs contendentes ſanare morbos à cauſa ſupernaturali prodeuntes, incaſſum laborant, perdunt nomen, & famã, ac iniurijs afficiũt tales ægrotos in bonis fortunæ, & corporis.
Comprobatur exemplis.
Quare Medici uexatos à ſpiritibus immundis, & maleficijs affectos Eccleſiæ Miniſtris curandos remittere debent.

PARS TERTIA.

De praua dæmonum voluntate in volendis maleficijs.

379 *Ad maleficia perficiēda ſcientie, & potentie voluntas debet accedere.* SI ad plenam ardui alicuius operis conſummationem non ſolùm ſcientia ad inueniendum, & potentia ad exequendum neceſſaria ſunt; ſed etiam ſupponenda eſt operantis determinata voluntas, quæ vtramquè tam inuentricem ſcientiam, quàm executricem potentiam applicare efficaciter velit. Non ſufficit dęmoni ad maleficiorum executionem ſublimi ſcientia, & potentia eminenti pollere, vt duabus præcedentibus partibus latè proſecuti ſumus; ſed etiam opus eſt ei determinatam habere voluntatem, quæ vtraque vtatur, vt inſimul ſciat, poſſit, & velit malefacere.

Demonū voluntas ad maleficia prona ob cōtrarietatem ad Diuinā. Hanc autem illi non deeſſe nemo negabit, qui eius genium tantiſper norit. Si enim voluntas eius directè contraria, & ex diametro oppoſita eſt diuinæ voluntati: ſicut Diuina ſemper fertur in bonum, ita vt nullo modo poſſit declinare ad malum; ſic diabolica ita ſemper inclinatur ad malum, vt nullo pacto flecti queat ab bonum morale, aut meritorium, cum illa ſit determinatè bona; iſta inflexibiliter mala, & in malo obfirmata in ęternum. Vnde ſi Summa bonitas Diuinæ voluntatis continuè vult hominibus benefacere, nunquam malefacere: Maxima diabolicæ voluntatis malitia continuè vult illis malefacere, nunquam benefacere. Et eò magis vult, quòd in ſua prauitate nullis finibus circunſcribitur. Nam quamuis ſcientia, & potentia eius ad tot, & tanta ſe extendant obiecta, vt vidimus; tamen vtraquè certis limitibus coercetur; nequè enim omnia ſcit, & poteſt. At praua eius voluntas nullis repagulis clauditur, & per omnia mala ita appetendo vagatur, vt illa omnia facere ſemper velit, & nunquam ab illo actu prauo deſiſtat. *Ideo maleficia exercent Omnes Omni loco Omnibus modis.* Quæ prauitas tanta, cum in omnium dæmonum voluntate reperiatur, non mirum, ſi Omnes, Omni loco, & Omnibus modis maleficijs cōcinnandis intenti ſunt, vt tribus capitibus demonſtrabimus. Quæ tria complectitur Diuus Paulus ad Epheſ. ſcribens *cap. 6.* cum dicit: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem; ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.*

CAPVT I.

Omnes volunt malefacere.

380 *Angeli charitatis officijs vacant* QVis neget omnes dęmones vacare maleficijs, cum ipſi principes, & poteſtates aduerſus nos colluctentur? Boni Angeli continuis charitatis officijs homines proſequuntur; modiſquè omnibus ſalutem illorum promouere conantur; quia beneuoli ſunt; nec eſt aliquis in tanta ſpirituum cæleſtium multitudine, qui in varijs miniſterijs ſatagere non deprehendatur, vt bonis ſpiritualibus, in hoc, & futuro ſæculo repleantur. *Aſſiſtentes, Miniſtrātes.* Nam quamuis aliqui opinentur, innumeras Angelorum cohortes, quæ tribus Hierarchijs, & nouem ordinibus diſtinguuntur, diuidi in duas quaſi partes: Aliam aſſiſtentium, qui ſemper ante Dominum aſtant canendis eius laudibus ſine intermiſſione intenti; Aliam miniſtrantium, qui adimplendis Diuinæ Prouidentiæ mandatis circa totius orbis, & præcipuè ſalutis hominum œconomiam ſedulò vacant. Tamen fatendum eſt, etiam aſſiſtentes extera quandoque exercere miniſteria: cum Raphaelem vnum ex ſeptem, qui aſtant ante Dominum, vt ipſe loquitur *apud Tobiam c. 12.* & Michaelem vnum dę principibus primis, vt ait Daniel *cap. 10.* miſſos eſſe legamus. Pauluſquè *Hebreor. 1.* vniuerſali termino omnes includente, nullum excludente, aſſerat: *Omnes ſunt administratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hęreditatem capiunt ſalutis.* Ita ſentiunt Alex. Alenſ. Prępoſitus. Altiſiodoren. *lib. 2. ſuę ſummę*, Scotus, & Gabriel videlicet, omnes adminiſtrare mediatè: vel immediatè.

Si Angeli, quia beneuoli, omnes benefaciunt, nonè dęmones, ſiuè Principatus, ſiuè Poteſtates, ſiuè Dominationes, aut quocumque alio nomine nuncupentur, cum ſint maleuoli, omnes malefaciunt? 381 *Demones omnes maleficijs vacant Superiores, Inferiores.* Vndè ſicut illi promptiſſimi ſe exhibent ad bona conferenda; ità & iſti ad mala inferenda: cum iſtorum vltronea malitia voluntariam illorum charitatem contraria imitatione in omnibus æmuletur. Pugnat miles, ſi Dux arenam deſcendit: Inferiores dęmones certamen ineunt, ſi præliantur ſuperiores, qui Principum, & Poteſtatum nominibus inſignuntur: Nullus eximitur à pugna, nemo ergo vacat à maleficijs perficiendis, quibus nos inſectantur: omnes hoſtes, omnes maleuoli, & malum facientes, vt hominem perdant; in cuius ruinam vnanimi omnium voluntatum aſſenſu conſpirare non ceſſant. Vndè tam Superiores, quàm Inferiores maleficijs incumbunt: vt ſequentibus ſectionibus declarabitur.

SECTIO I.

Superiores.

CVm de quolibet ordine à Lucifero ſeducti aliqui Angeli ceciderint; vt expreſsè traditur ab Hugone de S. Victore *in libro de Sacramentis*, ac Theologis, vt Alexand. Alenſ. *3. p. q. 100. m. 3.* & cæteris mox citandis, ſapientiſsimè Deus ordinauit, vt etiam eis Lucifer præeſſet, & tanquam diro tyranno cęteri illi maneant ſubiecti; ac inter illos ſit prælationis ordo. 382 *Ordo datur inter dęmones quo Alij Præſunt, Alij ſubiacent.* Quod clarè fides docet: *Iob 41. Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbia, & Matth. 12. & Luc. 11. in Beelzebub principe dęmoniorum eijcit dæmonia. Et ad Eph. 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem; ſed aduerſus principes, & poteſtates.* Et ratio eſt: quia congruit, naturæ dęmonum. Nam ſicut naturæ inferiores ſunt ſubordinatæ ſuperioribus: ita actiones inferiorum actionibus ſuperiorum ſubiectæ eſſe debent. Diuinæ etiam congruit ſapientiæ: quia cum ex ſua conditione à Deo data ſit eis tanquam tortoribus, & executoribus diuinæ iuſtitiæ, vis adminiſtratiua, & vni quidem potentiori, & alteri minus potentiori Deus ordinauit, vt minus potens, & ſapiens magis potentibus, & ſapientibus ſubeſſet in miniſtrando;

ita vt alter præſideat; alter ſubijciatur. Hoc communiter docent Patres: vt Auguſtinus *lib.83. qq. q. 79.* & Caſsianus *collat. 8. cap. 14.* quos ſequuntur Theologi: D.Bonauentura *in 2.d.6.q.vlt.* D.Thom. *1.par.q 109. ar.1.& 2.* Alexander Alen. *q.37.* Durandus *in 2. quæſt3. d.6.* & Ioſeph Angles *in 2. d.6. diffic. 4.*

Superiores dæmones alij præſunt Imperando, aut Cogendo. Illi autem, qui tanquam principes prælatione aliqua pollent ſuam in ſubditos poteſtatem exercent in executione maleficiorum dupliciter, vel moraliter, vel phyſicè Imperando, aut Cogendo; quod ſequentes articuli declarabunt.

ARTICVLVS I.

Imperando.

383 *Societas dæmonũ regnum repræſentat, in quo.* *Alij imperant, Alij obediunt.* TAnta eſt inter illos ex nequitia, & iniquitate concordia, vt Chriſtus Dominus ſocietatem eorum regnum vocare non dubitauerit *Lucæ 11. Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, ſi autem Sathanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius?* Sicut enim in regno, aut ſtatu quouis politico diſpar eſt regnicolarum conditio, iuxta quam alij præſident, & ea ordinant, quæ commune bonum ſpectare iudicantur: vt ſunt Primores, & Magiſtratus. Alij obediunt, & ea obſeruant, quæ ordinata ſunt, vt turba Mercatorum, artificum, & aliorum inferioris notæ, qui in populo connumerantur. Ita in regno dæmoniaco quidam imperant, qui Principes, & Poteſtates dicuntur: quidam imperata exequuntur: vt ſunt omnes inferiores ſpiritus, qui libentiſsimè ſe ſubijciunt imperio, & gubernationi eorum, quos potentiores viribus, & artibus callidiores perſpiciunt ad propriam nequitiam exequendã.

§. I.

Quomodo dæmones ſuperioribus ordinib⁹ obediant qui ſuperbi ſũt & Deo obedire noluerũt QVod equidem mirandum eſſe ipſa ratio dictat. Si enim ſunt ſuperbiſſimi ſpiritus ſingularis excellentiæ affatim cupidi, quomodo alij ſpiritus ſibi præſidere patiuntur? An inuiti, an voluntarij obtemperant? Si inuiti, quare omnes inſimul non mouentur ad rebellionem, & reſiſtere non contendunt ei, qui imperat? Nam vel illi impares ſunt, vel pares. Si impares, & præualere non poſſunt contra eum, hoc eſt, quia ſolus omnes, & ſingulos potentia ſuperat. At illud veriſimile non eſt, imò à ratione alienum, vnum tot, & tam multa fortiſſimorum ſpirituum millia viribus excedere, cum in rebus eiuſdem generis indiuiduum vnum reperiri non poſſit, quod omnia alia ſimul coniuncta naturali perfectione, & potentia vincat. Si pares, cum æquè ac ille ſuperbia intumeſcant, & principatum affectent, quare omnes ex eadem cauſa communi impetu inſultantes non eum deijciunt à ſuo principatu? Ideò ſe ei voluntarios ſeruos exhibere fatendum eſt. At ſi voluntarij ſunt, & ſpontè alteri ſubijciuntur, quare diuinæ Maieſtatis imperium detrectarunt, & modò detrectant; præſertim cum naturali lumine perſpectum habeant, omnes inſimul reſiſtere non poſſe huic ſupremæ, & infinitæ potentiæ? Anne tyrannicam alterius dæmonis ipſorum ſimilis dominationem præferre volunt Dei imperio, cui ſeruire regnare eſt? Maximè. Et dæmonis potiùs, quàm Deo, & inuiti, & voluntarij obediunt.

§. II.

INuiti, Non enim vt boni Angeli ſuis ſuperioribus ſpontè, & alacriter ſe ſubmittunt; ſed tanquam praua mancipia duris dominis, & imbeciliores ſerui potentiori tyranno. 384 *Inuiti obediunt Ex quo non eſt ordo inter eos.*

Quare ſi aliqua adhuc ordinum ex quibus exciderunt, habetur ratio, illa non eſt vera, & propria ſubordinatio: Nam ei deeſt formalis ordinis ratio, atquè perfectio, quę per media ſubordinata in vnũ vltimumquè finem dirigitur; ſed ordinum quædam imperfecta, ſeù materialis, vt vocant, diſtinctio duntaxat: vt Iobus cap. 9. docet, cum infernum vocat *terram miſerię, & tenebrarum, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*: vt teſtatur D. Bonau. *in 2.d 6.ar.3.q.1.* Ioſeph Angles *in 2.q. vnica de dæmon. ar.2.*

Voluntarij tamen ſunt, & voluntariè ijs ſubijciuntur, quos vident natura nobiliores, præſtantiores potentia, & malitia ſubtiliores. Eſt enim indiuidua impiorum proprietas, & mos frequenter vſitatus, ei libenter ſe ſubmittere, quem potentiorem eſſe cognoſcunt. Sic latrones in nemoribus latitantes, & prætereuntibus ponentes inſidias vnum ex ipſis, quem norunt in arte furandi peritiorem, ſibi caput conſtituunt, cui voluntarium exhibent famulatum. Sic Hæretici non rarò inter ſe diſcordes, imò perpetua, & implacabili pugna diſſidentes, pacem aliquam ineunt, fœderatique ſæpiùs coniunguntur: ſed illi, vt prætereuntem ſpoliam Mercatorum: iſti, vt catholicam Eccleſiam, communibus armis impugnent: vt teſtatur Guilhel. Pariſ. *2.par.c.14. & 15. de Vniu.* *Voluntarij obediunt ex fœdere.*

Quare dæmones latronibus, & Hæreticis nequiores percutiunt fædus inſimul, & conſtituunt ordines inter ſe, ita vt alter præſit, alter obediat, non ex amore; ſed ex ingenti odio, & inuidia virulenta, qua feruntur in hominem. Nam vt faciliùs eum oppugnare, & expugnare valeant, ex innumerabili illa multitudine fortiſſimum conflant exercitum, in quo, nè poſt conatus irritos confuſi abire cogantur, alios conſtituunt ſummos belli duces; alios ſubalternos officiarios ſtabiliunt: reliquos quaſi triarios iubent Superiorum obedire mandatis. Nec cunctantur iſti in omnibus obtemperare.

Quare, cum in maleficiorum executione plurium opera requiratur, qui primas inter illos obtinent, ſtatim decernunt, quid facto opus ſit; quod alii lubenter executioni demandant: nec reſiſtere audent ex communi concordia, & ſocietate inter eos inita, imò lubentes, & volentes annuere conſueuerunt ex propria malefaciendi inclinatione, cui imperata perficiendo ſatisfaciunt. Ita docent Alexander Alen. *p.3.q.37.m.5.* Bonauentura *loco citato,* Ioſeph Angles *in 2.d.6. & 7. diffi.4. concl.2.*

ARTICVLVS II.

Cogendo.

NEc ſolùm imperãdo Principatus, & Poteſtates ceteris inferni miniſtris dominantur; ſed etiam cogendo; quod ex naturalibus viribus ſuis poſſunt: quia vbicumquè ſunt res ſubordinatæ, oportet, quòd etiam actiones ſibi inuicem ſubordinentur, ſicut patet in rebus corporalibus, in quibus naturali ordine corporum inferiorum actiones, & motus actionibus, & motibus cæleſtibus ſubduntur. Cum ergo illa 385 *Superiores vt naturali poſſunt cogere inferiores*

illa ſubordinatio inter dæmones reperiatur ſecundùm quam aliqui in naturalibus præeminent: vt ſunt illi, qui magis accedunt ad perfectionem primi, & ſummi principij; ſequitur illos habere poteſtatem in inferiores, qui eis morem gerere coguntur; quia poſſunt illos virtute naturali alligare, expellere, & detrudere in aliquem locum, vt docent Auguſt. *loco cit. & lib.* 21. *de Ciuit. Dei.* Dionyſius Carthuſ. *in Luca* 11. D. Thomas *3.par.q.43.a.2.ad 3.* & cæteri Theologi.

§. I.

Obſtare videtur dictum Chriſti & ratio à natura dæmonũ petita

QVod certè difficultate non caret. Obſtare enim videtur Saluatoris noſtri *Matthæi* 12. *& Lucæ* 11. argumentatio, qua docet: Sathanam in ſeipſum diuiſum non eſſe: nec dæmonem alium expellere, aliàs regnum eius non poſſet ſubſiſtere, quod tanquam certũ ſupponendo, cõcludit ex eo, ſe virtute Beelzebub non expellere dæmonia, quę concluſio vera non eſſet, niſi aſſumptum, ex quo deducitur, veritatem vtiquè contineret.

386 *Non obſtat dictũ Chriſti, quod dupliciter explicatur.*

Attamen conſtans eſt Doctorum ſententia, vbi *de Superſtit.* dæmonem alium pellere ex vno loco in alium: vel alicui loco, annulo, aut imagini alligare poſſe. Ipſi Iudæi hoc ſe ſentire teſtantur, dum Chriſto objiciunt, eum in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia. Quod fortè probat ipſum Chriſti ſilentium, qui huic reſpondens objectioni, non negat Beelzebub alium dæmonem pellere poſſe. Negat ſolùm, ſe principem dæmoniorum habere, & in eius nomine dæmonia eijcere. Neque huic doctrinæ obſtat, quod ſupra allatum eſt: Regnum dæmonis non poſſe ſubſiſtere, ſi alter alterum pellat, modò rectè hæc verba intelligantur. Loquitur enim Chriſtus Vel de perfecta eiectione dæmonis ab homine tam ex corpore, quã ex Anima; quia numquam dæmon, ab alio dæmone ita propulſatur, vt ex eius poteſtate ſubtrahatur omninò ille, qui tandiù ei ſubiacuit, ac vſus eſt eius auxilio. Quia ſi vnus è corpore alium eijcit, non expellit ex anima, vt ſic illibatam tueatur poſſeſſionem: Nouit enim corpus in eorum dominium reducendum, ſi anima ſit ipſorum iuris. Vel de expulſione nata ex odio dæmonis, & ſtudio euertendi imperium, quod habet in homine: Nam eo modo vnus alterum nec expellit, nec ligat; Quod ſi facit, non alio fine, quàm vt maleficium minus maiori ſoluat; & ſic hominem ſuis naſcibus magis implicet, regnumque ſuum in illo fortiùs, & perennius ſtabiliat.

§. II.

387 *Non obſtat ratio contraria.*

NEc deeſt illis potentia motiua ab intellectu, & voluntate diſtincta, per quam ſuperiores coercent inferiores: Aut illos expellendo ex aliquo loco, ſi enim habent poteſtatem mouendi localiter animas, quare eadem ratione non poterunt idem præſtare ſuper dæmones inferiores? Aut alligando loco, & annulo: non quòd corpus virtute tanta polleat, vt ſubſtantiam incorpoream valeat detinere; ſed quia alia ſubſtantia ſuperior ſuam virtutem applicat, per quam ibi detinetur. Vndè ſi ligans abſit, poteſt ligatus diſcedere; & poteſt iterum ad eundem locum ab alio retrahi, & cogi ad manendum; & ille paret, non quòd ſemper ſit præſens ver.gr. annulo, aut imagini; ſed dicitur ligatus, quia vocatus à poſſeſſore ſubitò adeſt, nec indiget multo tempore, vbicumquè ſit, vt redire queat: cum facilimè cognoſcere poſſit, quid rerum agatur apud annuli poſſeſſorem, vt latè Azorius *Inſtit. moral.lib.9.cap.26.* & ego *tom.2.diſpu.1.num.300.*

Atquè ita principes, & poteſtates, cum maleficia operantur, non ſolùm imperant; ſed etiam cogunt inferiores ad ea percipienda, quæ ipſi iubent: vel ad diſcedendum; vel ad remouendum, quaſi vi externa pellantur; aut ferreis compedibus deuinciantur, ſed certè ſæpiùs cogi ſe ſimulant: cum iubente principe ſubditus obedire ſoleat, nec retractet imperium, niſi ad modicum tempus, vt ſic maleficus ſuam virtutem poſt ſuperatam eius reſiſtentiam, ſtupens, & admirans, ſtrictiùs diabolicæ ſe addicet ſeruituti. Cur autem inferiores dæmones non ſe ſubmittant, cum etiam principes, & ſuperiores non renuant vilia exercere miniſteria? Nam quamuis naturæ dignitas grauiora, & altiora poſceret exercitia; non tamen attendunt, quid facere ipſos deceat; potiuſquè volunt ſuæ libidini facere ſatis, quàm ſuæ dignitati: cum ſtudium nocendi tale ſit, & voluntas maleficiendi tam magna, vt etiam ad minima officia ſe lubentes dimittant. Ita videmus hos ſpiritus natura nobiles, dignitate præſtantes, affectu ſuperbiſſimos, principatu hominum potentiſsimos, quamuis ſublimioribus naturæ donis præeant, annoſę, pannoſæ, & contemptibili vetulæ, miſerrimæquè ſagę dicto obedire, quibus nihil obiectius, nihil horribilius in hoc mundo. 388 *Inferiores obediendo, Vel Coguntur, Vel Cogi ſe ſimulant.*

§. III.

389 *Allegatur opinio aſſerentium, Exorciſtam poſſe conſtituere dæmones ſuperiores, qui expellãt inferiores. Improbatur.*

EX quibus omnibus colligitur, nulla ratione fulciri poſitionem dicentium, Exorciſtam in nomine Chriſti poſſe conſtituere aliquem dæmonem Principem in corpore vexato, qui ad imperium eius eijciat dæmones vexantes illud corpus; nec poſſe dici Exorciſtã in virtute Beelzebub eijcere dęmonia: quam poſitionem ſequuntur Syluester Prieras *tract.pro Exorciſtarum inſtruct.* Zacharias *in compend. Artis exorciſt.doctrina* 2. Hieronymus Menghus *in compend. Artis exorciſt. lib.1.c.4. & in Fuſte dæmonum cap.6.* & alij, quos citat noſter Lupus *in Comment. Edicti S.Inquiſit.par.3. lib.16.diſt.8.a.1. diffic.2*

Quidquid autem ſit de Exorciſta, an habeat iſtam facultatem; & à quo receperit. An à Deo, vel ab Eccleſia: vel eam ſibi propria auctoritate aſciſcat, diſputatur infra *tomo 2.num.690. & ſequent.* vbi de Prudentia in erroribus vitandis. Nunc examinare ſufficiat: an ratione dictæ dæmonum prelationis, & ambitionis aueat vnus dæmon ſuper alios dæmones cauſa eijciendi eos è corporibus obſeſſis ab Exorciſta aſſumere principatum; quod eſt fundamentum, & baſis prędictorum Auctorum poſitionis.

390 *Eorummet rationibus.*

Dico ergo, cum ordo inter dæmones ſit latronum, & hæreticorum more, vt ſupra dixi; qui licèt inter ſe non rarò ſint diſcordes, imò perpetua, & implacabili pugna diſſidentes, nihilominus pacem aliquam ineunt; fœderatiquè ſæpiùs coniunguntur, quem ſapientiorem, ac fortiorem nouerunt, ſibi caput conſtituentes, cui voluntarium exhibent famulatum. Sed quo fine? non vtiquè alio, niſi vt illi prætereuntem Mercatorem ſpolient; iſti, vt catholicam fidem communibus armis impugnet. Sic dæmones licèt inter ſe habeant priuatas inimicitias, quibus ad inuicem pugnant, itá quòd vnus conatur aduerſus alterũ, vnuſq. aueat cęteris dominari; attamen inſimul percutiunt fædus, & conſtituunt ordines inter ſe, vt alter præſit, & alter obediat, non ex amore; ſed ex ingenti odio, & inuidia virulenta, qua feruntur in hominem; nec præeſſe affectant,

fectant, vt homini bonum aliquod præſtent; vel beneficium aliquod impendant: cum hoc renuant omnes toto cælo; ac optimè nouerint regnum ipſorum ſubſiſtere non poſſe, ſi alter alterum pellat: vt benè docet Pelbartus *in Roſario Theol.* allegatus à noſtro Lupo *vbi ſupra*. Quomodo ergo dæmones principatum ab Exorciſta ſibi oblatum ſuper alios dæmones eijciendos affectabunt, ſi hoc expreſsè ipſorum ſtatui politico, ac regni dæmoniaci conſeruationi repugnat?

Eſto quandoquè dæmones ſuperiores è corporibus obſeſſis expellant inferiores: ſi faciunt hoc, non alio fine faciunt, quàm vt maleficium minus maiori ſoluant maleficio, ab homineque malefico adorationes, oblationes, cæteraquè obſequia ſibi exhibita recipiant. Nullo tamen pacto vnus alteri præeſſe cupit, nec vnus ſuper alterum principatum affectat, vt homini prodeſſe queat, ſed duntaxat vt malefaciat, ei damnum paret, & ad exitium perducat, vt docet Toſtatus quæſt. 61. in cap. 12. Matth. verſ. *Dicendum igitur*. Sed de his latiùs tomo 2. *diſput. 4. num. 690. & ſequentibus*.

SECTIO II.

Inferiores.

351 *Inferiores obediunt in miniſterijs Superiorum exēplo Propria inclinatione.*

QVòd ſi principes, & poteſtates, qui inter illos primas obtinent, ſic magicis miniſterijs ſe immiſcent, quid inferiores facere debent, qui naturæ præſtantia illis cedunt? Nonne humiliora exercere miniſteria, & quicquid iniungitur quantumuis contemptibile protinus adimplere tenentur? Nec immeritò, cum tali ſuperiorum exemplo permoti propriaquè ducti inclinatione nil in maleficijs concinandis deſinant; & vltrò officia gerenda qualiacumquè ſuſcipiant. Plus amant humiliari, quàm non nocere; nec vile aliquod officium exercere abnuunt, modò noceant. Ideò Magis, & maleficis prompto ſeruiunt animo, eiſquè tanquam dominis obſequium exhibere ſe ſimulant, vt alij tam promptos, & alacres ſeruos nacti nequiora, & peiora in homines moliantur.

352 *Superbia eſt incentiuū miniſterij Inuidia ſubſequens impulſiuum.*

Quòd ſi quæras, quid ſuperbientes ſpiritus ad exhibenda vilia, & continua miniſteria impellere poſſit, duo ſunt, quæ teſte D. Bonau. *in 2. diſt. 21. ar. 1.* mentem dæmonum poſſident: ſuperbia, videlicet, & inuidia. Superbia eſt quaſi incentiuum miniſterij: Inuidia quaſi ſubſequens impulſiuum; & vna alteri ita coniungitur, vt inſeparabiliter in quolibet dæmone vtraquè reperiatur; cum æquum ſit, ſubditos ſuperioris inſignia ferre, & ingenium referre. Vis ſcire, quæ ſint Luciferi inſignia, & quale eius ingenium, audi Ioannem *in Apoc. c. 12.* dicentem: A ſe viſum draconem magnum, & rufum mirabili mulieri ſole veſtitæ ſtellis coronatæ, & lunam calcanti, inſidias ponentem. Quem Luciferum eſſe Doctores omnes affirmant. *Magnum* ſuperbia ingenti; quia Dei ſimilitudinem appetijt. *Rufum* inuidia, qua homines pellere cælo nititur; ideò cæteri dæmones tument ſuperbia, & inuidia ardent; atque ob inuidiam ſerpentibus, & baſiliſcis: ob ſuperbiam leonibus, & draconibus comparantur *pſal. 90. ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Quare vtraque ducti volunt ſemper malefacere: vt ſequentes articuli declarabunt.

ARTICVLVS I.

Superbiendo.

EA eſt ſuperbiæ indiuidua, & innata proprietas ſemper amare excellentia, & nullum, aut ſuperiorem, aut conſortem ſuſtinere poſſe. Quod eminenter in dæmones cadere videbimus, ſi vacet eorum naturam inueſtigare. Platonici apud Aug. *lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 8.* aſſerebant: *Dæmones eſſe genere animalia, natura pulcherrima, mente rationalia, animo paſſiua, corpore aerea, & tempore æterna.* In qua deſcriptione vox: *Genere* ponitur, quia ſunt de prædicamento ſubſtantiæ. *Natura pulcherrima*: Nam quoad ſubſtantiam ſuæ naturæ non ſunt bonis Angelis deformiores. *Animo paſſiua*: quia irritari iniurijs, obſequijs, doniſque placari, gaudere honoribus, & paſsionibus ſenſualitatis affici putabant. *Corpore aerea*: creatos namquè credebant ex ſublimiori materia, quæ oculis non ità ſenſibiliter pateat. *Tempore æterna*: non natura, ſed gratuito Dei beneficio. 353 *Natura ſuperbiæ* *Natura dæmonū ſecundū Platonicos.*

§. I.

VErùm noſtræ religionis homines aliter naturam dæmoniacam ſuis coloribus adumbrant, pro quibus vnus ſufficiat Damaſcenus, qui *lib. 2. de fide orthod. cap. 3.* dicit: *dæmonem eſſe ſubſtantiam incorpoream à Deo creatam ſemper mobilem, arbitrio liberam, immortalitate donatam, per peccatum à ſuo Creatore auerſam, & ab eius facie deiectam in tenebras exteriores. Subſtantia* dicitur loco generis: Nam eſſe ſubſtantiam commune eſt ſpiritibus, & corporibus. *Incorporea ſeu immaterialis*: quia non habet intrinſecam habitudinem ad materiam, vt res corporea, quæ ex materia, & forma componitur. Licèt enim habeat eſſe exiſtentiæ diſtinctum ab eſſentia, & per conſequens ex eſſe, & eſſentia; ex potentia & actu componatur; tamen ſimplex eſt, & immaterialis omnem materiam phyſicalem, quantitatem continuam, & qualitates alterabiles excludens: *Creata à Deo*, vt eſſe eius principiatum, & dependens denotetur. *Semper mobilis* non tantùm quia eſt in paſſiua potentia tempore imperceptibili de loco ad locum ſeipſam mouendi: Verùm etiam varias rerum contingentium notitias recipiendi in intellectu poſſibili, diuerſoſquè actus ſucceſſiuè producendi: cum non ſit purus actus, ſicut Deus. *Arbitrio libera*: Nam pollet intellectu, quo diſcernere poteſt verum à falſo, bonum à malo, iuſtum ab iniuſto: & voluntate, qua actus etiam oppoſitos ſucceſſiuè elicere valet. *Immortalitate, non natura; ſed Dei gratia donata*; quia ſuo principio quaſi ex quodam dono gratiæ à phyſica corruptione eſt aliena, vt potè phyſicali materia carens, quæ eſt ſubiectum, & principium corruptionis. *A ſuo Creatore auerſa*: Ad differentiam bonorum Angelorum, quorum voluntas ab initio per actum dilectionis, & conformationis ad eum conuerſa eſt. *Et ab eius facie deiecta in tenebras exteriores* in quibus ſuperbientes ſpiritus pænas ſoluunt æternas. 354 *Secundū Patres.*

§. II.

VBi vides, præſtantia illa naturæ ſublimis dona 395
ſuperbiæ macula conſpurcari, qua intumeſcens

Superbia Luciferi.

ſcens Lucifer ſtatim ac agnouit ſuam pulchritudinem, propria auctoritate principatum appetijt, cum dixit apud Iſaiam cap. 14. *In cælum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo*. Quæ verba exponens Hieronymus, per *cęlum* culmen principatus intelligit: Per *aſtra* cæteros Angelos, ſuper quos exaltari voluit: Per *ſimilitudinem verò altiſſimi*, Similitudinem in principatu ſuper omnia. *Superbus enim ille Angelus*, ait D.Auguſt. *lib.* 14. *de Ciuit. Dei cap.* 11. *per eandem ſuperbiam à Deo ad ſemetipſum conuerſus eſt, & quodam quaſi tyrannico faſtu gaudere ſubditis, quàm eſſe ſubditum, elegit.*

Superbia demonũ cæterorum.

Quo ambiente vitio cæteri Angeli minores infecti fuere, & à Deo per ſuperbiam auerſi, cum omnes in eadem malitia, ſeù Luciferi ſuperbia conſenſerunt: vt docet Hugo de S.Victore; quatenus ſine meritis voluerunt eſſe beati; ſine miniſterio, & obſequio quieſcere: & ſine limite propriam implere voluntatem. Vndè omnes è ſuis ſedibus expulſi, & è ſummo cælo deturbati in profundum infernum præcipites dati ſunt.

§. III.

Demones ſeruiũt maleficis per ſuperbiam. 1. Quia malefici eos pro Dijs habent.

396 NEc tamen horrendo illo caſu deplorabilique damno meliores effecti, adhùc diuinam ſimilitudinem æmulantur; & pro Dijs haberi volunt. Ideò intolerabilis ſuperbiæ ſtimulis agitati non dedignantur Magis, & maleficis ſeruire, eiſquè ad nutum obtemperare: quia ſic illis ſeruire conſueuerunt, vt tamen honorem, & cultum, qui Diuinam decet Maieſtatem, ſibi tribui ab eis peroptent; vt ſic nec ſuperiorem habeant, nec conſortem. Non Superiorem Deum, contra quem ea, qua poſſunt ratione inſurgunt, & ſi poſſibile eſſet, è medio tollerent. Non æqualem hominem, quem à Dei fide, obſequio, & amore auerſum ſibi ipſis ita ſubijciunt, vt ab eo tanquam Dij adorentur. Quare Chryſoſtomus *in pſalmum* 13. meritò exiſtimat, dæmonem eſſe inſipientem illum, de quo Propheta: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Primus* inquit, *inſipiens diabolus, qui inſipientiæ fuit primus ſeminator, qui primus præco Deorum multitudinis: Eritis ait ſicut Dij, voluit eſſe Deo æqualis, dicens: Ponam thronum meum ſuper nubes, & ero ſimilis altiſſimo, ſuſtulit, Deus, & poſuit, altiſſimus erubeſcens Deum, quem iam negauerat. Vbi diligenter, quæſo, attende, quàm ſolers, & accuratus fuit diaboli accuſator Propheta. Dixit inſipiens in corde ſuo, non ait, dicit; ſed dixit. Semel auſus eſt, & dixit: Et quoniam cum dixiſſet, eiectus eſt è cælis tanquam ſuperbus inſurrector, non amplius per ſe dicere auſus eſt; & Deum ſemel negans, Deum expertus eſt, ex alto deturbatus, & in imo ab hominibus conculcatus, non amplius auſus eſt dicere: Non eſt Deus; ſcit enim, quid paſſus ſit. Non dicit inſipiens: ſed dixit inſipiens in corde ſuo. In quolibet, qui eadem cognoſcit, & non diſcrepat ab eius moribus, & eſt impius.*

2. Quia alios ſollicitant ad ſimilem cultum ei exhibendum.

397 Hactenus Chryſoſt. Ex quo colligitur, dæmones ſemel Deum negaſſe, quotidie negare; ſed ſemel per ſeipſos, quotidiè per eos, qui cor eorum dici poſſunt: vt ſunt Magi, & malefici, qui ſic ad illorum obſequium afficiuntur, vt non ſolùm ipſi ſeruire ſtudeant, ſed quaſi inferni præcones alios à Deo auertere, & ad dæmones adducere conentur, tanquam ad Deos omnipotentes, qui mortales accedens ad ipſos in morbis ſanare, in neceſſitatibus auxiliari, in periculis eruere, & bonis omnibus replere poſſit. Quapropter ſuperbi hi ſpiritus lubenter illis cooperantur, & obſequuntur, qui ipſos, tanquam Deos venerantur, & colunt; alioſquè inducunt ad ſimilem cultum exhibendum. Sic enim Deum iniuria afficientes, & hominem ſuę ſubijcientes dominationi nec ſuperiorem, nec conſortem habere videntur. Hoc ſæpiùs mihi faſſus eſt ille Magus, de quo ſupra *num.* 323. affirmans ſe, alioſque Magos, ac maleficos dæmonē, vt Deum adoraſſe. Quando verò non poteſt dæmon homines cogere ad honorem, ac cultum Deo debitum ſibi exhibendum, ſaltem nominibus excellentioribus appellari ſtudet. Sic anno Domini 1664. Venetijs cum à quodam paupere rogatus fuiſſem, vt eius vxorem à dæmone obſeſſam, à quo multis cruciatibus afficiebatur, exorcizarem, & à tyrannide diabolica diuino auxilio liberaſſem, mihi enarrauit, illum dæmonem aſſerere ſe eſſe ſpiritum nobiliſſimum ex Græcia originem habentem, idcircò velle ab eis ſe appellari titulo Illuſtriſſimi Domini, ac ſuppliciter tanquam potentiſſimum exorari, vt à vexationibus ceſſaret, aliter maiora damna ſe illis illaturum minabatur. Quod vt ego audiui, præcepi, vt illum contemnerent, multis opprobrijs, calumnijs, ac viliſſimis nominibus afficerent, eumque pedibus conculcaui. Sic tandem mulier in fide roborata, ac benè diſpoſita ab eius tyrannide libera permanſit. De his legendi ſunt D.Hieron. *in Ezechielem* 18. Auguſt. 10. *ſuper Geneſ. ad lit. c.* 14. D.Anſelm. *lib. de caſu Diaboli cap.* 4. D.Iſidorus *lib. de ſummo bono*. S.S. Baſilius, Ambroſius, Gregor, & Bernardus relati à Ioſeph Angl. *in* 2. *diſt.* 6. *quæſt.* 2. *pag.* 128.

ARTICVLVS II.

Inuidendo.

§. I.

SVperbiam ſequitur inuidia, quæ teſte Alano de complanctu naturæ, *eſt erroneæ cæcitatis abyſſus, mentis infernus, contentionis ſtimulus, corruptionis aculeus, vitiorum monſtrum, radix malorum omnium, & ſeminarium delictorum: Cuius motus ſunt humanæ tranquillitatis hoſtes, mundanę tentationis ſatellites, animi laborantis vigiles, inimici, alienæ felicitatis excubiæ, cui aliena proſperitas aduerſa, aliena aduerſitas proſpera, quæ in aliena gratulatione triſtatur, in aliena triſtitia gratulatur, ſuas in aliena paupertate diuitias, ſuam paupertatem in alienis diuitijs metitur.* Quæ vt deſcribunt S.Cyprianus *in ſerm. de Liuore*, & S.Petrus Chryſol. ſi ſemel alicuius animum inuaſerit, ſtatim color eius offuſcatur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigeſcunt; fit vultus minax, toruus aſpectus, apparetquè pallor in facie, in labijs tremor, ſtridor in dentibus, & in geſtibus effrænata ſæuitia, vt putetur totum hominem in ferinam degeneraſſe naturam. Sic Ouidius *lib.* 2. *fab.* 15. inuidiam deſcribens, cecinit: 398

Natura inuidiæ.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto
Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores.
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabeſcitquè videndo
Succeſſus hominum carpitque & carpitur, vna
Suppliciumque ſuum eſt.

Vnde Iacobus Billius Poeta inuidum increpando *anthol. ſacr.* aduerſum eum ſcripſit:

Ob tua, quàm grauiter plecteris crimina tandem
Inuide, cum bona te nunc aliena premant?
O miſerum! cuius dolor eſt aliena voluptas:
Quoquè alius gaudet, ringeris ipſe bono.
Vulneribus quanam arte tuis afferre medelam
Quis valeat, cum tu vulnera tecta geras?
Sit, licèt iniuſtus liuor, nil iuſtius illo eſt.
Namquè premens alios, opprimit ante patrem.

§. II.

399 *Dæmones ob inuidiam triſtãtur de bono hominis, & ſuo malo.*

QVid ergo operatur in dæmonibus, qui cum ſuperbia ſumma laborent, dira ardent inuidia, qua triſtantur de bonis, & gaudent de malis, quæ hominibus eueniunt! Contriſtantur de alieno bono; proprium etiam malum ſuſpirant, vident ſe è ſupremo cælorum vertice in infimum baratrum deiectos, homineſque ſuas occupare ſedes; Ideoque graue eſt illis, ex tam fulgenti ſolio ad tam tetrum detrudi abyſſum; atque alium in cæno, & luto volutatũ erui, & ad tam ſublimem eleuari locum. *Conſiderant*, vt inquit Ambroſius *lib de Paradiſo cap. 12. quòd ipſi, qui ſuperiores ſunt natura, in hęc ſecularia, & mundana cecidere: homo autem inferioris naturę ſperat æterna, hoc eſt, quod inuident dicentes: Iſte inferior adipiſcetur, quod nos ſeruare non potuimus: Iſte de terris migrabit ad cælos, cum nos de cælo lapſi in terram ſimus. Nos ſpiritus adeò ſublimes deijci, & alium è terra ſordibus concretum in locum noſtrum ſuſcipi patiuntur? Pereamus, an pereat.* Quare inſtant, vt ſibi ſimiles factos ad ſupplicij ſui conſortium nos trahant; & cum ſe vident ſpe deiectos regni æterni potiundi, nec homines potiri volunt; Memoria enim præteritorum bonorum, inquantum ſunt amiſſa, cauſat in illis triſtitiam: & inquantum ab alijs occupantur, inuidiam: vt latè docet Scotus in 4.d.6.q.1. Tatar. ibi. *Ex inuidia*, ait, *quam dæmon habet erga hominem, nititur omni hora, & omnibus modis ad decipiendum hominem. Vnde iſta inuidia eſt in dæmone, eò quòd cognoſcit, quòd homines occupabunt circa ea, quæ ipſi occupaſſent, ſi non peccaſſent.* Hinc Scotus ibi addit, *quòd ſi Diabolus baptizaret aliquem, talis eſſet rebaptizandus, quia ſine certa reuelatione Dei non eſt ei credendum, quòd malus Angelus verè baptizaſſet, tum quia Deus non adminiſtrat ſacramenta per excluſos finaliter à ſalute, tum quia ſi non eſſet arctatus de præcepto diuino ad oppoſitum, ſupponendum eſt ſemper ipſum fraudolenter agere, nec complete facere ea, quæ eſſent neceſſaria ad ſalutem Baptizati propter inimicitiam, quam habet ad ſalutem hominum ex inuidia procedentem.* Quòd expreſsè manifeſtauit quidam dæmon, quem, vt refert Dionyſius Carthuſianus, vidit Sancta Birgitta aſſociantem quandam animam damnatam ante tribunal Maieſtatis Dei hęc verba horrenda proferentem: *Quamuis poſſem ſaluari, non vellem, ne tantam conſolationem, & gaudium de me haberes.* Ex huiuſmodi autem inuidia quàm dæmon habet erga hominem, ei in anima, in corpore, ac bonis externis damna inferre ſtudet.

§. III.

400 *Gaudẽt de malis illatis, & bonis ablatis.*

QVòd ſi non ſolùm bonis eum priuare; ſed etiam malis vexare in anima, corpore, aut exterioribus facultatibus permittuntur, tunc ex duplici motiuo boni ablati, & mali illati maximam videntur haurire voluptatem. Quæ tamen non eſt vera voluptas; ſed apparens, & omni amaritudine reſperſa. Ratio eſt: quia gaudium illud non eſt ex apprehenſione ſimpliciter conuenientis; ſed quod videtur ſibi conueniens. Videtur autem ſibi conueniens, & delectabile, poteſtatem habere in eos, qui Dei præcepta contemnunt. Vnde D. Auguſt. *aduerſ Manichæos* apud Alex. Ale. *p.3.q.100.m.5. ar.1.* dicit: *Diabolus poteſtatem habet in eos, qui præcepta Dei contemnunt. Et de hac infelice poteſtate lætatur.* Sed tale gaudium dæmonibus in pænam cedit; vt D. Auguſt. *ſuper Gen.* (vt refert Alexand.) affirmat dicens: *Pæna eſt diabolo, vt in poteſtate habeat peccatores.* Et indè maior eſt pæna; quia de tam infelici poteſtate lætantur. Ex hac apparenti lætitia ducti non ceſſant malefacere hominibus, niſi cum diuina poteſtate coerciti non poſſunt contra ſtimulum calcitrare.

Ex inuidia etenim oritur odium, cum inuidus alterius ruinam expetit abſquè vllo fructu, & emolumento. 401 *Ex inuidia oritur odiũ in Deũ, & homines.* Qui enim deſiderat caſum alterius ſine aliqua vtilitate, non mouetur ex amore commoditatis propriæ; ſed ex odio felicitatis alienæ. Et ſic liuore flagrantes ſpiritus illi nequam mouentur ad malefaciendum ex odio, quo Deum, & homines proſequuntur. Deum oderunt, qui eos de cælo deiecit, & homines in eorum locum ſufficere decreuit. Vnde rabie perciti, cum eum lædere non valeant, competitorem ſaltem opprimere ſtatuunt: Vt canes, qui cum non poſſint mordere hominem, dentes ſaltem infigunt in lapidem: Aut nouerca, quæ, dum nihil audet in virum, debaccatur in priuignum: Vel priuatus, qui, cum non poſſit offendere Regem, eius ſtatuam dente, vel manu lacerat. Quod lapide deſcripſit Iacob. Bill. *Anthol. ſacr.* his verſ.

Dic mihi, cur tantis odijs nos perfidus hoſtis
Exagitat, bellis tam grauibuſquè? petis
Cauſam odij, tantiquè cupis cognoſcere belli?
Hoc odio Summi Numinis ipſe facit.
Exitium in noſtri generis ruit impetu cæco
Quòd nequeat ſupero bella mouere Patri
Vt ſi quis Regem nequeat cum lædere, Regis
Arreptam ſtatuam dente, manuque petat.

§. IV.

HOminem verò oderunt ex humani generis ſiuè publica, ſiuè priuata felicitate. Publica, dum vident Deum angelica relicta natura nobiliori naturam minus nobilem, & multis partibus inferiorem in vnitatem Diuinæ Hypoſtaſis aſſumpſiſſe; atque illam in cælum effectam ſuper omnes Angelorum choros collocatam? Priuata, dum conſiderant ſingulos homines Deum diligentes, & à Deo viciſſim dilectos diuina opitulante gratia ad eas ſedes aſcendere, ex quibus iuſto iudicio ſunt eiecti. Quare, vt odium poſſint exſaturare, vbiquè ponunt laqueos, ſtruunt inſidias, bellum mouent, vt hominem malis oppreſſum ad ſua caſtra perducant. Quod quidem ſi conſequuntur, præclaros ſe putant agere triumphos. Si aſſequi deſperant, pro lucro habent, cum vel corpori, vel fortunæ bonis damna inferunt: & ſic ob illata mala voluptatem ſaltem apparentem percipiunt; ſicut quotidiè videmus fieri ab ijs, qui continuè odia fouent. Nam ſi quoquomodo inimicis nocere queunt, ſummopere gaudent, illorumque miſeriam ſuum ſolamen arbitrantur licèt gaudium ſit tantùm apparens, & omni amaritudine reſperſum: vt benè probant D. Auguſt. & Alexan. Alenſ. loco citato.

Quarè cum perpetuis inuidiæ facibus ſpiritus illi infelices vtantur, & ſuccreſcentibus ardeant ira-

rum

Demones ex ſuperbia inuidia, & odio ſeruiunt

rum flammis ſuiipſius carnifices, non mirum eſt, ſi continuò volunt malefacere, nec ab hoc incæpto deſiſtunt aliquando; Ideòquè Magis, maleficiſquè ad ſuperiorum imperium lubentes ſeruiunt. Cum enim iſti nil aliud moliantur, quàm mala inferre, & auferre bona, libentiſſimè eis famulantur. Nam famulantibus calcaria adhibent ſuperbia, inuidia, & odium, tria monſtra vitiorum, quæ ſecretis eos vngulis diſcerpunt, lacerant, & excruciant. Nec aliquando ſatiantur, niſi cum communis hoſtis, nempè, mortalis homo innumeris obrutus malis diabolica, aut malefica opera immiſſis ad extremam deuenit miſeriam, & in æternam damnationem deturbatur.

CAPVT II.

Omni loco volunt malefacere.

Demones in omni loco maleficia exercẽt, quia Rectores mundi.

402 TAnta eſt deprauatæ dæmonum voluntatis malitia, vt eis non ſit ſatis in omnes inſurgere, ſed etiam ſtudeant ponere inſidias, & peragere maleficia in omni loco; & ideò omnes mundi partes occupant, nec eſt aliquis in eo angulus, qui non inficiatur diabolica poteſtate.

Quod facili negotio aſſequuntur; cum teſte Paulo: Rectores ſint mundi, non ſimpliciter; ſed tenebrarum harum: *Eſt nobis colluctatio* inquit, *aduerſus mundi rectores tenebrarum harum. Ne fortè* ait Auguſt. *in pſal* 54. *cum dixiſſet mundi: intelligeres, dæmones eſſe rectores cæli, & terræ: mundi dixit, tenebrarum harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum, & iniquorum: mundi dixit, de quo in Euangelio dicit: & mundus eum non cognouit.*

Poteſtas dæmonũ in mũdo Alia Ficta, Alia Vera.

Quibus verbis fictam remouent, & veram aſtruit poteſtatem in hoc mundo. Ficta eſt illa, quæ à Carpocratianis, & Manichæis fingebatur, aſſerentibus; Dæmones verè principes, & dominos mundi, vt factores, nempè, omnium ſenſibilium, quæ ab eis, non à Deo creata eſſe volebant, vt referunt S. Irenæus *lib.* 3. *c.* 24. & S. Aug. *lib. de Hæreſibus c.* 46. Vera eſt illa, quæ ſecundùm Auguſt. extenditur ad amatores mundi, ad impios, & iniquos, & ad eos, qui Deum non cognouerunt. Quos omnes Euangeliſta tenebrarum nomine comprehendit. Primi ſunt Chriſtiani peccatores, qui mundi, & eorum, quæ in mundo ſunt, nempè, vtriuſquè concupiſcentiæ, carnis, & oculorum, atquè ſuperbiæ vitæ amatores tyrannidi ſathanicę ſunt ſubiecti; etſi aliàs Chriſti gratia filialem ſint aſſecuti libertatem: vt ſępiùs ſcripturę teſtantur. Secundi ſunt Gentiles: Qui, vt interpretatur S. Cyrillus Alex. *lib.* 10. *in Ioan. c.* 40. & S. Greg. Nazian. *in orat. de calamitate animæ ſuæ*, propter idololatriam impij, propter nefanda ſcelera iniqui, dęmones tanquam Deos, & mundi ſummos opifices coluerunt, iuxta illud Dauidicum *pſal.* 95. *omnes Dij gentium dæmonia*. Tertij Iudæi, qui dicuntur mundus eum non cognoſcens, Chriſtum, nempè, vt verba ſequentia indicant: *In propria venit, & ſui eum non receperunt*. Per ſuos enim, Iudæos intelligi, aſſerunt Auguſt. *tract.* 2. *in. Ioan.* Cyrillus *lib.* 1. *in eundem cap.* 11. & Gregor. *lib.* 14. *Moral. c.* 19. Quibus omnibus dęmones generaliter dominantur, non ſolùm ob propria cuiquè populo ſcelera; ſed etiam ob commune originis peccatũ, quod à parente primo transfuſum in poſteros omnes inficit, eoſq. diabolicę ſubijcit poteſtati. Cũ ergo generalem in omnes dominationem ſint aſſecuti, & omnibus noceant, omnia mundi loca occupare, & in omnibus ſiuè Publicis, ſiuè Priuatis maleficia exercere conantur: vt ſequentes ſectiones demonſtrabũt.

In Chriſtianos,

In Gentiles.

In Iudęos.

Ratio poteſtatis. Ideò malefaciũt in omni loco Publico, ac Priuato.

SECTIO I.

Publico.

CErtum eſt dæmones è cælo pulſos, & in infernum præcipites datos horrendis ijs carceribus detineri, vt docet Petrus 2. *cap.* 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit; ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, Æquum enim eſt, vt qui ambitioſo ſupercilio in cæli ſupremum verticem oculos attollere, & ad ſedes Dei cõſcendere attentarunt, iuſto Dei iudicio in profundiorem mundi ſentinam deturbentur, vbi in nouiſſimo die omnes igneis conſtricti vinculis ſuarum pænarum complementum habebunt, vt tradit D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 6. *a.* 2. *q.* 2. Non tamen in mundi centro ità addicti ſunt, quin vniuerſas eius partes peragrare poſſint in hoc aere caliginoſo; quibus ſicut & infernus omnibus eſt communis: vt ſentiunt Alex. Alenſ. *p.* 3. *q.* 100. *m.* 5. *ar.* 4. S. Bonau. *loco cit.* B. Gregor. *lib.* 8. & 13. *Moralium* explicans locum illum 2. *Petr.* 2. *Deus Angelis peccantibus &c.* cum hac tamen differentia, quòd aliqui eorum ordinariè manent in inferno ad torquendum eos, qui flammis gehennalibus ſunt deputati. Alij remanent in hoc aere caliginoſo propter noſtrum exercitium, & vtilitatẽ. Hinc nullus eſt locus, qui eorum malitia non ſit infeſtus: non Ignis, non Aer, non Aqua, non Terra: vt ſequentes articuli ex Trithemij doctrina *lib.* 9. *q. ad Maximilianum Cæſarem q.* 5. declarabunt. 403

Dæmonũ locus proprius eſt infernus

Vagãtur tamen in omni loco huius aeris caliginoſi vbiq. nocere tentant. Igne, Aere, Aqua Terra

ARTICVLVS I.

Igne.

PRimi ſunt ignei, qui circa Superiorem aeris regionem ſunt vagantes, qui ideò ignei vocantur à Marco apud Pſellum: vel ætherei ab eodem, non quòd in æthere, vel cęlo verſentur, vbi ſol, & ſtellę lucent. Certum eſt enim nullum illic circumuagari, vt aſſerit Auguſt. *lib. de Agone chriſtiano cap.* 3. ſed quia in ſuperiore aeris regione, quæ calida eſt, ſunt peruagantes. Et hi nullum cum hominibus, & maleficis habent in terra commercium, ait Trithemius, quia demorãtes in regione illa propter ſubtilitatem ſuam non poſſunt corpus aereum induere; quæ ratio non ſatisfacit; cum enim omnes ſpiritus corporis ſint expertes, quarè iſti æque ac alij corpus alienum ſibi formare, & aſſumere non poterunt? Ideò credendum eſt, iſtos (ſi qui ſint) ſua cum maleficis habere conſortia. 404

Demones ignei & quare

Non cõuntuntur maleficijs.

§. I.

SEcundi ſunt aerei, quòd in aere nobis propinquo commorentur. Hos Plato *in Phædro* agnoſcit, & facit auctores magices; ſed clariùs, & certiùs Paulus deſcribit, cum *ad Eph.* 2. dæmonem vocat principem poteſtatis aeris huius, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Princeps eſt poteſtatis aereis huius, quia media illa regio magis caliginoſa eſt pro domicilio aſſignata eſt. Nam, vt notat D. Bon. *loc. cit.* 41. propter caliginẽ eius culpæ cõuenit: propter mobilitatẽ, & ſubtilitatem eius celeritati. Scimus, ait Greg. 2. *Mor.* *quòd immundi ſpiritus, qui cælo æthereo lapſi ſunt, in hoc cælo, terraquè medio vagantur*. Quare in aere, permittente Deo, ſuam exercent 405

Dęmones aerei

Aer eorũ locus proprius dupliciter.

Operatio propria eorũ cum maleficis, qui ſunt filÿ diffidentiæ tripliciter. virtutem, tonitrua, fulgura, & tempeſtates excitando in perniciem hominum. Operantur verò in filios diffidentiæ, magos vtique & maleficos, qui verè filij diffidentiæ appellantur: quia fidem abnegarunt: quia Deo diffidunt, & fidunt dęmoni: quia ipſis fidendum non eſt, quicquid alliciendo promittant, & hoc concurrendo ad maleficia. *Mouentur namque dęmones illi aerei*, ait Trithemius *more hominum affectionibus paſſionum, ſuperbia maximè, & inuidia, tanguntur que paſſionibus continuis, habent & violentum omninò, furioſumque morem turbationibus plenũ. Vndè vehementer perturbati repentinas vt plurimùm machinantur inſidias. Non vno conſiſtunt loco. Cum in aſſumptis corporibus apparent, partim latere volũt: partim inferunt violentiam: Nec vnam omnes formam habent; ſed plurimas, eaſque ſæpiùs mutant ſecundùm varietatem affectionum, quibus occurrunt, vel impulſi perturbatione ad nocendum: vel maleficarum carminibus euocati. Maleficæ autem horum dęmonum operatione ſuffultę tantò ſunt ad malefaciendum potentiores, quantò ſuperiorem ex eorum ordine fuerint aſſecutæ.*

ARTICVLVS III.

Aqua.

406 *Aquatici dęmones.* Tertij ſunt aquatici, qui ira pleni, turbati, inquieti, & fraudolenti in mari tempeſtates concitantes, nauigia in profundum demergentes, & in aquis homines ſuffocantes, mare, flumina, lacus, & omnia loca humida, & paludoſa inhabitant, vt Chriſtus inſinuat *Lucæ* 11.

§. I.

Apparentes In forma Hominũ, vel mulierum. CVm autem ſe viſendos præbent; aliquando virile ſchema aſſumunt, & hos Neptunos, Nereos, Proteos, Phorcos, Glaucos, Palæmones, Achelouos, Eridanos, Alpheos, Tritoneſque appellauit antiqua Gentilitas. Aliquando in ſexu apparẽt fęmineo, quos Naiades, Nereides, Nymphaſque aquarum vocare conſueuit. Vndè viſi ſunt ſæpiùs in ſpecie mulierum circa fontes chorizantes, & capillos more fæminarum explicantes.

Illudunt hominib. variè. Et hi varias ludificationes exercẽt, multa in aquis operantur, quiqus homines decipiuntur. Sic aliàs in lacum Paliſcorum (qui hodie Nephta dicitur) demergebant eos, qui falſo iuramento aliquid confirmabant, vti referunt Ariſt. Diod. & Macrobius. In Aleſino agro Caroniæ dicto fõtes natura trãquilli aquas ad harmoniæ modos, quaſi exultabundas inſonantibus tibijs eleuabant. In territorio Cracouienſi in infeſto lacu incolas ab omni piſcatione prohibebant, terribili ſtrepitu, & ſonitu edito, ſpectriſq. plurimis apparentibus, vt narrat Cromerus *lib. 9. de rebus Pol.* Vindæ in Liuonia referente Michaele ab Iſſelt circa annum 1585. *Comm. rer. in orb. geſt.* lacus, qui ab iſtis infeſtabatur, vltra modum vicinos affligebat, niſi ſingulis annis ſanguis infantũ in eum mitteretur. Apud Aquilonares populos ſpectra plurima circa amnes, & lacus circumſpiciuntur, quæ incautos ad aquas prouocant, vt eos ſuffocare poſſint: vt fatuos quaſdam ignes in iiſdem locis ad interitum prętereuntes inuitare ſuo periculo multi experiuntur.

§. II.

Loquuntur cum eis. ILludentes verò aliquando commercium cum hominibus ineunt, & cum eis colloquuntur. Fuere etenim dęmones aquatici, qui paſtoribus Peloponeſijs prope paludem nunciarunt, Syracuſas à Sarracenis occupatas fuiſſe, & ſolo æquatas eodem die, quo captæ fuere: quòd diuulgata ab alio in alium fama, cum ad Adriani Patricij Nauarchi aures perueniſſet, accitis paſtoribus, diligenterq. interrogatis, comperit, quæ audierat, illorum verbis confirmata; cumque vellet ipſe ſuis auribus ea percipere, dęmones percunctatus, audiuit, iam captas eſſe Syracuſas: vt narrat Fazellus *decad. 2. rerum ſicular. lib. 6.*

Neque colloquuntur ſolùm; ſed etiam ad peccata præcipuè carnalia incitant; Ideò namq. loca humida affectare videntur, quòd ſigna ſint eorum, quibus delectantur, & afficiuntur luxuria, nempè, & nefarijs carnis operibus. Sicut enim rebus, ita rerum ſignis delectantur, & in lubricis locis habitantes ad lubrica ſcelera, molliorem q. vitam ſequendam mortales excitant; atque ſpurcitias carnales ſub forma ſuccubarum cum eis ſæpiùs opere complent. *Ad carnalia eos ſollicitant.*

ARTICVLVS IV.

Terra.

QVarti ſunt terreſtres, qui varias terræ partes incolunt: Alij verſantur in ſyluis, & nemoribus: Alij patulis degunt in campis: Alij in deſertis, & ſolitudinibus commorantur: Alij in ſpelũcis, & cauernis montium: Alij in viarum compitis: Alij in domibus: Alij in concauitatibus, & ſpecubus ſubterraneis moram faciunt, qui omnes non vno ducuntur affectu, ſed vario; quoniam alij ſunt alijs minus deprauati, quanquam omnes ſint malis perturturbationibus pleni. 407 *Dęmones terreſtres plures.*

§. I.

SYlueſtres in nemoribus, & locis amenis degentes ſeſe in veſte candida in forma puellarũ, aut matronarum oſtentant; & nunc venatoribus ponunt inſidias: vel nunc inter armenta verſantur, gregeſque ouium cuſtodiunt cum opilionibus, & armentarijs, qui vt ſimpliciores, hebetiores, & ocio abundantes in earum cognitionem veniunt, faciliuſq. ſe decipi ab eis patiuntur. Talis Diana cum ſodalibus, & ſyluarum Nymphis, quæ Oriades, Dryades, Hamadryades, & Napeæ dicebantur. Sic ab huiuſmodi dęmonibus deceptus fuit opilio ille, de quo habetur in Chron. Fr. Min. *p. 2. lib. 4. c. 18. 19. ac 20.* qui poſt varia mira ope dęmonis patrata, tandem vt fur laqueo eſt ſuſpenſus, de quo ſup. *diſp. 1. n. 134.* *Syluestres.*

§. II.

CAmpenſes varia ſe forma exhibent, inter quos Hecate triuiorũ, & quadriuiorum præſes triplici facie, dextra equi, ſiniſtra canis, media fęminæ ab antiquis colebatur, quaſi ſpectrorũ immittens terriculamenta. Terrã motu inſolito quatiunt, rhedarũque fulgore, & canibus vlulantibus, & latrantibus terrorẽ excitant. Sunt & alij plures, qui vel aberrare faciunt à via de nocte itinerantes: vel homines luctari compellunt, vt ille Temeſius Politæ à Brutiis occiſi animã ſe fingens *apud Pauſ. in Eliac. & Strab. lib. 6.* Vel ſcelerum ſunt vltores, Alaſtores dicti, vel illuſionibus viatores territant: vel futurorum prædictionibus audientes in admirationem ſui rapiũt; aut diuerſa inferunt nocumenta. Tales ſunt qui Lamiæ, Sphinges, Harpyæ, Aquili, Sumanes, Typhi, Triptes, & communiter Feæ, Furiæ, aut ſimilibus appellationibus denominantur. *Campeſtres.*

Soli-

§. III.

Solitarij

Solitarij, & eremicolæ deſertas, & incultas ſolitudines infeſtant. Hinc eſt, quòd Hieronymus eremum dixit monſtruoſorum animalium feracem. Quod inſinuare videtur Iſa. *c.34.* cum deſertas Idumæorum ciuitates, docet, futura domicilia Lamiarũ, Onocentaurorum, piloſorum, & dæmoniorum. Hos Veteres Satyros, Syluanos, Faunos, Aſinipedes, Onoſcedes, ſiuè Onoſcelides, Ægypaces, ſeù Capripedes appellarunt. Quorum princeps Faunus, aut Pan terribiles, ac inopinatos ſonos edebat; cęteri tripudijs, ſaltationibus, & choreis erant intenti. Sic ſæpiùs viſi in Atlante mõte, vt ſcribit Plinius *lib.5.c.1.* auditi, vt refert Mela *c.34.v.14.* hodieque videri, & audiri confirmat Schaliger *lib.3. Georg.* Aliquando habitu horrendo cernuntur: ita Gordianus ſpectatę fidei homo, cum Arretium petens, familiari comitatu ambo ab itinere longiùs aberraſſent, tandemquè labore feſſi ad occaſum ſolis inter nemora, & deuia loca vocem hominis procul audiuiſſent, illam ſecuti trium hominum conſpiciunt imagines vltra humanum modum demiſſis tunicis in veſte lugubri, funeſtaque barba, capite ſummiſſo, & horribili facie, vt refert Alexander ab Alex. *lib.2. Gen. dier.*

§. IV.

Montenſes.

Montenſes in ſpeluncis, & cauernis ſedes habent, hyatus terræ efficiunt, ventos flammiuolos ſuſcitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt: & noctibus aliquando de montibus turbatim egreſſi mirandas, ſtupendaſq. in campis ducunt choreas: vel in militum conſertorum ſpecie ſe oſtendunt: Cohortes, acies, caſtra militaria ſtruunt: procedunt ad prælium: haſtiludia exercent: & quaſi vnius ducis metuentes imperium ad ſignum ſubitò euaneſcunt, & ad ſua diuerticula reuertuntur. Sic viſi à Polonis arcem Pomeranorum obſidentibus, vt narrat Cromerus *lib.5. Hiſt. Polon.* A pluribus propè Vvormatiam anno 1068. in Bohemia, cum hæreſes graſſarentur: vt narrat Nider *lib. vlt. Formicarij, & alibi ſæpius.* Interdum inter eos fiſtularum, & variorum inſtrumentorum auditur ſonus apud Plinium *lib.5.c.1.* & Solinum Polihiſt. *c.37.* Sed nonnunquam defunctorũ animas mentiuntur; & nihil magìs quærunt, quàm metum, & admirationem incutere. Vndè quandoq. ſimpliciores quoſdam in ſua ducunt mõtium latibula, & ſtupenda miràtibus oſtendunt, quaſi ſint ibi Beatorum ſedes. Ex quibus ludibrijs natæ ſunt fabulę de monte Veneris, ſpelunca Sybillę, Mõte Albarum fęminarum, Specu Nurſini, quò plures introducti palatia, areas, hortos, montes, prata, vineas, diuitias immenſas, & alia ſe vidiſſe poſt reditum proclamabant.

Compitales.

Compitales vias, & quædam loca obſident, & viatoribus inſidias ſtruunt, non vt vexent; ſed vt irrideant: vt poſtea declarabimus, cum de diurnis dæmonibus ſermo erit.

§. V.

408 Domeſtici.

Domeſtici, ſeù familiares ſunt, qui in occultis ædibus habitant, lares ab antiquis vocitati, à recentioribus italico idiomate *Foletti* nuncupati; quia inſanias ſæpiùs, & veſanias varias exercere conſueuerunt. Hi crebiùs in forma apparent virunculorum, & fęmellarum breuitudine, & ſpecie pygmei, vel pumilionis: vel etiam ſerui ſtaturæ mediocris, & domeſtica ferè cũcta miniſteria obire, equos curare, domum verrere, ligna ferre, aquam comportare, & ſimilia in vſum rei familiaris, & domeſticæ præſtare ſolent. Hi erga iuuenes, & adoleſcentulas fingunt ſe affici amore, vt trahant ad peccata; ideòq. etiam quandoque fiunt incubi, & ſuccubi; ſeruiunt illis, acſi eſſent famuli; citiſſimè aſſociant illos, & 409
obſecundant in omnibus eorum inclinationem naturalem: aliquando reuelant ſecreta; colludunt cum illis: permittunt ſe aliquandò videri, aliquandò nõ, ſed tantùm audire; vocant, & vocantur: non impediunt ſpiritualia exercitia apparenter; ſed ipſi non ſe intromittunt; aſſociant vſque ad Eccleſiam: ſed vt plurimùm non ingrediuntur: Obediunt præceptis dilectorum; ſed etiam volunt obediri: & quando volunt percutiunt: frangunt vaſa, & alias cauſant moleſtias: Indignantur aliquando propter zelotipiam; vel quia non fit voluntas eorum, & tunc multa afferunt damna, vt ſuo malò annis præteritis hoc noſtro æuo experti ſunt quidam in territorio, ſeù Prouincia Carnorum, vt mihi enarrauit quidam Sacerdos morum grauitate, doctrina, ac dignitate Eccleſiaſtica præfulgens, qui fuit teſtis oculatus: Cum quidam dęmon certam puellam proſequeretur amore, vellentque parentes eam impedire, ne 410
cum dęmone ſub forma adoleſcentis apparente colloqueretur, ipſe propter zelotipiam indignatus non ſolùm parentibus; ſed etiam vicinis multa attulit damna.

Hi autem ex ſeipſis non recedunt niſi cum creſcit barba, & adoleſcentulæ nubunt, vel ſeneſcunt. Sic in Prouincia noſtra Bergomenſi ſimilis dęmon quendam ex noſtris proſecutus eſt Clericum varijs moleſtijs illum nocte afficiendo, multa vana, & inutilia exercendo, donec Sacerdotali ordine fuit inſignitus. Hæc & alia id generis ſolent exercere munia, de quibus latiùs infra, cum de diurnis, & nocturnis dęmonibus diſputabitur.

§. VI.

Subterranei.

Denique ſubterranei habitatores concauitatum, & metallicarum fodinarum affectione ſunt peſſimi. Vix enim aliquam inuenias ſpecum, quæ ſpectrorum nomine non ſit infamis. Illa, quæ Corona roſacea appellatur, quantumuis argento diues, derelicta eſt, quia Annebergius dæmon operarios flatu interficiebat. Alia Georgiana dicta, in qua Snebergius dęmon alter nigro veſtitus cucullo ſimiliter derelicta eſt, vt narrat Georgius Agricola *cap. de Animant. ſubterran.* In Salinis Bottinenſibus, & profundiſſimis ſpecubus audiuntur nonnunquam canum, gallorum, & aliorum animalium aſſimilatæ voces, quas eſſe mali, & incommodi alicuius imminentis portẽtum vulgo habetur, ait Cromerus *lib.1. Politię ſuæ.* Eodem affectu incubant theſauris, quos auaritia mortalium abſcondit in terra: & ne rurſus in vſum perueniant hominum, eos ſubducunt, furantur, cuſtodiunt; & quandoque de loco ad locũ aſportant, apparentes ſub forma nigri, & horridi canis: aut mulieris corpore ſemianguineo: vt Sartori illi in cryptam Auguſtæ Rauracorum ingreſſo, de quo Stumphius *in Chron. Heluet.* Quamuis inter iſtos aliqui ſint minus furioſi, & perturbati, qui demorari cũ hominibus delectantur, eorumq. ſunt imitatores: 411
Nam quaſi lætitia geſtientes rident, & multa facere videntur, nihil interim efficientes. Nani apparent veſtiti more metallicorum, & illis innoxij ſunt, vt poſtea dicemus. Ex quibus conſtat, nullum eſſe in tota mundi machina locum, qui à dæmonibus maleficiorum conſarcinatoribus non infeſtetur.

SECTIO II.

Priuato.

Cum dæmones loca priuata occupant Infeſtāt Sacra, & Profana

409 QVandoquidem praua dęmonum voluntas ſic ab hominibus auerſa eſt, vt non ſolùm oderint humanum genus; ſed etiam ſingulos homines auerſentur, non eis ſufficit publica mundi loca ignea, aerea, aquea, & terreſtria occupare; ſed inſuper ad ſuam malitiam exſatiandam volunt priuata propemodum omnia infeſtare, ſiuè ſacra, ſiuè profana: vt ſic non amplius eminus vniuerſis; ſed cominus ſingulis nocere valeant: quod ſequentes articuli demonſtrabunt.

ARTICVLVS I.

Sacro.

410 SAcra vocantur loca quæcumque Deo, Religioſiſque viuentibus, & mortuis dicata ſunt. Deo conſecrantur Eccleſiæ. Religioſis viuentibus monaſteria, & eremitoria; Mortuis cæmeteria, in quibus omnibus dæmones introducti hominibus malefacere ſatagunt,

§. I.

Eccleſias. Probatur exēplis antiquis.

MVlta ſunt in Eccleſijs, vt Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Sanctorum imagines, & reliquiæ, vaſa ſacra, & res ſacratæ, quarum vſus in ſacramentorum adminiſtratione habetur, quę nequam hi ſpiritus oderunt cane peius, & angue. Et tamen tanta eſt illorum malitia, vt illa penetrare non vereantur. Antequam Baſilica S. Petri colonienſis conſecraretur, auditi ſunt hortendis vocibus clamare, quòd ſedibus ſuis pellerentur, vt Sigibertus refert anno 871. Sic Eccleſia Alexandrina, quæ olim famoſiſſimum Idoli fanum fuerat, quamuis Chriſto conſecrata à Theophilo Alexandrino, infeſtationes tamen dæmonum ſuſtinuit, donec in eam illatę ſunt reliquiæ Sanctorum Marci, Cyri, & Ioannis: vt docent eorum acta in poſteriori Concilio Nyceno cognita, & à S.Io: Damaſceno comprobata. Ita in templa ſingulis diebus ingrediuntur: aliquoties, vt inuiſibiliter fideles ab oratione, & pietatis exercitijs auertant, & ad oſcitantiam, garrulitatem, immodeſtiam, obſcenos cogitatus, aſpectus impudicos, aliaquè ſcelera prouocent. Aliquoties, vt viſibiliter noceant. Sic Gennadio Conſtantinopolitano oranti ad altare ſpectrum dæmoniacum apparuit, quod ille crucis ſigno fugauit; cumquè recederet, humana voce locutum eſt; *Abeo, & te viuente requieſcam reuerſurus poſt obitum tuum, & modis omnibus euerſurus Eccleſiam*.

§. II.

Similes.

411 SImiles infeſtationes aliàs Taruiſij ſuſtinuit Eccleſia Fratrum noſtrorum Sanctiſſimo Ieſu Nomini dicata, vt à pluribus vitæ probatæ Religioſis audiui, inter quas vnicam referam, de qua anno Domini 1648. Frater Angelus à Padua ordinis noſtri, & inſtituti Prouinciæ Reformatę S. Antonij Religioſus ætatis ſuę annorum 74. ſenili prudentia ornatus merito ſanctę obedientię ab Admodum Reuer. P. Athanaſio à Schledo dictæ Prouinciæ Miniſtro benemerito ſuffultus, medio iuramento mihi ſequentia narrauit.

Anno circiter 1607. *ait, dum in Conuentu prædictæ urbis morarer, Sacriſtę muneri addictus circa mediam noctem in Eccleſia exiſtens orationis gratia genuflexus ſuper ſepulchri lapidem, quod eſt in medio Eccleſiæ ante maioris altaris cancellos quendam ictum triplicem ſub lapide ſepulchri audiui uehementem ad inſtar ſoni campanæ reſonantem. At ego in Domino confiſus, nequè formidine ulla deiectus ter calepodio eundem percuſſi lapidem, nec ab oratione receſſi: ſed eccè poſt puſillum temporis ſpatium ſecundò eundem triplicem ictum, ſed uehementiorem, cui adhuc ter calepodio eundem repercuſſi lapidem: ſed ecce tertiò nouum triplicem ictum, ſed uehementiſſimum, ex quo ſtatim cæpi totus pauere, ac contremiſcere, ſudoremquè emittere, procumbens ſuper terram ardentiori affectu Deum ſuppliciter exorabam, ac uultus meus hærebat terrę. At tunc audiui quendam mihi in aure dicentem: Frater Angele noli hìc manere; ſed lumen accende, & perge ad cellam tuam; quod cum renuerem, iterum eadem ucrba repetijt. Ex quo immediatè lumine accenſo ad cellam meā perrexi.*

Sic Baſſani oppidi diæceſis Vicentinę in Eccleſia Fratrorum noſtrorum cuidam Religioſo eiuſdem Prouinciæ Reformatæ, vitæ probitate, humilitate, charitate, cæteris virtutibus moralibus fulgenti, dum in Eccleſia orationi ſemper intentus ſedulus, deuotuſquè permaneret, aſtutus pręſtigiator, vt eum à Dei colloquio, quo iugiter fruebatur, remoueret, apparuit aliquando ſub ſpecie vrſi nigri quaſi eum deuoraturi; aliàs ſub forma tauri canes affixos ad aures habentis; ſed illum non tangentis, qui bonus Religioſus, inuocato Sanctiſſimo Nomine Ieſu (vt ipſemet mihi enarrauit) & in virtute ipſius ei pręcipiens, vt diſcederet, ſtatim euaneſcebat.

Idem ſanctis omnibus accidit, qui ſupplicantes, prædicantes, & ſacrificantes in templis varias ſuſtinuere à dæmonibus perſecutiones.

§. III.

Monaſteria.

QVanta verò patiantur Religioſi, qui ſpreto mūdo, & ſæcularibus pompis ſe Deo totos mācipārunt; & vt liberiùs eius vacent ſeruitio ab importuno humani conſortij tumultu ſecedētes vel in monaſteria ſe abdiderūt, vel receſſerunt in ſolitudines, ex quibus duo Cataphractorum Dei militum conflantur exercitus, Cænobitarum vtiquè, & Eremitarum, norunt vtriquè vario experimento, quanta vtraquè illa loca à dæmonibus infeſtentur. Cęnobitæ, vt refert Caſſianus *collat. 7. cap. 23.* ita frequenter, & atrociter ab illis ſuo tempore vexabantur, vt non auderent pariter omnes noctibus obdormire; ſed viciſſim alijs deguſtantibus ſomnum, alios vigilias celebrantes pſalmis, orationibus, lectionibus inhęſiſſe. Maximas quoquè ab ijs ſuſtinuiſſe moleſtias Monachos S. Gregorij in Monaſterio ab ipſo ædificato narrat Ioannes Diaconus *in vita eius cap. 89.* Et hoc præcipuè experti ſunt omnes Eccleſiæ Religioſi in initijs ſancti cuiuſquè inſtituti. Nullum enim eſt, quod non fuerit variè ab infenſo illo hoſte cribratum, qui monaſteria ſtrepitibus apparitionibus, & ſpectris infeſtare conabatur; 412

batur, vt patet ex omnium Religioſorum ordinum hiſtorijs,

§. IV.

NEc tantùm in initio, verùm etiam ſæpiùs in progreſſu hoc noſtro æuo in ijs pręcipuè monaſterijs, in quibus antiquus hoſtis magis vigere conſpicit primi inſtituti regularem obſeruantiam, ſimilibus infeſtationibus, ac moleſtijs Religioſos afficere conſueuit. Quorum nonnulli hic ſilentio non ſunt prætereundi noſtræ Religionis, & inſtituti, qui in Conuentu S. Bonauenturæ de Baſſano diuerſimodè à dæmonibus fuere diuexati. Inprimis referam, quæ anno Domini 1648. Frater Gregorius à Coniliano Clericus profeſſus in Conuentu Sanctiſſimi Nominis Ieſu Taruiſij ſic ab Adm. Reuer. præfato Miniſtro Prouinciali iuſſus, ac merito S. Obedientiæ munitus de ſeipſo mihi enarrauit.

Ego Frat. Gregorius anno Domini 1645. die 10. Aprilis cum nouitius eſſem in Conuentu S. Bonauenturæ de Baſſano diebus circiter duodecim antę completum nouitiatus annum, dum poſt matutinum ad loca irem communia, vidi duos aſcendentes ſcalam, qua à choro pergitur ad Nouitiatum, quorum alter Tertiarius Conuentus prædicti: alter verò meus Genitor mihi videbatur. Qui Tertiarij ſpecimen præſeferebat, ad me acceſſit, verbiſquè blandis cæpit me rogare, vt ad xiſtum, ſeù porticum ibi proximum permearem, vbi erat pater meus me alloqui maximoperè deſiderans. Et licèt inprimis renuerem, tandem eius annui petitioni: ſic vnà cum eo candelam accenſam manibus geſtante ad patrem meum prætenſum tranſmeaui: quò vt perueni mus Tertiarius ſimulatus me ſolum cum patre meo prætenſo dereliquit, dicens: excuſatum me habeatis: quia cum ante matutinum ſomnum capere non potuerim, neceſſe habeo membris defeſſis aliquam tradere quietem. Sic depoſito candelabro receſſit. Et ecce qui formam Patris mei præſeferebat, mecum cæpit ſic alloqui hiſce verbis: Perueniſtinè iam ad anni probationis finem? Vtiquè reſpondi, perueni diuino opitulante Numine. At ille ſubdolus tanquam nimis meæ zelator conſcientiæ ſubiunxit: Confeſſuſnè es generaliter omnia tua peccata? Si enim rectè, attentè, ac diligenter tuam examinaſti conſcientiam, obnoxium te inueneris reſtitutioni pecuniarum, quas in domo mea multas conſumpſiſti. Sed ego ab eo quærens, quomodo, & circa quod huiuſmodi pecunias conſumpſiſſem, ipſe omnia mihi diſtinctè, & apertè explanauit. Cui reſpondi; Confido in Deo meo, cum omnia mea delicta fuerim confeſſus, iam mihi illa pro ſua pietate, ac benignitate cuncta dimiſiſſe. At ille obſtinatus addidit. Non ſufficit tibi confeſſio: ſed neceſſaria eſt ſatisfactio: nec potes alio modo mihi ſatisfacere, niſi habitu religionis dimittas denuò in domum meam reuertendo, & mihi tot annis inſeruiendo, donec omnia mihi debita perſoluas: Idcircò nolo vllo pacto profeſſionem emittas. Quem, ſic pertinacem, & obſtinatum videns, indignatione repletus dixi ei: Velis, nolis, Deo fauente, profeſſionem emittam: & ſi tibi vis ſatisfieri, ab eo, qui poteſt, ſatisfactionem quære: quia cum ad hoc ſim impotens, de hoc ampliùs nec cogito, nec curo. Sed ille ira, ac furore percitus addidit: Procertò ſcias, cum ab hoc Conuentu egredieris, vt ad alium pergas, te inopinatum comprehendam in via, & ſcio, quid faciam. Quibus auditis maxima animi moleſtia, ac perturbatione refertus ab eo diſceſſi, meãque cellam petij. Mane autem facto omnia, quæ mihi euenerant Reuerendo P. Guardiano, qui & Magiſtri Nouitiorum munere fungebatur, diſtinctè enarraui; qui aduerſus Tertiarium indignatus, illum ad ſe acceſſit, acriterquè reprehendit, minitans, è Religione illum expulſurum, tum quia hominem ſæcularem in Conuentum abſquè licentia eius intromiſiſſet: tum quòd nocturno tempore me Nouitium allocuturum perduxiſſet: qui cum horum omnium ignarus eſſet, genuflexus lachrymabatur, Deum conteſtans, ſe nec vidiſſe talem hominem, nec me Nouitium allocutum eſſe; cuius verbis P. Guardianus non acquieſcens, Ianitorem Conuentus ad ſe vocauit, quærens ab eo, vbi eſſet ille homo, & cur abſquè licentia in Conuentum admiſiſſet. Qui reſpondit: Hominem illum nec in Conuentum recepi, nec illum vidi: inmò per quendam Nuncium, qui dudum hinc diſceſſit, ſignificauit mihi, quòd hùc hoc ſero facilè perueniet. Quod audiens P. Guardianus apertè agnouit, dæmonem verſipellem; imò non vnum, ſed plures ſub illis formis apparuiſſe, vt Nouitium è Religione extraherent, & à bono incæpto reuocarent: Magis magiſquè quod eodem tempore Coniliani euenit, id approbauit. Nam eadem nocte in ſomnis quidam homo apparuit Patri meo dicens, nè Baſſanum peteret: quia filius eius Nouitius egreſſus erat à Religione, & à Conuentu aufugerat: fratreſquè ignorabant, quò ſe diuertiſſet. Ac ſequenti mane mulier quædam in Eccleſia Sancti Rochi, dum Mater mea ſacro intereſſet, ei dixit: Mihi valde diſplicet, quòd filius tuus Nouitius à Conuentu Baſſani, vbi morabatur, aufugerit, nec ſciunt Fratres, quò abierit. Quæ omnia Patri meo annuncians, viſis in ſomnis conformia eſſe agnouit. Sic illicò domo egreſſus Baſſanum petijt, vbi hoſtis inſenſiſſimi aſtus, technæ, & inſidiæ, quibus me excipere tentabat, apertè, ac manifeſtè agnitæ fuere: Deuſquè, qui nouit nequiſſimi ignea tela extinguere, fuit à nobis glorificatus, & benedictus in ſæcula. Hæc illæ.

§. V.

NOnnulla alia ſpectra in eodem nouitiatus dormitorio ſæpiùs audiebantur, à quibus Noui- 413 tij magnis afficiebantur moleſtijs. Qua de cauſa anno 1648. ab Adm. Reu. P. Athanaſio præfato Miniſtro Prouinciali iuſſus illùc appuli, & poſt plenam de huiuſmodi actis habitam notitiam, pridiè Calendas Maij cõgregatis omnibus Nouitijs coram Superiore, ac eorum Magiſtro, eos ſigillatim de his, quæ à dęmonibus patiebantur, examinaui. Quorum alter dixit, ſingulis noctibus ſe in cella ſua quendam audire rumorem, deindè dęmonem coopertoria à lecto auferentem, corporis membra diſcooperientem, ac tandem illum aggredientem, & quaſi comprimentem, qui ei videbatur, vt vertex, aut hircus. Idem ſingulis noctibus eueniebat duobus alijs Nouitijs, vt ipſi aſſeruere. Sed vni apparebat etiam ſub forma hominis atri, & proceræ ſtaturæ. Quare

re ſequenti die conuocatis omnibus coram Superiore, qui tunc erat Magiſter Nouitiorum, & prius more meo in Dei fiducia inſtructis, in Choro deuotè maioribus litanijs cum alijs orationibus recitatis, proceſsionaliter incedentes, nonnullis factis dæmoni præceptis, diuino opitulante Numine nullam amplius in illo Nouitiatus dormitorio à dæmonibus paſsi ſunt moleſtiam: vt poſtea à diuerſis illius Monaſterij Religioſis certior factus fui.

Eremitoria. Eremitæ dæmoniacis inſultibus magis expoſiti horribiles paſsi ſunt tentationes apparente diabolo ſub varijs formis Leonum, Pardorum, Luporum, vultu, voce, boatu, cornibus, calcibus minitantium; vt videtur in vita S. Antonij, Hilarionis, & omnium ferè Anachoretarum; ſed clariùs in Chriſto, qui vt deſertum ſubijt, à dæmone tentatus eſt, donec omni conſummata tentatione confuſus receſsit.

§. VI.

414 *Cęmeteria.* NEquè viuos tantùm perſequitur; etiam in mortuos aciem dirigit, & cum animæ è carnis ergaſtulo liberæ vel in cęlum, vel in infernum receptæ ſunt, corpora in cæmeterijs humata adoritur, vt illis abuti poſsit. Hinc ritus cæmeteria conſecrandi, vt per orationem, & verbum Dei omnis facultas in mortuorum corpora ijs ſpiritibus auferatur.

Nam quamuis fruſtra ſæuire tentent in ea corpora, quorum animæ de illis ſæpiùs triumpharunt: quique ſancti ſpiritus viua templa fuerunt; imò eorum cineribus torqueantur; tamen aliquid poſſunt in ea, quorum animas tormentis vexant æternis, vt confirmatur exemplo Valentini viri lubrici, & cunctis leuitatibus occupati. Nam referente D. Greg. *lib. 4. Dialog. cap. 53.* poſt eius ſepulturam nocte media factæ ſunt voces in Eccleſia S. Syri Martyris, vbi ſepultus fuerat, quaſi violenter expelleretur: Accurrentes cuſtodes vident duos terrerrimos ſpiritus, qui eum ligatum pedibus foras trahebant. Quam viſionem confirmauit euentus, cum mane facto ſepulcrum aperientes corpus eius non inuenerunt. Quod antiquos non latuit. Illi enim Eurynomum credebant à Pauſania phocaicis deſcriptum longis, ac prominulis dentibus, corpore liuido, ac cadaueroſo, vulpina pelle veſtitum, qui mortuorum cadaueribus veſcebatur, eaquè ad oſſa vſquè deuorabat. Et huc referendi ſpiritus vocati Erinnyes, ſiuè Eumenides ſimiliter mortuos fatigantes, vt verum ſit, nullum eſſe locum tàm ſanctum, qui à malitioſo cacodæmone non inficiatur.

ARTICVLVS II.

Profano.

415 *In profanis locis Nocent, Terrent, Illudũt. Vt ſunt Pręliorũ campi.* MAiora attentat in profanis locis, in quibus liberiorem exercet poteſtatem nocendo, terrendo, & illudendo, alijſquè vexando modis, de quibus poſtea. Et quamuis nulla propemodum ſint, quæ ab eis non inficiantur; quędam tamen ſunt, quæ frequentiùs eorum moleſtias ſuſtinent, vt:

§. I.

LOca memorabili, & crudeli cæde clara. Hoc nomine Maranthonius campus, vbi aliquot millia ex belli exercitu ceciderunt ſpectris horrendus. Hoc Vuormarticntus, cuius ſpectra deſcribit longiori oratione Trithemius. Hoc Baſilienſis iuxta mænia vrbis, vbi, Ludouicus Franciæ Delphinus contra Suetios pugnauit.

Pagi à ſceleratis habitati. Pagi à ſceleratis habitati. Sic fundus barbilianus propter incolarum ſcelera à dæmone in forma ferocientis tauri infeſtabatur: & nunc oues inſectabatur; nunc gregum, & armentorum cuſtodibus moleſtias afferebat: modò habitatores vexabat, ita vt multi ſolum vertere coacti fuerint, vt refert Ioanes Diaconus *in vita D. Gregorij lib. 4. c. 93.* Ita pagus, Camon vulgo dictus, quaſi caput montium non procul ab Oppido Ringa dirè vexatus à ſpiritu, qui primò à nemine viſus cæpit iactare lapides, & pulſare fores: mox ſub humana ſpecie reſponſa reddere, furta prodere, plures infamare, & excitare diſcordias, paulatim horrea, domoſquè incendio conſumere, donec à ſacerdotibus profligatus receſsit, vt narrat Sigibertus *ad annum* 858.

Caſtra, vbi homines occiſi. Caſtra, & arces, vbi homines occiſi. Kerope caſtrum vnum ex ijs, quos Moſchus Polono ceſsit, in quo multi Germani à Moſchouitis occiſi fuerunt, ità à cacodæmonibus cum ſua vicinia infeſtabatur, vt palam, & in conſpectu omnium Luna ſplendente in equis ſedentes, effuſis habenis, circum mænia magno impetu currentes, & interdum more Moſchorum veſtiti integros currus onuſtos fermento omnibus inſpicientibus in vicinum lacum conijcerent. Hæc Iſſelt *anno* 86. *Hiſt.* Similiter ſterlingi arx in Scotia mons doloroſus dicebatur, quia ſpiritus gementes, & clamantes nocte audiebantur teſte Boetho *lib. 4. Hiſt. Scotorum.*

§. II.

Loca publica. LOca publico vſui deputata; vt balnea, in quibus referente S. Greg. Niſſeno *in vita S. Gregorij Neocæſarienſis*, ſpectra tanta afferebant mala, vt nemo illorum, qui nocte intraſſet, viuus egrederetur. Quare poſt occaſum ſolis nemini patebat aditus: nec vllus vnquam dæmonis homicidæ vim euaſit præter dicti Gregorij Næocæſar. Diaconum, qui ſigno crucis munitus nihil paſſus eſt. Ita officina purpuraria à dominis deſerta ob dæmonis infeſtationes à S. Parthemio purgata eſt, vt narrat Metaphraſtes *in vita eius.*

Ampla ædificia, & palatia. Vaſta, & ampla ædificia, palatiaquè magnatum, quorum quædam deſerta, quòd ſpectris eſſent horrida: quædam habitata cum continuo incolarum terrore, nunc clara luce, nunc intempeſta nocte moleſtias ſuſtinentium. Ità poſt mortem Cæſaris Caligolę nulla nox ſine terrore tráſigebatur in eius palatio, donec tandem incendio conſumptum eſt. Cuſtodeſquè hortorum lamiarum vmbris inquietabantur, vt narrat Suetonius, qui idem accidiſſe, refert, in palatijs Neronis poſt occiſam matrem: & Othonis poſt Galbam interremptum.

Domus particulares. Domus particularium: vt Heſterij cuiuſdam viri Tribunitij, in qua ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti cogebantur: non homines tantùm, ſed & animalia, vt refert Aug. *lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.* Simile patiebantur infeſtæ à ſpiritibus ædes Athenienſes, in quibus vmbra ingens, & macilenta catenarum ſtridore, quibus vincta videbatur, habitatores expulerat; apud Plinium *lib. 7. Epiſt. epiſtola ad Suram*, & Fulgoſum *lib. 1. cap. 6.* Nec caruerunt ſpectris ædes Dionis, vt in Diona refert Plutarcus. Alexandri ab Alex. vt ipsè narrat *lib. 5. Genial. dier. cap. 23.* Et aliorum plurium, quos longum, & ſupernacaneum eſſet, recenſere; cum hoc quotidiana experientia doceat.

De

§. III.

416 DE vno tamen referam, quo Parentij vrbis Venetorum in Iſtria quædam infeſtabatur domus quod teſtis oculatus Frater Angelus à Padua ſupra relatus *num.*411. à præfato Miniſtro Prouinciali iuſſus, ac merito Sanctæ obedientiæ cohoneſtatus mihi enarrauit.

Dum anno Domini 1627. *ait, Religionem noſtram gubernante Reuerendiſſimo Patre Bernardino à Senis Miniſtro Generali à Regno Candię Venetias verſus iter haberem, portum obtinuimus Parentij, vbi à Mercatore benefactore, & amico meo receptus in quodam palatio hoſpitatus fui, lecto, menſa, ac reliqua ſupellectili lautè ornato; poſt cænam ſero facto ibi ſolus permanſi. Verùm antequam lectulo procumberem, Deum ſuppliciter exoraui, vt ab aduerſis periculis me defenderet. Sed ecce timor vehemens me obruit; nihilominus ab animo omnem puſillanimitatem, ac deiectionem expellens, maioriquè affectu Deum deprecans, ac Diui Antonij de Padua, aliorumquè Sanctorum interceſſionem implorans ſuper lectum ſedi; poſitoquè ad collum funiculo, quo cingebar, & ad dexteram corona, ſeù roſario circunducto, ſomno totaliter à me recedente hora circiter tertia noctis quendam in imo ſcalæ rumorem, dehinc magno ſtrepitu aſcendere aliquem audiui; & quouis ſcalæ gradu, qui erant facilè viginti, gemitum magnum, ac lamentum emittentem. At vbi ad ſcalæ ſummitatem peruenit, videbatur mihi veluti homo caluus, alba veſte indutus Sacerdotali albæ non abſimile, ſaccum velut duos ſextarios alicuius rei continentem deferens ſuper humeros, quem lectulo appropinquantem attentè aſpiciebā, & timore perculſus ſudorem continuè emittebam: ſic ipſe me intuebatur, & gemebat, ſuſpiriaquè emittebat, tandem ſaccum in terram proijciens, qui argenteis nummiſmatibus videbatur plenus, acceſſit ad menſam, & ex his, quæ ſero nobis ante ſupererant, manducare ſe finxit, nuces, aliaquè ad ſuis inſtar frangere oſtendebat: interim crater argenteus, qui erat ſuper menſam, nullo eum tangente, ſeipſo eleuabatur in aere; & modò ſurſum modò deorſum ferebatur. Deindè continuo quadrantis horæ ſpatio me intuens attentè perſiſtebat: poſtea reſumpto ſacco ſcalam iterum deſcendit maximum, vt cauſare ſolet terræmotus, rumorem efficiens: & vt ad gradum ſcalæ vltimum deſcendit, ſaccum quaſi pecunijs plenum maximo in terram ſtrepitu proiecit. Poſt verò tres horas, quibus numquam ſomnum capere, ac laſſis membris quietem dare potui, iterum illum aſcendentem ſcalam audiui; ſed non tàm magno ſtrepitu, vt priùs, iterumquè ſaccum depoſuit vt antea, ſuſpiria, gemituſquè foris emittendo, denuo quadrantis horæ ſpatio me aſpexit; cui cum tremens nihil dicerem, ſaccum iterum aſſumpſit, ac ſcalam deſcendens, illum vt priùs; ſed cum minori ſtrepitu proiecit. Poſt hæc autem ſomnum cæpi, ac defeſſis membris quietem tradere ſtudui: propè enim erat aurora, cum eſſet menſis Maij. Orto verò iam ſole, omnibuſquè è lectulo ſurrectis, domus illius Domino in altera moranti domo, quæ mibi euenerant, cuncta per ordinem narraui, qui mihi dixit: nonnullis ante diebus in eadem domo quoſdam nobiles aduenas hoſpitatos eſſe, qui tam grandes audiere ſtrepitus, quòd perterrefacti per ciuitatem hùc illùc aufugerunt, quorum aliqui percuſſiones, verbera, & ictus recepere. Præterea mihi enarrauit, quòd iam à duobus annis ibi mortuus erat Presbyter dominæ auunculus maximoperè auarus, qui multas coaceruauerat pecunias, quas vbi repoſuiſſet, ignorabant. Quibus ego dixi, ſi ſubter ſcalam perquirerent, facilè adinueniſſent. Quicquid autem poſtea eueniſſet, ego ignoro, quia immediatè diſceſſi, nec ampliùs illùc ſum regreſſus?*

Quod ſpectrum, facilius eſt, credere, dæmonem fuiſſe propter rationes ſupra relatas *num.*362. *& ſequentibus*, quàm animam illius Presbyteri; ſi enim anima fuiſſet, ſe manducare non finxiſſet, nec illos aduenas verberibus excepiſſet, ſicut ibi per illud ſpectrum factum fuit.

Deniquè loca, vbi ſedes ſuas habent, qui in grauibus verſantur peccatis, præcipuè iis, quibus pietatis, iuſtitię, charitatis, & honeſtatis iura violantur; vbi innocentis ſanguinis effuſi verſantur rei, & crudeles homicidæ, in quibus dæmones vel propria ducti voluntate: vel vt Dei miniſtri, & carnifices ſcelera perpetrata vindicant, & caſtigant, lętitiæ ſigna exhibentes, & denigra mortalium conditione ob illa commiſſa triumphantes, quaſi hæc loca ſint ſui iuris, in quibus magnam accepere diaboli nocendi facultatem, quam etiam in variis mundi partibus tàm publicis, quàm priuatis tanquam eius rectores exercent, ſecundùm quod ſibi à Deo eſt permiſſum. 417 *Loca, vbi Deus grauiter offenſus.*

CAPVT III.

Omnibus modis volunt malefacere.

ARgutè admodum reſpondit aliàs dæmon vni ex Eremi incolis eum interroganti, quis eſſet? *Mille modis artifex vocor*, ait. Nam ſi omnes ſpiritus nequam vbiquè malefaciunt: Omnes; quia *principes, & poteſtates*: Vbiquè quia *rectores mundi tenebrarum harum*: Omnibus etiam modis conantur malefacere; quia ſunt *ſpiritualia nequitię*; *ſeù ſpirituales nequitiæ in cæleſtibus*: vt tertio loco addit Paulus Apoſtolus. *Nequitiæ ſunt*; quia malitia eorum nihil virtutis informis, aut formatæ, theologicę, aut politicæ ſecum patitur; cum ſint omninò corrupti ſecundùm rationem, & appetitum voluntatis in omnibus, in quibus ad bonum ordinari debent, quare nihil cogitant, aut volunt, quod malum non ſit, aut non tendat in malum. Sed *Spirituales ſunt nequitię*, non carne, & corpore conſtantes, aut ſenſibili modo intelligentes, aut groſſiori modo ſuos dolos concinnantes, vt homines; ſed ſubſtantiæ ab omni quantitate liberę, ſpiritu, & intelligentia pura donatæ: & ſubtiliſſima acutiſſimi ingenii acie præditæ; atque fallacias tam ſubtiliter conſtruentes, vt illas euadere, aut eludere mortalibus difficile ſit: imò ſine Dei gratia impoſſibile. Deniquè *in cæleſtibus* malefacientes: Vel quia in cælo, aere: puta caliginoſo verſantur, qui cęlo dicitur ſecundùm vſitatam ſcripturæ phraſim. 418 *Dæmones omnibus modis maleficia exercēt: quia ſpirituales nequitiæ in cæleſtibus.*

Ex qua regione ſupera, cæleſti, & aerea quot tentationibus mortales in terra conſtitutos adoriũtur,

tur, tot ſpicula venenata eiaculantur: Vel quia pro cæleſtibus pugnant ſuis maleficiis. Si enim acrior eſt pugna, cum pro rebus magni momenti inter decertantes initur; quàm furioſum putas eſſe certamen dæmonum contra homines, qui pro cæleſtibus bellum gerunt, non vt, ſi vicerint, aliquid rerum cæleſtium conſequantur, ſed vt nobis cæli aditum occludant, ex quo ipſi excluſi ſunt, & in infernum detrahant æternis ignibus vſtulandos? Quare modis omnibus conantur malefacere, vt tertio iſto capite videbimus, ſi conſideremus maleficiorum initium, progreſſum, & conſumationem, examinando tribus ſectionibus modos, quibus ea Inchoant, Continuant, & Perficiunt.

Illa Inchoando Continuando, Conſumando.

SECTIO I.

Inchoantes Maleficia.

419 *Dæmones inchoant maleficia Apertè, Occultè, Mixtim.*

QVemadmodum ſolent milites, vel aperto marte, vel occulta pugna, vel mixto certamine hoſtes aggredi: ut uirtute, aut dolo, aut utroquè poſſint reportare uictoriam: Ita dæmones cum malefacere cupiunt, ijs tribus modis homines aggredi conſueuerunt: & nunc apertè: nunc occultè: nunc mixtim ad illos accedere prout ſe ſperant conſequi poſſe quod optant. Apertè, cum ſub uiſibili forma ſeſe maleficis, aut maleficiandis uiſendos exhibent. Occultè, cum nullo ſenſibili dato ſigno aduentus ſui inuiſibilis operantur in corpore, & anima damna utriquè uariè illata. Mixtim, cum modo inuiſibili operantes auditu, uel tactu, aut aliquo perceptibili ſigno ſe produnt. Quæ tria tribus articulis explicabuntur.

ARTICVLVS I.

Apertè.

420 *Dum accedunt apertè, In forma Humana, Ferina, Mõſtruoſa.*

CVm mali Angeli bonorum ſint æmulatores, ſicut iſti in aſſumptis corporibus ſæpiùs hominibus adſunt; ità illi in externa ſe ſpecie exhibent, humana, ferina, monſtruoſa; non phantaſtico ſolùm modo, de quo non loquimur impræſentiarum; ſed corporali figura, quæ incorporeum ſpiritum ſuaptè natura inuiſibilem viſibiliter corporeis oculis quoquomodo repræſentat.

§. I.

In humana Vera

HVmano ſi accedit ſub ſchemate, corpus aut verum eſt, & verè ex carne, oſſibuſquè compactum: aut apparens, & coaptatum ex elementis. Aliquando enim cadauer aſſumunt humanum, & illud mouent motu non vitali, ſed locali tantùm atque ità temperant, vt ſenſum tactus omninò fallant. Hoc preſertim faciunt, cum nondum valdè diſſolutum eſt corpus hominis recenter mortui. Nam quamuis inde mortuis corporibus pro mollitie, & facilitate mouendorum membrorum rigor generalis ſuccedat: quia ſuaui, & vitali tepore hinc deficiente, augetur frigiditas, quæ illum inducit, & cauſat; tamen defectum caloris ſupplere poſſunt: & ſic illũ imitando ſimulare, vt vitales omnes actiones exteriùs referant. Ita teſte Cæſario Monacho Eiſterbacenſi *lib. 12. Miraculorum cap. 3.* Dæmon cuiuſdam Principis Germani mortui corpus anno integro priuſquam ſepeliretur, ità geſtauit, vt illud informare videretur. Quòd ſi recenter mortuis cadaueribus abuti non liceat, alia aſſumunt tabe defluentia, quæ ſic tempore certo regunt, vt actiones omnes ab hominibus fieri ſolitas imitentur, quàuis ſæpiùs tactu frigida, & horrida deprehendantur, quia calorem illum nolunt: aut Deo obſiſtente, non poſſunt ſimulare. Si narrat Alexander ab Alex. *lib. 2. cap. 9. Genial. dierum*, ſpectrum cubile ſubiens glacie frigidius deprehenſum eſt ab ijs, qui in eo iacebant. His cadaueribus induti dæmones ad vtriuſquè ſexus maleficos accedunt, & cum ijs commiſcentur, ſiuè ſuccubos, ſiuè incubos agant: vt teſtatur graueolens fætor cadauerum putridorum fætori ſimilis, qui in hoc hominum genere cernitur. Sic fætebat ille Magus, de quo infra *d. 3. n. 577.* Sic illa mulier de qua *diſp. 1. num. 160. & d. 4. n. 325. huius tomi.*

Aliquando ex elementis efformatum corpus aſſumunt. Non enim deeſt illis induſtria, qua poſſint partes aereas, aqueas, & terreſtres nubium, vaporum, & exhalationum inſimul commiſcere, & ita condenſare, vt carnis mollitiem, oſſis duritiem, & ſuauem calorem, quæ in corporis tactu percipiuntur, cæteraſquè qualitates referant: non veras, quæ à corpore viuo, & anima informante procedunt; ſed ſimulatas, & vitales proximè adumbrantes, quæ non requirunt animam informantem; ſed perfici queunt à ſubſtantia intellectuali in corpore eius opera oſſium, & carnium ſimilitudinem non modò viſibilem, ſed palpabilem, & ſolidam exhibente. Eodem modo ſæpiùs Magis, & maleficis ſeipſos manifeſtant. Facilè enim eſt, corpora fingere elementaria; ſed cum hac differentia: quòd primo modo apparẽtes in vero cadauere aliud corpus ſubire non poſſunt: cum repugnet corporis rationi; & nequeant dimenſiones quantitatiuæ ſine miraculo ſeſe inuicem penetrare. Secùs verò in corpore elementari, quod faciliter dilatatur, ſpiſſatur, & rareſit: quia ex materia aerea compingitur. *Apparenti.*

§. II.

Quauis forma.

QVouis autẽ corpore vero, vel apparenti ſeipſos manifeſtent, poſſunt illam formam induere, quam volunt, niſi à Maieſtate diuina prohibeantur. Cum volunt inſigniter fallere, Chriſti in cruce pendentis, vel purpura, & diademate ornati, aut ſplendentis Angeli ſpeciem aſſumunt, vt tradit Rodericus Sancius *par. 3. hiſt. Hiſpan. c. 2.* Vt plurimùm ſe viſendos præbent, vt viri breuiori, aut proceri ſtatura. Nam aliquãdo gigantes fingunt: aliquãdo nanos: nunc agazonem agentem aſinum: nunc clericum hæreticum: aliàs meſſorem; pharmacopolam, nautam ſimulant; ſæpiùs in ſpecie nigerrimi æthiopis oculis ſcintillantibus, barba prolixa, & picem ſcintillante, vultu tetro, & horrido, naribus fumum ſulphureum fundentibus: aut alia ſimili forma inſtituto maximè accommodata ſe offerunt. Vel occurrunt ſub forma muliebri, vt comptæ, & illecebroſæ, atque calamiſtratæ puellæ, vultu procaci, geſtibuſquè impudicis, & varijs artibus ad inhoneſta ſcelera pellicientis. Vel induunt formam pueri quinquagenarii, ſed nigri, & deformis. His modis ſeſe Magis, maleficis, & maleficorum conſultoribus repræſentant, & cum eis loquuntur, paciſcuntur, commerciaquè exercent, vt teſtantur Surius *tom. 3. Iun. 7.* M. Marulus *lib. 5. c. 7.* Sabellicus *lib. 10. Exempl. c. 3.* & Sozomenus.

In quibus (quæ Dei bonitas eſt) quamuis pulcherrimam hominis ſimilitudinem conentur effor- *Sed difformi.*

mare,

mare; tamen iis inuitis aliquid ſemper deprehenditur inſolitæ notæ, & deformis prauitatis, quod dæmonem arguit. Nam ſeſe oſtendunt in corpore, uel nigro ſqualido fætente; uel formidabili, naribus deformiter ſimis, aut aquilis; oculis flammantibus, & ualdè abditis, uno, uel utroquè pede corneo, & bifido, ſtatura nimis procera; aut breui, uoce ſtridula, ſubſibilante, uel confuſa, debili, & obſcura, ut ſemper aliquid adſit, quo detegatur impietas; ne quam mortales ignorantiæ iuſtam excuſationem prætexant, ſi fucata forma ſe decipi patiantur.

§. III.

421 HVmana non contenti figura, ferinam induere ſæpiſſimè ipſis in more poſitum eſt. In quo ab Angelis differunt, qui unam, & eandem humanam dico, & quidem uirilem formam regulariter aſſumunt. Nam aliquando uera corpora belluarum agitant, in quibus extraordinaria operantur, ut docet Hieronymus *in vita S. Hilarionis*. *Cum enim ad eum* inquit *animalia quotidie pertraherentur, in ijs Bactrus camelus enormis magnitudinis, qui iam multos obtriuerat, à triginta, & eò ampliùs viris ſolidiſſimis funibus ligatus cum clamore adductus eſt, ſanguinei erant oculi, ſpumabat os, volubilis lingua turgebat, & ſuper omnem terrorem rugitus perſonabat immanis. Iuſſit igitur eum dimitti ſenex; ſtatim verò & qui duxerant, & qui cum ſene erant vſquè ad vnum diffugere: porrò ille ſolus perrexit obuiam, & ſermone Syro: Non me, inquit, terres diabole tanta mole corporis; & in vulpecula, & in camelo vnus, atquè idem es. Et interim porrecta ſtabat manu, ad quem dum furens, & quaſi cum deuoratura bellua perueniſſet, ſtatim corruit; ſubmiſſumquè caput terræ coequauit, mirantibus cunctis, qui aderant, poſt tantam ferociam, tantam ſubitò manſuetudinem. Docebat autem ſenex, hominum cauſa diabolum etiam iumenta corripere: & tanto eum ardere odio, vt non ſolùm ipſos; ſed etiam ea, quæ ipſorum eſſent cuperet interire.* Hactenus Hieron.

1. Apparent in forma ferina. Vera.

§. IV.

422 ALiquando verò fictitia formant corpora: & ſic apparent, vt gallus gallinaceus magnus, & ferox, vultur, aut coruus nigerrimus; vt merula, aut alia auis importuna. Aliàs fiunt vulpecula, lupus, leo, taurus, aut ferociens animal. Sæpè draco, ſerpens, muſculus, muſtella, veſpertilio, ſcorpio, aut muſca videntur. Vt plurimùm etiam vt canis nigerrimo pilo, & horrendo latratu, vlulatuquè terrent.

Fictitia.

Sic anno Domini 1665. menſe Martij dum tempore quadrageſimali concionabar in quodam oppido Brixienſi coram me ducta fuit Adoleſcentula paupercula annorum duodecim, quæ præſente eius matre mihi enarrauit, quòd iam à bimeſtri, dum in quodam nemore lignis colligendis incumbebat, obuiam ſibi venit quidam canis niger ſtaturæ eminentis, qui eleuatis pedibus anterioribus eam amplexus eſt, quo facto nimis perterrita quaſi ſemimortua in terram cecidit, ac poſtea niſi difficulter potuit domum ſuam petere, ex quo tempore ſemper malè ſe habuit, ſæpiùſquè ſenſuum operatione deſtituta in terram cadebat. His à me auditis, facta imprimis probatione, an eſſet à dæmone obſeſſa, ac manifeſtè cognita eius obſeſſione, priùs in fide, ac confidentia in Deum inſtructa, ac benè diſpoſita, tandem, in Nomine Ieſu dæmoni præcepi, vt ab ea recederet, qui ſtatim ſub eadem forma canis, qua ingreſſus erat, aufugit, vt ipſa ſtatim cum gaudio manifeſtauit dicens: *En fugit, en fugit ille canis, qui me oppreſſerat, ſed foris ſtat extra oſtium me aſpiciens.* Ego autem illius manum dexteram tenens in fide, ac confidentia in Deum roboraui, ac præcepi, vt ipſamet dæmoni ſuam exprobraret imbecillitatem, ac opprobrijs illum impeteret, ac præciperet, vt longiùs abiret, nec amplius ad illam accedere auderet, qui ſine vlla mora in fugam verſus eſt: ipſa verò gaudio plena ad domum ſuam vnà cum matre ſua eſt reuerſa.

Ordinariè autem vt hircus fędus aſpectu, & fætore intolerabilis, ſed more hominum rectà incedens. Sic enim in ſagarum conuentibus ſe videndum, & adorandum præbere omnes omnium nationum magi, maleficiquè vno ore fatentur. Et meritò nulla aptior forma reperiri poteſt, quæ dæmonis genium clariùs indicet. Eſt enim animal vultu truculentum, barba difforme, cornibus terribile, fætore graue, ſalacitate ſpurciſſimum: quibus proprietatibus tùm dæmonum, tùm maleficorum mores deſignari quis non videt? Quam formam tamen deponunt, & aliam ſumunt viri, vel mulieris prout maleficis inſeruiendo expedire putant.

Hic tamen à nonnullis obſeruatum eſt, vt tradit Petrus Thyræus *lib. 1. de apparit. ſpirituum c. 9.* numquam dæmones formis columbæ, agni, aut ouium vſos fuiſſe; non quia non poſſint illas, ſicut alias inducere; ſed quia vel non permittuntur, vel nolunt: Siquidem aut Deus prohibet, illas figuras aſſumere, in quibus ipſe hominibus apparere dignatus eſt: aut ipſi tali eum odio proſequūtur, vt ne communem quidem cum eo ſimilitudinem habere velint: aut quia illas figuras deteſtantur, quæ ſunt animalium innoxiorum carentium dolo, & nullum damnum inferentium; vt ſunt columbæ, & oues; eaſquè amant, in quibus vitia repræſentantur, quæ ipſi diligunt, & ad quæ homines ſolicitare conſueuerunt.

Nunquã in forma Aut Columbę. Aut Agni. Aut Ouis.

§. V.

PRogrediuntur vlterius, & ſemotis humanis, belluiniſquè ſpeciebus, alias ignotas, & monſtruoſas effingunt: Chimærarum, Centaurorum, Gorgonum, Harpyarum, Eumenidum, & mille aliorum portentorum. Facilè enim eſt ipſis talia corpora ex aere conglutinare, qui etſi nec colorem, nec figuram habeat, dum in ſua raritate manet; condenſatus tamen, & figurari, & colorari poteſt: præcipuè ſi terrei, & aquei vapores accedant, qui vt potè craſſiores ſolidiùs condenſantur. Vndè corpora ſic aſſumpta neque veram formam, aut organizationem completam habent, vt Phyſici loquuntur; ſed ſolam effigiem, quæ potiùs artificialis eſt, quàm naturalis. Neque propriè in ijs loquuntur; cum locutio vera ſit operatio corporis actu vitam habentis, & anima rationali informati; quale non eſt corpus illud aſſumptum; ſed tantùm impropriè, inquantum ſonum humanis vocibus ſimilem in aere producunt: non ſecùs, ac ſi quis ſummo artificio in tuba ſonum vocis humanæ inſtar redderet. In quo ſenſu loqui dicuntur etiam in rebus ſenſu, & voce carentibus, puta arboribus, aut tripode, vt ſupradictum eſt *diſp. 1. n. 31. & 32.* Neque exercent operationes potentiæ vegetantis, aut generantis; ſed tantùm actiones animæ, inquantum motrix eſt corporis. 423

3. Apparent in forma monſtruoſa.

S Sic

Sic vt monſtrum apparuit cuidam Homini Bergomati anno Domini 1657. qui cum totam noctem Natiuitatis Domini in ludo alearum conſumpſiſſet, ac totius ſuæ pecuniæ iacturam feciſſet, cum eſſet miſer, ac pauper domum reuerſus deſperatione ductus Dęmonem vocauit, vt veniret, & ſecum illum aſportaret: & ecce Dęmon venit ſub forma monſtri nigerrimi, illumque aggreſſus, ſecum per per aerem deferebat, ac ſuffocare tentabat, ſed vxor eius accepta aqua benedicta, ad Deumque clamans impediuit eum; veruntamen à Dęmone continuè in gutture, ac cæteris corporis membris valdè torquebatur; tandem ſęplùs rogatus ſequenti die ego ad eum acceſſi, & ex lecto ſurgere præcepi, & ſine mora ad Conuentum noſtrum progredi, vbi in quodam Oratorio genufiexus poſt varios contritionis actus elicitos, ac Dęmoni renunciationem factam, tandem dęmon viſibiliter ſub forma monſtri in fugam verſus eſt.

Anno verò 1666. die 15. Maij cum ducta fuerit coram me quædam Adoleſcentula Dięceſis Bergomenſis, quæ varia tormenta ferebat in capite, ſtomaco, ac reliquo corpore, ac ſępiùs exanimis in terram cadebat, poſt aliquas breues inſtructiones ei factas coram matre ſua, recitata priùs oratione ad Dominum Ieſum Chriſtum directa, deinde actu deteſtationis contra dęmonem elicito, facto à me præcepto Dęmonis expulſiuo, in vltimo inſtanti illius præcepti apparuit ei Ieſus Chriſtus Crucifixus, qui Dęmonem eiecit, à qua viſus fuit veluti monſtrum nigrum cornutum velociter ab ea fugiens: vt ipſa ſtatim hilari vultu mihi teſtata eſt.

Hiſce apertè modis in triplici illa forma dęmones apparere magis, & maleficis, cum quibus colloquuntur, ſermone vt plurimùm inter regionis illius incolas vſitato; ità tamen, vt ſi velint, ab illis, non autem à circumſtantibus videantur, aut audiantur, quod naturaliter facere poſſunt; teſtantur Olaus Magnus *lib.3.* Petrus Cluniacenſis *lib. de miraculis*, Hugo Floriacenſis *in Chron.* Cyrillus *in vita S. Daniel*, Ioannes Niderius *lib. vlt. Formicarij*, Metaphr. apud Surium *menſe Maij*, Petrus Damianus *in vita S. Romualdi*, Gaguinus *lib. 10. Hiſt. Franc.* & Torquemada *dial.3.* Quare ſępiùs accidit, vt ab illis viſi, & auditi, ab alijs pænitùs non perſpiciantur, quamuis nec ſemper ita latere velint; ſed ſæpiùs præſentibus, & audientibus cęteris ſeſe exhibeant, & colloquantur.

ARTICVLVS II.

Occultè.

424 *Dum accedunt occultè, diuiſis officijs nocent.* FAcilis eſt huiuſmodi acceſſus dęmonibus. Cum enim ſint natura incorporei, inuiſibiliter operari poſſunt, cum animæ corpori, & bonis exteris nocere volunt; atquè in ijs occultè perficere maleficia, quæ non omnia ab omnibus concinnantur; ſed ſingula ab ijs, qui vnicuiquè ſpecialiter deputati ſunt. Nam innumera dęmonum turba, quæ ferè vniuerſas mundi partes peruagatur, vt homines vexet, non confuſo impetu, turmatimque illos adoritur; ſed diſtinctis conatibus, & ordinatim impugnat; atque in plures ordines, quaſi in diuerſas acies exercitum conflat potentia, ordine, & numero formidandum.

§. I.

Alij animæ. ALij animam vitijs oppugnant, ij, nempè, qui eis præſunt: Cum cuilibet vitio, vt docet Magiſter ſentent. *in 2. diſt. 6.* ſummus ex dęmonibus præſideat. Lucifer, qui inter ſpiritus infernales primarium locum tenet, ſuperbiæ quaſi omnium peccatorum capiti præeſſe dicitur: Mammon auaritiæ: Aſmodeus luxuriæ: Sathan iræ: Beelzebub gulæ: Leuiathan inuidiæ; Beelfegor accidiæ, & ſic de cęteris.

Fauet ſcriptura, quæ apud Prophetam Oſeam incentores libidinum, atque luxuriæ quoſdam ſpiritus commemorat, cum *cap.4.* dicit: *Spiritus fornicationis decepit eos.* Et idem ab Abbate Sereno apud Caſſianum *in Collat. collat.7.c.32.* aſſeritur. Non tamen putandum eſt, vt notat Gloſſa *in c.51. in Ioſue*: cuique vitio vnum ſolum præſidere, ità vt vnus, & idem fornicationis ſpiritus ſeducat eum, qui in Italia fornicatur, & eum, qui in Gallia, aut in alijs locis in idem peccatum prolabitur: Neque vnum eſſe duntaxat ſpiritum auaritiæ, qui in diuerſis locis diuerſos homines exagitet, atque ità de cęteris; ſed potiùs fornicationis eſſe ſupremum vnum ſpiritum, cui tanquam primario innumeri quaſi officiarij pareant: omnique ſtudio ad illud peccatum homines inducere nitantur. Similiter gulæ principem eſſe multoſque eius imperio ſubditos, qui diuerſos ad huiuſmodi peccatum ſolicitare non ceſſant; inter quos illi in præſidentia altiorem gradum obtinent, qui ſcientiæ acumine, & obſtinationis malitia alijs antecellunt, Ita teſtantur Alex. Alenſ. *3.p.q 37.m.3.* Ioſeph Angl. *in 2.d.6.& 7. diffic.4. concl.3.*

§. II.

HI autem cum accedunt, & recedunt, tam occultè ſua exercent maleficia, vt non ſentiantur. Non enim accedentes videmus, aut recedentes: operantes verò ſentimus, quandiù durat interna tentatio, qua ſolicitamur ad vitia. Nam quiſque eorum, vt eſt prauus, & ſubdolus ſpiritus ſecretò inſidiatur, & tentat modo cuilibet conuenienti. Non enim omnibus indifferenter adhibet æſtus libidinis, aut illecebras gulæ ingerit, aut apponit incitamenta luxuriæ, aut virus infundit inuidiæ. Neque omnes indiſtinctim mærore conturbat, fallit gaudio, metu opprimit, admiratione ſeducit; ſed omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & cauſas quærit nocendi, vbi quemque viderit occupari. Cautè perluſtrat complexiones, naturas, affectus, vt ſic occultiùs, & ſecretiùs operetur, & ſingulorum inclinationibus opportunas, affineſque tentationes accommodet: quod optimè docet Greg. *lib. 29. mor. in illud Iob. Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram. Priùs* ait, *complexionem vniuſcuiuſque antiquus aduerſarius proſpicit, tunc tentationis laqueos apponit. Alius namq lætis, alius triſtibus, alius timidis, alius elatis moribus exiſtit. Quò ergo aduerſarius occultus facilè capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat. Quia etenim lętitia voluptas iuxta eſt, latis moribus luxuriã proponit. Et quia triſtitia in iram facilè labitur, triſtibus poculum diſcordia porrigit: quia timidi ſupplicia formidant, pauentibus terrorem intentat; & quia elatos extolli laudibus conſpicit, eos ad quacumq. voluerit, blandis fauoribus trahit. Singulis igitur hominibus viiijs conuenientibus inſidiatur.* Hactenus Gregorius. Similibus ferè verbis id teſtantur S. Iſidorus 425 *Iuxta cuiuſque mores.*

de

de ſummo bono lib.1.c.3. S.Leo *ſerm. 7. de Natiuit. Domini.* S.Auguſt.*ſerm.4.de tempore,& lib.ſoliloq. c.17.* S.Chriſoſt.*hom.6. ſuper Matthæum c.3.* D.Baſilius *ho.21.in aliqua ſacra ſcriptura loca* S. Ephrem Syrus *hom.de ſuperbia*, ac S.Bernardinus *de Inſpirationum varietate ſerm.2.c.4.*

§. III.

426 *Alij corpori.* ALij varijs infirmitatibus corpora afficere ſtudent iuxta diſtributam vnicuiquè curam, morbum aliquem ſingularem inferendi. Vt enim aſſerit Petrus Thyręus *par.1.de dæmoniacis cap.14.* Verum quidem eſt, omnes & ſingulos afferre mala, quæ miſer homo patitur, tum vires eius mutando: tum alio, & alio tempore ad vexandum incumbendo; Veruntamen certa quædam ſingulis eſſe propoſita, & vni hæc, alteri alia mala procurandi prouinciam demandatam; imò loca certa ſingulis aſſignata, in quibus ſuam exerceant tyrannidem; & per conſequens vnum aliquem ſuperioris ordinis inuigilantem, vt alij ſuis officijs benè fungantur. Quare alius paralyſim,alius epyleſiam:alius apoplexiam inſerit: qui inducit cæcitatem: qui ſurditatem: qui membrorum ſtuporem, & conuulſionem, cæteroſquè morbos; licèt vnus, & idem ſpiritus omnes prædictos poſsit, imò ſæpiùs inducere conſueuerit. In quo ſiuè vnus ſit, ſiuè plures, ſe gerunt more peritiſsimi Medici, qui antequam remedia adhibeat, pulſum explorat infirmi, membra contrectat, lateribus manum admouet, linguam inſpicit, oculorum colorem attendit, omniaquè alia, aut ſanitatis, aut morbi indicia perſcrutatur. Nam eadem maleficijs inferendis obſeruant, quæ iſti in remedijs adhibendis, quod ità latenter præſtant, vt imperceptibiles ſint eorum acceſſus,more receſſus: putentque ægroti infirmitatem non à dæmone, ſed ab aliqua naturali cauſa, ſed incognita procedentem: ideòquè remedia nequaquam quærunt ſpiritualia.

Alij bonis exteriùs. Alij bonis exteriùs diſsipandis inuigilant iuxta officiorum diſtributionem. Sunt enim, qui tempeſtates, fulgura, tonitrua, aliaſquè aeris intemperies excitare: qui fruges, nuces, fructus, arboreſq. diſperdere: greges, & armenta perimere: inſania reſpergere; iacturamquè bonorum omnium procurare debent. Quod occultis, ſecretiſquè modis eos peragere experientia ipſa teſtatur. Quare verè diuinus dicitur à Paulo modus, quo luctandum eſt contra ſpirituales nequitias, dæmones, nempè,qui, cum ſint ſpiritus, ſpirituali modo, ſubtili, imperceptibili, & conſequenter occulto ſuas exercent nequitias, & ſolita operantur maleficia; ſed omnia prædicta vana, & irrita euadunt, ſi à Deo illa peragere non permittantur.

ARTICVLVS III.

Mixtim.

427 *Quare aliquo ſigno externo acceſſum teſtantur.* HOc tertio modo accedunt ad homines, cum partim apertè, partim occultè procedunt. Occultè, quia præſentes non ſunt in aliqua ſenſibili forma hominis, beſtiæ, aut monſtri. Apertè quia præſentiam ſuam ſenſibili ſigno atteſtantur; non quòd abigantur, aut aſtringantur ad eam externis ſignis ſignificandam; ſed forſitan, quia ſic diuinæ Prouidentiæ ratio poſtulat. Cum enim ad illos accedant, qui ob ſuam nimiam de diuina protectione diffidentiam ipſis quaſi oſtium pandunt, iuſto Dei iudicio permittitur dæmonio, ſenſibiliter in eos intrare, vt ipſi priùs carnifices ſuos conſpiciant, quàm eorum tyrannidem experiantur: Vel quia ſolitam voluntatis ſuæ propenſionem, ex qua illud procedere videtur, ſequi optant. Volunt namquè Dei, & Angelorum mores contraria æmulatione ſectari: vt quemadmodum illi aduentu ſuo operationes ſuas externis quibuſdam, magniſquè argumentis teſtantur, & indicant; ità nequam ſpiritus ſuam præſentiam velint innoteſcere ſenſibili aliquo modo; ne in hac re ipſi videantur inferiores; cum hac tamen differẽtia, quòd illi cupiunt omnes quieto eſſe animo, ad quos diuertunt; hi turbatum volunt, & territum: vndè terriculamenta, & perturbantia adhibent ſigna, antequam miſeros homines inuadant.

§. I.

POrrò, cum accedendo ſimiliter vtuntur ſenſibilibus, alia interioribus, alia exterioribus ſenſibus percipiuntur. 428 *Quæ ſint illa ſigna propoſita ſenſibus 1. Alia interioribus.* Prima ſunt apparitiones imaginariæ, quæ vigilantibus, & dormientibus contingunt. Solet enim dæmon ſpecies varias commouere in imaginatione eorum, quos maleficijs vexare deſiderat; ità vt ſe ab eo agitari moleſtia affici, aut etiam occidi, & iugulari putant; quod poſtea magno ſuo detrimento, & calamitate experiuntur.

Vigilantium. Hæ autem accidunt in vigilia, cum homines nihil minus cogitantes ſubitò terrore corripiuntur. Imaginatio etenim, cum ſit corporalis potentia, quæ alias phantaſia dicitur, inter cognoſcitiuas media, nempè, ſenſum, cui ſuperior eſt; & intellectum, cui inferior, diabolicę operationi obnoxia eſt; atquè in ea ſpecies intentionales, quas vocant, rerum exiſtentium, aut fictitiarum ſimulacra, ad libitum mouet, & accommodat, quibus ea, quæ ipſe exhibere deſiderat, repræſentantur.

Quare, cum aliquem maleficio afficere vult,imaginarias commouet formas, quibus tanquam horribilibus ſpectris terrorem immittere conſueuit: quod plures ſibi eueniſſe mihi conteſtati ſunt. Iſtæ verò in ſomno haud raro contingunt. *Dormientium.* Obſcura enim falſa, & horrenda immittit ſomnia. Nam cum in dormientibus ea potentia animæ, quæ eſt rationis particeps ſopita maneat; illa autem, in qua eſt fæditas quædam, atquè aggreſtis immanitas, cum ſit potu, atquè paſtu obſtupefacta, naturali propenſione immoderatè iactatur, dum omnia viſa objiciuntur à mente, & ratione vacua. Quòd ſi ijs naturalibus diſpoſitionibus virtus accedat diabolica, quid non patitur miſer homo phantaſticis, & imaginarijs viſionibus? quaſi tot furijs agitatur. Timor artus occupans, pallor diſperſus per totum corpus, clamores inſoliti, vlulatus lamentabiles, ſudor per omnes poros emiſſus, longa ſuſpiria ex imo pectore educta, horrendi fremitus, violenta membrorum agitatio, totumquè corpus efferum teſtantur. Qualia ſigna experiuntur ij, qui aliquo maleficio tangi incipiunt; dæmoneſquè ſuæ operationis primordia conteſtantur.

§. II.

429 SEcunda ſunt illa, quæ quinquè externis ſenſibus percipiuntur, quibus dæmon conuenienti vnicuiquè modo ſe præſentem exhibet, cum accedit ad aliquem.

2. Alia exterioribus. Viſus.

1. Viſus obſeruat ſæpiùs muſcas, aut araneas os ingredientes, aliaque ramenta, aut pilos minutiores, qui oculis obuerſantur, & in fauces ſe ingerunt, vt fecit illi, de quo infra tom.2.d.4.num.546. Vnde quidam profectam hinc volunt conſuetudinem, quæ apud Catholicos viget, quando oſcitant, os ſigno crucis munire, quaſi hac crucis ſignatione dæmonum in corpora ingreſſus prohibeatur.

Auditus

2. Auditus percipit leues ſtrepitus, magnos tumultus, ſimulatos inceſſus, cachinnos, & riſus, ſuſpiria, & gemitus, clamores, & voces, & alia, quæ ſub aurium ſenſum cadunt, atquè à ſpiritibus excitantur. Non quòd verè ſtrepant, tumultuentur, incedant, rideant, ſuſpirent, gemant, & vociferentur: quia vox animalium rationalium eſt, cum affectum, aut conceptum ſignificant: & clamor ſine voce nullo modo eſſe poſſit: Neque enim aliud eſt, quàm intenſa vox. Gemitus, & ſuſpiria ad eos pertinent in quibus affectus reperiuntur, & partes, quibus vox ad ſui formationem indiget. Riſus potentiam ſequitur; quam aſſerunt, affectum quendam eſſe rationalis animalis. Quis verò ſpiritus animalia dixerit? Cantus, & concentus à ſono, qui fiſtulis, organis, aliiſquè muſicis inſtrumentis excitatur, non differt, ideòquè præter ſonum omnia illa ſunt ſimulata. Ad ſonum verò edendum non indigent ore, lingua, palato, labijs, dentibus, quæ in voce articulata requiruntur, non pulmone, arteria, gutture, gurgulione, quę ad alias non ità articulatas voces neceſſaria ſunt; cum paucioribus indigeat nempè, duorum corporum colliſione, quam illos peragere poſſe nemo negabit. Et ſic aerem ita collidere, conſtringere, diſrumpere, allidere, & temperare, vt quos velint ſonos, edere valeant, quibus aduentum annunciant.

Harum operationum aliqua exempla referam eorum, qui varijs temporibus ad me confugerunt. Anno Domini 1658. menſe Octobris Bergomi ad me confugit quædam Vidua paupercula, quæ mihi enarrauit, ſe, cum ſola in ſuo cubiculo permaneret, audire voces Magorum, & maleficorum dicentium, ſe velle concumbere cum ea, quorum alij dicebant, non conſentiet, quia timet Deum, alij è contra dicebant, vtiquè conſentiet, & ſi non conſentiet, vim inferemus, & tandem ſibi videbatur ſuper lectum aliquem aſcendere, ſic maximo correpta timore iacebat, nec ſomnum capere poterat, quam admonui, huiuſmodi eſſe diaboli technas, vt eam tandem ad aliquod peccatum patrādum induceret; idcirco non timeret, ſed Deum laudaret, ac corde, & ore diceret, ſe Deum amare ſuper omnia toto corde, tota mente, ac totis viribus, eique pro beneficijs acceptis gratias ageret, idque ſæpè, ac ſæpiùs repeteret, donec huiuſmodi terriculamenta euaneſcerent. Hoc enim remedium eſt potiſſimum contra huiuſmodi technas diabolicas.

Alię plures perſonæ vtriuſque ſexus ſimiles voces, ac ſtrepitus audientes acceſſerunt, quæ medijs benedictionibus, ac monitis ſalutaribus ab eis liberæ extiterunt.

§. III.

3. ODoratus ſępiùs fętorę ſuſtinet intolerabilem qui in omnibus dęmoniacis operibus ferè interuenit, veſteſquè aſtantium, domos, aerem, & circumſtantia loca ſic replet, vt longo tempore duret. Quare dæmonum fęderati, vt ſunt Magi, & malefici, vt plurimum fætent; atquè è veſtibus, ore, & corpore graueolentia emittunt non ferenda; quia cum dęmone familiariter conuerſantur, qui fętoribus, & putoribus aerem inficere ſolet, quoties ſe præbet viſibilem, vt omnes hiſtoriæ conteſtantur. *Odoratus.*

4. Guſtus malę ſæpiùs afficitur, quando vnà cum cibo, aut potu in os hominis latentes dæmones ingrediuntur, & mox in corpora ingreſſi magna tyrannidis exempla dant, vt ſuo damno ſenſit Virgo illa, de qua Gregorius *lib. 1. Dialogorum c. 4.* narrat, eam cum lactuca dæmonem latitantem hauſiſſe, à quo ſtatim poſſeſſa eſt. Quarè ordinariè ſolent Magi, & malefici pomum, aut quid ſimile edendum præbere ijs, quos maleficio inficere conantur. *Guſtus.*

De hac re exemplum apertum mihi ante oculos ſe præbuit Bergomi anno 1659. dum quædam mulier ad me confugiens, vt à quadam liberaretur infirmitate, mihi enarrauit, iam ab aliquot menſibus ſibi à quadam Muliere fuiſſe datum pomum, quod vt vix manducauit, ſtatim in ſtomacho vehementes percepiſſe tortiones, quibus inceſſanter affligebatur: Quare poſt diligentes in fide, ac fiducia in Deum à me ei factas inſtructiones, tandem facto à me dæmoni præcepto, vt deſtrueret omne maleficium, quod patrauerat, illicò pomum illud euomit, quod licèt tanto tempore in bolos diuiſum in ſtomacho manſiſſet, nondum tamen corruptum, ſed integrum in ſua propria forma permanebat; ideoque mulier illa perfectam ſanitatem conſecuta læta receſſit.

5. Deniquè Tactus varia ſentit ſigna dæmoniacæ operationis, cum illi tenebriones modò hominum aures vellicant: aliquando è lecto detrahunt: alias crines abradunt: modò accubare cum eis tentant in eodem lecto: nunc propulſant, & proſtrant renitentes: nunc fuſtibus excipiunt: modò allidunt ad angulos: aliquando præcipites agunt: ſæpiùs vſtiones, & verbera infigunt, aliiſquè malis dormientes, & vigilantes moleſtant, antequam morbos inferant, aut ipſam mortem. *Tactus.*

Hic vnicum referam exemplum de quodam Sacerdote vtriuſque iuris Doctore cuiuſdam Comitis ex Valletellina filio, qui conſultò Bergomum adueniens ad me acceſſit anno 1654. vt auxilium aliquod contra dæmonum infeſtationes reciperet. Qui mihi enarrauit, quòd iam ab annis circiter duobus dęmones eum ſaxis ſingulis noctibus impetebat, rumores ita magnos excitabant, quòd nedum in ſuo palatio moram facere, ſed nec in tota Valle habitare poterat. Acceſſerunt duo boni Religioſi, qui ſe iactauerunt ſe nullum dæmonum timorem habere, ideoque ſecum nocte in eodem cubiculo permanſuros: annuit Doctor, quòd fuiſſet hoc ſibi gratiſſimum: ſteterunt vtrique in eodem cubiculo; ſed ecce ante mediam noctem rumores, terremotus magni; poſt rumores lapidum fumigantium iactus, & contra Doctorem, & contra illos Religioſos, qui tanto timore fuerunt correpti, quòd nec loqui valerent, nec ſe de lectulo dimouere auderent, quinimmo vnus illorum præ timore in febrim incidit, alter verò in alui profluuium prolapſus tanto rubore perfuſi fuere, quòd mane valdè diluculo inſaluta-

to Hoſpite egreſſi ſuo itinere proceſſerunt. His à me auditis illum docui remedia ſpiritualia, quibus facilè poſſet huiuſmodi dæmoniacas infeſtationes ſuperare, qui tandem lætus ad ſuam patriam remeauit.

Hæc autem præſtare poſſunt dæmones vel per aſſumpta corpora: vel vi, & poteſtate ipſis innata more hominum, qui aut fuſte, gladio, haſta, & huiuſmodi inſtrumentis vtuntur in vulneribus infligendis: aut opera concitati aeris, cuius vi deijciuntur ædes, concitantur maria, arbores radicitus euelluntur: aut robore naturali corporibus neruoſis indito. Si enim his tribus modis tanta homines moliuntur; quid dæmones, qui ità mixtim accedentes ad maleficiendum ex parte latitant, & ex parte ſe produnt, dum ſua maleficia partim occultè, partim apertè incipiunt in hominibus concinnare?

SECTIO II.

Continuantes maleficia.

430 *Mundus ciuitas.* SCitè quidam mundum hunc vrbi compararunt, cuius mænia cæli altitudine prominentia, latitudine ſolidiſſima, ſtabilitate perpetua. Regiones, regna, & imperia varia inter ſe diuerſitate diſtincta. Aquarum profluuia, flumina ſinuoſis anfractibus omnes eius partes inundantia. Ædificia, ciuitates, oppida, caſtra, quæ vario ſitu nunc in montium cacuminibus: nunc in amenis vallibus: nunc ad aquarum fluenta viſuntur. Plateæ, camporum vaſta amplitudo vineis, pratis, ſyluis, nemoribus, & ſegetibus variegatæ. Ciues, omnes omninò homines, qui terram incolunt, qualem ſe eſſe profitebatur ille Philoſophus, qui interrogatus: quiſnam eſſet? Reſpondit, ſe eſſe coſmopolitam. Magiſtratus, Reges ſupremi, qui in diuerſis regnis, Rempublicam adminiſtrant. Princeps, Summus Deus Optimus Maximus, qui illam potentia condidit, ſapientia regit, & bonitate conſeruat.

Vigiles Angeli demones arcent. Nec tam nobili ciuitati deſunt vigiles die, noctuquè excubias agentes, angeli, nempè boni, qui tanquam ſexaginta fortes ad bella doctiſſimi hoſtes arcent, tum illam tutantur, & ſolicitè prouident, ne quid detrimenti, ac ruinæ patiatur; & publicam curam gerunt, vt Reſpublica vniuerſa omni bonorum genere affluat. Ideòque vigiles à Sponſa Chriſti per antonomaſiam vocantur *Cantic. 3. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem.*

Sed & alij reperiuntur, qui & ipſi excubias agunt, noctes ducunt inſomnes, & dies integros impendunt, non vt cuſtodiant, defendant, & foueant; ſed vt diſperdant, diſſipent, & conterant ciuitatem, & eius habitatores. Nam ſicut illi, cum ſint excellenter beneuoli, bonis omnibus illos cumulare non ceſſant; ita iſti, cum ſint inſigniter maleuoli, imò ipſa malitia, eos maleficijs ſtudent die, noctuquè vexare; & ideò vrbem continuò circundant, & viſitant, vt monet Propheta *pſal. 54. Die, ac nocte circundabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniuſtitia.* Sed vt faciliùs noceant,

Demones alij Diurni alij Nocturni. ſolent tempus nocturnum, diurnumquè præcidere, & ſuam cuiquè partem tribuere, vt alij ſint diurni, qui tota die vniuerſas mundi plagas luſtrant; alij nocturni, qui, dum noctis tenebræ totam terræ faciem operiunt, vbiquè peruagantur; & ſic continuè maleficiunt: vt docet Dauid *pſal. 90.* cum dicit: Eos, qui in protectione Dei ſunt, non timere à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano. Quod clariùs conſtabit, ſi duobus articulis iſtos Vigiles Diurnos pariter, & Nocturnos, attentiùs conſideremus.

ARTICVLVS I.

Die.

SAgittam per diem volantem, incurſum, & dæmonium meridianum duo eſſe ſpirituum damnatorum genera vult Paraphraſtes Chaldeus in eum locum. Et quidem diurnorum dæmonum moleſtantium, & maleficia concinnantium alij ſunt mites, alij tetrici, & truculenti, & vtrorumquè meminit Caſſianus *coll. 7. c. 32.* 431 I *Diurni Alij Mites. Alij truculenti.*

§. I.

MItes ſunt in duplici differentia: Illudentes vni: Terrentes alteri. *Mites Alij Terrentes. Alij Illudentes*

Illudentes eſſe quoſdam ex illis docet Collector ille Serenus Abbas apud Caſſianum *loco cit.* dicens; *Nonnullos immundorum ſpirituum ità ſeductores, & ioculatores eſſe manifeſtum eſt: vt certa quædam loca, ſeu vias iugiter obſidentes nequaquam tormentis eorum, quos pretereuntes potuerint decipere, delectantur; ſed de riſu tantummodo, & illuſione contenti, fatigare eos potiùs ſtudeant, quàm nocere.*

Hos incurſum, & demonium meridianum poſſumus appellare, ideſt incurrentes dæmones; cum illud *incurſu, & demonio* ex vi idiotiſmi ſumatur pro incurſu dæmonij, vt Aquila, & Symmacus vertunt. Incurſus vocantur, quia peregrinantibus ſolent vltrò occurrere, præſertim cum à via deuij neſciunt, quò ſe vertant. Illis enim aliquando viam oſtendunt bonam, per quam ambulent. Aliquando ſimulantes ſe eſſe ductores in maiores errores inducunt, & in loca obſita dumis, aquis intercepta; montibus prærupta, vallibus diſſita conducunt: vbi larua depoſita, riſu, cachinniſquè errantem hominem prouocant ad impatientiam. Nam etſi non æquè delectentur mortalium tormentis, ac alij crudeliores: tamen ficti illi riſus teſtantur, eos ob illorum moleſtias aliquam ſumere delectationem. *Illudentes dicti Incurſus*

Cum certum ſit, omnes omninò dæmones propenſiſſimam habere voluntatem ad omnia mala hominibus inferenda, eò quòd illos ſummo, & hoſtili odio proſequuntur. Nec ob aliam cauſam eos non facere mala, quæ vellent, & poſſent, niſi quia non permittuntur à Domino. Si enim liceret, omnes ad vnum necarent; *cum conſtet* vt ait S. Bernardinus *ſer. 6. de Miſericordiæ perfectione ar. 2. c. 3. demonem velle, quod peius poteſt, cuius poteſtas ſi eſſet quoad omnia libera, & ſoluta, ineffabili modo ſine omni ordine, & menſura ſubuerteret totum ſtatum inferiorum.* Et ideò, cum aliud non conceditur, homines decipere ſatagunt, vt deceptos ſaltem irrideant. *Et demonium meridianũ.*

Meridiani verò dicuntur vel à loco: vel à tempore, quo apparere ſolent. Locus deſertum eſt, quod Hebræis ſitum eſt ad meridiem, vndè in ſcriptura ſacra meridies, & deſertum pro eodem vſurpantur. Amant enim Syluarum ſolitudinem, & deſertorum habitationem, vbi vagantur ad libitum: vt antemonuimus. Tempus eſt meridies, cum incaleſcente ſole viatores vmbras quærunt, vel ad hoſpitia feſtinant, vt matutinos itineris labores aliqua refectione ſolentur.

Vtriuſ-

§. II.

432 *Exemplo probantur.* VTriuſquè apparitionis exempla habemus in vita S. Pauli Anachoretarum principis, quem cum quæreret Antonius alter Eremi cultorum anteſignanus; & iam longiùs à monaſterio progreſſus vaſtam illam ſolitudinem, quæ aduſta ſolis ardoribus horridum Monachis præbebat habiculum, circumquaquè luſtraret, latibulaquè diligens explorator perſcrutaretur, vt illum inueniret: cuius videndi incredibili ardebat deſiderio, poſt labores itineris, & ſolis radios diù perpeſſos, cum nullus reperiretur, à quo poſſet percunctari, vbinam Paulus habitaret; neque vlla humani veſtigij ſigna videret, duo monſtra habuit obuia: Primum conſpexit, Hieronymo teſte *in vita eius*, hominem equo mixtum, cui Poetarum opinio Hippocentauri nomen dedit: Secundum homonculum aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat. Obſtupuit primo intuitu S. Senex, præſtigiaquè dæmoniaca ſuſpicatus, ſalutari ſe crucis ſigno munijt: & quinam eſſent, conteſtatos interrogauit. Illud nihil humanæ referens vocis, ſtridulo ſono emiſſo petulcum animal in deſertum aufugit: Iſtud humana voce ſe eremi accolam profeſſus eſt; & vnum ex his, quos cæca Gentilitas pro Dijs habuit, Faunoſquè, & Satyros nominauit; atquè via indigitata dilapſus citò, velocique gradu in denſiorem ſyluam prorumpens ampliùs non comparuit.

§. III.

433 *Alij terrentes.* TErrentes, quaſi volantes ſagittæ; ſed nullum ferientes nihil aliud noxium hominibus inferunt, quàm terrorem: quod dupliciter faciunt, prout ſæpiùs ſe prodere nolunt: aut ſeipſos manifeſtant.

1. Modo inuiſibili. Cum latent, terrorem excitant. Aliquando intrinſeca operatione, vt aſſerebant Antiqui à Fauno, & Pan factitari: Illi namquè terribiles, & inopinatos ſonos: Huic immiſſiones terriculamentorum tribuebant, putabantquè viſo Fauno, mente attonitos, audito Pan territos homines ſubſiſtere etiam nihil minus cogitantes. Vnde manauit prouerbium: In eos, qui ſubito timore abſquè vlla cauſa externa ſenſibili corripiuntur, dicimus namquè *pauore panico* eos vexari: vt ſæpiùs accidit in maximis hominum turbis, quos videas aliquando omnium terrore inopinanter diſſolui, *Pan ſuos edente ſonos*. Aliquando extrinſecè quædam peragendo, quibus videntur nocere velle, etſi de facto non noceant: vt ſpiritus ille, qui referente Guilhelmo Pariſienſe anno 1447. Pictaui in Parochia S. Pauli cyathos, & vitramenta frangebat iniectis lapidibus; neminem tamen lædere conſueuerat. Atquè ita terrent eos, quos ſic lapidibus, gladijs, & tegulis impetunt, vt ille Doctor, de quo ſupra num. 429. vel circa quos extraordinariè tumultuantur. Quis enim in ijs impauidus poterit permanere?

§. IV.

434 *2. Modo viſibili.* QVòd ſi viſibiliter cum hominibus conuerſari velint, aſſumunt viriunculi, aut femellæ ſpeciem, & ſic communiter nominantur, quia plerumquè apparent nani tres dodrantes longi. Putant quidem plures, homonciones illos medium eſſe genus animantium, ſub humana tamen forma inter bruta, & homines, qui occultis quibuſdam locis latitent, ſed tamen hominum aſpectibus quandoquè ſe offerant. At ſi tales ſunt in rerum natura, vbi quæſo degunt, & ſua habent domicilia? Nam quomodo inter homines verſari dicuntur; & tamen nullus vſpiam locus repertus, in quo degere ſoliti ſint. Præterea qua ratione genus ſuum conſeruant, aut propagant, ne intercidat? Non enim ſunt immortales. Si verò more animalium, hominumquè occidant, & alij ſuccedant in eorum locum, quomodo nullus vnquam mortuus, aut aliquis in eorum locum ſuffectus apparuit? Deindè qua ratione victitant, & vitam ſuſtentant? An more brutorum fæno paſcuntur; At hoc abſurdum. An cibo veſcuntur humano? At deeſt in deſertis talis cibus. Fortè aere viuunt? Sed quis hoc aſſerat? Deniquè an æternæ vitæ participes ſunt; an verò vnà cum corpore animus eorum extinguitur? Non primum; cum medijs à Chriſto Domino inſtitutis, & ad conſequendam ſalutem neceſſarijs non vtantur. Non ſecundum: cum humanam referant formam, & multa agant, quæ ſine ratione fieri non poſſunt. Quare aſſerendum eſt, homonciones illos veros eſſe dæmones ſub hac forma latitantes, vt illudendo homines terreant.

§. V.

TAles videntur in metallicis fodinis: vt refert Gregorius Agricola *cap. de animant. ſubter.* Illi enim veſtiti more metallicorum, ideſt, vittato induſio, & corio circa lumbos dependente, interdum glareis laceſſunt operarios: quod ſine timore alios perpeti, vix credi poteſt. Rariſſimè tamen eos lædunt, niſi cachinno, vel maledicto laceſſiti. Tales ijs mitiores in domibus habitant, domeſticaquè munia obeunt: nec alicui noxij ſunt, niſi ab illo prouocentur. Hos lares Antiqui nominabant, & quaſi Deos Penates vario cultu proſequebantur; quamuis antiquiſſimus ſcriptor Tertullianus *Apolog. c. 13.* obijciat: Quòd indignè eos tractarint, & in ſupellectili rationem haberent, ac proinde ab ijs oppignorarentur, aut venderentur prout cætera inſtrumenta domeſtica. Inter illos mira narrantur de vno Hudechin, lingua ſaxonica nominato, quod pileatum ſignificat, à pileo, quo caput opertus erat. Hic in diæceſi Hildesheimenſi in ſaxonia videbatur hominum conuerſatione plurimùm delectari, quibus nunc ſub humana ſpecie in habitu ruſtico ſeſe exhibebat: nunc inuiſibiliter illudebat principes: viros admonebat de rebus magnis: alijs ſua obſequia non negabat: in culina frequens inueniebatur coquis miniſtrare. Cum quidam longiùs profecturus ipſi vxorem ſatis procacem commendaſſet per iocum, officio illo ſtrenuè functus, qui libidinis cauſa vxorem petebant, aliquoties impediuit: Neminem niſi prius læſus iniurijs afficiebat, læſus non parcebat. Itaquè cum in dicti Præſulis culina puerulus quidam aſſidua conuerſatione ipſi familiarior factus eundem contumelijs afficeret; principio culinę præfectum admonuit, vt inſolentiam pueri coerceret; At vbi nihil profecit, inuentum in culina dormientem puerum, primùm ſuffocat: mox in fruſta diuidit; tandem igni appoſitum coquit; nec hac vindicta contentus, multis alijs modis culinæ præfectum, & pleroſquè alios ex aulicis vexat, vt pluribus proſequitur Trithemius *in hiſtor. monaſt. Hirſacimudienſis circa annum Domini* 1132. Tandem ab eius loci Epiſcopo Bernardo per eccleſiaſticos exorciſmos Prouincia excedere compulſus eſt. De his legendus Ioan. Lorin. in pſal. 90. ad illa ver. *à dæm. Meridiano*. 435

Tetri,

§. VI.

436 *Truculẽtes hominem vexãtes.* Tetri, ſeu truculentes, dum nocent homini, diuerſimodè ſe gerunt.

Sæpius in corpore viſibili ſeipſos manifeſtant, vt docet Abbas Sirenus apud Caſſianum *collat. 7. c. 32. Alios, inquit ita eſſe furori, & truculentiæ deditos. eſt manifeſtum; vt non ſint contenti, hominum tantummodo corpora, quos ſuppleuerint, atroci dilaceratione vexare; ſed etiam irruere ſuper homines tranſeuntes, & affligere illos ſæuiſſima cæde feſtinent: quales illi in euangelio Matthæi* 8. *deſcribuntur, ob quorum metum per viam illam tranſire iam nullus audebat: Aut à Propheta Iſaia* 34. *deſignantur, qui onocentauri, qui piloſi, qui ſirenæ, qui lamiæ, qui vlulæ, qui ſtruthiones, qui Eritij, qui aſpis, baſiliſcus, leo, ſcorpius: quæ vocabula non caſu, aut fortuitò indita illis debemus accipere; ſed ſignificatione iſtarum ferarum, quæ apud nos ſunt vel minus noxiæ, vel magis pernicioſæ illorum rabies, feritateſquè diſtingui.* Hæc ille. De quibus nominibus latè noſter Ignatius Lupus in Edictum Sanctæ Inquiſitionis par. 3.

Illos verò ſagittas volantes per diem poſſumus nominare; ſeu vt explicat Chaldæus Paraphraſtes, *ſagittas Angeli mortis interdiù emiſſas, quæ latenter, & palam homines ſauciant:* quia vi aperta, & doloſis machinationibus nocent. Inſuper dæmonia meridiana; quia meridiei potiſſimùm tempore varia inferunt damna, peſtilentè afflant luë, aut alias vexationes immittunt. Quare Gentiles *Pan* dæmonum meridianorum primum tum maximè iracundum, & formidabilem credebant. Et in Ruſſia orientali ſub meridie ſolitus erat vnus ex illis meſſis tempore rura deambulare habitu viduæ lugentis, operariis brachia, & crura frangere, niſi protinus viſo ſpectro in terram proni venerarentur.

§. VII.

437 *Senſibiliter.* Sed non ſemper viſibili forma apparent; ſed ſuam præſentiam diuerſis nocumentis ſatis, ſuperquè teſtantur. Quod probatur ex illa ruina domus, in qua filii Iob epulabantur facta à dæmone non ſeipſum viſibili forma prodente; ſed ventum à meridionali plaga flantem ſuſcitante, idquè tempore meridiano, nempè illis prandentibus, quæ omnes ad vnum oppreſſi ſunt. Et eodem modo alia domus inficiebatur ab illis, de qua mentio habetur in vita Teodori Sicæorum Archimandritæ. Cum enim prandebant domeſtici, lapides à ſpiritibus in menſas iaciebantur: aut murium, & ſerpentum tanta intrabat multitudo, vt præ formidine exire compellerentur.

Spiritualiter. Vt plurimùm nocent non corporibus modò; ſed etiam animabus: nec modo ſenſibili, ſed ſpirituali tentatione. Nam homines tempeſtate meridiana acriùs, crudeliuſquè inſectantur, & velut ad paratam prædam accurrunt, vt eos ſuæ ſubijciant ſeruituti, cum ſint ſibi diſtenti, ſaturitate graues, & crapula onerati. Nam eos comedunt, mordent, deuorant: Vnde vertit Hieronymus: *A morſu inſanientis meridie.* Atquè diuerſis peccatorum ſtimulis vrgent, maximè maledicentiæ, luxuriæ, & accidiæ. His enim tribus vitijs, quaſi ſagittis volantibus Ioabi iſti ſpirituales miſeros Abſolones conficiunt. Etenim quis ad maledicendum promptior, quàm qui linguam ſentit lubricam? Si enim ſobrius illam continere non poteſt, quid diceret ventre pleno? labilem ligabit? Nonne ſtatim ſoluta, & madida lingit adulando, attrahit mentiendo, mordet detrahendo, mouet rixas, ſeminat diſcordias, & vno ictu multos percutit, & interficit? Quis ad luxuriam procliuior, quàm ſatur homo; cum ſemper ſaturitati iuncta ſit laxiuia, & vicina ſint ventri genitalia, proquè membrorum ordine ſit ordo vitiorum? Quis ad opus remiſſior, quàm qui ciborum pondere præfocatur? Ingraueſcente etenim ventre ſpiritus deijcitur, mens torpet, corpus ignauũ iacet, totuſquè homo ociatur; Ideò dæmon faciliùs meridie ſæuit, cum illo tempore homines non ſolùm non reſiſtant eius inſultibus; ſed ſeipſos vltrò offerant enecandos; quamuis à mane ad veſperam totius diei curriculo non ceſſet malefacere, & quotidiana exercere maleficia, vt ſingulis diebus, immò in qualibet hora, & momento in homines graſſari poſſit.

ARTICVLVS II.

Nocte.

Svmma eſt hominum infelicitas, coniuratis hoſtibus circundari, qui diurno tempore illos aggrediuntur: & nocturno, dum ſopor omnes occupat, requieſcere non ſinunt. Hoc deplorat Iob cum *cap. 30.* calamitatem ſuam triſti elegia deſcribit, & inſectantium dæmonum naturam repræſentat dicens: *Qui me comedunt, non dormiunt.* Et hoc omnes experiuntur mortales, ſancti præcipuè, qui noctis tempore grauiores ſuſtinent tentationes ab inſultantibus Sathanæ miniſtris, qui nec dormiunt vnquam; nec alios ſomnum capere permittunt; ſed excitatos moleſtant tùm illuſionibus, tùm terroribus, tùm vexationibus. His enim tribus modis dæmon, vt timor nocturnus, & negotium in tenebris ambulans inquietum ſe præbet. 438 *Dæmones nocturni.*

§. I.

Illuſionum varij ſunt modi, quorum exemplum habemus in ijs dæmonibus, qui aquilonares populos nocturnos viatores, & armentorum excubijs intentos portentis diuerſi generis, & concentu mirifico circumfundunt. Quem nocturnum monſtrorum ludum incolæ vocant *Choream Eluarum.* Illorumquè veſtigia manè interdum in herba rorida interdũ ceu igne exæſa deprehendunt, vt narrat Olaus Magnus *lib. 3. cap. 1. hiſt. gent. ſeptentr.* *1. Illudentes.*

Terriculamenta etſi omnibus dæmonibus communia ſint, qui ideò vocantur vmbræ, laruæ, ſpectra, manes, lemures, empuſæ, & phantaſmata nocturna; tamen propriè cauſantur ab his, quos Marcus apud Pſellum, & Trithemius Lucifugos appellant, propterea quòd lucem maximè horrent, & deteſtantur: quia nec diebus vnquam apparent: nec alio modo corpus aſſumunt, quàm nocte pro libito illud effingentes. Vnde dæmonem Antiqui vocabant *Hecatem* cùm meridiè: *Empuſam* cùm nocte ſentiebatur. Quæ empuſa fiebat bos, vipera, planta, lapis, muſca, bellua, fæmina cruribus æreis, æneis, aureis, aſininis: deniquè quicquid volebat, quicquid cupiebat. 439 *2. Terrentes.*

Hi verò lucifugæ omni loco ſacro, & profano, omni tempore feſto, & profeſto, omnes homines bonos, & malos, & omnibus modis, quæ viſu, auditu, & tactu percipiunt, terrere ita ſolent, vt nocte ſolùm illa terriculamenta robur habeant. Vnde *Quare nocte terrent.*

Vndè

dè appropinquante ſole, & gallo canente euaneſcunt. Nec tempus opportunius ad terrores datur: quia ipſę tenebræ ſeipſis terrent. Somnia triſtia, quæ vt plurimum accedunt, terrorem augent: plures naturali propriç imaginationis imbecillitate pauore concutiuntur; quòd ſi excitentur tumultus, aut ſpectra obijciantur horrenda, quis non timeat hoſtes tali tempore tumultuantes? quia vtraque cum nocte coniuncta magis mortales percellunt. Quare tempus hoc deligunt, vt ſuo inſtituto maximè conueniens. Præterea principes, & poteſtates ſunt tenebrarum *Epheſ.6.* In tenebris exterioribus habitant *Matthæi* 8. Et in tenebris libentiùs operantur. Cum enim iuxta Domini dictum *Ioannis 3. Omnis, qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius*, ſicut maleficijs exercendis ſunt ſemper intenti: ita diem fugiunt, noctequè gaudent, quæ ſua obſcuritate maleficas operationes velat, & tegit, ne ab hominibus videantur. Inſuper, cum ſe exhibent ſub varijs ſpectris, vt plurimum apparent nigricantes; vndè & vmbræ dicuntur. Quibus apparitionibus noctem inſeruire conſtat, cum illa efficiat, vt omnia propemodum nigra videantur. Ad hæc plerumquè his ſpiritibus ſufficit, tumultus edere abſquè eo, quòd in forma aliqua conſpiciantur. At tumultibus non ſeruit diei lumen; & quamuis nec per ſe nox ſeruiat, efficit tamen, vt propter ſummum ipſius ſilentium faciliùs percipiantur. Rurſus cum hominum conſpectum in omnibus fugiant, nec velint ab ipſis deprehendi, quid opportunius noctis tenebris: cum iuxta Philoſophum viſus niſi in illuſtratum obiectum feratur? Deniquè facilè eſt, excitare tumultus in nocte: difficiliùs ſub ſpectabili forma exhibere, ideò facilius eligunt, difficilius omittunt; & potiùs de nocte, quàm die ſua maleficia operantur.

Tales dæmones fuiſſe facile eſt credendum eos, qui varia terriculamenta nocturno tempore efficiebant in Oppido Clararum territorij Brixienſis in domo cuiuſdam Viduæ relictæ à quodam perilluſtri D. iam valde diuite. Dum enim anno 1657. tempore quadrageſimali pro Concione habẽda ibi moram facerem, ipſa mihi enarrauit, quòd ſtatim poſt mortem ipſius mariti ſingulis noctibus continuo ſexennio rumores audiuit, ſicut & cæteri eius domeſtici: & imprimis aliquem ambulantem in aula inferiori, ac ſi proprius eſſet maritus iam defunctus, nunc ſcalam aſcendentem ſuo more ſolito, deinde in ſuo cubiculo commorantem, ſcrinia, capſas, feneſtras aperientem, ac claudentem, prętereа in quodam ſolario, quod ædificare incæperat, nec compleuerat, ſaxa, ligna, & alia huiuſmodi magno ſtrepitu commouentem. Pari modo ſub varijs vmbrarum formis nunc ſeruis ſuis, nunc colonis apparere aſſerebat. An eſſet verè anima ipſius mariti, quæ ibi ad purganda aliqua peccata leuia pro aliquo tempore eſſe addicta: vel dæmones fingẽtes ſe eſſe animam mariti, vt vxorem ipſius alioſque domeſticos terrerent, poſſet vtrumq. ſinè errore ſuſtineri. Quicquid ſit à prædicta Vidua rogatus vt à talibus terriculamentis domum liberarem, priùs ipſa, cæteriſque in fide, ac fiducia in Deum ritè inſtructis, ipſis præſentibus totam domum perluſtraſſui, ac factis debitis tum præceptis dæmonibus, tum intimationibus animæ defunctæ, ſacris benedictionibus muniui iuxta ordinem à me traditum tomo 2. diſp. 4. in fine: ſic nullus amplius rumor in tali domo impoſterum eſt auditus.

§. II.

CVm ergo nox quaſi proprium ſchema dæmonum ſit, dum illius tempore terrorem excitare volunt, nunc ſpectris, nunc tumultibus, nunc vtriſquè ſimul vtuntur. Spectra exhibent varia, ſenis macie, & ſqualore confecti: gigantis ſtaturæ proceris: hominis horribili facie, capillo nigro, barba hirſuta, & veſte lugubri: bruti alicuius, & feri animalis, leonis, tauri, vrſi, ſerpentis: portentoſi alicuius monſtri ore lampades ardentes emittente, crinibus incendia ſpargentibus, naribus fumum emittentibus quaſi fornacis ardentis, & toto corpore glomeratas ſquammas ſpirante. Tumultus excitant diuerſos, modò leues, modò horriſonos: Simulant ſe incedere, riſum edere, promere ſuſpiria, gemitum trahere ex imo pectore. Cantant, loquuntur, vociferant. Audias, vt plurimùm vaſorum colliſionem, armorum ſonitus, ſtrepitus pugnantium, eiulatum flentium, clamorem pauidorum, catenarum ſtridorem, malleorum percuſſiones, fragorem tonitruum, maris æſtuanris murmur, diuerſorum animalium rugitus, & id generis ſonos, qui auribus viuentium non ſine magno terrore percipiuntur: quia in noctis ſilentio acutiùs perſtrepunt Deo omnia permittente, vel ob pænam peccatorum: vel ob bonorum exercitium: vel ob aliam cauſam occultam. 440 *Quomodo terri.*

§. III.

AT non contenti terriculamentis, vexationes ſæpiùs graues inferunt animabus, corporibus, & bonis exteris. Quare pro eo, quod habemus in noſtra Vulgata. *A negotio perambulante in tenebris*, alij legunt: *A peſte, ab excidio, à vaſtatione:* Vel vt Chaldæus: *A morte in tenebris deambulante. Lucifugarum etenim illorum*, vt ait Trithemius, *genus eſt imperſcrutabile, ac penitus tenebroſum, paſſionibus frigidis agitatum, malitioſum, inquietum, & perturbatum, quod occurrentes homines violenter comprimit, nocturnis horis, ſæpiùſquè Deo permittente, aut flatu quoſdam interficit, aut contactu.* 441 *3. Vexa tes.*

Et primò animas vexant tùm vigilantium, tùm dormientium. Si vigilant homines, impuras illis immittunt cogitationes, quæ faciliùs in mente exurgunt, dum ſilentium tenent omnia, & nox obiecta velat externa: Sic enim eorum mens minus ad extra diſtrahitur, & interiori conatu res ſpeculatur, quæ à ſpiritibus nequam objiciuntur; præſertim cum poſt longiorem ſomnum refectis viribus corporis caro delicioſè accubans carnales immunditias quærit; Et ita homo à dæmone, & à ſeipſo agitatus maiori impetu ad impura, & obſcena prouoluitur. Vnde Sapienter Dauid ſtertentibus in lecto verbo, & exemplo ſuadet pænitentiam, dum dicit pſalmo 4. *In cubilibus veſtris compungimini*, & pſal. 6. *Lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Si verò homines dormiunt, obſcena immittunt ſomnia: Phantaſiam namquè varijs ſpeciebus turpibus informant & impuris imaginibus replent: Dehinc calefaciunt ebullientem ſanguinem: Deinde excitant alios humores: Deniquè (quod peius eſt) corpora pollutionibus fædant, quibus omnibus commotus homo optat euigilans, aut conſentit in ea, quæ in ſomno illi repreſentata fuerunt. Quare non ſine cauſa in publicis precibus, quas incipiente nocte fundere ſolet Eccleſia, Deum precatur his verbis Ambroſij.

Pro-

Procul recedant ſomnia
Et noctium Phantaſmata:
Hoſtemquè noſtrum comprime
Ne polluantur corpora.

Etenim hoſtis ille non eſt alius, quàm dæmon incubus, quem amore improbo fœminarum ardere, viroſquè ad concubitus impuros, & alias impudicas actiones prouocare cenſet Auguſtinus *lib. 11. de Ciuit. cap. 33.* & alij Patres; Non quòd venereis delectetur; ſed quia gaudet, Deum ſic grauiter offendi, & genus humanum ità fœdè contaminari.

§. IV.

442 *Tentationibus exteris.* His occultis tentationibus, quibus homines ad illa peccata ſolicitant, externas addunt prouocationes: ſæpiùs compti adoleſcentis perſonam induunt: aut ſe formant in mulierem procacem, vt homines, & mulieris ad ſtuprum, adulterium, nefandoſque congreſſus præcipitent. Sic Bonnæ apud Coloniam Agrippinam filiam à patre, quoties domo egrediebatur, ſolario incluſam vnus ex illis in forma iuuenis conſtuprauit; eaquè aliò miſſa, illam dæmon repetiuit à Patre, cuius pectus ſtomachabundus tam violenter percuſſit, vt poſt ſanguinis vomitum tertia die expirauerit. Ita Prumiæ in Eiflia cum vir quidam puellam ſolicitaſſet, vt ad ſe intempeſta nocte libidinis implendæ cauſa veniret, venit dæmon in eius forma, perfectoque fœdo concubitu, miſerum irriſit, ſeipſum quis eſſet manifeſtando. Vtrumq. narrat exemplo Cæſarius *c. 8.* poſterius *c. 10. lib: 3.* Nec opus eſt pluribus recenſiti ea confirmares, cum hoc ſummo noſtro malo frequens experientia doceat.

§. V.

443 *2. In corpore.* Inter ſpirituales vexationes etiam corporales miſcent, varijs modis homines in corpore moleſtando. Parum eſt, amputare capillos, aures vellicare lecti operimenta tollere, culcitram ſubtrahere, lapidum iactu ſomnum interrumpere, vel etiam è proprio lecto exturbare, vt ſæpiùs ſenſit Otho poſt Galbam occiſum: Deteriora aggrediuntur nunc fauces conſtringunt ita ſtrictè, vt miſeri clamare nequeant; etſi omni vi contra enitantur: nunc quaſi pondus grauitans pectori inhærent, vt ſpiritum, & pulſum prohibeant: nunc ſemiuiuos poſt longam luctam in terram proſternunt: aliàs fuſtibus excipiunt tàm grauiter, vt plagarum veſtigia poſtridie appareant, ne ſibi illuſum fuiſſe credatur: aliàs ex lecto protruſos extra domum aſportant, & nudos pauidos, flagellatoſquè in plateis, & campis deſerunt: aliàs particulas carnis è corpore detrahunt, & in aduerſam partem brachia, aut tibias contorquent: aliquando membra vſtulant, vel per vrticas, & res non formaliter, ſed virtute calidas: vel per ardentes carbones, titiones, & res alias, quę ignem concipere, & fouere poſſunt: aliquando incurabiles morbos, aut etiam mortem ipſam inferunt, vt ſupra diximus. Quorum omnium tot ſunt exempla, vt ſi ad probationem adducerentur, omnes ferè hiſtoriæ recenſendæ forent. Vnum ſufficiat ex libro Tobię deſumptum, Aſmodęi viros omnes iugulantis de nocte, qui ad Saram quamuis vxorem intrabant. Nam ſeptem occis, pluribus erat necem allaturus, ſi à Raphaele Angelo in deſertis ſuperioris Ægypti non fuiſſet religatus.

§. VI.

Deniquè graſſantur in bona extera, ne quid relinquant intactum. Cum enim domos infeſtant 444 non hominibus modò; ſed animalibus etiam moleſti ſunt: vtenſilia frangunt, vaſa diſrumpunt, telas ſcindunt, arcas ſera obſirmatas diuidunt in fruſta, veſtes lacerant, vinum, oleum, liquores fundunt, diſpergunt legumina, & lapides. Sic anno Domini 1644. die 26. Martij actum eſt in territorio Brixienſi, vici nomen reticebo, quia charitas dictat. Vitam ſimul agebant cum ſene quodam presbytero duę mulieres viduæ ambæ, quarum vna alterius mater erat: ambæ ſatis læſæ famæ: ſerò vicini audierunt velut multorum cantus, ſaltationes, cachinnationes, & alia huiuſmodi. Mane facto cum neminem ampliùs audirent, nec viderent, domum ingreſſi, ecce tota domus euerſa, ac deſolata inuenta eſt, vinum effuſum, vtenſilia fracta, vaſa diſrupta, veſtes laceræ, lateres comminuti, contrita ligna, cæteraquè diſperſa, vel perfracta: Mulieres verò ambæ faciem totam habentes laceram: ſenex verò ſemimortuus iacebat, qui poſt biduum è vita migrauit, mulieres autem è vico expulſæ ſunt. Sæpiſſimè etiam flammis omnia conſummando homines ad extremam redigunt paupertatem. Hoc ex ſupra allatis exemplis, & experientia ipſa tam clarè patet, vt non alia egeat probatione. Quare dæmon verè negotium eſt ambulans in tenebris, immò ruina, exitium, exterminium omnibus hominibus formidandum: cum numquam ceſſet à maleficijs; ſed die, nocteque ſine intermiſſione vt vigil peſſimus toti homini noceat; & omnibus, quæ ad eum pertinent, non tantùm per ſe; ſed etiam per ſuos maleficos, qui diurno, nocturnoquè tempore mortales perſequuntur.

3. In bona extera.

SECTIO III.

Perficientes maleficia.

Quàm graphicè prauam dæmonum voluntatem in perficiendis meleficijs S. Dionyſ. Areopagita deſcribit, cum dicit *cap. 4. de diuinis nomin. In eis eſſe phantaſiam proteruam, amentem concupiſcentiam, & iraſcibilem furioſam.* Certum eſt enim, peccati maculam eorum voluntati ſic inſeparabiliter adhærere, vt obſtinati in malefaciendo permaneant: vnde actus omnes, qui ex illa deliberata voluntate procedunt, ſemper mali ſunt. Et licèt poſſint dæmones, vt ait Scotus *in 2. d. 7.* quem ſequitur Angles ibi *diſt. 6. & 7. q. 2. dub. 6.* ſecundùm naturam ſuam habere actum bonum moraliter: vel ſaltem ex genere non deformatum aliqua circumſtantia: vt odium pœnarum ex amore ſui: quia in eis remanſerunt naturalia integra. Veruntamen de facto omnes eorum actus mali ſunt. Hoc enim eſt maximè probabile propter eorum obſtinatam, & vehementem malitiam. Ita ſuſtinet Angles loco citato poſt D. Thomam *1. p. q. 64. ar. 2.* Ratio eſt: quia cum ſint in odio intenſiſſimo, & perpetuo Dei, & proximi, non habent actum aliquem bonum, & voluntas eorum actui malo ſemper eſt intenta; ideo non ceſſat aliquando à ſuis operationibus, præcipuè in ordine ad hominem, cuius perniciem ſemper appetit; ſequitur eos à peccato, & à malo non ceſſare, & aut volendo, quod in ſe malum eſt: aut quod eſt malum ex circumſtantia.

445 *In dæmonibus eſt Phantaſia proterua. Concupiſcentia amens. Iraſcibilis furioſa.*

Cum phantaſia proterua : non quod talis potentia organo corporali ligata in eis reperiatur; ſed quòd totam intentionem, & cunctas operationes ad homines decipiendos, & vexandos proteruè, ideſt, ſuperba ferocitate, & crudelitate dirigere, ſtudioſè conentur. *Cum concupiſcibili amente* : quia etſi non ſint cognitionis expertes; tamen ſine fræno, & retinaculo rationis, quaſi vehementi curſu concitati ad quælibet nociua ſeipſos præcipitare ſolent. *Cum iraſcibili furioſa* : eò quòd contra omnia bona impetuoſè iraſcuntur, non ex ignorantia; ſed ex peruerſiſſimo prauæ voluntatis appetitu.

Per quas maleficia operantur. In Omnibus. In Singulis.

Hac phantaſtica proteruia, amenti concupiſcibili, & iraſcibili furioſa ducti, homines ſuis maleficijs adoriuntur tanto impetu, vt illa in Omnibus, & Singulis indiſcriminatim perficere contendant: Sicut ſequentibus articulis breuiter declaratur.

ARTICVLVS I.

In Omnibus.

446 *Dæmones inſurgunt. In Deũ In Angelos. In Homines.*

SI tanta fuit in cęlo dæmonum audacia, vt à primordijs creationis diuinam aſſequendo æqualitatem in Deum inſurgere cum Angelis, qui ſoli rebellioni adhærere nolebant, prælium committere, omneſque cæleſtes accolas ſuis factionibus inuoluere conati fuerint; quid non attentabunt in miſeros terræ incolas natura inferiores, viribus impares, conditione imbecilliores? An poterit obſiſtere ſpiritui caro infirma? ſubſtantiæ immateriali corporea maſſa? Intellectui ſubtiliſſimo hebes ingenium? Inuiſibili hoſti luteum plaſma? Cæleſti virtuti terrena vanitas? Potenti Angelo homo putredo, & vermis? Impar congreſſus; ideò certus huic videtur caſus: illi certa victoria, vt noſtro experimento (heu nimis lugendo) didiſcimus.

§. I.

VIdent poſt ſuam è cælo expulſionem coniurati generis noſtri aduerſarij radices malitiæ, ſcelerum capita, inuentores mortis, principes vitiorum, homines ad Dei imaginem factos pudicitia ornatos, temperantia compoſitos, charitate inſignitos, immortalitate veſtitos, diuina gratia circumdatos habitantes in Paradiſo, odoriferis ſtipatos malis, fulcitos floribus, coronatos gloria, & honore, & conſtitutos ſuper opera manuum plaſmatoris: Inuident ſtatim, fortunatis inſidiantur, ſibi nihil timentibus; aſtu, & dolis aggrediuntur incautos, quos è ſummo felicitatis faſtigio deturbatos, in vnum omnium calamitatum baratrum præcipites agunt. Nec ceſſant calamitoſos grauioribus obruere malis, vt in vltimum eos perducant exitium.

§. II.

447 *Quod vt faciliùs aſſequatur.*

ATque, vt hoc faciliùs aſſequantur, admirabilem Prouidentiæ diuinæ ordinem contrariò fine audent æmulari. Deus, qui numero, pondere, & menſura agit vniuerſa, eam in mundo ſtatuit politiam, vt inferiora medijs ſuperioribus ad ſuos fines dirigantur, & humana angelico regantur miniſterio. Hinc eſt quòd vnicuique Regno, & imperio (idem de prouincijs dici poteſt) vnum ex cæleſtibus ſpiritibus præfecit in cuſtodem, ſicut teſtatur ſcriptura Deuteronom. 32. *Conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Dei*. Quos Angelos omnes Doctores interpretantur; & S. Iſidorus *lib. 1. de ſummo bono cap. 12. Singulę*, inquit, *gentes præpoſitos Angelos habere creduntur: omnes homines Angelos habere probantur*. Quod confirmatur exemplis Angeli Iudæorum, & Angeli Perſarum apud Danielem cap. 10. Ex quo colligitur ſingulis quibuſque nationibus ſpiritus angelicos eſſe deputatos; quorum partes ſunt, mala auertere, bona adducere; & in omnibus vtramque populi ſibi commiſſi ſalutem procurare.

Ad inſtar bonorum Angelorum. Cuique Regno. Cuique Prouinciæ. Cuique Patriæ. Alij Præficiuntur Alij Subijciuntur.

Idem factitatur à Lucifero, qui ſingulis regnis vnum ex primoribus diabolus ſubtiliorem ſcientia, & malitia inſigniorem hoſtem, & exterminatorem deſtinauit, ſub quo diſtributis officijs alij mandatis eius obtemperantes militant. Quibus ex officio incumbit, morem populi probè noſſe, callere nocendi artes, ſcire perfectiſſimè, quibus vijs mala inferantur, & bona auferantur, & illa omni conamine executioni demandare, quæ vel à principibus dęmonibus efficiuntur: vel ipſi ſua ſagacitate nouerunt in cuiuſque populi perniciem fieri debere: vt benè teſtatur Petrus Binsfeld. *de Confeſſ. Malefic. prælud. 10. & 17.* & egomet intellexi ab illo Mago relato infra *diſp. 3. num. 90.* qui mihi enarrauit: dęmoniorum principem illius ciuitatis, vbi ipſe morabatur, vocari Beelzebub, & ſub poteſtate ſua habere triginta millia dęmonum, qui omnes ad maleficia concinnanda intenti erant. Vndè nihil aliud & cognitione, & opere perficiunt, quàm homines frequentibus vexare maleficijs, præcipuè tria horrenda mala peſtis, belli, & famis introducere, quibus prouincias, regna, imperia, totumq. orbem, & omnes eius habitatores abſumunt. Nam quis enumerare valeat ſtrages, ruinas, exterminia, publicas calamitates, quæ ex illis oriuntur; Et homines omnis ſexus, omnis ætatis, omnis conditionis, quos diuerſo mortis genere de medio tollunt? Quibus adde omnia mala particularia, quæ ſingulos affligunt, prodeuntque ab illis humanæ naturæ hoſtibus, ſuperbia tumidis, inuidentia liuidis, fallacia callidis, natura noxijs, malitia ſæuiſſimis, crudelitate acerrimis, qui quantum poſſunt, omnes mundi habitatores vltrò citroq. ſęua, & improbiſſima tyrannide per ſe & ſuos Miniſtros opprimere non ceſſant: Quorum malorum varia exempla adducit Petrus Binsfeldius ſparſim toto *tract. de Confeſſ. Maleſic.*

Vt omnes homines varijs inſectentur maleficijs.

ARTICVLVS II.

In Singulis.

QVòd ſi voluntate tam praua feruntur in omnes homines, quid ipſos, putas, ſingulis velle, niſi extremum exitium, ad quod vnumquemq. ſuis maleficijs occultis, & publicis pertrahere omni ſtudio conantur, eò libentiùs, quòd adhuc æmulatores exiſtunt diuinæ Prouidentiæ in ordinibus circa ſingulos homines conſtitutis. 448

Dæmones ſingulos homines oderunt.

§. I.

Magna dignitas animæ habere cuſtodem.

MAgna dignitas animarum, ait Hieronymus in Matt. 13. *vt vnaquæq. habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodia ſui Angelum deputatum*; Cuius eſt, vt docet Eccleſia, & cõmuniter Patres affirmant, hominẽ cuſtodire in omnibus vijs eius, nẽpè, corrigere errantem, docere ignorantem, protegere periclitantem, illuminare perplexum, ducere peregrinantem, exci-

excitare torpentem, vrgere pigritantem, animare puſillanimem, ſaluare pereuntem, & omnibus bonis replere inopem, & mendicum.

Maior dignatio Angeli fungi hoc officio.

Maior dignatio Angelorum, qui natura intelligentiæ, potentia, & officio ſublimes non dedignantur hæc ſubire miniſteria, & ſeſe hominis exhibere tutores, actores, & præſides. Quod iuxta D. Bernardum, magnam vnicuique mortalium debet inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam: Reuerentiam pro præſentia: Deuotionem pro beneuolentia: fiduciam pro cuſtodia.

Maxima Dei beneficentia Angelũ cuiq. deputare.

Sed Maxima Dei beneficientia, qui nullius indigens, omnibus affluens, & fons inexhauſtus bonorum omnium cum ſit, tam miſero homini vanitati ſimili tales, & tantos Angelos præfecit, & eis mandauit, vt cuſtodiant eum in omnibus vijs ſuis: vt verè dicendum ſit in omni loco cum clariſſimá heroina Iudith: cap. 13. *Viuit ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari ſed ſine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria ſua, in euaſione mea, & in liberatione veſtra.* Quam veritatem teſtantur D. Auguſt. *in Soliloq. cap.* 27. Chryſoſt. *hom.* 60. *in Matthæum, & hom.* 3. *in epiſt. ad Theſſalon.* Baſilius *lib.* 3. *contra Eunomium.* Origen. *hom.* 5. *in Num. & hom.* 35. *in Lucam.* Gregor. Nyſſenus *in lib. de vita Moyſis.* Bernard. *ſer.* 11. *ſuper Pſalmum qui habitat in verb. verſ. Angelis ſuis mandauit de te.* Hilarius; Theophylatus, Oecumenius, Hieronymus, & alij communiter *in c.* 18. *Matthæi.* Caſſianus *in Coll. coll.* 8. *cap.* 17. S. Bonau. cum Magiſtro ſent. & omnibus D.D. *in* 2. *diſt.* 11. S. Thomas 1. *par. quæſt.* 113. & latiſſimè Franciſcus Feuardentius *in appendice ad libros Alph. Caſtrenſis de hereſ. lib.* 1. *in ver. Angeli hereſ.* 3. *Si quis dicit.*

§. II.

Magna inuidia Maius odium Maxima malitia principis tenebrarum cuique homini dæmonem deputantis

449 AT magna inuidia, maius odium, maxima malitia principis tenebrarum, qui cuilibet hominum dæmonem ad eum tentandum, ſeducendum, & perdendum deputauit, vt tradunt D. Gregorius Nyſſenus *lib. de vita Moyſis*, Chryſoſt. ſeu Auctor libri imperfecti *hom.* 40. *in Matthæum*, Lactantius Firm. *lib.* 2. *de Orig. erroris cap.* 15. Caſſian. D. Bonau. cum Magiſtro, cæteriſque Theologis *loco cit.* Hic enim ſpiritus nequam in omnibus ſpiritui bono aduerſatur. Iſte ſollicitat hominem ad bonum: Ille impellit ad malum. Iſte ſalutaria inſpirat conſilia: Ille noxia ſuggerit. Iſte mente excitat: Ille excæcat. Iſte intellectum illuſtrat: Ille tenebris offundit. Iſte à peccato reuocat: Ille in peccato detinet. Iſte ducit, & dirigit: Ille ſeducit, & decipit. Iſte feruorem immittit: Ille teporem. Iſte media omnia adhibet, vt hominem ad Paradiſum deducat: Ille omnibus vijs vtitur, vt deijciat in infernum. Deniquè boni Angeli ſolent non ſolùm per ſeipſos hominis ſuæ curæ concrediti ſalutem procurare; ſed etiam per alios, puta, Angelos, & ſanctos viuentes, ac mortuos, qui ſuis orationibus, inſpirationibus, & inſtructionibus eis opitulantur; Ità mali Angeli conſueuerunt illos in damnationem æternam adducere tam per ſuas tentationes, fallacias, & ſeductiones quotidianas, quàm per malignas operationes tum dæmonum, tum maleficorum, cæterorumquè miniſtrorum ſathanę, qui aſſenſu vnanimi in eos conſpirare non ceſſant.

Diuerſitas in exercitijs Angeli protegentis dæmonis impugnãtis.

§. III.

Ad maleficia perficienda concurrunt Dæmon puincia, Dæmon malefici, Dæmon maleficiandi.

QVare eò faciliùs in ſingulis ſuis perficiunt maleficia, quò plures coniunctis viribus vnumquemquè aggrediuntur. Malefico etenim operante aliquod malificium contra aliquem ſingularem, ſtatim malefici, & maleficiandi dæmones vniuntur in eo perficiendo, & applicando, vt ſuum ſortiatur effectum. Quare non mirandum, ſi plures videamus maleficijs affectos, cum dæmones, ſiuè qui prouincijs, & locis præfecti ſunt: ſiuè qui maleficis obtemperant: Siuè qui vnicuique ſunt deſtinati, nihil aliud moliantur, quàm omnes, & ſingulos per varia perdere maleficia, vt tradit etiam Binsfeldius *de Confeſs. malef.* Vnde plures vim non effugiunt maleficæ poteſtatis non homines, & mulieres: non pueri, & puellæ: non ſenes, & iuuenes: non diuites, & pauperes: non domini, aut ſubditi: non mali, aut boni: non ipſi pueruli innocentes. Immò ſæpiùs boni ſi de diuina protectione ſint diffidentes, maleficijs magis ſunt ſubiecti, quàm mali, cuius rationem reddit D. Gregor. *lib.* 24. *Moral. c.* 7. *Hoſtis noſter, ait, quantò magis nos ſibi rebellare conſpicit, tantò ampliùs expugnare contendit: eos autem pulſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſe ſentit.* Licèt enim maiorem in malos, quàm in bonos habeat poteſtatem; illam tamen non reducit ad actum, eos ſæpiùs vexando in corpore, ne fortè per talem corporalem vexationem à peccato recedant: vt latè ſup. *d.* 1. *n.* 89. *& ſequent.*

Quare boni præ malis ſint obnoxij maleficijs.

Concluſio Tertiæ Partis.

TAlis ergo eſt hominum ſtatus, luctari ſemper cum dæmonibus, quorum prauam voluntatem experiuntur in hoc; Quòd principes, & poteſtates, ſiuè Superiores imperando, cogendo, ſiuè inferiores ſuperbiendo, & inuidendo illos perſequuntur. Quòd rectores mundi, & tenebrarum harum in omni loco publico igneo, aereo, aqueo, terreo: Et priuato aut ſacro, aut profano eis inſidiantur. Quòd ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus eos modis omnibus inſectantur, accedentes ad eis malefaciendum, apertè, occultè, vtroquè modo, continuantes maleficia die, ac nocte: perficientes in omnes, & ſingulos, ità vt perire neceſſe ſit, ſi propria eſſet virtute certandum. Quis enim non obrueretur tot, tantis, & taliter ſæuientibus inimicis? At non noſtris viribus, ſed Dei fidendum eſt, vt ſuadet idem Paulus in eo loco: *Confortamini,* inquit, *in domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.* Quia etſi ſemper nocere velit, non ſemper permittitur: & cum permittitur, non plus noxæ, quàm ſaluti noſtræ conueniat. Vt optimè docet D. Gregor. *lib.* 2. *Moral.* cuius verbis tertiam iſtius Diſputationis partem abſoluimus. *Sathanæ,* inquit, *ſemper voluntas iniqua eſt, ſed numquam poteſtas iniuſta; quia à ſemetipſo voluntatem habet; ſed à Domino poteſtatem. Quod enim iniquè ipſe facere appetit, hoc Deus non niſi iuſtè facere permittit. Ille igitur formidari non debet, qui nihil niſi permiſſus valet.*

T 2 Con-

Concluſio Diſputationis Secundæ.

§. I.

Dæmon eſt cauſa efficax maleficiorum.

450 Vides beneuole lector (vt tandem receptui canamus) quàm efficax cauſa maleficiorum ſit humani generis hoſtis, quem in adinueniendis, exequendis, & procurandis infinitis penè modis, quibus illa in hominum perniciem à ſuis clientulis perficiuntur ſcientia magna, potentia ingenti, & implacabili malitia pollere, fusè demonſtratum eſt. Reſtat definire, ad quem cognitio huiuſmodi maleficiorum, vt à tali cauſa procedunt, pertineat, Theologum Exorciſtam, an Medicum, quod ex ſupra relatis in fauorem Theologi certiſſima concluſione fieri poteſt. Si enim ad illum ſpectat dignoſcere maleficia, ad quem ſpectat cauſas eorum agnoſcere, eò quòd nemo perfectam alicuius rei cognitionem aſſequi poteſt, qui primò non ſit cauſarum, & principiorum eius perfectam notitiam conſecutus; ſequitur ad Theologum pertinere, non ad Medicum de illis, vt à dæmone operante tanquam ab efficienti cauſa proueniunt: cum eius ſit diſputationes inire; & ex eis certas concluſiones ad ſacrarum literarum, & eccleſiaſticorum dogmatum normam elicere circa Angelorum bonorum, & malorum naturam, ſcientiam, potentiam, locutionem, motum, ordines, miniſteria, operationes, & ſimilia, quæ noſſe, neceſſe eſt: vt quænam ſit dæmonis virtus in maleficijs perficiendis, & quo pacto ab illo cauſentur, agnoſci queat.

Quæ vt procedũt à tali cauſa nõ ſunt de conſideratione Medici, ſed Theologi Exorciſtæ. Ratio fauet.

Ideo Medicus non debet iudicare de maleficijs, quia hæc ſciẽtia medicæ fines tranſcẽdunt.

Ideoque Medicum ſe in ijs diiudicandis immiſcere non poſſe, nec debere; cum certum ſit, hæc omnia tranſcendere ſcientiæ medicæ fines, quæ propria principia à Philoſophia naturali deſumens, morborum cauſas ſiuè externas, ſiuè internas à rebus ſenſibilibus; non autem ab inſenſibilibus diſquirendo venatur; & per conſequens maleficiorum cauſas qua parte proficiſcuntur à dæmone, non agnoſcit: cum ſic non habeant cauſam ſenſibilem, quæ naturaliter cognoſci valeat; ſed inſenſibilem, cuius cognitio ex ſupernaturali, & diuina reuelatione, non autem ex humana philoſophia, petenda eſt.

Quòd ſi ſuæ profeſſionis terminos prætergrediẽs, id attentare audeat: aut alienum non ritè aſſumet officium: aut ſuum non benè adminiſtrat.

§. II.

Hoc munus eſt Exorciſtarum.

451 Exorciſtarum, & eccleſiaſticorum virorum eſt eijcere dæmones, ſerpentes, & ſcorpiones calcare, & diſſoluere omnem virtutem inimici iuxta poteſtatem traditam a Domino Matth. 10. Marci 3. & Lucæ 9. declaratam c. 10. & ab Eccleſia communicatam in ordine exorciſtatus. Vnde dæmones eijciunt, cum illos è corporibus energumenorum expellunt: *Serpentes, & ſcorpiones calcant*, vt ait S. Titus apud Gloſſam, *cum ſpiritus inuiſibiles ſerpentum more inſidiãtes, & quaſi ſcorpiones aculeato ictu pungentes, ab ijs, quos obſident, aufugere compellunt.* Omnem ſoluunt virtutem inimici, cum maleficiorum, ſortilegiorum, incantationum, veneficiorum, & magicorum operum vires diuina virtute eneruant, & annihilant.

Quod ſacrilegè ſibi vſurpant, qui talia moliuntur ſine iure Vel ordinario, vel extraordinario.

Hoc officium ſacrilega vſurpatione ſibi vendicãt, qui ſine ordinario, vel extraordinario iure talia moliuntur. Ordinarium ijs ſolis competit, qui ad ſacros ordines promouentur vel ſaltem ſunt in gradu Exorciſtarum. Extraordinarium illis, qui peculiari gratia, & dono Dei, puta, fide in nomine Ieſu Chriſti inſigniti hoc priuilegio vtuntur: quod tale oſtendere debent: ſi de hoc à ſuis ſuperioribus requirantur.

Videant modò audaciores illi, qui in poſſeſſionũ, & maleficiorum operibus ſoluendis ſe ingerunt, quo iure id aggrediantur. An ordinario? Sed tunc non Medicum agent, ſed Exorciſtam. An extraordinario? Neque hoc modo Medici munus obibunt, ſed viri priuilegium à Domino habẽtis, cuius ſpecimen aliquod dare debẽt; & ſic non ſuo, ſed alterius, nempè, aut Exorciſtæ, aut viri tali gratia donati fungetur officio, ſed caueant, ne propter vſurpationis ſacrilegæ peccatum idem ipſis contingat, quod filijs Sceuæ, de quibus ſupra mentionem fecimus.

§. III.

Mediorum verò officium eſt, phyſicorum remediorum adminiculo ægrotis ſanitatem reſtituere, qui morbo à naturali cauſa procedente vexantur: Aliàs ſi prodeũtes à cauſa præternaturali & libera curare contendunt, quales ſunt ij: qui ex maleficio oriuntur, quantumuis ſedula cura, labore improbo, ſtudio numquam intermiſſo, ſelectioribus, & efficacioribus pharmacis repetitis huic curationi inuigilent, nihil tamen proficiunt; ſed oleum, & operam perdunt: quia naturalibus, & corporeis remedijs præternaturalem, & liberam cauſam tollere conantur. Atquè vt ſenſibiliter pateat, offeramus vni ex Medicis illis vſurpatoribus mulierem, quæ annis 18. habebat ſpiritum infirmitatis, & erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere, vt narrat Lucas *cap.* 13. Pertentet, quantum voluerit in cognitionem huius ægritudinis deuenire: conſulat ſuos Auctores: componat pharmaca, præbeat potiones, emplaſtra adhibeat, vnctiones, & linimenta partibus languentibus apponat, & nihil relinquat intactum ex his, quæ ad huiuſmodi curandas infirmitates quoquomodò iuuare poſſe cenſuerit. Quid poſt tot curas, labores, & expenſas? Idem morbus, eadem infirmitas, idem inclinati corporis ſtatus in muliere. Petis: Quare? Hoc audiamus à ſummo Medico, qui corpora, & animas curat, cauſaſquè morborum tùm ſenſibiles, tùm inſenſibiles nouit. Hic enim murmuranti Archiſinagogæ, eò quòd diè ſabbati ſanitatem contuliſſet, reſpondit: *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Sathanas decem, & octo annis non opportuit ſolui à vinculo iſto die Sabbati?* Ligauerat ergo illam Sathanas; ideoquè non à Medico: ſed ab illo ſolui debebat, qui teſte Ioanne 1. *Ioan. c.* 3. venit in hunc mundum, vt ſolueret opera diaboli. 452

Medici phyſicis remedijs contendẽtes, ſanare morbos à cauſa ſupernaturali prodeuntes. Incaſsũ laborant

§. IV.

Nequè ſolùm operam perdunt; ſed etiam nomen, & famam. Dum enim tales morbos remedijs naturalibus curare nituntur, apud homines ignorantiæ labem incurrunt; quia ijs obſiſtente dæmone fruſtra applicatis, tandem comperitur morbum dæmoniacum eſſe, quem iſti naturalem putabant: & Medicum cum ſuis calculis, & aphoriſmis fuiſſe hallucinatum. Quod confirmatur exemplo à Ioanne Fernelio Medico excellentiſſimo *lib. 2. de abditis rerum cauſis cap.* 16. relato de quodam, qui cum à dæmone vexaretur, à Medicis febrire, ac delirare ſimpliciter exiſtimabatur. 453

Perdunt nomen, & famã.

Huic

Iniuria efficiunt ægrotos huiuſmodi In bonis Fortunæ, & Corporis

Huic ſummo dedecori adde iniuriam duplicem, qua tales ægrotos afficiunt: Alia in bonis fortunæ: Alia in bonis corporis. Ægrotos namquè, qui ſe ijs longis, ſed varis curationibus exponunt, maximas expenſas facere, neceſſe eſt. Ex quo poſt rei familiaris iacturam inutiliter factam, morbo paupertatem ſuperinducunt. Et dum ab vnius ægritudinis grauamine liberari deſiderant, duplici ſe malo conſtringi, & torqueri abſquè remedio perſentiunt non ſine iuſtis ipſorum querelis in eos, quos putant ſuæ calamitatis auctores. Idem enim illis euenit, quod mulieri euangelicæ per annos duodecim fluxum ſanguinis patienti: quæ, vt refertur *Lucæ* 8. poſt omnem ſubſtantiam in Medicos erogatam, à nullo ſanari potuit, niſi à Chriſto. Inſuper maximos pari dolores conuenit illos, qui talibus curationibus exponuntur, dum per pharmaca, pyriaſes, fomenta, emplaſtra, enchriſta, ſtrigmenta, malagmata, amuleta, trochiſcos, ſyrupos, theriacas, electuaria, aliaquè remedia vexantur vſquè ad internecionem, ſed incaſſum ridente dæmone, dum flet ægrotus, Medicus vanè laborat, & ſpectatores alteri compatiuntur, alterum ſubſannant, vt luculento exemplo Idem Fernelius confirmat de Iuuene equeſtris familię, *qui corporis concuſſione*, inquit, *& quaſi conuulſione ex temporũ interuallis laborabat cum nunc ſolùm ſiniſtrum brachium: nunc dexterum: interdum etiam digitum vnum: aliàs crus alterum: aliàs vtrumquè: aliàs corporis truncum tanta celeritate agitaret, vix vt à miniſtris quatuor decumbens cohiberetur, caput inconcuſſum iacebat, lingua, & locutio libera, mens ſana, omneſquè ſenſus integri, vel in conuulſionis ferocia: dçcies ad minimum quotidiè corripiebatur; in cæteris ſanus, ſed labore confractus, vera epilepſia indicari poterat, ſi mentis, ſenſuumquè læſio acceſſiſſet. Peritiſſimi quiquè Medici adhibiti conuulſionem epilepſię finitimam à maligno, venenatoquè vapore ſpina dorſi impacto cenſuerunt, qui vapor in eos neruos irrueret, qui à ſpina in artus quaquauerſum, non autem in cerebrum diſſeminaretur. Varia fuerè adhibita remedia, quæ tamen nihil profuerunt; ſed menſe tertio primùm deprehenſus dæmon quidam totius mali auctor voce, inſuetiſquè verbis, ac ſententijs tùm latinis, tùm græcis (quamquam ignarus græcæ linguæ laborans eſſet) ſe prodens, is multa aſſidentium, maximequè Medicorum ſecreta detegens, ridens, quòd multa periclitati temerè eſſent; quòd irritis pharmacis corpus hoc penè iugulaſſent.* Hactenùs Fernelius.

Quare Medici vexatos à dęmonibus, & maleficijs affectos Eccleſiæ miniſtris curandos remittere debẽt.

Quarè ſatius eſſet, ſi Medici alienum non vſurparent officium, & ſuum ritè exequerentur. Quod fiet, ſi vexatos à ſpiritibus immũdis, & maleficijs affectos ipſis oblatos ſtatim Theologis Exorciſtis, alijſq. Eccleſiæ Sanctæ Miniſtris curandos remmittant: cum illorum ſit, remedijs ſupernaturalibus, & diuina virtute dæmonem latenter operantem expellere. Quem conſtat toti humanæ, & phyſicæ potentiæ reſiſtere facilè poſſe. Dum enim vi humana contra illum agitur, *quaſi fortis armatus cuſtodit atrium ſuum*, vt ait Chriſtus *Lucæ* 11. cum verò Diuina vis adhibetur, velociter exire cogitur, quia *fortior eo ſuperueniens vincit eum, vniuerſa arma eius aufert, in quibus confidebat, ſpolia eius diſtribuit*, & ſe victorem, & triumphatorem infernalium poteſtatum oſtendit.

DISPV-

DISPVT. III. DE MALEFICIS, VT CAVSA MALEFICIORVM DIVISIO.

Partes. Capita. Sectiones. Articuli.

- **Malefici.**
  - 1. Quinam ſint.
    - 1. Superiores.
      - 1. Inuiſibiles.
        - Ordinis ſupremi. 1
        - Ordinis infimi. 2
      - 2. Viſibiles.
        - Omnis conditionis. 1
        - Omnis ſexus. 2
    - 2. Inferiores.
      - 1. Viri.
        - Gentiles. 1
        - Iudæi. 2
        - Chriſtiani. 3
      - 2. Mulieres.
        - Sexu fragiles. 1
        - Fide labiles. 2
        - Malitia inſignes. 3
  - 2. Quales ſint.
    - Homines diabolici.
      - 1. Fœdere.
        - Expreſſo. 1
        - Tacito. 2
      - 2. Societate.
        - Publica. 1
        - Priuata. 2
      - 3. Miniſterio.
        - Infami. 1
        - Intolerabili. 2
        - Continuo. 3
    - Diaboli humanati.
      - 1. Impietate.
        - In Deum. 1
        - In Chriſtum. 2
        - In Sanctos. 3
      - 2. Iniquitate.
        - In ſeipſos. 1
        - In ſuos. 2
      - 3. Iniuſtitia.
        - In viuentes. 1
        - In mortuos. 2
  - 3. Quanti ſint.
    - Quoad ſpeculatiuam.
      - 1. Diuinatricem.
        - Explicitam. 1
        - Implicitam. 2
      - 2. Obſeruatricem.
        - Artium. 1
        - Sanitatum. 2
        - Euentuum. 3
    - Quoad practicam.
      - 1. Magicam.
        - Veram. 1
        - Apparentem. 2
      - 2. Maleficam.
        - Somniferam. 1
        - Amatoriam. 2
        - Hoſtilem. 3

DISPVTAT. TERTIÆ.

De Maleficis, vt ſunt cauſa maleficiorum.

SVMMARIA.

QVIDAM Medici aſſerunt, quæ de maleficis dicuntur, eſſe meras illuſiones.
Cuius opinionis fuit Hippocrates; qui excuſatur à Codronco. 454
Sed dicta excuſatio refellitur.
Viſio Locuſtarum à Ioanne Apocal. 9. *deſcripta Maleficis adaptatur; quorum repræſentantur Perſonæ, Mores, & Operationes: ſeù Quinam: Quales, ac Quanti ſint tribus partibus huius diſputationis.*
Ex quibus oſtenditur, illos ad maleficia verè cum Dæmone concurrere, & operari; & ideò eorum cauſas efficientes miniſteriales eſſe.

Pars I. Quinam ſint Malefici.

More Principum Dæmon conatur imperij fines dilatare, & dominari. 458.
In Cælo Angelis per perſuaſiones. 459.
In Inferis Dęmonibus per tormenta.
In Terra Hominibus per maleficia.
Quinam ſint Malefici.
Latè vocantur Magi, Venefici, Incantatores, Sortilegi, Sortiarij, Sagæ, Lamiæ, Stiges, Pharmaceutriæ. 460.
Propriè qui fęderantur cum Dæmone ad mala alijs inferenda.
Ex pacto vel expreſſo, vel tacito, ſic exigente dæmonis ſuperbia, Hominiſque malitia. 461.
Ideò Maleficorum turmæ vocantur fæderatorum dæmonis exercitus.
In quo alij ſunt Duces, & Superiores. Alij ſunt Milites, & Inferiores: vt duobus capitibus palam fiet.

Caput I. Superiores.

Locuſtæ terreſtres ducem non habent more auium, & animalium. 463.
Infernales Luciferum ducem ſequuntur; Qui eſt Abaddon, Apollyon, Exterminator, & Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.
Malitia maleficorum dæmonem in Regem agnoſcendo. 464.
Politica Luciferi in Maleficorum regimine; Quibus duces ſubalternos præficit alios Inuiſibiles: alios Viſibiles: vt ſequentes ſectiones patefacient.

Sectio I. Inuiſibiles.

Dæmones ſunt Maleficorum duces, quibus imperant, vt Domini, & obſequuntur, vt Miniſtri. 465.
Aſſignatur inſuper ratio ſuſcepti ab eis huiuſmodi ducatus.
Ex parte
Dei, ad grauiorem eius offenſam.
Dæmonis ad ſuam impotentiam tegendam. 466.
Hominis ad eum arctiùs illaqueandum.
Cui ſe immiſcent cuiuſcunque ſint ordinis ſupremi; vel infimi, vt duobus articulis patefiet.

Articulus I. Ordinis Supremi.

Deus præter Angelos ordinis inferioris deputat Archangelos, Principatus, & alios ſpiritus ſuperiorum ordinum ijs, quos pręficit in Eccleſia. 467.
Idem facit dæmon primarijs Maleficis primarios dæmones deputando in directores. 468.
Qui durè, & inconſtanter ſe gerunt erga illos. Probatur ex Porphyrio.

Articulus II. Ordinis infimi.

Maleficorum ductores, & præſides non ſunt Angeli medij, vt putant Platonici. Probatur ex Scriptura, ac Patribus. 469.
Sed mali dæmones à Lucifero deputati: Qui ſecundùm quoſdam illos poſſident: vel obſident. Secundùm nos eis adſunt, & miniſtrant in multis, quæ referuntur. 470.

Sectio

Sectio II. Viſibiles.

In Eccleſiæ regno dantur Caput inuiſibile, & viſibile: ac Miniſtri inuiſibiles, ac viſibiles. 471.

Idem in regno dæmonis, in quo ad regimen maleficorum præter dæmones inuiſibiles conſtituuntur in duces homines viſibiles omnis Conditionis, & Sexus: vt duobus articulis oſtendetur.

Articulus I. Omnis Conditionis.

Dæmon in duces Maleficorum eligit eos, qui pollent potentia, vt Reges: ſcientia, vt Philoſophos: malitia, vt impios. Et quare. 472.

Articulus II. Omnis Sexus.

Inter viros, & mulieres Maleficorum duces vna eſt Regina Luciferi vxor; quæ cęteris ampliorem habet honorem, & poteſtatem.

Per illam iuxta gradum cęteri conſequuntur honorem in congreſſibus publicis, & priuatis, ac poteſtatem in dęmones, ſed coactam: & in maleficos, ſed ſimulatam. 475.

Caput II. Inferiores.

Grauis Aegypto plaga locuſtarum. Exod. c.10. 478.

Grauior orbi plaga Maleficorum; qui vexant non Aegyptum, ſed Orbem: non herbas, ſed Homines: non aliquando, ſed ſemper.

Et quaſi milites innumerabiles colliguntur tum ex viris: tum ex mulieribus; vt ſequentes ſectiones demonſtrabunt.

Sectio I. Viri.

Regia Chriſti dignitas titulo triplici lingua exarato declaratur. 479.

Poteſtas dæmonis triplici nomine, quo inſignitur à Ioanne.

Abaddon	*Hæbraicè.*
Apollyon	*Græcè.*
Exterminans	*Latinè.*

Quia ſe extendit ad tres illas præcipuè nationes cum Deo ſpecialiter fęderatas, nempè Gentilem, Iudaicam, & Chriſtianam: vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Gentiles.

Gentiles, qui & Græci à Paulo vocitantur, Magiæ dediti. 480.

Probatur in Chaldæis, Aegyptijs, Græcis, & Romanis.

Quomodo dilatata in omnes orbis nationes per Medicos, Sacerdotes, Philoſophos. Ex Plinio.

Quare dilatata, ex D. Paulo. 481.

Articulus II. Iudæi.

Magiæ, & idololatriæ Iudęi inſimul dediti, quæ ſunt duæ ſuperſtitionis ſpecies. 485.

Dum
- *Errant in deſerto per 40. annos.* 486.
- *Pugnant in Terra promiſſa contra Chananæos.* 487.
- *Regnant in Iudęa, & in Iſrael.* 488.
- *Seruiunt in captiuitatibus Aſſyriaca, Babylonica, ac Romana.* 489.

Articulus III. Chriſtiani.

Inter Chriſtianos duo genera Hominum magicas artes exercent 490.
- *Qui fide carent, nempè hæretici: quod probatur varijs exemplis, & ratione.* 491.
- *Et qui fidem habent mortuam, ſcilicet, impij.* 493.
- *Quod probatur ex moribus ipſorum.*

Sectio II. Mulieres.

Mulieres magicis artibus viris addictiores.

Probatur ex Hiſtorijs, Iure, & experientia. 494.

Aſſignantur rationes tribus articulis.

Quia
- *Sexu fragiles.*
- *Fide labiles.*
- *Malitia inſignes.*

Articulus I. Sexu fragiles.

Fragilitas ſexus fęminei probatur.

Ex ſtatu — *Spiritus, intellectus, nempe, & voluntatis. Animæ, & eius paſſionū. Corporis, & temperamento.* — *Mulierum.*

Quare citiùs à diabolo decipiuntur. 495.

Articulus II. Fide labiles.

Mulieres ad credendum pronæ: quia ſunt ignorantes, & curioſæ: Ideò faciliter inducuntur ad maleficia, 496.

His dæmon vtitur ad magicas artes diſſeminandas: quia illas alijs mulierculis ſuadent facillimè, & efficaciter.

Exemplo moderno comprobatur.

Articulus III. Malitia inſignes.

Malitia mulierū probatur ex ſcriptura, ac ratione.

Quomodo illas inducat ad maleficia. 497.

Pars II. Quales ſint Malefici.

Difficile eſt mores Magorum, & Maleficorum agnoſcere.

Ex

Ex Ioannis viſione colligitur illos eſſe Homines diabolicos, prout relationem habent ad dæmonem, cui ſeruiunt: ac eſſe diabolos humanatos prout referuntur ad alios, quos impugnant: vt duobus capitibus palam fiet. 499.

Caput I. Homines diabolici.

Magi, & malefici ſunt Homines diabolici: quia more diaboli ſemper malum volunt, & faciunt: & in malo volendo, & faciẽdo perſeuerãt. 500.

Ad quod aſtringuntur triplici vexu. Sectionibus patefiet.	*Fœdere. Societate. Miniſterio.*	*vt tribus.*

Sectio I. Fœdere.

Ex fœdere maleficus ſemper compellitur ad malum & ad illud faciendum tenetur. 501.

Datur verum pactum inter vtrumque non obſtante diuerſitate naturarum: ac impoſſibilitate promiſſorum. 502.

Probatur veritas pacti Pontificum ſanctionibus, conſenſu Theologorum, ac Iuriſperitorum: necnon confeſſione magorum, ac maleficorum.

Quod eſt vel Expreſſum, vel Tacitum, vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Articulus I. Expreſſo.

Pactum expreſſum variè initur, verbo, nutu, ſcripto. 504.

Et fit vel in præſentia, vel in abſentia Dæmonis.

In præſentia dæmonis apparentis, vel viſibiliter in forma aliqua.

Quadrupliciter, videlicet.	*Remotis arbitris.* *Mago conſcio, ſed abſente.* *Præſente mago.* 505. *Coram omnibus magis.*

Vel ſenſibiliter in voce, aut ſigno.

In abſentia dæmonis coram vno Mago, vel pluribus. 510.

Quænam ſit pacti expreſſi practica.

Quoad	*Pactum ineuntes, & promiſſiones.* *Formam pacti, & eius obſeruationem.* *Ratificationem pacti modò exhibitam, modò dilatam.* 511.

Articulus II. Tacito.

Pactum tacitum duplici modo contrahitur, cum quis ad aliquem effectum ſuperſtitioſis vtitur ſignis, quæ vel non habent vim illum producendi: vel coniunguntur cum rebus naturalibus illa vi præditis. 512.

A ſcientibus contrahitur cum peccato mortali: ab ignorantibus, cum veniali; ſed quandoque etiam cum mortali. 513.

Vitanda ſunt omnia illa pacta expreſſa, & tacita: quia mala in ſeipſis: fallacia in promiſſis: noxia in effectibus.

Sectio II. Societate.

Societas humana impellit Homines vel ad bonum, ſi fit cum bonis: vel ad malum, ſi fiat cum malis; & ita transformat vel in bonos, vel in malos. 515.

Diabolica magos, & maleficos in diabolos transformat. Quæ eſt vel Publica: vel Priuata: vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Publica.

Publicè malefici dæmonibus coutuntur in cœtibus generalibus; & diabolicos induunt mores: vt probatur ex illorum acceſſu, ſtatione, & receſſu. 516.

Quæ tria prolixiùs deſcribuntur in ſuis circumſtantijs.

Articulus II. Priuata.

Malefici priuatim familiares dæmonibus apparentibus,, vel viſibiliter: vel inuiſibiliter. 520.

Ex illa familiaritate dæmones fiunt, dum ſemper faciunt malum corde cogitando: ore loquendo; opere operando. 521.

Sectio III. Miniſterio.

Si quales ſunt domini, tales ſerui, malefici ſunt diaboli, quia diabolorum; à quibus ſeruili nota inſcribuntur. 524.

More	*Tyrannorum* *Legali* *Spirituali.*	*Dominorum temporaliũ.* *Iudæorum.* *Spiritus ſancti.*

Deſcribitur	*Pars corporis, in quę inuruntur.* 525. *Forma varia, quæ imprimitur.* 526. *Effectus, qui inde ſequitur.*

Et ipſi exhibent ſeruitutem Infamem, intolerabilem, & Continuam; vt tribus articulis patefiet.

Articulus I. Infami.

Serui debẽt ſuis dominis obſequia tria ſcilicet, perſonæ reuerentiam: Miniſterijs fidelitatem: Mandatis obedientiam, quæ quomodo honorabilia, vel contemptibilia. 527.

Hæc tria ſunt infamia apud ſeruos maleficos.

Quia exhibent reuerentiam vili dæmoni in forma hirci apparenti, & modo alieniſſimo, ridiculo, & horribili.

Præſtant fidelitatem medio iuramento præſtito, concepta forma verborum, & oblatione annua.

Seruant obedientiam in mandatis contemptibilibus, & horribilibus. 530.

Articulus II. Intolerabili.

Seruitus dæmonis intolerabilis eſt maleficis, ſi adſint exercitijs publicis, & ſint obedientes, octo eorum prætenſæ beatitudines infelices ſunt, quæ ſunt. 531.

1. *Portari per aera.*	5. *Saltare.*
2. *Videre Luciferi pompam.*	6. *Conuerſare cum extraneis.*
3. *Colloqui cum dæmonibus.*	7. *Epulari.*
4. *Cantare.*	8. *Coire.*

Si verò adſint priuatis: cruciantur variè, nempè.
Natura propenſa ad miſericordiam.
Conſcientiæ ſtimulis. 539.
Terrore externo Iudicum.
Si autem abſint à dictis exercitijs, & mandata publica, aut priuata detrectent, à dęmone coguntur lenocinijs, minis, verberibus, ac pœnis ad illa exequenda. 540.
Puniuntur ob errata ſiuè commiſſa, ſiuè omiſſa: vera vel, ficta. 541.
Impelluntur ad malum maius exequendum vel in alijs: vel in ſuis: vel in ſeipſis: ſiuè vnus ſit maleficus, ſiuè plures.

Articulus III. Continuo.

Dęmon ſibi addictos elabi non ſinit; ſed retinet ſub omni poſitos poteſtate. 544.
1. *Diabolica, dum volunt conuerti ad Deum.*
2. *Humana; dum inter manus ſunt Iudicum.*
3. *Diuina, poſtquam ad Deum conuerſi ſunt.*

Si enim ſub dæmonis poteſtate velint conuerti, obſtat ipſe promiſſis, minis, verberibus. Suadet non amplius ſupereſſe miſericordiæ locum. Quo errore extenuatur diuina gratia. 545.
Extollitur dæmonis poteſtas: Tollitur humana libertas, et inducitur deſperatio. Tandem detinet illos in errore, ſuadendo ſilentium, et ſic deſperati moriuntur. 546.
Probatur exemplo cuiuſdm neuterici, cuius inſolitæ actiones enarrantur.
Modus obſeruatus ab Auctore ad cognoſcendam illius ſimulatam pœnitentiam adducitur. 547.
Si verò ſub poteſtate Iudicum, et Magiſtratuum ſint, hortatur ad ſilentium extra tormenta, et in tormentis, nec non ad deſperationem, ſiuè velint, ſiuè nolint conuerti. 551.
Ideò admonendi ſunt, ſemper eſſe locũ pęnitentiæ.

Siuè ex parte	*Pacti, quod nullum eſt.*
	Liberi arbitrij, quod eſt variabile vſque in finem.
	Dei, qui eſt pijſſimus.

Si tandem ſint in poteſtate Dei, poſt conuerſionem terrent viſibiliter varijs apparitionibus, ac inuiſibiliter magnis tentationibus.
Probatur exemplo puerorum conuerſorum, ac maleficorum condemnatorum. 556.

Caput II. Diaboli humanati.

Malefici, vt Iudas, diaboli ſunt non natura; ſed imitatione.

	Impietate	
Quia illum referunt	*Iniquitate*	*vt tribus ſectionibus patefit.* 558
	Iniuſtitia.	

Sectio I. Impietate.

Primus diaboli impetus fit in Deum, contra quem impiè ſe extollit ab initio. Et modò, dum aperit os ſuum, vt ait Ioannes, in blaſphemias ad Deum.

	Nomen eius.
Blaſphemando	*Et tabernaculum eius.*
	Et eos, qui in cęlo habitant. 559

Quam impietatem malefici imitantur inſurgendo in Deum, in Chriſtum, et in Sanctos, vt tribus articulis notum fiet.

Articulus I. In Deum.

Pietas, & religio maleficorum damnata à D. Paulo Coloſs. 2. quia eſt ficta pietas iniquam vitam tegens, & vera impietas, quæ coniunctas habet idololatriam, hæreſim, blaſphemias, & atheyſmum. 560.

Articulus II. In Chriſtum.

Sub ſimili pietatis larua malefici Chriſtum variè honorant actibus exterioribus; ſed variè inhonorant diuerſis ſacrificijs, quæ recenſentur. 566.

Articulus III. In Sanctos.

Simili impietate inſurgunt in Mariam Virginem, & in Sanctos, quos.
1. *Inſectantur blaſphemijs, ludibrijs, & ſortilegijs.* 568.
2. *Infamia eos afficiunt, morbum ſingularem vnicuique aſſignando, alij ignem ſacrum: alij dolores capitis: alij choleram: alij ſtrumas, &c.*
3. *Honorant cæremonijs ſuperſtitioſis, & ridiculis.* 569.

Sectio II. Iniquitate.

Secundus diaboli impetus fit in ſeipſum, & in ſuos; quos culpis, ac pœnis inuoluit.
Hunc imitantur malefici, dum iniqui ſunt vtroque modo in ſeipſos, & in ſuos: vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 571.

Articulus I. In Seipſos.

Iniqui ſunt in ſeipſos, qui iniquitatem faciunt, ait Raphael Archangelus. Iniqui ergo malefici in ſeipſos, qui tot iniquitatibus ſunt obnoxij præter ſupra enumeratas, pręcipuè. 572. *et ſeq.*

Superbiæ	*Maledicentiæ*	*Obſtinatione.*
Luxuriæ	*Gulę*	*Malitiæ diligenti.*
Hypocriſi	*Auaritiæ*	*Inſigni crudelitati.*

Quæ omnia ſymbolis myſticis in apocalypticis locuſtis à Ioanne deſignantur.

Articulus II. In Suos.

Magna neceſſitas ſanguinis in Hominibus, & in Feris.

Hanc violant malefici ſuos faciẽdo participes ſuarum

1. *Culparum, dum illorum maleficorum cœtui aggregare contendunt: vel imperio, ſi ſubditi, vel perſuaſionibus ſi liberi.* 580.
Vnde ſortilegia hæreditaria.
2. *Pœnarum, dum eis venena propinant, & infirmitates immittunt, in compenſationem mali ommiſſi, & experimentum fidelitatis. Vnde parentum cædes apud eos frequentes.* 581.

Pars III. Iniuſtitia.

Tertius dæmonis impetus fertur in homines. 582.

Hunc imitantur malefici per equos deſignati, dum inſectantur variè viuentes, & mortuos, vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. In Viuentes.

Iuſtitia reddit vnicuique quod ſum eſt.

- *Superiori reuerentiam, & obedientiam.*
- *Aequali conſilium, & auxilium.*
- *Inferiori cuſtodiam. & diſciplinam.* 583.

Iniuſti malefici, qui omnibus illa negant obſequia, nocendo

- *Viris*: *Prælatis, Sacerdotibus, Primatibus, Belli ducibus, Militibus, Magiſtratibus, Iudicibus, Doctoribus, Medicis, Artificibus.*
- *Mulieribus vxoratis, prægnantibus, parturientibus, lactantibus.* 591.
- *Pueris, & Puellis, quos variè vexant.*
- *Omnibus diuerſis calamitatibus affectis.*

Articulus II. In Mortuos.

Honor antiquitùs, & modò ſemper habetur Mortuis efferendis è domo, Condiendis ſepulcro, Sepultis in cæmeterio. 593.

Hunc malefici violant cadauera extrahendo à Sepulturis.

Quod probat mos antiquus, & modernus ipſorum. 594.

Nec non adhibendo ad maleficia horrendis modis.

Qui enumerantur, ac confirmantur hiſtorijs. 595.

Pars III. Quanti ſint.

Facile eſt definire, quanti ſint malefici virtute, & potentia: cum quæcunque poſſunt dæmones, vt plurimum poſſint, & ipſi: Et ſuperiùs quanta ſit potẽtia dæmonis latè demõſtratũ fuerit. 597.

Quia tamen illa regula non eſt vſquequaque vera, aperitur in hac tertia parte, quanti ſint in ſcientia quoad Speculatiuam, & quanti in potentia quoad Practicam duobus ſequent. Cap.

Caput I. Quoad Speculatiuam.

Tota ſcientia ſpeculatiua maleficorum continetur duabus ſpeciebus ſuperſtitioſis, ſcilicet Diuinatione, & Vana obſeruantia.

Ideò alia eſt Diuinatrix; alia Obſeruatrix: vt duabus ſectionibus palam fiet. 598.

Sectio I. Diuinatricem.

Tripliciter acquiritur rerum occultarum, & futurarum cognitio, videlicet Per Prophetiam, quæ eſt à Dei illuſtratione. Per coniectationem, quæ eſt ab obſeruatione humana. Et per Diuinationem, quæ eſt à dæmonis impulſu. 599. & ſeq.

Et quia hæc vltima fundatur in pacto expreſſo, aut tacito dæmonis, diuiditur duobus articulis in Explicitam, & Implicitam.

Articulus I. Explicitam.

Explicita diuinatio fundatur in pacto explicito; & fit vel conceptis verbis, & formulis: vel ſignis determinatis, & factis. 603. & ſeq.

Plures complectitur modos, ſicut plures ſunt modi diabolicæ inuocationis, qui reuocantur ad ſeptem, cum dæmon reſpondet.

Per	*Idola.*	*Hoſtias immolatas.*
	Idolorum Sacerdotes.	*Somnia illicita.*
	Vates, & Pythones.	*Mortuos ſuſcitatos.*
	Figuras, & Symbola.	*Seu capita mortuorũ*

Qui omnes ſpectant dæmonomantiam: vel Necromantiam.

Articulus III. Implicitam.

Implicita diuinatio in pacto fundatur implicito, & tacitam continet inuocationem dæmonis. Diuiditur verò in Augurium, & Sortilegium.

Augurium eſt, quod capitur ex diſpoſitione quarundam rerum, cum medijs debitis notitia ſoli Deo reſeruata quæritur. 613. & ſeq.

Primò autem hæc diſpoſitio conſiderat motum, ſitum, & numerum, voces, cantus, & ſonos, figuras, colores, & lineamenta.

Secundò petitur ex aſtris, igne, aere, aqua, terra, mixtis, herbis, & plantis, piſcibus, auibus, quadrupedibus, hominibus, & eorum membris. Vndè prodigioſæ Diuinorum turbæ.

Tertiò exercetur iuſtè rariſſimè. Licitè ſæpè: Illicitè ſæpiſſimè, prout ſigna ſunt: vel diuina: vel naturalia: vel diabolica.

Ideò probibita omni iure: quia	*Deo iniurioſa.*
	Homini noxia. 618. & ſe.
	Dæmoni grata.
	Exercenti damnoſa.

Sortilegium verò eſt, quod ſortium vſu perficitur; cum aliquid eo fine agitur, vt ex eius euentu aliquid occultum innoteſcat. Quæ ſortes varijs modis ductæ ſunt Vel diuiſoriæ: Vel conſultoriæ: Vel diuinatoriæ. Quorum natura explicatur. 626.

Sectio II. Obſeruatricem.

Obſeruatrix ſcientia Maleficorum meritò obſeruantia vana vocatur; quæ non differt aliquando à Magia ſuperſtitioſa, à diuinatione, à Magia ſpeciali, & à Maleficio.
Etiaſi ſpecies ſuperſtitionis ipſa conſtituatur. 631.
Reducitur autem ad tres ſpecies obſeruantiæ, ſcilicet.

Artium. *Sanitatum.* *Euentuum.*	*vt tribus articulis declarabitur.*

Articulus I. Artium.

Homines naturaliter ſcire deſiderant.
Dæmon ſub ſcientiæ ſpecie decepit non ſolùm primos, ſed & poſteros homines. 632. *& ſeq.*
Ad eam acquirendam extraordinariè adinuenit, & per ſuos Magos tradit.

Artem	*Notoriam.* *Paulinam.* *Angelicam.*	*quæ eſt*	*Vana.* *Superſtitioſa.* *Sacrilega.*

Articulus II. Sanitatum.

Cum ſanitas ſit in ſummo prætio apud homines, ad illam tuendam, & infirmitates ſanandas docet per Magos, quomodo ſint adhibenda ſigna alia ſpiritualia: alia naturalia; ſed vana, ridicula, & ſuperſtitioſa. Ideòque prohibita. 634.

Articulus III. Euentuum.

Superſtitio humana ex omnibus rebus omina ſumit: vt probatur exemplo Romanorum, Græcorum, Aegyptiorum, Syrorum, & omnium nationum.
Sed omnia illa vana eſſe, ac ſuperſtitioſa oſtendunt SS. P. P. Auguſtinus, Chryſoſtomus, & alij. Ratioque ipſa dictat. Ideò prohibita. 635.

Caput II. Quoad Practicam.

Practica magica ipſis magis deteſtanda, dum ſuas operationes non magiæ ſuperſtitioſæ; ſed naturali tribuunt.
At perperam: cum omnes procedant à ſuperſtitioſa, quæ duplicem finem habet, alterum, oſtentationem, & commodum ſuum, aut alienum: alterum, damnum alijs inferendum.
Et ſic nominatur primo modo magia ſpecialis. Secundo modo dicitur maleficium.
Ideò tota practica maleficorum vel eſt magica: vel malefica: vt probabitur ſequentibus ſectionibus.

Sectio I. Magicam.

Tanta eſt vis magica, vt interdum eius opera miracula vocentur. 638.
Hoc probari videtur magorum iactationibus, ac Aegyptiorum exemplo.
Non tamen ſunt miracula, quæ vim ſuperant dæmoniacam, ac malefica. Sed mira, quorum alia ſunt Vera: alia Apparentia: vt duobus articulis explicabitur. 639.

Articulus I. Veram.

Si malefici omnia poſſunt, vt plurimùm, quæcunque poſſunt dæmones, certum eſt, eos poſſe mira perficere, quę differunt. 640.
Primò ab operibus miraculoſis à Sanctis peractis, ſi conſiderentur.
Vel opera ipſa: quia illa omnem naturæ vim excedunt in tribus. Iſta non excedunt.
Vel operantes, qui differunt actione, modo agendi, ac fine.
Secundò ab operibus miris à natura productis, à quibus diſcernuntur, ſi conſiderentur, Vel opus naturalem facultatem excedent: Vel actio producta in rem diſtantem: Vel effectns procedens à rebus vanis. 641.
In ijs diſcernendis duo extrema ſunt vitanda; Neque enim omnia ſunt acceptanda vt effectus naturales: neque conſideranda vt effectus magici. 642.

Articulus II. Apparentem.

Magi circulatores meritò appellantur qui dæmonem imitantes præſtigijs vtuntur in ſuis actionibus, cum non iuuantur à motu locali, vel applicatione rerum naturalium. 643.
Hæ præſtigioſæ actiones diſcernuntur, quia fiunt ſine ſoliditate, ſtabilitate, vel vtilitate: imò cum ſpectantium damno: quia illos inducunt ad infidelitatem, ſcelera, & magiam. 644.

Sectio II. Maleficam.

Malefici ad maleficia concurrunt cum dæmone, cui illorum accedente conſenſu plura licent.
Sed dæmon vt cauſa efficiens, & propria. 645.
Maleficus vt cauſa moralis, ſeu miniſterialis, & remota.
Quod libenter præſtant: quia incitantur.

A	*Dæmone Hominum exitium procurante.* *Malitia propria ad idem propellente.* *Alienis ſollicitationibus impiorum.*

Omnia verò reuocantur in tribus articulis ad maleficia.	*Somnifera.* *Amatoria.* *Hoſtilia.*

Arti-

Articulus I. Somniferam.

Paratos nos eſſe conuenit, & vigilare contra dæmonem furem nocturnum: & maleficos Noctambulones. 646.

Quorum inſidiæ ad ſomnum diabolicum inducendum.

Difficiliter vitantur: quia ope dæmonis in cameras ingrediuntur.

Faciliter concinnantur: quia vtuntur remedijs naturalibus, ac diabolicis. 648.

Crebrò adhibentur, vt ſibi faueant, & alijs noceant; niſi orationibus præueniantur.

Articulus II. Amatoriam.

Dæmon non ſolùm in bona externa, & corpora graſſatur; ſed etiam in animam, quam impellit ad libidinem, & amorem impurum, cum malefici philtris, & amatorijs poculis aliquem ad amandum excitare volunt. 650.

Hoc teſtantur Scriptura, Patres, Theologi, Caniſtę, Iuriſperiti, Philoſophi, Poetę, malefici, & experientia ipſa.

Quod faciunt vel intra, vel extra corpus diuerſimodè.

Et ſic Homines prouocant ad perturbationes, inſanias, & mortem ipſam. Vt hiſtorijs comprobatur. 651.

Ita tamen quòd non poſſunt humanam voluntatem determinare, ſi vtuntur naturalibus: vel cogere, ſi vtuntur diabolicis. 653.

Articulus III. Hoſtilem.

Sicut hoſtes omnibus vijs nocent; ita dæmon generis humani hoſtis per varia maleficia hoſtilia, quæ nocent vel Animæ vel Corpori: vel Bonis fortunæ.

Et hoc deuouendo: ligando, abortum faciendo, lac exſiccando, vel toxicando. 655. & ſeq.

Concluſio Diſputationis.

Malefici ergo veluti ſpirituales locoſtæ totum mūdum ſuis maleficijs infeſtant.

Ideò ſunt cauſa efficiens maleficiorum. 664.

Quæ cum proueniant ab ipſis tanquam à cauſis inſenſibilibus.

Non ad medicum pertinere eorum cognitionem, ſtatuitur.

Conſtat ex operandi modo medici ignoto, ac poteſtate à medicis aliena.

Ad Theologos ergo Exorciſtas ſpectare concluditur; ad quos medici mittere debent maleficio affectos.

DISPV-

DISPVTATIO III.

DE MALEFICIS,

Vt ſunt cauſa Maleficiorum.

454 ABSOLVIMVS hactenus ſuperno opitulante Numine de Deo, & de Dæmone, altero vt cauſa permiſſiua, altero vt cauſa efficiente maleficiorum, diſputare. Modò ex ordine nobis propoſito ad ea ferimur, quæ maleficum vt cauſam efficientem, & operantem ſpectant; quam admittere nolunt quidam ex Medicis, qui etſi ſpiritus inuiſibiles in rerum natura dari putent; dęmoneſque mirabilium operatores agnoſcant; ſentiunt tamen, non eſſe Maleficos, & ea omnia, quæ ab illis in morborum immiſſionibus, aut curationibus fieri dicuntur, meras eſſe illuſiones, ſomnia, imaginationes; atquè ideò omnes poſſeſſiones, obſeſſiones, & maleficia, quæ à rudi plebecula occultas cauſas ignorante dęmonibus, quaſi operationum inſolitarum artificibus tribuuntur, nihil aliud eſſe, aſſerunt, quàm naturæ malignantis effectus ob prauos humores, & corruptam complexionem.

Quidam Medici aſſerũt, quæ de maleficis dicuntur, eſſe meras illuſiones.

§. I.

Huiuſce opinionis fuit Hippocrates.

TAlis fuit Hippocrates Medicorum facilè princeps, qui apertè dæmonum meminit *lib. de morbis Virginum, & lib. de ſacro morbo.* In quo etiam de Magis, & Maleficis loquitur. Cenſuit tamen, tum dæmones morbos non immittere: tum Maleficos in ſuis operationibus nihil aliud agere, quàm homines de facili credulos decipere, & illuſionibus circumuenire.

Excuſatur à Codronco.

Primum impugnatur à Codronco *de morbis maleficis lib. 1. cap. 7.* qui probare contendit, illum docuiſſe dæmones maleficiorum eſſe cauſas ex celebri præcepto in Prognoſticis ab eo Medicis tradito: *Vt ſi quid diuinum*, ait ille, *in morbis habetur, illius etiam ediſcant prouidentiam*. Quibus verbis indicat, huiuſmodi morbos cauſam habere procreantem, & ſanantem extra naturam. Idem confirmat ex eiuſdem Hippocratis verbis, qui *in libro de Natura muliebri* ſcribit: *Hominibus morborum cauſam eſt Numen: ſiuè quid diuinum; & ideò oportere ex Dijs, ſeù ex Numine inchoare.* In his enim duobus locis per illud, *Numen ſeù quid diuinum*, Deum non intelligi aſſerit, & probat ex Galeni ſententia in 1. Prognoſticorum, vbi profitetur oſtendere, Hippocratem nullo modo ſuo libro cauſam morborum in Deum referre. Vndè concludit, intelligi dęmones morborum maleficorum auctores.

§. II.

AT nequè dęmones *per illud quid diuinum* intelligendos eſſe contra Codroncum probatur ex Galeno, quem probè Hippocratem intellexiſſe, ſenſumque horum verborum penetraſſe concedendum eſt: cum iuxta ipſius Codronchi ſententiam reliquos omnes ſuperiores Medicos (Hippocrate excepto) & ingenij magnitudine, & doctrina, & diligentia facilè ſuperauerit. Hic verò *in lib. Prognoſtic. per diuinum* intelligit aeris conſtitutionem. Nam reiectis duabus opinionibus circa illud *diuinum* à Medicis excogitatis: Altera illorum, qui putabant morbos ob peccata, & ſcelera à Deo immitti: Vbi Moyſen, Prophetas, & Euangeliſtas tanquam ſine ratione, vel demonſtratione loquentes carpit. Altera eorum, 455

Eius excuſatio refellitur.

rum, qui dies decretorios, quibus morbi ſolui ſolent, ad cauſam diuinam referebant; quia incognita eſt, & inopinabilis. Tandem propriam affert opinionem, & dicit: Nomine, *Diuini*, Hippocratem intellexiſſe aeris ambientis conditionem, vndè morbi publicè vagantes oriuntur, de quibus egit *in lib. Epidem. & in 3. lib. de Aphoriſm.* Quaſi ob id diuina appelletur aeris conditio, vel quia ſublimior eſt: Vel quia à cæli motu fit. Vel quia vitari nequeunt morbi ex aeris conditione procedentes. Aliter verò illud *Diuinum* exponunt Marſilius Ficinus, Franciſcus Valeriola, & Hieronymus Mercurialis, qui videntes non reperiri Hippocratem alijs in locis vſum eſſe hac voce *Diuini* pro aeris conſtitutione, dixerunt, per *Diuinum* in morbis ab Hippocrate appellari quod in aere quidem eſt, ſed à cælo cauſatur: *qualitas*, ſcilicèt, *ſecreta, & malefica*. Quam explicationem doctiſſimi illi viri ex teſtimonijs eiuſdem Hippocratis, & Auicennæ confirmant. Quare ex his duobus locis non probatur, Hippocratem putaſſe dæmones maleficos morbos immittere, cum per illud *Diuinum, aut Numen*, iuxta Galenum alioſquè Doctores ſupra memoratos non intelligantur dæmones, ſed qualitas illa ſecreta: aut aer, quem alias cælum, & rem cæleſtem appellat, vt interpretatur Galenus *in 1. Epidem.* Nec veriſimile eſt, Hippocratem huius fuiſſe opinionis: quia vt Codroncus ipſe fatetur dæmonum facultatem ignorauit. Si enim illorum potentiam ignorauit, quomodo potuit eis tales operationes maleficas aſſignare? Quod etiam ex eo colligitur, quòd *lib. de ſacro morbo*, de Magis, & de maleficis diſſerens, in eos inuehitur, qui Deum, ſeù Deos malorũ eſſe auctores exiſtimabant. Siuè enim Dei vnitatem agnouerit: ſiuè Deorum, (qui alij non ſunt, quàm dæmones) pluralitatem admiſerit, numquam, teſte Galeno, morborum cauſam in Deum, aut dæmones refundit.

§. III.

456 SEcundum apertè patet ex lib. *de morbo ſacro*, vbi Hippocrates de maleficis loquens ait, *Si enim & lunam abolere, & ſolem obſcurare, tempeſtatemquè & ſerenitatem facere, pluuias item, ſiccitates, & alia huiuſmodi omnia ſe ſcire profitentur: ſiue ex ſacrorum myſterijs; ſeù alia quadam profeſſione, aut meditatione hanc potentiam iactent, qui talia ſtudia habent, impij ſanè videntur*. Nam per illa verba: *Siuè ex alia profeſſione, aut meditatione*, magicam, & dæmoniacam indicat. Poſtea refert inſtrumenta, quibus vtebantur in morborum curationibus. *Expiant*, inquit, *morbo correptos ſanguine, ab hominibuſquè intoxicatos: Expiamenta verò terra occultant, vel in mare proijciunt, vel ad montes deferunt.* Inſuper addit verba obſcura, cæteraſquè ſuperſtitiones ab iſtis adhibitas: *Proponentes ijs* (hominibus nempè) *luſtrationes, & purificationes, cum verba ipſorum magna ex parte ſe ad Deũ, et dæmonium extendat.* At illa omnia meras putauit eſſe deceptiones, & illuſiones. Poſt enim relatas maleficorum iactationes, ſubdit: *Talia dicentes, & excogitantes amplius quid ſe ſcire ſimulant, & homines decipiunt, proponentes ijs &c.* Et ſic magica opera reijcit, vt quæ mirifica cum ſint, & naturam ipſam ſuperent, ad principia phyſica referri non poſſunt.

Hunc ſuum anteſignanum maxima Medicorum pars ſequitur, qui iurantes in verbo Magiſtri, nolunt admittere maleficos. Quibus reſpondemus certiſſimum eſſe, extare homines maleficos, qui in ſuis operationibus non naturalibus cauſis, aut induſtriæ, & artificio hominum, ſed immateriali quapiam, & ſeparata virtute nituntur. Quod ex ſacræ ſcripturæ oraculis, Eccleſiæ ſenſu, Patrum teſtimonijs, Theologorum doctrina, Philoſophorum placitis, deniquè omnium ætatum memoria, atquè continuis in orbe experimẽtis ita compertum eſt, vt illud probare velle ſit lucerna accenſa meridiano ſolis radios illuſtrare.

§. IV.

QVare hoc poſito fundamento. Eſſe maleficos: oſtendamus, quid ſint, ſciant, & poſſint, non ſuis, ſed dæmoniacis ſuffulti viribus. Quæ omnia aptiſſimè ab Euāgeliſta Ioanne ſub nobili ſymbolo repræſentantur. Nam inter ſacras viſiones huic dilecto Chriſti Diſcipulo exhibitas, illa, quę *Apocal. 9.* deſcribitur, videtur peculiare aliquod continere myſterium propoſito noſtro accōmodatũ. *Vidit ſtellã de cælo in terram cadentem, & puteum abyſſi claue reſerantem, & quo inter denſiſſimas fumi, quaſi fornacis magnæ tenebras ſolem, & aerem obuoluentes prodibant locuſtæ ſimiles equis paratis in prælium, ſed faciem humanam repræſentantes, capite corona aurea redimito, & capillicio muliebri ornato, ore dentibus leoninis horreſcente, corpore lorica ferrea contecto, & alis perſtrepentibus ad modum curruum inſtructo; deniquè cauda ſcorpionum more aculeata. His tanquam Rex prǽerat Angelus abyſſi Hebraicè vocatus Abaddon, Græcè Apollyon, Latinè exterminans: ſub cuius imperio poterant quidem illos, quorum frontibus ſignum Dei viui non erat inſcriptum, cruciare; ſed non occidere homines, aut lædere arbores, fęnum, & aliud viride ſuper terram.* 457

Viſio locuſtarũ apocalypticarũ maleficis adaptatur.

Scio, hæc variè à varijs adaptari. Sed liceat modò ſub ijs externis inuolucris, ſigniſquè ſymbolicis totam Veneficorum vim in maleficijs coucinnandis exponere.

Ad maleficij perfectionẽ requiritur maleficorũ cõſenſus

Certum eſt enim, vt maleficium aliquod perficiatur, præter diuinam permiſſionem, & diaboli operationem, requiri liberam hominis ex malitia in illud conſentientis voluntatem, ſine qua opus malum etiam à Deo permiſſum, & à dæmone conſummatum maleficium dici non poteſt. Ex quo tentationes, morbi, calamitates, cæteraquè mala, quibus

dæmon

dæmon ſeipſo Sanctos inſequitur, non maleficio, ſed opera diabolica vocitantur; & ſancti ijs malis affecti haud maleficiati, ſed vexati dicuntur. Ideò ad perfectionem operis malefici non ſufficit, Deum illud permittere aut dæmonem id producere; ſed neceſſe eſt, hominem Veneficum libero arbitrio, malitioſo conſenſu, & voluntate determinata ad illud concurrere, vt ex permiſſione diuina, operatione diabolica, & humana cooperatione eius conſurgat integritas.

Idcòque ſunt cauſa illius efficiens, & cooperans

Propterea examinatur Quinam ſint, Quales ſint, Quanti ſint.

Quare ſicut Deus eſt cauſa permittens, & dæmon cauſa efficiens maleficiorum, vt duabus præcedentibus diſputationibus latè demonſtratum eſt: ita Veneficus eſt cauſa cooperans, & efficiens, vt tertia iſta diſputatione demonſtrandum venit. Quod aptius fieri non poteſt, quàm tribus partibus conſiderando: Quinam ſint: Quales ſint: Quanti ſint Venefici. In prima perſonæ: in ſecunda mores: in tertia operationes quaſi oculis ſubijcientur: cum hęc omnia ſuis coloribus adũbrata in hac myſtica viſione cernantur.

PARS PRIMA.

Quinam ſint Malefici.

458 *Mos Principum dilatare imperij fines.*

SOlent Principes, qui gloriantur præeſſe & prodeſſe non curant, effrænatos ſuperbiæ motus, inexplebiles æſtus cupiditatis, & faſtuoſos ambitionis impetus in omnibus ſequi, quibus ſic eorum mens agitatur, vt nihil aliud aut meditari, aut moliri conſueuerint, quàm anguſtos imperij fines longè, latèquè protendere. Nequè enim felicitatem ſuam intelligunt, quæ illos ad honoris faſtigium euexit, innumeroſquè ipſis ſubiecit populos: quia non quid poſſideant, ſed quid non poſſideant, attendunt. Ideò cogunt conſilium, pecunias coaceruant, milites conducunt, inſtruunt exercitus, & continuis bellis vicinos laceſſunt, vt illorum ditionibus potiantur. Et quia eò acrior eſt cupiditas, quò illam amplioris rei ſpes accendit: quia non vndè venerit, reſpicit, ſed quò tendat; priores ille victoriæ augent eorum animos, & tanquam calcaria lateribus adhibita vrgent currentes ad noua prælia conficienda, quibus exteras nationes, diſſitoſquè populos ſuæ ſubijciant dominationi.

Idem in Lucifero qui dominari vult.

Simili ambitionis conatu Lucifer, qui mundi princeps nominatur omnibus eius partibus ſuperis, inferis, medijs ab initio imperare tentauit; omnemquè adhibuit induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in prouidendo, fortitudinem in præliando, vt eorum accolis Angelis, Dæmonibus, Hominibus præeſſe poſſet.

§. I.

ATtolle in cęlum oculos, & conſidera creationis eius primordia. Nonne quaſi ſtella lucida ſuos vndiquè diffundit radios? 459 *Angelis in cęlo per perſuaſiones*
Si enim, vt ait Daniel 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: quid princeps ille *Cherub extentus, & protegens* ab Ezechiele cap. 28. nominatus, *poſitus in monte ſancto Dei in medio lapidum ignitorum, omni lapide prætioſo opertus, plenus ſapientia, perfectus decore, & paradiſi delicijs gaudens?* An non cæteris eminet creatis naturæ excellentia, officij dignitate, prærogatiua donorum, & gratiarum præeminentia, qui Deũ ipſum opificem tanquam ſignaculum ſimilitudinis, & expreſſiſſimum exemplar referre videtur. Sed ecce ſuperbiæ tenebris obſcuratur, dum intumeſcente ambitioſa eius mente in cæteros Angelos, quaſi in ſubditos imperium exercere conatur. Nam cum alios ſuis perſuaſionibus delinitos expugnat, alios reſiſtentes impugnat, prælio memorabili ipſe à pugnante Michaele expugnatus deijcitur. Cadit ſtella ſplendida nempè Lucifer à luce in tenebras, à gratia in peccatũ, à pulchritudine in deformitatem, à gloria in ignominiam, & cadendo tertiam ſtellarum partem, ideſt, maximum Angelorum numerum ſecum trahit è ſummo cælorum vertice in imum terræ centrum; è firmamenti delicijs in æternos inferni cruciatus; è ſublimioribus Paradiſi ſedibus in ſordidiſſimas abyſſalis putei lacunas.

Dæmonibus in inferno per tormenta

Vbi æternis vinculis, & rudentibus igneis ſub caligine reſeruatus maximã in illos exercet poteſtatem, qui non ſeruantes legem Dei; ſed derelinquentes Deum ſuum mortali peccato conſpurcati in fætentiſſimum, & teterrimum illum carcerem cum eo detruſi gehennali pæna torquentur. Quid aliud ſignificat clauis putei abyſſi huic ſtellæ data, quàm plenitudinem poteſtatis Lucifero conceſſam? Nam pari ſymbolo Iſaias ſupremum Chriſti principatum ſuper omnem Eccleſiam repręſentat cap. 22. *Dabo clauem domus David ſuper humerum eius, aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat.* Et ſine ſymbolo, cum capite 9. dicit: *Et factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Sic Chriſtus vicarium tradens Petro, & ſucceſſoribus eius poteſtatem, non alio nomine, quàm clauis denotat Matthæi 16. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Hac fretus poteſtate Princeps tenebrarum dæmones, & damnatos vexat, & torquet; nec maiorem videtur haurire voluptatem, licèt omni amaritudine ſit reſperſa, quàm cum illis grauiora infert tormenta. Sed quia in cælo, & in inferis effrænatos ſuperbię appetitus exſatiare non poteſt, aliud meditatur imperium, & quærit in terra, vnde eis aliquo pacto ſatisfaciat.

§. II.

Homini bus in terra per malefi- cia. APerit puteum abyſſalem, ex quo emittit fumum aſcendentem tanquam fumum fornacis magnæ ſolem, & aerem obſcurantem. Quid fumus ille, niſi ſcientiam magicam, veneficia, incantationes, ſortilegia, maleficia, & id generis dæmoniacas artes deſignat, quæ nõ aliunde ſumpſere exordium, quàm à Deo permittente: *Aſcendit namque fumus in ira eius pſal.17.* à dæmone operante; *De cuius naribus procedit fumus*, ait Iob *cap.41.* & à Principibus tenebrarum cooperantibus: Aſcendens fumus è puteo ſolem, & aerem obſcurat: quia ſcientiæ magicæ, & maleficæ ex inferno prodeuntes Eccleſiam, quæ miro lucis incremento in ſuis primordijs quaſi aurora conſurgens: in ſuis proceſſibus quaſi pulchra luna: in ſuis plenitudinibus quaſi ſol electus, & fulgens ſplendorem emittit; atquè cæleſtis eius doctrinæ puritatem, quæ rectè aeri ſereno comparatur, obſcura caligine inuoluunt: ſed tandem æternæ veritatis ſpiculo percuſſæ deficientes quemadmodum fumus deficiunt.

Deniquè aſcendente fumo exeunt locuſtæ in terram, & ex magicis, maleficiſque artibus per dæmones diſſeminatis prodeunt in mundum magorum, maleficorum, veneficorum, incantatorum, ſortilegorum, ſortiariorum, ſagarum, ſtrigum, & lamiarum examina locuſtarum turmis aptiſſimè comparata, quæ tanquam inſtructæ acies equeſtrem componunt exercitum, per quem dæmon totius mundi, & omnium eius habitatorum plena, & abſoluta dominatione potiri conatur.

§. III.

460 *Quinam ſint malefici.* HI namquè omnes, etſi varijs nominibus inſigniantur, prout ſunt variorum ſtudia: tamen in hoc vno conueniunt, quòd maleficijs exercendis, quibus ope dæmonum alijs damnum paratur, operam nauant. *Latè qui vocãtur Magi.* Magi vocantur ob abſtruſam rerum naturalium, & effectuum mirabilium notitiam, quam præſeferunt. *Venefici.* Venefici, quia veneno homines, & animalia inficere, & interficere conſueuerunt. *Incantatores.* Incantatores, quia verbis,& carminibus opera magica perficiũt. *Sortilegi.* Sortilegi ob ſortilegium, quod vniuerſaliter acceptum omnes diabolicas artes complectitur. *Sortiarij.* Sortiarij ob ſortes immiſſas in creaturas. *Sagæ.* Sagæ à ſatis agendo, aut ſagiendo: quia in officio ſatis, & nimis agunt, nimiaquè ſcire deſiderant. *Striges.* Striges ab aue Poetarum fabuloſa, quæ nocturno tempore infantes necare, & rapere, eorumquè ſanguinem ſugere, & abſorbere dicitur. *Lamiæ.* Lamiæ à beſtia monſtruoſa, quæ fœtus dilaniare creditur. *Pharmaceutriæ.* Pharmaceutriæ, quia pharmaca ſiuè noxia, ſiuè proficua ægrotis propinare ſolent. Et communiori vocabulo Malefici à malefaciendo, *Malefici* eò quòd ſtudio, operatione, & conatu malis inferendis inſudant: nec aliud norunt, quàm impellente, & operante dæmone maleficijs, non homines ſolùm; ſed & alias creaturas, quæ ad homines ſpectant, inficere, ac diuexare.

Propriè tamen malefici dicendi ſunt illi, *Propriè qui federantur cum dæmone ad malum alteri inferendũ.* qui ad malum alteri inferendum cum dæmone fœderantur. Certum namquè eſt, omnia opera malefica fieri ex pacto tacito, vel expreſſo, quo homo auxilium à dęmone poſcẽs dęmon ex condicto tenetur concurrere quotieſcũquè maleficæ artis adminiculo aliquod opus perficiendum eſt. Immò omnes magicæ, & maleficæ operationes huic pacto velut baſi innituntur. Nec alio modo ſuum ſortiuntur effectum, niſi iuxta illud ab homine inuocante, & dæmone concurrente producantur. Et quicumquè magicis artibus vacant, intantum maleficia operantur, inquantum cum dæmone concurrunt ex conuentione, ſine qua mali eſſe poſſunt, malefici eſſe non poſſunt.

§. IV.

HOc exigit ſumma dæmonis ſuperbia, qui in ſuis actionibus contrario fine di- 461 *Hoc exigente ſuperbia dæmonis.*
uinorum æmulator eſt operum. Deus in ſũmo redemptionis humanæ beneficio ſic ſalutem hominum operari dignatur, vt quotidiano illorum vtatur miniſterio, voluntatemquè requirat humanam ſiuè in ſacramentorum adminiſtratione, quibus peccata delentur, & confertur gratia: ſiuè in verbi diuini prædicatione, per quam diſſipantur errorum tenebræ,& lux veritatis ſplendeſcit. Nã etſi de poteſtate abſoluta nõ ſit externis ijs ſacramentorum,& hominum adminiculis alligatus;& per ſeipſum immediatè: aut mediatè per Angelos inſtruere, & ſanctificare poſſit homines; tamen non mediantibus Angelis, ſed hominibus ſalutem noſtram operari diſpoſuit; vt ſic ſuauiori, & conuenientiori modo tum Diuinæ ipſius Sapientiæ: tum humanę mortalium infirmitati prouideretur, vt eruditè docet Scotus in 4.d.6. q.1. Quem morem imitari deſiderans antiquus Diuinitatis æmulus, quamuis per ſeipſum diabolicæ malitiæ virus effundere poſſit in homines, vt quotidiè facit, cum illos externis, interniſque perſecutionibus impetere non ceſſat; tamen hominum opera vti vult, & per eos alijs nocere deſiderat.

Ideoquè ſi aliquem ex ijs ſuæ voluntati obſequentem inuenit, ſtatim communi ſuffragio cũ eo paciſcitur, varias inferre calamitates, alter volendo, alter operando, vt ſic ſacrilego ritu, quod Deus in ſalutem humani generis facit, ipſe in eius perditionem præſtare æquali potentia videatur.

§. V.

462 HOc etiam audet humana malitia, cum homines cæca cupiditate bonorum, diuitiarum, & voluptatum ducti, aut ſimilis effrenatę paſſionis furijs agitati à Deo omnium bonorum fonte indeficiente recedere; & ad dæmonem malorum omnium auctorem accedere non perhorreſcunt. Nequè hoc ſcelere contenti, cum eo quamuis hoſte inſenſiſſimo indiuiduam ſocietatē inire contendunt, quam pactis, & conuentionibus fulcire non dubitant, vt diuturniùs firma conſiſtat. De quo gloriantur apud Iſaiam cap. 28. *Percuſſimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.* Nam etſi verba illa de omnibus peccatoribus intelligi poſſint, qui per peccatum à Deo auertuntur, & conuertuntur ad creaturam, atquè ita horrendæ infernarum poteſtatum tyrannidi vltrò ſe tradunt: tamen maleficis præcipuè applicantur à Ioanne XXII. *in Extrauag. ſuper ſpecula contra Magos, et magicas ſuperſtitiones* Sixto V. *in Bulla Cęli, et terræ Creator contra Aſtrologos*. D. Thoma 2. 2. *q.* 95. *a.* 4. & recentioribus Theologis: quia inter dæmonis mancipia illi ſtrictiore fœdere ſeſe diabolicæ ſeruituti addixerunt.

Hoc attentante malitia hominis.

Quare illi ſoli malefici dicendi ſunt, qui pacto, & conuentione aliqua cum dæmone fœderantur, vt eius ope alteri damnum parent, quales ſunt illi, qui ſe ſpeciali fœdere ſathanæ deuouerunt, eò quòd illi ſoli in maleficis operationibus cum eo vnanimi voluntate conſpirant. Vnde locuſticæ illæ turmæ ex tanta varietate magorum, & maleficorum diuerſi generis, malitiæ, & operationis compactæ dæmonis fœderatorum exercitus iure appellari poſſunt, in quo Alij ſunt Superiores, & duces: Alij inferiores, & milites: vt ſequentes capituli declarabunt.

Ideò exercitus dæmonis fęderatorũ malefici dici poſſunt.
In quo Alij Superiores, Alij Inferiores.

CAPVT I.

Superiores.

463 QVàm vaga, & ſoluta eſt terreſtrium locuſtarum ſocietas, quæ contrario cæterorum irrationalium more nullum caput agnoſcit. Inter aues, quæ turmatim per aeris ſpatia conglomerato volatu feruntur vna cęteris viam pandit, vt teſtatur experientia in ciconiarum, & gruum examinibus. Inter animalia vnum cæteruam præit: quod videtur in ceruis rapidi fluminis, aut profundi ſtagni vada pertranſeuntibus; atquè in ouibus, & capris: Illas enim aries, has hircus præcedit: Sola locuſta nullum ducem ſequitur; ſed per prata ſine ordine ſaltitando diſcurrit, vt monet Sapiens Prouerb. 30. *Regem locuſta non habet, ſed egreditur vniuerſa per turmas ſuas.*

Locuſtę terreſtres ducem non habent.

§. I.

AT ſtrictior eſt infernalium locuſtarum, nempè maleficorum ſocietas. Hi etenim Regem habent, vt teſtatur Ioannes: *Et habebant*, inquit, *ſuper ſe Regem Angelum abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon: Græcè Apollyon: Latinè Exterminans*. Luciferum, ſcilicet, vt cenſent communiter Expoſitores; Verè omnia exterminantem: cum nihil in mundo relinquat intactum in bonis naturalibus, aut moralibus, quod ſuis maleficijs corrumpere, deſtruere, & annihilare non tentet. Verè Angelum abyſſi, Chriſti Domini, qui Angelus teſtamenti vocatur, hoſtem inſenſiſſimum, cum quo ab initio graues gerit inimicitias: vt ſicut ille omnium hominum ſalutem exoptat, ita non ceſſet iſte illorum procurare perditionem. Verè Regem ſuper maleficos. Æquitati enim conſentaneum eſt, vt qui nolunt Deum ſuſtinere regnantem, cogantur ferre dæmonem ſæuientem, qui vt ait Iob 41. v. 25. *eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.*

Secus infernales quibus praeſt Lucifer

§. II.

MIramur ſtupidam Iudæorum malitiam, qui Chriſtum à Patre miſſum, vt regnaret in domo Iacob, & ſederet in throno Dauid, Regem agnoſcere noluerunt dicentes *Lucæ* 19. *Nolumus, hunc regnare ſuper nos*; vt ſeipſos cæſareæ ſubmitterent poteſtati, per quam Sacerdotium ſublatum, regnum euerſum, & gens deſtructa funditùs periere; ſed admiratione maiore dignum, videre homines ita ſaluris immemores, & nequitia excæcatos, vt pro mitiſſimo Domino crudelem tyrannum, pro beneuolo Principe dirum carnificem, pro amico pijſſimo inſenſiſſimum hoſtem, pro Deo Optimo Maximo cacodæmonem, draconem magnum, ſerpentem antiquum, & leonem rugientem in dominatorem recipere, non reformident. Qui dum nouos ſibi ſubijcere ſubditos: aut ſuper veteres ſuam poteſtatem, ſertam tectam conſeruare parat, alios ſuæ nequitiæ, & malitiæ miniſtros eligit, quaſi duces ſubalternos, qui ſua auctoritate innumeram magorum, & maleficorum turbam regere poſſint, ne deficiente politico regimine, diſſolutus exercitus deſtruatur, ſed vt arctiùs firmus ſubſiſtat, & maiori impetu feratur in Hoſtes. Hi verò Inuiſibiles ſunt, & Viſibiles; vt ſequentes ſectiones patefacient. 464

Malitia maleficorum dæmonem in Regē eligendo

Politica dæmonis in maleficorum regimine illis præficiendo Duces Alios Inuiſibiles Alios Viſibiles.

SECTIO I.

Inuiſibiles.

INuiſibiles veneficorum duces ſunt dæmones, quorum opera coaleſcunt, conſeruantur, & augentur. Hi namquè continuis ſolicitationibus homines vrgere non ceſſant, vt ſe magorum, & maleficorum addicant conuenticulis, magicíſquè artibus vacent, quibus ſe fore beatos pollicentur. Quòd ſi hoc ſemel in eorum animos inducere poſſunt, ſic ſe deinceps cum eis gerunt, vt ſe dominos, & duces exhibeant. Nam quamuis inuocati aliquando ſe vltrò viſibiles prębeant, tamen vt plurimũ adeſſe nolunt, niſi diuerſis ſupplicationibus, & obſecrationibus euocentur. Cum præſentes adſunt, à ſuis clientibus ſupremi cultus honores, vt ſunt adorationes, proſtrationes, & humiliationes extorquēt. 465

Dęmones maleficorũ duces, quibus imperãt, & obſequuntur

Et

Et cum mandata quantumcunque difficilia, prout varia ſeſe offert occaſio, illis imponunt; promptam exigunt obedientiam: nec tamen aliquoties dedignantur auſterum deponere ſupercilium, & complicatis ſuperbiæ alis ſeſe dimittere ad diuerſa miniſteria etiam vilia, prout à ſuis fęderatis rogantur.

466 *Et quare.* Quæ omnia eò libentiùs præſtant, quòd eo modo. 1. Deum grauiori afficiunt iniuria: cum homines ad eius obſequium natos ità ſuæ ſubijciunt poteſtati, vt ab eis pro ſummo Numine colantur. 2. Sibi ipſis conſulunt: Cum enim ſæpiſſimè fallacijs vtantur, dum mira promittunt, & pauca exhibent: vel quia non permittuntur à Deo; vel quia naturalem eorum ſuperant poteſtatem; hoc prætextu quaſi velo ſuam contegentes impotentiam, malefico ſe tunc nolle obſequi ſimulant, quaſi eos inuocando aliqua omiſerit ex ijs, quæ magica arte præſcribuntur. Sicquè maleficus defectum non dæmoni, quem potentiſſimum credit; ſed ſibi imputat, eò quòd ritus ad dęmoniacam euocationem neceſſarios adamuſſim non obſeruauerit: quos ſi obſeruaſſet, infallibiliter (vt putat) optatum conſecutus eſſet effectum. 3. Tandem arctioribus vinculis hominem ſathanicæ ſeruituti innexum detinent, qui videt hinc ſe pactis, & conuentionibus vtrinquè firmatis teneri; nec fas eſſe, fidem irritam facere: aut promiſſa ſolemniter data reuocare; illinc dęmonem ſuam ſeruare fidem, & iuxta conuenta promptum ſe exhibere fœderatum in omnibus, in quibus ſuam operam exquirit. Et ità dæmones modò imperando: modò obſequendo ſe libentiſſimè maleficorum, & magorum cateruis condeſcendis immiſcent, cuiuſcumquè ſit ordinis ſiuè Supremi: ſiuè Infimi: vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Cuiuſcũque ſint Ordinis Supremi vel Infimi.

ARTICVLVS I.

Ordinis Supremi.

§. I.

467 *Deus ſuperiores Angelos deputat in directione Eccleſiæ Prælatorum.* DIuina Prouidentia, quæ vaſto ſinu cuncta complectitur, non ſolùm cuilibet hominum ſpecialem Angelum ex infimo tertiæ Hierarchiæ ordine in cuſtodem deputat, vt ſupra *diſp. 2. num. 324.* de mente Patrum docuimus; ſed etiam aliquos ex ſuperioribus ordinibus deſtinat his, quos ad nobiliora vocat miniſteria, & ad ſuperiores euehit Eccleſiæ dignitates. Æquum enim eſt, vt qui ardua ſpiritu diuino vocante aggrediuntur, ſublimiorum ſpirituum præſidio fulciantur. Quare Archangeli, Principatus, & Poteſtates præficiuntur ijs, quos in grege dominico Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo: Vel præfectos primarios in ſacris Religionibus, quibus illa, quaſi varietate circundatur; vt ſenſibiliter factum videmus in Sancta Franciſca Romana, quæ diuina fauente gratia viſibili Angeli Cuſtodis aſpectu fruebatur. Dum enim in viduitate Domino obſequens priuatam in domo ſua vitam ageret, ſplendenti Angelo vbiquè comitata incedebat; ſed facta religioſæ Congregationis mater ſplendidiſſimum Archangelum ductorem habebat, qui externis ſignis auguſtioribus ſuam dignitatem amplioribus teſtabatur.

§. II.

IDem ſectatur Dæmon in ſuorum fęderatorum directione, cum potentiores diabolos nobilioribus maleficis aſſignat. Quis etenim neget, potentiorem fuiſſe Simoni Mago, Apollonio Thyanæo, aliiſquè magiæ proceribus dęmonem aſſignatum, quàm reliquæ maleficorum turbæ? Quomodò Magus Mago quandoque reſiſteret; vel morbo, aut ipſa morte afficeret obnitentem, diſſolueretque maleficia ab ipſo facta, ſi non ei Superior dæmon adeſſet, qui alterius dęmonem cogeret obedire? Et quidem hæc ſathanica politica videtur requirere, vt qui ex magis ad altiores gradus euehuntur, à Superioribus regantur dæmonibus, qui illos defendant, erudiant, & hortentur. Defendant contra aduerſariorum violentiam, nè ab eis opprimantur. Erudiant ad concinnanda maleficia, quæ tenentur exequi. Hortentur ad mala inferenda iuxta ordinem ſibi præſcriptum, vt tradit Binsfeld. *de Confeſs. Malefic. prælud. 17.* 468 *Dæmon ſuperiores diabolos præficit directioni maleficorum primariorũ.*

In quibus quàm variè, & inconſtanter ſe gerant, notat ipſe Porphirius *in Epiſt. ad Anebonum Aegyptium*, quam Euſebius *lib. 5. de Præparat. Euangel. cap. 6.* ſcriptis ſuis inſeruit. Nam, vt euocentur, & auxilium ferant: Volunt magum inuocaturum multis ante diebus ſe ab omni Venere continere: & tamen eius iuſſu homines alliciunt, & incitant ad turpes, & nefandas libidines: Iubent ab eſu carnium abſtinere: & tamen nidore, & ſanguine cæſorum animalium maximè oblectantur. Prohibent ei, qui mortuum tetigerit, accedere ad operationes magicas: & tamen in eis hominum, & animalium cadaueribus vtuntur vt plurimùm. Præcipiunt magis, & eorum conſultoribus ſeruare iuſtitiam, & nequitiam fugere; ipſi tamen iubente mago multa iniqua, & flagitioſa patrare, aliosquè ab ea patranda ſollicitare non ceſſant. Nolunt niſi ſub certis cęli conſtellationibus, & quibuſdam lapidibus, herbis, figuris, aut alijs ſignis adhibitis comparere; quaſi rebus ſenſibilibus cęleſtibus, aut terreſtribus alliciantur, cogantur, aut ſubiaceant: & tamen ſe cęli, & terræ dominos profitentur. Deniquè exigunt ſupremos diuini cultus honores, & tanquam Dij agnoſci, & obſecrari deſiderant: & tamen adſunt ad nutum magorum modò vltronei: modò coacti; & die, noctuquè in varijs exercitijs circa res viles, contemptibiles, & ignominioſas famulantur. Quæ omnia ſoluere volens Iamblicus in libro, quem conſcripſit de Myſterijs Ægyptiorum, maioribus ſe inuoluit difficultatibus, & incredibiliora, atquè abſurdiora proponit: cum hæc potiùs ad dæmoniacam prauorum ſpirituum inconſtantiam referenda ſint, qui hominibus cæcis præſidentes varijs eos modis deludere vt plurimùm delectantur: Vt experimento comprobent, quantùm interſit inter diuinam, & diabolicam ſeruitutem, ſuoque malo diſcant, nihil diuina ſalubrius, nihil intollerabilius dæmoniaca, quæ ſubditos non dirigit, ſed præcipitat, non ſolatur, ſed vexat: non bonis replet, ſed malis opprimit inauditis.

Qui in illa inconſtanter ſe gerunt.

✠✠
✠

ARTICVLVS II.

Ordinis Infimi.

§. I.

Maleficorũ ductores nõ ſunt Angeli medij, vt putant Platonici.

469 VAno Platonicorum commento vtuntur Malefici, vt magicæ ſcientiæ deteſtandam originem tanquam ſtruma dibapha contegant. Aiunt enim, vt tradit Agrippa *lib. 3. cap. 16.* Præter bonos Angelos, & malos dęmones, dari Angelos: Alios cęleſtes, qui ſtellis, & animabus illarum præſunt: Alios elementares, igneos, aereos, aquaticos, & terrenos; non quòd elementa inhabitent (vt ante docuimus de dęmonibus) ſed quia ex illis componuntur. Illos verò Magorum, & Maleficorum eſſe doctores, & ductores, quos ideò bono ſpiritu duci aſſerunt: Sed quia Scripturæ ſacræ, & Eccleſiæ doctrina nullos dęmones niſi malos agnoſcit, vt probat Auguſtinus *lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 13. & 14.* Dicamus, illos Maleficis præeſſe, & à Lucifero vnicuique deputari ſtatim atquè profeſſione publica, vel priuata ſeſe ſeruos addixere ſempiternos; vt illorum confeſſione probatur apud Grillaudum *tract. de Sortilegijs cap. 7.*

Sed dæmones à Lucifero deputati

Quomodo eis adhæreant.

Hi verò deputati maleficis inſeparabiliter adhærent. Vndè quidam occaſionem ſumpſere aſſerendi, illos ſi non poſſideri, ſaltem obſideri à dęmonibus; quod probant hac regula à Doctoribus tradita, qua obſeſſi dignoſcuntur, ſi ea, quæ humana induſtria nequeunt cognoſci, aut perfici, ipſi annuncient, & operentur. Nam vtrumquè hoc dæmonis mancipia facere, experientia ipſa demonſtrat. Inſuper probatur exemplo puellæ (cuius in Apoſtolicis actibus cap. 16. Lucas meminit) ſpiritum pythonem habentis, & magnum quæſtum facientis diuinando. Hanc etenim verè à dæmone fuiſſe obſeſſam, inde colligitur; quòd in nomine Domini Ieſu Chriſti Paulum, & Barnabam ab eadem ſpiritum eieciſſe, referatur. Hoc verò ſi in diuinatrice locum habet, quid in malefico, qui tot mira præter naturæ vires operatur? At quamuis hoc de quibuſdam aſſeri poſſit: non tamen de omnibus verificatur; quia in ipſis non deprehendimus argumenta, quæ dæmones in hominibus ſedes ſuas habere demonſtrent: nec eos pro obſeſſis habemus, cum nec vinculis cõſtringantur: nec onerentur catenis, nec impunes relinquantur, quando alijs vel mortem, vel damnum inferunt, vt obſeſſi, de quibus nullus vnquam Iudex ſupplicium ſumpſit.

§. II.

Quænam eis exhibeant officia in ſua deputatione.

470 QVarè dicendum eſt, illos dæmonibus deputatis aſſociari; non quòd ſemper eis adhæreant; ſed quia ità ſeparantur, vt ſemper parati ſint, illis debita exhibere miniſteria, quæ ad magorum, & maleficorum officium pertinent, vt ſunt: Ipſis intimare diem, noctem, & horam, quibus accedendum eſt ad conuenticula generalia iuxta conuẽtiones initio factas, vt interea ſe præparare valeant. Ad ianuam ſtare in forma hircorum expectantium tempore condicto eos, quos antea voce humana vocauerunt, quandiù vnguento ab ipſis præſtito in quibuſdam partibus corporis liniuntur. Sedentes velociſſimo, & citiſſimo curſu per aera deferre ad locum congregationis, ſuauiterquè deponere equitantes. Cum illis choreas ducere, epulari, & in ſuccubos, aut incubos transmutati coire, horrendaſquè exercere ſpurcitias. Pulueres, vnctiones, & id generis ſigna ipſis diſtribuere. Abſolùto conuentu eadem via, qua antea domum eos referre. Docere, qualiter pulueres, & vnctiones prædictæ applicandæ, & inijciendæ ſint. Adeſſe, cum venena conficiuntur, fodiuntur cadauera, lixantur carnes, & ſimilia opera perficiuntur. Monere de his, quæ Iudices, aut aduerſarij contra ipſos moliuntur; etſi aliquoties Deo cogente illos prodant, vt diximus. Obſequi ad nutum, & propoſito ſigno conuentionis exitium à malefico optatum in alijs operari. Deniquè in omnibus preſtò eſſe, in quibus eorum opera requiritur: & nunc inuiſibili modo facienda ſuggerere; nunc ſenſibili modo ſine alia viſione loqui; nunc in viſibili corpore apparere, variaſquè induere formas, vt fidelis ductoris, & cuſtodis munera implere deprehendantur, vt ſic viciſſim mutuam à malefico exigant fidelitatem; vt ritè deſcribit Binſfeldius *loc. cit.* & alij *in malleo malefic. varijs locis.*

SECTIO II.

Viſibiles.

In regno Chriſti præter duces inuiſibiles dantur alij viſibiles.

CVm infernalis ſimia Deum in omnibus æmuletur, non mirum, ſi præter duces inuiſibiles, 471
quos locuſtico maleficorum exercitui præficit, alios viſibiles conſtituat. Nam ſicut in Eccleſia Sancta Dei Chriſtus, vt Rex auctoritate paterna, & propria dominatur, Propheta teſtante *pſalmo. 2. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius.* Et ipſe eſt inuiſibile caput à Patre datum ſuper omnem Eccleſiam, vt aſſerit Paulus *Epheſ. 1.* Sub quo inuiſibiles potentiæ, Angeli inuiſibiliter varia obeunt miniſteria; & tamen pręter caput illud inuiſibile, datur aliud caput viſibile, nempè Summus Pontifex, ſub quo conſtituti ſunt viſibiles duces, Prælati, ſcilicet, & Epiſcopi, qui iuxta conſtitutas diæceſes ſuam exercent auctoritatem, vt ſic Monarchia eccleſiaſtica decentiùs, & ordinatiùs adminiſtretur: Ità in regno dæmonis, in quo Lucifer non regio more, ſed tyrannico faſtu libera vtitur poteſtate, pręter dæmones vtriuſquè ordinis ſupremi, & infimi, quos inuiſibiles rectores, & ductores turmarum maleficarum deputauit, alios poſuit viſibiles duces, homines, ſcilicet, vt viſibile ſathanæ corpus viſibili capiti ſubſit; & ex hominibus compactus exercitus tamquam ex errantibus, & inconſtantibus locuſtis in vnum coactus ab humanis ductoribus ad eius placitum regatur. Et ideò ex hominibus duces ſeligit omnis conditionis, & ſexus: vt ſequentes articuli commonſtrabunt.

Ità in regno Dæmonis.

Qui ſunt omnis cõditionis, & omnis ſexus.

ARTICVLVS I.

Omnis Conditionis.

Lucifer duces eligit eos, qui pollent.

ETſi omnis hominum conditio diabolicis apta 472
ſit miniſterijs, omneſquè indiſtinctim magni, & parui, diuites, & pauperes, nobiles, & ignobiles, docti, & ignorantes, honorati & contemptibiles in magorum ſocietatem admittantur, & poſſint ad malefica munia euehi: illi tamen præ cæteris ſeliguntur in duces, qui vel auctoritate potentiæ,

tiæ, vel ſcientię eminentia, vel præſtantia malitiæ ſunt inſignes.

§. I.

Potentia vt Principes.

QVid non exequitur ſuprema poteſtas, quæ à nemine coercetur? Omnia facto molitur ſcelera. *Quamuis*, ait Gregorius in moralib. *quolibet in loco poſiti cogitando, loquendo, agendo peccemus; tunc tamen per tria hæc animus effrænatius rapitur, cum mundi huius proſperitate ſubleuatur*. Nam cum præire poteſtate ſe cæteros conſpicit: & cum auctoritate à nullo reſiſtitur, licentiùs per abrupta diſfrænatur. Cumquè facere quodlibet licet, iuſtè ſibi omnia æſtimat licere, quæ libet. Inſuper alijs omnia ſuadet ſuo exemplo facinora. Tales enim ſunt hominum mores Superiores ſiuè in bonis, ſiuè in malis imitari. Vndè prudentiſſimè Claudianus Poeta cecinit.

Regis ad exemplum totus componitur orbis

Et Prouerbium rectè habet: *Secundùm rectorem Ciuitatis, ità & habitatores eius*. Ideò dæmon Imperatores, Reges, Principes, & Magnates huius ſæculi ſectatores habere deſiderat, vt illorum fretus auctoritate omnia poſſit in orbe: Quales fuere Numa Pompilius, Tullus Hoſtilius, Nero, Valerianus, Iulianus Apoſtata, Licinius Imperatores: Manaſſes Iudeæ; Vvemceslaus Bohemiæ, Henricus Sueuiæ, Muleaſſes Tuneti Reges: Leopoldus Auſtriæ, Ferrandus Flandriæ, Guilhelmus Iuliaci Comites, pluresquè alij principes relati à Plutarcho in Numa, Dionyſio, & Liuio *lib*. 1. Plinio *lib*. 30. *Natural. hiſt. cap*. 1. Suetonio, Nicephoro, Claudiano, Paulo Iouio, Boetho *lib*. 8. & Petrarcha *lib*. 4. *rerum memorendarum cap*. 1. 2. & 3. qui omnes magia, & maleficijs imbuti innumeros ijſdem artibus ſathanico exercitui adiecere; inter quos non occultè ſolùm in nocturnis conuenticulis; ſed propalam in publicis conuentibus ſe tanquam potentiores dominari gloriabantur.

§. II.

473 *Scientia vt Philoſophos.*

HOs docti ſequuntur, qui non armata manu, ſed acuta lingua, & acutiore ingenij acie cęteros ad maleficia trahunt; & ideò à dæmone duces conſtituuntur. Neceſſariam etenim eſſe ſcientiam in duce, vt ſeipſum, & alios regere poſſit, nemo eſt qui ambigat. Vnde ſicut Deus repellentes ſcientiam repellit à Sacerdotio: vt teſtatur Propheta Oſea cap. 4. & Reges à principatu, & officijs arcent, quos ignorantia facit indignos. Et è contra ad Magiſteria ſubleuant eos, qui obſtinato ſtudio, aut longa experientia in negotijs adminiſtrãdis peritiores euaſerunt. Ita Lucifer quos videt doctos in ſuis ſubditis, hos cæteris præficit, eoſquè modò inducit in aulas principum: modò in ſcholas literatorum introducit: modò impellit ad diuerſas peregrinationes, vt vbiquè omnes alliciant, & trahant ad dæmoniacam ſeruitutem.

Huiuſmodi fuere Zoroaſtres, quem alij Chaldæum, alij Bactrianum, alij Pamphylium, alij Armenum faciunt. Et fortè omnes verè; cum huiuſmodi nominis plures magiæ deditos varijs temporibus, & diuerſis in locis repertos fuiſſe poſſibile ſit. Hic, inquam, quem filium Noe in ſcriptura Cham appellatum, volunt Hugo Victorinus *lib*. 6. *eruditionis diſdaſcalicæ cap*. 5. & Petrus Comeſtor Auctor hiſt. ſcholaſticæ *Geneſ*. 28. bis vicies centum millia verſuum de arte magica conſcripſit, ab Ariſtotele Hermippo explanata, & conſignata poſteritati. Pythagoras, & poſt eum Empedocles, Democritus, & Plato ad illam artem diſcendam exilijs veriùs, vt ait Plinius *lib*. 30. *c*. 1. quàm peregrinationibus ſuſceptis diuerſas orbis partes peragrarunt. Idem pręſtitit Simon Magus, qui Apoſtolorum temporibus tanta in admiratione fuit apud Samaritanos, vt teſte Luca *Actuum* 8. de eo diceretur. *Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna*. Nequè apud illos modò; ſed etiam apud Romanos principes, qui magicis eius præſtigijs attoniti honores ei diuinos tribuerunt, dedicatis ſtatuis cum hac inſcriptione *Simoni Deo Sancto*: vt narrant S. Iuſtinus Martyr. *Apolog*. 2. S. Irenæus *lib*. 1. *contra Valentinum*, Tertullianus *in Apologeticis*, & Euſebius *lib*. 2. *hiſtor. Eccleſiaſt*. Verùm omnes eius artis famæ celebres longè ſuperauit Apollonius Thyanæus, qui penè per totum orbem Magię addiſcendæ, & docendæ ſtudio peruagatus tanta ſui admiratione hominum animos impleuit, vt à multis & viuus, & mortuus pro numine coleretur. Quod probat exemplum Alexandri Seueri Imperatoris Romani habentis in ſuo larario imagines Chriſti, Abrahæ, Apollonij; eò quod hos tres, vt refert Lampridius, maximè omnium miraretur. Deniquè tales fuere Plotinus, Porphirius, Iamblicus, Proclus, Apulæius, cæteriquè phytagoricæ, & platonicæ ſectæ diſcipuli: Brachmanæ Indorum, quorum princeps Hierarchas; Gymnaſophiſtæ apud Æthiopes, inter quos Veſpeſion, vt celebris nominatur, qui magiam ſtudioſiſſimè coluerunt, pugnaciſſimè defenderunt, & impenſiſſimè tanquam clariſſimam, & vtiliſſimam prædicarunt. A' quibus nihil diſſentire videbatur ille inſignis magus, de quo ſupra *diſput*. 1. *n*. 24. *ac* 147. locutus ſum, qui eam vt ſanctiſſimam, vtiliſſimam, ac præclariſſimam nominabat.

§. III.

474 *Malitia vt impios*

AT ſceleratis potiùs quàm doctis dæmon vtitur in maleficorum regimine. Quamuis enim magus, & maleficus in hoc conueniant, quòd vterquè operatur ex pacto cum dæmone inito; tamen hoc intereſt inter eos, vt benè obſeruat Petrus Binſf. *Comment. in C. de malef. & Methem. L. Multi*. quòd ille libris, & aliorum inſtructione ſuam artem addiſcat: iſte à dæmone, etſi aliquando aliorum perſuaſione ſeducatur. Ille dæmonem credit cogendo euocare; & ſe eo putat potentiorem: iſte inuocet, ſe tanquam inferiorem humiliando. Ille operetur ad delectationem, oſtentationem, & ludum; Iſte ad aliorum perniciem, & detrimentum. Ille non expreſsè Deo, Sanctorumquè communioni renunciet, niſi in ſummo malitiæ ſit gradu: ſicut erat ille Magus, de quo ſæpè locutus ſum, qui in montibus Genuenſibus, vt ipſe mihi narrauit, & faſſus eſt illi Reuerendiſſimo Inquiſitori, cuius tribunali ſpontè comparuerat, ſe coram dæmoniorum, præſentibus teſtibus nouem Magis Deum abnegaſſe, cęteraque ad pacta explicita cum dæmone ineunda requiſita, perfeciſſe: Iſte verò ſemper expreſsè talem faciat renunciationem. Quare regulariter magus à malefico in malitia ſuperatur. Et ideò ſicut docti magicis artibus à cacodęmone præficiuntur; ità ſcelerati maleficis operationibus. Æquum enim eſt, vt qui ſceleratis præeſſe debent, omnes ſcelerum grauitate, malitiæ magnitudine vincant. Quod teſtantur horrenda, & abominanda crimina, nempè abnegatio Dei, idololatria, præuaricatio, apoſtaſia, hæreſis, ſortilegium, diuinatio, incantatio, blaſphemię, peccatum nefandum, inceſtus, adulteria,

teria, cum altero diuerſæ ſpeciei, & generis cõcubitus, homicidia, infanticidia, animalium, frugumquè perditio, & deſtructio, & alia propemodum infinita ſcelera quę Rei à Iuſtitia deprehenſi confitentur, in quibus ſic voluntariè perſeuerant, vt ab eis recedere nullo modo velint; quia dæmonum more excæcati, & indurati ad Deum per ſalutarem pænitentiam non niſi cum maxima difficultate ſe conuertere valent.

ARTICVLVS II.

Omnis Sexus.

§. I.

475 *Inter maleficorum Duces eminet Regina, cuius deſcribitur Honor, Poteſtas* SIcut ex viris, & mulieribus maleficus conflatur exercitus: ità vtriuſque dantur Superiores, qui Regum, Principum, & Primatum nominę inſigniuntur. Inter quos primaria eminet maga, quę à Lucifero in vxorem ducitur, & Regina curſus vocatur, vt ſuis depoſitionibus magi confirmant. Hæc prę cęteris honoratur ab omnibus. Nam ſi ad nocturnos conuentus proficiſcendum eſt, non ſola vehitur ab vno dęmone; vt cæteri malefici; ſed multis dæmonibus, & maleficis comitata procedit; ita vt cæteri ſæpiùs non aliter moneantur, quàm à vocibus pręteruolantis comitatus Sagarum Reginę, vt refert Delrius *lib. 2. Diſquiſ. mag. quæſt. 9 & 16.* Dum ad locum deſtinatum deuenitur, primarum occupat locum, & regali ornata apparatu, corona aurea caput cingente, veſtibus gemmatis, & vnionibus, fibuliſquè pretioſis perlucentibus, atquè id generis ornamentis decorata ad latus Luciferi, ſeù Beelzebub tunc pro modico tempore regio etiam veſtitu apparentis ſedet; vbi ab omnibus maximis corporis proſtrationibus ſalutatur. Deniquè quandiù celebratur conuentus plenam exercet poteſtatem in cæteros, quibus ea, quæ vult, præcipit; & in ſignum poteſtatis regiæ virgam gerit ad modum ſceptri, qua coria bouum percutit, in quibus collecta, & coniecta ſunt oſſa eorum, quos eliſſos, aut aſſos magi comederunt; ad cuius contactum ſtatim ſuſcitari videtur, aliaquè mira prę cęteris operatur: vt quæ maiorem accepit à dęmone auctoritatem; ſicut idem teſtatur Auctor *loco cit. quæſt. 30. ſect. 1.*

§. II.

476 *Poſt illã cæteri duces conſequuntur Honorẽ In congreſſibus Publicis Priuatis* HVic aſſident cæteri duces magi, & magæ, prout in altiori dignitatum gradu conſtituuntur; quos Ioannes de Vaux Magus ſtabulenſis recitat, apud eundem Delrium *lib. 5. in appendice* 1. ex verbis Petri orani vnius ex Iudicibus illius famoſi magi. Aſſerit enim in ijs conuentibus poſt adorationes genibus ſubmiſſis factas extrui menſas epulis, & cibis: & primę menſę honoratiores cum vxoribus (quos brauos homines appellari dicebat) accumbere maiora ſubſellia Beelzebub, Leuiathan, & Aſtarot occupare: Secundis, & tertijs menſis plures alios dęmones intereſſe ſine nomine relicta forma hirci in forma virili, aut muliere, atquè hominibus, & mulieribus in ſaltationibus, epulis, & ſcortationibus admiſceri. Ita in priuatis colloquijs dęmonem ſępiùs cum illis de rebus agendis conferre, & eos frequentiùs in concilium cogere, vt ſuam voluntatem explicent, quam ab illis notificari cęteris iubet.

§. III.

SIcut honore prę eminent, ita auctoritate. Illorum etenim eſt tum dęmonibus, tum maleficis mandare, quę conducunt ad ſtatus ſathanici conſeruationem, & amplificationem; atquè ad inferenda hominibus, & creaturis mala. In cuius rei ſymbolum locuſtæ à Ioanne viſę coronas gerebant aureas, & capillitium muliebre. Capita namquè magorum, & maleficorum ſunt indiſcriminatim viri, & mulieres dominationem in vtroſquè dęmones, & maleficos habentes per coronam deſignatam, ſed apparentem. 477 *Dominationem ſed coactam, uel ſimulatam.*

Certum eſt enim obedientiam à dęmonibus ipſis exhibitam, vel coactam eſſe; vel ſimulatam. Coacta eſt, cum inferiores ipſis in aliquo obſequuntur, vrgente dæmone ſuperiore, qui maiori potentia à natura donatus auctoritatem exercet in illos, cogitquè parere in omnibus, quæ à malefico præcipiuntur. *In dæmones.*

Tunc enim inferior morem gerere tenetur huic ſuperiori, cum quo magus pactum habet; & reſpectu cuius verba, & coniurationes non coactionis, ſed inuocationis vim, & ſignorum rationem habent. Simulata eſt, quando non coacti, ſed vltronei ſuum auxilium præſtant. Nam hoc modo ſimulant ſe cogi ijs inuocationibus, & coniurationibus: vt ſic apparentibus obſequijs clientulos in ſua perfidia contineant. Quod etiam aſſequuntur; quia de facto putant magi ſe eos inuocationibus cogere, ſed maximè decipiuntur. Non enim aut ipſi tanta virtute pollent: aut hæ coniurationes tantæ ſunt efficaciæ, vt nolentes adigere valeant; ſed ſæpiùs euocati non obediunt defectu non voluntatis, ſed poteſtatis: quia non permittuntur à Deo maleficis voluntatibus cooperari: vt docet Petrus Binsfel. *Comment. in C. de malef. & Mathem. L. Multi.*

Idem dicendum eſt de cæteris maleficis, qui vel coactè, vel ſimulatè obediunt. Coactè cum eorum dæmon dæmone magi præſidentis inferior eſt. Simulatè, cum ea præſtant, quaſi alijs imperantibus, quæ ſua voluntate facere deſiderant. Quare corona illa locuſtica non aurea, ſed aurata à Ioanne dicitur, quia tota potentia malefica non ſolidis; ſed apparentibus tantùm innititur fundamentis. *In Maleficis.*

CAPVT II.

Inferiores.

HOrrenda ſanè plaga, Ægyptus percuſſa: cum, vt refertur *Exodi* 10. Ingraueſcente ſemper duro corde Pharaonis, nec credente tot ante actis prodigijs dux populi hebræi manum extendit ad virgam mirabilium operatricem. *Statim namquè Dominus induxit ventum vrentem tota die, & nocte, & mane facto locuſtas ſuſcitauit, quę aſcenderunt ſuper vniuerſam terram Aegypti, ſederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec poſtea futura erant; operueruntquè vniuerſam ſuperficiem terræ vaſtantes omnia.* 478 *Innumerabiles locuſtæ in Aegypto.*

Sed horribiliori plaga orbis afficitur per locuſtas myſticas, magos, ſcilicet, & maleficos, impellente, & ſollicitante dæmone aſcendentes ex puteo inferni. Illæ enim Ægyptum vaſtant: Iſtæ totum orbem. *Innumerabiles malefici in orbe.*

orbem. Illæ deuorant herbas, terræ fructus, & cuncta virentia: Iſtæ non herbas ſolùm; ſed creaturas omnes. Illę ſemel affligunt Ægyptios; ſtatim namquè rogante Moyſe à vento vehementiſſimo deferuntur in mare: Iſtæ ſemper vexant homines. Ab initio enim ſæculorum veteribus pereuntibus noua oriuntur examina: Nequè aut eccleſiaſtica, aut laica poteſtate per gladios, ignes, & pyras accenſas de medio penitùs tolli poſſunt: cum ex mortuorum cineribus aliæ multiplicato numero rediuiuæ appareant.

Earum autem eò grauior eſt cruciatus, quò iſtarum numerus illarum numerum ſuperat: *Multiplicati ſunt*, ait Ieremias cap. 46. *ſuper locuſtas, & non eſt eis numerus*. Malefici namquè, qui tanquam milites equeſtrem dæmonum exercitum componũt, recenſeri non poſſunt, cum ex omnibus terræ nationibus plures quotidiè huic ſectę aſcribantur tum Viri, tum Mulieres, vt ſequentes ſectiones manifeſtabunt.

Siue Viri ſiue Mulieres.

SECTIO I.

Viri.

479 QVærunt ſacri Doctores, cur Chriſto in cruce pendenti titulus hebraicis, græcis, & latinis verbis exaratus affixus fuit? Et reſpondent; poſitum fuiſſe ad declarandam regiam eius dignitatem; vt videre licet in Bibliotheca Homiliarum; & Sermonum Priſcorum Eccleſiæ Patrum *tom. 2. par. 2.* quæ dignitas, quamuis ad omnes mundi nationes ſe extendat; prȩcipuè tamen in tribus primarijs, Iudaica, Gentili, Chriſtiana per tres has linguas deſignatis eluceſcit.

Titulus triplici lingua exaratus in cruce Chriſti poteſtatum deſignat. Triplex nomen dæmonis eius auctoritatẽ ſuper

Non ſecus Lucifer velut Antichriſtus tribus vult nominibus appellari, vt refert Ioannes Hebraicè Abaddon, Grȩcè Apollyon, Latinè Exterminans, vt ſuam oſtentet dominationem, quæ in omnes omninò populos protenditur; ſed præcipuè in his tribus elucet, ex quibus continua ſeculorum ſerie maximam magorum, & maleficorum multitudinem educit, vt hos habeat fȩderatos, quos videt ſpeciali fȩdere Deo eſſe coniunctos.

Gentiles

Deus initio renaſcentis mundi cum omnium gentium hominibus fȩdus inijt ſempiternum, dum ſtatuit pactum cum Noe de mundo aquis diluuij non ampliùs diſſipando; & in ſignum initi fȩderis, & pacti ſtabiliti ponit arcum in nubibus cȩli *Geneſis cap. 9.*

Iudæos.

Progredientibus ſȩculis aliud fȩdus ſpecialius contrahit cum Iudȩis, ſtipulante primo Patre Abraham nonagenario, & circumciſionem in ſignum pro ſe, ſuiſquè poſteris acceptante *Geneſis cap. 17.* Deinde mediante Moyſe in deſerto Synai ſanguine fȩderis populum aſpergente, deſcribente conditiones pacti in volumine, & reponente illud in arca fȩderis ad memoriale ſempiternum in generationes eorum.

Chriſtianos.

Denique in plenitudine temporum ſpecialiſſimum, & prȩcedentibus figuratum fȩdus cum omnibus chriſtianis percutit, mediatore Chriſto Domino precioſo ſuo ſanguine in ara crucis fuſo, illud confirmante, ſicut per Prophetam Ieremiam prȩdictum erat cap. 31. *Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fȩdus nouum non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum &c.* Ideo dȩmon, vt maiori Deum afficiat iniuria hos diuinitatis fȩderatos ſibi deuincire, & cum eis paciſci vult; vt per illos ipſos, qui Diuinȩ Maieſtati obſequi, & ſeruire tenentur ex fȩdere, bellum Deo, & hominibus inferat; quòd ex parte aſſequitur. Nam quis magorum, & maleficorum turmas numerare valeat, quȩ ex Gentilibus, Iudȩis, & Chriſtianis prodiere? cum innumeras eſſe certum ſit: ſicut totidem articulis declarabitur.

Ex quibus maleficos educit.

ARTICVLVS I.

Gentiles.

§. I.

ET vt à Gentilibus, quos Grȩcos ſæpiùs Doctor gentium in Epiſt. ad Rom. vocat, incipiamus. 480
Floruiſſe apud ipſos Magiam, maleficaſquè artes, nemo non neſcit. Cum enim damnatȩ illȩ ſcientiȩ ab ipſo mundi exordio originem habuiſſent dȩmone illas edocente; & iam ſuccedentibus ſȩculis per filios Dei filiabus hominum permixtos propagarentur, non potuerunt perire diluuio vaſtante; ſed à Cham inſculptȩ tãquam perpetuum ſacrilegiorum, ac ſcelerum ſeminarium ad poſteros tranſmiſſȩ fuerunt: vt putat Abbas Serenus apud Caſſianum *collat. 8. cap. 21.* Nam ſtatim poſt diluuium Chaldȩi ſupra mortales omnes magicis ſcientijs dediti fuere, vt putè ſtudioſi Zoroaſtris diſcipuli, qui magiȩ auctor dicitur, & apud illos natus magiȩ reos fecit. Quotquot enim diuinationi, & artibus magicis vacant, Chaldȩi nuncupantur, quaſi ex illis defluxerit nomen in omnes, qui illas profitentur. Hos imitati ſunt Ægyptij, apud quos tempore Moyſis, hoc eſt pluſquam trecentum annis ante bellum Troianum magia clara, & celebris erat, & eius profeſſores ſapientiȩ, & diuinȩ cuiuſdam virtutis auctoritate, atquè exiſtimatione florebant. Nec licebat aliquem ſacerdotio, aut publica dignitate fungi, qui in illis non eſſet initiatus. Quid de Grȩcis dicam? Nonnè circa belli Troiani tempora celebris erat fama magiȩ; vt Homerus indicat non obſcurè in Vlyſſis erroribus deſcribendis? Quid enim aliud agitur Protheis mutationibus, Syrenum cantibus, tranſmutationibus Cynȩi, & euocationibus inferorum? Sed prȩcipuè apud Theſſalas vrbes, & Colchos magna celebritate vigebat; ex quo magi nomen Theſſali, ſicut Chaldȩi ſortiti ſunt. Ab ijs Romanos rerum dominos has artes ſuperſtitioſas mutuatos eſſe, produnt Auctores, eaſquè cum honore receptas tanquam proprias commendaſſe ſacrorum Antiſtibus, Regum moderatoribus, Philoſophis, & literatis: Ita vt nihil ferè attentaretur à ſummis Imperatoribus, & Senatu, Populoquè Romano, quin priùs magi, Augures, & Aruſpices, quorum conſilio omnia moderabantur, ſuo calculo ſuffragati fuiſſent. Taceo cæteras nationes, vt minus celebres; cum ex ijs nobilioribus liquidò pateat, Gentilium multitudinem magiæ fuiſſe deditiſſimam.

Gentiles magiæ, et maleficijs dediti.

Vt patet in præcipuis mũdi nationibus.

§. II.

QVòd ſi quæras quomodo artes omnium vaniſſimæ, & fraudolentiſſimæ totum terrarum orbem tot ſæculis impleuerint, audi Plinium rationem aſſignantem lib. 30. cap. 1. *Auctoritatem ei maximam* inquit de magia loquens, *fuiſſe nemo miretur, quandoquidem ſola artium tres alias imperioſiſſimas humanæ mentis complexa in vnam ſe* 481

Magia dilatata in omnes nationes

redi-

redigit. Natam primò è medicina nemo dubitat, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe velut altiorem, ſanctioremquè, quàm medicinam. Ità blandiſſimis, deſideratiſſimiſquè promiſſis addidiſſe viros religionis, ad quos maximè etiam nunc caligat genus humanum. Atquè vt hoc quoquè ſuggeſſerit, miſcuiſſe artes Mathematicas nullo non auido futura de ſeſe ſciendi, atquè ea è cælo veriſſimè peti credente. Ità poſſeſſis hominum ſenſibus triplici vinculo in tãtum faſtigium adoleuit, vt hodièquè etiam in magna parte gentium præualeat; & in oriente Regum Regibus imperet. Hæc Plinius. Ex cuius verbis colligitur, magicis artibus Medicos initium, Sacerdotes progreſſum, Philoſophos conſummationem apud omnes gentium nationes dediſſe. Et rectè.

§. III.

482 *Per Medicos.* Medici namquè cum ſolerti ſtudio occultas naturæ vires, proprietateſquè herbarum, radicum, mineralium, animalium, & omnium, quę in mundo ſunt, in vſum generis humani perquirerent, & aduerſis rebus inter ſe applicatis illas explorando venarentur, quò magis in ſecretiora naturæ abſcondita penetrabant, eò vlteriùs progrediebantur, vt noua ſecreta ex illis experimentis expiſcarentur. Quam occaſionem nactus peruigil, & ſubdolus hominum hoſtis ijs practicis experimentis ſe immiſcebat; & creſcente auiditate ſciendi occultiſſima myſteria in Medicis ſeſe patentiùs manifeſtabat, donec apertè vltrò citroquè factis conuentionibus ſuas artes edoceret, per quas noui eius diſcipuli ſtupentibus omnibus mira in ægrotorum ſanitate reſtituenda operabantur: qui poſtea facti magiſtri alios eadem ſecreta addiſcendi ductos curioſitate ſeducebant.

483 *Per Sacerdotes* Sacerdotes, qui Medicorum more lucro, & pecunijs inhiabant facillimè in maleficia prolabebantur. Cum enim ſe viderent titulo religionis, & ſacerdotalis miniſterij apud populum honoratos eſſe, maiorem ſe aucupaturos famam putabant, ſi præter conſuetos ritus, & cęremonias in ſacrificiorum oblationibus, & alijs pſeudoreligioſi cultus Deorum actionibus adhibitas, mira, & inuſitata operarentur, quibus ſe Dijs immortalibus gratos, Laribus patrijs acceptabiles, & in publicis, priuatiſquè calamitatibus auertendis apud Numen cuiuslibet regionis potentes eſſe, teſtarentur. Sic enim, & honoratiores, & acceptabiliores apud populos fore. Ideòquè maxima contentione magicis ſcientijs addiſcendis vacare ſolebant, vt ſic in templis noui honoris, & lucri acceſſus fieret.

484 *Per Philoſophos* Nec minori ſolicitudine illas Philoſophi conquirebant, qui ſcientijs humanioribus acquirendis intenti, celebrioreſquè magiſtros in vnaquaquè profeſſione toto orbe ſectantes, ſi quem fortè ſolito doctiorem nanciſcebantur, ſtatim ſe ſuis diſciplinis excolendos tradebant. Et quia magicarum profeſſores occulta naturæ ſubtiliùs penetrare videbantur, plures ad eos confluebant diſcipuli, quibus ſub ſcientiæ naturales velamine artis dæmoniacæ præcepta tradebantur. Nam certum eſt ex mera, & naturali magia natam eſſe fallacem, & adulteram, vt docet Philo, ità ſcribens de eius origine: *Ex hac,* inquit, *adulterata, & deprauata deſcendunt, quas proprio maximè vocabulo malas artes dicimus, circulatorum, ariolorumquè ſtudio, mulierum, mancipiorumquè nequiſſimorum expiationes, & luſtrationes profitentium, mutationeſquè amoris in odium: aut ex aduerſo odij in amorem per quaſdam paſſiones amatorias, & incantamenta idonea; atquè ijs dolis circumueniunt homines, & ingentium malorum, atquè ruinarum ſunt cauſæ non priuatis modò hominibus, aut familijs; ſed ciuitatibus, regnis, & prouincijs.* Hæc Philo.

Sed non mirum ſi Gentiles attendebant ſpiritibus, & doctrinis dæmoniorum. *Quare dilatata* Qui enim inter illos Deum cognoſcebant, non illum tanquam Deum glorificabant; ſed euaneſcebant in cogitationibus ſuis, & obſcuratum erat inſipiens cor eorum: dicenteſquè ſe eſſe ſapientes, ſtulti fiebant, & gloriam Dei incorruptibilis transferebant in dæmones, & creaturas corruptibiles; vt docet Paulus *Rom.* 1. Cæteri verò Deum non cognoſcentes; ſed idola colentes, ambulabant, vt teſtatur idem Apoſtolus *Ephſ.* 4. in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ erat in ipſis propter cæcitatem cordis eorum: & ſic facillimè præſtigijs magicis, & maleficis à Sathana decipiebantur.

ARTICVLVS II.

Iudæi.

§. I.

Mirandum verò, quomodo Iudæi, qui Deum vnum colebant, audiebant Prophetas, & legem obſeruabant tam ſtrictè, ſub tot tantiſquè pęnis omnes Ariolorum ſciſcitationes, & conſultationes prohibentem; atquè præcipientem magos cæteroſquè pythonico ſpiritu afflatos interfici, in hanc deuenire potuiſſe excæcationem, vt Deo, lege, Prophetiſquè poſthabitis, magicas, & maleficas artes ſectarentur. Et tamen nulla ferè ſub cęlo datur natio ità procliuis ad opera magica, cum nulla propenſior ſit ad idololatriam: vt ſacræ ſcripturę docent. Sunt namquè ità connexæ idololatria, & magia, quę ſunt duæ ſuperſtitionis ſpecies, vt vna alteram comitetur; & in hoc tantummodo differant, quòd illa publicè, & expreſsè, iſta tacitè, & implicitè cultum Deo debitum transferat in creaturas. Quarè nil mirum ſi Iudæi idololatræ, etiam magi ſint, ſiuè illos conſideres errantes: ſiuè pugnantes: ſiuè regnantes: ſiuè ſeruientes. In his etenim quatuor ſtatibus, qui totum reipublicę iudaicę decurſum continent, vtroquè vitio inquinatos deprehendes. 485 *Iudæi magia, idololatria dediti, quæ ſunt connexæ ſuperſtitionis ſpecies. Dum*

§. II.

Errant in vaſtis Arabiæ deſertæ ſolitudinibus per quadraginta annos poſt egreſsũ ex Ægypto, in qua tãquam in famoſiſſima totius orbis ſchola vtramquè ſcientiam ſuperſtitioſam didicerant. 486 *Errant* Vbi namquè idololatria celebrior, quàm in illo regno, cuius incolę non ſolùm more cæterarum nationum dæmones pro Dijs habebant: ſed etiam venerabantur boues, canes, feles: imò quod peius eſt, cepes, & allia? Ideò à ludente Poeta deriſi.

O Sanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina.

Vbi etiam magia honoratior, quàm apud illos: cum omnes ſacerdotij, & magiſtratus ſpirituales, & temporales dignitates occuparet, & in ſcholis omnes publicorum profeſſorum cathedras teneret. Quarè, vt periti in vtraquè arte diſcipuli nedum ferè pedem emiſerant è ſathanica illa ſchola, cum

ſtatim

ſtatim doctrinæ, quam imbuerant, ſpecimen ediderunt, dum pro Deo adorauerunt vitulum conflatilem non ſine ope dæmoniaca fabricatum, vt indicare putant aliqui; hæc Aaronis ſeſe excuſantis verba, cum dixit *Exodi 32. Aurum tulerunt, & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus*. Ex qua idololatria tàm inſigni in reliquas operationes magicas prolapſos eſſe, quis dubitat? Si enim publicè, cur non priuatim Dæmonem pro Deo coluerunt? Neque Deus per Moyſen tàm graues pœnas aduerſus magos conſtituiſſet: nec tàm ſeuerè eorum interdixiſſet conſuetudinem, & congreſſum, niſi iam ex tunc ars malefica nota fuiſſet, & celebris.

§. III.

487 *Pugnant* DVm pugnant nihilò meliores effecti; ſed peiores in deteriora prolapſi ſunt. Nam ingreſſi terram ſolemni Deo iuramento promiſſam, & tanto hominum labore quæſitam, ſtatim Ægyptiacis ſuperſtitionibus Chananæas ſuperaddiderunt: vt docet Dauid *pſal. 105. Non diſperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis; & commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum; & ſeruierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum.* Si Ægyptiorum ſeruitus tam fuit illis noxia, quid Chananæorum ſocietas connubijs firmata vtrinquè celebratis? In terra Ægypti didicerant ſuperſtitioſa dominorum opera, qui illos tyrannica poteſtate vexabant; quid non faciunt in terra Chanaan illecebroſarum mulierum blanditijs deliniti? Nec ab illis tot publicis calamitatibus à Deo immiſſis poterant auerti, dum ſæpiùs hoſtibus varijs in pænam traditi Madianitis, Philiſthæis, Moabitis; ſæpiùs liberati ab Othoniel, Aod, Gedeone, Sampſone, aliiſquè Iudicibus. *Poſt eorum mortem multò faciebant peiora, quàm fecerant patres eorum*, vt dicitur *Iudicum ca p. 2.* Ex quo magi, arioli, pythones frequentiſſimi erant inter illos; Et ita multiplicati vt ſtatu ariſtocratico in monarchicum mutato coactus fuerit primus Monarcha Saul publico edicto reos varijs ſupplicijs, diraquè morte multare, & ſic eos eradere de terra. Quod tamen non eſt omninò aſſecutus, vt probat mulier pythoniſſa, quæ *1. Regum cap. 28.* illi Samuelem ſuſcitare tentauit.

§. IV.

488 *Regnant* REgnantes ſuperſtitioſiores euadunt. Quid enim præcipiunt magicæ diſciplinæ, quod ab excæcato illo populo non fuerit perpetratum? Latet magia ſub Dauide. Emergere incipit ſub Salomone; creſcit indies ſub Roboam; tum quaſi torrens inundans dilatatur per vtrumquè regnum Iſrael, & Iuda. Iſrael erigit vitulos aureos antiquo Patrum more, & publica admiſſa idololatria publicas recipit magiæ operationes: Vbiquè Sacerdotes Baal inſignes magi. Vbiquè pythonico ſpiritu agitati. Vbiquè arioli, diuinatores, incantatores, malefici, cæteriquè inferni miniſtri ſub omnibus ferè Regibus: Ex quibus vnus ſufficiat Achab à Iezabel famoſiſſima maga eius vxore dementatus. Cuius ſi regnum conſideres, quid videbis, niſi patriæ religionis exercitium? Quod à Iehù tantiſper interruptum, ſed poſtea renouatum perſeuerauit in finem, donec à Salmanaſar Rege Samariticum illud regnum penitùs euerſum eſt. Iuda eaſdem didicit à vicinis contubernalibus abominationes; Et quamuis in ſua Metropoli auguſtiſſimum Dei templum omnium oculis expoſitum Iudæos prouocaret ad eius cultum; tamen loci illius ſacroſancti aſpectus auertere incolas non potuit à ſuperſtitioſis idololatriæ, & magiæ exercitijs. Miſſis enim cæteris Regum regnis, vnius Manaſſe regnum oſtendit, Samariam à Ieruſalem ſuperatam, quæ eo tempore non niſi à Magis aruſpicibus, pythonibus, & ariolantibus ciuibus habitabatur, donec à Nabuchodonoſor templo, vrbe, & regno euerſis, vel gladio occiſi fuere; vel tranſlati in Babyloniam.

§. V.

DEniquè pauci illi, quos reliquias vtriuſque populi vocare licet, dum ſeruiunt. Alij inter Aſſyrios ſub Salmanaſar: Alij inter Babylonios ſub Nabuchodonoſor neque generali ſuæ gentis calamitate, neque continuis ferè Prophetarum exortationibus ab idololatria, & magia auocabantur: ſed ſuperſtitioſorum parentum facti imitatores; atquè alienigenarum gentium exemplo permoti vtroquè flagitio coinquinabantur. Nec deſtitere dæmonem, & publicè, & priuatim colere etiam poſtquam Dei Regum Babyloniorum corda flectentis beneficio in patrium regnum redire, & reſtaurato templo auitam ſequi religionem licuit. Statim namquè plures eorum tanquam ſues lotæ redierunt ad volutabrum, ſequè grauioribus abominationibus fœdarunt. Præcipuè cum græcis Regibus ſubacti, Græcorum ſummam idololatriam, & propria inclinatione, & edictorum regiorum iuſſionibus æmulati ſunt. Tunc enim magia longè, latèquè regnum illud permeauit, cum publico, & priuato cultu, ſic dæmon agnoſceretur, vt nullus ſe ſimpliciter Iudæum, & veri Dei adoratorem pro palam confiteri auderet: vt dicitur in libris Machabæorum. Sed poſt Chriſti ortum, dum continua ſeruitute toto orbe opprimuntur, nulli fuere inſigniores magi, qui dum Romanis Imperatoribus, exteriſquè Perſarum, aliarumquè Nationum Regibus mira promittunt, horribiles contra Eccleſiam perſecutiones ſuſcitarunt ita Eccleſiaſticæ teſtantur hiſtoriæ. Quarè verè innumerabilis eſt locuſtarum numerus inter Iudæos quoquomodo conſiderentur. 489 *Seruiunt*

ARTICVLVS III.

Chriſtiani.

§. I.

EſTo Gentiles, ac Iudæi magicas amplectentur diſciplinas, maleficaſquè exerceant operationes: quia illi Deum nullo pacto nouerunt: Iſti obſcurè nouerunt, & vtriquè extorres ſunt à fide, charitate, & gratia Dei, quibus reſiſtitur diabolicis tentationibus, poterit inter Chriſtianos tanta reperiri excæcatio, vt ex eis aliqui ijs malis artibus imbuantur? Cum Chri- 490 *Inter Chriſtianos magicas, & maleficas artes exerceant*

ſti cultores ſint, à quo princeps mundi eiectus eſt, diaboli opera diſſoluta, fides, gratia, & dona ſpiritualia hominibus data, quæ illos de poteſtate tenebrarum erutos transferunt in regnum filij dilectionis Dei. O quàm magna dæmonis potentia, qui inter Iudæos Abaddon, inter Gentiles Apollyon, Exterminator eſt inter Chriſtianos, (ideſt, extra terminum vitæ æternæ ſe, & alios ponens, vt explicat Sanctus Antonius à Padua *ſerm.* 24. Ex quibus duæ prodeunt magorum, & maleficorum acies. Alia eorum, qui fide carent: vt ſunt hæretici. Alia eorum, qui fidem habent mortuam: vt ſunt plures impij catholici. Cum enim fides ſit ſcutum, quo chriſtianus homo poteſt omnia tela inimici ignea extinguere, vt ait Paulus *Epheſ.* 6. Si aut nulla, aut mortua eſt; quomodo ſe poterit tueri contra inſultantem hoſtem, qui illa validiſſimè contorquet, & vibrat?

§. II.

491 *Heretici* HÆreſim magia ſequitur, ſicut vmbra corpus, & illam iuuat in ſuis opinionibus ſtabiliendis: vndè meritò à Tertulliano *lib. poſteriore de Anima c.* 33. *Auctrix hæreticarũ opinionum* vocatur. Quod experientia docet in primoribus Hæreticis, & Hæreſiarchis, qui magi etiam fuere; vel maxima cum magis habuere commercia: vt Idem notauit *lib. præſcriptionum aduerſus Hæreticos cap* 43. *& lib. priore de Anima cap.* 57. *Simon Magus Samaritanus Hæreticorum princeps ſubnixus ope dæmonum*, ait S. Iuſtinus Martyr eius conterraneus Apologia 2. *& fretus magicis artibus in hac vrbe regia* (ideſt Roma) *Deus eſt habitus, & quaſi Deus honoratus. Menandrum etiam æquè Samaritanum huius Simonis diſcipulum inſtructum viribus dæmoniacis; profectum Antiochiam multos arte magica decepiſſe cognouimus. Marcus*, ait S. Irenæus lib. 1. cap 21. *Magicæ impoſturæ peritiſſimus, per quam & viros multos, & non paucas fæminas ſeducens ad ſe conuertit. Magia*, ſubiungit S. Epiphanius *de Carpocratianis hær.* loquens *apud ipſos excogitata eſt, incantationeſquè diuerſas ad omnem machinationem inuenerunt, ad amorem, & ad illectamenta. Priſcillianum Gnoſticarum abominationum aſſertorem, conuictum fuiſſe maleficij, & confeſſum ſe magicis vacaſſe doctrinis*, ſcribit Seuerus Sulpitius *in ſacr. hiſtor. lib* 2. Eumquè Zoroaſtris Magi ſtudioſiſſimum vocat Hieronymus *Epiſtola ad Cteſiphontem contra Pelagianos*. Mahumetes Turcarum legiſlator magus fuit: vt teſtantur Zonaras *tom.* 3. & Paulus Diaconus *lib.* 18. *hiſtor.* Berengarium Sacramentariorum Hæreticorum principem magia nobilem fuiſſe ſupra commemorauimus. Idem teſtantur de Baſilide Sanctus Theodoretus. De Buda Sanctus Cyrillus. De Montano Euſebius. De Maſſiliano, & Euthyche Theodoretus, & alij. Et vt ad noſtra tempora deueniamus, Lutherus ab inſidente in eius humeris dæmone per Imperatorem Maximilianum viſo agnitus, fatetur ſe intimam cum eo contraxiſſe ſocietatem *lib. de Angel. miſs.* Idemque teſtatur ipſe de Carolſtadio *lib. contra ipſum*: De Oecolompadio *lib. eodem de miſs. Ang.* De Anabaptiſtis *lib. contra ipſos*. Hoc aſſerit de ſeipſo Zuinglius, dum libro, quem vocat *Subſidium de re Euchariſtica*, ſe vnum euchariſticum errorem à dæmone mutuatum fuiſſe fatetur. Idipſum ex varijs Auctoribus probari poſſet de Dauid Georgio, Oſeandro, Ioanne Chnopæo, Bucero, Campano, atquè alijs pluribus, ſi hæc veritas non ipſa experientia comprobaretur. Hoc enim ſatis apertè expertus ſum, dum cum illo mago, de quo infra *numer.* 507. & 546. per menſem, & ampliùs ex mandato Reuerendiſſimi Patris Inquiſitoris quotidiè diſputans, vt à ſuis erroribus reuocarem, mihi aſſeuerauit, antequam ſe dæmoni deuoueret, artem magicam profitendo, priùs per annum cum multis hæreticis Magis, & Maleficis conuerſatum, quorum aliqui erant Lutherani: alij Anabaptiſtæ: quidam Caluiniſtæ: alteri Manichæi: ſed primores Athæi; eorumquè libris, ac doctrinæ operam nauaſſe: tandem Deum abnegaſſe, cæteraquè huiuſmodi diabolicæ profeſſioni neceſſaria præſtitiſſe. Quare non mirum, ſi cuncti malefici, ac magi ſint hæretici: aut eorum facta manifeſtam ſapiant hæreſim: vt habetur *ex cap. Accuſat. L.* 6. *§. ſanè.* extr. de Hæret. Hoc qui negat, rerum experientiam impugnat. Quid enim aliud arguit, Deo abrenunciare, pacta cum dæmonibus inire, diabolos adorare, Dei Genitricem blaſphemijs lacerare, myſterijs noſtræ ſalutis abuti, corpus Chriſti conculcare, aliaquè nefandiſſima ſcelera in Deum, Sanctoſquè committere? quæ omnia aut hæreſes ſunt: aut manifeſtam ſapiunt hæreſim. Propterea in huiuſmodi crimine in foro fori, ſicut in hæreſi, ſocius contra ſocium admittitur in teſtem *ex cap. in fidei fauorem in* 6. & Petro Binsfel. *de Confeſs. Malefic. memb.* 2. *concluſ.* 1. *ratione* 9. & communi omnium ſententia.

§. III.

FAuet ratio. Nam neceſſe eſt, Hæreticos, niſi 492
ad Catholicam Religionem reuertantur, vel incidere in Athæiſmum: vel declinare in magicas artes. Cum enim duæ ſint potiſſimum cauſæ, quæ homines ad aliquam hæreticam ſectam impellunt: Altera ſuperbia ſpiritus, quæ nihil credit, niſi quod oculis cernit, & cuncta ſuo metitur ingenio: Altera curioſitas, quæ nouitatem amat, quando in ea ſecta, quam ardenter amplexi ſunt, pro luce tenebras comperiunt, tunc deſperatione inueniendæ veritatis ardor ille tepeſcit: torpor in tædium vertitur; & tædium aut inuitat ad nihil credendum, vt faciunt Athæi: aut impellit ad diſcendas, & exercendas magicas artes; vt ſic ſuperbiæ, & curioſitatis ſpiritui fiat ſatis. Quod videmus in tot regnis, in quibus, dum hæreſes temporis diuturnitate expirant, artes exurgunt magicæ; & pro Hæreticis in ſua iam opinione marceſcentibus magi, maleficiquè naſcuntur. Sic Danæus Caluinianus miniſter, teſte Creſpeto *de odio Sathanæ lib.* 1. *diſcurſ.* 15. fatetur, Strygum conuentum Geneuæ propè ſummum Diui Petri Templum caluiniſticis ſpurcitijs profanatum celebrari; & in ea Vrbe Iudicum ſententia pluſquam quingentas perſonas morte damnatas.

§. IV.

IIs adde, catholicos impios plures, quorum fides nutat, & multitudine, atque grauitate ſcele- 493 *Impij*
rum opprimitur. Nam cum eius virtute cuncta diaboli conſilia, conatus, ac vires omnes refringantur, tanquam à panoplia, ſeu omnis generis armatura à Chriſto noſtræ militiæ duce tradita, fit, vt inermis homo ſine ea diabolicis pateat iaculis, & facilè

& facilè in eius poteſtatem deueniat. Quæ eſt ratio, quare multi miniſterijs ſeſe addicant diabolicis; & ſolerti ſtudio prohibitas artes addiſcant? quia nempè infidelitate laborant, de Deo totaliter diffidunt, & effrænatæ concupiſcentiæ ſtimulis agitantur. Vndè Deo derelicto, & cultu eius abnegato ad dæmonis caſtra confluunt. Si enim illorum mores conſideres, inuenies, tales transfugas, vel vilis plebeculæ fæcem: vel ſceleratorum, & facinoroſorum hominum eſſe colluuiem: vt clariùs patebit, cum de illorum moribus parte ſecunda tractabitur.

SECTIO II.

Mulieres.

494 *Mulieres viris magicis, & maleficis artibus addictiores.*

SI copioſus videtur locuſtarum myſticarum exercitus ob tantam virorum multitudinem ex Gentilibus, Iudæis, & Chriſtianis collectam, copioſiſſimus apparebit, ſi numerum mulierum ex omnibus nationibus confluentium attendas. Nam multis partibus virorum numerum ſuperat. Quod probat rerum magiſtra experientia: Ex quinquaginta etenim artem veneficam exercentibus vix vnum maſculum reperire licet. Et ſi attendas, quid Hiſtorici, quid Poetæ, quid Doctores de dæmoniacis miniſtris tractantes referant, comperies illos de viris pauca, de mulieribus multa narrare. Cum nihil apud illos frequentiùs audiatur, quàm nomina Sagarum, Magarum, Sortiarum, Lamiarum, Strigum, Veneficarum, Incantatricum, Excantatricum, Sortilegarum, Empuſarum, Pharmaceutriarum; quæ quamuis diuerſa; tamen totam illarum naturam explicare non poſſe, putat Syluester Prieras. Et quidem in iure faciliùs latrocinium in homine, veneficium in fœmina reperiri ſupponitur. Sicquè Plinius memoriæ prodidit, fæminarum ſcientiam in veneficio præualere; pluresquè mulieres, quàm viros hac peſte corripi.

Quòd ſi cauſas requiras? Licèt plures à Doctoribus Mallei malef. *1.par.quæſt.6.* Ioanne Turrecremata *26.q.5 can.Epiſcopi.* Alphonſo Caſtrenſe *lib.1. de iuxta hæreticorum punitione*: Paulo Grillando *lib.2. de ſortilegijs quæſt.7.num.31.* Martino Arles *in tractatu de Superſtitionibus*, & alijs aſſignentur; nihilominus ſicut tres in genere traduntur communiter à Theologis omnium delictorum, quæ in mundo fiunt, nempè infirmitas, ignorantia, & malitia: Ità hæ tres in mulieribus magis locum habent, quæ ad veneficia viris faciliùs prolabuntur: quia Sexu fragiles: Fide labiles: Nequitia inſignes: vt ſequentibus articulis declarabitur.

Ob Infirmitatem Ignorantiam. Malitiā.

ARTICVLVS I.

Sexu fragiles.

495 *Fragilitas ſexus feminei probatur Ex ſpiritu.*

VTrumquè ſexum maſculinum, & fæmininum fragilem eſſe in comperto eſt: ſed hunc alterum fragilitate vincere, quis ambigat? Muliebris ſpiritùs nec tanta pollet ingenij virtute, nec æquali voluntatis firmitate, quàm virilis. Comprobatur ſatis ingenij hominum virtus in illa cognitionis amplitudine, quam vel ſcientia, vel experientia aſſequuntur. Voluntatis firmitas in illa conſtanti, & perſeuerante inclinatione, quę eos ducit ad bonum. Vtraquè minor eſt in mulieribus, quæ etſi acumine ingenij vigeant; minus tamen habent iudicij; minuſquè ratiocinatione valent. Vndè ad ſcientias comparandas communiter ineptæ cenſentur; ſic quamuis ardenter aliquid velint, non tamen conſtanter. Hinc iuremeritò ſunt remotæ ab omnibus officijs publicis: ac priuatis: vt habetur *L.2.ff. de regulis iuris*: nec poſſunt eſſe Iudices. *L.cum præter. §.non autem ff. de indic.* niſi in caſibus, de quibus in Gloſ. 15.*q.*3.§.1. nec poſſunt eſſe teſtes in teſtamento. *L.in teſtamento; §. mulier. ff.de teſtamen.* nec multa alia ſicut viri, exercere: de quibus latè Summiſtæ, ac Legiſtæ ſparſim: Ratio eſt, quia fæminæ ſunt falſæ, fragiles, & corruptibiles. *L.qui teſtamento §.mulier. ff. de teſtamen.* Anima earum infirma eſt in ſenſibus, & appetitibus: quicquid in ſenſum mulierum cadit, hoc amplectuntur, vt verum: phantaſias putant reuelationes: ſomnia viſiones credunt: imaginationes, tot oracula reputant; indè tanta pertinacia in ſuis opinionibus. Citiùs mentem moueas è ſuo loco, quàm mulieres è ſua ſententia. Nec enim perſeuerant in his, quæ intelligunt; ſed obſtinatiùs tuentur, quod primò apprehendunt. Paſſiones vtriuſquè appetitus effrænatæ numquam medium tenent; ſed ſemper ad extrema feruntur. Aut ardenter amant: aut ſummè oderunt; odiumquè in amorem; amorem in odium facili negotio mutant. Cum iraſcuntur, æſtuant ad modum fornacis ardentis. Cum deſiderant aliquid, impatientes ſunt, donec fruantur optatis. Si triſtantur, citò cadunt in deſperationem. Si impediuntur in aliquo, non poſſunt ſe expedire; ſed puſallinimitate deijciuntur. Si abominantur, vindictas parant extremas, quia ſunt animo implacabiles. Deniquè ſi corporis temperamentum attendas, frigidius, & mollius eſt, & facilè impreſſiones recipiens. Nam quoad albentem illam lituram exteriùs apparentem, nix eſt ſpurciſſimum fimum contegens. Quarè, cum ſint ità naturæ fragiles, ob quam fragilitatem vaſa infirmiora à Diuo Petro vocantur *1.Petri c.3.* faciliùs decipiuntur à dæmone, qui naturales earum inclinationes explorans, illa ſolet offerre, quæ iudicat ab eis appeti; vt ità delinitas in ſuam pertrahat voluntatem, ſuæ ſeruituti aſciſcat, & ad quæuis maleficia concinnanda ſemper paratas inueniat. Quod apertè deſcribit Cicero *Rhetor. nouorum lib.4.* loquens de mulieribus impudicis ſui temporis, quorũ aliquę quandoquè mortis pæna multatæ fuere. *Maiores noſtri*, ait, *ſi quam vnius peccati damnabant mulierem, ſimplici iudicio multorum maleficorum conuinctam putabant. Quo pacto? Quoniam quam impudicam iudicarent, eam veneficij quoquè damnatam exiſtimabant. Quid ità? neceſſe eſt, eam, quæ ſuum corpus addixerit cupiditati, timere permultos. Quos? iſtos, virum, parentes, ad quos videt ſui dedecoris infamiam pertinere. Quid poſtea? eos, quos tantoperè timeat, neceſſe eſt, quoquomodo poſſit, veneficio petat. Cur? quam nulla poteſt honeſta ratio retinere, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura faciat, neceſſe eſt, inconſideratam.*

Ex Anima.

Ex Corpore.

ARTICVLVS II.

Fide labiles.

496 *Mulieres facilè credũt* CVm mulieres ſcientia, & experientia careant, & vt plurimùm ignorantia laborent, pronæ ſunt ad credendum ea, quæ dicuntur. Inſuper ſolent curioſiùs ſcrutari, & inquirere de omnibus, quæ oculis obuerſantur: vel inſtillantur auribus. Et cum aliquid apparenter verum proponitur, facilè acquieſcunt. Quam credulitatem curioſitati coniunctam aduertens dæmon, & defectum agnoſcens, illas ementitis prætextibus, ſpecioſiſquè fallacijs aggreditur frequentiùs, quàm viros; vt videtur in prima tentatione, in qua Eua ſeducta eſt, non Adam, *Decipiũtur.* ait Paulus 1. *ad Timothæum c.* 2. Et cum credulitas, & curioſitas maximè ſint diſpoſitiones ad artes ſuperſtitioſas, & maleficas, mulieres credulæ, & curioſæ ad illas facilè dæmone ſollicitante feruntur. Inſuper ea facilè effutiunt, quæ credunt; erroreſq. ſuos pro oraculis venditant, quia lubricam habent linguam; & propter illam lubricitatem tacere *Decipiũt* neſciunt. Quorum ſummam lubricitatem, & leuitatem oſtendit illud, quod Ciceroni tribuitur:

Crede ratem ventis, animam ne crede puellis.
Namque eſt fœminea tutior aura fide.
Quid leuius pluma? puluis. Quid puluere? ventus.
Quid vento? mulier. Quid muliere? nihil.

Vnde à dæmone potiùs aſſumuntur in miniſterijs maleficis; quia per mulierem vnam, aut alteram plures decipi videmus: dum aliæ citò conſortibus reuelant, ſi quas norunt artes: aliæ facilè perſuadentur. Nec mulieres ſolùm; ſed etiam viri. Quis enim non credat mulieri loquenti, & blandienti: *cum nitidius oleo ſit guttur eius,* ait Sapiens Prou. 5. lingua pungendo delectet, & vox cantui Syrenarum aſſimiletur. Ob quam cauſam non permittit Paulus mulieri docere, ne ipſa decepta alios decipiat. *Quia ſemel,* ait Theophilactus in hunc locum, *mulier virum edocuit, & cuncta peruertit.* Idcircò nequaquam hanc habere vult docendi de cætero poteſtatem; quod etiam confirmat Auguſtinus *in quæſt. ex vtroque teſtamento,* ac lege ſancitum eſt. *L. cum prætor §. non autem ff. de iudic.* Eſt namque mulier natura leuior, & facilè fallitur.

Hoc optimè agnoſcens dæmon toto ſuo conatu contendebat in ſuam naſſam trahere, ac in ſuam ſequelam aſcribere quandam Adoleſcentulam in territorio Bergomenſi exiſtentem, quæ die 23. Februarij anni 1666. Bergomi à Reuerendiſſimo P. Inquiſitore S. Officij ad me miſſa fuit examinanda. Hæc coram ſuo Parocho, ac Confeſſario medio ſuo iuramento faſſa eſt mihi, prout ſequitur, ſed lingua ſua materna.

Ego N. N. pro quiete conſcientiæ meæ, ac confuſione Diaboli notum facio Paternitati veſtræ, qualiter cum eſſem annorum circiter nouem, nec adhuc perfecto iudicio prædita, dum in quodam prato ad paſcendas oues ſola morabar, dæmon mihi apparuit ſub forma cuiuſdam Adoleſcentis mei conterranei, quem diligebam, & verè credebam eſſe talem, & non dæmonem, qui mihi dedit quandam pecuniam, & ad peccandum ſecum carnaliter induxit, cui etiam promiſi, quod etiam impoſterum concumberem cum eo. Cognoui autem poſtea illum fuiſſe dæmonem, quia ſæpius nocte, ac die mihi apparebat nudus ſub forma illius dicens, vt ſeruarem promiſſa facta ei in prato, & tamen ille Iuuenis ſub cuius forma apparebat, tunc aberat ab illo vico. Sæpè etiam mihi apparebat ſub ſpecie vnius Presbyteri, nunc alterius Sacerdotis ſemper me ſollicitans ad carnaliter peccandum; ſed diuina ope adiuta illi fortiter reſiſtebam. Aliàs apparuit ſub forma cuiuſdam Parochi, qui dedit mihi cultellum dicens: Si impoſterum ad me accederet ille Iuuenis tentans me ad carnaliter peccandum, potiùs quàm peccare, debere me interimere illum cultellum infigendo in cor meum. Inſuper diuerſimodè ſub forma illius Iuuenis me ſpreuit, ac contempſit, nunc me percutiendo, nunc capillos è capite abſcindendo, modò vulnera in corpus meum infligendo. Quadam autem nocte, dum orabam, apparuit mihi dictus dæmon ſub forma dicti Iuuenis, qui in cubiculo magnum accendit ignem, ac dicebat ſe velle me in illum proijcere ignem, niſi carnalibus ſpurcitijs conſenſum præſtarem: Ego autem accepto Crucifixo, Diuino fauente auxilio, ei reſtiti; vndè mihi viſum fuit, obuiam habere quandam molem, quæ in terram cecidit, quam illicò pedibus meis conculcaui ſimul præcipiens ei In Nomine Ieſu, vt diſcederet; mihi autem videbatur conculcare vtrem plenum aqua, quæ mouebatur, ac clamare cæpit voce magna dicens: Sine me abire maledicta: non enim ampliùs hùc reuertar; *cuius vocem audierunt etiam Mater mea, ac fratres mei. Et ſtatim mihi abſcidit calceamina, & fregit illum vtrem, totumque cubiculum ſtercore fœtidiſſimo repleuit ita abundè, quòd totum ſolum altitudine quatuor digitorum cooperiebat; quod notum fuit omnibus viciniæ noſtræ. Ampliùs dictus dæmon præter varias apparitiones, quæ mihi faciebat nunc ſub forma Sanctiſſimæ Trinitatis, nunc Chriſti Crucifixi, nunc Angeli Cuſtodis, modò B. Mariæ, modò vnius Religioſi, modò alterius, tandem ſub forma illius Iuuenis mihi ſuadere conatus eſt, licet incaſſum, vt tria adimplerem, & obſeruarem. Primum, vt negarem fidem catholicam cum omnibus ſpectantibus ad eam. Secundum, quòd non crederem Mariam Matrem Chriſti eſſe Virginem. Tertium, quòd non crederem Sacerdotes habere poteſtatem abſoluendi à peccatis. Si autem hæc obſeruarem, nec vlli vmquam, & maximè Confeſſarijs hæc patefacerem, mihi promiſit, magnam pecuniarum quantitatem traditurum, me valdè diuitem facturum, & edocturum modum, & artem, quibus poſſem mortem hominibus inferre, patrare maleficia, vindictam ſumere de inimicis, & alia huiuſmodi, quæ dæmonis aſſeclæ præſtare conſueſcunt. Sed Deo fauente nulli horum præſtiti conſenſum, nec quidquam eorum adimpleui, quæ ipſe me patrare inſtigabat.* En quomodo dæmon verſipellis tentabat dictam Adoleſcentulam, vt natura fragilem inducere in errores, & in ſtrigarum cætum numerare!

AR-

ARTICVLVS III.

Malitia inſignes.

497 *Malitia mulierum probatur Ex Scriptura, Et Ratione.*

NOn eſſe nequitiam ſuper nequitiam mulieris, docet Sapiens Ieſus Filius Sirach *Eccl.* 25. & eorum vitia extrema teſtantur. Superbia tument, vanitate inflantur, ambitione ardent. Ideòquè non ſe ſubmittere, ſed dominari: non leges accipere, ſed dare; non obſequi, ſed præeſſe volunt: vt quotidiè vxorati experiuntur. Auaritia flagrant inſatiabili: vt docet Cicero *lib.* 2. *Rethoric.* Et ſi habent, ijs vtuntur tanquam cooperatricibus malitiæ. Luxuriæ ardor numquam tepeſcit. Cor venereris ſtimulis laceſſitur. Mens laſciuire non ceſſat. Et corpus nihil appetit præter delicias, & voluptates. Ira implacabilis eſt; ideò plus placet Sapienti, *commorari Leoni, & Draconi, quàm habitare cum muliere nequam*. Malignitas ſemper fallacijs armata. *Inueni*, ait Sapiens Eccl. 7. *Amariorem morte mulierem, quæ laqueus eſt venatorum, ſagena cor eius, vincula ſunt manus illius*, & Prouerb. 5. *Nouiſſima*, inquit, *illius amara, quaſi abſynthium, & lingua eius acuta quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcendunt in mortem; & ad inferos greſſus eius penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulant. Vagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles*. Vndè Chryſoſtomus *ſermone de decollatione ſancti Ioannis Baptiſtæ*, ait. *Ego quidem exiſtimo, nullam eſſe in hoc mundo beſtiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone ſæuius? Sed nihil hac ferocius. Quid in Serpentibus Dracone acrius? Neque hic quidem cum muliere mala conferri poteſt. Nam leo, & draco in malo inferiores ſunt. Danielem leones in lacu veriti ſunt: iuſtum verò illum Naboth Iezabel maga interfecit. Cetus Ionam in ventre cuſtodiuit: Dalida Sampſonem circumuentum illecebris, raſo etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Ioannem Baptiſtam in deſerto viuentem dracones, & aſpides cornutæ ſubdita feritate tremuerunt: Herodias verò eidem caput abſcidit; & tanti viri mortem in pretium ſaltationis accepit*. O malum ſummum, & acutiſſimum diaboli telum mulier: quæ, vt idem ait ſuper Matthæum cap. 19. *alijs eſt malum boni colore depictum, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, deſiderabilis calamitas, naturalis tentatio, ineffugabilis pœna, præcipitium patens, ac venenum inſpicientibus compoſitum, & inſanabile*. Vndè Tibullus *lib.* 3. *Eleg.* 4.

Ah? crudele genus, nec fidum fœmina nomen
Ah? pereat, didicit fallere ſi qua virum.

Sic interrogatus Secundus Philoſophus, quid eſſet mulier: Reſpondit: *Hominis confuſio, inſatiabilis beſtia, continua ſolicitudo, indeſinens pugna, quotidianum damnum, ſolitudinis impedimentum, viri incontinentis naufragium, adulterij vas, pernicioſum prælium, animal peſſimum, pondus grauiſſimum, aſpis inſanabilis, humanum mancipium*.

498 *Mulieres malitia impellũtur ad maleficia.*

Quarè cum tales ſint mulieres malæ, vt nequitiam ſuam exſatient, citiùs feruntur ad maleficia. Si libidinoſæ: & præ verecundia neuè ſibi infamiæ nota inuratur, ſua deſideria explere non audeant. Si bonorum cupiditate flagrant: nec alio modo poſſint diteſcere. Si iniuria aliqua ſint affectæ. Si derelictæ ab amaſijs, quibus corporis copiam fecerunt ſub ſpe, & pollicitationibus futuri coniugij. Si ſimili aliqua cupiditate ducuntur, dæmon data opportunitate offert deſiderij potiundi modum, & auxilium pollicetur. Et illæ oblata facillimè acceptant propter acres ſuas paſſiones, vireſque imbecilles. Nec ſolùm malarum artium diſcipulæ; ſed etiam magiſtræ eſſe deſiderant, vt dæmoniaci exercitus inferiorum militum numerum adaugeant.

PARS SECVNDA.

Quales ſint.

ETſi difficile admodum ſit, Veneficorum mores deſcribere ob ingentem eorum varietatem, quæ talis eſt, vt omnem numerum prætergrediatur. Attamen ex ijs, quæ dilectus Domini Diſcipulus Locuſtis apocalypticis tribuit, illos in generali deprehendere poſſumus. Si enim ex puteo abyſſi prodeunt. Si inter nebulas fumi infernalis feruntur in aera: Si duce Angelo abyſſali vagantur in orbe: Si coronas aureas, muliebres capillos, dentes leonum, alas perſtrepentes, loricas ferreas, & caudas aculeatas habent: Quis non videt naturalibus locuſtis hæc conuenire non poſſe? Ideòquè apprimè quadrare myſticis magis, nempè, & maleficis, quorum mores non humani, ſed diabolici ijs ſymbolis deſignantur; iuxta quos ſi illos conſideres, non homines videbis, ſed dæmones: vt Ioannes indicat, cũ dicit: locuſtas facies habuiſſe tanquã facies hominis. Nã quid facies, niſi mores deſignat? cum vultus corporis externus internas animi propenſiones tanquam per lucidum ſpeculum repræſentet. Vndè ſolemus illum in facie attentè conſiderare, cuius genium agnoſcere deſideramus: ſi anguſta, ſi lata, ſi rotunda, quadrata, demiſſa, vt ex ſignis exterioribus diſcamus indocilem, indiſcretum, iracundum, verecundum, ſapientem, & totam interioris hominis conſtitutionem. Quarè, vt oſtendatur maleficos homines natura, moribus eſſe dæmones, non humanam ſimpliciter habere faciem; ſed ſimilem humanæ à Ioanne dicuntur; cum ſint ſecundùm mores & Homines diabolici: & diaboli humanati prout in duplici relatione conſiderantur, quantùm ad dæmonem, cui ſeruiunt: & ad alios, quos impugnant: vt ſequentia capita latiùs declarabunt. 499

Ex Ioanne colliguntur mores maleficorum.

Qui sũt Homines diabolici Diaboli humanati.

CAPVT I.

Homines diabolici.

SI ad maleficia perficienda, quibus totus vexatur orbis, indiſſolubili nexu, & indiuidua cooperatione dæmon, & maleficus concurrere debent, quis dubitat, maximam inter ipſos intercedere neceſſitudinem, per quam inſimul malitiæ æqualis glutino coniunguntur? Quomodo enim tam diſſitę poteſtates, quales ſunt diabolica, & humana in vno effectu producendo vnanimiter copularentur, niſi maxima inter eos eſſet copula voluntatis idem volentis, vel nolentis? Sed quomodo voluntate vnirentur, niſi idem ambo vellent, aut reſpuerent? Nam 500

Magi, & malefici ſunt homines diabolici Quia malũ faciunt, & in malo perſeuerant

ſi vnus

ſi vnus aliquid vellet, & alter nollet, ſtatim diſſenſio contractam ſolueret vnionem. Deniquè quomodo idem vellent, aut reſpuerent, niſi malefici ſemper malum vellent? Nam cum dæmonis praua voluntas ab initio ſit ita corrupta, vt bonum nullo modo velit, & malum ſemper optet; ideòquè malus ſimpliciter vocitetur à Chriſto, neceſſe eſt, malefici voluntatem ferri ſemper ad malum, & numquam velle bonum; atquè ita ſimpliciter malum eſſe, malum velle, & malum operari. Quòd ſi dæmon ab initio ex Angelo diabolus fieri cæpit, quia cæpit facere malum, & modò diabolus perſeuerat, quia perſeuerat in malo, nonne dicemus, maleficos non natura; ſed malitia eſſe diabolos, ſeù diabolicos homines; quia malum faciunt, & in malo faciendo perſeuerant? eò magis quòd ad illud peragendum triplici vinculo aſtringuntur: Fœdere, Societate, Miniſterio: vt tres ſequentes ſectiones liquidò comprobabunt.

Ad quod tenentur Fœdere, Societate, Miniſterio.

SECTIO I.

Fœdere.

§. I.

Ex fœdere malefici tenẽtur ſemper ad malum.

501 CVm fædus initum inter dæmonem, & maleficum maleficij fundamentum ſit, quo reciprocis promiſſionibus ſtipulantur, maleficus mala velle, & dæmon mala operari, non dubium eſt ex vi deteſtandi huiuſmodi pacti, dæmonem Veneficum impellere ſemper ad malum; quod modis omnibus procurare non ceſſat; vt ſic obligationi ex pacto naſcenti fiat ſatis. Nam certum eſt inter vtrumquè pactum verum intercedere poſſe, quicquid in contrarium aſſerat Ioan: Vuierus eorum patronus, qui inter alias futiles rationes probare contendit, dæmonem, & hominem paciſci non poſſe ob naturarum diuerſitatem, & impoſſibilitatem promiſſorum, cum nulla ſit inter vtrumquè communio; & eorum, quæ dari, fieriuè non poſſunt, nec de iure, nec naturaliter vlla ſit penitus obligatio. Bellas rationes, & dignas elucidari, ſi tamen inepto huic homini reſpondendum ſit.

Datur pactum inter dæmonem, & maleficum. Non obſtante

1. Diuerſitate naturarum

502 Ergo pacta maleficorum reſcindere conatur ex parte pactizantium propter naturę diuerſitatem: quia homo corporeus, dæmon ſpiritualis; qui conſequenter, cum ſit ſpiritus carnem, & oſſa non habens, non poteſt extenſa manu firmare, aut recipere ſtipulationem iuxta cæremonias in pactis ſtabiliendis ſolitas obſeruari.

§. II.

SEd facilè hæc aranearum tela leuiculo motu ſoluitur, ſi, quid ſit pactum, conſideremus. Definitur autem: *Duorum, vel plurium in idem placitum conſenſus. L. 1. ff. de pactis*, & dicitur à pactione, ideſt, pacis actu. Vndè paciſci eſt actus concordiæ ad illam conſeruandam directus, qui voluntatis conſenſu contrahitur: vt notat Abb. Panormit. *in cap. 1. de pactis*. Quare cum dæmon, & maleficus in idem conſentiant, verè pactum inter illos interuenit; cum ad eius validitatem requiratur tantùm mutuus ille conſenſus ex conuentione datus. Manuum autem extenſio non tam requiratur ad eſſentiam contractus, & pacti, quàm ad eius expreſſionem, & manifeſtationem, vt conſenſus noſter alijs, cum quibus paciſci, & conſentire volumus, innoteſcat. Aliàs ſi diſparitas naturarum argueret impoſſibilitatem contractus, & pacti; & aliud præter mutuum illum conſenſum ad eius eſſentiam requireretur, nullum daretur pactum inter Deum, & hominem; & tamen ex ſcripturis ſupra *num. 29. huius diſput.* retulimus, Deum habuiſſe pactum cum Noe, Abraham, & reliquis Patriarchis. Etſi maior ſit diſparitas inter Deum, & hominem, quàm inter dæmonem, & hominem. In Deo enim nulla compoſitio eſt admittenda: In Angelo verò bono, aut malo, licèt compoſitio phyſica ex materia, & forma non reperiatur; tamen alia datur metaphyſica ex actu, & potentia. Si ergo, non obſtante maiori diſparitate, Deus cum homine paciſci poteſt; cur Angelus idem non poterit cum homine? Et ità, aut illa ratio nil probat: aut mentiuntur ſcripturæ, cum Deum hominibus fœderatum repræſentant. Ideò ſufficit, quòd inter ineuntes pactum adſit ſimilitudo, & communicatio quantùm ad intellectum, & vuluntatem, quarum potentiarum actus concurrunt ad pactum. Et conſequenter certum eſt, verè pactum dari inter Angelum, & hominem; ſicut, ſcriptura teſte, verum datur inter Deum, & hominem. Præſertim cum ſpiritualis creatura, vt dæmon nobiſcum viſibiliter conuerſando, & ſonum vocalem articulatum, & quaſi humanum edendo poſſit pactum exprimere, & conuenire cum homine.

§. III.

Impoſſibilitate promiſſorũ.

NEc aliquid euincit ſecunda ratiò ex parte pactorum deſumpta, eò quòd maleficus honores, diuitias voluptates petit ab eo, qui non poteſt dare: & dæmon promittit illa omnia, quæ non poteſt exhibere. Vndè cum errore, & dolo, & in finem pernicioſum pacta illa confingantur, ſequitur, nullam iure naturali, aut poſitiuo inducere obligationem. Dicimus enim, pactum à Doctoribus diſtingui in vtile, & validum, & in inutile, & inualidum, ſeù nullum. *L. Iuris gentium* §. *Pactorum, &* §. *ſi ob maleficium. ff. de Pactis, & L. Pacta, quæ contra C. eodem titul. & in Regul. Quæ contra ius. de Regul. iuris in 6.* confirmant Ioan. Baptiſta Caccialup. *in tract. de pactis q. 6.* Baldus *in tract. de ead. materia, & in d. L. Iuris gentium*. Bartolus, Albericus, Iaſon, & alij in *d.* §. *ſi ob malefic.* Et illam rationem nihil aliud probare, quàm pactum inter dęmonem, & maleficum initum eſſe inualidum, turpe, nullum, repudiandum, & reſcindendum; eò quòd nullàm inducat obligationem, quod libenter concedimus tàm iure canonico, quàm ciuili. Immò addimus, non ſolùm hominem non teneri ad huiuſmodi pacti obſeruationem; ſed teneri non obſeruare; cum ſit contra legem diuinam, & humanam, & contra bonos mores. Non tamen ideò ſequitur, quòd non ſit pactum, etiamſi ſit inualidum, ex malitia, & calliditate dęmonis interpoſitum, vt miſerum hominem faciliùs decipiat. Sic enim Chriſto Domino auſus eſt, pacti conditionem offerre, dum ex ſummitate montis omnia regna mundi, eorumquè gloriam oſtendens dixit *Matthæi* 4. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* In quibus verbis quis non videat formam contractus innominati, quæ ſecundùm Doctores hæc eſt: *Do, vt des, facio, vt facias. Do, vt facias. Facio, vt des ff. de Præſcriptis verbis: & in factum actionib. L. Naturalis meus, & L. hoc iure ff. de Donationibus. L. Labeo ſcribit: ſi mihi Bibliothecam. L. iuris gentium ff. de Pactis.* Baldus *in tract. de Pactis, à n. 20.* Ioan. Baptiſta *loco cit.* Gloſſa,

& cęteri

& cęteri DD. ibidem. Angelus, Sylueſter, Aurea, Armilla, & omnes Summiſtæ in verb. *Contractus?* Et ità eodem modo cum maleficis paciſcitur, quò modo cum Christo paciſci conabatur. *Dabo tibi omnia regna mundi,* dicebat Domino; *ſi adoraueris me.* Et miſeris hominibus: *Liberabo te à tali periculo, tribulatione, & paupertate. Dabo tibi diuitias, voluptates, honores, ſi Deo renunciaueris.* Quæ quamuis non poſſit tribuere; non tamen impedit, quin ſit pactum ſaltem inualidum.

Quare aſtruamus hanc veritatem, verè pactum inter dæmonem, & hominem interuenire, in quam conſentiunt Summi Pontifices Ioan. XXII. *in Extr. ſuper illius ſpecula,* & Sixtus V. *Conſtit. quæ incipit: Cæli, & terræ Creator.* Theologi, Iuriſconſulti, & Medici. Probatque vnanimis omnium magorum, & maleficorum confeſſio, qui non dormientes; ſed vigilantes tale pactum cum dęmone ſolutis ſenſibus inierunt, vt perturbatę phantaſiæ ſit, contrarium aſſerere ei, quod tot, tantiſquè teſtimonijs comprobatur. Hoc autem pactum duplex eſt: Aliud Expreſſum: Aliud Tacitum, prout leges, & Iuriſconſulti pactum diuidunt, *L. Labeo. L. Item, quia conuentiones ff. de Pactis,* & vtroque modo à maleficis contrahitur: vt ſequentes articuli declarabunt.

Quod duplex eſt. Expreſſũ Tacitum

ARTICVLVS I.

Expreſſo.

504 PActum expreſſum initur, quando conſenſus per verba, nutus, & ſigna, vel ſcripta exprimitur; atquè illud vt plurimùm ſequitur profeſſio, qua malefici Deo abrenunciant, & dęmoni in ſeruitutem ſe tradunt: Aliquando in eius præſentia: Aliquando in abſentia.

Pactum expreſſũ initur variè.

In præſentia fit expreſsè dęmoni, vel in forma viſibili hominis, hyrci, aut alteriùs beſtiæ apparenti, vel non apparenti quidem viſibiliter; ſed ſuam præſentiam voce, vel ſigno ſenſibili teſtanti. Vtroquè enim modo ſe præſentem exhibet, vt ex diuerſis exemplis colligitur.

Aliquando in pręſentia dæmonis

§. I.

Viſibiliter apparentis 4. modis.

1. Remotis arbitris.

CVm apparet in forma viſibili pactum initur, & profeſſio emittitur quadrifariè. Primo modo remotis arbitris, cum nullus interuenit præter dæmonem, & hominem paciſcentes. Homo concupiſcentiæ ſtimulis agitatus: aut ſpirans minarum, & cædis: aut ad diuitias inſatiabili auiditate anhelans: aut afflictione quadam oppreſſus aliorum conſortia fugit, quærit ſolitaria loca amica mærori-bus: voluit animo modos vel liberandi ſe ab opprimente malo: vel bonum deſideratum conſequendi: & triſtitia, puſillanimitate, deſperationequè deiectus, paratus eſt quidlibet agere, vt optatis perfrui poſſit. Adeſt dæmon, vel inuocatus, vel lubens in forma hominis fuligine atrati, & cauſas ſciſcitatur mæroris, quas vbi didicit, ſuam ei operam offert, auxilium pollicetur, & montes aureos promittit, modò ſe eius miniſterio addicere velit. Acceptat excæcatus homo conditionem; cum offerente paciſcitur, & profeſſionem emittit, Deo, Sanctis, & Sacramentis renunciando; dæmonemquè agnoſcendo in magiſtrum, & Dominum per homagium, quod in corporis, & animæ traditione conſiſtit; & ſic vt plurimùm ſine alia ſolemnitate pactum initur expreſſum.

§. II.

SEcundo conſcio mago, ſed abſente. Conſueuerunt enim malefici cum literis commendatitijs ad dæmonem mittere accedentes candidatos, 505
quæ eorum votum, & ſtatum exprimunt. Has tempore deſignato, & loco condicto dæmoni viſibiliter apparenti præſentant, quibus lectis paciſcuntur, vt ſupra. Et hoc modo magorum conſultores eum ſæpiùs adeunt; vt adoleſcens ille infimæ ſortis Protherij Senatorij ordinis viri filiam deperiens. Et nobilis Romanus à Presbytero Palumbo miſſus, vt annulum incogitanter Veneris ſtatuæ digito inſertum, & à diabolo ablatum recuperaret; de quibus ſupra *diſp. 1. num. 147.*

2. Conſcio mago, ſed abſente.

§. III.

TErtio in præſentia magi; aut aliorum maleficorum, qui quaſi patroni, & teſtes vocati pa- 506
ctum, & profeſſionem faciunt ſolemniorem. Hi nouitium maleficum antea diligenter instructum de modo, quo ſe in deteſtanda illa actione gerere debet, Cacodæmoni præſentant, ſupplices rogant, vt eum in ſuam ſocietatem aſcribere dignetur; & ſpondent, eum ſe fidelem exhibiturum in eius obſequio. Idipſum teſtatur inferni neophitus, qui poſt ſponſiones, & pacta profitetur, ſe Chriſto renunciare libenter; & ſic à Principe tenebrarum in numerum ſuorum admittitur. Hoc ſatis indicat eius mos, quando coram teſtibus fidelitatem, & homagium exigit ab ijs, qui ad illum accedunt, non vt magiæ, aut maleficijs vacent; ſed vt honores, diuitias, & id generis bona conſequantur: ſicut probat hiſtoria nota Theophili, qui Eccleſiæ œconomia pulſus reſtitui cupiens, mediatore mago Iudæo, dæmonem adijt, & coram eo, poſt pacta, & conuentiones, Chriſto, & Sanctiſſimæ Deiparæ renunciauit. Si enim hoc requirit ab ipſis, quid à maleficis, qui ſpeciali iure eius miniſterio addicuntur? vt probatur exemplo Germani cuiuſdam, & Theodori Maillotij apud Nicolaum Remigium *lib. 1. Dæmonolatriæ cap. 9.*

3. Præſente mago.

§. IV.

HOc modo cum dęmone pactum inijt ille magus Anno 1638. vt infra *num. 546.* in quadam 507
montium Genuenſium ſpecu, quò profectus erat vnà cum nouem alijs magis; ſed cunctis hæreticis, cum quibus tunc in quadam Vrbe ſtudiorum gratia continuè morabatur. Poſtquam ad condictum perueneruut locum, ecce Beelzebub dęmoniorum princeps ſub forma humana, oculis ſcintillantibus, hyrcina barba, cornuta fronte, aduncis manibus, pedibus aſininis, ſeù bubulis, voce ſubtili, rauca, ſed horribili; ſuper magnum lapidem ſedes, ad cuius conſpectum procubuerunt omnes candelas piceas accenſas in manibus tenentes, eum ſubmiſsè adorantes, & podicem eius fædum oſculantes. Tunc magorum eorum primus ſurgens, ſedente dæmone, cæteriſquè magis vnà cum nouitio genuflexis, vti arbiter cæpit loqui, dæmoni annuendo, & exponendo, ſe nouum huc adduxiſſe diſcipulum, ſapientem vtriuſquè legis Doctorem, nec non Theologum, iam benè inſtructum, foreque fideliſſimum, quem ei præſentauit, cæteris rogantibus magis, vt eum inter ſuos aſſeclas aſcribere dignaretur. Tunc auerni

Exemplum adducitur modernũ

ni princeps de hoc neophito gauiſus dixit: vt ſuas exponeret petitiones, qui omni Dei timore poſthabito: *Peto*, inquit, *vt mihi aliquem indices theſaurum; modumquè illum adinueniendi, ac poſſidendi aperias: nec præſtigijs, aut alijs technis, ac rebus apparentibus me fallas, ſed verum aurum, & argentum mihi tradas. Dein artem me doceas, inuiſibiliter eundi, ac permeandi quò me duxerit voluptas, & impulerit concupiſcentia. Pręterea dęmones à me vocati, meis annuere votis, facere ſatis non detrectent, ac me citiſſimè transferant quocumquè faxerim; aliaquè pręſtent, prout mihi videbitur opportunum*. Hæc omnia promiſit dæmon facilè exhibiturum, dummodo & ipſe Deum abnegaret, ac firmiter crederet, nullum eſſe Deum pręter dæmonem, cæteris fidei, articulis, ſacramentis, ſacramentalibuſquè renunciaret, toto tempore vitæ ſuæ Religioſos, cæteroſquè eccleſiaſticos, ac præcipuè ſacerdotes contemneret, & irrideret, omneſquè eccleſiaſticas cæremonias, ac functiones nihili haberet, ac flocci faceret, ſua peccata numquam confitendo, & quod peius eſt, ipſam ſacramentalem confeſſionem, vt ſacerdotum naſſam, aut dolum, quo ſimplices, & idiotas decipere conantur, exiſtimando. Spopondit nouitius omnia præſtiturum, præter primum. *Nullum enim*, inquit, *eſſe numen præter dęmonem, credere, repugnat menti meę; quia ratio contrarium mihi dictat*. Tunc magorum eorum princeps, qui apud ipſos vt epiſcopus habebatur, & arbitri munere fungebatur, addidit, ſic neophitum allocutus: *Si non vis credere; nullum eſſe Deum, niſi dęmonem, ſicut ego credo: credas ſaltem, oportet, duos eſſe Deos: vnum rerum inuiſibilium, ac ſpiritualium creatorem: alterum dęmonem rerum inuiſibilium, ac corporalium conditorem*: Tunc nouitius dixit: *Hoc faciliùs mihi ſuadebo*. Sic abnegato Chriſto Redemptore, Beatiſſima Virgine Deipara, fidei articulis, ſacramentis, cunctiſquè eccleſiaſticis ſanctionibus, ac cæremonijs renunciatis, fidelitatem dæmoni promittens, cæteriſquè ad pactum explicitum ineundum, & profeſſionem emittendam requiſitis per arbitrum peractis, ſed prius reuerenter iterum dæmonis oſculato podice, de his omnibus formatum fuit chyrographum propria ipſius nouelli magi manu ſcriptũ, & obſignatum, eiquè à dæmoniorum principe pręſcriptus fuit Martinetus, ſeù Martinellus, vt in omnibus preſtò ei obſequeretur, qui cum alijs magorum pręductorum Martinellis amplo, & pretioſo plauſtro formato à quatuor albis dromedarijs euecto illud magi cuncti ingreſſi per aerem diſcurrentes, citiſſimè ante ſolis occaſum ad Vrbem, quam incolebant perducti fuere. Hæc ille non ioco, ſed ſeriò mihi enarrauit. Reuerendiſſimo tamen Inquiſitori, cuius tribunali ſpontè comparuerat, omnia prædicta non corde, ſed ore duntaxat enunciaſſe coram me aſſeuerauit, ità ex documentis à Petro de Abano in ſuis ſcriptis traditis inſtructus: omneſquè prædictos errores abiuraturum lubentiſſimè ſe paratum exhibuit, qui, vtinam, verè pęnituerit pro animę ſuę ſalute.

§. V.

508 *3. Præſentibus omnibus maleficis.* QVartò in ſolemnibus omnium magorum congregationibus, quę diuerſis temporibus celebrantur modo, quo ſtatim dicemus; in quibus dæmon ſublimi throno multis ſtipatus nobilibus in forma regia apparens, illos admittit in ſuos, qui ab alijs maleficis pręſentantur. Nam coram vniuerſa illa multitudine ſolemniter pactum ineunt, dum illi homagium dæmoni præſtant. Iſtæ maleficis diuitias, & honores pollicetur; & ſic fœderati in magorum, & maleficorum album referunrunt. Quæ pluribus exemplis probat Grillandus *tract. de Sortileg. cap. 7.* Petrus Binsf. *tract. de Confeſs. malefic. prælud. 6.* & Auctores Mallei malef. varijs locis.

§. VI.

CVm verò non apparet in forma viſibili, ſæpiùs 509 *Senſibiliter apparentis.*
ſenſibili aliquo ſigno ſuam pręſentiam conteſtatur, puta, voce, aut ſimilibus: de quo illuſtre habemus exemplum apud Cæſarium *libro illuſtrium miraculorum, & mirabilium, quæ ſcripſit circa annum* 1222. *per modum dialogi lib. ſeù diſt. 2. cap. 12.* Nobilis cuiuſdam Leodienſis, qui poſt diſſipatam amplam hæreditatem breui ad ſummam redactus paupertatem voluntario exilio patriam, & exteras petere terras ſtatuerat, tolerabilius iudicans mendicare inter ignotos extraneos, quàm inter domeſticos notos. Ille enim à Villico mago deceptus, qui meliora ſperare iubebat, ſi ſuæ voluntati morem gereret; cum eo nocturno tempore profectus eſt in locum nemoroſum, & paludibus obſitum: Ibi Villicus cum aliquo cępit habere ſermonem, qui audiebatur, ſed non videbatur: de quo Iuuenis ille ſtupefactus petijt ab eo, cum quo loqueretur. Magus ei ſilentium indicit; ſed tandem ſecundò, & tertiò importunè interrogatus reſpondit, ſe cum dæmone loqui, cui ipſum præſentabat. Dæmon interea deuotionem, & fidelitatem poſcit à Iuuene, & iubet, vt ſi quid conſequi velit, Deo renunciet, diuitias, & honores ampliores prioribus pollicendo. Aſſentitur miſer: iterum petit ab eo, vt renunciet Sanctiſſimæ eius Matri: hìc hęret nobilis, & facere renuit. Sollicitatur à Villico, vt qui maius fecerat, renunciando Creatori, minus facere renunciando creaturæ, non vereretur. Sed ipſe magìs in ſuo permanet propoſito, negans ſe id vmquam facturum, etiamſi toto tempore vitæ oſtiatim ei eſſet mendicandum. Itaquè re infecta redeunt maximo peccati pondere grauati, villicus ſuadendo, Nobili conſentiendo, qui poſtea meritis Sanctiſſimę Virginis illo ſcelere liberatus, honeſtiſſimum nactus eſt matrimonium, quo mediante ſub nomine dotis bona amiſſa recuperauit. Hęc fuſiùs narrare placuit, vt videas dęmonis loquentis; ſed non apparentis cęremonioſum pactum; & eò magìs pijſſimam Sanctiſſimę Dei Genitricis miſericordiam, quę etiam inimicantis pium propoſitum noluit eſſe ſine mercede.

§. VII.

AT pactum illud diabolicum pręſente dęmone 510 *Aliquando in abſentia dęmonis.*
non ſemper initur. Aliquoties enim fit in eius abſentia coram deputatis, qui eius nomine cum nouo malefico certis conditionibus contrahunt pollicentur optata, & profeſſionem admittunt; totumquè à dęmone ratificari faciunt. Hunc externum pacti apparatum deſcribit vnus ex illis *in Malleo malefic. par. 2. q. 1. c. 2. oportet primò*, ait ille, *vt dominica die, antequam aqua benedicta conſecretur, futurus ſcholæ maleficæ diſcipulus cum magiſtris, à quibus ſeductus eſt, Eccleſiam ingrediatur; & ibi coram ipſis Chriſtum, fidem, baptiſma, & Eccleſiam abneget; tum homagium præſtet magiſterulo, ſeù paruo Magiſtro* (ſic enim dæmonem vocant) *Deinde bibat ex vtre liquidum humorem confectum ex*

carne

carne infantili in lebete aſſi, donec fiat potabilis. Quo facto ſentit ſe imagines huius artis concipere; & præcipuos huius ſectæ ritus retinere. Sicquè fit conſcius ſecretorum, & magiſter declaratur. Quod pactum diabolus ratum habet, quamuis ipſi in propria perſona factum non fuerit; omniaquè in illo contenta perinde adimplere nititur, acſi fuiſſent ei promiſſa.

§. VIII.

511 IN huiuſmodi autem pactis expreſſis, quoquo modo fiant in abſentia: vel in præſentia dæmonis, obſeruanda ſunt quædam, quæ ab ipſo practicantur. Nam primò ſe talem exhibet homini, qualem ſe homo ipſi. Si ſe homo totum tradit dæmoni, & plura ſe facturum ſpondet in eius honorem: plura etiam dæmon illi promittit, ei plura condonat. Si verò parcus ſit homo in ſuis promiſſionibus: dæmon etiam minus liberalis eſt in ſuis donis. Ideò non omnibus omnia promittit; ſed certa quædam iuxta conditiones vltrò, citròquè factus: A paruis tamen inchoando, vt ad maiora perueniat. Præterea cum diffidat de hominum promiſſionibus; non ſolùm conſenſum verbo expreſſum; ſed etiam ſcriptura formatum, & propria malefici manu obſignatum exigit, reſeruatquè in traditæ fidei teſtimonium: vt oſtendunt exempla Theophili ſupra memorati apud Metaphraſtem: Adoleſcentis à Sancto Baſilio liberati apud Amphilochium *in vita eius*: & illius Legiſdoctoris de quo ſupra *num.*57. Multorumquè, quos videre licet apud Hiſtoricos. Deniquè ſæpiùs non ſtatim ac pactum initur, extorquet profeſſionis iuramentum; ſed in aliud tempus differt: Vel quia nouitium videt in aggreſſu difficilem ad conſenſum, cum incredibili ſagacitate veniat in cognitionem eorum, quæ in corde latent per ea, quæ cernuntur exterius; ideòquè ne illum exaſperet: vel à ſe his profeſſionibus amoueat, blandè ſuſceptum demulcet, pauca ab eo exigit, paulatimquè ad maiora promittenda diſponit. Vel quia experiri vult nouitij ſtatum. Cum enim nouerit, aliquos ore ſolo, non corde: alios corde, & ore inſimul fidem abnegare, certos annos deſignat emittendæ profeſſioni, intra quos toto tempore malefici nouitiatus ex operibus, & conuerſatione mentem eius explorat. Nam ſi illum agnoſcit poſteà minus voluntarium; paratumquè confugere ad Diuinæ miſericordiæ aſylum, temporalibus afflictionibus fatigatum quaſi ore ſolo, non corde adhærentem, à ſe amouere, & in deſperationem inducere conatur.

Praxis pacti expreſſi.

ARTICVLVS II.

Tacito.

512 ALiud pactum dicitur tacitum; contrahiturquè quando aliquis ſuperſtitioſis vtitur ſignis, & aliquid agere contendit per cauſas, quæ nequè diuino præcepto; nequè eccleſiaſtica inſtitutione; neque virtute naturali vim habent, illud perficiendi: Vel quando huiuſmodi cauſæ tanquam neceſſariæ alijs adiunguntur, quæ talem effectum producere poſſunt, vt explicat Nauarrus *in Manuali Confeſſ. cap.*11. *num.*25. & latiùs manifeſtabitur infra ſuo loco *tom.*2. *diſp.*1. *par.*2. Hoc autem initur, vel cum peccato: vel abſquè peccato mortali, prout hæc ſuperſtitioſa à ſcientibus: vel ignorantibus peraguntur.

Pactum tacitum dupliciter contrahitur

§. I.

SCientes ſunt illi, qui ex magorum, & maleficorum libris: aut ex ſermonibus: vel actionum imitatione his ſignis vtuntur, ver.gr. Laborat quis graui morbo, remedium quærens incidit in librum maleficum ad eius curationem ſuperſtitioſa, & ſuperuacanea aſſignantem: hoc malefico remedio vtitur, & ſic tacitè cum dæmone paciſcitur; quia opera dæmoniaca probat, & in praxim adducit, in quo mortale crimen adducitur: vt ſentiunt communiter omnes D.D. cum nullo modo liceat directè, vel indirectè aliquam cum prauis ſpiritibus contrahere ſocietatem. Secùs ſi remedium aliquod naturale ex his libris, ſermonibus, aut operibus expiſcatur: vt ſolent miniſtri Sathanæ naturalibus operationibus contegere magicas. Tunc enim ab omni pacto alienus foret; non tamen eſſet alienus à peccato, ſi liber eſſet prohibitus: vt latiùs explicabitur infra *tom.*2. *d.*1. Eodem modo tacito contrahunt illi, qui ducti curioſitate maleficos in ſuis actibus imitantur. Videt quis vxorem intempeſtè noctis ſilentio è latere aſſurgentem, & ſeipſam quodam vnguento linientem foras erumpere, & longiùs aſportari: ſurgit ſeipſum vngit eiſdem corporis partibus, & ſic defertur à dæmone in cætum maleficorum. Quis dubitat, illum tacitè conſenſiſſe in opus diaboli, cum huic vnguento talem vim ineſſe crediderit; & propter tacitum hunc conſenſum dæmonem ei auxilium præſtitiſſe: vt benè docet etiam Petrus Binſf. *de Confeſſ. malef. prælud.*6. Ioannes Gerſon, & alij *in Malleo malef.*

A ſcientibus.

§. II.

IGnorantes ſunt illi, qui magica ſigna non norunt; nec ſciunt illa eſſe mala: aut à dæmone inſtituta. Sumit quis præ manibus librum ſuperſtitioſum, & magicum, quem putat compoſitum à ſummo Philoſopho: aut perito Medico: bona fide legit diuerſa remedia varijs infirmitatibus curandis aſſignata; eademquè ſimplici fide ijs vtitur. Vel de ſuis rebus cum alijs conferens aliquid ſimile accipit, quod nullum præſefert prima fronte malum à viris, quos pro fidelibus, & probis habet; & poſteà optatum videt effectum ex illa ſuperſtitioſa operatione prodeuntem, tacitè conſenſiſſe cenſetur. Quòd ſi idiota ſit, nequè hoc ſcire tenetur, vel nullum, vel leuiſſimum eſt peccatum. Si verò admonitus ceſſare non vult; tunc deficiente ignorantia oritur ſcelus: vel ſi ſciens malum, & prohibitum eſſe, nihilominus in his perſeuerat. Et vtroquè modo plures paciſcuntur, qui tamen non putant, aut aduertunt. Et per hæc tacita, & ſecreta pacta dæmon ſæpiùs homines perducit ad publica, & expreſſa. Incipiunt enim eſſe malefici primò ignorantes: tum ſcientes, deindè volentes; atquè ijs quaſi gradibus pedetentim deſcendunt in omnium malorum baratrum, à quò poſtea reuocare gradum, hoc opus, hic labor. Quod ſapienter animaduertit S.Ioa. Chriſoſt. *homil.*87. *in Matth. cap.*27. *A minimis*, inquit, *ad maxima gradatim ducit diabolus; & indè ad deſperationem detrudit.* 513

Ab ignorantib.

§. III.

514 *Vitanda illa ſcelera.*

Qvarè fœdera illa qualiacumquè ſint omnes, quibus ſalus cordi eſt, ſolicitè vitare debent. Si enim apud homines ſcelus eſt ingens cũ hoſtibus fœderari, quale crimen pactum inire cum dæmone contra Deum, homines, & creaturas? Præterea vana ſunt, & fallacia; Hoſtis enim noſter numquam fidem ſeruat; nec vllo promiſſo putat ſe aliquam contrahere poſſe obligationem. Promittit multa; ſed illa non exhibet: vel quia non poteſt: vel quia non permittitur. Si aliquid facit eorum, quæ pollicetur, hoc eſt, ne vt perfidus ab omnibus deſeratur; & vt miſeros homines detineat ſtrictioribus vinculis irretitos. Ideòquè totum illud, fucus, fumus, ſimulatio eſt. Deniquè noxia, & pernicioſa ſunt, vt potè quæ mortem ſemper animæ, ſæpiùs corpori in hoc mundo, & certiſſimè vtrique in alio afferunt: vt longa ſæculorum diuerſorum experientia docuit in tot excæcatis maleficis, qui fœderibus illis confidentes miſerè perierunt.

SECTIO II.

Societate.

515 *Societas hominũ bonos facit, aut malos.*

Qvi hominem animal rationale, & ſociale eſſe dixerunt, eius genium optimè nouerunt. Ipſi etenim ità inſitus eſt à natura, teſte Ariſt. 1. *Ethic. cap.* 7. ſocietatis, & communionis appetitus, vt ex hominum cœtu eliminandi ſint, & cum feris in ſyluas amandandi, qui aliorum congreſſus ferre non poſſunt. Sed multum intereſt, cui ſe iungat in ſocium. Nam nulla res magis animum eius vel ad virtutem prouocat: vel inclinat ad vitia, quàm bonorum, aut malorum conuerſatio. Conductor bonus prauum paulatim reuocat ad recti ſemitam: & mores bonos ſenſim ſine ſenſu transfundit in eum, qui ſibi familiaritate coniungitur. Nam *bonus,* inquit D. Chryſoſt. ſuper Matth. *ſic malo coniungitur; vt aut parem reddat: aut citò à ſe amoueat: cum amicitia ſociorum pares, aut quærat, aut faciat.* E contra cum malus bono ſocietate copulatur, verbo, & facto illum impellit ad malum; Non enim ex eius conſortio melioratur; ſed alium quaſi contactu nefando contaminat. Et cum ipſe ſua malitia non mutetur, eum peruertit, qui ſibi coniunctus eſt; quia aſſidua conuerſatio ad imitationem blandiente vi trahit, & rigidum virtutis propoſitum paulatim eneruat. Quare talis eſt homo, quales ſunt hi, quibus ſocietate connectitur: Bonus, ſi cum illis conuerſatur, qui eum meliorem facturi ſunt; & eos admittat, quos ipſe poteſt facere meliores: Malus, ſi ſe ſocium præbet ijs, qui peruerſi cum ſint, eum peiorem reddere poſſunt; & eos recipit in ſocios, quos non poteſt facere bonos. Vndè natum prouerbium: *Cum bono bonus eris, & cum peruerſo peruerteris.* A Regio Propheta approbatum *pſal.* 17. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.*

Societas dęmonũ homines facit diabolos.

Si ergo tanta vis eſt ſocietatis humanæ, quantam, putas, vim eſſe ſocietatis diabolicæ ad eos homines transformandos moraliter in dæmones; qui intima cum eis familiaritate copulantur? Nam maior energia in verbis, efficacia in exemplis, & potentia in ſolicitationibus dæmoniacis, quàm in humanis reperiuntur. Et ideò quis neget, maleficos eſſe verè homines diabolicos, qui vltra fœdus initum, indiuiduam cum eis contrahunt ſocietatem, *Tum Publica.* tum Publicam: tum Priuatam: vt ſequentibus articulis declarabitur. *Tum Priuata.*

ARTICVLVS I.

Publica.

Solemne eſt tenebrarum principi diuerſis anni temporibus, varijſquè locis congregationes, ſeu conuenticula celebrare, in quibus ingens magorum, & maleficorum vtriuſquè ſexus multitudo conuenit, qui dæmonibus viſibili ſpecie apparentibus familiariſſimè coutuntur: vt teſtantur Turrecremata *in cap. Epiſcopi* 26. *quæſt.* 5. Guilhelm. Pariſienſ. *vltima part. de Vniuerſo cap.* 21. Alphon. Caſtrenſis *lib.* 1. *de iuſta hæreticorum punitione à cap.* 14. Franciſcus Victoria *in Relect. de arte magica à numer.* 22. Thomas Caietan. 2. 2. *quæſt.* 95. *ſuper artic.* 3. D. Thomæ: & cæteri Doctores ſupra relati *diſput. præcedent. numer.* 332. Ex qua familiaritate paulatim mores diabolicos imbuunt, & ad dæmoniaca ſcelera pertrahuntur: vt ſuadere eſt, ſi accedentes, ſtantes, & recedentes conſideres.

§. I.

Dvm accedunt ad nefandos illos cætus, quiſquè ſuum dęmonem ſocium habet, qui illum ad deſtinatum locum ducit, & vehit ſub varia forma, canis, tauri, equi, & vt plurimùm hirci. Nec enim maligni ſpiritus dedignantur, non ſolùm ſe præbere ductores; ſed etiam vectores, iumentaquè oneraria ijs, qui ex pacto, vel ex curioſitate ijs cætibus adeſſe tenentur: aut volunt. Ex qua vectatione tum familiaritas, tum fiducia, tum complacentia generantur. Quid magis familiaritatem conciliari poteſt inter hominem, & dæmonem, quàm videre ſpiritum inuiſibilem ſub viſibili ſpecie; immò ſub diuerſa forma brutorum apparentem, vt in eis equitans homo ad loca diſſita perferatur? Quid fiduciam, quàm tolli in aera, & pennatorum more regiones peruagare; atque ex altiſſimis locis in terram innoxio caſu, qualis ſolet eſſe auium, & lapſu placido, quietouè deponi; incolumeſquè demitti? Quid complacentiam, quam ſuauiter equitando breuiſſimo tempore varia loca luſtrare, & in momento vaſta terræ ſpatia quaſi volando emetiri. 516

Familiaritas maleficorũ cum dæmonibus in Cœtu generali Probatur ex eorum.

§. II.

1. Acceſſu.

Ex tam familiari fida, & complacenti ſocietate oritur morum imitatio, iuxta id, quod dicere ſolebat Menander Poeta: *Cum ſapientibus conſuetudinem habens, & ipſe euades ſapiens. Cum malis conſuetudinem habens, & ipſe euades malus: corrumpunt enim mores bonos conſuetudines malæ.* Ad quid enim accedunt ad iſta conuenticula quotquot malefica labe reſperſi ſunt, niſi vt perpetrata à ſe facinora referant, & de nouis perpetrandis deliberare poſſint? Nam ſicut ſolent heri à villicis exigere diligenter, & feriò expendere rationes eorum, quæ per illos in bonorum adminiſtratione geſta ſunt: ità dæmon ab illis exquirit, quid à nupero conuenticulo noui ſceleris com-

commiſerint; eoſquè qui ſe flagitiores, & nequiores ab eo tempore fuiſſe probauerint, honoribus, applauſuquè proſequi. Illos verò, qui nihil noui afferunt, peſſimè habere; atque eorum increpata ſegnitie caſtigare. Vndè omnes, qui ad illa comitia proficiſcuntur, maximè ſoliciti ſunt, ne ad illa veniant imparati. Ideoquè nouis antea facinoribus ſe obſtringunt, & horribilia crimina attentant, quo infernali exactori gratiores eſſe, & ſe dignos talis domini ſeruos exhibere poſſint: vt latè docet Binsfeld. & exemplis comprobat *tract. de Confeſs. maleſic. prælud.* 9.

§. III.

517 DVm autem ille Orgiæ celebrantur, quàm ſint dæmonibus familiares, oſtendunt eorum actus. 2. Statione.
Etenim poſt præſtitos ſummi cultus honores primario dęmoni; cum cęteris ludunt, ſaltant, cantant, epulantur, choreas agunt, & nefandis modis concumbentes ſpurcitias exercent horrendas. Ex quo fit, vt cum omni ſecuritate quaſi homines diabolici omnia ſcelera præſtent. Nam ſic exulat omnis timor, quo tanquam fræno homines coercentur, ne præcipiti curſu ruant in omne peccatum, dum vel alios homines reuerentur, quorum præſentiam ſolicitè vitare contendunt: vel dæmones malorum tortores, pænaſquè ſibi præparatas horrent: vel Deum peccantium ſeuerum vindicem cum tremore ſuſtinent. Quomodo Deum timeant vltorem, qui ijs conuenticulis adſunt, cum vident eius inimicum, omneſque ipſius ſequaces tanta, & tam atrocia in Diuinam Maieſtatem attentare; nec tamen pęnas luere; immò nouis iniurijs eum impunè laceſſere? Vndè credunt potiorem eſſe dęmonis potentiam; nec à diuina, eiuſquè permiſſione pendere: aut Deum tot crimina punire non poſſe: vel non curare: vel nolle: aut dæmones pænas æternas non ſubire, eiuſquè ſectatores non eſſe damnatos. Ideò audaciùs peccant in cælum; arctiùſquè ſe potentiſſimo dæmoni aſtringunt, vt qui Deo præualere videatur.

Quomodo horreant dęmones, quos depoſita priori forma hirci, vel canis, vel tauri, vel equi ſentiunt hilares, amicos, & ſocios beneuolos ſub forma viſibili, & grata comptorum adoleſcentium, & laſciuientium, pellaciumquè puellarum? An putant illos vexari tormentis, inimicitiaſquè cum hominibus gerere, quos vident verſare ſaltatorios orbes, ridere, cantare, epulari, coire, & gaudere cum ipſis; atquè ad omnia officia, & obſequia exhibenda ſe demonſtrare paratos?

Quomodo homines reuerentur, qui tàm copioſum virorum, mulierumquè eidem diabolico miniſterio mancipatorum cętum conſpiciunt? Equidem timore corriperetur eorum quiuis quantumuis ſceleratus, ſi ſciret ſe ſolum eſſe Dei inimicum; & ſe ſolum crederet diabolo aſtrictum: nec auderet hoc alteri etiam muſſitando reuelare; multo minùs alios inducere ad ſimile facinus. At cum ſe nouit in tam ſolemni, & delectabili ſocietate connumerari non ſolùm non timet iuxtà illud D. Bernardi *lib. de Conſider. Vbi omnes ſordent, vnus minimè fortè ſentitur*; ſed etiam ſe eſſe ſodalem dęmonis ouando gloriantur; atquè iactabundus cognatos, amicos, & notos ſolicitat ad illos cętus frequentandos, vt ijſdem bonis, & voluptatibus perfruantur. Quare ablato timore omni diuino, diabolico, & humano, peiores euadunt: vt prudenter ratiocinatur Spineus *q. de ſtrigib. cap.* 20.

§. IV.

INſuper ſeipſos ad flagitia inuicem hortantur, & trahunt, mutuòquè ſe in eis fouent. Hortantur ſuperiores eos, quos in ſceleribus perpetrandis ſegniores, & timidiores deprehendunt; & propter eam, quam præſeferunt excellentiam, potentiam, & beneuolentiam, eos ad omnia facinora tametſi execrabilia inducunt. Nec audent alij eorum ſolicitationibus refragari; imò mandatis obtemperant, quò gratiores dęmonibus, & miniſtris infernalibus facti ad ampliores dignitatum gradus euehantur. Trahunt æquales alios, creſcente malitia propter multitudinem, dum omnes quaſi in vnum facinus verbo, & exemplo coniurant. Ità vt quilibet non ſolùm propriorum, ſed etiam totius multitudinis ſcelerum, quibus conſentit, reatibus teneatur obnoxius; & lubentiùs feratur in illa, quæ à tot, tantiſquè omnis conditionis hominibus conſpicit attentari. Quis enim in tam numeroſo cętu conetur contra ictum fluuij? Quare eò magis diffunditur malitiæ virus, quò plures in eadem facinora conſpirant: ſicut in agentium naturalium actione teſte Ariſtot. 1. *de generatione, eò fortior eſt virtus in agendo, quò agentia inter ſe arctiùs vniuntur*. Deniquè alij alios fouent carbonum ignitorum more, qui acriùs ferueſcunt, dum coguntur in vnum, ſuumquè calorem mutuò communicant. Nam multi grauiſſima crimina, quæ ab eis perpetrantur, committere renuerent, ſi ſoli ad illa allicerentur; quæ tamen aliorum hortatu, exemplo, & ſocietate fidentiùs admittunt. Neque ſolùm in eis exequendis aliquam ſentiunt repugnantiam, quinimmò maxima voluptate fruuntur. Si enim omnis boni poſſeſſio minùs eſt iucunda ſine conſortio, abſquè dubio ex tanto cantantium chorizantium, & ſaltantium numero delectantur; præſertim viliſſimi homines, quorum deſiderium ex aſpectu perſonarum illuſtrium, quæ apparere ſolent in magnifico apparatu magis accenditur; ità vt nihil tàm habeant in optatis, quàm talia repetere ſæpiùs, atquè frequentiùs tam gratis cætibus adeſſe: *cum homo aptus ſit*, teſte Ariſtotele, *ad cœtus, ſocietatemquè natura*. Quarè nihil mirum, ſi publica magorum, & dęmonum ſocietate homines humanitatem exuant, moreſquè induant dæmoniacos facti dæmonibus ſimiles, & familiares. 518

§. V.

ADhuc familiaritas augetur in iſtis, dum ex infernalibus comitijs reuertuntur. Iſdem namquè vectoribus ad proprios lares remeant, quibus fuerunt tranſportati, qui, vt ſe maleficis præbeant obſequentiores, cautè obſeruant, nè quid in eorum abſentia domeſtici deprehendant, quo poſſint in cognitionem deuenire eorum, quæ à ſuis clientulis fiunt. Illa etenim omnia obeunt, quæ ipſi malefici facerent, ſi præſentes eſſent. Quod præſertim locum habet in fęminis; cum enim auolant ex lecto geniali ad conuentus illos ſathanicos, ne quid ſoliti penſi, & nocturnæ conſuetudinis deſideretur: Vel maritis ſomnum arctiorem per incantationes inducunt, ex quo non poſſunt facilè excitari: Vel perſonas quaſdam adumbrant, quæ vxoris locum tenent, ſi fortè contingat maritum interea expergiſci. 519 3. Receſſu.

Inſuper vxorū vicē earū aliquando gerunt, & cum maritis concumbunt, vt ſic zelotipiā eorum fallant:

vt exemplis probat Remigius *lib. 1. c. 12.* Si enim dæmon, cum ſagę, & malefici ſolùm imaginariè, & phantaſticè vadunt ad ludos, eorum ſupplet vices, illos in conuentibus repræſentando, & omnia peragendo, quæ ipſi acſi adeſſent, facere tenerentur, nè ab alijs negligentiæ nota arguantur: quidni etiam in lectis eorum figuram aſſumens, quæ ipſi, dum adſunt, pręſtare conſueuerant, poterit adimplere? Quod cum facit, non eſſe eundem dęmonem, cum eo, qui ad conuentum ſagam ducit, ſed alium dæmonem, puta illum, qui à Lucifero datus eſt marito ad tentandum eum, nemini eſt ambigendum: cum idem dæmon ſimul, & ſemel non poſſit eſſe in duobus locis.

Ideò cum malefici ſe tam obſequentes, & fideles ſocios nactos eſſe perſpiciunt, qui ſic ſolicitè rebus ſuis conſulunt, eos ardentiori proſequuntur amore; & feruentiùs ea exequi volunt, quæ in conuentibus fuerunt ipſis imperata.

Nam dum celebrantur, conſultare ſolent de diuerſis malis inferendis; omnibuſque ſigillatim aſſignant, quid ab vnoquoquè præſtandum ſit: alteri de ſegetibus pelliciendis, & labefactandis: alteri de immittendis in arbores bruchis, & infeſtis vermibus: alteri de faſcinando pecore: alteri de ſpargendis venenis, & ſic de cæteris: vt tradunt Grillandus *de ſortilegijs*, Nicolaus Remigius *in ſua dæmonolatria*, Petrus Binſf. *tract. de Confeſs. maleſ.* Franciſcus Maria Guaccius *in compendio maleſ.* & Auctores Mallei malefic. Quæ omnia libenter exequuntur poſtquam domum reuerſi vident ſecum benè agi à ſuis ductoribus, à quibus efferati, & quaſi rabie accenſi relinquuntur, quo ſcilicet, ſint ad mortalium perniciem inſtructiores, & paratiores, cui vni rei incumbunt, quaſi homines, qui omni humanitate, (ſi quæ illos fortè adhuc tangit) depoſita in diabolicam tranſiſſe naturam ex diabolica ſocietate videntur.

ARTICVLVS II.

Priuata.

§. I.

520 *Malefici priuatim demonibus familiares.*

Facilè eſt ex publicis actibus colligere, quid ſecretò malefici moliantur. Non enim generalem ſolùm ineunt in propatulo cum dæmonibus familiaritatem, quæ ex publica ſocietate conſurgit; ſed etiam ſingularem, quæ ex conſortio quotidiano cum vniuſcuiuſquè dæmone generatur. Nam vt ſupra monui, de Luciferi mandato vnus ex illis in ſocium, & fidum comitem cuilibet aſſignatur, qui ſe ducem, hortatorem, & cooperatorem ad malefici votum in omnibus exhibet, vocaturque Martinettus, vel Martinellus: ab alijs Magiſtellus: à noſtris ſagis, & maleficis Amaſius nuncupatur. Vndè tanta, & tam ſtricta ſocietas inter ipſos interuenit, vt nec dæmon ſine mago aliquid audeat attentare: nec magus ſine dæmone aliquid velit, aut poſſit efficere. Et quidem ſi omnes, qui peccati mortalis labe ſe inficiunt, commercia ineunt cum dæmonibus, ſi longo tempore in cænoſo illo ſtatu perſeuerant, eorum ſocij euadunt, teſtante Paulo *1. Corinth. c. 10.* cum ait: *Nolo ſocios vos fieri dæmoniorum*. Quid dicendum de magis, & maleficis, quibus tanquam ſtrictiori vinculo ſathanæ fœderatis dęmones nunc inuiſibili, modò viſibili pręſentia ſemper aſſiſtunt; & cum eis familiariter conuerſantur, colloquuntur, & coeunt? Quę omnia ſe exercere mihi enarrauit magus ille, de quo ſupra num. 507. ac de locutione dęmonum teſtes fuerunt auriti anno Domini 1648. menſe Ianuarij Reuerendiſſimus P.F. Carolus à Velitris Inquiſitor Generalis Sancti Officij Taruiſij, nec non eius ſocius Laicus. Cum enim dictus magus, de quo mihi curæ erat, ſpontè, ſed fictè Tribunali Sancti officij pręſentatus moraretur in domo Sactę Inquiſitionis ſub cubiculo P. Inquiſitoris, ac die vna mihi proteſtatus fuiſſet ſe velle mihi oſtendere potentiam ſuam, ac per circulos necromantię ſe conuocaturum triginti millia dæmonum ſub ipſius dominio exiſtentium, (vti ipſe ſe iactitabat) ego verò ex aduerſo ipſi promiſiſſem, Deo fauente, me acceſſurum ſequenti die, & oſtenſurum potentiam Dei, ac Sanctiſſimi Nominis Ieſu virtutem, cuius inuocatione, vi, & efficacia profligaſſem, ad nihilum redegiſſem omnem dęmoniacam potentiam, omneſque phalanges diabolicas in fugam vertiſſem, ſequenti nocte fuerunt auditę à P. Inquiſitore, & ab eius ſocio variè locutiones factę à dęmonibus cum dicto mago ſolo in cubiculo exiſtente, quę videbantur locutiones multorum perſtrepentium, Deum blaſphemantium, ira frementium, ac dicentium ſe velle me de medio tollere, ſicut bis tentarunt illa nocte, ſed incaſſum, cum ſingulis vicibus à cella, in qua iacebam confuſione referti à Deo me protegente in fugam verſi fuerint. Ex quo rumore, ac ſtrepitu P. Inquiſitor, eiuſque ſocius maximo fuerunt metu affecti, ac terrore perculſi, nec auſi ſunt ad ianuam cubiculi, vbi iacebat magus, accedere, donec ego perueni, ac diuina fretus protectione ad cubiculum magi acceſſi, eique exprobaui dęmonum imbecillitatem, ac miſeriam. Ex quo facilè colligere potuimus, quomodo familiariter dæmones cum mago viſibiliter loquebantur, ac conuerſabantur. Idipſum teſtatus eſt mihi Frater adultus ipſius, ſe ſępiſsimè audiſſe voces multorum loquentium cum dicto mago ſolo exiſtente in cubiculo, vel in ſtabulo domus ſuę, cachinnantium, ac Deum blaſphemantium, quod ſibi maximam afferebat afflictionem, ac timorem.

§. II.

521 *Ex illa familiaritate dæmones fiunt, dū ſemper malum faciunt. 1. Corde*

At non diabolus ſtat à dextris vniuſcuiuſque quaſi ſocius indiuiduus, qui eum quoad mores transformat in dęmonem, dum ſuis ſolicitationibus numquam interpellatis ſic illum impellit ad maleficia, vt nihil corde, ore, & opere moliatur, quàm adimplere id, ad quod à ſuo magiſtro eſt inductus?

Quid voluit in animo maleficus talem habens ſymmiſtam, quàm modos, quibus poſſit perficere maleficia, ad quæ, vel propria voluntate: vel ex præſcripto ſuperiorum: vel ex imperio dæmonis inducitur?

Vult ipſe nocere proprio ductu ijs, à quibus ſe accepiſſe putat iniuriam. Petit ab aliquo eleemoſynam, à quo iubetur in aliam horam, vt redeat; quòd tunc fortè domeſticis non ſit erogandi ocium. Rixatur cum alio, qui cæteris audientibus illum ſortilegij inſimulat. Obſequium exhibet alteri ſub ſpe pinguioris mercedis, quàm poſteà accipit ieiuniorem. Vapulat ab aliquo, qui eum verberibus vrget ad tollendum maleficium, & ſoluendas incantationes. Negligitur ad epula communia: vel publicas hilaritates; vt ſolet hoc hominum genus ab omnibus reijci. Conijcitur muliercula in vincula ob ſortilegij ſuſpicionem, qua pridem laborabat, à quibus Iudicis

dicis ſententia liber abire permittitur; quod pertinaci ſilentio omnia quæſtionum tormenta ferendo ſuperauit. Hæc & ſingula alta mente repoſita voluens prius quieſcere non poteſt, quàm odij explêdi aliquam rationem tutam, ac facilem maleficiendo inuenerit; cum ſit hæc hominum colluuies plus quàm dici poteſt, procliuis ad vindictam. Inſuper præſcripta à ſuperioribus maleficia adimplere peroptat. Certus enim homicidiorum, infanticidiorum, incendiorum, ac malorũ numerus ei eſt aſſignatus, quem implere ſtudere debet, ſi omiſſi pęnas officij vitare deſiderat; Et ideò ſecum animo reputat, quibus modis ſatisfacere poſſit tam rigidis exactoribus. Præterea dęmon aſſiſtens perdendi homines tot occaſiones arripit, quot illi à diuino Numine permittuntur. Et quia videt plura ſibi licere, ſi maleficus in optata ſcelera conſentiat, quàm ſi ipſe ſolus ea attentet; ideò illum tot precibus, & blanditijs lenocinatur, tum intentatis minis, ac immiſſo verberum metu, vrgere non ceſſat. Cumquè maleficus nihil audeat blandienti, aut minitanti comiti denegare: vt ſe exhibeat obſequentem, etiam coactus ad opera malefica ſe accingit; atquè ideò continuè meditatur, quibus vijs ſibi ſuperioribus, & dęmoni ſatisfaciat. Quare nihil aliud cogitando quis non videat hominem parum, aut nihil diſtare à dæmone, qui nihil aliud nouit, niſi malefacere, & ad maleficia ſolicitare?

§. III.

522 *Ore.* SEd parum eſſet, nocendi modos cogitatione conquirere, niſi ex abundantia cordis os loqueretur. Cor enim maleficorum irarum, & indignationis æſtu dilatatum per os minas, & imprecationes effundit. Audias indignabundos infortunia minantes ijs, à quibus ſunt iniuria laceſſiti, quam vlciſci omni via deſiderant: Vel maledictionibus inſectantes illos, à quibus tulere repulſam: vt ſunt ij, qui facultate prædıti ad erogandum neſcientes eos eſſe magos, eleemoſynam, & ſtipem poſtulatam denegant; Sed quia imbecillitatis propriæ conſcij nouerunt has minas, & imprecationes nihil aliud eſſe, quàm verba, quæ aerem feriunt, & à vento tolluntur, ſodalem dęmonem obtundere non ceſſant, vt optatum malum inferat, quod lubentiſſimè facturum ſe recipit, modò ipſi conſentiant. Immò ſi ira, & indignatione tumentes rationes exquirere negligant, quibus pro libidine iniurias vlciſcantur; ſtatim adeſt dęmon, qui acriter illos aggreditur, & increpat ignauiam, ſuam offert operam, ſeque paratum proteſtatur ad quamcumque vindictæ occaſionem; imbelles eſſe eos oſtendens, qui hanc in animo ægritudinem tandiù reſidere patiuntur. Quod facto confirmat, varias immittendo calamitates, & morbos in eos, in quos minæ, & imprecationes coniectæ fuere: vt multis exemplis confirmat Nicolaus Remigius *à c. 11. lib. 2. vſquè ad finem*. Et tunc ex minis præcedentibus oritur indicium ad maleficium, quando fuerunt præſertim factæ ab eo, qui conſueuit eas exequi: vt docent Albertus Gandinus in *tract. de maleficis in tit. de indicijs dubitatis*. Hippolytus Marſilius *in pract. crim. §. diligenter, à n. 85.* Baldus *in L. Metum. C. Quod metus cauſa.* Franciſcus Brunus. *de indicijs, & tort. par. 1. q. 3.* Decius *in conſil. 189. num. 17.* & alij multi, quos allegant Iulius Clarus *lib. 5. ſentent. §. fin. pract. crim. q. 21. num. 37.* & Iacobus Menochius *lib. 1. de præſumptionib. q. 89. à num. 60.*

§. IV.

DEniquè opere complent ſcelera ſiuè voluntaria: ſiuè imperata, & innumera exequuntur mala in aliorum perniciem hortatore, atquè cooperatore dęmone ſocio, qui in obſequendo diligentiſſimus eſt, ſi quando ad nocendum ab eis aſciſcitur. 523 *Opere.* Raro enim ab illo aliquid poſtulant, quod ſimulac dictum eſt, factum non ſit. Quarè ad omnem malè agendi occaſionem aſſiduos, non homines putes, ſed dęmones in forma humana hominibus inſidiantes, vt pereant. Quod ex nefanda ſocietate procedit, quam priuatim cum diabolo contraxerunt. Ideò vtramquè ſocietatem publicam, & priuatam, vt Deo valdè iniurioſam; Reipublicæ Chriſtianæ maximè pernicioſam, tot malorum, tantorumquè criminum effectricem maximoperè deteſtantur, & in eius ſectatores acriùs animaduertunt Ioannes XXII. *in Extrauaganti. ſuper illius ſpecula.* Innocentius VIII. *Conſtitut. Summis deſiderantes.* Alexander VI. *Conſtitut. Cum acceperimus*. Leo X. *Conſtitut. Honeſtis petentium votis*, & Adrianus VI. *Conſtitut. Dudum vti nobis*.

SECTIO III.

Miniſterio.

§. I.

SI *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. Et tales ſunt ſerui, quales eſſe domini conſueuerunt: vt habet vetus paroemia: quis maleficos non concedat eſſe diabolicos homines, qui miniſtri dęmonum, eoſquè tanquam dominos omnibus ſeruitutis officijs colunt, & proſequuntur? Nam quamuis ſe eis imperare glorientur; tamen vana, & vacua eſt illa gloriatio, cum de facto illis ſeruiant, & tanquam eorum captiui teneantur. Sic ille magus, de quo ſupra *num. 57.* gloriabatur, ſe ratione liberi arbitrij, ac ſcientię magicæ ſuper dęmones plenum habere dominium, ideòquè ab eis decipi non poſſe; ſed benè illos decipere, & annulo, vel alteri loco alligare, aliaquè pro voto ſuo eis præcipere valere; quæ omnia adamuſſim tenentur adimplere. A quo errore, vt illum reuocarem, oculis mentis obijciebam adorationes, proſtrationes, ac ſubmiſsiones in omnibus ſuis magicis operibus priùs dęmoni exhibitas, quibus non ſe dominum, ſed vt diaboli ſeruum, & miſerum mancipium profitebatur.

524 *Si tales ſerui quales ſunt domini, malefici ſunt diaboli quia diabolorũ ſerui.*

§. II.

PRopterea dęmonibus ſatis non eſt, maleficos diſerta verborum ſtipulatione nectere, & expreſſis conuentionibus obligare; ſed illis præterea, vt captiui teneantur, characterem imprimere ſolent, vnguibus ſuis notas inſcribendo, quæ ſeruitutem teſtentur. In quo conſuetudinem imitantur dominorum, qui parum humani; imò inhumani, & crudelitate nobiles notis, velut teſſeris ſeruos inſignire non verentur; vt ſic inuſti faciliùs deprehendantur, ſi fortè ſe in fugam dantes heri domum deſeruerint: vel morem in lege præſcriptum, quo auris perforari iubebatur ſerui, qui poſt ſeptenos famu-

A quib. ſeruili nota inuruntur Quarè.

famulatus annos conceſſæ libertati renuncians, perpetuæ ſe ſeruituti addicebat: vel ſpiritus ſancti admirabilem operationem, qui omnipotentis ſigna virtutis apponit ijs, quos è ſeruili conditione erutos, & in diuinæ filiationis libertatem euectos; atquè ſalutaribus ſacri Baptiſmatis aquis dealbatos, quaſi oues paſcuæ Dei introducit in caulas Eccleſiæ, & in numerum reducit dominici gregis; Illos enim inſcribit in ſuos, vt ſic à ſeruis, & hircis fætentibus ſigno ſacrato diſcernantur. *Signati eſtis*, ait Paulus *Epheſ. 1. ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in diem redemptionis*. Hanc veritatem confirmant S. Irenæus *lib. 1. cap. 24.* Tertullianus *lib. 1. de præſcript. aduerſus hæretic.* Nicolaus Remigius *lib. 1. dæmonol. cap. 5.* Delrius *lib. 2. magic. diſquiſit. quæſt. 4.* Niderius *lib. 5. Formicarij*, Binſf. Sprenger, & alij in Malleo malefic.

§. III.

525 *Qua parte corporis.* EX quo à pluribus creditur ſignum ſathanicum à dæmone apponi in ea parte corporis, quæ in confirmationis ab Antiſtite initiali fuit chriſmate delibuta ad abolenda chriſtianæ dignitatis monumenta, & contraria ſymbola adhibenda, quaſi è fronte chriſma eradicare contenderet per impreſſionem diabolici characteris. Quod confirmat maleficorum fides, qui hanc eradicationem talem effectum habere putant. Et ideò ſe à tam miſero, & infelici ſtatu per veram pænitentiam non poſſe reſipiſcere; nequè rupto fœdere, & abolito charactere ſathanico ſeriò ad Deum conuerti credunt. Aut ſi aliquando Dei miſerentis ope è lutuoſa illa ſcelerum colluuie emergere datur, iterum ſacris Baptiſmatis aquis ablui; & confirmationis chariſmate inungi petunt: vt teſtatur Remigius loco citato. At ſine fundamento talia aſſeruntur. Hæc enim credere, ſuperſtitioſum eſſe, quis dubitat? Certiſſimum namquè eſt, ſacrum Chriſti characterem animæ indelebiliter inhærere: vt omnis ſchola Theologorū docet, cum inſit in ſubiecto, quod corruptioni obnoxium non eſt; nequè à contraria qualitate expelli poteſt; Dæmonemquè hanc deletionis opinionem falſiſſimam ſuis mancipijs ſuggerere, vt ſic ſtrictiùs in diabolica ſeruitute contineantur. Sicut etiam in confeſſo, hoc ſignum non ſemper apponi in fronte; ſed in alijs etiam corporis membris ſub axillis, palpebris, labijs, humeris, mammis, ſede ima, aut muliebribus locis, prout ſignanti dæmoni placet. Sic anno Domini 1645. cum Brixiæ quædam mulier carceribus eſſet mancipata vt ſuſpecta de hæreſi, in eius lateribus inuenta fuere quædam ſtigmata, & præcipuè in tergo quatuor literæ I. V. m. l. quæ notę omnes poſtea euanuerunt, & poſtea diè deletæ apparuere: De qua ſupra *diſput. 1. num. 160.*

§. IV.

526 *Qua forma, & effectu.* HÆ autem dæmoniacæ teſſeræ in corporibus maleficorum deprehenduntur, ſicut cicatrices in leue callum obductæ non eiuſdem formæ; ſed variæ: vt, puta, veſtigijs leporis, pedis bufonis, felis, gliris, araneæ, aut inſectorum huiuſmodi. At ità exangues, & ſenſu labefactæ, vt ne admiſſa quidem acus altiſſimè: aut ferrum vel quantùm fieri poteſt adactum dolorem faciat, aut ſanguinis minimum eliciat. Si verò locus maculæ proximus leuiter etiam vulneretur, ſtatim ſeſe largus indè cruor effundit, & maleficus, qui antea ſtupore percuſſus videbatur, ingentem ex dolore clamorem edere cogitur. Vndè ex ſimilibus notis Iudices vt plurimùm ad maleficium indicium ſumere conſueuerunt: vt tradunt Lambertus Danæus in Dialogo de Sortiarijs, & Ioannes Bodinus *lib. 2. c. 4. & lib. 4. c. 4.* relati à Petro Binsfeldio *in fine Comment. in Titul. C. de malef. & Mathem.*

Quare ſeruili hac nota iuſtos verè diabolorum ſeruos, & conſequenter diabolicos homines poſſumus appellare, qui tanquam ſerui Infamem, Intolerabilem, & Continuam dæmonibus exhibent ſeruitutem: vt ſequentes articuli declarabunt. *Ex quo malefici ei exhibent ſeruitutem. Infamē. Intolerabilem. Continuam.*

ARTICVLVS I.

Infami.

QVi dominis, ſuperioribus lege clientali, aut ſeruili debitos præſtant honores, perſonæ reuerentiam, miniſterijs fidelitatem, & mandatis obedientiam exhibere tenentur. Quæ tria obſequia eò ſunt honoratiora, quò circa res glorioſiores verſantur. Et è contra eò ignominioſiora, quò res viliores, & contemptibiliores reſpiciunt. Hinc eſt, quòd miniſterium diabolis exhibitum, meritò infame cenſetur, cum nullum aliud vilius: aut contemptibilius hoc triplici titulo reperiatur. 527 *Malefici infamem exhibent dæmonibus.*

§. I.

QVid vilius dæmone teterrimo diuinæ iuſtitiæ carnifice, coniurato humani generis hoſte, mortis auctore, raptore vitæ, incentore vitiorum, malorum inuentore, & diriſſimo gehennæ infernalis tortore? Et tamen malefici hunc pro beneuolo domino, principe potentiſſimo, benefactore optimo, immò Deo ſummo habent; & reuerentur more indigniſſimo; vti ſolent omnia alia facere. Nam quoties conuentus ſuos agunt, ſolent timidi, ac trementes ſuo vniuſcuiuſque ordine ad illum accedere, dum in ſella aliqua, & ſuggeſtu vultuoſus, ac faſtuoſus eminet: vt exemplis probat Binſfel. *tract. de Confeſſion. malef.* Deinde in ſeruitutis, & obſequii ſignum ſe pronos, ac venerabundos ad pedes eius abiicere: & complicatis genibus ſupplices: nunc auerſas manus in morem obteſtantium componentes, ſed poſt terga inuerſas: modò ſtantes obuerſo tergo; interdum cruribus in altum iactis: ſæpiùs capite in anteriorem partem prono, ſed reſupinato, ita vt mentum ad cælum feratur; vt aliis placet candelas piceas tenentes in manibus, aliiſquè geſtibus ridiculis, & obſcenis tanquam ſymbolis demiſſum, obſequentemquè animum profiteri: vt tradit, & figuris deſcribit Guaccius *in ſuo Compendio maleficar.* Dæmon namquè, qui aliàs in varijs formis hominis, aut ferarum apparet, in nocturnis conuentibus prodit in publicum eo habitu, qui maximè eius ingenium, moreſquè demonſtrat, nempè ſub forma hirci, ſub qua ſe colendum exponit, & homagium ſeueriſſimè exigit. Sed quale? Taliter perſonatus terga accedentibus vertit, & quod horribilius eſt, oblato fædiſſimo ano, in eo oſculari vult; quod ipſi deuotiſſimè præſtant. An datur aliquid fædius, quàm hirci obtutu trucis, forma horridi, cornibus contortis, barba promiſcua, & villis temerè pendentibus obſceniſſimi, fætore graueolentia, & libidinoſa obſcenitate intolerandi hircinum podicem oſculari, eiquè os, & labra infigere? Cum nihil 528 *1. Reuerentiam. Modo Alieno. Ridiculo Horribili.*

ad

ad deformitatem, fæditatem, & horrorem comparatum ab eo ampliùs eligi queat; & tamen hoc cultu, cui accedere debet mens prona, & religioſa, vult à ſeruis agnoſci. Cuius ſignum eſt, vt notat Stephanus Facundex *in 1. præceptum Decalogi c. 35. num. 5.* pædor, miſeria; ſqualor, & horridus vultus eorum, qui ipſi ſunt obſtricti. Quis hęc credat, ſi hominum maleficorum confeſſio vbiuis non faceret fidem?

§. II.

529 *2. Fidelitatem. Iuramẽto medio Cõcepta forma verbotũ Oblatione annua*

EX eo collige, quo ritu tali domino fidelitatem teſtentur. Poſt abnegatam etenim fidem, vt ſtatim dicam, & pactum initum, vt antea dictum eſt, medio iuramento, diſerta verborum ſtipulatione, conceptaquè formula, dęmone præeunte, & malefico repetente, ſe eius ſeruitio obligant; & in teſſeram fidelitatis aliquid offerunt; non tantùm ea die, qua maleficorum turbæ aſcribuntur; ſed etiam ſingulis annis; vt externo dono internam demonſtrent animi diſpoſitionem ad ea perficienda, quæ ab illo; ſeù ab eius officiarijs imperantur. Quòd vbi dies venit, pendere tenentur dæmoni illud punctualim, ſeù ad vnguem exigenti, more principum, & dominorum temporalium, qui annuis operarum, aut penſionum operibus ſe volunt agnoſci ab ijs, quibus res ſuas vtendas, fruendaſque conceſſerunt. Sic à locupletioribus buculum, veruecem, & id generis animalia poſtulat, quæ gratiora ſunt ei, cum nigra offeruntur: quia is color ad mali naturam pertinet. Et conſentaneum eſt, illum ea referre, quæ malorum omnium auctori deuouentur. Ex quo fortè cæca manauit antiquitatis conſuetudo, Dijs, manibuſquè non niſi atras victimas cædere: vt refert Alexander ab Alex. *Genialium dierum lib. 3. cap. 22.* Ab alijs verò, qui tenuioris ſunt fortunæ alia exigit: gallinas, pullos gallinaceos iuxta vniuſcuiuſquè facultatem. Vel ſi talia in promptu non ſunt, auiculas, crines è capite demptos; immo ipſas feſtucas, modò reuerenti animo offerantur, quæ ſi non ſuppetunt, ab ipſo dæmone antea accipiuntur: cum non dona, ſed offerentium animos reſpiciat. Vnde ille magus, de quo ſupra num. 506. mihi ſciſcitanti: quid ipſe dęmoni obtuliſſet in teſſeram fidelitatis? Reſpondit, menſtrua mulierum offerre conſueueram, quæ ei, vt dona gratiſſima, videbantur: ſed iterum quærenti vndè accepiſſet! & à quo? Reſpondit: A ſtrigibus ſumebam, quorum maximus eſt numerus in hac noſtra Ciuitate; quæ in aliquo vaſe conſeruabam, ac tempore debito mecum deferebam offerenda prout à meo Magiſtello fueram inſtructus. Præterea omnia ſupradicta de adorationis more, de candelis, de oſculis & alijs huiuſmodi ſupra relatis vera eſſe, ac viſu, ore & opere ſe cõprobaſſe, mihi teſtatus eſt: à quo cum quærerẽ: An domi haberet illas piceas candelas: vel quonam ſumeret: vel quis ſubminiſtraret? Eſt vnus, inquit, dæmon in quolibet Conuentu ſub ſe alios habens dęmones inferiores, cui curæ eſt, omnia ad illas orgias celebrandas neceſſaria in promptu habere, ac cuilibet iuxta gradum ſuum diſtribuere.

§. III.

NEquè dæmon ſolùm in annuam oblationem à magis, & maleficis illa munera exigit; ſed etiam in multam, ſi quid peccetur ab eis in debitam fidelitatem: vt ſi quis à nocturnis conuenticulis abſit: aut tardiùs adſit: aut aliud quid minus ex dæmonis ſententia admiſerit; tunc enim neceſſe eſt, talibus muneribus pænas luere; & ſeſe ab ijs redimere; aliàs non deſunt morbi, vulnera, & inſignia nocumenta, quorum metu dici nequit, quantum pauor diligentiam, ſtudium, & celeritatem excitet in iſtis perſoluendis. Ex quo patet, quàm dira ſit illa fidelitas, quæ læſa huiuſmodi nugis reſarcitur. Hæc pluribus edocet exemplis Remigius *in ſua demonolatria lib. 1. cap. 11.*

Nec honoratior eſt obedientia dęmoniacis mandatis præſtita. Quid namquè contemptibilius, inſuper & horribilius, quàm quæ à Lucifero præcipiuntur, nempè, fruges perdere: excitare tempeſtates; incendiis domus conſumere; morbos immittere; veneno animalia, & homines tollere; & inducere priuatas, publicaſquè calamitates? Ad hoc venena conficere: contrectare ſerpentes, bufonum virus exprimere: conterere horribiles vermes: humanum miſcere ſanguinem, & ſemen menſtruum; liquores abominandos extrahere, infantes occidere, eorum membra diſcerpere, coquere, lixare; mortuos exhumare, cadauera ex patibulis tollere, & ex illis elicere ſua pharmaca; vnctiones, & pulueres; in ſpargendis illis ſuper olera, arbores, beſtias, & homines, die noctuquè incumbere: ſemper ad aliorum occurſum pauere, trepidare, & ferè exanimari, torquente intus conſcientia, & extra deſpicientibus, ac fugientibus ſingulis eorum conſpectum? Quæ abominanda crimina Pontificum Patrumquè decretis, legibus, rationum firmamentis, proprijs maleficorum confeſſionibus, Iudicum teſtimoniis, plurimis experimentis, exempliſquè à Petro Binsfel. tàm *in tractatu de maleficorum Confeſſionibus*, quàm *in Commentario in tit. Cod. de malef. & Mathem.* declarantur, demonſtrantur, & vſquè ad ſatietatem omnium oculis ſubiiciuntur, idipſum à Delrio *in toto ſuo opere diſquiſ. magic.* ab Auctoribus Mallei malef. Franciſco Maria Guaccio *in Compend. maleſic.* & ab aliis, qui de magis, & maleficis pertractant.

530 *3. Obedientiam in mandatis Contemptibilib. Horribilibus.*

ARTICVLVS II.

Intolerabili.

CVm iuxta philoſophicum axioma contrariorum fines inter ſe opponantur, & inſtitutorum oppoſitorum euentus deceat eſſe contrarios: ſicut Chriſti iugum ſuaue eſt, & onus leue ijs, qui illud ſubire feſtinant, cum ab ipſo inuitati requiem quærunt animabus ſuis; ità inclementiſſima, & intoleranda eſt dæmonis Sarcina humeris eorum, qui ſe totos ad eius arbitrium campararunt, ſiuè publicis interſint comitijs: ſiuè priuatis exercitijs incumbant. Vtraque enim miniſteria plena eſſe laboribus, anxietatibus, & vexationibus varijs ipſimet, qui eas ſuſtinent, ingenuè confitentur quoquo modo ſe illis præbeant, vel obedientes: Vel inobedientes.

531 *Seruitus dæmoniaca intolerabilis.*

§. I.

Siue publicis cætibus adſint, quorum octo beatitudines miſeria sũt

SI imperata exequuntur, ſtatiſquè horis, & condicto loco conuenticulis interſint generalibus, quid non patiuntur miſeri, qui meritò tales cætus ludos vocant: vt teſtatur Grillandus? Nam verè totum illud, quod in eis agitur, ludus, & illuſio eſt; ex

Nempè. ex quo nullam hauriunt voluptatem; quinimmò moleſtias ſummas.

1. Portari per aerem. Portantur, ac reportantur à vectore velociſſimo; breuiſſimoquè tempore magna diſſitorum locorum ſpatia per aera volitando conficiunt: vt teſtantur Summi Pontifices, Patres, Theologi, Iuriſperiti, & alij relati ſupra *diſp.2.num.322. & ſequent.* Sic ille Magus, de quo ſupra *num.*507. & infra *num.*546. *& ſequent.* ſe à dæmonibus delatum Angliam, Galliam, Germaniam, Tridentum, Bergomum, Brixiam, Veronam, ac plura aliarum ciuitatum conuenticula vnà cum alijs magis viſitaſſe, non ioco, aut fictè, ſed ſeriò mihi enarrauit. At quis non videat, hoc cum periculo caſus, & præcipitij, colliſionis corporis, & diſcerptionis membrorum in fruſta: ſi nomen Chriſti etiam inaduertentes pronunciauerint: Si viſis terræ profunditatibus timore correpti incogitanter ſignum crucis formauerint; ſi pulſetur campana nocte conuocans Religioſos ad matutinum officium recitandum: vel manè populum ad orationem Deo offerendam: aut quid inſolitum ſimile euenerit: excutiente vectore ſuum onus in aquarum vortices: vel in arentia ſaxa, vbi corporis laxata compage, membriſquè ſolutis perire: aut longo ex fractura languore confici, neceſſe eſt: vt exemplis probat Binsfeldius *tract. de Confeſs. malefic. par.1. quæſt. concluſ.12.*

§. II.

532 *2. Videre Luciferi pompam.* Vident dæmonem pompaticè prodeuntem, & multa ſtipatum caterua, auro, gemmiſquè fulgentem; ſed poſtea ſe exhibentem in forma hirci graueolentis, & fetidi, cui ſupplices oſcula tenentur infigere in ea parte, quam ſupra memorauimus *num.*525. Tum ſe transformantem in varias animalium, aut hominum formas: Modò ſe in breuiſſimam molem contrahendo: modò in ampliſſimam exporrigendo. Deniq. migrantem ad aſpicientium terrorem in immane aliquod monſtrum vaſtitate, & forma non abſimili dolio, hiante ore, patulis rictibus, dentibus prominentioribus, & acutiſſimis, oculis ſcintillantibus, naribus fumo permixtas flammas euomentibus, teſte Remigio *lib.1. dæmonol. c.*20. vt ex ijs transformationibus variis ſatis colligere liceat, pompam illam eſſe ridiculam, & meras præſtigias.

533 *3. Colloqui cum dæmone.* Colloquuntur cum dæmonibus, qui ſine lingua, ſine palato, ſine pulmonum, laterum, & faucium organis quouis idiomate ſermones miſcent. At iuxta magorum confeſſiones ab eodem Remigio relatas, vultu demiſſo, vti ſolent pudibundi, & ſceleris alicuius conſcii, voce exili, debili, & obſcura: aut qualem emittnnt illi, qui os in dolium, aut reſtem rimoſam inſertum habent. Nequè enim tam feliciter naturam exprimunt, quin aliquid ſemper interſit inter humanam, & diabolicam loquelam. Inſuper nihil aliud ab eis audias, quàm ſermones de rebus obſcenis, venenis, maleficiis, variiſquè malis inferendis. Quo colloquio quid inſulſius, & ingratius.

§. III.

534 *4. Cantare.* Cantant cum illis. Omnium enim maleficorum confeſſionibus cætus nocturni cantionibus variis perſtrepunt; Sed Chorybanthum, aut bacchantium orgiarum more: cum illic miſceantur, & turbentur omnia: hinc intercinentibus raucidè, & compoſito ad litui morem clangore dæmonibus: illinc maleficis clamore, ſibilo, plauſu, vociferatione, & vlulatu furioſorum more tumultuantibus, ſonis inconditis, ac ſurdis, & diſcrepantibus cantilenis iniucundis, & etiam ridiculis, quales ſolent eſſe remigantium celeuſmata, cum procellæ, tempeſtateſque ingruunt: aut optatus à longè portus conſpicitur, & ſalutatur, vt nihil ingratius auribus eſſe queat: vt teſtatur idem Remigius *loco citato*.

535 *5. Saltare.* Saltant, & choreas agunt; ſed quaſi furioſæ mænades fanatico furore agitatę. Nam ordine ſemper præpoſtero tripudiant, circulari choro, & viro in læuam progrediente, atquè obuerſis inuicem ſaltatoribus, ne ſe rectà, atquè ex aduerſo intuentes, facilè agnoſcantur, & poſtea deferantur ab aliquo loquace apud Iudices: canente interea ex turba quodam ad tibiam, ſeù fiſtulam, ſi illa nouerint: aut baculum vel contum, quem fortè humi repertum buccæ admouet: vel certè equi caluariam pro lyra pulſante, & digitis concrepante; cæteraquè turba tripudiante; ſed tàm laborioſè, vt poſtea pro laſſitudine integrum biduum ſit decumbendum: vt refert Idem Remigius *lib.1. dæmonolatriæ cap.*17.

§. IV.

536 *6. Conuerſari cum extraneis.* Conuerſantur cum hominibus variæ nationis, conditionis, & ſexus; videntquè cætus ex honoratioribus collectos. At iſti vultu, & forma ſunt perſonati: vt teſtatur Binsfeldius *tract. de Confeſs. malefic. memb.2. concl.7. dub.2.* Nam etſi malefici per ſummam etiam execrationem iureiurando ſe obſtringant, non prodituros ſe iudicio eiuſdem facinoris ſocios; & religioſiſſimè caueant, ſi quando in manus Iudicum eos incidere contingat, ne illos prodant, nec adhibitis exquiſitiſſimis tormentis violare iuſiurandum audeant; ſemper ſilentij fidem obſeruent. Attamen quia plures ex illis aliquando tormentorum vi ad inuitam confeſſionem adducuntur, ſolicitè proſpiciunt, nè ab alijs aſpectu, aut nomine dignoſcantur; ideò nequè operta facie prodeunt; nequè ſeſe vnquam nominatim appellant; ſed larua aliqua teguntur ipſis ad eum vſum adaptata: vel reticulo, velo: aut alio ſimili integumento, locupletiores maximè, & fortuna inſigniores: quam veritatem etiam mihi teſtatus eſt præfatus magus num.507. ac de illa Muliere relata *diſp.2 num.*280. ſe eam vidiſſe noctu nudam ſibi laruam applicantem, ac extra feneſtram peruolantem mihi enarrauit quædam mulier ſimplex, quæ ei inſeruiebat: de qua ibi. Vndè à Longobardis maſchæ, aut maſcharæ vocitantur, & cum euocantur publicè ad comeſſandum, ſaltandum, aut aliud quidpiam factitandum, hoc fit non nomine proprio, ſed patrię, vrbis, pagi, aut viculi aliquo alio nomine addito, vbi plures ſunt, ad vnum maleficum ab alio dignoſcendo: vt Bergomum è Roma, Bergomum è Verona: Brixia è Venetijs, Brixia è Tridento: Palatiolum è Milano: Palatiolum è Brixia, è Bergomo: Vel è conuerſò, vt mihi enarrauit de quibuſdam prædictus magus: nempe vice nominis proprij perſonæ imponit nomen ciuitatis remotæ: ver. gr. ſtrigum Brixienſium alia vocitatur Roma: alia Bononia: altera Ferraria; altera Verona, Parma, Plancentia, cum nomine propriæ ciuitatis, vallis, oppidi, pagi aut viculi: puta à Brixia à Valle Communica; à Palatiolo, à Breno, à Burmio, & ſic de cæteris. Idem de alijs ſagis, & maleficis aliarum diæceſum: quod veriſimilius eſt, cum non ſit oppidum, pagus, aut viculus ita paruus, vbi huius dæmoniacæ fæcis plures non exiſtant, quæ ſi vnico nomine vocitarentur, facillimè adinuicem confunderen-

ren-

rentur. Vndè cum aliquem vocant magum, aut maleficum ſic dicunt: Tridentum è Bergomo, vel è conuersò Bergomum è Tridento: Roma è Brixia huc accedite: vt refert idem Remigius *lib.1.cap.17. dæmonol.* Quare tot perſonati homines non niſi ridiculum exhibent ſpectaculum, quale bacchanalium tempore videtur in vrbibus.

§. V.

557 *7. Epulari.*

MEnſas ſtruunt, & conuiuia parant dæmones. Malefici verò epulantur, eduntquè appoſitos cibos omnis generis. At vel apparentes: vel malè conditos. Vt enim conſtat ex eorum confeſſionibus his cibis non expletur fames, nec ſedatur ſitis; ſed poſt epulas tanta eſt cibi, potuſquè auiditas, quanta fuerat antea: ex quo illas mera eſſe ſomnia, ſimiliaquè hortis Tantali: aut Heſperidum pomis. Aut ſi veri cibi apponuntur, ita viles inſuaues, & illiberales ſunt, ſiuè eorum apparatus oculis, ſiuè odor naribus percipiatur, vt ſumpti confeſtim præ moleſtia reijciantur, & latranti, atquè famelico ventri nauſeam pariant. Cum nihil aliud ſint, quàm morticinarum pecudum carnes, & ſimilia hominum menſis inſueta cibaria. Ex quibus exulat ſal ex diuino præſcripto ſacrificijs antiquis adhibitum, & modò ſacri Baptiſmatis aquis. Nequè enim apponitur in dæmoniacis comeſſationibus, ſicut nec panis, niſi quàm parciſſimè. Fercula verò ſunt vaſa fictilia, ſed fętida fædo abaco impoſita, fædèquè oblata conuiuantibus: vt teſtatur Guaccius *in ſuo Compendio malefic.* & Remigius *lib.1.c.16. dæmonol.*

§. VI.

558 *8. Coire.*

DEniquè viri cum ſuccubis, mulieres cum incubis dæmonibus coeunt; laxatiſquè concupiſcentiæ habenis, prodigioſis libidinibus indiſtinctim ſe polluunt: vt tenent cum Innocentio VIII. in Bulla de hac re edita, & plurimis SS. Patribus Alexander Halenſ. 1.*par.q.*78. D.Thom. D.Bonau. Scotus, Durandus, Gabriel Dionijſ. Carthuſ. *in.2. diſt.*8. Guilhelm. Pariſ. *de Vniuerſo part. vlt cap.*23. Abulenſ. *in 6. Geneſis quæſt. 6. & in 7. Exodi q.* 12. Alphhonſ. à Caſtro *lib.*1. *de iuſta hæreticorum punitione cap.*16. Caietan. *in 2.2. quæſt.*99. *artic.*3. Sixtus Senenſis *lib.*5. *ſanct. biblioth. anno* 73. Bartholom. Medin. *in 2. quæſt.* 72. *artic.* 2. Sprenger, & Henricus Inſtitor, *in Malleo*, Ioannes Niderius *in formicario*, Hollenus *in Præceptorio*, Sylueſter Prierias *lib. de ſtrigimag. & Dæmon. admirand.* Franciſcus Picus *Dialogo Strix.* Iaquerius *in Flagel. hæretic.* Ioſeph Angles *in 2. quęſt. de Magia*, Bernardus Commenſis *in diſputatione poſt Lucernam Inquiſitorum.* Vlricus Molitor *in Dialogo habito cum Siſimundo Archiduce Auſtriæ cap.* 5. Baſinus *lib. de Magicis Artib.* Creſpetus *de odio Sathanæ in homines*, Victoria *Relect. de Magia*, Binsfeld. *par.*1. *de Confeſs. malefic. quęſt.*1. *concluſ.*5. & Delrius *lib.* 2. *quæſt.* 15. *diſquiſ. magic.* Ex iuriſtis Martinus de Arles *tract. de ſuperſtit. à numer.*85. Paulus Grillandus *lib.*2. *de Sortileg. quęſt.*7. Iacobus Simancas *in pract. cap.*11. Remigius *lib.* 1. *dęmonolatriæ c.*6. & locorum omnium acta de hac re iudiciaria. Verùm ille coitus frigidus, iniucundus, ingratus, & moleſtiſſimus eſt: vt ſagæ, & omnes malefici vno ore fatentur. Sentiunt enim corpora dæmoniaca ità gelida, vt nulla glacies eorum frigori valeat comparari, manus marmoreas duras, & rigentes, ſemen, & excrementum deſtitutum calore, & frigidum, podicem, & quæ putantur virilia ſine ſcroto, ac coleis in tantam vaſtitatem turgentia, vt ſine dolore maximo, & largo cruore contineri non poſſint. Vndè mulieres à ſuis dęmonibus perinuitè comprimuntur, nec niſi obluctantes coeunt. Viri coguntur, re imperfecta relinquere ſuccubas ob ſummam frigiditatem; & omnes à tali concubitu ſic fatigati diſcedunt, vt poſtea decumbendum ſit; quorum omnium exempla plura à præcitato Remigio *eodem loco* referuntur. Quod ità eſſe, teſtatus eſt mihi etiam ille magus, de quo ſæpiùs ſupra: A quo mihi ſciſcitanti: *Cur Magi, & Sagę, cum in illis conuenticulis omnes eſſent nudi, potiùs ad inuicem non commiſcerentur, præcipuè cum ibi eſſent multę mulieres etiam nobiles, & iuuenes?* Reſponſum fuit, hoc dæmones prohibere. Volunt enim, vt vnuſquiſquè cum ſuo dęmone concumbat; viri cum ſuccubis; mulieres cum incubis. Immò Magis, & Sagis perſuadent, maximum crimen eſſe homines miſceri cum mulieribus. At cum dęmonibus, maximum meritum, inſignem virtutem, & opus omni laude digniſſimum; cum ipſi ſint ſpiritus angelici natura nobiliſſimi, & illuſtriſſimi. Ex his autem omnibus videas octo maleficorum beatitudines (quibus in cætibus publicis gaudent) eſſe ſummas miſerias: nec delectare: ſed torquere eos, qui ad illas poſſidendas à dæmonibus euocantur.

§. VII.

NOn ſe implicant minoribus moleſtijs, & angoribus, dum particularibus incumbunt exerci- 559
tijs, quibus dæmoni maleficia perficienda imponenti obſequuntur. Nequè enim tot ſcelera in perſonarum innoxiarum morte: aut terræ fructuum perditione perpetrata vident, quàm eo modo, quo rerum trucium, & acerbarum ſpectacula cernuntur ab ijs, qui neceſſitate officij, aut ſimili alia cauſa compulſi adeſſe tenentur. Cum non omnem depoſuerint miſericordiæ ſenſum, quem ipſa humanitas ingerit ferocioribus: nec omnes conſcientiæ ſtimulos, qui ſceleratiores pungere conſueuerunt, dum plus videntur eſſe ſecuri: (niſi fortaſsè in atheyſmum declinauerint) nec omnem deprehenſionis metum, qui reos ſemper exagitat, & ità ad omnem occaſionem pauere facit, vt à ſonitu folij præteruolantis terreantur, Quarè numquam pacatam, ac tranquillam mentem ſentiunt, qui vndiquè à paſſionibus amoris, odij, iræ, inuidiæ, & id generis vehementioribus agitantur, quaquauerſum tot premuntur anguſtijs, ac tormentis, & malis vrgentur inſolitis in vita, & in morte vt *diſput* 1. probatum eſt *à uum* 140. *& ſequentibus*.

Quod etiam in priuatis cætibus locũ habet.

§. VIII.

QVod ſi imperata abnuunt, & detrectant, vel publica: vel priuata, poſt minas, & ver- 560
bera, nouis ſemper afficiuntur iniurijs in pænam admiſſi ſceleris, & officij omiſſi. Ità enim dęmon à ſuis mancipijs exigit muneris vnicuiquè impoſiti rationes; vt nihil relinquat impunitum, ſi quid fortè ab eis erratum: aut omiſſum ſit. Nam cum imponit aliqua maleficia, quæ difficiliora videntur in executione: aut à mente ſuorum magis aliena, illos primò blanda oratione, maximiſquè promiſſis lenocinando permouere tentat. Quod ſi hoc modo ſe vinci non

§.2. Siuè ab ſint, & mãdata detrectãt Publica: vel Priu. Ad illa cõpellẽdo Promiſſis aut minis

ſinant, minis vtitur, terroremquè iniicit de vxoris, & liberorum nece, longa infirmitate, aut alia ſimili noxa mittenda, vt ſic eorum mentes, aut ſpe, & cupiditate: aut metu, & formidine compellantur. Inſuper, vt efficaciùs flectat reluctantes, illos inducit in præſentis periculi occaſiones, in quibus miſeri nihil audent amplius vrgenti poſtulata denegare; cuius tyrannidis exemplum refert Remigius *lib. 1. cap 13. dęmonolatriæ* de quodam Cunino Gugnotio anno 1586. qui cum fortè per aerem deportaretur à diabolo, & ſuper fluuium Moſellam conſiſteret, loco, vt videbatur, vorticibus admodùm horrendo, non deſtitit ſæuus ſubuector minas interponere de eo deijciendo, & mergendo, quoad fidem dediſſet, ſe conterraneum, cum quo gerebat inimicitias, veneno ſublaturum. Quod poſteà per maximas eius efflagitationes præſtare coactus eſt.

§. IX.

541 *Pęnis castigando Errata 1. Commiſſa.* MInas ſequuntur pęnæ, quibus ſeuerè animaduertit in eos, qui præcepta ſua negatiua tranſgrediuntur, committendo id, quod dæmon eorum patronus prohibuit adimplere, ad quorum obſeruationem tenentur ex ipſius præſcripto ſemper, & ad ſemper: puta, ſi iniurias, & offenſas ſibi illatas vel timore, vel amore alicuius condonant, ac remittunt: Si nomen Domini Noſtri Ieſu Chriſti inconſideratè, ac fortuitò pronunciant: Vel ſigno crucis ſanctiſſimæ ſe muniunt, ne fortè à circunſtantibus, vt hæretici, aut peſſimi chriſtiani reputentur: Vel ſacram Euchariſtiam, aut Crucifixi imaginem adorant; Beatiſſimæquè Virginis Deiparæ, ac Sanctorum figuras venerantur: Vel morbos eius iuſſu miſſos ſanare ipſo inconſulto præſumunt: Vel audent ſine licentia ſoluere maleficia: Vel alios à malo dehortantur: Vel apud Iudices commiſſa crimina, aut maleficij conſcios etiam diſtorti vi tormentorum contra ſui iuramenti vim produnt, & id generis quamplurima perpetrant errata, quæ luere neceſſe eſt. Nam vt plurimùm eos ægritudinibus intrinſecis, & extrinſecis torquet, & affligit. Aliquando colaphis, pugnis, & calcibus illos aggreditur, vt liuida teſtantur veſtigia, quæ in membris apparent. Sæpiùs in os, & vultum inuolat, & vnguibus dilaniata relinquit: vt obſeruare facilè eſt in ſagarum facie, quæ ſemper fæda videtur, & lacera; ſic anno 1644. quodam mane in territorio Brixienſi duæ mulieres mater, & filia apud vulgum vt ſtriges diffamatæ inuentæ fuerunt nudæ faciem habentes laceram, & ſanguine fœdatam, vt latiùs ſupra narratum eſt *diſput.2 numer.* 444. Nonnumquam ab eo vapulant penè ad interitum; ità vt intercepto præ verberum atrocitate ſpiritu quaſi exanimentur: cum ferreæ ſint ei manus, quibus ſeù malleo caput ità contundit, vt attrectantibus exoſſatum videri poſſit. Aliàs longas, & acutas infirmitates immittit, à quibus conualeſcere eſt impoſſibile, ſi priùs à languente malefico arctis obteſtationibus promiſſum non ſit, ſe ea fideliter perfecturum, quæ ſibi fuerint impoſita.

§. X.

AT nè putes infernalem exactorem ſola commiſſa caſtigare: cùm tàm durum ſit eius imperium, vt omiſſa etiam ſine eorum culpa puniре conſueuerit. Cum enim eis non tantùm præcepta tradiderit negatiua; ſed etiam affirmatiua, ad quorum obſeruantiam tenentur loco, & tempore, ſi illa quandoquè non adimplere contingat, eos impunè non abire, nemo eſt qui ambigat. Etenim ſi illo mandante eius miniſtri maleficio aliquem vexare moliuntur, omneſquè adhibent conatus; vt illum perdant, & enecent; & tamen fruſtra laborent, obſiſtente virtute diuini Numinis, cuius tutelæ quotidianis ſe precationibus homo ille commendauit: vel vt de iniurijs ſibi illatis aliquo magno malo vindictam ſumant; & tamen timore aliquo præpediti non vlciſcuntur: tunc dæmon non ceſſat incuriam hanc acriter arguere, & irritam illam molitionem aſſiduè incuſare, quaſi ex eorum culpa procedat; & concupita præda fruſtatus cumulatiorem exigere; quam illi cum damno rei familiaris, aut filiorum, aut proprio penſare tenentur. Hortatur maleficam, vt buculam vicinæ venenata potione, quam ipſe porrigit, interimat; illa detrectat hoc facere, vt quæ ab alia ſibi metuat; quid faciet, vt hac neceſſitate ſe liberet, & Magiſtellum ſuum placatum habeat? Vitulus, quem vnicum alit in ſtabulo, illo ipſo veneno tollendus eſt. Alteri maleficæ venenum præbet, vt vicini perdat infantem; quod illa non poteſt; quia diuina protectione contra maleficas artes munitus eſt: reponendus eſt alius eius loco infans, & proprius à ſaga reſtituendus; Si quidem miniſtri ſathanæ in ſe admittere coguntur ex lege maleficis lata, quod fruſtra in alijs perficere tentarunt. Quòd ſi plures ſagæ maleficium irritum attentarunt, contentio ſorte dirimitur, quem commune malum recidere debeat. Illa verò in quam cadit ſortitio, præ omnibus noxam pendere tenetur, vel ſuo; vel filiorum damno; quæ medicatam potionem ipſis alacri animo propinat: aut ſi immiſericors mater eſſe nolit, totam haurit, & deglutit. 542 *2. Omiſſa.*

§. XI.

ALiam omiſſionem ſæpiùs punire conſueuit dæmon in eis, qui feſtinanter ad nocturnos conuentus accedere negligunt: vel frequentiùs ab illis ſolent abeſſe. Tenentur enim ex dæmonis præſcripto ſemel ſaltem in hebdomada ad illos accedere. Vndè in Lotharingia, ſtriges conueniunt noctibus, quæ præcedunt feriam quintam, & diem dominicum teſte Remigio *lib.1.cap.14.* Et apud alios nocte, quæ præcedit feriam tertiam, vt ait Delrius *lib.2.q.16.diſq.mag.* In Italia verò frequentant noctem, quæ feriam ſextam præcedit, vt refert Cumanus in Lucerna: idquè vè circa noctis medium, vt ait Sebaſtianus Michaelis *ſchol.7.* Idem aſſeuerauit mihi Magus ſupra relatus num.507. qui dixit ſtatim poſt tertiam noctis horam adeſſe Martinellos, & tunc immediatè omnes maleficos, & ſagas illùc permeare. In hoc tamen Magi excipiuntur, ait ille, ob ſcientiæ magicæ eminentiam. Cum enim illum interrogaſſem: an ipſe etiam ſingulis hebdomadibus ad illos dęmoniacos accederet 553

con-

conuentus : reſpondit, quandoquè ſe acceſſiſſe ; & ſubiunxit : *Nos enim magi non tenemur ſemper ad illos accedere cætus ; ſed cum vocati ſumus à magiſtello ; ſi ire nolumus ; tunc illicò circulum facimus necromanticum, quibuſdam admurmuratis verbis, nominibus aliquorum dæmoniorum inuocatis, & factis dæmoniorum principi nonnullis adorationibus, tunc à tali progreſſu, & laborioſo exercitio excuſamur. Malefici autem, & ſagæ cum ſcientia careant magica illis conuentibus, cum celebrantur, ſemper adeſſe tenentur ; niſi habeant cauſam veram, & excuſabilem, quæ legitimè eos excuſare poſſit. Vndè eos qui tardiùs, aut infrequentiùs accedunt, domi remanentes, ægritudinibus grauibus afficit, montequè & corpore torquet non nocte ſolùm celebrationis ; ſed etiam diebus ſequentibus, in quibus omnia, quæ agunt, euaneſcere videntur. & in deteriùs ire quoadvſque medio iureiurando promittunt, ſe amplius non defuturos indictis comitijs.*

Nequè hæc ſolùm commiſſa, aut omiſſa dęmon vendicat tam grauibus pęnis. Inſuper cauſas fingit, vt culpæ, contumaciæ, aut ſegnitiei imputare aliquid poſſit, quod plectat, & puniat, vt numquam cum illo ne vnius quidem momenti pax conſtare poſſit. Quæ omnia pluribus probat Remigius *lib.* 1. *dæmonolatriæ cap.* 13. Quarè verè dęmoniacos homines ; immò dęmonibus peiores eſſe maleficos, nemo negabit, qui tali, & tantæ intolerabilis miniſterij ſarcinæ ſubijciuntur.

ARTICVLVS III.

Continuo.

544 ADeò obſtinatè homines ſeruituti ſathanicæ per peccatum addictos dæmon tuetur, ac retinet, vt non facilè è manibus ſuis eos eripi patiatur ; cum ità ſint pertinaces, vt quod ſemel corripuerunt, vix, ac nè vix quidem ſibi elabi permittant. Sed eò magis quaſi iure proprio in ſeruos ſempiternos vendicat eos, qui pactis, & conuentionibus vtrinquè firmatis ſe ſe eius miniſterio deuouerunt. Siuè enim dæmoniacæ, ſiuè humanæ, ſiuè diuinæ ſubdantur poteſtati, ſemper in eos ſæuit, & in ſuo famulatu etiam inuitos retinere conatur.

Dæmon ſuos retinere conatur ſub quacumquè ſint poteſtate. Diaboli Iudicis Dei.

§. I.

SI ſub ipſius diaboli poteſtate poſiti, tum intolerandæ eius tyrannidis tædio : tum ſcelerum conſcientia : tum metu grauioris ſupplicij, quod eos certiſſimè manet, ſi illorum ſcelera innoteſcant ; optent iugum inclementis, & iniuſtæ ſeruitutis excutere ; priſtinamquè filiorum Dei aſſequi libertatem, cui antea renunciarunt ; ſtatimac eorum animum ſubit talis cogitatio, ſedulò obſtat, ne faciant ; omnibuſquè modis contendit, ne ab ipſis deſeratur, propoſitis fœdere, pactis, & conuentionibus iureiurando obſirmatis ; quæ frangere non liceat ; ſed ſeruare neceſſe ſit, quoad vixerint eorum vim tam ſolerter, obſtinatè, & efficaciter repræſentando minis, promiſſionibus, precibuſquè inſuper adhibitis, vt plures ex illis in eum errorem prolabantur : Quòd quemadmodum more militari transfugis negatum eſt poſtliminium, *L. Deſertorem.* §. *is, qui ad hoſtes. ff. de re militari.* Sic & ijs, qui ſemel à Deo ad humani generis hoſtem deſciuerint, præcluſus ſit omnis aditus miſericordiæ Dei ; ità vt à partibus, in quas ſemel tranſierint, numquam diſcedere liceat.

§. 1. Si ſub eius poteſtate velint conuerti 1. Variè obſtat. 2. Suadet, non dari pænitentiæ locum.

§. II.

QVo errore quid noxius ſpiritui humano inſtillari poteſt ? Sic enim extenuatur, & minuitur, imò tollitur omninò diuina potentia, ac bonitas, quæ parcendo maximè, & miſerando manifeſtatur, dum vbi abundauit delictum, ſuperabundare facit & gratiam, per quam homo quãtumlibet impius à dęmone recedere, quantamcumquè fidem, obedientiamq. ei præſtiterit, & ad Deum quamuis innumeris laceſſitum iniurijs accedere poteſt, ſi ad cor rediens ſeriò pæniteat, vt ipſemet Deus per Ezechielem Prophetam ſpondet dicens cap. 18. *Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & quare moriemini ? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite,* Sic extollitur potentia, & malitia dęmonis, qui eò maiorem apud eos videtur habere virtutem ad perdendum, quàm Chriſtus ad ſaluandum : quaſi verò tota eius vis Diuinæ comparata, non ſit aliud quàm ventus, & fumus, qui momentaneè diſſipatur in auras, cum maleficus diuino adiutus præſidio fortiter ei reſiſtit in fide, vt docet Petrus, & S. Cyprianus *tract.* 4. *de idolorum vanitate : Demones. ait, vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat.* Sic tollitur humana libertas, quæ etſi peccatorum nexibus, & pactionum vinculis quaſi ligata infirmior ſit ; tamen facta ope diuina potentior, nexus, & vincula illa ſtaminea in momento diſrumpit, atquè à malo auerſa ad bonum conuertitur, cui adhæret in finem, vt teſtatur Ezechiel loco cit. *Cum auerterit ſe impius* (per actum liberi arbitrij) *ab impietate ſua, quam operatus eſt* (omnia ſua peccata, deteſtando) *& fecerit iudicium, & iuſtitiam* (ideſt ſeruauerit, & cuſtodierit omnia præcepta Dei, & iuſtè vixerit) *ipſe animam ſuam viuificabit.* (nempè gratia, qua Deo gratus euadet, & fiet dignus vita æterna. Sic maleficis inducitur deſperatio, qui omnem ſalutis viam ſibi præcluſam videntes, quid aliud expectare poſſunt, quàm æternos gehennæ infernalis cruciatus, & ineuitabilem damnationem ? 545

§. III.

HIc autem error eò magis in eorum animis ſerpit, quòd imperante dæmone alto ſilentio tegitur. Sicut enim perditis moribus adoleſcens, qui ingenuam aliquam adoleſcentulam deperit, quam ſeductam corrumpere nititur, omni laborat induſtria, & precibus ſummis contendit, ne ſuas ſolicitationes quouis modo parentibus patefaciat ; ità diabolus in occulto, & ab hominum ſenſibus alieno ſcelere maleficos, quos in æternum ſuis laqueis irretitos vult perdere, ligatos ſilentio tenet ; eiſquè imperat, ne ſceleſtiſſimas ſuggeſtiones, iniqua conſilia, & calidiſſimos decipiendi modos vlli mortalium extra ſuam ſocietatem reuelent ; vt ſic intricatus homo ſe expedire non poſſit ; quod facilè aſſequeretur, ſi interiores animi ſenſum docto, & pio directori manifeſtaret. 546

3. Detinet iniũcto ſilentio.

Huiſce veritatis exemplum luculentum habemus in illo Mago, de quo ſupra num. 507. qui cum à dæmone, cuius pedicis irretitus erat anno 1647. quadam nocte ita malè fuiſſet affectus, vt penè ſuffocaretur, orationibus, & ſupplicationibus ad Deum

Probatur exẽplo cuiuſdã magi

à Matre ſua directis, è dæmonis faucibus ereptus, contra ipſum indignabundus ſe ad Deum conuertere, eiuſquè diuinum implorare ſtatuit auxilium. Propterea tum parentum ſuaſionibus, tum Admodum Reu. P. Vicarij Sanctæ Inquiſitionis efficacibus hortationibus, vt in loco tuto à dæmonum inſultibus tueretur, in ædibus Sancti Officij apud præfatum Vicarium: vt amicus illius ſe recepit. Ibi receptus, vt per veram confeſſionem ſacramentalem Deo reconciliari valeret: ad hoc munus præſtandum Confeſſarius noſtræ Religionis Theologus doctus, & pius accitus fuit; qui cum illum ad confeſſionem tunc non ritè diſpoſitum comperiſſet, ſuis eruditis, ac deuotis monumentis conatus eſt illum diſponere; eiquè ſuadere, vt ſuam diligenti examine perquireret conſcientiam poſt biduum in confeſſione ſacramentali aperiendam. Sed ecce illicò dæmon omnes eius occupauit ſenſus, cæpitquè lingua eius loqui dicens, ac pluries repetens: *Ego ego ſum diabolus: ego ego ſum diabolus, & iſtius hominis dominus, & poſſeſſor: hic non debet, nec poteſt, nec ego permittam eum ſua confiteri peccata. Ex fædere enim mecum inito mihi eſt obſtrictus; eſtquè mei iuris; Nam coram me ſolemniter eſt profeſſus in omnibus mihi obtemperare; nec vmquam ſe veram præſtiturum confeſſionem; nec à me vllo tempore receſſurum,* Exinde Pater ille primò perterritus, dein in Domino cõfortatus petij à dęmone: ecquid ibi ageret? Reſpondit omniũ malorum inuentor, vitiorumquè incentor. *Hic homo cum ſit nequam peſſimus diù cum hæreticis conuerſatus, multos apud ſe retinens libros hæreticorum, ſemper ad malum intentus, ne tot mala faciat, ad quot eius malitia, & peruerſitas impelleret, maneo hìc, vt cuſtodiam illum.* O quàm cuſtos peruigil, qui ad omnium malorum baratrum induxerat, iactitat ſe illum cuſtodire à malo; Hęc, & alia dixit verſipellis hoſtis. At ceſſante Sacerdote loqui de his, quæ ſaluti animæ illius expediebant, & ad alia indifferentia ſermonem ſuum conuertens, non ampliùs dæmon loquebatur in eo, nec ab vſu, & actu ſenſuum, ac potentiarum impediebat. Verùm cum denuò aliàs ille Pater exorciſmis dæmonem coniuraret, ne confeſſionem illius impediret: Magus indeſinenter diſſoluebatur in riſus, & cachinnos; & vultu, ore, pugniſquè ſe velle Exorciſtam impetere oſtendebat; illum ſubſannando, & floccifaciendo; ita vt funditùs inſanire videretur. Sed à tali functione ceſſante ſacerdote, ceſſabat, & magus à talibus nugis, cachinnis, & veſanijs; & ſacerdotem ſeriò, ac maturè vt homo doctus, & prudens alloquebatur; aſſerebatquè, ſe ex corde ſua deteſtari crimina. At cum eadem ore etiam deteſtari, ac ſacramentaliter confiteri; vel ſocios criminum ſuorum, ac complices patefacere vellet; ſtatim cor ſibi ligari, ac conſtringi ſentiebat: Deinde maxima vi, ac vehementi impetu dilatari, & ad riſum, cachinnoſquè prouocari, à quibus nullo modo ſe poterat cohibere; quinimmò ad ſacerdotem ipſum pænitentiam ſuadentem contemnendum, floccifaciendum, ac conuicijs proſequendum ſeſe inclinari, moueri, & quaſi impelli fatebatur: Nihilquè ſibi iucundius, ac delectabilius videri, quàm omnes Religioſos, & Eccleſiaſticos, eccleſiaſticas ſanctiones, functiones, ritus, & cæremonia nihili habere, & paruipendere. Quod non ſemel; ſed toties, quoties ad aliquem actum ſaluti animæ ſuæ expedientem eliciendum erat inductus: præcipuè cum ab eodem Sacerdote perſuaſus errores ſuos coram admodum Reuerendo Vicario Sanctiſſimæ Inquiſitionis abiurare ordiretur, repentè in riſus, & cachinnos prorumpebat, & licèt vim vi repellere tentaret, & genuflexus ſcribere, alioſque actus bonos producere conaretur; attamen indeſinenter à dæmone arripiebatur, proijcendo attramentarium, magnoquè impetu illinc recedens aliùbi aufugiebat. Quis autem hæc à dæmone inducente, & impellente, malo ipſius habitu, peſſimaquè conſuetudine fauente, ne à iure ſuo iſte ſuus aſſecla vmquam recederet, procedere non aſſeueret? Non quòd illum dæmon eo modo poſſideret in corpore, quo energumenos, quorum corpora poſſidet, vt torqueat, ac pænis continuis, vel interceptis afficiat, nullam in animam habens iuridictionem; ſed in illo, ſicut & in omnibus ſagis, & maleficis erat dæmon ſemper aſsiſtens, vt animæ illius, & corporis dominus, & poſſeſſor; & cum neceſſitas vrgebat, operabatur modò in corpore cor eius ligando, ſtringendo, dilatando, ad varias & inter ſe oppoſitas paſsiones ſucceſsiuè excitando: modò guttur ipſius, os, linguam, oculos, labia, cæteraquè corporis membra variè mouendo: nunc potentias ſenſitiuas internas, & externas varijs obiectis afficiendo, prout opportunum ſibi videbatur: nec alio fine, quàm ad illum ſuis laqueis irretitum, ſuoquè graui, diro, & duro iugo ſathannico ſubiectum, & ligatum detinendum in perpetuas æternitates in orco flammis inextinguibilibus vſtulandum.

Cuius inſolitæ actiones enarrantur.

§. IV.

SEd videas alios dęmonis modos ſub ſilentio ſuos detinendi aſſeclas prioribus non minùs callidos 547
abſconditos, & deteriores. Parcat Lector, ſi hæc prolixiùs ſcribo; quia cum raro ad manus perueniant iſtiuſmodi caſus, neceſſe duco, latiùs deſcribere, vt ex hoc exemplum ſumant Exorciſtæ, & Theologi, quid faciendum, cum talia eueniunt. Eodem ergo anno cum Roma Bergomum verſus permearem, in quadam Ciuitate parum diſtante ab Vrbe, quam præfatus incolebat Magus diebus aliquot moram agens, ab Admodum Reu. P. Miniſtro illius Prouinciæ Reformatæ, nec non ab eodem Patre Theologo de quo ſupra, tunc ibi commorante rogatus fui, vt de prædicto homine iuriſperito ſic malè affecto mihi curæ eſſet, quem Religioſi Exorciſtæ à dęmone obſeſſum, Medici verò inſanum exiſtimabant. Coram me igitur præſentato, prius ſolus cum ſolo de varijs rebus diſcurrere orſus, ex verbis ipſius, ac diſcurſu illum non ſtultum, aut mente captum, vt Medici fatebantur, ſed ſanæ mentis, doctum, ſolertem, & ſagacem apertè noui. Accitis autem prædicto Theologo, ac quodam nobili iuriſperito eius comite, dęmonem exorciſmis coniurare cæpi; Sed ecce adhuc, vt ſupra, exorciſmis non, vt ſolet in dęmoniacis, torquebatur dęmon; ſed ipſe magus potius riſus, & cachinnos effundebat, pugniſquè me percutere minabatur. Qua re perſpecta, & admonitus de pactis ab eo cum dęmone initis: & quòd octennio dęmoni inſeruiſſet, artiquè magicæ addictus fuiſſet, alijs medijs vtendum, neceſſarium duxi. Quare tum ab eo quæſitus, tum ab illo nobili iuriſperito ipſius comite: tum à prædictis Patrſbus rogatus, vt curam illius ſuſciperem: illùc profectus, vbi ipſe morabatur, tradita mihi in vtroquè foro à Reuerendiſſimo P. Inquiſitore, qui tunc aderat, in ipſum facultate in Conuentu Fratrum noſtrorum præſentibus Adm. Reu. P. Miniſtro Prouinciali, & quodam Patre Deffinitore, & præfato nobili eius comite, priùs inuocato diuino auxilio, facto in Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti dęmonibus præcepto, ne vllo modo potentias eius ſiuè externas, ſiuè internas impedirent,

Modus obſeruatus ab Auctore ad cognoſcendam illius fictionem.

dirent, vt liberè, & abſque vllo impedimento ad omnia interrogata reſpondere poſſet, quęſiui ab eo: quonam fine ad Religioſos noſtros confugiſſet; & præcipuè me aduocare feciſſet: & quid à me peteret? Reſpondit. *Vt ſciam: an ſim maleficio affectus, aut energumenus: vel quanam laborem ægritudine. Sentio enim me cor habere ligatum, & conſtrictum, & quendam deperire adoleſcentem; vt vix videar reſpirare poſſe; & tamen nollem illius affici amore: hoc autem ex maleficio prouenire ſuſpicor. Si ergo noueris me maleficio affectum, quæro, vt tuis remedijs mihi conferas ſanitatem.* Ex cuius verbis cum planè nouiſſem, illum non propter dolorem offenſæ Dei: nec propter Dei amorem: ſed vt alter Antiochus propter corporalis flagelli euaſionem à dæmone velle recedere, & ad miniſtros Eccleſiæ cōfugiſſe: dixi ei: Eo modo, quo miniſter Chriſti, & Eccleſiæ promittere poteſt per ſacramenta, vel ſacramentalia, aut alias functiones, & ritus Eccleſiaſticos, ſic ego, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ auctoritate ſancti euangelij innixus, diuina clementia fretus, ac Sanctiſſimi Nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtute, & efficacia confiſus, ſi maleficio affectus eris, tibi promitto ſanitatem in nomine Chriſti, ſi hæc tria obſeruaueris. Primum: obedias mihi in omnibus, quæcumquè imperauero tibi ſiuè ſpiritualia, ſiuè corporalia. Secundum: totius vitę tuæ cogitationes, verba, & opera quò meliùs poteris, præcipuè à tempore, quo cum hæreticis conuerſatus es, & cum dęmonibus ſocietatem habuiſti vſquè ad horam hanc mihi aperias. Tertium: vt credas rationibus, & auctoritatibus, quibus veritatem euangelicam tibi perſuadere contendam: & ſi aliquid habueris in contrarium, mihi exponas, vt poſſim omnes tuas ſoluere dubitationes. Hæc omnia promiſit adimplere coram prædictis Patribus, & Iuriſperito. Quarè ne ampliùs in riſus, & cachinnos erumperet, ac me ſubſannaret: immediatè præcepi, vt ſequentem faceret proteſtationem.

§. V.

548 EGo N. N. *quotieſcumquè aliquem actum, aut operationem ſaluti animæ meæ expedientem elicere, aut perficere volo, maxima vi, & impetu ad riſum moueri expertus, itá quòd à quocumquè bono opere me reuocari, & omnia remedia ſpiritualia animæ, & corpori ſalubria reſpuere, ſentio; ideò hìc genuflexus coram Deo meo Creatore, ac Redemptore, ac te, Pater ſpiritualis, proteſtor toto corde, tota anima mea, ac totis viribus meis, impoſterum ab hoc præſenti momento incipiendo, quotieſcumquè ridebo: vel aliquem actum præſtabo deſpicientiam, ac contemptum redolentem, nunc pro tunc ridere intendo in contemptum, ac ludibrium Beelzebub principis dæmoniorum* (hoc enim nomine vocitabatur dæmon ille, cui ſe deuouerat: ideſt: vir, ſeù Deus muſcarum, nempè animārum peccantium, quæ reliquerunt verum ſponſum Chriſtum) *cunctorumque ipſius aſſeclarum ob eorum maximam ſtultitiam commiſſam, dum Deum ſuum ob maximam ſuam ſuperbiam dereliquerunt, & obliti ſunt Domini creatoris ſui ſeipſos obnoxios reddentes pęnæ æternæ. Pariter ridere intendo ob lætitiam, qua deberem affici ob confidentiam à me conceptam, quòd Deus ob immenſam ſuam clementiam, ac bonitatem omnia mea peccata ſit mihi condonaturus, quę quoties ridebo, intendo toto corde toties, imò ſemper deteſtari, eò quòd ſint offenſa Dei mei Creatoris, & Redemptoris, qui ſuper omnia amari debet. Proindè vos ò diaboli me inducite, mouete, & impellite ad ridendum, vt lubet; quia ſemper intendo, hoc fiat in contemptum veſtrum, & in ſalutem animæ meæ.* 549

Hoc propoſito coram nobis quamuis remiſsè peracto, illicò riſus in mærorem conuerſus eſt: nec impoſterum, cum de rebus animæ ſalutaribus agebatur, ridere; ſed maximo affici mærore, ac melancholia viſus eſt. Idcircò rogatis cæteris, vt foras egrederentur; ſolus cum ſolo manſi; ac de omnibus, quæ patrauerat, ac ſibi euenerant interrogaui: de pactis cum dęmone initis, de profeſſione coram dæmone emiſſa, de promiſſis, de ſocijs, de libris hęreticorum, de martinello ſuo, de progreſſu ad ludos diabolicos, de omnibus, quæ in illis à Magis, Maleficis, Strigibus, & Dæmonibus exercentur, de voluptatibus, ac delectationibus à dæmone obtentis, ac cæteris breuiter, quæ octennio illo, quo dæmoni inſeruierat, operatus erat, quæ licèt cum aliqua difficultate, omnia tamen mihi enarrauit. Quarè iuſsi vt poſtera die, veniret, vt in Eccleſia noſtræ Religionis miſſam audiret, & ſacramentali confeſsioni initium daret. Promiſit omnia: ſed dæmon in corpus eius rigorem, & ſtuporem quendam immiſit, vt videretur ſibi corpus habere gelidum, durum, & terreum: quòd ex lectulo ſuo dimoueri non poterat. Ego poſt biduum illum inuiſi, arguens, quòd tempore condicto non veniſſet: qui dixit: *Excuſatum me habeas, quia è lecto ſurgere non poſſum, nec me dimoueri ab hoc loco: nihilominus ſic maneo lætus, & contentus; nec vllo afficior dolore.* Tunc facto dæmonibus præcepto, ne illum impedirent, è lectulo ſurrexit, & ad conuentum perrexit. At cum peccata confiteri vellet, nullum nec minimum quidem doloris, ~~ac com~~punctionis oſtendebat indicium; quod ſæpiùs per menſem euenit, dum etiam in ædibus ſancti officij apud Reuerendiſsimum P. Inquiſitorem à me fuit iterum introductus, quo tempore nunc paratum ſe præbebat ad confitendum peccata ſua, & dicebat, ſe dolere ex corde, ſed dolorem extrinſecùs oſtendere nequire: ſed vix incæperat genuflectere, quòd actionem inanem, à ratione alienam peragere videbatur: modò nullius peccati mortalis ſe conſcium aſſerebat: modò vix incępta interrogatione, ſurgebat, & ſe nullius criminis eſſe memorem dicebat: ſæpiùs cum ſalutaribus exhortationibus illum ad confeſſionem diſponere contenderem, intercæpto ſermone diſcedebat, ac ſi feſtinanter ab aliquo foris vocaretur; quod etiam ſæpiùs coram Reuerendiſſimo Patre Inquiſitore peregit. Tandem cum de artis magicæ diabolicę profeſſione, dæmonum inuocatione, & cæteris id generis criminibus, vt ſe argueret ſuaderem: reſpondit; non poſſe ſe accuſare de tali opere; quia opus eſt illuſtre, & ſanctum, nec vlla reprehenſione dignum; ſequè conſcientiam puram, nullo crimine coinquinatam, nec vlli vitio obnoxiam habere, cum omnia, quæ patrauerat, licita, iuſta, ac ſancta eſſent, aſſeuerauit. Ex quo ſe apertum manifeſtauit hæreticum. Vnde ſi aliquando antea pęnitendi aliquod formauerat propoſitum, à dęmone illicò ad oppoſitum mouebatur; quia eius pęnitentia, ac propoſitum pęnitendi non erat propter offenſam Dei, quæ ſibi diſpliceret; ſed propter euaſionem corporalis flagelli, quo affligebatur in corde, vt ſæpiùs ipſemet mihi aſſeruit, dicens: *Non quæro à te, vt meam per confeſſionem purifices conſcientiam; quis nos magi, & necromantæ omnes ſecuri ſumus de ſalute noſtra, nec*

tali

tali indigemus confeſſione: cum nobis contritio ſit ſufficiens: vt docet nos Petrus de Abano in ſuis ſcriptis: ſed quaro, vt me liberes à maleficio, ſi fortaſſe aliquo fuerim affectus. Sicquè illam pænitentiam, abiurationem, confeſſionem ſacramentalem, cæteraque ſpiritualia opera, quç ſunt media ad peccatorum remiſſionem obtinendam, & diuinam gratiam conſequendam, ordinabat ad ſanitatem corporalem acquirendam. En quibus pedicis dæmon ſuos detinet, ne à ſua recedant tyrannica poteſtate, & iugum Dei ſuauiſſimum ſuſcipiant, per quod facillimè requiem inuenirent animabus ſuis.

§. VII.

550 *Propoſitum conuerſionis verberibus, aut deſperatione coercet.*

NEc tantùm eos, ne ſua fateantur, ac patefaciant crimina alto ſilentio detinet verſipellis hoſtis. Inſuper ſe omnium actionum monitorem aſſiduum gerit, cum illos aliquo modo videt pænitere. Statim namquè adeſt coram, & de reſipiſcentia cogitantes vel aliò diſtrahit: vel eorum conſilium verberibus etiam animaduertit; ſequè non inultam huiuſmodi propoſiti leuitatem, & facilitatem relicturum denunciat. Vel inducit ad Iudæ pænitentiam, nempè, vltimam deſperationem; Ex quo plures ipſius ſuaſione mortem ſibi ipſis conſciſcunt: alij vulnere: alij ſuſpendio: qui cultellum in faucis adigit: qui collum reſti implicat: qui ſe in fluuium, aut flumen præcipitat; aliaquè via deſperabundus occidti, vt varijs exemplis probat Remig. lib. 3. dæmonol. c. 5. Huiuſmodi dæmoniacis perſuaſionibus percitus fuit ille ſupradictus magus, cum ob ægritudinem, qua detinebatur euadendam, à Reuerendiſs. P. Inquiſitore pro tunc in domum ſuam fuerit dimiſſus. Ingraueſcente enim morbo vt de ſalute ſua penitus deſperatus volebat ſe interimere; ideò cum ſe de lectulo, vbi cubabat, dimouere non poſſet, rogabat adſtantes dicens: *afferte mihi gladium; aut pugionem, quo me de medio citiùs tollere queam: quid moror? date mihi reſtem, qua me collo ſuſpendam; ſic enim me hortatur præſtare patronus meus diabolus, cui me totum tradidi, & deuoui, ſub cuius poteſtate ſum & quoad animam, & quoad corpus ex pacto cum ipſo inito, cui repugnare, & contradicere nefas*. Hæc, & alia id generis verba proferebat à dæmone ſuo inductus, & quaſi impulſus, quod vtiquè re ipſa perfeciſſet, niſi continuò quis eum, diè noctuquè ne faceret, cuſtodiret, vt mihi enarrauit quidam Sacerdos fide dignus teſtis auritus, & oculatus, qui tunc temporis ſæpiùs eum inuiſebat. Quarè pauciſſimi ſunt, qui à malefica ſeruitute recedant. Nam quos dubio famulatu in mundo mancipatos habet, hos in inferno certç obnoxios ſeruituti poſſidet in perpetuas æternitates.

§. VIII.

551 §. 2. *Si ſub Iudicis poteſtate; hortatur 1. Ad ſilentium, quando ſunt In vinculis*

NEquè hic ceſſat obſequentes retinere. Etiam in Iudicum poteſtate poſitos ſibi eripi non ſinit; ſed in vinculis, & tormentis conſtitutos hortatur, vt priùs, aut ad ſilentium, aut deſperationem. Quod eò magis mirandum venit, ſi attendas dæmoniacum impetum, potentiamquè frænari ſtatimac eius miniſtri in manus Iuſtitiæ incidunt. A tempore enim iuridicæ incarcerationis alicuius malefici vis omnis hoſtilis, nempè dæmonis euaneſcit: vt eueniſſe in perſona magiſtri Guilhelmi Edelini magi ſcribit Delrius *lib. 5. Diſquiſit. magic. ſect. 12. circa finem*. Nihil enim poteſt in Iudices, qui ſupplicijs ſuos clientulos perſequuntur: quamuis nulli ſint mortalium, quos tàm libenter inſidijs appetat ob inſitum, atquè iniuſtum in eos odium. Nam Deus ſertam tectamquè præſtat auctoritatem ijs, quibus in terris ſuum demandauit imperium, ſingulariquè benignitate eos à ſathanicis tuetur iniurijs. Nequè ſimiliter poteſt ſuos è cuſtodia educere, & in libertatem aſſerere, & vendicare; non quòd ei difficile ſit perfringere ſeras, catenas rumpere, carceres aperire, & ſoluere compeditos, qui montes transferre, terramquè immobilem motibus inſolitis quatere valet; ſed quia à prouidentia diuini Numinis prohibetur; ſicut & ad præterita maleficia conſeruanda, futuraquè eorum voto, & iuſſu patranda impeditur: vt tradit Sprenger in Malleo *tom. 1. par. 3. q. 8.* Non tamen ceſſat omnia tentare, vt illos in ſua detineat ſeruitute. Nam in carceribus conditi ab eo ſæpè inuiſuntur, eriguntur in ſpem libertatis, iuuantur conſilio, officio ſuſtentantur, & tam fauentem, beneuolum, indulgentem, opitulantemquè in omnibus habent, quàm vmquam antea experti fuerint.

§. IX.

552 *In tormentis.*

DVm verò quæſtionum tormentis duriſſimè exagitantur, adſtat beneuolus monitor, vt ſe, vbi res poſtulat, amicis non deeſſe teſtetur; hortatur exigui temporis ferre dolores, certam poſtea adeſſe libertatem; addit animum, ſpondens iamiam adeſſe cruciatuum finem; rogat, quandòquè ne quid patefaciant, quod in ipſorum perniciem, & conſciorum eiuſdem criminis vergere poſſit. Nec ijs contentus aliquando ſe occludit in crinibus maleficorum, vt propiùs opem ferat; obturat aures, vt ſic occluſæ non pateant Iudicum vocibus; deſcendit in fauces imas, vt loquelam inhibeat, ſi fortè per doloris impatientiam admiſſa ſcelera fateri vellent. nonnumquam immotos, & inſenſibiles reddit equuleis, & ignibus, vt taciturnitate Iudicum artes eludant. Et nihil non facit, vt conquiſitam prædam mordicùs retinear; Ex quo plures, etſi rei, quia tamen inconfeſsi poſt celatam veritatem, & ſuperata tormenta liberi dimittuntur. Hac de re tom. 2. d. 4. modum tradidi, quo huiuſmodi diabolicç technæ, & auxilia remoueri poſſunt.

553 *Ad deſperationem Minis.*

Si verò eos ſe accingere videat ad crimen confitendum, ſocioſquè detegendum, quò non ſe vertit improbus herus, vt eos à vero dehortetur, quibus dolis, machinis, fallacijs, minis ingruit ad nutantes famulos in officio continendos? Mirum eſt, quod narrat Remigius *lib. 3. dæmonolat. cap. 8.* Catharinam Latomiam adoleſcentulam ab eo bis in carcere fuiſſe compreſſam, etſi ea adhuc eſſet ætate, quæ virum ferre non poſſet, tantà vi, vt parum affuerit, quin ex eo vitio moreretur: ex eo ſolùm, quòd paratam videret ad criminis confeſsionem, ne innoxia ex eius rapacibus manibus elaberetur. Et ſic quotidiè cum afflante ſpiritu Dei, vrgente Iudice, teſtibus conuincentibus, nullus ipſis tergiuerſationi locus relinquitur, iamquè ſe comparant ad admiſſa ſua patefacienda, ſtatim vultus color immutatur, oculi in aduerſum aliquem carceris angulum defiguntur; & tantus in verbis ſtupor, in facie horror, in toto denique corpore tremor apparet, vt penè exanimari videantur. A quibus ſi tàm ſubitæ mutationis cauſam inquirans: Vt ſe ex eo timore parumper colligunt, reſpondent, ſe videre ſuum magiſterulum manus ſibi ferociter oſtentantem, quales habent cancri bifurcas, ac dentatas: aut mutata perſona, rectis cornibus, inſtruita fron-

te-

te eos illico impetere volentem: aut alia efferata forma minitantem; eòquè oculos vertunt, & intento digito demonſtrant: vt pluribus exemplis probat Remigius *loco citato*.

§. X.

554 *Terroribus.* QVòd ſi diuerſis præſtigijs iterato, & grauiter interminando, ne ſe, conſcioſuè ſuos prodant, præuidet ipſos minùs linguam temperaturos, acriùs, & maiori cum ſtudio, ac importunitate vrget ad id quantulum ſupereſt vitæ ſua manu præſcindendum, vt ſceleſtiſſimam vitam interitu ſempiterno tandem abrumpant. Nam ad carcerem ſæpiùs aduolat, ſignificat, adeſſe carnificem, Iudices indignatos, & crudeles repræſentat, equuleos, & torturas parari monet; nullumquè forè dolorum modum, quos tolerare ne obfirmatiſſimus quidem poſſit: tam horrenda ſcelera ab his commiſſa, vt ſupplicia grauiora effugere impoſſibile ſit; eoſquè ſecuri percutiendos, forcipibus candentibus inurendos, & igni viuos tradendos eſſe. Dehin tormentorum, & flammarum, quarum cruciatibus interficiendi ſunt, horrorem, dedecus, & infamiam aliquando ub oculos ponit; nec in ſua poſitum eſſe poteſtate eos eripere, quod ſummoperè cuperet. Vnicum eſſe remedium, ſpontanea, & voluntaria morte hæc tormenta peruertère, horribilem mortem fugere, & ſe dolori, ignominiæ, publicoquè exemplo ſubducere. Tum conſilium dat, quomodo vim ſibi afferre debeant, & manu ſua vitam exhauriri: vt pluribus exemplis probat Remigius loco citato.

Deniquè perſuaſos aliquando adiuuat, & rem
555 *Violentia.* totam ità vrget, atquè approperat, vt eius facinoris molitionem ſubita, repentinaquè mors ſequatur; nec vllum ſatis promptum remedium ab occurrentibus, aut impedimentum contra afferri poſſit. Quarè plures in vinculis reperiuntur extincti, quorum cadauera vel leui vulnere impreſſo: vel collo faſciola putrido ſtamine intertexta religato: vel contuſione minima iacent; quia operi dæmon manus admouit, ſine quo tanta celeritate, & facilitate perire non poterant. Quæ quidem molitur, vt quos viuos flagitijs eos defunctos ſupplicij indeſinenter exerceat: vt refert idem Remigius *in ſua dæmonolatria*.

§. XI.

Vbi admonendi ſunt, ſemper eſſe locũ pœnitentiæ.

AT ſub quacumque poteſtate ſiuè humana, ſiuè diabolica exiſtant magi, ne huiuſmodi erroris tenebris obruantur, & in deſperationis baratrum prolabantur, admonendi ſunt; quoſcumquè etiam à diabolo deceptos cum gratia Dei ſemper poſſe, dum ſunt in via, per pænitentiam redire ad gratiam, diaboli iugum rumpere, & tam fædam ſocietatem relinquere etiam quocumquè tempore. Siuè Deum reſpiciant: ſiuè liberum arbitrium attendant: ſiuè conſiderent pactum cum dæmone initum. Si enim pactum formident; Nonnè prorſus eſt inutile, inualidum, turpe, nullum, ac repudiandum? ideòquè non ſolùm non teneri ad illius obſeruationem; immò teneri, illud non ſeruare, cum ſit contra legem diuinam, & humanam, & contra bonos mores, vt ſupra dixi. Si actum voluntatis, ac liberi arbitrij, quo ſe dæmoni deuouerunt, vt irreuocabilem, & immutabilem ſpectent: quid mutabilius, & variabilius hominis voluntate, ac libero arbitrio, dum anima corpori eſt vnita? voluntas enim, quæ eſt pars liberi arbitrij, libera eſt, & ex hoc quod libera eſt, liberè vult; ſicut ergo liberè potuit velle malum: ità liberè poteſt velle bonum, & declinare à malo: *Liberum enim arbitrium* (puta viatoris) *eſt facultas rationis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, vel malum eadem deſiſtente*: Quam veritatem teſtantur diuinæ ſcripturę: Ezechielis 18. *Proijcite à vobis* (per actum liberi arbitrij) *omnes prauaricationes veſtras, in quibus prauaricati eſtis, & facite vobis cor nouum: & ſpiritum nouum: & quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite*, & c. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumquè die conuerſus fuerit*: & Ierem. 8. *Nunquid qui cadit, non adijciet vt reſurgat? & qui auerſus eſt, non reuertetur? Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Hieruſalem auerſione contentioſa? apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti*. Non eſt ergo, quòd ſe excuſent ex actu liberi arbitrij, cum hoc ſit fulcimentum, quo ſemper à dæmoniacis pactis, ac promiſſis ſe reuocare poſſunt, & ad Deum conuerti, peccata priora deteſtando quantum in ſe eſt, & proponendo ab eis ſe cauere in futurum. Sed tandem Deum fortaſſe timebunt, qui ipſis apoſtatis ob eorum ſcelera nefanda, & nimis abominanda crimina veniam impertire non velit? At quis non agnoſcat, Deum eſſe pijſſimum, ac clementiſſimum, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: qui ipſoſmet obſtinatos peccatores ad pænitentiam vocat eiſquè ſuam impertiri gratiam, pollicetur. Ieremiæ 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te*, & Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuam, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum; quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Quod probant etiam ſcripturæ, quæ atteſtantur, Dominum ſoluere, & rumpere vincula peccatorum, vt Dauid in pſalmo 11. *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*. Et iterum, pſal. 145. *Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos*. Quicumque ergò à diabolo decipitur: aut deceptus eſt, & ſub tam durà ſeruitute agit, quãtamcumquè fidem infideli addixerit; obedientiamquè præſtiterit, redeat ad cor, frangat perfidiam, pæniteat, inuocet Deum, cæleſtis curiæ Reginam, deſolatorum aduocatam B. Virginem, Angelum cuſtodem, & Sanctos: reſiſtat aduerſario in fide, & vincet. Tantò autem faciliùs tàm abominabilis ſtatus relinquitur, quantò citiùs deſeritur. Optimum autem conſilium eſt, vt homo quàm primùm ſe deluſum cognoſcit, ingemiſcat, peccatum confiteatur docto, bono, ac prudenti Confeſſario, & fidei noſtræ armis fortiter ſe muniat contra aduerſarium, eiuſquè inſultus forti, & conſtanti animo repellat; ſicquè à ſe auferet pertinaciam in malo, quę veræ ad Deum conuerſioni opponi, & aduerſari ſolet.

Siuè ex parte pacti, quod nullum eſt.

Siuè ex parte liberi arbitrij, quod eſt variabile vſquè in finem.

Siuè ex parte Dei, qui eſt pijſſimus.

§. XII.

QVa pertinacia illos tanquam ſuos adoritur, qui diuini Paſtoris benignitate è diris faucibus erepti, ſinibus ipſius recipiuntur, & ad Eccleſię ouilę reuocati denuò cæleſti pabulo recreantur. Ita enim prædę tenax eſt lupus infernalis, vt illos variis moleſtijs fatigare non ceſſet. 556

§. 3. Si ſub Dei poteſtate Terret Viſibiliter, & Inuiſibiliter

Quod prę cipuè in ijs cernitur, qui à parentibus ſortilegis in tenera adhuc ætate malis artibus initiati, ſi fortè diſciplinæ chriſtianæ legibus informentur: ſuoquè errore agnito reſipiſcant à diaboli laqueis, & in filialem iuſtorum libertatem à Chriſto

Domi-

Domino vindicentur, non facilè poſſunt tam ſanctis informari inſtitutis, neque ad diuinæ legis adamuſſim vitam ita rectè dirigere, quin in eos ius aliquod ſemper dæmon ſibi retineat. Neque enim ei ſufficit, internis, & ſpiritualibus tentationibus eos vexare continuè; ſed inſuper conſueuit varijs eos terrere apparitionibus, die, noctuquè oculis obuerſari diuerſa ſpecie, ſæpiùs rapere, in altum tollere, de loco in locum aſportare; conſtituere in locis periculo plenis, verberibus excipere, maiora, & grauiora peracturus, ſi ei concederetur; ita vt ij, qui eorum curam gerunt, niſi vix adhibitis iteratò remedijs eccleſiaſticis eum in fugam vertere, & à furioſis eius inſultibus vexatos liberare valeant vt luculento exemplo probat Delrius *Diſquiſit. magic. lib. 6. ſect. 3.*

557 *In maleficis condemnatis.*

Quod ſagis omnibus cum ſit notiſſimum, ſolent illæ, quæ adiurato dæmone, ſcelerumquè confeſſione peracta conuertuntur ad Deum, ſummis precibus efflagitare à Iudicibus, nè mortem, & meritas pœnas longiùs trahant, ſe paratas eſſe, ignes, & tormenta æquo animo ſuſtinere, tantùm ne differantur; neque enim ipſis liberum vnquam futurum, etiamſi à vinculis abſoluerentur, vt reſipiſcerent, & ſe reciperent ad meliorem frugem ob importuniſſimas dæmonis ſolicitationes, & moleſtias, quas non poſſent diffugere, quandiù in vita manerent; nec eas eſſent ferendo ſufficientes, potiuſquè ipſis eſſe citò ſceleſtiſſimam vitam temporalibus flammis extinguere, & in cæleſtem pergere patriam, quàm viuentes adhuc ineuitabiliter recidere in Sathanæ manus, & mitti in ignem ſempiternum, vt pluribus exemplis probat citatus Remigius *lib. 2. dæmonol.* Ex quibus apertè colligitur, quàm miſera ſit maleficorum ſors, qui tàm infame, intolerabile, & continuum dæmonibus miniſterium exhibent, eoſquè verè eſſe diabolicos homines, qui huiuſmodi fœderibus, Societatibus, & miniſterijs diabolo copulantur.

CAPVT II.

Diaboli humanati.

558 *Malefici diaboli ſunt non natura, ſed malitia: quia diabolum referunt Impietate. Iniquitate. Iniuſtitia.*

QVod Chriſtus de Iuda, hoc de maleficis omnibus aſſerere licet. Hunc Dominus vocat diabolum ob inſignem malitiam, cum loquens cum diſcipulis ſuis Io. 6. v. 70. traditorem ijs verbis deſignauit: *Vnus ex vobis diabolus eſt.* Et nos eadem ratione hos poſſumus diabolos appellare. Nam etſi natura ſint homines; tamen malitia diaboli ſunt. Quarè ſi homines ſunt diabolici, quia triplici nexu fœderis, ſocietatis, & miniſterij, vt ante vidimus, eis copulantur: diaboli ſunt humanati: quia diabolum malignantem tripliciter referunt Impietate, Iniquitate, & Iniuſtitia vt tribus ſectionibus explicabitur.

SECTIO I.

Impietate.

PRimus malignantis diaboli impetus fuit ab ortu ſui caſus factus in Deum, quem in primum omnium rerum principium, ſupremam omnium effectuum cauſam, & vltimum creaturarum finem, à quo omnia procedunt: quem omnia referunt: & ad quem omnia tendunt, ſupremi cultus honore pietatis virtus docet eſſe proſequendum. Paulò enim poſtquam ab omnipotenti Dei manu fuit creatus, & in cæli delicijs collocatus, ac gratia decoratus, inſurgere præſumpſit in eum, cui ſe, ſuaquè tribuere tenebatur. Neque enim voluit illi eſſe ſubiectus; ſed quandam in cæteris independenter præſidendo diuinam appetijt æqualitatem: vt benè ſentiunt D. Bonau. *in 2. d. 5. q. 2.* Scotus *ibi d. 6. q. 2.* poſt D. Anſel. *l. de caſu diaboli* D. Hieronym. *ſuper Ezech.* 18. Iſidorum *lib. de ſummo bono.* Baſilium *homil. quòd Deus non auctor mali* Ambr. Greg. & Bernard. relat. à Ioſeph. Angl. *in 2. d. 5. q. 2.* Ideòquè impius factus à primo illo inſultu vſquè modò non ceſſat, nec ceſſabit in æternum impietatis flammas euomere. *Aperuit*, ait Io. Apoc. 13. *os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant.* 559

1. impetus diaboli ſe impiè extollentis fuit ab initio, & modò.

In Deum

Blaſphemat Deum, cum primùm orbi apparere incipit: In Cælo, dum æqualitatem diuinam quærens, Deum negat, & eũ nec nominare dignatur. Non enim dicit, vt benè notat Chryſoſtomus: *Similis ero Deo: ſed altiſſimo. Erubeſcens*, inquit, *eum nominare, quem iam negauerat.* In terra, dum primos orbis incolas alloquitur lingua ſerpentina, Deum facit inuidum, & maleuolum, Deorumquè pluralitatem inducit: vt notaui ſupra *diſpu. 2. num. 17.* Et modò, dum in terra vagatur: aut in eius viſceribus tenetur incluſus, quid aliud agit, quàm Deum, quem ſummo odio proſequitur, continuis laceſſere iniurijs?

In Chriſtum.

Blaſphemat tabernaculum eius, ſanctiſſimam nempè, Chriſti humanitatem, quę eſt auguſtiſſimum tabernaculum Dei cum hominibus, in quo inhabitat cum eis, & ipſi populus eius ſunt, & ipſe Deus cum eis eſt eorum Deus: vt teſtatur Ioannes *Apocal.* 21. Si enim audet in deſerto varijs eum vrgere tentationibus; & modò experiri potentiam: modò ſuadere præcipitium: modò ab illo ſummum adorationis honorem exigere; quid facit ab eo tempore, quo ſe videt, & ſentit omnipotenti eius virtute toto orbe fugatum, & æternis vinculis indiſſolubiliter religatum? Nonne qualibet oblata explendi odij facultate in eum furit, omneſquè, qui eum adorant, inſectatur.

In Sanctos.

Blaſphemat in Sanctos, qui in cælo habitant, Sanctos, ſcilicet, quos aliàs militantes diuerſis prælijs fatigare, & in ſuam ſubijcere poteſtatem fruſtra conatus eſt. Nunc ludibrijs, & maledictionibus inſequitur triumphantes. Debitum namquè ipſis honorem imminuere ſatagit; cum immortalem eorum gloriam auferre non poteſt. Ideòquè impius per excellentiam vocitatur.

Quã impietatem in his tribus malefici imitantur.

Quam impietatem imitantes malefici tanquam locuſtæ myſticæ Angeli huius exterminatoris ſectantur veſtigia, dum inſurgunt in Deum: Chriſtum: & Sanctos: vt ſequentibus articulis notum fiet.

ARTICVLVS I.

In Deum.

§. I.

560 QVàm aptè Paulus ad Coloſs. ſcribit *capite* 2. Chriſtianos monet, ne ſe patiantur à ſimulata maleficorum, & ſagarum impietate ſeduci. *Nemo*, inquit cap. 2. *vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum.* Non enim hic damnat duliæ cultum, qui à fidelibus humiliter, & religiosè angelicis ſpiritibus exhibetur; cum æquum ſit, illos ſpecialiùs reuereri, quos ſcimus à Patre eſſe præpoſitos nobis tanquam tutores, & actores, diuinæ prouidentiæ in ſalutis hominum diſpenſatione miniſtros. Sed introductam Coloſſis religionem falſam à quibuſdam hæreticis prohibet, qui recurrendum eſſe docebant, non ad Chriſtum, quem negabant eſſe caput Eccleſiæ à Deo conſtitutum: vt ſequentia Pauli verba demonſtrant cap. 2. *Fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei.* Sed ad Angelos tanquam humanæ ſalutis auctores. Cum enim iſti dogmatizantes eſſent inſigniter magi, reiecta chriſtiana religione, tentabant introducere magicas diſciplinas, quarum auctores Angelos non bonos, ſed malos ſpecialibus, & ſummis humiliationibus, proſtrationibus, & adorationibus venerabantur; & ab alijs venerandos eſſe, cenſebant: vt eruditè docet S. Ioan. Chryſoſt. *homil.* 7. *ſuper dicta verba.*

Religio, ſeù pietas maleficorum damnata à Paulo: Quia.

561 Et certè inter omnes, qui aliqua in Deum religione ducuntur, nullum eſt hominum genus, quod magis pietatem præſeferre videatur hac ſecta magorum, & præcipuè ſagarum. Has videas Eccleſias frequentiùs viſitare, ſacris miſſæ ſacrificijs primas intereſſe, aras omnes ſuppliciter adire; proſtrare ſe ſuper pauimento pluries oſculato; aqua luſtrali ſeipſas aſpergere, & illam effundere copioſè per cœmeteria; recedere ab ædibus ſacris vltimas, atquè adeò inuitas: teſſeris precarijs eſſe ſemper inſtructas: precationes nè in via quidem intermittere; ſolemnia ieiunia rigidiſſimè celebrare; ſuis incantationibus intermiſcere votiuas preces, peregrinationes ſacras, eleemoſynas, inſtructiones ſanctas; atquè id generis alia præſtare, quę propenſum ad pietatem, & religionem animum indicare videntur. Quare ad ſimpliciores, & minus cautos tot ſanctitatis indicijs commendantur, qui ſecum benè agi putant, ſi largis eleemoſynis orationes Sanctarum tot meritis cumulatarum demereri valeant.

1. Ficta pietas.

§. II.

562 AT ſummoperè cauenda eſt talis pietas, quæ ficta, ſimulataque cum ſit, ſceleſtiſſimam vitam ſolet obtegere; cum nihil magi, & ſagæ adeò exoſum habeant, quàm honores, cultoſquè diuinos, quos ementita animi humilitate, & corporis proſtratione; laruatiſquè religionis actibus exteriùs profitentur. Et verè quæ maior impietas reperiri poteſt, quàm à Deo recedere, & accedere ad dęmonem per idololatriam, hæreſim, blaſphemias, & athæyſmum, vt iſti faciunt?

2. Vera impietas quæ iunctas habet.

Hæc ſunt enim magorum, & ſagarum primordia: cum maleficis, & magicis artibus initiantur, Deo abnegato, dæmonem pro Deo agnoſcere, cui ſe totos pactis expreſſis, ſponſionibus formatis mancipant. Vouent ſolemniter illibatam fidelitatem, & promptam eius mandatis obedientiam. Iurant ſuper magno quodam libro; vel vt alij volunt, ſuper circulo in terram ſculpto; eò quòd circulus ſit diuinatis ſymbolum, & terra ſcabellum pedum Domini, quaſi credant, eum, cui ſe iuramento aſtringunt, eſſe dominum cæli, & terræ. Iurant, inquam, ſe numquam ad Deum redituros: aut pręcepta eius ſeruaturos. Denique homagium præſtant, & in eius teſſeram ſua omnia ei conſecrant; atquè in ſacrificium quaſi Deo ſummo offerunt bona ſpiritualia, fidem, baptiſma, & ius hæreditatis æternæ, cui renunciant: Corporalia, ſanguinem, ſemen, carnis particulam, capillos, vel etiam proprios filios: Fortunæ, fruſtum veſtis; verueces, capras, oues, gallinas, & ſimilia, vt dictum eſt ſupra; quæ ſingulis annis, menſibus, vel hebdomadis iterare promittunt, prout ſe arctiùs aſtringunt diabolicæ ſeruituti. Quis autem eos idololatriam committere neget? Nonne & populus Hebræorum idololatriam commiſit, quando coram vitulo luſit, choreas duxit, edit, & bibit? vt habetur *Exodi* 32. Quid aliud malefici in nocturnis ſuis conuentibus coram dęmone faciunt? ipſum certis diabolicis ritibus adorant, honorant, ludunt, choreas ducunt, edunt, & bibunt. Quamuis enim non ſit vera, & propria idololatria, cum malefici eum adorantes veram non habent opinionem ſupremæ excellentiæ, & diuinitatis in dęmone, quæ ad veram idololatriam eſt neceſſaria, quia tamen habent affectum reuerentiæ, vt ſubtiliter obſeruat Suarez *de Religione lib.* 2. *de ſuperſtitione cap.* 4. Vel per adulationem, vel diabolicum timorem, dæmoni diuinum volunt exhibere honorem, eique ſe ſubmittere tanquam Numini, licet agnoſcant, non eſſe verum Numen: ideò ad idololatriam reducitur, quæ ex genere ſuo grauiſſimum eſt peccatum; cum honorem diuinum, & diuinitatem ipſam quantum in ſe eſt, transferat ad creaturam: vt latius explicabitur *tom.* 2. *diſp.* 1. *num.* 27.

Idololatriam.

§. III.

QVo magis autem in diabolica ſeruitute perſeuerant, eò grauioribus errorum tenebris inuoluuntur. Plures enim viſis in maleficiorum executione tot effectibus miris poteſtatis ſathanicæ, nugas putant, aſſerere tam potentem ſpiritum à Dei permiſſione pendere in ſuis operationibus, ſic vt nihil aut attentare: aut perficere poſſit ſine illa: ſicut ex conuerſatione familiari hoc ſibi in animum inducunt, falſum eſſe dęmones cruciatibus vexari continuis, quaſi verò qui tam acribus torquentur pœnis, non poſſint ridere, ſaltare, cantare epulari, coire, vt iſti faciunt: & conſequenter ſomnia putant, eos, qui iſtis adhærent, fore damnandos; ſimileſquè hæreticas opiniones ſibi perſuadent, quibus cumulata in Deum malitia indies augetur, creſcit. Quarè ſi Inquiſitores, vel cęteri Iudices, ad quos ſpectat eos examinare in foro exteriori. Et Confeſſarij in foro ſacramenti pœnitentiæ, diligenter eorum perſcrutabuntur actiones, & operationes, & ſubtiliùs perquirent: an voluntate tantùm conſenſerint: vel etiam intellectu huiuſmodi erroribus aſſenſum præſtiterint, & adhæſerint, inuenient vtiquè omnes 563

Hæreſim.

maleficos, & magos vel eſſe hæreticos: vel ſaltem eorum facta ſapere manifeſtam hæreſim, vt lex ipſamet ſtatuit *c. Accuſat. extr. de Hæreticis l. 6. §. ſanè*: & latiùs tradidi ſupra *huius diſp. n. 491. in fine.*

§. IV.

564 *Blaſphemias.* EX quo nihil mirum, ſi in horrendas prorumpunt blaſphemias modò auferendo à Deo potentiam: modò bonitatem, ſapientiam, prouidentiam, cæteraſq. eius perfectiones: modò ei tribuendo ea, quæ diuinam eius Maieſtatem dedecent, gloriamquè conſpurcant. Sic ille Magus, de quo ſupra *num. 507. & 546.* ſingulis ferè noctibus à parentibus, alijſquè audiebatur, horrendas in Deum euomere blaſphemias, ridere, ac cachinnare, acſi Deum paruipenderet, ac ſubſannaret: vt Frater ipſius non puer, ſed iuuenis maturæ ætatis, non leuis, & vanus, ſed morum grauitate ornatus mihi enarrauit; quod ipſemet magus poſtea mihi de hoc ab eo ſciſcitanti affirmauit, dicens, ſe huiuſmodi blaſphemias vomere, ira, & rabie percitus: quia cum ab illa vehementi paſſione amoris, qua cor ſuum in quendam adoleſcentem nimis accendebatur, ſe expedire nequiret, per blaſphemias, & conuicia in Deum iacta: illam ferre leuiùs quaſi ſibi videbatur. Hinc iure meritò lege diuina blaſphemus lapidibus obruitur, & morte plectitur *Leuit. 24. Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus. Et ad filios Iſrael loqueris: Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi.* Quanta autem ſit blaſphemia maleficorum in Deum, Beatiſſimamquè Virginem Mariam nemo eſt qui ignoret, niſi tam felix ſit, quod de hoc infeliciſſimo hominum genere nihil vnquam audierit: vt teſtatur Binsfeldius *Comment. in Tit. C. de malefic. & mathemat. L. nemo. q. 1. concl. 2.*

§. V.

565 *Athæyſmum.* INſuper in athæyſmum omnium errorum colluuiem, & malorum ſentinam prolabuntur, credentes, nullum eſſe Deum; nullam, præter hanc, quã hoc mundo ſentiunt homines felicitatem; nullum eſſe infernum; nullos dęmones, qui vt miniſtri diuinæ iuſtitiæ ſcelera improborum poſt hanc vitam puniant; Animam rationalem eſſe corpoream, & animalem, & mortalem. Demum quicquid de Religione dicitur, & ſtatuitur, eſſe figmentum ad terrendum homines ignauos, vt à ſceleribus cohibeantur; reuera tamen nil aliud eſſe ſolidum, niſi illud Epicuri, *ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas.* Quid autem erroribus his grauius, quid irrationabilius, & pernicioſius inueniri poteſt? Et tamen hoc etiam noſtro æuo multi magi, & malefici, eò tãdem ſe præcipitant, vt hiſce veſanijs, & abominandis nugis adhæreant, & firmiter conſentiant; de quorum numero erant nonnulli ex illis Magis, cum quibus domeſticè conuerſabatur ille nouellus magus ſupra relatus numero præcedenti: vt ſæpiùs ipſemet mihi enarrauit. Quare maiori impietate in Deum ferri non poſſunt; quam tamen humilis, & religioſæ pietatis ſpecie tegere modis omnibus contendunt: vt ſic debitas pęnas cautiùs effugiant, ſecuriùs ſua perficiant maleficia, & inſidioſiùs alios in ſua tendicula, laqueoſquè allicientes inducant.

ARTICVLVS II.

In Chriſtum.

§. I.

SVb ſimili pietatis larua impiè Chriſtum Dominum inhonorant, cui tamen externos honores deferre videntur. Nam ſignum crucis frequenter formant, dum ſuas precationes emittunt: vel tradunt amuleta, & filtra, vel infirmis remedia adhibent, vel quid ſiniſtri aut vident, aut audiunt. In ijs enim, & ſimilibus euentibus videas eos crebriùs ſalutari ſigno frontem terere, & alios conſignare: In compitis viarum, vbi cruces erectæ ſunt, profundis reueretijs, & genuflexionibus addere preces aliquas breuiores, aut longiores; & cum ſolemni pompa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in publicis proceſſionibus defertur, numquam omittere illud proſequi extraordinarijs humiliationibus, quas in locis lutoſis, aut ſaxo plenis præſtant, tardiùs alios inſequentes; quaſi ſe indignos reputent ad tantum accedere Dominum, & cum cæteris purioribus, & ſanctioribus ſe immiſcere; ſed de facto, vt ab alijs videantur. Ijs viſis ſimulatæ religionis actibus, quis non credat, tales ſincero cultus honore, & amore feruenti colere Chriſtum Dominum, & cæteras chriſtianæ diſciplinæ partes adimplere? 566 *Sub ſimili pietatis larua Chriſtũ ficte honorant.*

Et tamen nullum tam infeſtè oderunt, quàm Chriſtum. Nam quomodo eum poſſent colere, aut amare, qui ipſorum principem, & magiſtrum dæmonem, cuius partes mordicus tuentur, è cælo deiecit, & ex animabus, & corporibus quotidiè expellit? Qui decertantem toties vicit, victum proſtrauit, conculcauit proſtratum, & conculcatum in triumphum adduxit? Qui eius potentiam fregit, euertit regnum, tyrannidem abſtulit, fallacias reuelauit, & imbellem omnibus propoſuit ad illudendum ei? Denique qui deſtruxit mortem, deleuit peccatum, abſtulit mala, ſoluit pænas, calamitates abegit ab ipſo in mundum introductas? vt Paulus teſtatur *ad Galat. 3. ad Philippen. 2. & ad Colloſſ. 2.* & Ioannes *epiſt. 1. ſua canon. c. 3.* Et quod ſemel fecit, quotidie facere non ceſſat per ſacramẽta, & ſacramentalia ſummo hominum bono, ſummo dæmonum malo, & damno, qui propter tot iacturas à Chriſto perpeſſas rabie perciti nihil intentatum reliquunt, vt aliqua eum iniuria afficere poſſint. *Variè inhonorant.*

§. II.

QVod malefici ſectatores libenter imitantur, cum in dæmonis clientelam ſe tradunt; Chriſto Domino noſtro ſolemniter renunciant, eius obedientiæ ſe ſubtrahunt, verbum eius irridentes iurant, ſe numquam eius pręcepta obſeruaturos: aut ad eum redituros: fidem abnegant: chriſtianeſimum deſerunt: hæreditatis æternæ ius à ſe abijciunt: ſacrum miſſæ ſacrificium contraria imitatione in ſuis cœtibus ludendo repræſentant: cæteras fingunt eccleſiaſticas cæremonias: ſacramentorum gratiam deſpiciunt: crucem Domini conculcant, & erectam euertunt: imagines Chriſti ſputis, & luto conſpurcant, varijs iniurijs affectas dilacerant, & in fruſta concidunt: oleo ſancto, Baptiſmatis, & extremæ vnctionis, aut confirmationis balſamo ſuas ſtatuas inũgũt, labijs vnctis eos oſculãtur, 567 *Varijs modis.*

quos

quos in ſui amorem pellicere volunt: ſanctiſſimam Euchariſtiam in Eccleſijs cum alijs communicantibus receptam in partes diuidunt, minuunt in puluerem, venenis admiſcent, & ſuis amaſijs tradunt; aut characteribus magicis humano ſanguine inſcriptam, & exaratam domi ad maleficia reſeruant; aut animalibus ſacro priùs oleo delibutis deuorandam tradunt, & in os ingerunt: aut in ſuum cętum delatam irriſoriè circunferunt, pugionibus perforant, & in ignes inijciunt. Aquam luſtralem ſpargunt, & in eam mingere, & fæces exonerare non verentur. Sal benedictum, cereos, reſquè omnes Eccleſiaſtico ritu conſecratas, & cultui dicatas diuino diſperdunt, & diſſipant. Tandem omnes in ſeipſis chriſtianiſmi notas certis cæremonijs extirpare, eradere, & penitùs abolere conantur. Nam poſt diabolicas abnegationes, & renunciationes, vt ſe totos dæmonibus coniungant, abominandum ſuſcipiunt noui baptiſmatis lauacrum, quo ab illis tinguntur, negato priore nomine nouum in nouæ illius mortiferę regenerationis teſſeram aſſumunt: Alios ſathanici baptiſmi ſuſceptores, ſeù patrinos, & matrinas cæteris abnegatis, eligunt: Dæmonis characterem modò huic, modò illi corporis membro impreſſum gerere geſtiunt; & ſe de numero chriſtianorum deleri, atquè in mancipiorum dæmonis album referri poſtulant, vt ſe non homines, non chriſtianos; ſed diabolos humanatos tot diabolicis actibus multipliciter profiteantur. Quos poſtea per totiùs vitæ curriculum iterare non ceſſant, creſcente eorum malitia, & nouos iniuriarum, & blaſphemiarum modos ſuppeditante, quibus Chriſtum, & omnes, qui chriſtiana profeſſione cenſentur, inſequi perſeuerant, vt latè tradunt Innocent. VIII. *in Bulla: Summi deſiderantes*. Petrus Binfeld. *de Confeſs. malef.* ſæpiùs. Auctores Mallei: Paulus Grill. *tract. de ſortil.* Delrius, & alij plures ſparſim.

ARTICVLVS III.

In Sanctos.

§. I.

568 NOn diſſimili impietate Sãctos in cælo regnantes, & præcipuè Sanctiſſimam Deiparam, vt potè Reginam in eis triumphantem inſectantur. Nam dum ſimulatè eos colere videntur, verè contumelijs afficere ſtudent: vt patet in tot blaſphemijs, quas ſacrilego ore euomere non ceſſant: Iniurijs, quibus eorum memoriam dehoneſtant: Contumelijs, quas imaginibus eos repræſentantibus, & ſacris iconibus inferunt: Ludibrijs, cum quibus venerandas eorum reliquias ſpargunt, in loca obſcena proijciunt: aut dum ſuas incantationes conficiunt, rebus aliis vilibus, & obſcenis immiſcent: Cæteriſq. verbis, & factis diabolicis ſe coniuratos eorum gloriæ inimicos oſtendunt. Sed acerbiore, & implacabiliore odio Sanctiſſimæ Virginis, cuius nec nomen audire, nec virginitatis illibatæ, & immaculatæ titulos pati poſſunt. Vndè ſi de ea quoquomodo ſermo incidat, & de eius rebus, aut gloria ſit neceſſario loquendum, non alio modo eam deſignant, quàm dedignando, & per ſummam contumeliam rufam, aut extenſam vocando.

Simili impietate inſurgunt in Sanctos: Quos Inhonorãt effectiuè.

§. II.

ET tamen huic apertè impietati audent ſuperinducere pietatis velamen; cum vocati ab ijs, 569
qui diutina infirmitate detinentur, quæ ab illis immiſſa eſt: vel à caſu ſuperinducta; rogatiquè, vt ſi quid ſciunt ad ſalutem proficere poſſe, edant, & communicent; ſtatim in Sanctorum aliquem cauſam reiiciunt: vt pluribus deſcribit Remigius *lib. 3. dæmonol. cap.* 1. Vnicuiquè etenim aſſignant morbum ſingularem: Alii ignem ſacrum: Alii dolores capitis: Alteri cholicam: Alteri ſtrumas; & ſic de cæteris. Et eos, qui huiuſmodi detinentur infirmitatibus ob Sanctum contemptum, non ritè cultum, aut aliqua ratione læſum, neceſſariò ad illum recurrere debere, docent; pluresquè his doloribus conflictatos conualuiſſe narrant, ſtatimac tali Sancto vota nuncuparunt, ac perſoluerunt. Et verè tàm pium, & tàm miſericordem eſſe, vt illum numquam aliquis fruſtra à ſe vocatum ſentiat; ideòquè ad eius ædem neceſſariam eſſe profectionem cum ſilentio perficiendam; mittendumquè aliquem, qui ſe ea gratia ad eius ſiſtat altare; tabulam appendat; ſtatuam veneretur; cereos duodecim, aut aliquo certo determinato numero circum accendi curet; totquè miſſarum à Sacerdotibus loci offerendarum pretium ſoluat; in vigilia talis feſtiuitatis nocturnas agat excubias; rranſuerſas ægri dimenſiones, lougitudinem, puta, latitudinem, & craſſitiem ex filo cera linito per feneſtram deiiciendas ferat; conceptis tot precibus, nempè recitatione dominicæ orationis toties reiteratæ morbum expiet; cæmeterium tot vicibus luſtret; & vnicuiquè cruci candelam apponat; aut aliquod monetæ genus perſoluat; ex ſcintillantibus cereis figuram crucis ad aræ maioris gradus ducat; tot egentibus talem denariorum ſummam eroget; aliaſquè id generis cæremonias ab ipſis iniunctas obſeruet. Ad quæ omnia perficienda etſi plures inueniantur, qui eam peregrinationem ex conducto ſuſciperent; quia tamen ea omnia debitè exequi non norunt, ipſi ſuas grandi mercedę locant operas; & eodem tempore, quo hæc Sancto irato à maleficis perſoluuntur, incipit ægrotus meliùs ſe habere, donec omnibus peractis integra reſtituitur valetudo, non Sancto adiuuante; ſed malefico tollente ſua maleficia, qui poſteà largam accipit de tanto miraculo remunerationem, vt infra *tom. 2. diſputat. 1. num. 26.*

Honorãt apparenter cęremonijs Superſtitioſis.

§. III.

NEquè ſolùm ſuperſtitioſis vtuntur cæremoniis; 570
ſed multoties ridiculas adhibent; ritibus tamen religionis palliatas. Cum enim in Cælitum aliquem morbum reiiciunt, pro expiatione ſordes, illuuies, & excrementa in eorum templa volunt circunferri. Cuius abominationis intolerabilis lepidum refert exemplum Remigius *lib. 3. cap. 4. dæmonol.* de quodam Deſiderio Financio ruſtico, qui vt ſe vlciſceretur de alio, cum quo gerebat inimicitias, vmbræ inſtar eum de equo tãta vi deturbauit, vt altero crure prorſus debilitaretur. Poſteà miſertus, hominė tot doloribus ſatis multatum; remediũq. ſciſcitanti pollicitus & certũ, & præſens, præcepit infirmo, vt ſi vellet cõualeſcere, è nouem ſtabulis diuerſis fimum equinum precariò conquireret, quantum ſatis eſſet complendo ſacco, quo tum crus, cum

Ridiculis.

labefactaretur, erat indutum; eumquè pro donario appenderet Diuo Benedicto, cuius celebris erat Eccleſia in quodam germano oppido Berchel. Quæ omnia ſuadent malefici, non quòd illa ad ſanationem quidquam profutura credant; ſed vt eo commento & ſuam artem tegant, & iniurioſè ſe gerant contra Sanctos, in eorum eccleſias talia comportando, & inferendo.

Et quare? Sic hominibus imponunt iſti; ſed præcipuè Sagæ cum maxima Sanctorum iniuria, qui etſi potentiſſima ſua interceſſione apud Deum mala auertere, & bona impetrare poſſe, certiſſimum ſit, non tamen vllo pacto communicant operibus tenebrarum; & curationibus magicis. Nequè honoris gratia, aut meditationis titulo vocantur ab iſtis; ſed vt interceſſionis eorum prætextu ſua maleficia faciliùs, & occultiùs aut mittere, aut tollere valeant; atquè ità ex maleficis artibus lucrum facere ampliùs, & copioſius. Quid verò iniurioſius actitari poteſt, quàm ſub nomine Sancti cum ſumma impietate diabolicas exercere abominationes?

SECTIO II.

Iniquitate.

571 *Secundus diaboli impetus fertur. In Seipſum, & In Dæmones.* SEcundus dæmonis impetus eſt ille, quo ſemetipſum, alioſquè dæmones eiuſdem culpæ, & pœnæ nexibus implicitos deiecit è cælo in terram, à gratia in peccatum, à Sedibus Paradiſi in imas Erebi latebras. Nequè enim ſibi ſoli ob ſuperbientis animi motus iniquus fuit; ſed etiam alijs, quos eiuſdem criminis conſcios, & conſimilis pœnæ fecit eſſe participes. Cum æquitati eſſet conſentaneum, vt quos æqualis culpa inquinauerat, par etiam pœna aſtringeret: vt habetur *L. Iubemus* §. *Oeconomus. C. de Sacroſanctis Eccleſ. & c. 1. de offic. delegat. cum ſuis concord.* Et qui nequaquam diſpari erant iniquitate polluti, nequaquam tormento cruciarentur diſpari, quatenus ſimul damnatio contereret, quos ſimilis elatio ſubleuauerat, & eò atrociùs punientur in tormento, quò altiùs in peccato ambitioſis, tumidiſquè eleuabantur inſultibus: *Cum pœna debeat commenſurari ad delictum, & vbi maius delictum, ibi maior pœna requiratur c. non afferamus 24. q. 1. & L. Sancimus. C. de pœnis.* In quo ſuos clientes magos, & maleficos habent imitatores, qui in Deum impij, in Seipſos, & Suos iniqui ſunt, dum ſemetipſos, & ſibi coniunctos culpis, & pœnis inuoluunt: vt ſequentes articuli declarabunt.

Vtrumq. imitantur malefici.

ARTICVLVS I.

In Seipſos.

§. I.

572 *Iniqui in ſeipſos malefici, qui ſeipſos inquinant.* CErtiſſima eſt vnius ex primoribus Angelis vtrúque Tobiam alloquentis aurea ſententia Tobiæ 12. *Eos, qui faciunt peccatum, & iniquitatem, hoſtes eſſe animæ ſuæ.* Nam quæ maior hoſtilitas ea, quam homo in ſeipſum exercet, cum per peccatum ex innocente fit reus, ex diuite pauper, ex glorioſo contemptibilis, ex pulchro deformis, ex amico inimicus, ex iuſto iniuſtus, & ex filio Dei glorioſæ æternitatis candidato, immarceſcibilis hæreditatis participe, & angelicæ Beatitudinis conſorte, ſeruus dæmonis, interminabili damnationi obnoxius, horrendis deputatus tormentis, inextinguibilibus flammis deſtinatus, in quibus fit miſero mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors ſemper viuit, & finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit? An æquus in ſeipſum, & non potiùs iniquus, qui ſeipſum ſic, & culpis, & pœnis inuoluit? Quàm ergo iniqui malefici, & ſuiipſius inimici, qui in maleficorum executione dæmoni miniſtrando innumeris ſe inquinant ſceleribus, quorum præcipua à dilecto Chriſti Diſcipulo in apocalypticis locuſtis myſticè deſignantur?

§. II.

QVid corona aurea pellucens in capite deſignat, quàm intollerabilem eorum ſuperbiam, cuius vanis afflatibus ita tumeſcunt, vt more dæmonum nulli ſubeſſe, & omnibus præeſſe quærant? 573 *1. Superbia.* Non enim volunt ſe ſummo Dei imperio ſubijcere; non ſe ſubmittere humanæ Principum dominationi: non aliorum ductus, & conſilia ſequi. Si quid ijs ſubmiſſionibus præſtant, hoc inuiti faciunt. Sed faſtu diabolico dæmonibus, hominibus, & creaturis imperare cauent, nihilquè eſt, quod ità frequenter iactent, quàm ſuam amplam, & latam dominationem in potentiſſimos ſpiritus, qui eis ad nutum obſequuntur. Sic ille magus vt ſupra dixi num. 546. pluries mihi dixit ſe ratione ſuæ ſcientiæ magicę per liberum arbitrium ſuper dæmones plenam habere dominationem, poſſequè illos annulo, vel alteri inſtrumento, aut loco alligare, eos decipere pro voto ſuo: E conuerſò ab eis ſe decipi, aut cogi nullo modo poſſe. Putant ſimiliter in omnis conditionis homines poteſtatem habere, quibus morbos inferre, & auferre poſſunt In creaturas quaslibet, quæ eis in omnibus parent. Sed aurata eſt corona, ſeu auro ſimilis, *non aurea* ait Ioannes, ideſt, non vera, & ſolida: ſed phantaſtica, & imaginaria dominatio: cum verè dæmoni tanquam vilia mancipia ſeruiant: vt ſæpiùs exprobraui illi mago: nec in homines, aut creaturas tantillum moliri audeunt, etiam auxilio freti dæmonis, quàm à Deo permittente concedatur. Quare prędictis, cæteriſquè ſuperbis, vt ſuæ ſuperbię vanitatem, ac leuitatem agnoſcant, ſtatus ſui miſeriam ob oculos ponit Simon Nanquerius ſequentibus verſibus ſcitu, & memoria dignis:

Quid iuuat ô homines tanto turgeſcere faſtu?
Non certè heroes, ſemideique ſumus.
Noſtra ne de limo terræ proceſſit origo?
Solus ab ætherea ſpiritus arce venit.
Nonnè caro ex terra eſt, diuerſis ſubdita fatis:
Oſſa quoquè ex illo cuncta creata loco?
Et fortes nerui rugoſa pelle voluti?
Deniquè terreſtri viſcere totus homo eſt.
Concipitur fœda primorum ſorde parentum,
Naſcitur & nudus, plorat & ortus humi.
O miſer interitus ſecreta mente reuoluas.
Carne quid humana vilius eſſe poteſt?
Cum veniant omni dulces ex arbore fructus,
Plurima cum valcant bruta liquore bono.
Cerne, quid emittant nares, cunctiquè meatus,
Cordibus aſſidua ſorde fluente tua.
Inſpice quàm fragilis, quã pauper, quàmq. miſellus
Viuas, tuta dies non tibi nulla datur.
Aſpice vel prorſus, quid ſit niſi putre cadauer,
Quod tandem minimis vermibus eſca datur.

Quid

§. III.

574 QVid autem capilli muliebres in capite corona- 2. Luxuria.
to, quàm luxuriam præfigurant, quæ inſeparabiliter ſuperbiæ iuncta eſt, atquè in Magis, & maleficis inſigniter eminet? Nouit namquè dæmon, vehementiſſimum eſſe carnis ardorem; & animum, quem ſemel occupauit, non niſi ægrè eius æſtibus liberari. Quod confirmat Auguſtinus *lib. Confeſſionum* dicens: *Ex voluntate peruerſa facta eſt libido; & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo. Dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*. Ideò vt homines carne, & ſanguine compaginatos ad ſe efficaciùs pertrahat; pertractos diutiùs detineat; & detentos certiùs ad tartara perducat, ſolet delinire, & vincire corporeis voluptatibus, quibus anima cæleſtibus deiecta, & demerſa terrenis, quaſi clauis quibuſdam ſuffigitur diabolicæ ſeruituti. Quarè ſtatim ac aliquis maleficorum cœtibus aggregatur, illicò ſe voluptatibus nefandis inquinat; atquè in eis deinceps cum dæmonibus ſuccubis, & incubis; extra verò cętus cum alijs maleficis viris, ac mulieribus volutatur. Hac de re malefici, & ſagæ ſemper fętent; & fætor eorum non abſimilis eſt à putore canino.

§. IV.

575 QVid verò humana facie in corpore monſtruoſo 3. Hypocriſi.
exprimit, quàm inſignem hypocriſim, qua cautiùs illorum occultatur improbitas, & malitia longè lateque graſſatur? Nulla enim re frequentiùs ſuam ſcenam inſtruunt, quàm ſimulata ſpecie ſanctitatis, quæ minus coniectura, & ſuſpicionibus coarguitur. Ecquis eos erroris inſimulet, qui tam bellè, atque appoſitè Sancti perſonam adũbrant; & apprimè exteros ſanctitatis actus imitantur? Sed quis non facilè capiatur tot ementitis teſſeris vitæ innoxiæ, quæ in eorum verbis, & operibus quotidianæ conſuetudinis apparent? Vndè Auguſt. *ſuper pſal. 63.* iuremeritò duplicem vocat iniquitatem dicens: *Simulata æquitas non eſt æquitas, ſed iniquitas duplex: quia iniquitas eſt, & ſimulatio*. Quare dęmon ſuos ſatagit in hypocriſi, quàm maximè poteſt, eruditos habere, præcipue ſagas, vt per eas aucupum more in ſuas pedicas, & tendiculas plures inducere queat.

§. V.

576 SEd quid in facie humana dentes leonum ex ore 4. Maledicentia.
prominentes deſignant, quàm execrandam eorum in blaſphemando, maledicendo, & imprecando rabiem, cum ſuas iniurias vlciſci volunt: aut maleficiorum ſibi à ſuperioribus præſcriptorum numerum adimplere? Hiac enim minima occaſione oblata, dęmonibus, & diris deuouent eos, quibus nocere deſiderant: nec modò ſola deuotione, ſed imprecatione hominum capiti, agris, fortunis perniciem inuehunt: quia adeſt Magiſtellus ad talia officia paratiſſimus, qui ea occultè, & diligenter exequitur, quæ ipſi euenire deſiderant: vt apertè teſtantur Summi Pontifices in ſuis conſtitutionibus contra hos magos, & maleficos editis: Innocentius VIII. *Conſtit. Summis deſiderantes*. Leo X. *Conſtitut. Honeſtis petentium votis*, & Adrianus VI. *Conſtit. Dudum, vti nobis*, quos ſequuntur Theologi S. Auguſt. *lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 19.* S. Iſidorus *lib. 8. Ethymolog. cap. 9.* S. Thom. *in 2. d. 7. & 8.* Alphonſus Caſtr. *lib. 2. de iuſta heret. punitione cap. 15.* Ioannes Nider *in Formicario*, Nicolaus Iaquerius *in flagello hæreticorum*, Syluest. verbo *Maleficium*, & Doctores Mallei malef. *2. par. quæſt. cap. 15.* Conſentiunt iuriſperiti omnes *in L. eorum C. de malef. & mathem.*

§. VI.

VEi fortè huiuſmodi leonum dentes guloſas indicant iſtorum comeſſationes, in quibus edunt non vſitatos humanis conuiuijs cibos; ſed pecudum morticinia ſemi cruda, ſanie, ſanguine tabe defluentia, putridaquè diſcerpunt, deuorant, & deglutiunt, quæ præ moleſtia neceſſe eſt confeſtim expuere, vt non homines, ſed carniuoræ feræ videantur: vt referunt Delrius *lib. 2. Diſquiſ. magic. quæſt. 16.* Guaccius *in Compendio malef.* & Auctores Mallei. 5. Gula.

Vel inſatiabilem demonſtrant bonorum cupiditatem, qua plures ſic ardent, vt non alio impulſu Deũ bonorum omnium auctorem deſerant, & ad dęmonis caſtra conuolent, quàm ampla opum pollicitatione, per quam Mammon Deus ille diuitiarum pertæſos diutinæ egeſtatis attraxit. *Nam qui volunt diuites fieri*, ait Paulus 1. Timoth. cap. 6. *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, cui venalem exponunt animam. Vndè ab illo irretiti ſic aperto ore diuitijs inhiant, vt exſaturari non poſſint, parati ſemper, omnes opes, poſſeſſiones, agros, vineas, domos, gazas, vniuerſamquè ſuppellectilem deuorare, aliorum totam ſubſtantiam quantumuis amplam, & pinguem deglutire; & totius orbis theſauros tanquam offam, & cibum eis congruentem in ventris penetralia recondere: quia nouo ſemper appetitu viſcera irrequieta torquentur, quæ vento implentur inani, ſcilicet, ſpe, & vacua expectatione opum conſequendarum; nec tamen exſatiantur, quia opes illæ toties promiſſæ numquam ſperantibus exhibentur. Quarè de his auaris Ouidius *Amorum lib. 2. Elegia* 10. canit, eorum ſtultitiam deridendo. 6. Auaritia.

Quærat auarus opes, & quę laſſarit eundo
Aequora periuro naufragus ore bibat.

§. VII.

SIc loricis ferreis teguntur indicantibus iuuincibilem eorum obſtinationem, quæ nec Deum timet ſcelera prohibentem, intentantem ſceleratis minas, pęnaſquè grauiores de maleficis ſumentem in eorum oculis, vt ipſi aliorum malo perterriti conuertantur. Nec homines reueretur ſanctiſſimis legibus vetantes ſortilegia; & ſeueriore ignis ſupplicio ſottilegos coercentes. Nec ſcinditur compunctione tot criminum, quibus in voraginem omnium impietatum demergitur. Nec flectitur precibus illorum, qui de eorum ſalute ſoliciti ab æternæ perditionis tramite ad iuſtitię ſemitas eos reuocare conantur. Nec mouetur lachrymis innocentium, & innoxiorum hominum, qui opera malefica diuturnis languoribus detinentur. Nec cedit minis, aut verberibus, quibus adigitur ſuas faſcinationes repercutere, & tollere, quas intulit incantationes. Nec delinitur promiſſis rogantium, vt ſi quid operis alicui malo ſine peccato conferre poteſt, id non grauatè faciat; nec gratis locaturam beneficia; ſed in impietate immobilis, in nequitia obſtinata, in iniquitate obfirmatiſſima ſtat, & perſeuerat, quaſi malefici non humanum, ſed ferinum, & ferreum cor in pectore circumgeſtent; idcirco 577 7. Obſtinatione.

ait

ait S. Iſidorus lib. Ethymol. *Obſtinatus dicitur: quia pertinax eſt, impudenter tenax, & quaſi omninò tenax*.

§. VIII.

578 *8. Malitia.* ALis feruntur ſtrepentibus, & edentibus ſonum, quale emittunt currus properantes in præliũ, quæ ſunt ſymbola ardentis affectus, quo dæmonibus obſequuntur. Siuè per aera properandum ſit ad nocturnos cætus; ſiue ad alia loca deuenienđum, in quibus maleficio inducenda ſunt mala; ſiuè quid aliud præſtandum ex ijs ſceleribus, ad quę ex condicto tenentur, incredibili diligentias in omnibus parent tum à dęmone agitati, tum propria ducti malitia: cum nihil in vita reſpirent, quàm cædes, exitia, calamitates, quaſi in vltimum totius orbis exitium coniurarint. Quare huiuſmodi malitia rectè definitur à Cicerone *lib. 3. de Natura deorum, verſuta, & fallax tatio nocendi*. Et verè; Nam Diuus Bernardus *ſuper Cantic. ſerm. 39.* ait: *Habet malitia currum ſuum rotis quatuor conſiſtentem, ſæuitia, impatientia, audacia, impudentia. Valdè enim velox eſt currus iſte ad effundendum ſanguinem, qui nec innocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec pudore inhibetur. Trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratiſſimis, terrena, ſeù diabolica potentia, & ſæculi pompa. Porrò pręſident his duobus equis auriga duo, tumor, & liuor. Tumor quidem pompam, liuor potentiam agit*. Hæc Bernardus.

§. IX.

579 *9. Crudelitate.* DEniquè caudam gerunt, ſcorpionum more aculeatam, quæ typum gerit exitus formidabilis operationum maleficarum. Nam ſicut ſcorpionis cauda ſemper in ictu eſt, vt loquitur Plinius, & continuò parata ad quaquauerſum eos venenato ſtylo confodiendos, quos aſſequi poteſt; ita omnis actio maleficorum ſemper ad certum tendit exitium eorum, qui vel auxilium petituri ad eos accedunt: vel eorum conſilio, & operationibus delectantur. Delinitos etenim varijs prætextibus, puta, curioſitate naturæ ſecreta penetrandi; futura contingentia præſciendi; res admirandas coram conſpiciendi; aut deſiderio ſcientias comparandi naturales, acquirendi diuitias, recuperandi priſtinam ſanitatem, ſiuè ſeriò, ſiuè ioco, ſiuè conſultò, ſiuè per accidens fiat; tandem in leges ſuas incautos trahunt: ac velut ineſcatos ſic labe ſortilegij quauis occaſione, & euentu inficiunt, vt facillimè corpore, anima, & facultatibus eos perire, experientia demonſtrat.

§. X.

QVarè nullum genus hominũ maleficis iniquius reperitur, qui præter horrenda apoſtaſiæ, idololatriæ, hæreſis, athæyſmi, blaſphemiarum, ſacrilegiorum, homicidiorum, incendiorum, & infanticidiorum facinora, ſeipſos ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, maledicentiæ, gulæ, hypocriſis, omniumquè vitiorum ſordibus inquinant. Digni, qui tam iniquè, & inhumanè erga ſeipſos gerentes, grauioribus ſupplicijs iudicio diuino, eccleſiaſtico, & humano plectantur. Quos, vt omnium hominum pernicioſiſſimos, vitare Paulus Apoſtolus dilectum ſuum Diſcipulum Timotheum admonet *epiſt. ſua 2. ad eum* ſcribens *cap. 3. Hoc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem abnegantes. Et hos deuita:* Videas in hac ſententia apoſtolica prædicta magorum, ac maleficorum omnia vitia, quæ ex amore proprio, tanquam ex fonte, & radice cuncta procedunt: ideò primò dicit: *Erunt homines ſeipſos amantes:* Ex amore proprio originantur ſuperbia, ideò ſubdit, *elati, ſuperbi:* Auaritia, *cupidi:* Luxuria, *incontinentes* Hypocriſis *habentes quid ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes:* Ira, ſeù maledicentia, *ſine pace, criminatores:* Gula, *voluptatum* (, ideſt, ciborum, & aliorum delectabilium *amatores magis quàm Dei*. Obſtinatio, *proterui:* Malitia, *ſceleſti:* Crudelitas, *immites, ſine benignitate:* Blaſphemia, *blaſphemi:* Hæc autem de maleficis propriè intelligi, colligitur ex ſequentibus ipſius Pauli verbis: *Ex his enim, ait, ſunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis* (nempè ſagas) *quæ ducuntur varijs deſiderijs: ſemper diſcentes* (nempè artem magicam, & maleficam) *& numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes:* vt latè demonſtratum eſt ſupra *huius diſput. à num. 44. & ſequent.* Et ſequitur; *hi reſiſtunt veritati homines corrupti mente;* En hæreſis. *Reprobi circa fidem:* en apoſtaſia à fide. *Mali autem homines proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes:* ſcientiam magicam, & maleficam, quæ idololatriam, cæteraquè continet abominanda crimina, diſcentes, exercentes, & docentes. Ideoquè non mirum ſi etiam vocentur *ingrati, ſine affectione, & proditores:* quia non tantùm iniqui ſunt in ſeipſos, vt oſtenſum eſt; ſed etiam in ſuos: vt patebit in ſequenti articulo.

ARTICVLVS II.

In Suos.

QVamuis magna ſit vis humanitatis, magna neceſſitas ſanguinis, multumquè valeat parentum, & affinium communio, qui arctiſſimis naturæ vinculis colligantur, vt portentum, atquè monſtrum certiſſimum ſit, eſſe aliquem humana ſpecie, & figura, qui tantùm immanitate beſtias vincat, vt quos cognatione, aut affinitate coniunctos habet, eos violare audeat: Cum etiam feras inter ſe partus, atquè educatio, & natura ipſa concilient; tamen tale eſt maleficorum virus, vt ſeſe effundat in omnes; immò in eos ipſos, qui illis naturali glutino copulantur, cum eos ſuorum ſcelerum, & malitiæ volunt eſſe participes. 580 *Naturà violant malefici ſibi coniunctos faciendo participes ſuarum.*

§. I.

AN non eiuſdem conſcio optant, quos maleficorum numero adijciunt? Nam cum inexplebilis ſit ſathanæ auiditas, qui nihil tam habet in votis, quà longiùs extendere imperij ſui fines, & cumulatiorem hominum turbam ſuæ ſubijcere dominationi, non ceſſat vrgere maleficos,, & continuè obtundere, vt eos ad ſuorum cætus adigant, in quos poteſtatem habent. Quare ſolent miſeri miniſtri, *1. Culparum dũ illos maleficorum cetu aggregãt Imperio. Perſuaſionibus.*

niſtri, vt magiſtrorum ſuorum gratiam aucupentur quotquot ex liberis, & parentibus poſſunt, bonos, & malos impellere ad nomen dandum militiæ diabolicæ. Pater filium nondum puberem deducit ad, nocturnos cętus, addit animos pauenti ad inſolita ſpectacula, retinentem dæmonibus offert in pignus obſequij, & iuratæ fidelitatis; inuitum ad ſacrorum omnium abiurationem ſolicitat; miniſquè, & promiſſis vertendo veru, aſſandis carnibus, alijſquè inferioribus miniſterijs ſathanici conuentus renitentem adhibet. Aut ſi fortè vegetioris ſit ætatis, maiorisquè ſolertię ad nuptias cum dæmone ſuccuba contrahendas inuitat. Et miſer filius diabolicis iam deſtinatus obſequijs ſolemni ritu inter huius farinæ homines obſeruato inuſitatam vxorem accipit; & cum ea inſolita venere, varioquè concubitu horrendis ſpurcitijs deinceps ſe contaminare conſueuit. Mater filiam quaſi ad conſanguinei ſponſalia domo abductam, monitamquè nè ad vllum rei aſpectum formidet, ijſdem conuenticulis inſerit; oblatamquè Lucifero tradit in eius verba iureiurando adigendam, nouo militiæ ſigno in fronte notandam & ſtuprandam ab eo ex dæmonibus incubis, quem ipſis in ſponſum deſtinare placuerit, qui lepidi adoleſcentis formam aſſumens poſt celebratas nuptias nouam nuptam educit à turba, & in vicinum nemus deductam ſolo oppreſſam init, hortante matre, & ſæpiùs exemplum præbente, dum coram à ſuo incubo ipſa quoquè comprimitur. Parentes puſiones, nepotes, & alios, qui per imbecillitatem alieno imperio ſunt ſubiecti, multis illecebris delinitos; ſed inſcios rerum clam abducunt, & quaſi ad feſtiuos cætus inuitant, qui ab ephebis dæmoni conſecrati in eius obſequio, creſcente ætate, & malitia per totam vitam perſeuerant: vt pluribus exemplis probat Remigius *lib.2.c.2. Dæmonol.* Et hoc voluit ſignificare Apoſtolus illis verbis: *in errorem mittentes*, ideſt, filios, & filias, conſanguineos, & aſſines in eadem maleficorum crimina inducentes, & impellentes. Quarè maleficia, ſortilegia, incantationes, ſceleraquè magica, quaſi hęreditario iure à progenitoribus communicata exercentur à filijs, qui ſæpiùs patribus nequiores euadunt: vt experientia quotidiana probat in ijs, qui à Iudicibus condemnantur. Nam ferè ſemper editi deprehenduntur ab ijs parentibus, qui antea eiuſdem criminis pœnas luerant. *In quam enim familiam Sathanas ſemel pedem intulit, inde vmquam niſi ægrè retuliſſe auditus eſt*, teſtatur idem Remigius *loco citato*.

Vndè maleficia hæreditaria.

§. II.

581 QVòd ſi parentes aliquo pietatis affectu commoti, ſibi coniunctos eximere velint à talibus miſerijs, quas dæmoni obſequentes patiuntur, non ideò deſinunt eſſe in illos iniqui. Nam ſi eos maleficorum numero aggregare detrectant, ſæpiùs præcipiente magiſtellulo in eos ſæuire coguntur v.gr. Dum venenatam alicui potionē parant quam in eos eius infundere non poſſunt: aut pulueres ab eo acceptos irrito conatu in aliquem ſpargunt, dæmon, qui nihil deperire ſinit, ſimilem prædam ab eis extorquet, quam ipſi pendere tenentur, vel in ſeipſis: vel in filiis, vt promiſſi non impleti intolerabilem vexationem redimant. Quare multoties necandæ prolis neceſſitatem incurrunt, dum exactori infernali ſatisfacere cupientes, medicatas potiones innoxiis propinant, & è corpore prodigioſis infirmitatibus diſtorto, miſeram animam educunt. Quod pluribus exemplis probat Remigius *lib.1.c.13.Dæm.* Nec ſolùm tàm dura præcepta in compenſationem mali omiſſi ab infernalibus tyrannis imponuntur; ſed etiam in experimentum fidelis obſequii, cuius ſæpiùs malefici fidem dant; vt idem Auctor *lib.2.c.1.* exemplo luculento commonſtrat cuiuſdam Petronii armentarii, quem ſuccuba Abrahel, vt ſimile periculum ſumeret, ad filii vnici horrendam impulit cædem.

2. Pœnarum, dũ eis damnum inferunt. In compenſationem mali omiſſi.

In experimentũ fidelitatis.

De vtraquè participatione prædicta loquitur Dauid *pſal.105.* dicens: *Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs*: en culpas, quarum malefici volunt ſuos eſſe participes, *& effuderunt ſanguinem innocentem filiorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculpitilibus Chanaan*. En pœnas, quibus eos affici procurant, Et nè putarentur extranei, annotat Arnobius, priùs dixiſſe: *Effuderunt ſanguinem innocentem*: poſteà addidiſſe: *filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum*, quorum ſalus in humana conuerſatione dulciſſima eſt, vt illis non parcerent; pro quibus pii parentes etiā interfici non recuſant. Eodem modò patrem filius: matrem filia; maritum vxor de medio tollere præcipiuntur, vt nihil tàm frequens ſit inter maleficos, quàm mutuis parentum cædibus communia naturæ, & legum iura violare; feraſquè ipſas immanitate ſuperare, quibus ſceleribus quid malitia, & iniquitate grauius excogitari poteſt?

SECTIO III.

Iniuſtitia.

TErtius malignantis dæmonis impetus fertur in homines, quos modis omnibus inſequitur, vt antea dictum eſt. Quam iniuſtam perſecutionem malefici imitari volentes, ſe vltroneos offerunt ſeruos, & milites, qui ſub tali ductore contra illos implacabile bellum gerunt: vt Ioannes videtur innuere, cum apocalypticas locuſtas dicit fuiſſe ſimiles equis paratis in prælium. Quis bellatoris iniuſti typus equo expreſſior? Animal eſt hinc humile; hinc ſuperbum: otii impatiens, & laboris: illò tumidum, hoc deiectum: nunc impetuoſum, nunc ignauum: nunc audax, nunc trepidum: hinc culicum metuens, & vmbrarum, hinc dominum ſpernens, & in diſcrimen trahens: aliquando obſequioſum; audit enim ſtimulos, ſi currendum eſt: pedem figit, ſi ſiſtendum; ſequitur, ſi latendum: aliquando contumax, & inſolens tali pernicitate, vt calcaribus vrgendum, fræno domandum, laborę iniquo, turpi carcere, ac graui ſeruitio ſuperandum ſit, ſed ſemper ad bella paratum; Patitur enim ferro armari, fræno frænari, duris ſtringi faſciis, nodis, & fune vinciri, ferro calceari perfuſa clauis vngula, & ferratum ferre vectorem, ſub quo quamuis ſe proliberum gerat; tamen obſequitur in iis, quæ belli ſunt: excitatur ad ſonum tubæ; & morę impatiens terram pede terit; ſpumam fræna mordendo ſpargit: validos ſpiritus emittit naribus: hinc, & indè caput, & colla contorquet: belliquè ſignum expectans arrectis auribus adſtat: parumper progreditur: modò retrograditur: modò girat in orbem quaſi animos, & vires oſtentet, ſpecimenquè edat obſequii, quod ſeſſori ſolet impendere, dum illum ad libitum gerens, & ipſum ſuo modo pugnat, hoſteſquè quaſi notos morſibus, & calcibus petit. Verè in iis maleficorum mores exprimens, qui ſub dæmone ſeſſore tanquam equi indomiti contra homines bella mouere non ceſſant. Sicut enim Chriſtus in Apoſtolis, tanquam in equis myſti-

582 *Tertius impetus diaboli contra homines.*

Hunc malefici tanquã equi diaboli imitantur.

myſticè ſedens, totum peragrauit orbem, vt eius habitatores ad ſalutem adduceret teſte Abacuc in Cantico c. 3. *Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Ita dæmon maleficos tanquam equos agitans, & ipſe orbem circuit, vt eius accolas perdat, atquè in extremum ducat exitium. Hi namquè ſuperbia tumentes, frementes ira, furentes odio, malitia turgidi, fallaciæ artibus inſtructi, venenis, pulueribus, & potionibus noxijs armati; ſed magis de dæmoniaca ope confiſi ſpirant minas, & cædes, ſanguine delectantur, calamitatibus gaudent; nec aliud optant, quàm ſeſſoris imperium, vt homines ſumma cum iniuſtitia tùm Viuentes: tùm Mortuos adoriantur; ſicut ſequentes articuli declarabunt.

Perſequendo. Viuentes Mortuos.

ARTICVLVS I.

In Viuentes.

583 *Malefici in omnes iniuſtitiam exercent*

QVis viuentium poterit eſſe tutus ab impetu malignantium maleficorum, qui ſibi ipſis non parcentes, exteros intactos, & immunes eſſe non ſinunt; ſed ſuis ſortilegijs ſumma cum iniuſtitia exagitant? Si enim iuſtitia reddit vnicuique quod ſuum eſt: teſte Vlpiano *L. 10. ff. de iuſtitia, & iure*. Superiori reuerentiam, & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis eſt: Æquali conſilium, quo ignorantia eruditur, & auxilium, quo infirmitas iuuatur. Subiecto cuſtodiam, vt poſſit cauere peccatum, & diſciplinam, vt quod minus cauit, minimè maneat impunitum: Nonnè ſumma iniuſtitia eſt perſequi indiſcriminatim ſuperiores, æquales, & inferiores, vt faciunt iſti ad aliorum exitium nati? Nam poteſtate ſcorpionum quaquauerſum caudam mouentium; & ex omni parte ſpicula contorquentium accepta omnibus cuiuſuis ſint conditionis hominibus in bonis fortunæ, corporis, & animi nocent modò aperta vi, modò occultis inſidijs.

1. Homines.

§. I.

Prælatos

SI prælati ſunt, quorum eſt aduerſum lupi rugientis inſultus tueri dominici gregis oues Chriſti ſanguine dealbatas, ipſi ex Eccleſiæ ouili eas ſubtrahunt, & ſubtractas huic inſatiabili lupo tradunt deuorandas, dum ſuis artibus dementatos fideles, & in numerum ſagarum, & maleficorum coaptatos ſathanicæ adiiciunt ſeruituti. Nec tantum ſuas à Prælatis oues ſurripere tentant; immò in ipſos Prælatos, Epiſcopos, & Pontifices ſua concinnare maleficia non verentur: quod probant exempla relata à Sprengero *par. 1. Mallei malef. quæſt. 7. vbi* ait: Vetulam quandam tres ſucceſſiuè Abbates in quodam Monaſterio non ſolùm maleficiaſſe: ſed etiam interemiſſe; & ſimiliter quartum dementaſſe; quod ipſa publica voce fatebatur; nec verebatur dicere: *feci, & facio, nec deſiſtere poterunt à meo amore*. Idem refert de quodam Cardinali Germano Legato Apoſtolico, qui cum Roma Germaniam proficiſceretur, fuit in itinere maleficio affectus. At cum ingraueſcente morbo remedia naturalia nihil proficerent, acceſſit ad eum quædam vetula, quæ per maleficii deſtructionem ſe illi ſanitatem obtulit collaturam; quo facto, priſtinæ reſtitutus fuit valetudini. Neque hic ſiſtit maleficorum iniuſtitia; ſed in ipſoſmet Pontifices ſummos ſuos audet tēdere laqueos. Sic Creſpetus *lib. de odio ſathanæ diſcur. 10.* narrat, cum eſſet Auenioni, ſe vidiſſe cultrum parieti infixum, quo de ſententia Iudicis excoriatus fuerat quidam magus, eò quòd ſic pungendo ceream imaginem Pontificem Max. de medio ſuſtulerat. Sed nonnè hoc noſtro Æuo hi diaboli humanati Summum Pontif. Vrbanum VIII. fælic. recordat. per maleficia, licèt incaſſum, è medio tollere tentarunt? Sed Deo illum protegente, & ab eorum inſidiis præſeruante, ipſi iniqui dira, & dura morte tanto ſceleri debitas perſoluerunt pænas.

§. II.

SI Sacerdotes: Simulata ſanctitate deludunt incautos, qui ad votum eorum in ſacro miſſæ ſacrificio eccleſiaſticis precibus publicis, & priuatis, oblationum acceptatione, veneratione ſanctarum imaginum, ſolemnibus proceſſionibus, adminiſtrationibus ſacramentorum, aliiſquè ſacris officiis inſolitas, profanas, ridiculas, ſuperſtitioſas, & ſæpè damnatas adhibent cæremonias. Nec tantùm animæ nocent iſti diaboli partiarii; ſed etiam corpori: quod confirmant exempla à variis auctoribus relata; ſed præcipuè à D. Gregorio *lib. 1. Dialogorum*, & à Seuero diſcipulo S. Martini *lib. Dialogorum*: quorum vnicum referam de quodam presbytero Bohemo à dæmone obſeſſo: Hic Pontificatu Pii II. Romam adiit, vbi in Eccleſia Sancti Petri ante columnam Domini dæmon fuit exorciſmis coniuratus, vt ab illo exiret: at nihil proficiebat Exorciſta, niſi quòd dæmoni voces, clamores, & vlulatus emittendi locum dabat; qui tamen eum vexare deſinebat, cum Exorciſta ab exorciſmis legendis deſiſtebat: & ipſe ſacerdos à rebus ſacris peragendis ſe abſtinebat, qui narrauit, ſe à dæmone acriter tantummodo vexari, & ab vſu rationis alienari, cum miſſam celebrare ſe parabat: aut loca ſacra viſitare contendebat; qui poſt multa tormenta à dæmone perpeſſus, tandem à quodam pio, ac deuoto Epiſcopo à dæmoniaca tyrannide fuit ereptus, & integræ ſanitati reſtitutus. 584 *Sacerdotes.*

Nec ſilentio eſt prætereundum, quod anno 1647. dum Tuſciæ aliquot diebus moras traherem, audiui à quodam Sacerdote cuiuſdā Religionis Theologo, & Concionatore de ſeipſo, quod iam antea etiam ab aliis audieram. Loci, & Religionis nomen taceo. Iſte mihi enarrauit, ſe per octennium fuiſſe à dæmone obſeſſum: primo enim biennio grauiſſimas ſuſtinuit afflictiones, quas à cauſis naturalibus procedere putabat, nec vmquam de maleficio cogitauerat. At cum ſemper in deteriùs declinaret, nec medicamina aliquid proficerent, conſultus fuit, vt Exorciſtam accerſeret, qui exorciſmis illam infirmitatem probare ſtuderet: qui vix initium dedit, quòd ecce dæmon illius ægritudinis, & afflictionis ſe prodidit auctorem, qui per annos ſex continuos illum varijs moleſtiis, & torſionibus afficiebat: nunc viſcera eius torquebat: nunc caput: modò ſtomachum: modò brachia, cæteraquè corporis membra affligebat, ac dilaniabat: ſæpiùs voces inſolitas emittebat: frequentiùs ad deſperationem inducere: nunc è feneſtris, vel locis altis ſe præcipitare: vel aquis ſe ſubmergere ſuadebat: qui tandem diuina miſeratione adiutus per quendam peritum Exorciſtam Senenſem fuit totaliter à dæmone liberatus, Deo vouens ſe toties inpoſterum Exorciſtæ monere perfuncturum, quoties ſibi à ſuis ſuperioribus fuerit demandatum.

Sic

Sic anno Domini 1660. Alzani ad me confugit quidam Presbyter Diæceſis Bergomenſis maleficio affectus, quem dæmon impedire conabatur, ne miſſam celebraret, perturbando eius phantaſiam, caput nimis aggrauando, manus, & brachia ita debilia, ac rigida reddendo, vt niſi cum maxima difficultate hoſtiam conſecratam, ac calicem eleuare poſſet. Quare vix eum in fide, ac confidentia in Deum inſtruere cæpi, quòd ſtatim dæmon ſe prodidit totius mali executorem, qui cæpit clamare, ac dicere, quòd illum Presbyterum interimere volebat, ac me pugnis impetere, veruntamen me tangere nequiuit, nec Presbyterum, quamuis cingulo, quo cingebatur ſuffocare conaretur, offendere valuit, qui à me per præcepta ei facta in nomine Ieſu coram Superiore noſtro Prouinciali, ac Fratribus illius Conuentus genuflexus coactus fuit caput demittere ſuper terram, deponere cingulum, ac tandem Presbyterum deſerere, nec amplius illum moleſtia vlla, aut vexatione quacumque afficere contendit.

§. III.

585 SI Reges, & Principes: Imperia, & regna publicis calamitatibus, belli, famis, & peſtis vaſtare ſatagunt, quibus horrendas edunt hominum ſtrages; & multa alia numero mala: eademquè malitia dominorum temporalium ditiones tempeſtatibus, incendijs, aquarum inundationibus, longa ſiccitate, grandinibus, pruinis, popularibus morbis, alijs diris exitijs deuaſtant. Nec tantùm imperia, & regna infeſtant ſuis maleficijs; ſed ipſoſmet Reges, & Principes è medio tollere nituntur. Huiuſce veritatis memorabile eſt exemplum, quod referunt Coſmus Philiarchus Theologus Florentinus *lib. 3. par. 2. de off. Sacerdotis cap. 8. in primo præcepto*, & Binsfel. *Comment. in Tit. C. de maleſic. & Mathem. in L. Multi queſt. 3. ex Hectore Boethio lib. 2. Hiſtor. Scoticæ*, qui atteſtatur in tota Scotia eſſe notiſſimum.

Reges, & Principes.

Duffus Rex Scotiæ noctu ſub perpetua vigilia decumbens in ſudorem ſine modo ſoluebatur, corpus lenta conficiebatur tabe effæto ſimillimum, hærebat cutis rigida, venas, neruos, & qua forma, & ſicut oſſa eſſent humana oſtendens, & tamen medici ea omnia ſigna ſanitatis inueniebant. Obortus eſt rumor incerto auctore, Regem à quibuſdam mulieribus maleficiatum eſſe, quę apud Forres oppidum Morauię manebant. Rex ſtatim ſub ſpecie ineundæ pacis inter eum, & coniuratos Morauos, mittit qui veritatem inquirant, miſſi Forres adiere, & arcem ingreſſi, quæ adhuc erat in Regis fide Denoualdo arcis præfecto, quare venerint, exponunt: quo audito quidam miles, qui erat in arcis præſidio, ſignificauit Denoualdo quandam meretricem, cuius mater erat ſortilega, dum blandiuſculè eam tractaret, locutam ei fuiſſe de Regis infirmitate, & morte: erat tunc illa meretrix in arce, quæ tormentis expoſita veritatem aperuit. Denoualdus in ipſa nocte milites ad ſortilegarum ædes mittit, qui vnam veneficarum ſimulacrum ad Regis Duffi imaginem ex cera confectum ligneo veru affixum ante ignem torrentem: alteram carminibus recitatis liquorem quendam fundentem ſenſim ſupra ſtatuam inuenerunt: ductæquè cum ſimulacris in arcem, interrogatæ dixerunt; dum ſimulacrum igni adhibitum torreretur, Duffum Regem in ſudorem ſolui; carminibus autem recitatis, perpetua teneri vigilia: & ad liqueſcentem ceram macie confici; conſumpta cera mortem Regis continuò ſecuturam: Ita ſe dæmones docuiſſe, & ad facinus exequendum à Morauorum primoribus conductas: Simulacrum effractum fuit, & eadem nocte Rex abſquè ſudore quieuit, & poſtridiè redeuntibus viribus, ita ſanitati reſtitutus eſt, ac ſi nulla aduerſa valetudine antea fuiſſet detentus. Sagæ viuæ crematæ ſunt.

Non abſimile narrat Petrus Tholoſanus *in ſyntagmate iuris vniuerſi lib. 34. cap. 11. ex Gaguino lib. 7. hiſtor. in vita Philippi Huttini* de Rege Franciæ, ac iuniore Principe Carolo, quibus intentata fuit ſimilis mors ab Enguerrani Marignani vxore, vt eum è carcere, quo ſine ſpe euaſionis detinebatur incluſus, liberaret, Pauioto quodam malefico, & Claudia muliere ad id facinus opem ferentibus. Qua re cognita ſuſpenſus fuit Enguerranus; Pauiotus, Claudia, & vxor Enguerrani flammis conſumpti. Sic Karolo IX. Regi, ac Henrico Duci Guiſio ſimili maleficio mortem machinatos eſſe, narrat Creſpetus *lib. de odio Sathanę diſc. 10.* At in hac re memoria, ac laude digniſſimus fuit Philippus quõdam Rex Francorum qui, vt refert Ioannes Gerſon *in 1. par. in tract. de erroribus circa artem magicam in littera O*, cum perciperet de quadam cerea imagine, quam dicebant baptizatam, aut execratam taliter nomine ſuo, quòd ea deſtructa Rex moreretur: Rex fide plenus, videbimus, inquit, ſi potentior erit dæmon ad perdendum me, quàm Deus ad ſanandum, & hæc dicens, ceram proiecit in ignem.

§. IV.

SI belli duces: Subitaneo, & panico terrore nebula interpoſita, præſtigioſis coruſcationibus viſum hebetantibus immiſſis, eorum perturbant ordines, euertunt acies, profligant exercitus; atquè numero, robore, & arte præliandi ſuperiores in poteſtatem hoſtium tradunt. Sic vrbes, & arces obſidentibus expugnandas præbent, murorum euerſione; bombardarum incantatione; pulueris tormentarij incendio; extructione pontis è nube condenſata in murorum arcis ſummitatem attingentis; numeroſum equitum, & peditum in armis aureis effulgentibus apparitione; alijſquè modis quicquid in contrarium nitantur obſeſſi. Sic armorum aciem hebetant, perturbant milites, eoſquè in fugam conuertunt: aut ità reddunt immobiles, vt nec vltra progredi, nec retrò pedem referre poſſint; atquè ità eos exponunt hoſtium gladiò perimendos. Quorum omnium exempla habentur ſupra *num. 146. & 163. diſput. 1.* Nequè his tantùm technis belli duces iſti diaboli aſſeclæ inſequuntur; Verùm alijs maioribus moleſtijs, & quandoque etiã 586

Belli duces.

morte ipſa eorum corpora afficere contendunt. Hanc veritatem probant exempla duo relata à Delrio *Diſqu. mag. lib. 3. par. 1. ſect. 3.* Scribunt Zonaras *tom. 3.* & Glycas *par. 4. Annal.* Simonem Bulgarorum Ducem Crobatis bellum intuliſſe: moleſtum id erat Romano Lacapeno, ſed acceſſit ad eum Ioannes quidam Aſtrologus pariter, & magus, cui nunciauit, vt aliquem mitteret, qui caput ſtatuæ ſupra Xeroliphum locatæ amputaret, quò illa ſtatua Simoni eſſet fatalis: miſit ille, truncatur ſtatua, notatur hora, nec diù poſt compertum, eadem hora Simonem in Bulgaria ex ſtomachi dolore interijſſe. Aliud ſimile legitur apud Cedrenum: & apud Ioannem Curopalatem *hiſtoria ſua fol. 24. Veneta edition.* de quodam Ioanne Morochazario Theophili Imperatoris præceptore hæretico, & mago ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum euecto: Hic, cum natio perfida, & dura (*Bulgarorum*) in Romani Imperij fines excurſionem feciſſet, tribus freta ducibus, huiuſmodi conſilium dedit: fieri debere malleos tres æreos ingentes, & viris manu promptis tradi, cum his ſe acceſſurum noctu ad ſtatuam quandam tricipitem, quæ in Euripo Hippici olim iam ſtabat: fecit, acceſſit, iuſſit, validè ſinguli ſingula capita percuterent, vt in terram quaſi vna plaga decuterentur, ipſe laica veſte indutus, ne deprehenderetur, magica quędam verba ſubmurmurat, & vim ſtatuæ omnem adimit: ex treſuiris illis duo fortiſſimis ictibus duo ſtatuæ capita deiecerunt, tertius remiſſiore manu tantùm inclinauit, nec totum auulſit caput reliquum. Et ecce ſimilem duces illi experti ſunt euentum. Namquè in eorum exercitu vehementi ſeditione, & hinc orta pugna inteſtina duo duces çecidere, tertius ampla, non tamen lethali plaga ſauciatus cum exercitus reliquijs domum ſe recepit.

§. V.

587 *Magiſtratus, & Iudices.* SI Magiſtratus, & Iudices: Illos cæteris omnibus libentiùs appetunt, eò quòd gentem maleficam pænis, ac ſupplicijs perſequũtur; & cum in eorum manus deueniunt, pertinaci ſilentio omnia quęſtionum tormenta ferendo ſuperant; aut ſi loqui lubeat, nihil contra ſe pronunciant; eò quòd vel corporis duritie: vel animi obſirmatione equulei, ac trochlearum dolores ferunt: vel ſe indolorios faciunt, & inſenſibiles etiamſi quæuis ſuppliciorum genera adhibeantur. Vnde artem arte deludentes ab ipſis etiam inuitis libertatem diſtorquent; & eam aliquandò alijs in carceribus detentis, & vinculis eorum ope ereptis tribuunt. Quod probat Delrius *lib. 3. diſquiſ. magic. p. 1. q. 5.* dicens *cum Pariſijs ante annos triginta degerem, fama publica ferebat, famoſum magum (quem* ſæpè egomet vidi) *nomine Magiſtrum Goninum, cum propter facinora varia ad laqueum damnatus fuiſſet, ſic illuſiſſe iudicibus, vt pro ipſo viderint appenſam patibulo primi Præſidis mulam. Nihil affirmo, ſed hoc fama diſperſum ſæpè audiui: certè ille iudicio ſuperuixit.* Hæc Delrius, ſed apertiùs confirmat hoc quotidiana experienria: Licèt enim plures apud iudices malefici, vt variis criminibus obnoxii deferantur; pauci tamen pæna mortis, vel alio grauiori ſupplicio damnari conſpiciuntur. At quod deterius eſt, quandoquè etiam ipſoſmet iudices maleficiis, ac diris tormentis appetere conſpiciuntur. Notum illud, quod refert Cumanus Epiſcopus de illo Iudice, qui volens experimentum facere: an ea, quę vulgò de magis circunferuntur, vera eſſent, facta conuentione cum muliercula, & egreſſius ex vrbe ità verberibus à dæmonibus exceptus fuit, vt poſtea decima quinta die cum aliis comitibus vltimum diem obierit, quod non paucis accidiſſe refert Ananias *lib. 4. de nat. dęm.* Veruntamen hoc accidere tantùm illis aſſeuerat, quos auaritia excæcat, quos trahit ambitio, quos crudelitas, vel vindictæ amor agit; qui curioſitate adducti perperam multa deſignant, hos, ait, crebrò ſic à dæmone excipi, & impeti, vt aliquando necem non euadant. Qui enim Deum præ oculis habentes rectè, ritèquè ſuo funguntur officio, pietate, fidei firmitate, iuſtitiæ zelo, & maxima in Deo, & pręcipuè in Sanctiſſimo nomine Ieſu confidentia ſuffulti hi peculiare à Dei protectione illæſi conſeruantur: vt latiùs probaui ſupra *diſput. 1. num. 105. & ſequentib.* & latiſsimè infra *tom. 2. diſp. 4.*

§. VI.

SI Doctoratus prærogatiua inſignuntur: fictis reue- 588 *Doctores.*
lationibus, viſionibus extaticis, dæmoniacis ſuggeſtionibus, & aliis artibus in ſpeciem ſanctis, & miraculoſis deceptos ſępiùs in grauiſſimos errores trahunt; aut ità ſuis præſtigiis implicant, vt in iis ſe ignaros, vel cæcutientes fateri cogantur. Quinimmò multos ſub prætextu vt ſapientiores, ac potentiores vniuerſo appareant, ſæpiùs ad ſcientias pernicioſas, chyromantiam, metopoſcopiam, aſtrologiam iudiciariam, necromantiam, artem magicam, & maleficam, cęteraſquè abominandas, ac diabolicas artes pertrahunt. Hoc apertè conſtat per Guilhelmum Edelinum Doctorem Sobornicum Magiſtrũ in Theologia, de quo Iaquerius *in flagello faſcinariorum*, & Monſtreletus *par. 3. Chronic.* plura tradunt. Is fuit Prior S. Germani in loco, quem vocant Galli en haye & ante fuit Monachus S. Auguſtini, & priùs etiam aliorum ordinum: Vndè ex hac iſtius Doctoris inconſtantia euenit; quòd in varias incidit hæreſes, quas poſtea ipſe ſpontè confeſſus eſt: deindè ſe in cultu dæmonis cum pluribus aliis complicibus realiter, & pluriès conueniſſe, dæmonem quandoquè in forma hominis: quandoquè in forma hirci apparentem coluiſſe, ibi Deum, & fidem catholicam, Beatamquè Virginem, & Crucem ſe abnegaſſe, patefecit: aſſerendò etiam, quomodo à dæmone, dum in ipſius ſectam fuit introductus, ſibi demandatum fuerit, vt in poſterum diabolicum augere dominium, & auerni imperii dilatare confinia, aliis prædicando, rationibus, & argumentis eius ſequelam ſuadendo, velis, remiſquè contenderet. Huic affinis eſt magus ille, de quo ſupra *n. 507. & 546.* & alibi ſæpiùs; qui cum in ſtudiis philoſophiæ, & legis vtriuſquè verſaretur, eſſetquè ſubtili ingenii acie valdè præditus, altiora, & ſecretiora addiſcendi deſiderio flagrans, cum quibuſdam viris doctis, ſed hæreticis, magis, & maleficis continuè conuerſabatur, quorum doctrina magica, arte malefica, moribus peſſimis imbutus, vt quę theoricè didicerat, practicè experiri, ac ſuo appetitui facere ſatis valeret, quod ſine dæmoniaca ope præſtare nequibat: eorum rationibus, & argumentis apparentibus, ex variis hæreticorum, necromantium, & aliorum impiorum auctorũ libris, & ſcriptis deſumptis abſtractus, & illectus dæmoniacæ tandem ſeruituti totum ſe deuouit, & vt tali patrono ſe fidelẽ ſeruũ, & aſſeclã exhiberet; iam iuris vtriuſq. doctoratu inſignitus, iiſdẽ rationibus, & argumentis apparentibus alios ſeducere ſatagebat. Vndè mihi ſępiùs repetebat illa verba Diui Pauli *Rom. 12. Non plus ſapere, quã oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatẽ,* quia enim aiebat, *plus ſcire volui, quã oportebat, nõ mirũ, ſi multis difficultatũ nexibus videor*

im-

implicatus, quos euadere, & contrarium mihi ſuadere, hoc opus, hic labor. Sed vtinam alios non habuiſſet eiuſdem farinæ ſocios. Audiui enim à quodam Religioſo fide digno, alium iuriſperitum prædicti magi fidelem Achatem ante ſemeſtre ad Sanctiſſimæ Inquiſitionis tribunal fuiſſe delatum, quòd mulierem quandam nobilem maleficio interemiſſet; idcircò extra illius diœceſis limites fuiſſe deportatum. En quomodo magi, & malefici Doctores, ac Sapientes in diabolicam adigere ſeruitutem moliuntur, & in æternæ damnationis baratrum detrudere contendunt!

§. VII.

589 SI verò medicinam profitentur: Ident eorum conatus in morborum curationibus; eò quòd temerè diuerſa adhibent remedia, irritiſquè pharmacis priſtinæ ſanitati reſtituere conantur infirmos, quos ipſi maleficijs affecerunt, inſignemquè eorum famæ maculam inurunt, dum imperiti ab alijs iudicantur. Huius veritatis luculenta exempla refert Ioannes Fernelius Medicus excellentiſſimus *lib. 2. de abditis rerum cauſis cap. 16.* quæ ſupra retuli *diſput. antec. num. 453.* à quibus non ſunt diſſimilia, quæ adducit Codroncus tum de ſua propria filia: tum de aliis *in lib. de malef. ac morb. malef* ad quæ remitto lectorem. Nunc placet inter multa, quorum fui teſtis oculatus, duo tantùm audire.

Medicos

Primum: Quædam puella decennis nomine Catharina filia cuiuſdam Ciuis Taruiſini an. 1648. menſe Ianuarij, cum è gymnaſio domum permearet, inopinanter cecidit in terram: & ecce non niſi maximo labore, ac difficultate ingenti reſurgere potuit, ac domum peruenire: toto enim corpore contremiſcens, clauſis dentibus, & ore, manus, & brachia, crura & pedes ita habens diſtractos, & diſſolutos, vt ad naturalia munia obeunda impotens effecta videretur: noctu verò voces brutis non abſimiles emittebat: os eius, & dentes non niſi cultris ad alimentum ſaltem liquidum pro corporis nutritione intromittendum aperiri poterant. Accitus fuit Medicus, qui epilepſia, aut apoplexia laborantem exiſtimauit: varijs per menſem vſus eſt remedijs, & præcipuè ignem adhibuit; ſed omnia incaſſum; nullum enim naturale remedium proficere comperiebatur, quin ſemper puella deteriùs ſe haberet. Mater tandem quendam ex noſtris Religioſis Exorciſtam pium, ac deuotum aduocauit, qui exorciſmis, & orationibus cæpit dæmonem impetere; & tunc puella aliqualiter meliùs ſe habuit; quæ enim non poterat ſuis conſiſtere pedibus, ſeipſa ſine vllo adiutorio ſtare cæpit. Ex quo talem infirmitatem à dæmone prodeuntem exiſtimans Exorciſta, admonitus, me poſt triduum illuc profecturum, dixit parentibus, vt ſuſtinerent modicum in applicandis remedijs naturalibus, donec eò perueniſſem. Illùc appulſus vnà cum prædicto Exorciſta puellam inuiſi, & more meo priùs inſtructis parentibus, & puella pro captu ſuo, quæ benè audiebat, & oculis aſpiciebat, vt crederent in poteſtate ab Eccleſia tradita Exorciſtæ ad dæmones effugandos, & confiderent in diuina clementia, ac bonitate, & in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu; præcepi dæmoni, ne impediret omnes eius potentias ſenſitiuas tam exteriores, quàm interiores, nec non vegetatiuas, vt omnia ſua liberè poſſent obire munia. Sic ſigno crucis munitis capite, fronte, ore, gutture, brachijs, manibus, & pedibus; tunc illicò incedere per domum, manibus ſe ſignare ſigno crucis, ore loqui, orationes, quas illi recitandas impoſui, deuotè, & clara voce enunciare, panem, vinumque benedictum manducare, & bibere; cæteraſquè operationes naturales naturaliter exercere incæpit: quæ poſtea biduo ſequenti à Matre, & conſanguineis ducta ad Eccleſiam Fratrum noſtrorum, Superiore, ac pluribus Fratribus Conuentus præſentibus antè Altare Sanctiſſimi Nominis Ieſu ſepiùs aduerſus dæmonem factis, ac repetitis à me præceptis, vt ab ea exiret, nec ampliùs ei noceret; tandem diuino fauente Numine à dæmone totaliter libera extitit.

§. VIII.

ALterum huic affine accidit Venetijs eiuſdem anni pridiè calendas Iulij. Stephanus de Conuerſis à Peſaro vir ætate 33. annorum vitriarius ad me acceſſit tertia die Auguſti, qui mihi enarrauit: cum die prædicta Iunij vnà cum duobus ſuis ſocijs in ſua moraretur officina, alter eorum carbone in terra circulum pinxit, in quo deſcripſit hominis caput cum paruo pileo, pennis exornato: alter verò interim quædam verba ſubmurmurabat incognita: tunc dictus Stephanus quodam impulſu ductus, & quaſi coactus fecit, & ipſe figuram ſui capitis in medio circuli; deindè ijdem ſocij dederunt illi bibere vinum, quo hauſto illicò conturbata ſunt omnia viſcera eius, & torquebantur quaſi à canibus lacerarentur, nec ſine mora inſanire cæpit, & loquens, vt mente captus, ac delirio affectus ſuum pugnis, ac colaphis caput percutiebat, ac furijs agitatus hùc, illùc diſcurrebat, & extra vrbem quinque milliaria aufugit; ſed videns hominem ſtrictum habere gladium, timuit ab illo occidi; ideò retrogreſſus domum redijt, omnia ſubuertens, ac confundens. Accerſitus fuit Medicus, qui eum vt inſania, ac delirio laborãtem validiſſimis purgare cepit pharmacis, ſanguinem emittere, ſuper caput imponere pullos columbrarum, vt ſolent delirio laborantibus; & cum quandam ei dediſſet medicinam ex pinguedine viperæ confectam, quia timebat etiam illum veneno affectum; tunc ægro videbatur, totum habere corpus viperis, ac ſerpentibus repletum, quæ omnia eius membra dilaniarent; ſic quibuſcumquè adhibitis remediis, numquam tamen conualeſcebat. At cum haberet lucida interualla, quibus ſuam cognoſcebat indiſpoſitionem ad me fuit adductus; ſic priùs eo inſtructo in fide, & dæmoni facto præcepto, ſi adeſſet, vt ſe manifeſtaret; illicò magnis clamoribus ſe totius mali inuentorem, & auctorem prodidit; ideòquè cum tunc non eſſet tempus opportunum, vt poſtera die, ad me rediret, ſtatui; qui vnà cum ſuis conſanguineis, & amicis regreſſus coram Patre Vicario Conuentus, diuina clementia, ac bonitate opitulante in virtute SS. Nominis Ieſu fuit à dæmoniaca tyrannide liberatus. Et licèt diebus ſequentibus adhuc

aliqualem à dæmone paſſus fuerit moleſtiam, quia modicæ erat fidei; attamen iterum à me inſtructus, ac nouis benedictionibus munitus totaliter à dęmonis vexatione liber euaſit. Videas ex his, quomodo magi, & malefici in Medicos iniuſtè ſe gerant, eorum conatus dęmoniaca ope deludentes, dum illorum pharmaca, ac medicamina vana, inutilia, & inania reddere conantur?

§. IX.

590 *Artifices* QVòd ſi artes exercent mechanicas; quàm variè eorum opera labefactent, quis enunciet? Ædificant domos, aulas, & palatia; ſed ruina, aut incendio abſumuntur. Nauigant; ſed horrendis iactantur tempeſtatibus: vel inglomeratos aquarum vortices demerguntur. Arant, & ſemina mittunt in terræ ſinum; ſed cęlum æneum non dat pluuias: aut liquidum nimias dat: terra areſcit, aut diluitur; ſeminum humor hauritur; ſata putredine marceſcunt; etſi cęli, terræquè beneficio debitum ſumunt incrementum, antequam ad maturitatem perueniant, grandine, alijſquè intemperati aeris iniurijs reijciuntur. Hortos colunt, & vineas; ſed turgentes arborum, & vitium gemmas pruinæ decoquunt. Aurigant bigis, & carro vehuntur; ſed tardis, aut claudicantibus equis, & bobus; aut ſubito terrore percuſſis, iugumquè excutientibus: aut præ laſſitudine taliter feſſis, vt ſemineces cadãt. Equitant pompaticè; ſed violenter detruduntur in terram, & præcipites deijciuntur in foueas, vbi colliſione corporis intereunt: aut crure perfracto pro mortuis domum referuntur. Dolant ligna, ſed ſecuris alto vulnere tibiam aperit. Ferrum tractant candens; ſed incautè ex forcipibus excidit; manumquè, aut pedem abſumit. Deniquè laborant varijs artibus; ſed rigent digiti, manus diſſoluitur, brachium aſſuetum denegat officium; maximoquè artificis damno opera relinquenda, & lecto incumbendum. Quæ omnia maleficos ope dęmonum ſæpè ſuis incantationibus præſtare, experientia docet.

§. X.

591 *2. Mulieres.* SImili iniuſtitia mulieres vexant, dum perturbata phantaſia exoſos reddunt maritos: vel philtris amatorijs affectos auocant; & aliò transferunt: vel muliebri arctatione, ſortilegiſquè ligaminibus ſteriles in perpetuum reddunt: aut ad tempus impediunt generationem: vel prægnantium abortum procurant: vel parturientes exſecto vtero, & repugnato fętu doloribus conficiunt, vel lactantes exugunt, & deſiccant, ita vt ablato lacte fętum perire neceſſe ſit, vel lacte abundantes ſecretò mulgent, ne lac lutriendo puſioni ſufficiat. Quarum omnium plurimæ ad me acceſſerunt prædictis affectæ maleficijs, quæ poſt perfectam in fide, ac fiducia in Deo inſtructionem vt plurimùm optatam ſanitatem ſunt aſſecutæ. Quod patet etiam ex iure canonico *in titulo de frigidis, & maleficiatis. & 33. q. 1. cap. Si per Sortiarias*, & Conſtitut. Innocentij Octaui. *Sanè nuper*. Sic tenent communiter Theologi *in 4. ſentent. diſt. 34.* & Canoniſtæ *in titul. de frigidis, & malefic. & in d. 33. q. 1. cap. Si per ſortiarias*. Auctores Mallei 1. p. q. 8 Petrus Binſfel. *de Confeſs. malef. quæſt. p. 1. concl. 6. & in Epiſt. dedicat.* Delrius *diſquiſ. mag. lib. 3. p. 1. q. 4. ſect. 3. &* 8. & communiter omnes, qui de malef. tractant.

§. XI.

ET nè quid malitiæ deſit, pueros lethaliter inſequuntur: Hos in vtero interimunt ope dęmoniaca: aut recenter natos occidunt: aut in altum eleuatos dęmoni offerunt, & conſecrant, aut infixa in cerebelli ſutura acu necant, aut detrahunt cuni ignibus concremandos, aut in fluentem demergendos, aut in ſuos cætus aſportant, aut pronos in culcitram ſternunt, & ſic extinguunt, aut introrſus demittunt laxatis faſcijs, vt agitatione contra ſe magis aſtringant, aut candentes carbones cunis ſuperinijciunt: aut manu quaſi adblandientes, & caput demulgentes maleficio inficiunt, aut puluere veneno conſperſo morbis ignotis afficiunt: Sic quadam mulier Bergomi mihi enarrauit ſe dum ſuum reliquiſſet infantulum in lectulo ſummo mane dormientem, & è cubiculo receſſiſſet poſt modicum tempus rediens ad cubiculum inuenit in lectulo ſolummodo faſcias ita benè conuolutas, acſi illis infans eſſet præcinctus, quod naturaliter fieri non poterat, & infans totus niger effectus ſubter lectulum mortuus decumbebat. Hoc Doctores etiam mallei maleficarum exemplo confirmant *in 2. p. q. 1. cap. 13.* vbi narrant, in Diœceſis Baſilienſi, & oppido Dan, maleficam obſtetricem incineratam, quæ confeſſa eſt, ſe vltra quadraginta pueros enecaſſe. Et Nicolaus Iaquerius *in flagello heretic. faſcinar. cap. 15.* atteſtatur, in Gallijs repertum fuiſſe ſuis temporibus Magum Baronem, qui clam iugulaſſet circiter viginti pueros, vt de eorum ſanguine quendam librum conſcriberet in obſequium dæmonum, qui deprehenſus fuit, & publicè pœnam tantis ſceleribus debitam perſoluit. Quare tanta eſt maleficorum malitia, & iniuſtitia, vt omnis conditio, omnis ætas, omnis ſexus eorum vexationem, & moleſtiam ſentiat, quæ ingraueſcit, & malis fit cumulatior; cum (vt ſuperiùs varijs locis oſtendi) morbos cognitu, & curatu difficillimos, ipſamquè mortem corporibus inferunt: animos ad amores improbos, odia inteſtina, ſimileſquè motus prouocant; ſpiritum dementia, deliramentis, & illuſionibus turbant; totum hominem transformant, tranſportant, faſcinant, incantant, dæmoni obſidendum tradunt; nec aliqud in hominibus; mulieribus, pueris, & puellis, animantibus, arboribus, plantis, & elementis intactum relinquunt, vt illos communes hominum hoſtes, peſtes orbis, naturę monſtra, horrendaquè mala iure poſſimus appellare: ſicut etiam naturæ peregrinos vocat Conſtantinus Imperator *in C. de malef. & mathem.* dicens: *Multi magicis artibus vſi, elementa turbare, vitam inſontium labefactare non dubitant, & manibus accinctis audent ventilare, & quiſquè ſuos conficiat malis artibus inimicos. Hos, quoniam naturæ peregrini ſunt, feralis peſtis abſumat.* Natura, inquam, *peregrini:* quoniam, ait Binſfel. *Comment. in dictam legem, vitæ humanæ inſidiantur; & non ſolùm alienæ; ſed etiam quaſi propriæ, dum proprios nonnumquam infantes, qui ſunt portio ſuæ ſubſtantiæ, occidunt: dæmonibus conſecrant, vt dictum eſt ſupra: aliquando corda eorum comedunt: aliquando autem igne in pulueres, quibus ad nefandos actus abutuntur, redigunt. His accedit, quòd deſtruunt ea, quæ ad conſeruationem humanæ vitæ neceſſaria ſunt. Quare meritò ea pœna, quæ hic decernitur, ſunt digni, vt ſcilicet beſtijs tradantur ad dilacerandum.* Si ergo magi, malefici, & ſagæ tot mala & damna inferunt vniuerſo, tot iniuſtitias aduerſus homines, mulieres, & pueros in bonis animæ, corporis, & fortunæ 592 *3. Pueros*

næ committunt, quidni damnorum reſtitutioni erunt obnoxij? Quis ibit inficias?

ARTICVLVS II.

In Mortuos.

§. I.

593 *Honos ſemper habitus mortuis.* TAntus ſemper fuit habitus mortuorum corporibus honos, vt nihil fuerit antiquius; nihil ſanctius humanioribus totius orbis nationibus, quàm illis iuſta perſoluere, & pia liberalitate inuicem decertare, quænam maioribus impenſis eorum exequias celebraret. Pretioſis namquè vnguentis delibutos aromaticis aſperſos pulueribus, auro, oſtroquè contectos, pompaticè varijs adhibitis cæremonijs iuxta cuiuſquè ritum efferebant: multis lachrymis, frequenti eiulatu, lugubri lamentatione in atris, pulliſquè veſtibus abeuntes honorificentiſſimè proſequebantur, depoſitos in ſepulchris, multa, & bona in eorum requiem precantes, terra leui tegebant, & magnificentiſſimis pro ſua quilibet facultate monumentis erectis, atquè excitatis tumulis eorum memoriam immortalitate donare nitebantur, vt teſtantur Cicero 2. *de legib. & pro Quint. & pro Cluentio*. & Plinius *lib. 8. cap. 42.* Quod etiam hoc noſtro æuo in morte Pontificum, Imperatorum, Regum, Principumquè, & aliorum virorum virtutibus, ac rebus egregijs illuſtrium ſeruari in comperto eſt. Ideò in cadauera ſæuire: aut ſepulchra violare, quæ tanquam ſacra ab omnibus habebantur, nefas; & maximè à chriſtianis, qui auguſtiori ritu, ſanctioribus cæremonijs, lociſquè ſacratioribus defunctorum corpora efferre cõſueuerunt: vt potè qui illa ſepulchris, & cæmeterijs inferunt, in puluerem quidem humano more ſoluenda; ſed iterum diuina virtute ſuſcitanda. In huiuſmodi autem delinquentes, vel deportationis: vel mortis pæna ſtatuta in viliores *L. 3. §. aduerſus ff. de ſepulchro violato*, & poſteriore iure in vtriuſquè ſpeciei euocatores à Conſtantino lethale ſupplicium ſancitur. *L. qui ſepulchr. C. eod. tit. & L. Multi C. de malef. & Mathem.* & in lege canonica à Bonifacio VIII. *in Extrauaganti de Sepulchris; quæ incipit. Deteſtandæ; excommunicantur omnes, etiam Pontifices exenterantes mortuos ad eos conſeruandos: aut eos in fruſta, ſeù membratim concidentes; aut in aquis coquentes, vt oſſa carnibus denudata deferant, & ſepeliant in alio loco; & qui hæc fieri iubent: & abſolutio Papæ reſeruatur.* Canonis autem huius materia vt notat Caiet. *in verbo, Excommunicatio cap. 70.* eſt crudelis immanitas in cadauera humana. Ad cuius pænam incurrendam quæ conditiones requirantur, legas Gregor. Sayrum *Theſauri caſuum conſcientiæ lib. 3. cap. 30. num. 2.* Angel. *verbo, excommunicatio 5. caſu 32.* Antonin. *3. par titul. 15. cap. 64.* Sylueſt. *verb. excommun. 7. num. 79. excommunicatione* 41. Tabien. *verb. excomm. 7. §. Secundus*. Nauarrum in *Manuali cap. 27. n. 105. verſ Decima nona*, Sebaſtianum Medic. *par. 2. ſummæ titul. 9. quæſt. 78. num. 134.* & communiter ſummiſtas vbi *de Excommunicat.* At maleficos omnem humanitatem, & pietatem exuiſſe aſſerendum eſt, *Hunc violant magi.* qui non ſolùm hæc iuſta non ſoluunt; ſed ſumma iniuſtitia, & deteſtando ſacrilegio ad vſus ſortilegos cæmeteria profanare, aperire ſepulchra, & mortuorum eruere cadauera, non verentur.

§. II.

QVis tale facinus credat, ſi coram Iudicibus vnanimi ſagarum, & maleficorum confeſſio ne authenticè facta non veniret teſtatum? 594 *1. Cadauera eruendo.* Tanta enim eſt dæmonis malitia, & tam ingens eius in homines odium, vt omnibus ludibrijs humanam naturam afficere quærat; nec indigniora, & iniurioſiora inuenire poſſit, quàm per homines ſuæ tyrannidi mancipatos reliquias hominum exhumare; & *More.* ijs maiori cum dedecore, atquè contumelia in ipſorum perniciem abuti. Hoc illorum miniſterio per- *Antiquo* fecit antiquitas, cum is eſſet ritus infamis ſortilegorum vatum, qui animabus euocandis vacabant, exhumata torquere cadauera; & certis carminum incantamentis ad colloquium impellere, in quibus non animas loqui; ſed dæmones procerto credendum eſt. Quod à Nerone, Piſone, & Iuliano, alijſquè ſæculorum euentus, fortunas, & caſus curioſè, & ſacrilegè ſciſcitantibus factitatum fuiſſe, tum ſacri, tum profani teſtantur auctores. Ea fortè cauſa fuit, cur Lariſſę in Theſſalia cadauera mortuorum peruigili, & diligenti cuſtodia ſeruarentur: nimirum, ait Apulæius *lib. 2. de Aſino aureo*. ne ſa- *Moderno* gæ mulieres, quibus ea regio abundabat, illa contumelioſè demorſicarent: præſegminaquè ad exitiales viuentium fortunas conuerterent. Hoc idem modernis temporibus præſtat per eoſdem necromanticos, qui cadaueribus inuigilant recèns funere obrutis, & humo conditis. Nocturno namquè tempore ea refodere, & exhumare ſolent; præſertim ſi quæ ſunt vel ſupplicijs interfecta, & affixa patibulis: vel cæde aliqua indigna, & inhoneſta perẽpta: vel abortu ante perfectionem, & integram formationem egeſta, quaſi in ijs maior vis, & poteſtas contineatur: vt teſtantur Plinius *lib. de ſacrificijs cap. de vero cultu*, & Pſellus *lib. de dæm.*

§. III.

HÆc autem exhumata corpora laniando, diſcerpunt, & aliquando ex detracta eorum cute 595 *2. Adhibendo ad maleficia.* membranulas adaptant, quibus barbaros, & ignotos characteres inſcribunt; iiſquè poſtea vtuntur ad ea, quæ maximè cupiunt conſequenda. Aliàs membrum aliquod reſecant, pedes, manus, vertebras; coſtas, & id generis alia: vel cerebrum, epar, fel, iecur, & inteſtina, quæ deſiccant, & rebus amaris; puta, lupinis, fuligini, feli, bubulo, ad ingratiorem ſaporem immiſcent: vt plurimum integra cadauera aſſa in cineres, vel elixa in maſſam reducunt; & in magicos vſus conuertunt. Quod & Baptiſta Porta Neapolitanus *lib. 2. magiæ naturalis* obſeruauit ſua ætate factum. Cum in cineres ariditate abeunt, vrendis nemorum arboribus, & interficiendis ſegetibus, vitibus, & ſatis in ventos cum execratione ſpargere ſolent. Cum in maſſam friabilem adhibitis, & commixtis quibuſdam aliis coaleſcunt: ſcopas illiniunt, quibus inſidentes illicò in ſublime feruntur, & in loca à magiſtellulis condicta deportantur. Vel potionibus immiſcent, quibus ad certam eorum, quos peremptos volunt, vtuntur perniciem. Qua de re Agrippa, Petrus de Abano, & Picatrix tres damnatę magiæ proceres plura, quàm è re hominum ſit, præcepta reliquere.

Hoc pluribus probat exemplis Remigius *lib. 2. cap. 3.* quem eò libentiùs in teſtem adduco, quòd 596 in Lotharingia cognitor publicus ex iudiciis capitalibus nongentorum hominum, qui ſortilegii crimen

men intra annos quindecim in eo Ducatu capite ſluerunt, multa referat, quibus adhibendam eſſe fidem, nemo negabit. Inter quæ illud in propoſito notandum venit; maleficos non ſolùm cadauera in vſus magicos conuertere; ſed aliquandò brachia reſecare in vſum nocturni luminis: ſi cui fortè venenatam potionem infundere: aut quid ſimilis facinoris perpetrare velint. Ait enim capite citato, à ſe repertos magos, qui ex duobus cadaueribus ab ipſis ex cæmeterio Guermingenſi erutis dextrum brachium reſecauerunt, cuius extremi digiti flamma ſulphurea, ac violacea tantiſper ardebant, quoad maleficia intentata perficerentur; quibus abſolutis, flammaquè extincta, tam integri, illibatiquè remanebant, quàm ſi lumine ſomitem nullum adipe præbuiſſent idquè quoties opus erat, repetitum fuiſſe ab iſtis facinoroſis hominibus cum eadem digitorum incolumitate.

§. IV.

QVod confirmat Delrius *lib. 3. diſquiſ. magic. par. 1. q. 2.* lepida, & feſtiua hiſtoria, quàm hìc in honeſtæ voluptatis gratiam lectoribus apponere placuit.

In Leodienſis ditionis oppido, cui nomen eſt Huyo (vt quidam) vel Dinanto (vt alij) ad commune diuerſorium duo fures noctu venerunt, qui ſe à via admodum feſſos ſimulabant: cæna ſumpta negant ſe cubitum aliò ituros; ſed importunè admodum peruicaci inſtantia tandem abs caupone impetrant, vt liceat ad ignem in culina ſomnum capere. Interea ancilla domus, cui non ſatis iſti peregrini placebant, abſconditè clanculum per foramen quoddam conſpicit, quid acturi. Nocte in tempeſta videt è marſupio manum abſciſſam mortui depromere, & digitos inungere: tum admotos igni incendere: omnes lumen recipere, vno excepto: id verò tanquam inſolitum fures mirati ſæpius tentabant, & flammam admouebant, ſed fruſtra ſemper. Tum eorum vnus, quid tum, ait, ſi vnus duntaxat in domo vigil? & affixa ad caminū manu quatuor digitis velut candelis obſcura flamma corruſcantibus, domo egreſſi, noto ſibilo ſocios aduocant ad prædam. Puella ſubſequitur egredientes, & ianua reuoluta, domo excludit. Indè erumpit in herilem thalamum, inuenit omnes altum adeò ſtertere, vt nulla vi poſſent euigilare. Interea fures per feneſtram quandam ſe dirigebant in domum, occurrit iſta, & ſcalis deturbat. Inſtabant tamen, & alium moliebantur ingreſſum: hæc luminis memor, & ſuſpectione hāc eſſe ſoporis domeſticorum cauſam, omnes digitus exſufflat, vt lux emortua, dormientes experrecti ad clamorem accurrunt, & domo protelant manifeſtarios, qui poſt aliquot dies capti, facinus confeſſi fuere.

Claudat hanc diſputationis partem tam grata narratio, cum ſatis ſuperquè conſtet, maleficos eſſe diabolicos homines fœdere, ſocietate, & miniſterio, & diabolos humanatos impietate, iniquitate, & iniuſtitia: vt ex eorum moribus iuxta duplicem illam relationem, de qua ſuperius *num. 49.* omnibus innoteſcit.

PARS TERTIA.

Quanti ſint.

597 QVamuis facilè ſit vnico verbo definire, quanta ſit veneficorum virtus. (De illa enim quantitate virtutis, non molis, aut numeri loquimur) ex communi Theologorum regula, quam refert Petrus Binsfeldius *dub. 2. concl. 3. Quæcumquè poſſunt dæmones, poſſunt etiam magi, & malefici eorum opera*, cum fuſiori oratione in ſecunda diſputatione declarauerim, quæ ſit potentiæ, & voluntatis diabolicæ virtus; ex qua colligere licet, quænam maleficis competat. Attamen, quia illa regula non eſt vſquequaque vera, cum multa poſſint illi, quæ iſtis ſunt impoſſibilia: Inueſtigandum eſt in hac tertia parte, quantam hæ infernales locuſtæ acceperint poteſtatem; quam ſimilem eſſe poteſtati ſcorpionum terreſtrium docet Ioannes: etſi non tantam; cum ſcorpiones terræ homines, & vegetantia poſſint veneno necare; locuſtæ verò inferni: vt proſequitur idem dilectus Domini Diſcipulus, læſionem, aut mortem inferre non valent hominibus, qui habent ſignum Dei viui; aut fæno, & omni, quod viride eſt ſuper terram; ſed ſolùm lædere menſibus quinquè eos, qui tali nota non inſignuntur. Et quia omnes magicæ operationes, prout ad quatuor magiæ generaliter ſumptæ ſpecies: Diuinationem, Vanam obſeruantiam, Magiam Specialem, & Maleficium reuocantur, ſcientiam ac potentiam vel ſpeculatiuam: vel practicam maleficorū ſpectant. Ideò primò de ſpeculatiuis: Secundò de Practicis eorum operationibus duplici capite diſputabitur. Ex quibus quid ſciant, & poſſint: ſeu quanti ſint in ſcientia, & potentia manifeſtum fiet.

Regula Theologorum quæcumque poſſunt dæmones, poſſunt, & malefici.

Intelligenda limitate.

Ideò videndum quanti ſint.

In ſcientia quoad ſpeculatiuā. In potentia quoad practicam.

CAPVT I.

Quoad Speculatiuam.

598 TOta veneficorum ſcientia, & vniuerſa ſpeculatio duabus magiæ latè ſumptæ ſpeciebus cōcluditur: Diuinatione, nempè, & Vana obſeruantia, quæ ſunt ſpecies ſuperſtitionis. Nam cum *Superſtitio ſit vitium ſecundùm exceſſum virtuti Religionis oppoſitum*: vt docet Auguſtinus *lib. 2. de doctrina chiſtiana cap. 18. & 20.* & poſt eum D. Thom. *2. 2. q. 92. art. 1.* Per illam homo ſolet excedere: Vel quia Deum non debito modo colit: Vel quia creaturam modo colit indebito. Primum fit, cum Deo Optimo Maximo cultus defertur aut falſus, aut ſuperfluus. Falſus ſi colitur cæremonis Iudæorum, turpium admixtione in diuinis officijs; mutatione materiæ: aut formæ ſacramentorum; aliſquè huiuſmodi, quæ ex ſuo genere ſunt peccata lethifera. Superfluus. Non quòd Deus vero cultu nimium coli poſſit: vel maiore, quàm dignus ſit (omnis enim cultus; quem creatura ei exhibere poteſt, infinitè eius dignitate minor eſt) ſed quia aſſumuntur

Sientia ſpeculatiua maleficorum continetur. Diuinatione. Vana obſeruantia.

alia,

alia, quàm debent, quæ ad illum honorandum non ſunt idonea; ideò eſt exceſſus non reſpectu dignitatis diuinæ; ſed reſpectu eorum, quibus coli debet; putà, ſi varientur cæremoniæ ab Eccleſia præſcriptæ; aut præter eius vſum religio ponitur in ijs rebus, & circumſtantijs v.g. numero, ſitu, colore, in quibus conſtituenda non eſt. Secundum accidit tripliciter, primò ſi cultus adorationis ſummæ Deo debitus creaturæ exhibeatur. Secundò ſi ab illa quæratur notitia rerum occultarum, & futurarum, quæ à Deo ſolo haberi poteſt. Tertiò ſi ei tribuatur actuum directio, quæ fieri debet à Deo, vt ab eius cultu requiritur. Ideò quatuor ſuperſtitionis ſpecies aſſignantur à D. Thoma ex mente Auguſtini. Superſtitio indebiti modi colendi Deum: cum falſo, aut ſuperfluo cultu honoratur. Idololatria. Diuinatio: & Vana obſeruantia: cum triplici illi modo creatura honoratur, vt Deus. Et quia magi, & malefici Deum verum abnegantes, dæmonem pro Deo habent: vt ante monuimus: diuinoſquè honores ei ferre non verentur; nihil mirum, ſi idololatria peccantes, diuinationibus etiam, & vanis obſeruantijs vacent; totamquè ſuam notitiam, & cognitionem maleficam à dæmone hauriant: ſiuè Diuinatricem: ſiuè obſeruatricem: vt ſequentibus ſectionibus comprobabitur.

Ideò Alia eſt Diuinatrix. Alia Obſeruatrix.

SECTIO I.

Diuinatricem.

Tripliciter acquiritur notitia rerum occultarū, & futurarum contingentium.

599 Rerum occultarum, & futurorum contingentium notitia triplici modo ab hominibus acquiri poteſt; Prophetia, Coniectatione, Diuinatione.

§. I.

1. Prophetia, quę eſt à Dei inſpiratione.

Prima à Deo ſemper infunditur. *Eſt enim*, vt difinitur à Caſſiodoro *præfat. in pſal. diuina inſpiratio rerum à nobis procul diſtantium euenta, immobili veritate, & maxima cum certitudine prænoſcens, atquè denuncians.* Sed breuiùs à Ioan. Franciſco Pico *de prænotion. Eſt diuina illuſtratio, qua res intellectui humano abſcunditæ certitudinaliter prænoſcuntur.* Nam quis hominum quantauis ſit ingenij acuminoſa ſubtilitate præditus: vel abſtruſiora Dei conſilia, & myſteria fidei indagare; vel rerum ex libera hominum voluntate dependentium euentus futuros præcognoſcere poteſt abſquè diuina reuelatione: cum horum omnium cognitio ſolius Dei ſit? quia ad perfectam eorum cognitionem certitudinalem neceſſe eſt, res futuras contingentes cognoſci tanquam præſentes, quod ſoli Deo conuenire, certum eſt, cui nihil abſconditum, diſtans, præteritum, & futurum: ſed omnia nota, intima, & præſentia.

Quarè, vt ab hominibus dignoſcantur, neceſſe eſt, vt ille, in cuius æternitate, & infinita notitia patent, ſuo influxu, inſtinctu, & illuminatione ea manifeſtare dignetur, aut per Angelos, qui ordinarij ſunt ſecretorum diuinorum nuncij: aut per illuſtrationem intellectus, qui immediato Dei operantis influxu, vel coniuncto concurſu phantaſiæ cooperantis eleuatur. Quod dum fit, homines: quibus propheticum lumen impartitur, ſic mente illuſtrantur, & voluntate afficiuntur, vt apertè cognoſcant, & firmiſſimè credant, Deum eſſe ſuæ reuelationis auctorem, atquè intimo ſapore diſcernant certiſſimè, vt ait D. Greg. *lib. 4. Dialogor. cap. 48.* ſe non humanis ſomnijs, aut diabolicis fraudibus illudi; ſed diuinis ſplendoribus, & lumine prophetico, quo clarè futura cernuntur, illuſtrari; vt euentu ſemper prædictioni correſpondente poſtea comprobatur, vt latè docent Beatus Vincentius Ferrerius *tractatu de vita ſpirituali cap. 11. & 12.* Ioan. Gerſon *tract. de probatione ſpirituum*: Cardinalis Turrecremata *in præfatione Defenſorij reuelationum B. Birgittæ.* Henricus de Firmaria *lib. de quatuor inſtinctibus*: Ægidius Carlerius *par. 1. ſporta fragment. in princip.* Hieronymus de Ferraria *in Compendio reuelat.* Ioan: Franciſcus Picus *lib. vlt. de prænotion.* Ribadeneyra *lib. de tribulatione cap. 15.* Franciſcus Ribera *lib. 1. vita de Ieſu cap. 2.* Ioannes de Horoſco *de vera, & falſa prophetia*, & Delrius *lib. 4. Diſquiſ. magic. cap. 1. quæſt. 1. 2. & 3.*

§. II.

Secunda eſt coniectatio, quæ ex diſciplina, & obſeruatione humana, atquè ex prudenti cauſarum, ſignorumuè conſideratione procedit. Cum homo ſolers præſentia ordinat, præteritorum recordatur, & futura præuidet: quæ ſunt tria officia prudentis ſagacitatis: vt docet Ariſtoteles *6. Ethic. 7.* Dum præſentia tractat in conſilio res adhibet, bona, malaquè diſcernit, ſecernit cognitum ab incognito; noxia, & vtilia ſegregat; & quæ deligenda, aut fugienda ſunt, intuetur. 600

2. Coniectatione quę eſt ab humana obſeruantia.

Prudentia etenim, cum *ſit recta ratio agibilium*, vt definit Ariſt. *loco cit.* tanquam oculus quidam mentis vndequaquè lucidiſſimus oſtendit, quid facto opus ſit in qualibet occaſione; modumquè, & ordinem tribuit ijs, quæ facienda eſſe iudicat. Dum præterita reuocat in memoriam, illa cum præſentibus confert. Et ex ijs, quæ aliàs euenere, conijcit, quid futurum ſit. Ex quo etiam rectè verſum illum ex 1. *Homeri libro* vſurpabimus.

Qui ſcit præterita, ac præſentia, poſtquè futura.

Quem Virgilius vertit ad hunc modum.

Quę ſint, quę fuerint, quę mox ventura trahantur.

Duo namquè ſunt, quæ prudentiæ habitum fingunt, quorum alterum eſt mens diſciplinis, & cognitione munita. Alterum ſpectacula, & negotia partim ſeipſo partim alio modo percepta; quia nequè is, qui rationibus, ac exquiſitis contemplationibus animum exercet, ſatis idoneus eſt ad prudentiam; Nequè ille, qui talium animi ornamentorum nihil conſecutus, in multis alijs rebus experiendo verſatus eſt. Prior enim ad ſingularia perpendenda cæcum habet animum. Alter in vniuerſalium contemplatione nihil videt; ideò vt præſentia ritè dirigantur, neceſſe eſt & rationem priſtinas ſpeculationes generales delineantem, & experientiam ſingularia proponentem conuocare, vt ex ijs maturo conſilio agitatis rectè tùm publica, tùm priuata facta regantur: ità eruditè oſtendit Archytas Pythagoræus *in lib. de viro bono, & fęlice.* Vndè prudentia multarum memoria rerum, & plurium vſus negotiorum vocitatur. Ex præteritis, & præſentibus inſimul iunctis coniectat, vt plurimum, quid ſit futurus euentus rei, de qua agitur; & vt dicitur: *Perendinem ventum perdiſcit.* Vt ille, qui computando partibus coniunctis, totum ex iſtis reſultans colligit. Nam etſi humanarum rerum ſtatus continuis quatiatur motibus; & vniuerſæ mundi res certo quodam fluctuantis fortunæ impetu agitari videantur; tamen certa eſt in his ratio, quæ à prudentioribus perſpicitur, ex qua futura dijudicantur; ambigua diſcernuntur; eruuntur latentia: & contingentia probabiliter conijciuntur. Nam quò

magis

magìs prudentia pollent, eò certiùs coniectant: vt res non tàm præuidere, quàm diuinare videantur. Hinc eſt, quòd coniectura illa tam certa vaticinium, & diuinatio dicitur, non ſolùm in profano adagio: *Qui benè conijcit vatem hunc perhibeto optimum*. Sed etjam in Prouerbijs ſacris *cap.* 16. *Diuinatio in labijs Regis in iudicio non errabit os eius*.

§. III.

3. Diuinatione, quę eſt à dęmonis impulſu

601 TErtia, ſcilicet, Diuinatio procedit à dæmone, quæ iuxta D. Auguſtinum *lib. 2. de Doctrina chriſtiana cap.* 20. *Eſt vſurpatio pręcognoſcendi futura ex peſtifera quadam hominum, & dęmonum ſocietate*. Nihil enim eſt, quod antiquus Dei æmulus tantopere affectet, quàm aliquam diuinitatis ſpeciem futura annunciando præſeferre; & homines, qui ei pacto, & ſocietate coniunguntur ad rerum futurarum contingentium præcognoſcendo euentus, impellere, vt ad illorum vota diuinando Deus ab ipſis reputetur. Quarè futurorum prænotio, & diuinatio diuinatis imitatio dicta eſt, & qui ea prænoſcere norunt, Dij cenſendi ſunt iuxta illud *Iſaię* 41. ſupra relatum: *Annunciate quę ventura ſunt, & dicemus, quòd Dij eſtis vos*. Nihil eſt enim, quod hominem tàm ardenter exoptent, hi præcipuè, qui curioſitate ducti: aut ambitioſo occultarum ſcientiarum ſtudio incitati ſagacis ingenij motus ſequuntur, quàm eorum, qui poſterioribus ſęculis, & ſubſequentibus annis circa fortunæ bona, liberos, cæteroſquè euentus incognitos vnicuiquè reſeruantur, cognitionem aſſequi. Ideò omnia ſcrutantur, vt in eam deuenire poſſint. Quod cernens dæmon, illorum votis lubens obſequitur, promittendo propheticam prænotionem, atquè vatidicam ſcientiam, non futurorum modò: ſed etiam præſentium, & præteritorum, quæ captum intellectus creati aliquo modo præterfugiunt. In quo manifeſta eſt diuinæ gloriæ vſurpatio, cum Deo ſoli, non dæmonibus, aut hominibus competat omnia illa cognoſcere. *Nemo nouit*, inquit Paulus 1. Cor. c. 2. *quę ſunt Dei, niſi ſpiritus Dei, qui in ipſo eſt*.

602 Quarè prima notitia ad Prophetas pertinet, qui, ait Petrus 2. *epiſt. c.* 1. ſpiritu ſancto inſpirante loquuntur. Secunda ad viros ſagaces, qui ſapienter de omnibus coniectant. Tertia ad magos, & maleficos: qui dæmoniaco ſpiritu afflati præſentia manifeſtare, præterita referre, & futura prædicere valent: quia illorum ſpeculatiua cognitio circa diuinationes tantùm extenditur, quantùm dæmonis ſcientia pertingit, cuius dimenſiones *parte* 1. *ſecundę diſputationis* latè proſecuti ſumus; Ex quibus ſcientiæ diuinatricis latitudo peti poteſt. Sed quia omnis diuinatio fundatur in pacto explicito: aut implicitè cum dæmone inito, ideò in Explicitam, & Implicitam diuiditur: ſinè in eam, quæ fit per expreſſam dæmonum inuocationem: Et eam, quæ ſine tali inuocatione expreſſa, ſed tacita peragitur: vt ſequentes articuli declarabunt.

Et diuiditur. In Explicitam, & Implicitam.

ARTICVLVS I.

Explicitam.

Diuinatio explicita quomodo fiat

603 EXplicita diuinatio explicito pacto fundatur, & cum expreſſa dæmonis inuocatione: Vel conceptis verbis, & formis ab ipſo inſtitutis, quibus malefici, & incantatores vtuntur: Vel ſignis determinatis, & pactis quibuſdam à maleficis peragendis à dæmone conſtitutis in teſſeram ſuæ opis, & efficientiæ.

Hæc autem multos complectitur modos, prout dæmon diuinæ reuelationis modos imitando, variè inuocari, & reſpondere conſueuit. *Quibus modis Per*

§. I.

SOlemnis in lege veteri diuinorum reſponſorum modus erat, cùm Deus in publicis neceſſitatibus à Iudęis trepidantibus interrogabatur, & de propitiatorij medio edebat oracula. Nam cum in templo Ieroſolymitano nihil eſſet auguſtius arca fæderis, dicebatur ſuper illam ſedere in aureo propitiatorio deſuper extenſo; & ex eo tanquam ex ſolio Maieſtatis Pontifici ſciſcitanti diuinam voluntatem ſuam ſenſibili voce manifeſtare conſueuerat. Quem morem diabolus imitabatur, dum ipſe per idola celebriora in templis erecta: vt Iouis Dodonęi, Ammonis, Apollinis Delphici, Clarij, Delij Sminthæi, Veneris Gazenſis, & aliorum antiquitùs reſponſa fundebat. Itemquè per tripodes, pelues, quercus, & reliqua ſupellectilis diabolicis inſtitutis ſeruientis vaſa, ex quibus voces diuerſæ prodibant: vt tradunt S. Theodoretus *lib.* 10. *de curan. Græc. affection.* Cælius Calcagni *lib. de oracul.* Iulius Sirenius *lib.* 9. *de Fato*. Leloyerus *lib.* 4. *de Spectris: Marcus in vita S. Porphyrionis Gazenſis Epiſcopi*, Iamblicus *bib. de Myſter.* Plutarchus *lib. de defectib. oraculi*, Pomponatius *lib. de Incantat.* Aponenſis *in ſect.* 30. *Problem.* Leuinus Lemnius *lib.* 2. *de occultis natura* Fernelius *lib.* 1. *de abditis rerum cauſis*. Codroncus *lib.* 2. *de morbis maleficis cap.* 8. Natalis Comes *lib.* 6. *cap.* 10. & Pſellus *lib. de myſterijs Aegyptior. c.* 21. & 26. Licet aliqui dixerint ex peculiari quadam loci illius è terræ exhalatione, quæ fanaticos efficiat, prouenire. *Idola*

§. II.

HVnc alius non minus celebris apud Iudæos ſubſequebatur, cum Pontifex ſuperhumerali, ſeù rationali iudicij duodecim ſplendidis, & pretioſis lapidibus intertextis graui, & venerando indutus ſacras illuminationes, & perfectiones recipiebat à Deo, & receptas populo conſulenti fundebat: Vel minores Sacerdotes Ephod Sacerdotale ſibi applicantes, fiebant ad diuinas illuminationes aptiores, quibus cæteros perficiebant: vt eruditè notarunt Toſtatus, & Lipomanus *in Exod. c.* 28. Fräciſcus Ribera *in lib.* 3. *de templo c.* 12. Nic. Serarius *Theſib. de Ioſuan. Sacerdotibus*. Similis inueniebatur apud Gentiles, cum idolorum Sacerdotes à dęmone afflati poſt litatas multiplices hoſtias, & peractas luſtrationes aliaſquè ſathanicas cæremonias obſeruatas, indicabant, quid in propoſitis dubijs eſſet agendum, de quibus S. Iſidorus *lib.* 8. *Ethymol. cap.* 9. Rabanus *lib. de magorum præſtig. c.* 1. Gratian. Iuo & Burch. *in Decretum* 26. *q.* 3. 605

Idolorũ Sacerdotes.

§. III.

SIc vtriquè Sacerdotes tum Dei, tum dæmonis futura ex ſacrificijs conijcientes annunciabant, quamuis diuerſimodè. Illi enim offerentes hoſtias Deo viuo, & vero, cum de rebus grauioribus maieſtatem eius conſulebant, aliquando ſuas orationes acceptas eſſe ſignis externis experiebantur. Vt cum 605

Hoſtias immolatas.

ſacrificante Hoſtia ignis de cælo dilapſus boues oblatos, ligna, aquam circumquaquè per altare effuſam, mirantibus cunctis, abſumpſit. Iſti verò ſolicitè obſeruabant victimam cum producebatur, ſiſtebatur ad aram, attrectabatur ab aruſpicibus, & vinum infundebatur. Solicitiùs verò poſt litationes, & immolationes, cum exta, iecur maximè conſiderabant, in quibus operante dæmone apparebant aliqua ſigna, & motus inſoliti, ex quibus futuræ rei quæſitæ euentus agnoſcebatur. Ideò arioli vocati, teſte Iſidoro *loco citato*, propterea quòd circa aras idolorum nefarias preces emittebant, funeſta ſacrificia offerebant; iiſquè celebritatibus dæmonum reſponſa accipiebant: Haruſpices verò, ſeù Gazareni: quia prima diuinatio erat ex viuæ adhuc victimæ obſeruatione, dum producebatur, dum ad aram ſiſtebatur, attrectabatur, & vinum ei infundebatur: vt docet Hieronymus *in Eſaiam cap.* 47. Quod ad Haruſpicium reuocandum, de quo genere diuinationis poſteà.

§. IV.

606 *Vates, & pythones* NEc abſimilis erat modus ille, qui fiebat per Prophetas diuerſis temporibus à Deo miſſos ad eius mandata proponenda, & ea annuncianda, quæ antè eo inſpirante cognouerant. Quem etiam apud ſuos imitabatur Dei ſimia per vates pythonicos, ſeù pythios, ventriloquos, alioſquè abreptitios, obſeſſos, extaticos, & fanaticos homines, qui extra ſe rapti, & motu, ſenſuquè priuati futura enunciabant, voce ex imo ventre prodeunte, & dæmone ſub pectore infra cutem ſe manifeſtante: vt docent Origenes *lib.* 7. *contra Celſum*, Chryſoſt. *in* 1. *ad Cor. c.* 12. Oecumenius *in c.* 16. *Actor.* & Cælius Rhodiginus *lib.* 8. *cap.* 10. Ideò ventriloqui dicti à ventre, ex quo vox prodibat: ſicuti pythones vocantur à ſciſcitando, à quodam Eurycle ſic obſeſſo iuxta Suidam, & Ariſtoph: vel ab ipſo dæmone obſidente, ac loquente. At quandoquè etiam per vmbilicum futura enunciabat: Aut, ſi mulieres erant, per partes pudendas. *Dignum ſanè os tali numine* ait Origenes *loco citato*.

§. V.

607 *Figuras & ſymbola.* VOcibus Prophetarum iungendus eſt alius reſponſionis diuinæ modus, qui fiebat per ſymbola, figuras, & ænigmata ſenſibiliter oculis Prophetarum, & Sacerdotum oblata, per quæ diuina voluntas ſignificabatur. Hæ namquè ſpecies non ſolùm in imaginatione eorum formabantur; ſed etiam exhibebantur potentiæ viſiuæ: vt ex ſignis exterioris affectionis in interioris ſignati agnitionem deuenirent. Cuius modi æmulator exiſtens dæmon etiamnum hodiè, dum occulta patefacit, figuras oſtendit varias in igne, aere, aqua, terra, ligno, lapide, ferro, annulis incantatis, phialis vitreis, pelui aqua pleno, dum varijs immittuntur characteres, ſpeculis politis, chryſtallis, cribro forcipibus, impoſito, ſecuri palo infixa, aliiſquè modis, de quibus poſteà; qui omnes ad expreſſam diuinationem pertinent, quando conceptis, & expreſſis verbis inuocatur dæmon.

††
†

§. VI.

HIs adde ſomnia, quibus aliquando diuina placita quærebantur: vt probatur ex illo Saulis Samueli 1. *Regum cap.* 28. alloquentis, & reddentis rationem: Quare illum ſuſcitauerat, nempè, quia Deus eum exaudire noluerat, neque in manu Prophetarum: nequè per ſomnia, quibus modis deficientibus tanquam ordinarijs, ad extraordinarium ſuſcitationis confugere coactus fuerat. Et in Scriptura ſacra multa ſomnia referuntur: non ex ſpeciebus in anima reconditis: vt volunt Platonici: Non ex affectibus, & cogitationibus: vt dicunt Macrobiſtæ: Non ex imaginatiua, vel phantaſia componente, & diuidente: vt ſentiunt Auerroiſtæ: Non ex conſtellationibus, vt putant Aſtrologi: Non ex vaporibus, & prauis corporum humoribus, & affectionibus, vt tradunt Medici, qui inter ſe etiam diſſident, volentes aliqui ipſa prouenire ex corporis plenitudine, alij ex inanitate ipſius, alij ex antecedentibus curis, vt notat B. Gregor. *lib.* 4. *Dialog. cap.* 48. & Pererius aduerſus ſuperſtitioſas artes *lib.* 2. *circa medium*: Neque tandem ex dæmoniacis fallacijs procedentia; ſed immiſſa à Deo, modò terrente, & turbante hominem: vt Abimelech, & Laban: Modò hortante, & incitante ad ardua ſubeunda; vt Gedeonem, & Machabæum. Aliquandò docente, & monente, vt Ioſeph, & Magos. Aliquandò reuelante myſteria, ſicut Iacob, & Danieli: Aliàs præmonſtrante futuram alicuius gloriam, vt Ioſeph, & Mardochæo: Aliàs largiente ſpiritum propheticum, vt Salomoni, & alijs. *Numer.* 12. *Ioel.* 2. Quæ vt diuina, & à diuino ſpiritu emanantia, ſunt amplectenda, & obſeruanda. 608 *Somnia.*

§. VII.

SImili modo apud antiquos dæmon per ſomnia conſulebatur ab ijs, qui primo in vigilia illum inuocabant, præmittebant ieiunium, templa adibant, certo modo, & ritu ſe componebant ad ſomnum, & dormiebant in pellibus cæſorum animalium, vt reſponſa acciperent. Vndè Virgilius: 609 *Ab Antiquis obſeruata.*

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſquè petiuit.

De quibus videndus eſt Cælius Rhodiginus *lib.* 27. *antiquarum lectionum cap.* 14. & Macrobius *de ſomnio lib.* 1. His ità compoſitis apparere ſolebat dæmon, varijſquè illuſionibus deludere dormientes. Quibus quis non videat plures diuerſis temporibus ſæpiùs illaqueari, dum illis verſipellis hoſtis ſomnia dormientibus inſidiosè immittit, vel ad perturbationes animi ciendas, vt libidinem, iram, odium, vindictam, deſperationem; vel ad occultorum, aut futurorum contingentium ſignificationem; de quibus verum eſt illud Sapientis Eccleſ. 34. *Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in eis*: vt reipſa probarunt, qui ſuper matrimonio ineundo ſtatuam Veneris Gazenſis conſulentes, à dæmone decepti in ſomnis, vt refert Marcus hiſtoricus teſtis oculatus, tale contraxerunt matrimonium, quòd poſtea inter eos fieri diuortia; aut ægro, triſtiq. animo ſimul cohabitare, neceſſe fuit. Plures alios refert Delrius *lib.* 4. *Diſq: mag. c.* 2. *q.* 6. qui per ſomnia deluſi fuere. Hinc iuremeritò hæc diuinatio (quæ & onirocrita dicitur) per ſomnia à dæmone immiſſa, vt illicita, & abominanda à Deo deteſtatur, ac prohibetur. *Leu.* 19. *Nec obſeruabitis ſomnia* & *Deut.* 18. *Nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum &c. & obſeruet ſomnia*. Qui enim ex ſomnijs ſiuè à dæmone immiſſis, ſiuè ex naturalibus cauſis ortis futura diuinat contingentia, quæ pendent à libero *Quomodo illicita.*

arbitrio, vel à diuina prouidentia, vt mortem futuram alicuius, belli victoriam, inimicorum extinctionem, cuiuſdam ſubmerſionem, ſuffocationem, capitis obtruncationem, ad dignitatem euectionem, vel alterius cuiuſcunquè fęlicem, aut triſtem euentum, & certò, infallibiliter euentura credit, prout in ſomnio vidit, grauiſſimè peccat, vt mox dicetur in fine huius articuli: cum non conſtet ex quadam illuminatione animi, qua Deus mentem ſic illuſtrauerit, tale ſomnium à Deo, vel ab eius Angelo bono fuiſſe immiſſum.

§. VIII.

610 *Licita eſt obſeruatio ſōniorum, quę procedunt à cauſa naturali*

NOn eſt tamen denegandum, ſomniorum ex naturalibus cauſis procedentium eatenus licitam eſſe obſeruationem, & interpretationem, quatenus cauſæ naturales effectibus cauſæ ſuæ coniunctis ſunt adequatæ: ſi cauſa certa, & effectum certum producat, ſomniorum prædictio certa erit: ſi cauſa probabilis, & probabilem producit effectum, prædictio probabilis erit: ſi fortuitò, fortuita, & fallax. Ideò ſi ſomniorum cauſam attendimus naturalem, duplicem inuenimus, aliam intrinſecam ſomnianti, alteram extrinſecam eidem.

Intrinſeca.

Intrinſeca vel eſt anima, quæ dicitur cauſa animalis, aut (vt quidam loquuntur) moralis. Vel eſt corpus, quod vocatur cauſa corporalis, & ab alijs ſtrictè loquendo naturalis. Intrinſeca animalis eſt, quando ſomnia obueniunt de rebus, quibus cogitatio vigilantis valdè fuit intenta iuxta illud Salomonis *Eccl. 5. Multas curas ſequuntur ſomnia*. Quæ enim in vita frequentiùs homines vſurpāt, cogitant, curant, & vident; quæquè ſæpiùs agunt vigilantes, ea in ſomnis ſic illis vt plurimùm eueniunt. Ex quibus ſomniis ſiuè bonis, ſiuè malis poteſt quis obſeruare, vt impoſterum ſtudia, exercitationem, locutionem, conuerſationem, vitamquè ſuam meliùs, & ſecuriùs inſtituat.

Corporalis verò cauſa intrinſeca naſcitur à præſenti diſpoſitione, ac temperamento corporis, quod vel inedia exhauſtum; vel crapula repletum; vel humore aliquo nimis prædominante ægreſcit: vel alio interiore vitio laborat. Exindè vel pacata, vel turbida, vel multiformiter varia ſomnia naſcuntur. Quibus enim prędominatur humor ſanguineus, ideſt; ſanguis eſt copioſior, roſas ſomniant puniceas, crocum, hortos, conuiuia, choreas, complexus, aerem; volatum, & lęta omnia. Phlegmatici, mare, aquas, balnea. Cholerici, colores flauos, rixas, pugnas, occiſiones: vulnerationes, incendia. Melancholici, fumos, caliginem, tenebras, vagationes per loca ſola, nocturnas oberrationes, tetra ſpectra, mortes, triſtiaquè omnia. Quibus veſica humore plena, ſomniant de lacubus, fluuijs, imbribus, & ſomniando nonnunquam impluunt ipſi ſuper ſtratum. Quibus dominantur ſinceri, puriquè ſucci, putant in ſomnis volutari ſe inter odoratos; ſuaueſquè floſculos. Contra in ſordidis cęno, cloacis, cadaueribus verſari ſeſe, quorum in corpore humorès fętidi, putridiquè coaceruantur. Quibus viſcido humore affectæ, obſtructæ ſunt partes cerebri poſteriores, illi comprimi, ac ſuffocari ſibi videntur in ſomnis, quem morbum *incubum* latini vocant. Vndè Ariſt. *de ſomno, & vigilia* ait: *Si ſomnia ſunt ex his, quibus componimur: tunc ſunt ſigna ſanitatis: vel infirmitatis ſecundùm eorum differentias*. Hinc Medici huiuſmodi ſomnijs non parum iuuantur ad dignoſcendum corporis diſpoſitionem. Qua notitia vſus eſt Hippocrates *de inſomnijs*, & præcipuè Galenus, *lib. de præſagio, quod ex ſom. ducunt.* ſcribit quendā, cum ſomniaſſet alterum crus ſibi factum lapideum, mox ea corporis parte paralyticum extitiſſe.

Extrinſeca verò ſomniorum cauſa naturalis eſt vel aer ambiens, vel impreſſio, ſiuè influxus corporum cæleſtium; à quibus dormientis imaginatio, ſeù phantaſia mouetur: exem. gr. Somniatur quis eſſe in aqua; quia aer, vel cælum influens eſt in proxima diſpoſitione ad pluuiam, vel ſomniatur comburi: quia aer ambiens eſt calidus, & humiditate expers, vel cæli influxus eſt calidus, & ſiccus. Sicut enim corpora cæleſtia ſuo in materiam corpoream influxu varias formas lapidum, metallorum, plantarumquè gignunt: ſic influendo in phantaſiam, quæ organis corporeis eſt immerſa, poſſe è cæleſtibus corporibus produci, vel ſaltem excitari, & componi ſpecies imaginabiles effectui à corporibus illis cælicis promananti conformes, non eſt denegandum. Quam veritatem ſuſtinent Azorius *Sum. tom. 1. lib. 9. c. 17.* Suarez *to. 1. de Relig. lib. 2. de ſuper. c. 13. n. 6.* Sanchez *Decalogi lib. 2. c. 28. n. 49.* Ant. de Souſa *Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 50. n. 5. & 6.* *Extrinſeca.*

§. IX.

VLtimus modus diuinationis expreſſę fiebat certa verborum forma, certis carminibus, deſcriptiſquè circulis, figuris, literis, aut characteribus à dæmone mediatè, vel immediatè acceptis, ferè ſemper adhibito ſanguine per homines mortuos à Magis fictè ſuſcitatos. Nam cum per mortuos viuis apparentes Deus ſuam voluntatem ſæpiùs notam faciat; vt ex ſcripturis, & eccleſiaſtica probatur hiſtoria: hoc dæmon æmulatus ſolet per mortuos ſuſcitatos eo modo, quo ſupra docui *diſp. 1. n 33.* ſua promere oracula, reſquè occultas, aut futuras prænunciare. Quod diuinationis genus *necromantia* vocatum apud Gentiles ſummoperè viguit. Fueruntquè quondam apud varias gentes loca eius vſu nobilitata, in quibus à defunctis oracula, & reſponſa petebātur, vt Auernus campaniæ locus, & Theſprotum in Epiro, in quibus manes ab inferis ad Superos vi magici carminis (irrito licèt conatu) accerſebantur. Inſuper, vt ex Apulæio docet Auguſt. *lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 9.* In Boetia Amphieraus: In Africa Mopſus. In Ægypto Oſiris: alibi Gentium Æſculapius vbiquè euocati apparebant. Neſomanas propria oracula apud ſepulchra parentum manſitando captaſſe, ex Heraclide refert Tertullianus *lib. de Anima*. Et Celtas apud virorum fortium buſta eadem de cauſa obnoctaſſe, Nicander affirmat. Et modò nullum diuinationis genus tàm eſt in vſu, quàm ciere dæmones, qui ſe defunctorum parentum animas ſimulant; quò faciliùs inſerant animis hominum profanos Gentilium errores. Sic enim noſtri generis hoſtis viuis mortuorum terrorem immittit, vt eos tanquam ſibi noxios, & terrificos varijs ſuperſtitionibus placare ſtudeant; Aut tanquam beneficos, & ſibi amicitia, atq. neceſſitudine coniunctos ſuperſtitioſè diligant, & colant: Aut tanquam beatas animas nō hnmanis modò; ſed etiam diuinis honoribus proſequantur. Sic facit, vt homines putent, animas poſt mortē habere corpora, in quæ migrare, ſeq. trāsformare ad libitū poſſunt; & ita inſpirat errorē pythagoricū de tranſmigratione animarū, quo fides chriſtianæ reſurrectionis labeſcit. Sic perſuadet, infernū non eſſe carcerē perpetuum, quo liceat aliquādo egredi; nec adcò graues, & perpetuas eſſe pęnas inferni, ſicut aſſeritur. Vel ſimiles opiniones falſas, quas facilè in hominum mentes inſtillat; cum ſe ſimulat eſſe animam parentis, cognati, aut amici defuncti. Quis enim non credat libentiùs, 611 *Per Mortuos*

& prom-

& promptiùs iis, quos diligit, & à quibus ſe diligi putat, quàm dæmoni, quem quiſquè naturaliter horret? Hanc veritatem teſtantur D. Auguſtinus *lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 11. à medio*. D. Chryſoſtomus *homil. 29. in Matthæum*; & alij ſupra relati *diſput. 2. n. 362.* ad quos remitto lectorem. Exemplis probat Creſpetus *lib. de odio ſathanæ diſc. 12. in fine*.

§. X.

612 AD hoc genus diuinationis referendus eſt ritus magicus eorum, qui petunt à dæmone, vt reſpondeat per caput aſininum mortuum ſuper prunas aſſum, vt priſci Germani ſolebant: aut caprinum, vt Longobardi; de quibus D. Gregor. *lib. 7. epiſt. 7. & in Dialog. lib. 3. cap. 26. & 28. & hom. 1.* pertractat: aut per caninum, cui in toto corpore nullus ſit pilus niger, ſtaturæ mediocris, ſicut hoc anno 1648. dum hæc ſcribebam, feciſſe quandam anum Venetijs audiui ab iis, qui canem apprehenderant totum nigrum, & ſine vlla macula: vt ipſa præceperat: cuius caput abſciſſum ei tradiderunt, quod ipſis præſentibus ſuper prunas aſſauit, nonnullis interim admurmuratis verbis ad remedium præſtandum, vt ipſa aiebat, quo poſſet dominum illius domus, vbi hæc peragebat, ab oculorum ægritudine liberare. Aut tandem per humanum caput à dæmone huiuſmodi expiſcantur prædictiones: vt plures hodiè, qui illa craniomantia vtuntur.

In his verò ſeptem modis ad occulta, & futura præcognoſcenda (qui omnes, ſicut & alij ſimiles ad dæmonomantiam, & necromantiam reuocantur) grauiter Deum iniuria affici, certum eſt. Nam ſic cum eius hoſte perpetuo initur ſocietas, & ei tribuitur, quod proprium Dei eſt, nempè, futura præcognoſcere; quod fieri non poteſt, niſi in diuinæ Maieſtatis contemptum cum tacita blaſphemia, & euidentiſſimo periculo apoſtaſiæ à Deo, & damnationis æternæ. Huic namquè crimini vt plurimùm, imo ferè ordinariè alia crimina ſunt coniuncta (de quibus à Confeſſarijs, & Iudicibus diligentiſſimè ſunt interrogandi ij, qui pacto explicito dæmoni ſunt addicti) nempe Idololatria: quando dæmonem adorant cultu ſolius Dei, & cæremoniis ad ipſum ſolum ordinatis. Vel Idolodulia, quæ contraria eſt virtuti duliæ, qua coluntur Sancti; cum illum adorant ſolo Sanctorum cultu propter excellentiam ſuæ naturæ, & ſcientiæ ad habendum illum propitium. Apoſtaſia: quando expreſsè abnegant Deum, Chriſti humanitatem, eius fidem: renunciant Baptiſmo, Confirmationi, ac cęteris ſacramentis; eaquè conantur in ſe quibuſdam cæremoniis extirpare. Blaſphemiæ in Deum, in Chriſti humanitatem, in Beatam Virginem, in Sanctos omnes. Sacrilegium: cum in ſuis incantationibus abutuntur rebus ſacris, & interdum oleo ſancto, & ſacra Euchariſtia. Luxuria: quando ſe cum dæmone nefariè commiſcent. Hypocriſis ſacrilega, ſi intentio ſit ad conciliandam opinionem Sancti, aut Prophetæ. Scandalum: ſi ex hoc ſequatur diuinatio, & inductio aliorum ad credendum diuinata; & iuxta illa operandum. Damna proximorum in bonis animæ, corporis, & fortunæ: & alia abominanda crimina, de quibus tota ſecunda huius diſputationis parte latè pertractaui. Sed potiſſimùm hæreſis, vt confirmant Suarez *tomo primo de religione lib. 2. de ſuperſtitione cap. 8. à num. 22. vſque ad finem*, Leſſius *de iuſtitia, & iure lib. 2. cap. 43. dubitatione 5. à num. 27. vſque ad 30. & cap. 44. dub. 4. num. 27.* & Sanchez *tom. 1. in præcepta Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 26.* cum credunt, diabolum non ſubiturum pęnas æternas: aut non eſſe damnatum, & miſerum: & eos, qui ipſi adhærent, non eſſe damnandos: Vel ipſum aliquid poſſe abſquè Dei permiſſu: Vel quod ſæpiùs euenit in his diuinationibus, ſi diuinando crediderunt, dæmonem futura contingentia, quæ à libero pendent arbitrio: vel à diuina prouidentia, certitudinaliter præſcire, ac prænunciare poſſe, quia ſi ſic: tunc ſunt hæretici excommunicatione prima in Bulla Cęnæ Domini lata contra hæreticos ligati. Hoc enim modo quantum eſt ex ſe, tollunt libertatem à libero arbitrio; & voluntati, quæ libera eſt, imponunt neceſſitatem; quæquè ſoli Deo competunt, dæmoni attribuunt. Quo errore quid peius? Ratio dictat. Nam ſicut voluntas humana non eſt determinata ad vnum; ſed manet ſemper libera ad diuerſos, & contrarios actus producendos: ſic euentus futurus ab ea procedens ſemper eſt indeterminatus, donec actus fuerit productus. Similiter diuina Prouidentia neceſſariò neceſſaria, & contingenter contingentia euenire ſinit, teſte Auguſt. *lib. 7. de Ciu. Dei c. 30. Res, ait, quas condidit, ſic adminiſtrat Deus, vt eas ſinat proprios motus agere. Vndè ſicut res ſe habet ad eſſe, ità ſe habet ad cognoſci*, teſte Ariſtotele, idcirco quæ neceſſariò eueniunt poſſunt à creatura certitudinaliter præcognoſci, ſed quę contingenter, non niſi contingenter, & indeterminatè præcognoſci queunt. Nam ſi certitudinaliter poſſent præcognoſci, certitudinaliter euenirent: ſic contingentia non eſſent contingentia, nec à libero arbitrio prouenirent; vel ſi prouenirent, liberum arbitrium nõ eſſet liberum, quod implicat contradictionem. Solius ergo Dei eſt, huiuſmodi futura contingentia certitudinaliter præſcire, cuius oculis omnia nuda ſunt, & aperta, cum omnia præterita, & futura illi ſint præſentia, vt dicitur infra *n. 613.* cum ipſe ſolus nouerit corda hominum: vt ait Apoſtolus *Act. 1. Rom. 8. & Hebr. 4.* Sic quæ pendent à Deo nemo nouit, niſi ipſe Deus: vt ait idem Apoſt. *1. Cor. 2. Nemo nouit, quæ ſunt Dei, niſi Spiritus Dei qui in ipſo eſt.* Quare dum iſti diuinatores credunt, dæmonem certitudinaliter præſcire, & prænunciare poſſe effectus pendentes à libero arbitrio, & à diuina Prouidentia, tollunt ab eo libertatem; & quod ſolius eſt Dei, dæmoni patrono ſuo aſcribere non verentur, illumquè vt Deum omniſcientem, ac ſapientiſſimum ſuſpiciunt, & venerantur iuxta illud *Iſaiæ c. 41. Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* Quo quid Deo iniurioſius, ac Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſius?

ARTICVLVS II.

Implicitam.

IMplicita diuinatio continet inuocationem tacitam, tacitoquè pacto fundatur, & diuiditur in Augurium, & Sortilegium. 613

Diuinatio implicita diuiditur In Auguriũ & Sortilegium.

Prima capitur ex ſola inſpectione diſpoſitionis quarundam rerum abſque alia hominis actione: cum aliquis quærit medijs indebitis, hoc eſt, à diuina Prouidentia ad hoc minimè inſtitutis, cognitionem ſoli Deo reſeruatam. Nam hoc ipſo, quòd vanitates illas obſeruat, tacitè velle cenſetur edoceri à dæmone, quòd ſe huiuſmodi obſeruationibus libenter immiſcet.

§. I.

§. 1. *Auguriũ capitur ex*

HÆc autem inſpectio diſpoſitionis rerum, quæ Augurium dicitur, vel Auſpicium: vel etiam Augerium, ſeù Auigarium, conſiderat in eis vel motum, ſitum, & numerum: Vel voces, cantus, & ſonos; Vel figuras, colores, lineamenta: ſed tot, tantiſquè modis, vt ferè nihil ſit in orbe, ex quo aliquam non hauriat diuinationem.

Aſtris cæli

Ex cælorum aſtris, & maximè planetarum ortu, occaſu, coniunctione, oppoſitione, varioquè aſpectu inter ſe, tum ad ſtellas fixas Genethliaci iudicant de vniuſcuiuſquè conſtitutione naturali, conditione vitæ, matrimonijs, honoribus, opibus, infortunijs, inimicitijs, prælijs, exilio, carcere, morte, aliiſquè caſibus humanis prout cauſantur à benignis: aut malignis conſtellationibus. Quod an iuſtè, licitè, vel illicitè faciant, mox infra dicetur *n.619.& ſequent. & n.622.& ſeq.*

Igne

Ex igne Pyromantici, ſeù Pyroſcopi proſperos, aut infęlices euentus præcognoſcunt, ſi ignis in vnam coeat pyramidem, aut variè diſpergatur: ſi ſilet, aut crepitat: ſi ſplendet, aut obſcuratur: ſi extinguitur, aut incaleſcit; ſi calor eius intenſus eſt, aut remiſſus: ſi aſcendit, aut flectitur: ſi faces citò comprehendit, aut lambit: ſi fumum ſpiſſum emittit, aut rarum: ſi aſſurgit triſcuſpis, & his ſimilia: vt docet Glycas ex Theodoreto, & Souſa *lib.1.c.46. Aphor.*

Aere

Ex aere ſimilia rimantur Aeromantici, obſeruando, cum tonitru longiorem, aut breuiorem: acutum, aut obtuſum ſonum edit: fulmen ad leuam fertur, nubes diuerſo colore, curſu, forma, tempore agitantur: ſpectra inſolita in equitum, armorum, & animalium forma apparentia: & fulgetra conſpiciuntur, quæ iuxta illorum mentem diuiduntur in bruta nulli rationi innixa, & prorſus vana, & fatidica, quæ rurſus ſunt, vel auxiliaria, vel conſiliaria, vel peſtifera: de quibus Plinius *lib.2.cap.52.54. & lib. 23.cap.2.* S.Thom. *2.2.q.95.art.3.* Torre *tit. de Geomantia*, & Pictorius *de Magia cap.10.* & Souſa *lib.1. cap.45.Aph.*

§. II.

Aqua

EX aqua quid non diuinant Hydromantici? Ex tribus lapillis proiectis, gyriſquè ſe triſariam amplexantibus. Ex ictibus annuli de filo ſuſpenſi, & vaſculi latera conſtitutis ictibus pulſantis. Ex colore, ſono, motu, agitatione, & circumuolutione. Ex ſpontaneo motu, cum pronunciatis carminibus efferueſcit: ſic Venetiis plures mulieres ad cognoſcendum, an aliquis ſit maleficio affectus, ponunt ſuper caput infirmi mappulam plicatam, & ſuper eam vaſculum aqua plenum, quæ ſi ſpontaneo motu ebulliat, diuinant, ægrum eſſe maleficio affectum, & aquam in Euripum, ſeù canalem proiiciunt: vt egomet audiui ab ipſis ægrotis, quibus talia fuerunt adhibita. Ex guttula pariter olei immiſſa in aquam, in qua tanquam in ſpeculo mira cernuntur. Ex nominibus inſcriptis in pillulis, & in eam coniectis, Ex cera, vel plumbo liquatis, & inſtillatis aquæ guttatim, & figuris indè ortis ſe coniectare futura iactant. De quibus S.Thom. *2.2.q.95.art.3.* Antonius Souſa *lib.1.cap.44. Aphoriſmorum*, & Delrius *diſqu. magic.lib.4.cap.2.q.6.ſect.3.* Si verò huiuſmodi motus, vel actus fiunt in vino; aut in vaſculis vino plenis dicuntur Oenomantici, vt docet Azorius *lib.9. Inſtitut.moral.cap.14.*

§. III.

EX terra Geomantici per varias punctorum protractiones, diuerſaſquè figuras ſe occulta inquirere, & futura præcognoſcere profitentur: vt tradit D.Thom. *loco cit.* & Torre ibi *de Geomantia*: Souſa *loco cit.cap.43.* 614 *Terra*

Mixtis, & artificiatis

Ex mixtis, & artificiatis Katoptromantici producunt ſua ſpecula, in quibus diuerſæ imagines poſt fuſas ad Deum preces apparent, ſi puero impolluto offerantur: aut mulieri grauidæ vſquè ad certum menſem: quæ omnia repræſentant, de quibus fit conſultatio; Hi ab alijs dicuntur Captromantici, ſeu Capnomantici. Chryſtallomantici ſua vaſcula chryſtallina: Gaſtromantici ſuas phialas aqua plenas cum cereis accenſis, ac vocibus obmurmuratis partim intellectis, partim non intellectis. Dactilomantici ſuos annulos ad certam cæli poſituram. Parthenomantici achaten in potu hauſtam ad explorandam puerorum, & puellarum virginitatem. Clidomantici ſuam clauem cartulis inſcriptis circundatam inſcripto nomine furis, & ſacræ ſcripturæ libro alligatam, digitiſquè virgineis ſuſtentatam, cuius rotatione furtum indicare putant, ſuſurratis quibuſdam verbis. Coſchinomantici, ſeù Coſcinomantici ſuum cribrum per forcipem ſuſpenſum, & deieratione facta, ſeù adiuratione per ignota verba. Libanomantici thure igni addito felicem, vel abominandum coniectant euentum. Axinomantici ſecuri, vel aſcia affixa trunco, filoquè ſuſpenſa perpendiculi more ſub alicuius nomine, culpæ alicuius reum agnoſcunt, & ex motu ſignificatur innocenſnè, an reus ſit. Alij dijudicant idipſum ex prædictarum motu in aquam proiectarum. Coromantici facta euocatione ceram per ignem in aquam decidere faciunt, vt dictum eſt numero precedenti. Tephramantici ex cinere, additis exorcizationibus, & literis in ipſo cinere ſcriptis, quæ in verba coaleſcant, ſuas diuinationes exhauriunt. Tiromantici ex caſeo. Onomantici, qui & Arithomantici, ſeù Arithmomantici prædicunt mortem aut vitam ægrotantibus, proſperam, vel aduerſam fortunam, conſideratis primis literis proprij nominis cum ſuis numeris, die lunæ, aut ſolis, dictorum numerorum additione, & ſubtractione, ac reſiduo totius ſubtractionis, & hoc fit per rotam, quam Pythagoræ vocant. De his legantur Azorius *lib.9. Inſtitut.moral.cap.14.* Souſa *lib.1. Aphor.c.56.*

§. IV.

EX herbis, & plantis, & fructibus Botanomantici, verbenæ, ſaluiæ, lunariæ, tamariſcis, ſeu myricæ folijs, & ramuſculis conſignant quæſitium nomina, & quæſtionem agitatam, atquè ab eis furis, vel rei futuræ cognitionem petunt. Chapnomantici grana ſeſami: vel papaueris nigri in ardentes prunas inijciunt; & indè ſurgentem fumum obſeruant. Critomantici ex tritico, & ordeo ea, quæ ab alijs ignorantur, enunciant. Daſnomantici ex lauri folijs cum fragore obſtrepentibus. Sycomantici fici folium pro baſi ſuæ diuinationis habent verbis necromanticis folium hoc imphiltratum. Ita Azorius *loco citato*. Souſa *Aphor lib.1.cap.46.* 615 *Herbis, & plantis*

Piſcibus

Ex piſcibus Icothiomantici, precibus quibuſdam additis, ſumpta eſca ſuas perficiunt diuinationes; vt antiquitùs in Dina foſſa, & in fonte Apollinis apud Miras, & apud Syrrhum vicum fiebat: qua diuinatione vſi ſunt Polydamas bello Troiano, & Ti-

Tireſias Thebanus: vt referunt Cęlius Rodigin. *lib.* 7. *c.* 20. Plinius *lib.* 9. *cap.* 16. & *lib.* 32. *cap.* 2. & Plut. *lib. de induſtria animalium*.

Auibus. Ex auibus Augures tanta, & tam varia præcognoſcebant ſiuè occulta, ſiuè futura, vt nulli ex diuinis apud veteres ipſis æquari viderentur: cum ob omiſſum augurium Romani P. Claudij, & Lucij Iunij bello Punico primo; & Flaminii bello Punico ſecundo clades accidiſſe putarint: vt tradunt Cicero *lib.* 1. *de diuinatione*, Feſtus *in Puls*; & *in oſcinum*, Polybius *lib.* 1. & Valerius Maximus *lib.* 1. *c.* 4. Iſti verò ſuas prædictiones ſumebant ex garritu, volatu, & tripudio auium; quarum aliæ funebres: aliæ cliuiæ: aliæ arculæ: aliæ remores dicebantur. Diligenterquè notabant, ſi negligerent cibum; ſi auidè depaſcerentur; ſi aliqua grana ex roſtro deciderent, & terram ferirent. Quem ſonum puls edebat cadendo: Ex quibus vel ſecundos, vel ſiniſtros euentus prædicebant: vt referunt Gellius *lib.* 6. *c.* 6. & Plinius *lib.* 10. *cap.* 13. & 18. Idcircò dicitur Augurium, quaſi Auigurium: ſeù Auigerium, vel Auigarium: quod nuncupatur etiam Auſpicium. Nec eſt alia differentia, niſi quod Augurium dicit cognitionem habitam per auditum: Auſpicium vero per viſum: vt docet S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 3. & 7. Torre, & Souſa *lib.* 1. *Aphor. c.* 49. cum vtrumquè denotet Augurum Prænotionem, quorum ſtultitia refellitur ab Vuimpina *lib. de diuinatione cap.* 3. 4. & 10.

§. V.

616 Quadrupedibus. EX quadrupedibus Auſpices ſeù Augures etiam ſuas prædictiones aucupabantur, quæ auſpicia pedeſtria vocabant, & ſumebant ex lupis, leonibus, ſimiis, canibus, arietibus, aſinis, capris, vulpibus, muſtellis, vt probatur à Tiraquello *ad Alexandrum ab Alexand. lib.* 5. *cap.* 3. Sed præcipuè ex animantibus, quæ in ſacrificiis offerebantur, vt antea dictum eſt. Vndè Haruſpicina nomen accepit. Non enim ab obſeruandis horis dicitur, vt dicunt quidam; ſed ab haruga veteri vocabulo, quod iuxta Donatum, hoſtiam ſignificat.

617 Hominibus. Ex hominibus quid prædictionum non hauriunt ex homine naſcente, creſcente, viuente, & mortuo iſti homines irriſores? Si naſcitur? Omphalomantici per nodos vmbiculo adhærētes conijciunt quoties puerpera; & quid poſtmodum paritura. Amniomantici ex colore rubicundo, liuido tegiminis, & inuolucri, quo caput infantis, quaſi galeatum tegitur, fortunam eius ariolantur; de cuius vanitate legendus Leuinus Ziricæus *lib.* 2. *de occult. natur. mirac. cap.* 8. Si creſcit: Onychomantici, ſeù onimantici ex vngue pueri impolluti oleo, ac fuligine illinito, & ſolem verſus obuerſo, ac varia repræſentante prædicunt. Si viuit: Chyromantici ex inſpectione linearum in manibus. Pedomantici ex ſignis pedum. Nothomantici ex dorſo. Spatulamantici ex lineis, & ſignis in ſcapulis, ſeù armo repertis. Metopoſcopi ex vultus, & frontis lineamentis. Phyſionomici ex totius corporis ſtatu, & diſpoſitione futuros euentus enunciant. Si moritur Antropomantici ex hominum occiſorum fibris, viſceribus, aluiſquè diſſectis mulierum grauidarum: aut puerorum corpuſculis ſuas prædictiones rimantur. Hac vſus eſt diuinatione Heliogabalus, monſtrum, non homo; vſus etiam Iulianus Apoſtata, qui grauidarum aluos exſecabat: vt Antiochiæ, & Carris deprehenſum, teſtantur Cedrenus *in Annal.* & Theodor. *lib.* 3. *c.* 21. & 22. Aliæ innumeræ ſuperſtitiones includentes pactum cum dæmone, quæ fiunt per verba, characteres, ac res aliquas naturales applicatas ad curationes, & effectus mirabiles dignoſci poſſunt, cōſideratis regulis à S. Th. traditis 2. 2. *q.* 96. quas latè exponit ibidem Raphael de la Torre per multas diſputationes. Sed & nos latiùs de his diſputabimus infra *tom.* 2. *diſput.* 1. *in fine*. Ferè autem omnes prædicti diuinationis modi ſi concurrat aliqua ex illis conditionibus poſitis ſupra *n.* 603. ad diuinationem explicitam ſunt reducendi.

§. VI.

HI autem omnes prædictionum modi, de quibus latè Azorius *lib.* 9. *Inſtitut. Moral. à cap* 12. *ad* 24. & Delrius *lib.* 4. *diſquiſ. magic.* non æqualiter; ſed alij iuſtè: alij licitè: alij illicitè exercentur. Certum enim eſt, vt benè Leſſius docet *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 7. *de ſuperſtitione*, hæc omnia non inſpici tanquam cauſas, aut effectus euentuum futurorum. Non vt cauſas. Nullus enim Chyromanticus, aut Haruſpex illas ſic accepit, & intellexit. Quam enim vim habere poſſunt in tales euentus? Non vt effectus; quia illa euentus præcedunt; ſed vt ſigna inſtituta, & directa ab eadem cauſa, à qua prædicti euentus proueniūt. Quarè iuſtè, licitè: aut illicitè exercentur, prout vel à peculiari directione diuina: Vel à cauſa ſola naturali; Vel à dæmone procurante proueniunt. 618 §. 2. Quomodo exerceatur.

Iuſtè. Si certum ſit, aut etiam probabile, aliqua ſigna prouenire à Deo; vel à ſingulari eius Prouidentia dirigi ad aliquid præſignandum; iuſtum eſt, ex illis prædictionem capere. Sic Iris ſignum eſt non ampliùs delendi mundi per aquas *Geneſ.* 9. Columba deferens ramum oliuæ virentibus folijs ſignum erat, Deum eſſe placatum, & exhauſtas aquas diluuii. Exercitus viſi in aere inter ſe pugnantes, & Cometes in forma gladii apparens ſuper vrbem Hieroſolimam, ſigna erant venturæ cladis per Reges Græcos tempore Machabæorum: & vltimi excidii ſtatus iudaici tempore Titi, & Veſpeſiani. Quarè iuſtè prædictio ex illis capi poterat; cum Deus hæc ita inſtitueret, vt talia ſignificarent; & videntes occultè inſpiraret ad impendentia mala præcauenda: vt in *lib.* 2. *Machab. c.* 5. & ex Ioſepho *lib.* 7. *de bello iudaico* refertur. At rariſſimè talia ſigna videntur; & ſuperiora, quæ tam multipliciter ex creaturis capi diximus, ad hanc ſpeciem referenda non ſunt. Si tamen daretur aliquid ſimile præcedentibus, & certò conſtaret ex diuina procedere Prouidentia, quis non concedat, iuſtè ex illo futurum aliquod bonum, aut malum euentum conijci, cum ad hoc fuerit à Domino præmonente inſtitutum?

§. VII.

SI verò huiuſmodi ſigna, vt naturalia inſpiciantur, licitum eſt ex illis prædicere omnes euentus, qui ab illis vt à cauſa naturali proueniunt: aut ab eis ſequi ſolent. In huius naturalis coniectationis claſſem refero quæcumque cauſis naturalibus verè innituntur; vel ſaltem eas non improbabiliter omninò prætexunt: cuiuſmodi ſunt agricolarum, paſtorum, nautarum, architectorum, medicorum, chiromantarum, metopoſcoporum, phyſionomorum, aſtrologorum, & aſtronomorum. 619 Licitè. Ab

Aſtronomis. Aſtronomi enim, quorum ſcientia aſtronomica nititur vniuerſaliſſimis veris, & incommutabilibus principijs, ac velut theorica, ideſt, ſpeculariua agit in vniuerſali de aſtris, videlicet de eorum quantita-

te,

te, menſura, diſtantia, de ſitu, motu, & curſu, de aſpectibus, de eclypſi, de polis, de hemiſpherijs, de circulis excentricis, & concentricis, de epiciclis, de retrogradationibus, de acceſſibus, & receſſibus, & de aliis ſimilibus ad aſtra, & eorum motus pertinentibus, licitè poſſunt ex ſiderum aſpectu, & motu futuras Solis, aut Lunæ eclypſes, ac cæteros vniuerſales illos artis ſuæ euentus iuxta canones ſuæ ſcientiæ certè prænunciare; quia ad horum inferiorum effectus contingentes non ſe extendunt; nec ad concluſiones de fide, ac de moribus deſcendunt; niſi tamen vel ſupputatio, vel inſtrumenta eos fallant: vt docet Delrius *lib. 4. diſquiſ. mag. c. 3. q. 1.*

§. VIII.

620 *Aſtrologis.* ASTrologi verò, quorum aſtrologia eſt veluti praxis reſpectu theoricæ aſtronomicæ; quia agit de aſtrorum effectibus, influxibus, ac proprietatibus, licitè poſſunt ex aſtrorum, ac planetarum curſu, motu, & ſtatione varia coniectare ſecundùm ea, circa quæ verſantur. Si enim reſpiciant ſyderum reuolutiones, licitè poſſunt aeris ſalubritatem, annonæ pretium, puta, abundantiam, vel caritatem, tempora ad plantandum, ſeminandum, & ſcindendum apta, ventos, tempeſtates, terræmotus, peſtilentias naturales tàm in hominibus, quàm in iumentis, & alia id generis naturalia prænunciare: vt teſtatur Thomas Garzonus *in ſua Platea vniuerſali*, vbi de Aſtronomis, & Aſtrologis *diſcurſu 39.* dummodo hæc neceſſariò euentura non prǫnunciet; ſed contingenter, & cum formidine oppoſiti. Si autem hominum natiuitates conſiderent, licitè hominum inclinationes bonas, aut malas coniectare poſſunt, & dicere, ſe ſuſpicari hunc, vel illum puerum fore talem, & ad talia vitia, aut virtutes inclinatum: & iſti appellantur Genethliaci. Si tandem attendant electiones: quid in ſingulis rebus conſultò, & vtiliter faciendum, quid omittemdum, quando ædificandum, quando nauigandum, equitandumuè, quando egrediendum, manendumuè domi, deniquè quando, & quibus locis ſingula facienda, licitè coniectare poſſunt, ſi tantùm dicant, ſe æſtimare, quòd res benè ſit ceſſura, & re vera animo ſuo non plus tribuant, quàm verbis præſeferunt. Quod in omnibus his tribus modis valdè eſt notandum. Hæc fusè docet Conradus Vuimpina *lib. de Fato, & alio opere de Superſtitione lib. 2. c. 7.* Ratio; quia propter conſideratos euentus ſimiles ad ſimilem aſtrorum poſituram ſæpè ſubſecutos licet nobis æſtimare, ſuſpicari, & metuere ſimilia. Nequè vllum peccatum in hac obſeruationis cautione verſari, quæ eſt portio quædam prudentiæ, & ideò ſecundùm ſe bona, quis non videat?

§. IX.

621 *Phyſionomis, Metopoſcopis, Chiromantis.* PHyſionomi, quorũ ſcientia pars eſt philoſophiæ naturalis, ex corporis diſpoſitione, & membrorum habitudine, & proportione: ſicut & Metopoſcopi, & Chiromantici, quorum ſcientia continetur ſub phyſionomia; ex vultus, aut manuum diſpoſitione, proportione, ac lineamentis, animi affectus, ingenium, corporis temperiem bonam, aut malam, & variam inclinationem licitè prænunciare poſſunt; cum ex his poſſint probabilitater dignoſci: vt docet Sanchez *tom. 1. in præcept. Decalogi lib. 2. cap. 38. num. 44.*

Medicis. Sic Medici ex eiſdem valetudinem, morbos, criſim bonam, vitam longam, aut breuem: prauas, aut rectas affectiones coniectare ſolent: vt latè tradunt Hippocrates *lib. de prognoſt.* Et in eum Comment. Galeni, Ariſtoteles ſæpè *in Problem.* Celſus *lib. 2. de Medicina*, & horum ſequentes veſtigia, Franciſcus Picus *prænotionibus lib. 3. cap. 7.* & Vuimpina *lib. de ſignis c. 8. & à c. 13. vſquè ad 21.*

Sic Agricolæ, Paſtores, Nautæ, & Architecti tempeſtates, ventos, ſerenitatem, pluuias, frigus, & ſimilia ex aſtrorum, & planetarum ſtatu, ex volatu, aut cantu auium, curſu, paſtu, & motu inſolito piſcium, aut animalium probabiliter coniectare, ac licitè prænunciare valent. De quibus multa rei ruſticæ ſcriptores: Plinius *lib. 2. natural. hiſt. c. 40.* & ibi Michius: Vuimpinas loco citato, Seneca *lib. 5. Natur. quæſt.* Valeſius *de ſacra philoſophia cap. 50. & lib. 1. de ſignis c. 5.* *Agricolis, & cæteris.*

§. X.

SI autem illa ſigna nec à Deo inſtituta ſunt: nec vt naturales cauſæ euentuum inſpiciuntur, illicitum eſt, & ſuperſtitioſum ex illis ſumere prædictionem. 622 *Illicitè.* Quod toties fit, quoties ex aſpectu ſyderum, volatu auium, animalium motu, herbarum applicatione, lineamentis manuum, & corporis forma ſecundùm regulas Aſtrologorum, Mathematicorum, Genethliacorum, Planetariorum, Phyſionomorum, Metopoſcoporum, Chiromanticorum, & aliorum huiuſmodi ſortilegorum quis iudicare præſumit de futuris à cauſa libera dependentibus: vt de ortu puerorum, & natali die, de vniuscuiuſque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, diuitiis, matrimoniis, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis diſcriminibus, aliiſquè proſperis, & aduerſis caſibus, & euentibus humanis. Vel etiam de præteritis, vt quinam ſint huius parentes: cuius fortunæ fuerit: quis furtum, vel homicidium commiſerit, &c. Ratio prima eſt, quia ſigna iſta illos euentus naturali modo non ſignificant: cum nequè ſint illorum cauſæ, nequè illorum effectus: nequè vnà cum illis ab aliqua cauſa communi pendeant: nequè ex directione diuinæ Prouidentiæ oriantur; ideò ſequitur illos euentus ab eis ex directione, & inſtitutione dæmonis ſignificari; quia talia ſigna inſtituit, & euentum ſignificatum interdum procurat, vt mentes hominum ſuperſtitione, & curioſitate implicitas quocumquè lubet, impellat: vt docet Auguſtinus *lib. 2. de Doctrina chriſtiana c. 24. Illi ſpiritus*, inquit, *qui decipere volunt, talia procurant cuiquè, qualibus eum irretitum per ſuſpiciones, & conſenſiones eius viderint.* Et paulò antè: *quæ omnia tantùm valent, quantùm præſumptiones animorum*, (ideſt anticipata opinione) *quaſi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata ſunt, quæ tamen omnia plena ſunt peſtiferæ curioſitatis, cruciantis ſolicitudinis, mortiferæ ſeruitutis; non enim quia valebant, animaduerſa ſunt; ſed animaduertendo, & ſignando factum eſt, vt valerent: & ideò diuerſis diuerſa proueniunt ſecundùm cogitationes, & præſumptiones ſuas.* Cum enim diabolus videt, iſta credi, dat operam, vt eueniant, vel videantur euenire, vt homines in hac peſtifera opinione confirmet. Secundò ſi huiuſmodi futura contingentia ex aſtris, vel cæteris aliis ſignis certò præſciri poſſent, tolleretur libertas humani arbitrii: Nam ſi certò præſciri poſſent, hoc foret, quia actiones illæ ab aſtris, vel ab illis ſignis, & non ab arbitrii libertate penderent; ſicquè deſinerent eſſe futura contingentia: implicat autem contradictionem, certò aliquid huiuſmodi prędici, & tamen hu-

huiuſmodi libera, ſiuè contingentia eſſe. Tertio repugnat myſterijs Chriſtianæ fidei, quia ſic ſtellis, & huiuſmodi ſignis ſubijcerentur, & deducerentur ex aſtrorum ſitu, vel influxu: ſic enim Chriſtus, & omnia opera eius ab aſtrorum influxu, & motu, vel ab alijs huiuſmodi ſignis proueniſſent, quo quid abſurdiùs? Talia enim myſteria à libero Dei decreto dependebant ſolo. Deus enim, vt conſtituit, ſic etiam poteſt cælorum curſus, & omnium creaturarum motus, & naturam immutare; ideoquè Chriſtiana religio cælis ſuperior eſt cenſenda. *Confeſſio* enim *eius ſuper cęlum, & terram*: ait Propheta *pſal.* 148. Repugnat etiam dignitati diuinæ gratię, quæ vincit naturam. Et repugnat diuinæ legi, quę talia vetat ſic obſeruari, vt mox dicetur. Et repugnat noſtrę mentis, & conſilij dignitati, qua cunctis rebus corporeis ſumus præſtantiores, & ſublimiores.

§. XI.

623 QVare non ſine cauſa Aſtrologia iudiciaria, Chiromantia, Metopoſcopia, Necromantia, Phyſionomia, & quælibet alia ars, vel ſcientia pernicioſa, prout per illas huiuſmodi diuinatores futura contingentia, ſiuè à libero arbitrio, ſiuè à diuina prouidentia emanantia, certò præſcire, & prænunciare ſe iactant, tum iure diuino, tum eccleſiaſtico, tum ciuili prohibentur.

Ideò prohibetur Iure

Diuino

Diuino: Leuit. *c.* 19. *Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia*. Et infra: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos* & *c.* 20. *Anima, quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi mei, & Deuteron.* 18. *Nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem: aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atquè auguria: nec ſit maleficus, nec incantator: nec qui pythones conſulat, nec diuinos: aut quærat à mortuis veritatem: omnia enim hęc abominatur Dominus*. Deindè ſubdit: *Gentes iſtę, quarum poſſidebitis terram, augures, & diuinos audiunt: tu autem Domino Deo tuo aliter inſtitutus es*. Vbi per augures intelliguntur Aſtrologi, vt docent Hebræi, & colligitur apertè ex Iſaiæ c. 47. vbi Chaldęos, ac Babylonios reprehendens, illis multa mala propter multitudinem maleficiorum ſuorum, & duritiam incantatorum vehementem ventura prænunciãs ironicè dicit: *Stent, & ſaluent te augures cæli* (70. aſtrologi cæli) *qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt tibi vera prædicerent*. Vbi etiam inſinuat Propheta Ieremia *cap.* 10. ex aſtris non poſſe calamitates bellorum, & euerſiones regnorum prædici: *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ ſunt*. Quia futurorum omnium euentuum, qui à diuina prouidentia, vel à libero arbitrio pendent, ſoli Deo reſeruatur certa præcognitio, qui ſolus ipſe eſt, cuius oculis omnia nuda, & aperta ſunt: & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & conſequentes eorum actiones intuetur: ſolus ipſe, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt, omnia præſentia, & ante oculos poſita habet, ſolus deniquè omnia, & ſingula quęcumquè totius temporis decurſu, & ſæculorum ætatibus futura ſunt, ab omni æternitate nouit, & admirabili prouidentia diſpoſuit, quæ non modò humanæ mentis imbecillitas ignorat; ſed nec dæmones ipſi præſentire poſſunt. Dum ergo dicti Aſtrologi, Chiromantici, ac cæteri diuinatores, & arioli ex aſtris vel alijs ſignis prędicta futura contingentia certitudinaliter prænunciare audent, quod ſolius Dei eſt, ſibi, vel dæmoni, cuius ope illa prænunciant, tribuere, nemo eſt, qui ambigat.

§. XII.

ECcleſiaſtico iure prohiberi quis non videat, cum Concilia, & Canones P.P. grauiſſimis pænis præſtitutis artes huiuſmodi pernicioſas damnent? Longum foret, verba aſcribere: loca indicabo *c. illud. c. illoſ. cap. ſed & illud.* 26. *q.* 2. *c. igitur* 26. *q.* 3. *cap. non liceat.* 26. *q.* 5. *cap.* 2. *de ſortilegijs*. Concilij Tridentini Index *lib. damnat. Regul.* 9. & pleniſſimè Sixtus V. Pontifex Max. *Bulla ſua contra Aſtrologos*; quæ incipit: *Cæli, & terra*, quæ anno 1631. alia Conſtitut. Vrbani VIII. quæ incipit: *Inſcrutabilis*: roborata fuit extenſiuè ad alia cum grauioribus pænis. 624

Eccleſiaſtico.

Ciuili etiam iure condemnatur huiuſmodi diuinatio *lib.* 2. *C. de maleficis, & Mathem. L. Mathematicos C. de Epiſcop. audientia*, quibus & ars interdicta, & codices incendio, & vtentes damnantur exilio; ſed morte plecti iubentur prædicti diuinatores *L.* 5. *C. eodem* his verbis: *Nemo Aruſpicem conſulat, aut Mathematicum* (per Mathematicum ibi, & paſſim alibi in iure pro ſolo aſtrologo, ſeu genethliaco intelligitur) *Nemo Ariolum. Augurum, & vatum praua confeſſio conticeſcat*, Deinde ſubdit: *Sileat omnibus perpetuò diuinandi curioſitas: Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio vltore proſtratus quicumquè noſtris iuſſis obſequium denegauerit*.

Ciuili.

Damnant eam communiter (vt omittam origenem, & Euſebium *lib.* 6. *de Præparat. Euang. cap.* 9.) Patres orthodoxi Baſilius *homil. in Gen.* 6. *& ſerm. in Princip. Prouerb.* D. Chryſoſt. *in cap.* 2. *Matth.* D. Ambr. *lib.* 4. *Hexam. cap.* 4. D. Auguſt. *lib.* 2. *de Geneſi ad literam cap.* 17. *& lib.* 2. *de Doctrina Chriſtiana à cap.* 21. *& lib.* 5. *de Ciuit. Dei aliquot primis capitibus, & homil. in pſal.* 61. D. Gregor. *homil. de Epiphania*. Lactantius *lib.* 2. *Diuinar. Inſtitut. cap.* 17. Ioannes Saliſberienſis *lib.* 2. *Polycratici capit.* 19. & 24. & 26. 625

Damnatur à Patribus

§. XIII.

DAmnant communiter Theologi tum veteres, vt D. Thom. 2. 2. *q.* 95. *ar.* 5. S. Bonau. *in Centiloquio*, D. Antoninus 2. *par. tit.* 12. *cap.* 1. §. 6. Petrus de Tarantaſia, Richar. Paludun. Gabriel, Maior *in* 4. *ſent.* Guilhel. Pariſienſ. *tract. de legibus*. Tum recentiores Ioannes Picus Mirand. & eius Nepos contra Bellancinum patrui libros defendens, Ioannes Franciſcus Picus *lib.* 6. *de Prænot.* Iulius Sirenius *lib.* 9. *de Fato à cap.* 29. item Ciruelus Darocenſis Theologus Philoſophus, & Mathematicus *lib. de ſuperſt. par.* 2. 3. Michael Medina *lib.* 2. *de recta in Deum fide cap.* 3. Benedictus Pererius *lib. integro de diuinat. aſtrolog.* & nuper latè, ac diſtinctè noſter Ignatius Lupus *Comment. in Edictum S. Inquiſitionis par.* 3. *lib.* 18. *per totum*.

Theologis.

Eandem condemnant, Iuriſconſulti tam canoniſtæ, quàm legiſtæ, Ioannes Andreas, Abbas, Ancharanus, Anianas *in cap. ex tuarum de ſortil.* Turrecremata *in d. cap. illoſ. & in ſumma de Eccleſ.* Albertinus Roſatus *in voce Sortilegus*, Troilus Maluetius *tract. de. ſortibus par.* 1. Bald. Salycetus, & alij ſcribentes *in ll.* 2. *&* 5. *C. de maleſ. & Mathem.* & Petrus Binsf. fusè in *dictis legibus*. Grilland. *de ſortileg. q.* 3. *num.* 8. *&* 9. *quæſt.* 11. *num.* 16. Petrus Le-

Iuriſcõſultis.

loyhe-

loyherius *lib.3. de ſpectr.cap.9.* Ioannes Horoſcus Epiſc. Guadixienſis *lib.2.de vera & falſa prophetia cap.29.*

Eodem modò illam damnant cuncti Philoſophi Medici Hiſtorici, & Poetæ rectè, & catholicè ſentientes, quos videre licet apud Delrium *diſq.magic.lib.4.cap.3.q.1.*

§. XIV.

626 *§. 3. Quid ſit ſortilegium, & quotuplex.*

SEcunda diuinationis implicitæ ſpecies eſt ſortilegium, non latè ſumptum pro omni ſpecie ſuperſtitionis; ſed ſtrictè pro illa, quæ ſortium vſu perficitur: cum aliquid eo fine agitur, vt eius euentu ſpectato innoteſcat aliquid occultum. Ad hoc autem neceſſarium eſt, vt ſortibus ſua ſignificatio imponatur, ſiuè vt præcedat aliqua conuentio inter partes (ſi inter plures aguntur) vel homini ſecum: quid vnaquæquè ſignificare, & quam vim habere debeat. Et ſic variè iuxta vniuſcuiuſquè inſtitutum ab hominibus exercentur: nempè talibus oſcillis, pilulis, ſchedulis albis, aut nigris, ſcriptis, vel non ſcriptis, vel diuerſis ſignis adnotatis, & in vrnam coniectis; ex qua poſtea à ſortientibus extrahuntur: Vel bacillis ligneis ex vna parte decorticatis, ex altera veſtitis in altum proiectis, & ex caſu ſortem dantibus: vel aperto libro Homeri, Virgilij, & quod peius Euangeliorum. Quæ omnes ſortes quoquomodo fiant, ad tres ſpecies iuxta tres fines conſulentibus propoſitos, reducuntur. Nam ſunt, aut Diuiſoriæ, aut Conſultoriæ, aut Diuinatoriæ.

§. XV.

627 *Diuiſorium.*

DIuiſoriæ ſunt illæ, quarum indicio quæritur: quid vnicuiquè tribuendum ſit, & licitè exercentur in rebus pleriſquè, ſi euentus expectatur à caſu, vel à ſpeciali Dei prouidentia: ver. gr. In diuidendis bonis communibus, hæreditatibus, & alijs rebus externis, quæ aliter diſtribui commodè non poſſunt. *L. Si cum ambo ff. de Iudicijs. L. Si duobus. C. communia de legatis. L. Si qui ſunt ff. familiæ Herciſcundæ* & confirmat Auguſtinus *in Pſal. 30. concione 2.* & refertur *26.q.2.c.1. ibi: Sors non aliquid mali eſt.*

In pænis ſumendis, cum ex indulgentia Principis, aut Ducis non omnes rei, ſed ex eis aliqui caſtigandi ſunt: quod in militia eſt praxi receptum, quia alia ratione hoc dirimi nequit. Sic Turrecrem. *26. q.2. in ſumma num.2.* Leſſius *de iuſtitia, & iure lib.2.c.43.dub.9.num.58.* Delrius *lib.4. diſquiſ. magic.c.4.q.1.* Sanchez *tom.1. in precept. Decalogi lib.2.c.3.num.60.* qui benè hoc limitant intelligendum, quando par eſt ſortientium culpa: quia aliàs iniqua eſſet ſortitio quoad minus nocentes. Quando tamen non conſtat de perſona, quæ delictum commiſit, nullatenus licet ſortibus eam indagare; quia præter diuinationem ibi admixtam, & periculum puniendi innocentem, ſi ſors in ipſum cadat: aut reum non legitimè probato eius delicto.

§. XVI.

IN functionibus, vbi de honore, vel periculo agitur; & quotieſcumquè non apparet ratio, cur alter alteri in aliquo præferri debet. Sic licent hæ ſortes inter æquè pauperes, quorum eleemoſyna eroganda eſt: vt docent Auguſt. *lib.1. de Doctrina Chriſtiana cap.28.* Syluester *verb. Superſtitio quæſt.9.* Suarez *tom.1. de Religione lib.2. de ſuperſtitione c.12. num.17.* Sic tempore peſtis, aut perſecutionis Eccleſiæ, quando diſceptatio fuerit, qui parochi, aut clerici, aut religioſi manere debeant in loco perſecutionis, aut peſte infecto, vt reliquis ſubueniant, nec aliter commodè lis hæc componi valet, ſortibus diuiſorijs eligere: Ita D. Auguſt. *epiſt. 180. ad Honoratum*, D. Thom. *2.2.q.95. art.8.* & ibi Caietan. *dub.1.* Archidiac. *26.q.2.cap.1.num.1.* & ibi Bellamera *num.3.* Hoſtienſis *eod.cap.finali num.2.* ibi Antonius in fine. Abbas *num.3.* Anchar. *num.3.* Ananias *num.3.* Marianus Socinus ſenior *num.27.* Turrecrem. *26. q.2. in ſumma n.2. & 6.* & D. Antoninus *2.par.tit.12.cap.1.§.9.* Caietanus *ſumma, verbo ſors*, & alij infra citandi. Idem prorſus dicendum eſt de Medicis, & alijs miniſtris neceſſarijs ad temporales ægrorum neceſſitates. Similiter inter miniſtros mittendos ad loca infidelium, dummodo inter æque idoneos ad tale munus obeundum mittantur ſortes: vt mox dicetur.

§. XVII.

IN officijs inter ſæculares diſtribuendis, ſeu in electionibus ad officia ſæcularia ſortes mittere, 628
nemo eſt qui ambigat; quia nullibi id reperitur interdictum: vt præter citatos auctores numero præcedenti, ſentiunt Roſella *verb. ſortilegium ante numerum 1. in fine*, Angelus *verbo ſors num.2.* & ibi Tabiena *quæſt.5. numer.6. Armilla numer.1. & in fine*, Sayrus in claui regia *lib.4.c.5.num.20. & 21.* Azorius *tom.1. Inſtitut.moral.lib.9.cap.21.q. vnica, verſ. At verò in electionibus.* Toledo *lib.4. ſummæ cap.15. numero vltimo*, Emanuel Sà *ſumma verbo ſortes, num.1.* Martinus Delrius, Suarez, Leſſius, Sanchez *loco ſup.cit.*

Non licet tamen in electionibus etiam ad officia ſæcularia inter dignos, & indignos ſortes mittere, poterit enim ſors cadere indigno contra bonum commune, & rectam Reipublicæ adminiſtrationem; & eſſet peccatum mortale: ideò vt liceant hæ ſortes, debent mitti inter ſolas perſonas eo munere dignas, & capacitate pares; vt communiter ſentiunt omnes præfati Doctores.

In officijs autem, ac dignitatibus Eccleſiaſticis diſtribuendis ſortes adhiberi numquam licet: quia id interdicitur *c. finali in fi. de ſortilegijs*, vbi generaliter, & indefinitè ſic dicitur: *Sortis vſum in electionibus perpetua probibitione damnantes, & cap.1. verbo mali 26.q.2.* Felinus *cap. licet cauſam ad finem de probationibus, & c. Capitulum num.21. verſic. Et pro doctrina*, de reſcriptis: Suarez, & omnes DD. ſupra citati de quibus videas latè Sanchez loco citato *num. 57. in fine, & num.71. & ſequentibus.*

Præ-

§. XVIII.

PRædictæ autem ſortes, quas licitas diximus, faciliimè poſſunt vitiari.

1. Ratione falſæ exiſtimationis, aut malæ intentionis: vt ſi quis ab aſtrorum influxu ſortem ſibi feliciter caſuram expectaret.

2. Si euentus expectaretur à fortuna, quaſi Dei prouidentiam non agnoſcentes.

3. Si expectetur demonis mouentis manus extrahentium ſortes auxilium, vel ſi ſortes eo inuocato mittantur, aut præuijs aliqua eius promiſſione, aut prædictione; ſed hæc ſpectat ad magiam.

4. Si in alijs peccetur contra iuſtitiam diſtributiuam, vt ſi in electionibus ad officia mittantur ſortes inter dignos, & minus dignos, vt dictum eſt ſupra.

5. Si violetur alia ratione iuſtitia commutatiua, vt ſi res in ſortem expoſita non ſit ſortientium, ſed aliena; nec adſit domini conſenſus: Similiter ſi ſortes mittantur inter eos; qui non habent par ius ad rem illam, vel ſi excludantur aliqui habentes par.

6. Si interueniat abuſus rerum ſacrarum, aut ſcripturæ ſacræ, puta ſi vtantur libris euangeliorum, aut rebus ſacris cum maxima irreuerentia ad mittendas ſortes; tunc eſſet peccatum mortale.

7. Tandem non debet expectari diuinæ voluntatis manifeſtatio extraordinario modo; aut per aliquod ſignum. Hoc enim eſſet tentare Deum, vt benè Delrius *lib.* 4. *Diſquiſ. mag. cap.* 4. *quæſt.* 1. & Sanchez *loco citato num.* 70. Vel etiam, vt ait Suarez *eodem c.* 12. *num* 16. ſpectaret ad ſortes conſultorias, de quibus dicetur ſequenti numero.

§. XIX.

629 *Conſultoriorum.* COnſultoriæ ſunt illæ, de qnibus in obſcuro negotio conſilium diuinum inquiritur, vt ſciatur quid agendum. Regulariter verò ſunt illicitæ; & ideò ſub anathemate interdicuntur *cap. Sortes.* 26. *quæſt.* 5. niſi inſpirante Deo, ſicut de electione Saulis, & Matthiæ Apoſtoli, vel deficiente humano conſilio fiant. Quia velle ſine neceſſitate Deum peculiari modo ſuam voluntatem manifeſtare, pertinet ad Dei tentationem, qui non promiſit ſe has ſortes temperaturum. Vndè non ſolùm vanum eſt credere hanc eſſe Dei voluntatem, quam ſortes indicant; ſed etiam periculoſum, nè dæmoni detur anſa malè credulum hominem decipiendi. Idcircò hunc vſum meritò reprehendit Auguſtinus *epiſt.* 119. *cap.* 20. & Leo IV. *ad Epiſcopos Britanniæ*. habetur *cap. Sortes.* 26. *quæſt.* 5. *Sortes*, inquit, *quibus cuncta vos veſtris diſcriminatis Prouincijs, quas Patres damnauerunt, nil, quàm diuinationes, & maleficia eſſe decernimus; Quamobrem volumus illas omninò damnari, & inter chriſtianos vltra nolumus nominari; & nè exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.*

§. XX.

630 *Diuinatoriorum.* DIuinatoriæ ſunt illæ, quibus futuri euentus requiruntur. Sed hæ ſunt ſemper illicitæ, cum *cap.* 1. *de ſortileg.* & 26. *quæſt.* 5. *cap. ſortes. cap. peruenit. cap. ſi quis clericus.* 3. *cap. contra* 18. *cap. Epiſcopi* 12. ſortilegia, ſicut aliæ diuinationes, & incantationes prohibeantur. A quo enim expectatur earum moderatio? Añ à Deo? At numquam promittit, ſe ſortes temperaturum ad occulta, vel futura præcognoſcenda. An à caſu? Sed ſic nihil præſignare poſſunt. An à cælo? At ſic actiones humanæ ab eo penderent. An ab anima humana ad hoc poteſtatem ſufficientem habente? At hoc vnum eſt ex magiæ fundamentis. Ergo à dæmone, qui tacito quodam pacto, & conſenſu inuocatur, tùm vt ſortes regat, tùm vt effectum præſignatum procuret. Ex illo namquè totam ſuam ſcientiam ſpeculatiuam diuinatricem hauriunt Malefici, & Maleficorum Conſultores.

SECTIO II.

Obſeruatricem.

OBſeruatrix Maleficorum ſcientia meritò obſeruantia vana vocatur. Obſeruantia; quia iuxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 6. *art.* 1. & 2. medijs inutilibus, & à diuina Prouidentia, aut natura minimè conſtitutis aliquem procurat effectum. Vana, quia vel illum non aſſequitur; vel ſi aſſequitur, plus nocumenti, quàm commodi ex eo refert: cum illud commodum in rebus corporeis acquirat, & nocumentum in ſpiritualibus patiatur. Quamuis autem magię ſuperſtitioſæ ſpeciem conſtituere non videatur; quia ſi adhibeatur ad pręcognoſcenda futura, non differt à diuinatione. Si ad aliquid mirum, & inſolens perficiendum, non differt à magia ſpeciali. Si verò ad aliquod damnum inferendum, non differt à maleficio. Attamen, quia Doctores communiter vanam obſeruantiam, tanquam ſpeciem particularem conſtituunt, dicamus, omnes, vt ex D. Thoma colligitur, ad tres obſeruantię ſpecies, Artium, Sanitatum, & Euentuum eſſe reducendas: vt tribus articulis breuiter declarabitur. 631 *Quid ſit vana obſeruantia. Quomodo diuiditur. in ſpecies Artium, Sanitatum. Euentuũ*

ARTICVLVS I.

Artium.

§. I.

CVm omnes homines naturaliter ſcire deſiderent, vt monet Philoſophus *Metaph. lib.* 1. *maiore cap.* 1. & inter ea, ad quę afficiuntur, ardentiùs artes diſciplinę, & ſcientię primatum teneant; pręſertim ſi ingenij ſubtilioris acumine à natura donati ad altiora addiſcenda curioſitatis ingenitæ calcaribus prouocentur; nihil mirum ſi à dæmone omnium artium, & ſcientiarum notitiam promittente, ſępiùs illudantur. Si enim Eua prima hominum Mater ab eo facilè decepta fuit ſub ementitis, & ſpecioſis illis promiſſionibus: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*; nonnè illius poſteri diabolicis fallaciis magis obnoxij ſub ſimili ſponſione faciliùs decipientur, præſertim cum ad optatam illam notitiam conſequendam nihil agendum ſit, quod pietatem redolere non videatur? 632 *Dæmon ſub ſpecie ſcientiæ decepit. Primos, & Poſteros homines. Ad illã conſequẽdam inuenit, & per magos tradit. Artem.*

§. II.

Notoriă. IDeò Artem notoriam innenit, quæ eſt ratio aſſequendi ſcientiam infuſam per quædam opera pia, inſpectiones figurarum, & ſimilia vana, & ineſficacia adminicula. Hanc autem per ſuos miniſtros, nempe per maleficos, ac magos tradit, qui diuinarum, & humanarum rerum cognitionem breuiſſimo tempore ſine præceptore, ſine ſtudio, ſine lectione, auditione, aut labore aliquo, diuina inſpiratione comparandam pollicentur: modò certæ deſignatæ ab eis cæremoniæ adamuſſim obſeruentur; vt ſunt generales totius vitæ confeſſiones; frequentes ſacræ Euchariſtiæ perceptiones; indictorum ab Eccleſia ieiuniorum rigidæ obſeruationes, & aliorum voluntariæ ſuſceptiones, diebus præſertim Veneris, quibus non niſi pane, & aqua veſci liceat: ſeptem pſalmorum (quos vocant pænitentiæ) aliarumquê precum recitationes. Quæ omnia per ſeptem ſeptimanas obſeruanda; & eo tempore recedendum ab omni ſæcularium negotiorum tumultu. Tum recitandæ aliæ præſcriptæ preces; certæ figuræ adorandæ ſeptem primis diebus nouilunij oriente Sole: & quotidiè certis horis deſignatis. Denique peractis ter his ritibus per tria nouilunia eligendus dies, quo ſe candidatus ille magìs deuotum, pium, & recipiendis inſpirationibus accommodatum ſentiat: Vt hora tertia ſolus ſiſtat in templo, vel oratorio, vel in medio agri, vbi flexis in ſolo genibus, manibus, oculiſquè in cælum ſublatis ter primum verſiculum Hymni, *Veni Creator Spiritus*, pronunciare debet. Quò facto aſſerunt hi ſathanici miniſtri, hominem ſtatim tàm grandi ſcientia impleri, vt ipſemet tantam ſui mutationem tàm ſubitò factam obſtupeſcat, eoquè ritu, ſubiungunt, Salomonem, Prophetas, ipſoſquè Apoſtolos tàm citò ſcientiam eminentem, naturalem, propheticam, & apoſtolicam conſecutos.

§. III.

633 HVic arti ſimiles ſunt aliæ, quas vocant, Artem paulinam, Artem ſpirituum, Artem angelicam traditas, vt dicunt impoſtores, & ſacrilegi nugiuenduli, à B. Paulo in extaſi conſtituto: aut ab Angelis in aſſumpti corporis forma apparentibus. Sed has omnes artes eſſe magicas, ſacrilegas, & ſuperſtitioſas impoſturas, patet ex eo, quòd hæ cæremoniæ vim illam non habent: nequè à Deo (ſi hoc eſſet, id Eccleſia non ignoraret) nequè à natura rerum, quæ adhibentur; ergo à diabolo, cui infundendi ſubitò animæ habitus ſcientiarum poteſtas tribuitur. Quod ſolius Dei eſſe, docet Auguſtinus *lib. 10. de Ciu. Dei cap. 9.* ex ipſo teſtimonio Porphyrij. Atquè per tales adorationes figurarum, & precum oblationes inuocatur dæmon: vt experientia comprobatum fuiſſe in quibuſdam ſibi notis teſtatur Ciruelus *lib. de ſuperſtitione p. 3. cap.* 1. qui huic arti vacantes à diabolo per turbinem in aera ſubleuati, & terra, mariquè raptati, miſeram deinceps vitam duxerunt. Quare meritò ars illa notoria anno 1320. fuit damnata Pariſijs, Contra quam prædictus Ciruelus loco citato, Ioannes Baptiſta Segnius *de vero ſtudio chriſtiano c. 8. & 9.* & Delrius *lib. 3. p. 2. q. 4. ſect. 2. diſq. mag.* ſcripſere. Tali arte inſtructum fuiſſe illum puerum, de quo ſupra diſp. 2. n. 287.

Paulina Spirituũ Angelicam.

ARTICVLVS II.

Sanitatum.

§. I.

QVia *ſanitas maximè diuinum eſt, longèque blandiſſimum condimentum*, vt illam vocat Plutarchus *in ſalubricis præceptis. Et hic fælix dicendus, qui corpore ſanus eſt, animo autem eruditus.* Quod aliàs Thales interrogatus acutè reſpondit apud Laertium *lib. 1. cap. 1. Nihil tam frequens eſt apud homines, quàm omnibus vijs amiſſam quærere ſanitatem; quia ſe infælices, & miſeros putant, quandiù aliqua infirmitate detinentur.* Ideòquè ad vanam ſanitatum obſeruantiam libenter declinant, quæ toties fit, quoties ad hominum, vel animalium morbos curandos, ſiſtendum ſanguinem, mitigandos dolores, recuperandam valetudinem, vitam conſeruandam, & vitandos caſus fortuitos, ſigna inania, circunſtantiæ vanæ, & cæremoniæ inutiles adhibentur. 634

Ad ſanitatem tuẽdam aut acquirendam diabolus adhibet ſigna

§. II.

Spiritualia. HÆc autem ſigna ſunt in duplici genere. Alia ſpiritualia. Alia naturalia. Spiritualia ſunt in multiplici differentia: puta, verba ſacra, opera pia, imagines, & reliquiæ Sanctorum, Euangelium D. Ioannis, & ſimilia, quæ ex ſe bona, & ſancta ſunt; ſed ſuperſtitioſa, cum eis adijciuntur inutiles circunſtantiæ, tanquam neceſſariæ ad effectum, qui ab vtentibus prætenditur. Vel applicantur ad ea peragenda, quæ nullo modo Spiritus ſanctus, & Eccleſia intendunt.

Naturalia. Naturalia etiam multa ſunt; vt annuli, characteres, ſigilla, figuræ, verba conceptis formis expreſſa, luſtrationes, ablutiones, ſtillationes, immerſiones, nudationes, alligationes, circundationes, inſcriptiones, gyrationes, diuiſiones, dimenſiones, aliæque actiones innumeræ, quæ certa die, & hora; oriente, vel occidente ſole: certis verborum formulis, certiſquè circunſtantijs vanis, ridiculis, ſacrilegis peraguntur: vt docebimus infra cum de Curatione diabolica diſputabitur, ad quam obſeruantia vana ſpectat, cum eadem ſit cum illa.

§. III.

Quæ iure prohibentur. VSus verò horum omnium, cum ſit ſuperſtitioſus, iure prohibetur. Illa namquè talem effectum, qualis ſperatur, producere non poſſunt, nequè ex ſe vt cauſæ naturales, nequè ex inſtitutione diuina. Quare cum ſperari non poſſit ab illarum vi naturali, aut ſupernaturali, conſequenter à dæmonibus expectatur, quibus hæc ſunt ſigna operis peragendi. *Ad genus*, ſcilicet, ſuperſtitionis, *pertinent*, inquit Auguſtinus *lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 20. relatas in iure, in cap. illud. 26. quæſt. 2. omnes ligaturæ, atquè remedia, quæ Medicorum quoque diſciplina condemnat, ſiuè in præcationibus, ſiuè in quibuſdam notis, quas characteres vocant: ſiuè in quibuſdam rebus ſuſpendendis, atquè ligandis quodammodo non ad temperationem corporum; ſed ad quaſdam ſignificationes, aut occultas, aut etiam manifeſtas, quæ mitiore nomine phyſicam vocant;*

vt

vt non ſuperſtitione implicare, ſed natura prodeſſe videantur, ſicuti ſunt, &c.

ARTICVLVS III.

Euentuum.

§. I.

Superſtitio humana ex omnibus rebus omina ſumet.

635 EO progreſſa eſt humana ſuperſtitio, vt nihil ferè accidat, aut occurrat fortuitò, ex quo ſibi, vel alteri aliquid læti, aut aduerſi non coniectet; & indè actiones moderetur. Cui ominoſæ obſeruationi tribuiſſe Romanos, Cicero *lib. de Diuinatione*, & Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 5. teſtantur. Græcos, & Ægyptios, Pauſanias in Achaio, & Theophraſtes in Characteriſmis, Syros, hiſtoria Regum *lib.* 3. *cap.* 20. Omnes, experientia quotidiana. Ita enim gliſcit in hominum communi conuerſatione, vt omina ex quibuslibet rebus petantur, ſenſibilibus, inſectis, vegetabilibus, & fortuitis actionibus. Canis latrauit, alius ater ædes intrauit, noctua aſſibilauit, coruus crocitauit, lepus viam velut tranſuerſo ſaltu diremit, lupus, capra, aut talia animalia in itinere viſa, ambulantibus duobus amicis iunctim lapis, aut porcus interuenit, anguis per impluuium de tegulis cecidit; ſalinum euerſum, vinum diffuſum, egredienti domo virgo, monoculus, claudus, gibbus occurrerunt; dextera, vel ſiniſtra auris ſonitum edidit ſpontaneum: ingredienti iter calceus ruptus, ſedens crus cruri impoſuit, conuiuantes ſunt numeri pari; quis de mane domo egrediens pedem offendit, calceos induens ſternutauit. Hæc & ſimilia pro homine fauſti, vel infauſti ſucceſſus habentur. Vnde Tibullus Poeta *lib.* 1. *Eleg.* 3.

O quoties ingreſſus iter, mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem.

§. II.

Sed vana, & ſuperſtitioſa Ideòquè prohibita.

636 SEd omnia vana eſſe, & profana, atquè ab omnibus euitanda probant Chryſoſtomus *homil.* 21. *ad Populum Antioch.* Auguſt. *lib.* 2. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 20. & communiter Sacri Doctores. Quod ipſa oſtendit ratio. Nam cum omnia nullam certam, & determinatam cauſam habeant, & omninò dependeant à caſu, non poſſunt talia ſignificare, qualia ab ominantibus colliguntur, contrarioſquè patiuntur ſignificatus; Et ideò ſine mortiferi peccati labe ab hominibus exerceri nequeunt, niſi ignorantia, & bona fide excuſentur. At quia hic ſuperſtitionis modus diuinationi affinis eſt, nec ab ea differt, niſi quòd in diuinatione homo ſigna, vndè diuinet, & notitiam futurorum de induſtria quærat; In hac verò obſeruatione illa non quærat; ſed capiat coniecturam ex ijs, quæ fortuitò accidunt ad directionem operationum, non eſt opus ea prolixiùs proſequi, cum præcedenti ſectione ſatis ſuperque de diuinatione actum ſit, & pateat euidenter tum ex ſuperioribus, tum ex ijs, quæ dicenda ſunt tomo 2. diſput. 1. par. 2. quàm fallax, noxia, & diabolica ſit tota ſcientia ſpeculatiua maleficorum, diuinatrix, & obſeruatrix occultorum, & futurorum contingentium ſiuè cum inuocatione expreſſa dæmonum fiat: ſiuè cum tacita perficiatur.

CAPVT II.

Quoad Practicam.

QVàm abominanda eſt omnis malefica operatio; cum ipſi Magiæ profeſſores illam deteſtari conſueuerint, ſuam practicam tribuentes non ſuperſtitioſæ magiæ, cuius fœtus eſt maleficium; ſed magiæ naturali, cuius occulta virtute ſuas perfici operationes aſſeuerant. In hoc enim conueniunt practica magia naturalis, & practica ſuperſtitioſa; quòd vtraquè rebus vtatur externis; ſed illa tanquam cauſis naturalibus aptis ad varios producendos effectus: iſta verò tanquam cauſis moralibus, hoc eſt, vt ſignis ex pacto deſtinatis ad opem dęmonis implorandam. Quarè, nè in magiæ practicæ artis omnium nationum calculis condemnatæ rei deprehendantur, omnia ſua occultæ virtutis naturalis imagine contegere conantur, vt ſub ſpecioſo velamine latitantes, impunè ſua maleficia exercere valeant. 637

Magi ſuā practicā magia naturali tribuunt.

Sed perperā, cū procedat à ſuperſtitioſa.

At facilè eſt, fucum animaduertere, & abſconditam reuelare abominationem. Verum namque eſt, magiam naturalem per ſe malam non eſſe; ſed laudabilem, ſi ritè exerceatur. Attamen experientia magiſtra probatur, illam eſſe valdè periculoſam, cum ingenia humana curioſis, & inutilibus rebus implicet: curioſitatem ſe explicare volentem adaugeat; & ſenſim ſine ſenſu adauctam introducat ad ſuperſtitioſam; inquantum Dæmon, qui rebus humanis ſemper inuigilat, & indeſinenter incumbat decipiendis hominibus, facilè ſe immiſcet ſub ſpecie occultæ operationis naturæ; vt quod præſtigijs agitur, totum occultæ virtuti naturalis cauſæ tribuatur. Et inſuper videmus hos phyſicos magicos in ſuis operationibus res quidem naturales adhibere, ſed vel inſufficientes: vel inutiles ad prætenſos effectus eliciendos. Ideòque adiungere quædam ſigna, quibus ex pacto dæmon allicitur ad ea perficienda, quæ ipſi fieri deſiderant. Vndè concludendum eſt, illos non phyſicam; ſed ſuperſtitioſam magiam profiteri; eorumquè operationes non naturali, ſed diabolica virtute perfici, vt meritò dixerit Auguſtinus *lib.* 8. *de Ciuit Dei cap.* 19. omnia miracula magorum doctrinis fieri, & operibus dæmonum.

Quæ duplicem finem habet iuxta quem illa practica diuiditur In Magicā, & Maleficam.

Hæc autem ſuperſtitioſa magia cum duplex ſit, ſeù potiùs duplicem habeat finem: Vel oſtentationem, aliudvè commodum ſuum, aut alienum, & ſic vocatur magia ſpecialis. Vel aliquod damnum alijs inferendum, & ſic nominatur maleficium, aut veneficium, quæ ſunt duæ diſtinctæ ſpecies magiæ generaliter ſumptæ. Ideò dicendum, totam maleficorum practicam Aut eſſe Magicam: Aut Maleficam; quarum vim ſequentes ſectiones declarabunt.

SECTIO I.

Magicam.

638 *Opera magica interdũ miracula vocãtur.*

TAnta eſt magiæ ſpecialis vis, vt admiranda eius opera non modò Ethnici, ſed etiam Theologi interdum miracula vocent; eò quòd conſuetum naturæ ordinem prætergredi, nec niſi naturali diuinæ virtutis ope perfici videantur. Hoc ipſi Magi aſſerunt, dum miraculorum editionem ſibi vendicare non verentur, cum glorientur, ſe omnia ad libitum poſſe peragere; atquè nihil eſſe tàm arduum, quod non ſit in ſua poteſtate poſitum. Ideò à Iamblico *lib.1. de Myſter. Ægyptior. cap.1.* Deorum pediſequi appellati quaſi admirandis operibus Deorum veſtigia ſubſequantur. Hoc exemplo probatur maleficorum Ægyptiorum, qui, vt refertur in Exodo, dæmoniaca ope nonnulla fecerunt in ſpeciem non diſſimilia eorum, quæ à Moyſe virtute diuina perficiebantur, dum virgas ſuas in ſerpentes conuerſas, aquam mutatam in ſanguinem, & ranas ſubitò productas Pharaonis, & aulicorum eius oculis ſubiecerunt.

639 *Non tamen sũt miracula.*

At certum eſt, miraculorum operationem totam excedere dęmonum, & maleficorum poteſtatem: quæ ſanè ſe extendit ad opera verorum miraculorum ſimillima exiſtimatione hominum, eò quod nec ea ipſi facere nouerint, nec intelligere valeant quando facta ſint, vt benè aduertit S.Thom. 1.*par.q.*110. *art.*4.*ad* 2. Non tamen ad vera miracula, quæ in operante potentiam arguunt infinitam, qualis non reperitur in Magis; ſed in Deo, *qui* teſte Dauid *pſal.* 71. & 135. *facit mirabilia magna ſolus*. Alioquin nec ſuam Chriſtus Diuinitatem efficaci argumento probaret, dum Iudæos in incredulitate obſtinatos ſuis conuincit miraculoſis operibus *Ioan.*20. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Et ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater eſt in me, & ego in Patre.* Sic enim manifeſta erant, vt poſt talem, & tantam Diuinitatis probationem illorum incredulitas excuſari nullo modo poſſet, vt ipſe ſubiungit cap.15. dicens: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Nec Eccleſia veritatem Chriſtianæ fidei ſufficienter aſſereret; dum illam tot miraculis quaſi veris diuinæ potentię ſigillis obſignatam, & firmiſſimis ſupremæ virtutis fulcris innitentem proponit; Perirent namquè illa ſigilla, & fulcra nutarent, ſi ab alio quàm ab omnipotente rerum omnium Conditore, miracula patrarentur, vt benè teſtantur Alexander Alenſ. 1.*par.quæſt.*45. S.Thom. 1.*par.q.*110.*artic.*4. & *q.*114.*artic.*4. S.Bonau. & alij Doctores *in* 2.*ſentent.d.*7. Benedictus Pererius *de magia lib.*1.*cap.*8. Binsf. *de Confeſs.malefic.quæſt.par.*1. *concl.*1. & habetur *in cap. Nec mirum* 26.*q.*2. ex D.Auguſt. *lib.*3. *c.*8.*de Trinit.* Quare aſſerendum eſt, vniuerſam maleficam poteſtatem quantumuis magnam miracula edere non poſſe, mira peragere poſſe. Quorum Alia ſunt Vera: Alia Apparentia: vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Sed mira quarum Alia sũt Vera, Alia aparẽtia.

✠✠
✠

ARTICVLVS I.

Veram.

§. I.

SI malefici ferè omnia efficere poſſunt vt plurimùm quæcumque dæmones perficere valent, vt communis Theologorum ſententia affirmat, in confeſſo eſt, Deo permittente, & dæmone adiuuante, eos verè poſſe mira præſtare: cum mirabilium operatio potentiam dæmoniacam non excedat. Nam cum in omnibus creaturis, quæ vniuerſa mundi machina continentur, ſiuè eſſe ſimplex, ſiuè vegetatiuum, ſiuè ſenſitiuum, ſiuè rationale poſſideant, plurimæ ſint miræ, & occultæ virtutes, dæmones, qui tanquam ſagaciſſimi indagatores omnes explorant, illas vt potè notiſſimas diuerſiſſimè temperant, & applicant iuxta vniuſcuiuſquè Sympathiam, & diſpathiam; atquè ità mirabiles, & inuſitatos effectus producunt ſtupentibus cæteris hominibus, qui opera Diuinitatis eſſe exiſtimant: quia illorum virtutes, cauſas, & modum, quo inuicem applicantur, & temperantur, ignorant. Quarè eorum reſpectu verè mira ſunt, & mira putantur, quæ à malignis ſpiritibus fiunt, quibus non deeſt poteſtas ad illas virtutes modo, & tempore debitis applicandas, & temperandas ſiuè per motum localem, ſiuè per alterationem operentur: vt ſupra *p.*2.*diſput.*1. latè probatum eſt. 640

Mira maleſici facere poſſunt.

Hæc autem mira, quæ ab ipſis, vel maleficis fiunt, maximè differunt à cæteris mirabilibus, quæ vel ab omnipotente Deo, vel ab operante natura procedunt. Nam ſi ea conferas cum miraculoſis operibus, quæ à ſanctis diuina virtute producuntur, maximam ineſſe intercapedinem inter vtraquè deprehendes.

Quæ differunt 1. Ab operibus miraculoſis Dei, & Sanctorũ

§. II.

OPera à ſancti peracta verè miracula ſunt, quæ in tribus omnem naturæ vim, & poteſtatem excedunt: In quibus exceſſus naturæ creatæ reperitur.

Quãtum ad opera ipſa.

1. Vel in eo, quod peragitur, quale nullo modo natura facere poteſt; cuiuſmodi eſt: Duo corpora eſſe ſimul in eodem loco, eodem tempore, & ſe inuicem penetrare: vel idem corpus eſſe in pluribus locis ſimul, & ſemel: vel corpus humanum euadere impaſſibile, & immortale.

2. Vel in eo, ex quo, aut in quo res fit: vt ex nihilo producere aurum, arborem, & quamlibet aliam rem: Dare vitam mortuo: & facultatem videndi cæco nato largiri.

3. Vel in modo, ordine, aut alia circunſtantia, alijſuè rebus, cum quibus omnibus naturaliter opus illud fit ver.gr. Infirmum ſubitò ſanare languentem. & ex ligno producere ſerpentem. In ijs enim tribus miraculorum gradibus ſancti ope diuina freti mirabilia multa peregerunt: vt ex ſacra, & eccleſiaſtica hiſtoria abundè probatur.

Ope-

§. III.

Quantũ ad operationes.

OPerationes à maleficis factæ dicuntur miracula dupliciter. Primò, quia rara, eo modo, quo inuenta noua, & artificioſa opera, qualia fuerunt illa Architæ, Archimedis, S. Alberti Magni, quæ prima diſputatione commemorauimus, miracula vocitantur, non abſolutè, & per ſe; ſed reſpectu hominum, qui ea vocant miracula, quorum cauſas ignorant, & quæ ſunt ipſis inuſitata; quoniam ea maximè admiratur, vt teſtatur Petrus Binsf. *tr. de Confeſs. malef. quæſt. par.* 1. *concl.* 1. Secundò, quia verorum miraculorum ſunt ſimillima, & opera miraculoſa à viris ſanctis diuina virtute peracta imitantur: ver. gr. Ex ligno producere ſerpentes, ſanare ægrotos, illuminare cæcos, producere aurum, & arbores, & dare vitam mortuis. Attamen vera miracula non ſunt, cum naturæ cancellos non prætergrediantur; neque virtutem agentium phyſicorum excedant: vt benè docet Seraphicus D. S. Bonauent. *in* 1. *d.* 42. *q.* 3. Poſſunt namquè malefici producere ſerpentem ex ligno, ſed non immediatè: ſanare languentem, ſed non ſubitò: illuminare cæcum, ſed non cæcum natum: producere aurum, & arbores; ſed non ex nihilo: pro breui tempore dare vitam mortuo; ſed fictè, vel illuſoriè; Deniquè verè miracula ſecundi, & tertij ordinis imitari per productiones cum tempore factas in ſubiectis diſpoſitis cum rerum naturalium applicationibus; ſed non illa, quæ in primo gradu ſupremum locum obtinent. Etſi aliquid ſimile tentant, totum opus apparens eſt, & preſtigioſum. Idem dicendum de alijs ſecundi, & tertij gradus, ſi per motum localem, aut alterationem produci non poſſint: aut ſi poſſint, cum volunt aliquid ſubitò ex nihilo, & immediatè producere: aut regredi à priuatione ad habitum; Nam tunc omnia erunt phantaſtica, & ſimulata; & ideò nec vera, nec ſolida, nec diuturna.

§. IV.

Quantũ ad operãtes.

QVod mirandum non eſt: cum Sancti virtute diuina operentur: Malefici vi naturali, aut dæmoniaca. Illi ſanctitate, & iuſtitia ſint inſignes: Iſti flagitiis, & ſceleribus infames. Primi inuocatione diuini Nominis, ſigno crucis facto; aut recitatis quibuſdam ſacris verbis: Secundi adiuratione dæmonis, exhibitis ſignis ridiculis, ſuperſtitioſis, & execrandis. Sancti, vt Deum honorent, Eccleſiam ædificent, & homines iuuent in corpore, & anima: Malefici, vt ſcelera committant, veritatem peruertant, falſitatem perſuadeant, gloriam, honores, & diuitias aucupentur: vt initio diſputationis primæ demonſtratum eſt. Quare facilè vera miracula à falſis diſcernuntur, ſi hæ differentiæ diligenter obſeruentur.

§. V.

2. Ab operibus miris à Natura productis.

641 SI verò hæc diabolica mira magorum cum miraculis naturæ comparentur, certis quibuſdam indiciis facilè ab illis diſcernuntur: Nam certum eſt, pertinere ad magiam dæmoniacam. 1. Si opera illa naturalem facultatem excedant: Vel quia res adhibita non habet vim ſufficientem ad hunc effectum producendum. Nam ſi quotieſcumquè & à quocumquè ſine aliis cæremoniis applicantur: ſuum effectum producit, certum eſt, effectum eſſe naturalem: Si verò non ſit proportionata ad talem effectum, nec illum producat, niſi ab aliquo ſingulari, certo tempore, certiſquè obſeruationibus applicetur, meritò iudicatur eſſe magicus. Vel quia effectus non poteſt procedere niſi à cauſa intellectu prædita; & tamen ab inanimata expectatur: v gr. à ſtatua reſponſum certis precibus, & cæremoniis abſurdis de rebus occultis poſtulare, quod euidens eſt magicè fieri. 2. Præterea ſi effectus producitur in re multum diſtante. Nam etſi inter ſcholaſticos diſſidentes hæ quæſtio acriter: Vtrum res poſſit immediatè agere in paſſum à ſe diſtans, nihil in medium operando; & tam agens, & patiens debeant ſe contingere ſecundùm contactum quantitatiuum: an ſufficiat tactus virtualis, eò quòd res, in quam agitur; ſeù quæ actionem reſpicit, ſit intra ſpatium illud, ad quod ſe vis agentis extendere poteſt; tamen in hoc conueniunt, agentia naturalia non poſſe agere in quantumlibet diſtans; certamquè habere ſpheram ſuæ actiuitatis, extra quam impoſſibile eſt ipſis, ſuam protendere actionem, aliâ maiorem, aliâ minorem ſecundùm virtutem, & dignitatem, quam vnumquodquè in admirabili creaturarum ſerie obtinet. Ideò ille effectus meritò magicus eſſe cenſetur, qui à cauſa procedit nimium diſtanti, Quod clarius patet, cum eadem cauſa propiùs, vel proximè applicata non agit, tamen agit in diſtans maximum. 3. Inſuper, ſi ad effectum producendum aliqua apponuntur, quæ ad illum non pertinent, quibus tamen tota operis efficacitas tribuitur: vt ſunt verba ignota, falſa, abſurda, characteres, & figuræ variè efformatæ, obſeruantiæ dierum, horarum, ſtellarum, ſitus corporis, & quorundam rituum, qui abſurdi, ſuperflui, & indifferentes meritò iudicantur. Hæc enim omnia vt plurimùm effectum oſtendunt à malo ſpiritu procedentem. Sunt tamen aliquæ obſeruationes dierum horarum, ſtellarum licitæ. De quibus legas infra *tom.* 2. *diſp.* 1. *num.* 221. *& ſeq.* Ibi enim latiſſimè omnia, quæ de his ſuperſtitionibus ſcitu ſunt neceſſaria, explicantur.

§. VI.

HIs, & aliis huiuſmodi ſignis effectus magici a phyſicis diſcernuntur, in quibus, vt ſapienter monet Delrius *lib.* 2. *q.* 5. duo extrema ſolicitè euitanda ſunt. Alterum, nè in iis diſquiſitionibus temerè omnia effectus naturales eſſe credantur. Hac enim Veterator antiquus aſtutia vt plurimùm vtitur, nequè in ſuis operibus concinnandis naturalia quædam admiſcere, vt totum opus naturale reputetur: vt practicè probabitur *tomo* 2. *diſp.* 2. *&* 3. In quo plurimi multoties hac vana ſpecie decipiuntur. Alterum, nè temerè omnia vt magica condemnentur. Nam vt docet Auguſtinus *lib.* 21. *de Ciuit. Dei c.* 4. *&* 5. *Rerum naturalium vires, & analogia cum illorum effectibus ſæpiùs nos latent, & multis partibus noſtram ſcientiam ſuperant.* In quo falluntur multi multa operanti dæmoni tribuentes, quæ ſapientiores, & doctiores nouerunt ab occulta natura procedere. 642

In his diſcernendis duo obſeruãda.

Ex his conſtat, eandem eſſe rationem de operibus veris maleficorum, & dæmonum: eodemquè modo à diuinis, & naturalibus eſſe diſcernenda; cum quicquid poſſunt dæmones, poſſint ferè vt plurimùm malefici ex pacto; & ideò quæ ſupra diſput. 2. de potentia dæmonum in veris effectibus producendis demonſtrata ſunt, eodem de potentia magica hìc dicimus eſſe cenſenda.

A R-

ARTICVLVS II.

Apparentem.

§. I.

643 Qvàm aptè magi, & malefici ſophiſtæ, & circulatores appellantur: cum eorum mira, etſi cum maxima ſpectantium admiratione peracta, mera ſint præſtigia, ſomnia, & ſenſuum ludificationes. More etenim dæmonis, cuius præſidio operantur, cum nec motus localis, nec rerum naturalium applicatio in ſuis actionibus iuuare poſſunt ad prætenſum effectum verè, & realiter eliciendum, ſolent confugere ad circulatorias deceptiones, quibus mira ſimulata, & apparentia tantùm, hoc eſt, non talia reuera, qualia videntur, producere conſueuerunt.

Magi quando præſtigijs vtantur

Quomodo fiant.

Horum autem falſitas ab iis deprehenditur, qui ſtudioſi veritatis, amatoreſquè virtutis ſanam gerunt mentem. Nihil enim eſt, quod ità mentis humanæ aciem ad dæmoniaca opera quantumuis ſubtilibus inuolucris obtegantur, agnoſcenda acuat, quàm veritatis, & virtutis amor. Nam veritas falſi calliditatem, virtus vitii latentis inſidias manifeſtè reuelant in iis præſtigioſis maleficorum actionibus, in quibus hæc duo germano vinculo colligata reperiuntur.

§. II.

1. Sine veritate

FAlſum illuceſcente veritate ſe prodit, quæ hæc mira neque vera, neque diuturna, neque vtilia: ſed apparentia, phantaſtica & vana eſſe demonſtrat. Quid veritatis poteſt eſſe in iis, quæ ſola ſenſuum illuſione à dæmone peraguntur. Nam vel oculos faſcinat, dum illos vario ſitu modò eleuat: modò deprimit: modò humoribus inficit, ex quo res aliter, quàm ſint conſpiciuntur: vt contingit in ebriis, & furioſis. Vel obiectum mutat, quod celeriter agitat, ſubitò occultat, variè collocat, diuerſimodè ſeparat, latenter conglutinat, & certa diſpoſitione proponit oculis: vt faciunt circulatores. Aut aliquid ex aere formatum rei, quæ tunc aliter apparet, circumponit. Aut ipſe tale fictitium corpus ſub variis formis aſſumit. Aut impedit, nè ſpecies obiecti ad oculum deferantur, vel ſaltem pars media perueniat. Aut medium aliqua qualitate ſpiſſat, condenſat, rarificat, aliiſquè modis tùm potentiam viſiuam: tùm imaginationem perturbat: tùm mendacii ſpecie ſenſibus illudit humanis; vt quæ facta minimè ſunt, à deceptis facta putentur: vt ritè tradunt Valentia *in 1. par. diſput. 4. quæſt. 2. punct. 2.* & Molina *1. par. q. 3. art. 4.*

§. III.

2. Sine ſtabilitate.

QVid ſtabile reperitur in ſola rerum apparentia, quæ viſa ſtatim euaneſcit, nec permanere poteſt, niſi quandiù durat faſcinatio? Idem enim ſpectatoribus contingit, quod dormientibus. Vident ſe in obſcura caligine poſitos, & horrendis tempeſtatibus actos, dum cælum, ſalum, ſolum confuſo ordine miſceri videntur, & ſtatim cernunt inductam ſerenitatem. Adſtant cœtibus conuiuantium, aſſident menſæ exquiſitiſſimis dapibus, delicatiſquè ferculis oneratę; lautæ, opiparè regijs delicijs, & apparatu ſplendidiſſimo ſe excipi putant; ſed paractis epulis, quę momentò tolluntur, & fame cruciante ſentiunt momętaneam fuiſſe hanc voluptatem. Errant in denſiſſimis nemoribus, & per loca inuia vepribus obſita obſidentur à ſerpentibus, draconibus, & monſtris inſolitis quaſi deuoraturis ſummo pauore conſternati, nec fugere valent, nec latitare. At pauor ſtatim ſoluitur, cum ſoluto præſtigio ſe vident in ſicuro poſitos. Hortorum areas luſtrant, atq. obambulantes varias arbores fructibus onuſtas, luxuriantes herbas, flores ſuas opes explicantes, fontium riuos ſcaturientes, cantilantes oues, naturę, & artis in eodem opere concertantium mirabilia attentis oculis conſiderant; ſed tantalei horti in fumum, & auram euaneſcunt. Mirantur Regem pompaticè incedentem veſte fulgente aurea, principibus ſtipatum viris, & magnam aulicorum turbam poſt ſe trahentem: aut famoſos belli duces, quales Hectorem, & Achillem fabulæ Poetarum fingunt acriter decertantes, dum alter alterius fugat exercitum modò terreſtrem, modò naualem cum horribili hominum ſtrage; ſed ceſſat ſtatim admiratio, cum omnis illa pompa, totuſquè bellicus apparatus inſtantaneè perit: Quia mira maleficorum ſunt momentanea ſomniorum ſpectacula.

§. IV.

3. Sine vtilitate

QVid vtilitatis in tot vanis, & inutilibus operationibus magicis, quę per ſummam ludificandorum oculorum peritiam à miniſtris ſathanę peraguntur? vt ſunt: Volare per aera: In igne volutari: Transformari in columnas, & in animalia quęquę: Duas Iani facies aſſumere: In terra tanquam in aqua adnauigare: Gallis gallinaceis in rheda vehi: Patinas, & vaſa ab vno extremo ad aliud trahere, & inuiſibiliter in menſa locare: Cartam ab alio ex toto faſciculo clam extractam in manu extrahentis manentem noua inducta forma immutare: Arbuſculum in menſę medio producere: In aulam inducere flumina inundantia: Gallos paleam quaſi trabem trahentes: ſerpentes ſaltitantes, & curſitantes, feras venatorias: Fronti aliorum cornua ceruina adijcere, & ramoſam frontem repaculis ferreis illaqueare, transformare conuiuantium manus in pedes bouum, & equorum vngulas, ne patinas attingere valeant: Hominem vndequaquè ſanguinem ex hiantibus vulneribus emittentem exponere, qui mox ſanus ſiſtitur: Epiſtomio, ſeu terebello frontem perforare, & foramine omnis generis vina educere. Hominem iactare in aera, eius membra diſcerpere, & ea recollecta adunare: Lanceam qua parte minatur exitium aut acutos gladios in una viſcera condere: Currum onuſtum fęno cum equis, & agitatore abſorbere, aliaquè ſimilia edere, quę à magis pręſtigiatoribus exhibenter. Nonne hęc phantaſtica, momentanea, & vaniſſima eſſe, veritatis virtuoſę ſplendor demonſtrat?

§. V.

SIc vitium in iis magicis tenebris latitans in apertum educit, dum docet hęc mira non modo ſine ſoliditate, ſeu veritate ſtabilitate, & vtilitate, ſed cum ſummo ſpectantium damno ſępius exhiberi, atquè ad infidelitatem, ſcelera, & magiam ipſam pertrahere ſpectatores. 644

Cum ſpectantium damno quaſ. trahunt.

1. Ad Idololatriã.

Annè infidelitatem apparentia magorum præſtigia introducunt, cum veræ fidei miraculoſis operibus opponuntur? Sicut enim Ioannes, & Mambres Moyſi reſtiterunt, virgas in angues, & aquam in ſanguinem diabolica ope mutantes, & Pharaoni, atquè eius aulicis perſuaſerunt, obſtinato animo moſaycæ reſiſtere legationi veris miraculis confirmatæ; ità in naſcentis Eccleſiæ primordijs ex hæreticis plures magica arte præſtantes: vt fuere Simon magus, & Apollonius Thyanæus, alijquè inferni emiſſarij, dum infirmis ſanitatem, cæcis viſum, paralyticis motum, ipſis etiam mortuis vitam reſtituere videbantur, apoſtolicæ prædicationis tot veris miraculis confirmatæ vim eneruabant; & ſpectatores in incredulitate detinebant. Sic poſterioribus ſæculis viſi plures, qui vt ſuos errores contra catholicam fidem inſolitis operibus ſtabilirent, ſuis neophitis præſtigio dementatis Chriſtum Dominum, Sanctiſſimam Deiparam, Angelos, atquè Beatos in Maieſtate viſibiliter apparentes, & errores illos docentes, oſtendebant, quos dæmones fuiſſe transformatos dubitare non licet. De quibus legendi ſunt S.Clemens Romanus *lib.2.Recognit.* S.Irenæus *lib.1. c.21.& 24.* Euſebius *lib.2.Hiſtor.c.20.* S.Epiphanius *hær.27.* Seuerus Sulpitius *in ſacra hiſtor.lib.2.* Glycas *par.2.* & Apulæius *de aſino aureo lib.1.* Similiter in finibus ſæculorum, cum vltima Antichriſti perſecutio contra Eccleſiam ſuſcitabitur, tàm ipſe filius peccati, quàm eius pſeudoprophetæ tot prodigia, & portenta tam inſolita daturi ſunt, vt in errorem etiam electi inducendi eſſent, ait Chriſtus Dominus *Matth.24.* niſi omnipotentis Dei manus auxilio confirmarentur.

§. VI.

2. Ad Peccatũ.

ANnè ad ſcelera prouocant homines illuſionibus eorum affectu temperatis iſti mendaciorum concinnatores, quando ſe vnicuiquè obſequentes exhibent ad illa proponenda, ad quæ vehementi alicuius paſſionis impulſu feruntur? Nam ſi quis diuitijs inhiat, ei theſauros in profundiſſimis montium cauernis abſconditos, & à canibus, aut alijs monſtris ſolicitè cuſtoditos reuelant, quò, dum penetrare, & cuſtodes abigere tentat, cadentis terræ mole obruitur: vt teſtantur Theuetus *L.prima C.de theſau.* & Cedrenus *lib.8.Coſmogr.cap.1.* Si æſtuant libidinibus, elegantis formæ mulierem in ſpeculo oſtendunt, cuius amplexibus potiri liceat; vel dæmonem in lepidæ puellæ ſpeciem transformatum, & ad omnes ſpurcitias exercendas paratum introducunt: vt tradunt Caſſianus *Collat.8.c.21.* Auguſt. *lib.4.de Ciuit.Dei cap.27.* & plurimis exemplis probat Binsfel. *de Confeſs.malefic.par.1.quæſtionis concl.5.dub.1.ex D.Gregorio lib.2.Dialog.cap.2. Vincẽtio in ſpeculo hiſtoriali in vita S.Baſilij Magni: Cæſario lib.3.ſeu diſt.cap.8.Sozomeno apud Tripartitam lib.8.c.1.* Si obſcenis ſpectaculis delectatur, in frequenti hominum cætu efficiunt, vt quotquot adſunt mulieres veſtibus ſe nudent, & quæ natura tegenda docet, oculis obijciant. Sicquè tripudiare non deſinant, quandiù in media aula accenſa lucerna certis inſculpta characteribus ardet, de quibus latè Delrius *lib.2.q.8.& 9.Diſq.magic.* Si ſpirat minas, & cædes in hoſtes, vindictæ miniſtros proponunt paratos: modò annuat omnibus modis iniurias prætenſas. Et ità ſimilibus vitijs laboranti mendacibus ſomnijs ſolatium afferre ſimulant, vt in atrociora deuoluatur.

§. VII.

3. Ad Magiam

DE ijs portentoſis operationibus plurimi ad magicas artes comparandas pelliciuntur, qui ad inuſitatos pauentes effectus, & iniqua curioſitate ducti occultas cauſas, quas ignorant, inueſtigare ſatagunt. Et quia vltroneos nanciſcuntur magiſtros, qui obſequium ſe præſtare dæmoni putant, cum aliquem numero maleficorum adijciunt, libenti animo ſe tradunt diſcipulos magicis artibus imbuendos: vt ritè tradunt Auguſt. *lib.10.de Ciuit.Dei c.9.* at clariùs *lib.2.de Doctr.Chriſtiana cap.22.& 23.* & Guilhelmus Pariſienſis *in lib.de legibus*. Vel ſi horrore ſceleris ab illa ſocietate nefaria auertuntur, ſaltem ipſius operibus participant, cum ea peragunt, quæ à magis, & maleficis imperantur; quamuis certò ſciant, eos eſſe miniſterijs dęmonum addictos: vt dicetur infra *tomo 2.diſput.1.* Cauent enim ſolicitè, vt talia præſtigia præſtare poſſint, nè nomen Dei inuocent; ſignum crucis etiam inopinatò efforment; Sacerdotes adeant, templa ingrediantur; reliquias ſanctorum, aut ſacra amuleta gerant, & quod ſimile pietatem redolens exequantur. Similiter punctuatim obſeruant, quæ in mandatis dantur, cum varijs execrationibus, & iuramentis ſe obſtringunt, numquam ſe ſecreta reuelaturos, & ſic ſi non magi, ſaltem magorum, & maleficorum fautores, & ſocij euadunt. Quare optimè Paulus *2.ad Theſſal.2.de mendacibus ſignis, & prodigijs* loquens docet; illos ſolos circumueniri, qui charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fiant, ideſt, veritati conſentire, & acquiſcere nolunt, quæ à Deo, qui charitas eſt, & procedit, ſumma ſanctorum charitate annunciatur, & virtutum regina charitate comitata ſemper incedit. Namquè in pænam virtuoſæ, & charitatiuæ veritatis repudiatæ peruerſam doctrinam, & falſa dogmata amplexantur, mendaciis, & falſis miraculis perſuaſi, mittente eis Deo operationem erroris, vt non credendo veritati; ſed conſentiendo iniquitati, condemnentur.

SECTIO II.

Maleficam.

AT non ſufficit dæmoni infernales ſymmiſtas ſu- 645
perſtitioſam exercere magiam in ſuam, & aliorum vtilitatem; aut delectationem; adhuc vult ſibi fieri ſatis aliis exercitationibus, quæ in damnum generale multorum: aut exitium particularis alicuius cedant; vt ſunt illæ, quæ à practica malefica aſſignantur. Cum enim nihil tàm habeat in optatis, quàm maleficiis homines, & creaturas inficere, non ſinit ſuæ malitiæ miniſtros à malis inferendis vnquam ceſſare; ſed eos vſquequaquè vrget, & prouocat ad noua, & maiora exitia quoquomodo concinnanda.

Malefici cum dæmone concurrunt ad maleficia.

Multa namquè ipſi licent, cum malefici conſenſus accedit, quæ ſoli non permitterentur; quia neceſſe eſt ad maleficium aliquod perficiendum, vt vterquè conueniant, & tanquam cauſæ partiales coniungantur ex pacto ad vnum, eundemquè effectum producendum, Homo, qui parum poteſt, concurrit ad actum ſuas vires ſuperantem, tùm dæmonem inuocando, vt adſit, & volitum maleficium exequatur: tùm externa aliqua peragendo, quę ſunt aut ſigna inuocationis: aut inſtrumenta damni, & maleficii. Dæmon, qui multum poteſt, ſi à Deo liceat,

Dæmon vt cauſa efficiens, & proxima Maleficus, vt cauſa moralis remota.

ceat, excitatus, & inuocatus proſilit ad ſignum à malefico exhibitum, & ſtatim optatum producit effectum; ita vt alter ſit cauſa remota, & moralis, quæ conſenſu, & voluntate concurrit, cum non poſſit phyſicè, & naturaliter attingere proximè talē effectum, qui eius poteſtatem excedit: Alter cauſa proxima, & efficiens, quæ immediatè concurrit ad efficientiam actus malefici, de quo præuio conſilio in nocturnis conuentibus: aut ſecretis communicationibus inito mediis aſſignatis dæmon, & maleficus conuenerunt.

Incitati à malitia. Demoniaca. Propria, & Aliena.

Quare aptè Ioannes locuſtas inferas tanquam equos paratos ad prælium nocendi poteſtatem habentes repræſentat. Malefici etenim, qui laxiorem à Domino licentiam accipiunt, quia ſunt in ſtatu tum benefaciendi, tum malefaciendi, cum ſolicitè actionibus diabolicis tanquam calcaribus vrgentur ad maleficia, non ſecus ac feroces equi à ſeſſoribus agitati graſſantur in homines omnis ætatis, ſexus, & conditionis; & eò grauiorem inferunt ſtragem, quo & propria, & aliena voluntate feruntur. Propria, quæ, cum corruptiſſima ſit, & malitiam diabolicam imitetur, nihil optat tam ardenter, quàm inferre mala; nec in aliquo delectatur, niſi cum horribilem edit hominis carnificinam. Aliena, eorum, puta, qui ſuperbia tumentes, ardentes luxuria, auaritia æſtuantes, & ira perciti eos impellunt ad maleficia procuranda, quibus ſuam impleant, & exatient cupiditatem. Quid ergo mirum, ſi & diabolicis, & propriis, & alienis ſolicitationum motibus violenter impulſi, tanto impetu properant in prælium contra homines, quos vexant maleficiis Somniferis, Amatoriis, & Hoſtilibus? Nam ad hæc tria genera omnia reuocantur: vt ſequentes articuli declarabunt.

Que maleficia reuocantur ad. Somnifera. Amatoria. Hoſtilia.

ARTICVLVS I.

Somniferam.

§. I.

646 *Vigilandum contra inſidias demonum, & maleficorum ſomnum inferentium.*

QVàm ſalubre conſiliū Chriſtus Dominus *Matthai* 24. proponit, cum monet, vigilandum eſſe, & iugiter excubandum, ne fur domum perfodiat, & dormientes, inopinanteſquè opprimat. *Furem enim*, ait ibi S. Hilarius, *oſtendit Zabulum ad detrahenda ex nobis ſpolia peruigilem, & corporum noſtrorum domibus inſidiantem, vt ea incurioſis nobis, & ſummo deditis conſiliorum ſuorum, atquè illecebrarum iaculis perfodiat. Paratos igitur eſſe nos conuenit, & orationum aſſiduitate detentos omnibus præceptorum ſuorum operibus inhærere.* Et quidèm tutiſſimæ ſunt illæ vigiliæ, quas Deus noſtris precibus, & operibus bonis inuitatus vt pro nobis agat excubias contra vigilantem inimicùm, qui non modò per ſe ſuis conſiliis, & illecebris; ſed etiam per ſuos magos, & maleficos diuerſis incantationibus homines adoritur, dum ſomno naturali ſomnum diabolicum ſuperinducit, & arctiſſimis ſomni vinculis decumbentes detinet, vt illos diris ſuis artibus obruat, niſi dormituri antè implorauerint Dei omnipotentis auxilium aduerſus omnes tenebrarum principis, & miniſtrorum eius inſidias.

Quia.

§. II.

QVas difficiliter vitari poſſe patet ex eo, quòd de nocte in obſeratas domos, & clauſa cubicula tenebriones illi ignota facie dilabuntur. Solet enim eorum magiſtellus, ſicut variis confeſſionibus ſagarum conſtat, quas refert Remigius *lib.* 2. *cap.* 4. eos, qui emerito multorum annorum ſpatio plurimis maleficiis fidem ſuam probauerunt, tanquam veteranos milites certis infernalis militiæ præmiis, Imperatorum more donare, nempè, ſe in alienas formas immutandi, & ædes penetrandi poteſtate, quaſi authoramento diuturnę ſeruitutis, & fidelitatis. Hac accepta facultate in mures, locuſtas, feles, & alia puſilla animalia transformati, vt putant, per quaſuis anguſtias nullo negotio viam ſibi faciunt, & intromiſſi priſtinæ formę denuò reſtituuntur, ſi velint (ſed hæc fiunt eo modo, quo dictum eſt ſupra *diſput. præcedenti num.* 295. *& ſeq.* & præſertim *num.* 300.) Tum ad eos accedunt, quibus moliuntur interitum, artus eorum omnes illiniunt, in os potiogem aliquam infundunt, atquè malo carmine, certiſquè ritibus ſomnum inducunt, vt nulla vi poſſint euigilare, vt ſic ſecuriùs deſtinatum opus ipſi peragere valeant. 647

1. Difficiliter euitantur

§. III.

HÆc autem ſoporatio iis ſathanæ miniſtris facilis eſt, ſiuè narcoticis, ſiuè diabolicis remediis vtantur, cum vtraquè ſomnum arctum, atquè diuturnum conciliandi habeant facultatem. Nam multa ſunt, quę ſola vi, ac potentia naturali, ſi infundantur, vel amoueantur, non ſoporem tantùm, ſed ſtuporem, torporemquè aduerſus vehementiſſimos quoſquè cruciatus inducunt: vt lolium, ſolanum, mandragora, papauer, & ſimilia, quę Chirurgi non ignorant, ſe quando ad humano corpore membrum abſquè doloris ſenſu reſecare deſiderant. Sed plura, & perfectiora norunt dæmones; Nulla enim virtus in rebus natura editis eos latet; ſed perfectiſſimè omnia ſimplicia ad conſopiendos homines apta nouerunt, quę ipſi poſteà maleficis indicant, vt ex illis inſimul temperatis ſuas potiones ſomniferas elicere poſſint. At viribus naturæ non egent, qui ſiue illius rei aduentitiæ, atquè externæ adminiculo tanta poſſunt, qualia in operationibus eorum quotidianis conſpiciuntur. Seiſis enim ſomnum immittere valent, & ſoporem conciliare quędam adhibendo non vt cauſas naturales; ſed vt ſymbola, & ſigna ex inſtituto ad dæmonis opem inuocandam. Quis namquè credat excitandi ſomni facultatem habere characteres magicos, lucernas ſulphuream flammam euomentes, pedes, & manus mortuorum prius oleo diabolico inunctas, ſpartes aliquas humani cadaueris: vt ſpinam dorſi certis locis appenſam, cadauerum abortione egeſtorum, & igne elixorum pinguedinem, faces excantatas, & de certi generis lychno, & quadam pinguedine compoſitas, quæ fumum emittentes, *Nebulam ſomni* vocatum, præferuntur accenſæ: vel domi relinquuntur, cum aliquod maleficium operandum eſt. Et tamen his omnibus vtuntur, vt ſoporem inducant, quamuis hæc omnia ex pacto tantùm efficacitatem habeant. Huiuſmodi ſomnum, facile eſt credendum immiſſum fuiſſe illi Adoleſcentulæ, de qua ſupra *diſp.* 2. *num.* 287. 648

2. Faciliter concinnantur remedijs. Naturalibus, ac Diabolicis.

Quis

§. IV.

3. Crebrò adhibentur Ad. Vtilitatem propriam.

649 QVis verò explicare queat, quot facinora hi noctambuli homines ijs naturalibus, & dæmoniacis telis armati in perniciem omnium moliantur.

Si homines è cubiculis, mulieres è lecto geniali ad conciliabula malefica auolare deſiderant, ne quid quotidianæ, & nocturnæ conſuetudinis deſideretur, per incantationes domeſticis ſomnum inducunt. Illiniunt namquè inguine ſomnifero vel aures; vel culcitram: vel pallium; & ſic ſoporem excitant, ex quo alij facile excitari non poſſunt: vt exemplis probat Remigius *lib.1.cap.12.* Et mihi enarrauit anno Domini *1649.* Venetijs quædam N.Mulier à dæmone incubo poſſeſſa tunc vidua, quòd dum etiam viueret maritus, ac cum illo decumberet in lecto dęmon illum ad tam arctum ſomnum inducebat, vt eam comprimentem nullatenus ipſum audiret.

Si à Iudicibus deprehenſi tanquam veneficij ſontes, ſilentio tormenta, & pænes ſuperare volunt, virtute characteris in perexigua lamina, aut certa exarati ſoporem aduehunt tam altum, vt nec ab excitantibus Iudicibus, qui varijs interrogationibus veritatem eruere volunt; nec à torquentibus carnificibus, quorum augetur barbaries, dum ſe deludi conſpiciunt, nec ab acutiſſimis doloris equuleis, qui intima viſcera penetrant, vllo pacto excitari poſſint; vt accidit in quodam Benigno, qui Danorum Reginæ Conſiliarium occiderat, de quo idem Auctor *lib.2.cap.4.* ſed nos latiùs infra *tom.2. diſput.1.num.140.*

§. V.

Aliorum damnu.

SI tutò volunt alienas opes inuadere, penetrare domos, ſcrutari ſupellectilem, & quæ lubet, ſecretis tollere de medio latrocinijs, modò inunctos digitos, manus, aut pedes alicuius patibulati accendant: aut partem cadaueris certo loco appendant, intrepidè parietes effodere, & domos euertere poſſunt; cum domeſtici omnes graui ſopore immergantur: vt duobus, & lepidis exemplis, quorum vnum ſupra *num.596.* retulimus, oſtendit Delrius *lib.3.par.1.quęſt.2.diſquiſ.magic.*

Si caſtæ alicuius matronæ, aut puellæ pudicitiam adulterijs, libidinibus contaminare ſtatuunt, & poſt importunas ſolicitationes poſt dona frequenter oblata, poſt crebras viſitationes, aliaquè amoris incentiua fruſtra adhibita vim facere deliberant: accenſa priùs face obſcurum ducente lumen in cubiculo, audacter ad prædam inuolant: clamet quantum voluerit vim patiens mulier, & vim vi repellere tentans, domeſticorum opem imploret, nihil proficit, omnes conſopiti, & mortuo ſimiles aures non habent, nec ab alio, quàm à Deo auxilium expectare poteſt, qui ſæpiſſime caſtitatis integritatem admirabili modo contra petulantium, & fætentium hircorum impetus tuetur, & protegit: vt memorabili exemplo idem Delrius *loco citato* demonſtrat.

Deniquè ſi tollendi è cunis, aut è matrum ſinu pueri: ſi aliquis veneno appetendus, ſomnus ijs maleficis artibus aduocatur, quo ita matres corripiuntur, vt non ſentiant ſibi filios eripi; nec alij iuis faucibus infundi venenum, etiamſi firmiter, & validè os illis deducatur, ne potionem agitatione excludant, aut lecto violenter deturbentur. Tanta eſt enim venenati poculi vis, & operationis dæmoniacæ virtus, vt nec clamoribus, nec vellicationibus, nec agitationibus quibuſcumquè expergefieri poſſint. Quare ſalubriter æterni conſilij Angelus cuiquè ſuadet vigilare contra latentes ipſos fures, & antequam lecto decumbat, preces, orationeſquè præmittere, quibus ſe in Dei præſidium, & tutelam commendet, vt tota nocte poſſit in Dei protectione morari, & pacifico ſomno gaudere, fruſtra obnitentibus ſomniferis malefactoribus.

Niſi orationibus præueniātur.

ARTICVLVS II.

Amatoriam.

FOrmidandum inſtare nobis aduerſarium ex eo 650
maximè liquet, quòd dæmon, ſi quandoque ipſi à Deo permittitur, non ſolùm in bona extera, & in omnia corporis membra graſſandi poteſtatem habet; ſed etiam in ipſam animam, quam varijs paſſionum motibus exagitat, maximè cum excitat æſtus libidinis, & ardentes Veneris faces accendit, animoſquè pudicos ad impurum amorem tam validè flectit, vt non amare, ſed furere videantur; præſertim cum malefici ſuis philtris, & amatorijs poculis aliquem prouocant ad amandum; tunc enim vires omnes adhibent, vt maleficia amatoria ſuum ſortiantur effectum.

Dæmon homines excitat ad libidinem per philtra, & pocula amatoria.

§. I.

Probatur auctoritate Sacræ ſcripturæ

FAcilè hanc dæmoni quis poſſet negare facultatem. Sed illi eam tribuit ſacræ ſcripturæ inuiolabilis auctoritas, dum *Oſeæ.4.* hoſtem humani generis vocat ſpiritum fornicationis, qui poteſt incendere hominem ad libidinem, & explicat Caſſianus *Collat.7.cap.32. Incentores*, ait, *libidinum, atquè luxuriç, quoſdam ſpiritus eſſe Propheta commemorat: ſpiritus*, inquiens, *fornicationis decepit eos; & fornicati ſunt à Deo ſuo*, & *Nahum 3. Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ, & gratæ, & habentis maleficia*. Quod de maleficijs amatorijs rectè interpretatus eſt Franciſcus Ribera. Quorum etiam apud Baruch. *in epiſtola Ieremiæ 6.verſ.42.* mentio habetur his verbus: *Mulieres circundatæ funibus in vijs ſedent ſuccendentes oſſa oliuarum, cum autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, proximaſ ſuæ exprobrat, quod ea non ſit digna habita ſicut ipſa, nec funis eius diruptus ſit*. Per quas funes rectè intelligi poſſe maleficia amatoria, quibus homines ad libidinem accenduntur, & quaſi impelluntur ad peccata carnalia, nemini eſt ambigendum.

Patrum.

Idem Patres aſſeuerant S.Irenæus *lib.1.cap.9.* S.Greg.Nazian. *orat.29.in laudem Cypriani:* S.Gregor. Roman. *lib.1. Dialogorum cap.4.* S. Epiphan. *lib.1.tom.2.contra hereſ.Ebionit.* Arnobius *lib.1. contra Gentes*, & S.Hieronymus *lib 3. comm.in epiſt. ad Epheſ. cap.6.* qui docet, aliquos eſſe dæmones amoribus, & amatorijs canticis ſeruientes: vt *in Nahum 3.* tribuit maleficijs, & incantationibus, quod faciunt homines amare ea, quæ odiſſe debuerant: & deteſtari ea, quæ amare tenebantur.

§. II.

Theologorum. THeologi vno ore talem admittunt poteſtatem: vt S. Thom. D. Bonauent. *in 4. ſentent. diſt.* 34. quos Petrus de Palude ibidem, Alphonſus à Caſtro *lib. 2. de iuſta heretic. punit. cap.* 15. Auctores Mallei Malefic. *prima par. quæſt.* 5, Michael Medina *lib. 2. de recta fide in Deum cap.* 7. & moderni omnes ſequuntur.

Legum. Idipſum confirmant leges, quæ ſub grauioribus pęnis pocula amatoria vetant. *L. Conſtantiniana. Eorum. C. de malef. & mathem. L. 3. §. Adiectio. ff. ad Legem Cornel. de Sicarijs. & L. Si quis aliquid. §. Abortionis: aut poculum amatorium. ff. de pęnis.*

Iuriſprudentium. Hoc approbat Iuriſperitorum in dictas leges vnanimis ſententia: Albericus *in Rubric. C. de hæretic. num* 6. Azo. *in titul. de malefic. & mathemat.* Bonifacius de Vitalinis *in tract. de maleficis*: Godefridus *in L. Eorum C. de malefic & mathem.* Angelus ibi. Grillandus *de ſortilegijs queſt.* 3. *& queſt.* 12. Oldradus de Ponte *in conſil.* 210. *incipit: Regularis habet traditio.* Panormitanus *in cap. In tabulis, de ſortilegijs num.* 4. Ioannes ab Anania ibidem *in Rubrica*, Petrus Ancharan. ibidem *in cap. ex tuarum; & in lib. 6. de Heretic. cap. Accuſatus. §. ſanè.* Hoſtienſis *in Summa, de Magiſtris §. quam ſcientiam.* Franciſcus Squillacenſis *de fide Catholica cap.* 9. Sed latè Petrus Binsfeld. *Comment. in titul. de malef. & mathem.*

§. III.

Philoſophorum. PHiloſophi, & alij naturæ indagatores dum talem virtutem quibuſdam rebus naturalibus attribuunt, quæ eò ampliùs reperitur in dęmone id teſtantur: vt Ariſtoteles *lib. 2. Hiſtoriæ Animalium cap. 14. & lib 9. cap.* 17. Plinius *lib. 8. c. 42. & lib. 32. cap.* 4. Marſilius Ficinus *lib. 13. Theologiæ Platon.* Cęlius Calcagninus *integro opere de Amatoria magia*, & plures alij quos citat Tiraquellus 13. *lege connubiali.* *Poetarū.* Poetæ idem indicant, qui fictionibus vera multa admiſcent: vt Virgilius *in Pharmaceutria.* Ouidius *in ſuis libris heroidum*, Theocrit. & Propertius. *Magorū confeſſionum.* Magorum confeſſiones, in quibus vſque ad mortem perſeuerarunt, quarum plures Grillandus *de ſortilegijs q. 3. n. 15. & q. 5. n. 2. refert*, idipſum probant.

Experiētia. Ipſa tandem teſtatur experientia in pluribus, quos Eccleſiaſtici, & profani Scriptores referunt: vt in puella adducta ad S. Hilarionem, de qua poſteà, apud S. Hieronymum. in Ioſaphat, & Pheduda apud Damaſcenum, *In vita Barlaam, & Ioſaphat.* In Iuſtina, & Cypriano apud Nazianz. & Nicephor. In Baſilio pſeudomonacho, & moniali apud S. Gregorium. In Marco Antonio Triumuiro apud Plutarcum: & in alio, de quo Cleodanus apud Lucianum.

§. IV.

651 *Modus aſſignatur compoſitionis philtrorum.* MOdus autem, quo huiuſmodi maleficia amatoria componuntur, traditur à Grillando *de ſortileg. loco citato*, vbi ait: *Fieri vel intra: vel extra corpus. In corpore per cibum, & potum, ſiuè eſculenta, & poculenta, in quibus res ſacra: vt hoſtiæ conſecratę, aut non conſecratæ, ſed notis magicis inſcriptę frequenter admiſcentur:* vt ipſe probat exemplis. *Extra corpus per aliquas mixturas compoſitas ex herbarum folijs, radicibus, reptilibus, metallis, plumis auium, membris animalium, capillis, vnguibus, aut veſtimentorum fragmentis, quę adhibitis certis ligaturis in tunica maleficiandi inuoluuntur, & conſuuntur: vel ſub puluinari, aut lecti inuolucris: aut ſub limine oſtij domus, aut alio loco, per quem maleficiandus tranſiturus eſt, abſconduntur.* Hæc ille.

Hæc autem dum fiunt, varios in homine operantur effectus. Sic namquè eum ad amorem prouocant, vt ſæpiùs pro amore perturbationes, inſaniæ, & mors ipſa adducantur. *Quorum effectus eſt prouocare Ad 1. Perturbationē.*

Quaſnam in toto homine perturbationes ſentiant, qui philtris, & poculis amatorijs à maleficis vexantur, teſtantur excitati humores, irritatum ſemen, membra incaleſcentia, flatulentia inducta, pruritus, & calor in corpore æſtuans, perturbata imaginatio, concitata phantaſia, memoria inuoluta, intellectus obſcuratus, voluntas crebris, & importunis ſuggeſtionibus ſolicitata, dæmone exteriùs operante per varia pharmaca, quæ vel naturaliter vim habent illos motus producendi: vel tanquam ſigna conuentionis applicantur, & interiùs certante per varias tentationum illecebras, æſtuſquè libidinis, quibus miſer homo ad deſideria carnalis copulæ quaſi inuitus trahitur: vt liquet ex facto monialis illius, de quo Gregorius *lib. 1. Dialog. cap.* 4. quæ incantata à Baſilio Monacho febricitare incæpit, & vehementer anxiari, magniſquè vocibus cum ſtridore clamare: *modò moritura ſum, niſi Baſilius Monachus veniat.* (Is erat in magicis artibus inſigniter exercitatus) & *ipſe mihi per ſuæ curationis ſtudium ſalutem reddat.* Quod cum Equitio Abbati relatum eſſet, verbo ſolo monialem curauit, & Baſilium expelli præcepit è Monaſterio, qui poſtea à Populo Romano igne crematus eſt.

Sic Venetijs anno 1648. *Quædam Adoleſcentula filia cuiuſdam Mercatoris ætatis ſuæ anno* 17. *cum vehementer diligeretur à quodam prædicti Patris ſui famulo, is, vt optata Adoleſcentula carnaliter frui valeret, ad quandam Sagam confugit, cuius ope eam maleficio amoris affecit, quæ ſtatim nocturno tempore clamare cæpit dicens:* En morior, niſi mihi concedatur in lecto concumbere cum famulo noſtro, *qui in eadem domo, ſed altero cubiculo dormiebat. Accurrerunt ipſius Parentes eam reprehendentes, & admirantes ſuper his, quæ dicebantur à filia iam modeſtia ſatis prædita. At illicò dęmon, qui eorum ancillam poſſidebat, famuli crimen patefecit, qui ſine mora è domo aufugit, poſtera autem die ego rogatus acceſſi, & interrogata Adoleſcentula: an voluntariè prædicta verba protuliſſet, quæ reſpondit, ſe inopinanter ſenſiſſe ſibi cor aduri amore erga famulum; phantaſiam, & imaginationem turbari, intellectum obſcurari, ac confundi, voluntatem crebris, & importunis ſuggeſtionibus ſollicitari, interiuſque per vehementem libidinis æſtum ad deſiderium concumbendi cum famulo quaſi inuitam trahi, ita vt ſe abſtinere non poſſet, quin clamans dicta verba proferret. Quibus à me auditis, ſtatim admonita, ac ſuauiter correpta genuflexa ante Crucifixi imaginem omnia ſua peccata deteſtari cæpit, ad Deum confugit, ac tandem poſt nonnullos fidei, ac fiduciæ in Deum actus elicitos à quocumque maleficio, Deo adiuuante, ac præceptis à me contra Dæmonem formatis, perfectam coram me conſecuta eſt ſanitatem.*

Sed

§. IV.

2. Inſaniam.

SEd vlterius progreditur philtrorum vis. Non enim ſolùm turbat maleficiatos; ſed inſuper creſcente perturbatione in inſaniam eos præcipitat: vt videtur in puella, de qua Hieronymus in vita Hilarionis. Hanc cum Iuuenis Gazenſis deperiret, ideſt, vehementer amaret, & tactu, iocis, nutibus, ſibilis, & cæteris huiuſmodi, quæ ſolent morituræ virginitatis eſſe principia, nihil proficeret, Memphim perrexit, & anno elapſo magicis artibus inſtructus ab Æſculapij vatibus redijt; atquè ſubter limen domus puellæ quædam tormenta verborum, & portétoſas figuras in æris Cyprij lamina ſculptas defodit. Illico cępit amore inſanire Virgo, & amictu capitis abiecto rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis; magnitudo quippè amoris eam in furorem verterat. Perducta ergo à parentibus ad monaſterium S. Hilarionis ei traditur, vlulante ſtatim dæmone, & confitente: *Vim ſuſtinui inuitus ſum abductus, quàm benè Memphim ſomnijs homines deludebam. O cruces, ò tormenta, quæ patior. Exire me cogis, & ligatus ſub limine teneor! Non exeo, niſi me adoleſcens, qui tenet, dimiſerit.* Tunc ſenex: *Grandis*, ait, *fortitudo tua, qui licio, & lamina ſtrictus teneris. Dic, quare auſus es ingredi puellam Dei? vt ſeruarem*, inquit, *eam virginem. Tu ſeruares*, ait Sanctus, *proditor caſtitatis? Cur non potiùs in eum, qui te mittebat, es ingreſſus? Vt quid*, reſpondit, *intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris dæmonem:* ſicque hæc confitens à Sancto fugatus eſt.

Quod antiquis etiam notum teſtatur Ouidius *lib. 1. de Arte amandi.*

Philtra nocent animis, vimquè furoris habent.

Et Iuuenalis *Satyra 6.*

Hæc magicos affert cantus. Hęc Theſſala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti.

Vndè philtrum communiter vſurpatur pro genere veneni amorem, & inſaniam inferentis.

Huiuſmodi maleficio affecta fuit anno 1655. Iſei Brixienſis territorij quædam Adoleſcentula, cui quidam Iuuenis aduena iniquus, ac peſſimus relaxandi animi gratia, ac ſolatium socijs exhibendi quoſdam tradiderat fructus verbis blādis eam alloquens, quæ ſtatimac tales fructus manducauit, tota perturbatione referta in inſaniam prorupit, ac poſt illum adoleſcentem currere cæpit clamans ſe morituram, niſi cum eo carnaliter copularetur; quo recedente cum ſuis socijs à tali vico, & nauiculam ingrediente, dicta Adoleſcentula vſque ad lacus ripam illum proſecuta inſaniens, quaſi animam exhalans ſuper terram ſtrata volutabatur. Demum Bergomum coram me adducta ab huiuſmodi maleficio, Diuino fauente auxilio totaliter libera receſſit.

§. V.

652 TAndem eò creſcit malefica vis, vt poſt perturbationes, & inſanias, furioſam mortem inferat. Sic Euſebius Chronico teſtatur, Lucretium Poetam primò dementatum, deindè furoris impatientia ſeipſum interemiſſe. Plutarchus in Lucullo refert, illum ſimili arte in furorem actum, & poſtea interremptum. Caligulam potione amatoria à Cęſonia porrecta interijſſe, narrant Ioſephus *lib. 11. Antiquit.* & Suetonius in Caligula. Idem de Federico Duce Auſtriæ Rege Romanorum electo, & à Ludouico Bauaro victo, teſtatur Cuſpinianus. Quarè iura ciuilia pęna mortis afficiunt illos, qui talia pocula amatoria quomodocumque ſint compoſita, cæteris præbent: vt conſtat *L. Si quis aliquid ex metallo §. qui abortionis ff. de pænis*. Bartolus ibidem. Grillandus *de ſortilegijs. q. 12.* & Menochius *lib. 2. de arbitr. Iud. qq. caſ. 358.* ſi ex eis mors ſequatur, & etiamſi mors non ſequatur, modò quis arte magica animum hominis ad illicitum amorem attraxerit; vt probant citati Grillandus *quæſt. 11. num. 7.* Petrus Gregor. Tholoſanus *in 3. par. Syntagmatis iuris vniuerſi lib. 34. cap. 12. num. 11.* & Menochius *lib. dicto caſu 388. num. 5.* Etſi enim hodiè puniantur extraordinariè ad Iudicis arbitrium, ſi mors non interueniat. Olim tamen pæna relegationis, aut damnationis ad metalla multabantur: vt teſtantur præfati DD. apud Binsfeldium *Comment. in titul. C. de malef. & mathem. in L. Eorum. quæſt. 3. concl. 4.* vt videas, quàm noxia ſint illa philtra, & maleficia amatoria, ex quibus tanta mala oriuntur.

3. Mortē ipſam.

§. VI.

IN ijs verò duo ſunt diligenter obſeruanda. Alterum, quòd licèt quædam naturalia vim habere dicantur amorem conciliandi, & commouendi animos ad libidinoſas actiones: vt Hippomanes, quod eſt caruncula quædam, quæ in pulli equini fronte conſurgit, quam euulſam, & in puluerem cōuerſam ad amorem concitandum efficaciſſimam eſſe, tradunt Ariſtoteles *de natura animantiū lib. 6. cap. 22.* Plinius *lib. 8. hiſt. natural. cap. 42.* & Seruius *lib. 3. Georgicorum in illud Virgilij.* 653

Non tamen voluntatē poteſt.

Hinc demum, Hippomanes vero quod nomine dicunt Paſtores.

Non tamen tantam illis ineſſe facultatem, vt in hanc perſonam potiùs, quàm in illam aliquem cōpellant; ſed tantùm in genere venereos motus excitare poſſe. Quòd ſi quis in aliquam perſonam determinatam propenſiorem amoris violentiam ſentiat, hoc non ex vi rerum naturalium; ſed ex dęmoniaca operatione procedit, inquantum dæmon cum Malefico ex pacto concurrit ad amorem in illa perſona procurandum, in cuius perniciem ſigna diriguntur; dum ex vna parte maleficus philtrum applicat, & poculum præbet dæmonem inuocando, atquè maleficiatum ſæpiùs adit, cum res naturales illum perturbare incipiunt; & artibus, quibus ſolent homines, & mulieres capi, inſtanter vrget ad aliquem diligendum, cuius miras profert laudes, & amoris reciproci vehementiam extollit. Dæmon verò ex altera parte ad philtri ſignum interiùs operatur efficaciori actione; & abſente, aut præſente malefico aſſiduè maleficiati phantaſiam, & memoriam mouet exhibendo perſonæ ſpecies varias, propter quas amore digna videtur; & illas, quæ reddunt indignam, & exoſam, ſubtrahendo. Vndè præda ab vtroquè exteriùs, interiùſquè quæſita, & laceſſita facilè in naſſam cadit.

1. Determinare.

✠✠
✠

§. VII.

2. Cogere ALterum: in ijs operationibus magicis quantumuis efficacibus numquam voluntatem, & liberum arbitrium cogi. Nam etſi diabolus poſſit mouere corpus, turbare phantaſiam, & medijs ſenſibus internis, & externis in intellectum cogitationes immittere; tamen non ſic mouere voluntatem poteſt, vt in ſuo actu cogatur: quia implicat contradictionem, illam eſſe liberam, & tamen quoad actum ſuum interiorem cogi: vt docet D. Bonauentura *in 2. ſent. diſt. 25. par. 2. q. 5.* & tenent communiter Theologi. Si quid enim vult, ex hoc, quod libera eſt, liberè vult; & ſi aliquid vult, voluntariè vult. Si autem cogeretur, aliquid ſeruiliter vellet, & inuitè vellet, & ſic ſimul, & ſemel actum haberet liberum, & ſeruilem, voluntarium, & inuoluntarium, quod eſt impoſſibile. Ideò totum, quod facit veterator ille, eſt, liberum arbitrium allicere, & libidinis pabulum miniſtrare per concupiſcentiæ motus, & cogitationes occaſionaliter immiſſas modo, quo *diſp. 2.* explicauimus *n. 269.*

Idcircò ſi quis per maleficium inductus moueatur ad aliquam mulierem concupiſcendam, eamquè in ſponſam ducendam, matrimonium tenet, nec poteſt dirimi: quia licet ibi fuerit inductio, non tamen ibi fuit coactio. Actus enim voluntatis, quo præſtitit conſenſum, fuit liber, quod ſufficit ad validitatem contractus.

Quare ſi quid philtra, & maleficia amatoria operantur, non prouenit ex eo, quòd voluntas cogatur; ſed à ſpontanea maleficiati inclinatione, qui dum à diabolo importunis ſolicitationibus, & tentationibus acrioribus agitatur, incipit incaleſcere in amorem illius, cuius gratia fit maleficium, nec à cogitationibus, alijſquè libidinis irritamentis abſtinet, donec pleno, & voluntario conſenſu ad effectum deuenerit, quod maleficio prætendebatur. Diſtinguendum eſt enim inter motus concupiſcentiæ, & actiones voluntatis. Nam dęmon illos motus etiam in nolentibus excitare poteſt; illas verò actiones imperare non valet, niſi in liberè volentibus, qui tyrànicè eius dominationi omninò ſubiecti, numquam eius mandatis, & ſolicitationibus obſtant; ſed libera, & præcipiti ad malum voluntate proficiunt in peius. Ideò qui coactionem voluntatis cauſantur ad excuſandas excuſationes in peccatis, mentiuntur; cum tota dæmonum, & maleficorum cohors cum ſuis philtris, & poculis amatorijs contra illam præualere minimè poſſit.

§. VIII.

654 HInc à Confeſſarijs, & Iudicibus diligentiſſimè ſunt interrogandi iſtorum maleficiorum concinnatores, quid in conficiendis hiſce maleficijs intenderint: quis eorum fuerit finis, quam fidem habuerint in rerum, quibus vſi ſunt, applicatione.

Si dæmon ſimpliciter inuocatus fuerit ad tentandum viri, vel mulieris pudicitiam ſecluſo pacto expreſſo cum dæmone; ſecluſo etiam abuſu ſacramentorum, vel ſacramentalium, aut verborum ſacræ ſcripturæ: ac demum ſecluſa inuocatione dæmonis per verba deprecatiua, ſed inuocetur verbis imperatiuis, licèt grauiſſimum ſit peccatum ſuperſtitionis; non tamen ſapere hæreſim, ſentiunt Clarus in *§. Hæreſis. verb. ſucceſſiuè.* Oldradus *Conſil.* 210. Gloſ. Archid. Gemin. & Canoniſtæ *in cap. Accuſatus. §. Sanè extra de Hæreticis lib. 6.* Pegna *in direct. Inquiſit. par. 2. comm. 68.* & plures alij relati à Diana *par. 4. tract. 7. Reſolut. 10. verſ. ſed oritur, folio mihi 206.* & nuper Carena *de officio S. Inquiſit. tit. 12. §. 7. num. 48.* & Ignatius Lupus *comm. in Edict. S. Inquſit. par. 3. lib. 19. art. 2. diff. 1.* Ratio eſt, quia non tribuitur dæmoni, niſi quod ei conuenit. Ipſius enim proprium eſt tentare, & ad peccata animos flectere iuxta illud Matthęi, *& accedens tentator.* Contrarium tamen ſuſtinet Anton. Diana *loco cit.* probans, inuocare dæmonem etiam verbis imperatiuis eſſe ſortilegium hæreticale: eò quòd pertinet ad ſocietatem dæmoniacam exigere à dæmone ſpontè concurrente conſilium, fauorem, aut quoduis officij genus, ſiue exactio fiat deprecando, ſiue imperando, plures Auctores pro ſe adducit, nempè Simanc. Auguſt. Homobon. Spineum, & alios quorum rationes videre licet apud Dianam loco citato. Quę opinio videtur magis rationi conſentanea.

Si autem in illis maleficijs concinnandis dæmonem expreſsè per modum adorationis inuocauerint: Vel ab eo expetierint, & expectauerint aliquid, quod ſoli Deo facere conuenit; etiamſi non fuerit per modum adorationis, apertam ſapiunt hęreſim: quia tribuitur creaturæ, quod ſoli Deo debetur.

Si verò crediderint, maleficia, aut dęmonem, poſſe alicuius viri, vel fæminę cogere voluntatem ad amorem inhoneſtum, vehemens eſt hęreſis ſuſpicio, & ſi de veritate inſtructi, acquieſcere nolint, tanquam hęretici ſunt habendi: vt recte tradit Binſfeldius *Comment. in Titul. C. de malef. & mathem. quæſt. 2. concl. 4. in leg. 4.* quia credere, hominis voluntatem à dæmone, aut malefico efficaciter cogi ad amandum aliquem, vel aliquam: hæreſis eſt aperta; cum repugnet libertati à Deo noſtrę voluntati inditę. Si enim voluntas à dæmone cogitur ad aliquem amandum, iam non eſt libera, vt ſupra diximus, nec in manu conſilii ſui, ſecundùm Ieſum filium Sirach *Eccleſiaſt. 15. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui.*

Si tandem in hiſce maleficiis operantes abuſi fuerint Sacramentis, vel ſacramentalibus, aut verbis ſacrę ſcripturę, redduntur de hæreſi ſuſpecti: vt tradunt Panormitanus *in c. 1. de ſortileg. ex Gloſſa, lib. 6. de Hæreticis c. Accuſatus. §. ſanè.* Carena cum aliis ab ipſo citatis *in tract. de modo procedendi in S. Tribunali tit. 12. §. 5. num. 31.* Ratio clara eſt. Sapere enim hæreſim nil aliud eſt, quam fortem præbere hęreſis ſuſpicionem. Quis autem ad tam abominabilem vſum res ſacras adhiberet, niſi aut effectum habere exiſtimet; aut illius eſſe momenti iudicet; & ſic contemnat myſteria noſtræ ſalutis? quæ, an ſapiant hæreſim, quiſquè æquus rerum diuinarum æſtimator facilè animaduertet. Sed de his videas, quæ ponuntur *tomo 2. diſp. 1. num. 49. & ſeq. & 53. & ſequentibus.*

ARTICVLVS III.

Hoſtilem.

SI nihil tutum ab hoſte, qui omnes nocendi vias 655
parat; quot modis, putas, ſęuit in homines furens eorum inimicus, qui nomine Abaddon, Apollyon, & Exterminator re, & facto talem ſe exhibere deſiderat, generalia in bonis animę, corporis, & fortunę exterminia inducendo, hoſtilibus, aut damnum inferentibus: aut aptis inferre: aut ideò adhibitis, vt inferatur, dum actu, potentia, intentione hominem à facie terrę exterminare: ſeù vt explicat

Dæmon per maleficia homini nocet.

plicat S. Antonius à Padua ſer. 24. extra terminos vitę æternę hominem ponere conatur? Non vacat, multiformis malorum artificis multiplices maleficiorum referre dolos, & modos, at cùm de eis aliquid dicturi ſumus diſputatione ſequenti: ſat eſt nunc, vt ex vngue leonem dignoſcamus, ſi aliqui recenſeantur, qui ad inferendum triplex illud damnum reuocantur,

§. I.

1. In Anima. PRimò animum maleficijs aggrediuntur, dum errorem in intellectum, in voluntatem odium, in memoriam obliuionem inducunt: vt ex ſuperiori articulo facilè colligitur. Nam ſi hoc naturalia pharmaca poſſunt, ita vt eorum virtute homo fiat ſtupidus, crudelis, moroſus, obliuioſus, & miſantropos, dum organa ſpiritualibus operationibus à natura deſtinata læduntur, turbatur ſanguis, humores adurunrur, frigus inducitur, & corporis temperamentum mutatur; vt videtur in ijs, qui lycantrophia laborant. Quid non facient, ſi à malefico tanquam ſigna dæmoniacæ inuocationis applicentur? Nonnè dęmon totam operationem generalem rerum naturalium in certum effectum, & circa certam perſonam dirigere poterit de ſuo addendo efficaciorem actionem, quæ tanta in potentijs, & facultatibus animæ poteſt, quanta diſputatione ſecunda explicauimus? Sic homo aliàs ſanæ mentis perturbata phantaſia, errore aliquo ſingulari laborabit, & laxatis cerebri rotis circa rem particularem delirium patietur: aut odio alium in præſentia proſequetur, quem in abſentia affatim amabit, dæmone ob oculos ponente imagines, ob quas impetum totis viribus faciet in eum, ſi fortè accedat, tanquam in oblatum malum multis deformitatibus, turpitudinibus, & horribilibus monſtris pictum apparens. Huiuſmodi maleficio ſæpè ſolent affici nouelli coniuges.

Sic anno Domini 1658. ad me confugit quædam nouella ſponſa à Coloneo territorij Bergomenſis, quam cum ſponſus vellet amplecti, quamuis eum vehementer diligeret, illicò odio erga eum ita afficiebatur, vt nec illius præſentiam, & eò minus tactus ſuſtinere poſſet, qui quidem ſponſus prius maleficio ligaminis fuerat affectus, ſed à Deo media mea inſtructione, ac benedictione liberatus erat. Itaquè dicta ſponſa ad me vnà cum ſponſo confugiens, poſt debitas inſtructiones, & actus fidei elicitos tandem perfectam ſanitatem eſt aſſecuta.

Simili maleficio eodem anno ſponſus quidam, ac ſponſa ipſius à Buccaleone propè Bergomum affecti fuere, qui ſimul concumbere nequibant; ac licèt ſe inuicem diligerent, attamen ſe ſufferre nequibant: bis à me fuerunt benedictionibus muniti; at cum perfectam liberationem non eſſent aſſecuti, præcepi, vt vnà cum illis coram me venirent eorum parentes, quibus præſentibus, ab eiſque vnà cum filijs ſimul deſponſatis fidei, ac fiduciæ in Deū actibus elicitis à quocunquè maleficio liberi receſſerunt.

Aliquando etiam huiuſmodi maleficio affecti ſuorum omnium penitus obliuiſcuntur, quaſi numquam in mentem venerint, omneſquè tanquam inimicos habent: quæ omnia cauſantur à maleficio hoſtili: vt Codroncus *lib. 3. de morbis maleficis cap. 8.* exemplis oſtendit. Quibus perturbationibus in anima fuit affectus Stephanus ille vitriarius de quo ſupra ſub *num. 589.* qui omnes quotquot videbat, vt inimicos ſuos metuebat, idcircò hùc, illùc diſcurrebat, neſciens vt profugus, quò ſe diuerteret: qui dixit mihi, tunc hoc ſe firmiter in mente habuiſſe, infra vnius menſis ſpatium ſe procul ab hominum conſortio, vt animal irrationale in medio agri moriturum.

§. II.

SEcundò atrociora in corpus moliuntur maleficij deuouendi, ligaminis, abortus, diſiccationis lactis, & venenarij. Nam vt hæc diſtinctiùs pateant. 2. In Corpore.

Dæmonem in brutorum, vel hominum corpora ſola imprecatione immittunt. Sicut enim Dei miniſtri particulari eius inſtinctu aliquando malefactoribus imprecantur, vt alij diuinæ vltionis actibus terreantur: ſicut Helias quinquagenarijs Centurionibus; Eliſæus pueris irridentibus: Paulus Elymæ, Hymenæo, & Alexandro: ità Miniſtri Sathanæ eius impulſu ſolent maleficijs alios proſequi; & ſic execrari, vt confeſtim tabe lenta, aut violentis motibus: aut alio interitu pereant ab obſidente, aut etiā poſſidente dæmone. Quod pluribus exemplis Remigius *lib. 2. cap. 9. & 10. dæmonolatriæ* confirmat. Quibus vnicum ego addam cuius anno 1648. menſe Auguſti fui teſtis oculatus. Dum enim Venetijs quendam adoleſcentem nomine Iuſtum de Taxis à dæmone obſeſſum exorcizarem, mihi à dæmone ſciſcitanti: cur huiuſce adoleſcentis corpus eſſet ingreſſus: reſpondit dæmon: *Quia miſſus ſum à N. malefico* (nomine malefici prolato,) *vt poſt multas vexationes huic adoleſcenti inflictas tandem illum è medio tollam; ſed nunc video, quòd mea me fefellit opinio*. Immediatè namquè à me de exitu illi impoſito præcepto, per virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & fidem ipſius Adoleſcentis fuit ab eo totaliter expulſus. Vbi videas quomodo dæmon per imprecationem malefici in dictum Adoleſcentem immiſſus fuerat, ſicut & alius in ſororem illius Iuſtinam, vt eam è medio tolleret, quæ pariter diuino opitulante Numine à dæmoniacis vexationibus libera permanſit. Deuouendo.

§. III.

SÆpiùs huiuſmodi diaboli aſſeclæ viros malè afficiunt, genitalium languedine, retractione, 657 Ligado.
abſconſione, ſubtractione, caſtratione, ſeminis exſiccatione, infrigidatione, & ſpirituum vitalium ad membra generationis prohibitione. Quorum duo tantùm referam exempla inter plures, qui ad me acceſſerunt ſanitatis gratia conſequendæ.

Alter fuit quidam de Barillis Bergomas, qui anno Domini 1653. ligatus maleficio ſibi facto à quadam muliere meretrice, ne vllam poſſet ducere vxorem, timens, quòd eam omnino derelinqueret, ſic affectus fuit genitalium languedine, cuius virgam cingulo ſtrinxerat, quòd nullo modo ad matrimonij vſum ſe aptum amplius ſentiebat. Idcircò Adm. Reu. P. Ignatius Lupus felic. recor. vir doctus, & pius eum fuit hortatus, vt pro huiuſmodi maleficio deſtruendo ad me confugeret; qui cum ad me perueniſſet, præceptis probaui, an verè eſſet ligaminis maleficio affectus, qui ſtatim conturbationem in ſtomaco, ac in renibus velut circulum frigidiſſimum ſenſit. Quo male-

ficio

ficio cognito, ad actus fidei, ac fiduciæ in Deum eliciendos inſtruxi, & ad propoſitum firmum ſe numquam carnaliter aliam, quàm propriam vxorem cognoſcendi, vxoremque ducendi ad euitanda peccata carnalia, ad generandam prolem, eamque in lege Dei, & Eccleſiæ, ac bonis moribus educandam induxi. His ab eo peractis proteſtationibus à maleficio ligaminis liber euaſit, vxorem duxit, filios genuit, ac monita ſibi à me tradita adimplere ſtuduit.

Alter quidam Iuuenis à Martinengo Diæceſis Bergomenſis eodem anno vxorem ducere volebat, cum qua iam ſponſalia celebrauerat; ſed quidam homo Patri ſponſæ dixit: quare vis nubere filiam tuam viro virilia non habenti? Quo à Patre ſponſæ audito, confeſtim cum ſponſo querimoniam fecit, eò quòd vellet filiam ſuam in vxorem ducere, & tamen inſtrumentis ad vſum matrimonij neceſſarijs careret; qui reſpondit, ſe talibus inſtrumentis benè munitum eſſe, quæ cum Pater ſponſæ videre peteret, ipſe poſita manu, vt virilia tangeret, ac patefaceret, ecce ea non inuenit; qua de re territus intra ſe cogitabat, quomodo hoc eſſet; quapropter dum corde, ac mente dubius permanebat, ac meſtus incedebat, ſibi virilia grandia habere videbatur, quę dum tangere, & aſpicere tentabat, ſtatim totaliter ſe abſcondebant, ac nihil inueniebat. Quod narrans Patri ſponſæ vnà cum eo Bergomum ad me perrexit, qui ab huiuſmodi maleficio perfectè liber euaſit.

§. IV.

658 SImili modo prædicti diaboli partiarij mulieres afficere ſolent muliebrum locorum arctatione, obſeruatione, dilatatione, matricis indignatione, & concubitus horrore.

Sic anno 1650. Venetijs quidam Iuuenis duxerat in vxorem Adoleſcentulam, cum qua quindecim menſibus iam habitauerat, ac virga genitali laborauerat, vt matrimonium conſumaret, numquam tamen potuit vas mulieris penetrare; quod enarrans admodum Reu. D. Franciſco Salas ſuo Parocho presbytero virtutibus claro, ipſe ad me acceſſit, omniaque patefecit. Idcirco ab vtroque coniuge requiſitus ſaluberrimis documentis eos inſtruxi, ſacris benedictionibus muniui, dæmonique præcepi, vt omne remoueret in vſu matrimonij impedimentum. Quibus peractis à quocumque maleficio liberi permanſerunt, ac impoſterum filios genuerunt.

Vtroſque etiam coniuges quandoque afficiunt impotentia coeundi, odio reciproco, impedimento contactus, cohærentia mutua canum more, varijſque modis, de quibus ſupra *diſp. 2. num. 277.* de poteſtate dæmonis tractaremus, quorum plures huiuſmodi maleficijs affecti ad me confugerunt Bergomi, Venetijs, & alibi, qios referre nimis longum eſſet, & tædioſum. Nunc ſufficiat ſcire, quòd huiuſmodi maleficia præſtant prædicti homines diabolici nunc ad dies aliquot, vel annum, ac tempus determinatum, aut perpetuum aliquando ſolis verbis: aliquando ligulæ nexu, ità vt qui poterit coire cum vna, non poterit cum illa, quam amat. Et quamuis ſe potentem ſentiat, tamen cum vult actum matrimonialem exercere, ſtatim elumbis, & elanguens recedere cogitur: vt latè tradunt Paludanus *in 4. diſt. 34. quæſt. 2. art. 3.* Petrus Gregor. *in Syntaxi artis mirabilis tom. 1. lib. 7. c. 7.* Auctores Mallei malef. *1. par. quæſt. 8.* Binsfeldius *tract. de Confeſſionib. malef. par. 1. quæſtionis concl. 6.* & communiter Theologi *in 4. diſt. 34.* Canoniſtæ *in tit. de frigidis, & maleficiatis, & diſt. 33. q. 1. c. ſi per ſortiarias.*

In quibus maleficijs dæmoniacis miniſtri non contenti ligamine, aliquando virilia omninò per præſtigia adimunt; vt Sprengerus in Malleo *par. 2. quæſt. 1. cap. 7.* & Remigius *dæmonolatria lib. 2. c. 5.* exemplis probant. Vndè procedit ſæpè matrimoniorum diſſolutio, quando maleficium per triennium durat; vt habetur *in c. laudabilem & c. litera tua extra de frigid. & maleficiatis*; tunc enim maleficium cenſetur eſſe perpetuum non reſpectu diuinæ, aut dæmoniacæ poteſtatis; quia incompertò eſt, Deum, & dæmonem omnia maleficia poſſe auferre; ſed reſpectu humanæ virtutis, & potentiæ: quia opere humano minimè auferri poteſt: vt clarè docet noſter Lupus *par. 3. Comment. in Edictum S. Inquiſit. lib. 20. diſt. 8. art. 2. diffic. 3.* & latè Toſtat. *q. 90. in c. 19. Matth.* Sed videas infra tom. 2. diſp. 3. in fine.

§. V.

INſuper mulieribus vterum gerentibus abortus, vel vehementiſſimos partus dolores mittunt. 659 *Abortu procurando.*
Quod fit vel poculis abortionis, de quibus habetur *L. ſi quis aliquid. §. qui abortionis ff. de pœnis, & L. prægnantem eodem ff.* Vel ſolo afflatu: vt exemplo cuiuſdam Catharinæ metenſis confirmat Remigius *lib. 2. dæmonolat. cap. 7.* Vel abſconſione lacertæ ſubter limen domus. Et ſic Niderius *lib. vlt. formicarij* refert, quendam maleficum dictum Staldelein in oppido Boltingen Lauſanenſis diæceſis illo modo ſeptem infantes abortiuos cuiuſdam mulieris necaſſe; ibemquè præſtitiſſe in fætoſis pecoribus, quarum nulla toto illo tempore viuum partum ediderat; ſublataquè lacerta tam mulieri, quàm pecoribus fœcunditatem fuiſſe reſtitutam.

§. VI.

PRæterea lac mulierum ità deſiccant, vt etiamſi maturos edant partus; tamen illo ſemper carent, quorum plures ſæpiùs ad me acceſſerunt, quę iuxta eorum fidem ſanitatem à Deo conſecutæ ſunt. 660 *Lac deſiccando.*
Idemque operantur in fæmellis animalium; immò in vno grege toto vaccarum, quæ iia deſiccantur, vt nihil penitus caſei reddant; etſi antea lacte abundarent copioſiſſimo; vt duarum maleficarum exemplis confirmat Grillandus q. 6. Et vt malefacientes de maleficio viuant, ſæpiùs ope dæmonis lac ex alienis vaccis mulgent, & ad ſe attrahunt. Infigunt enim gladium in pariete, & vrceum inter crura tenentes, manuſquè ad mulgendum apponentes ſuum inuocant magiſtellulum, qui huiuſmodi miniſterijs exhibendis ſemper intentus rumas pleniores vaccarum mulget; & per illud inſtrumentum, vel epiſtomium lac verſat in vrceum. Aut vtres ad anatis ſimilitudinem ex corio conſuunt, qui ſponte ſua vacui abeunt; aut in pratis paſcualibus collocantur, domumquè pleni redeunt, totum hoc dæmone operante. Quod ex Sprengero, & Balduino Ronſſeo *Medicę venationis epiſt. 50.* probat Delrius *lib. 3. diſq. mag. p. 1. q. 3. ſect. 3.* Qui eadem arte frumentum ex horreis traduci eſſerit ex Ioanne Bee-

zio Carmelita *Preceptorio ad* 1. *precept. Expoſit. vlt. cap.* 7.

§. VII.

661 TAndem miſeros homines varijs ægritudinibus vexant: dolore capitis, dentium, pectoris, ſtomachi, ventris, renum, membrorum debilitatione, neruorum attractione, carnis tumefactione, hydropiſi, paralyſi, ipſaquè mortè: vt latè proſecuti ſumus *diſput. precedenti à num.* 302. *& ſequentibus*. Quæ efficiunt Venefici vel cauſis naturalibus, venenis, intoxicationibus, herbis, alijſquè rebus ſibi à dæmone exhibitis, vt dicetur infra *diſput.* 4. *huius tomi à num.* 733. *& ſequent.* vel dæmone ipſo operante illis rebus vt ſignis tantùm à maleficis adhibitis. Hæc enim omnia Deo permittente, & dæmone operante poſſe maleficos probatur ex Auguſtino *lib.* 10. *de Ciuit. Dei*, & refertur *in c. Nec mirum*. §. *magi* 26. *q.* 5. *& ſerm.* 207. *de tempore, & in lib. de Diuinatione c.* 6. Iure vtroquè ciuili, & pontificio, & conteſtata omnium nationum experientia.

Toxicando.

§. VIII.

662 TErtiò poſt perturbatas animas, & læſa corpora in bona fortunæ graſſantur; præcipuè per incendia, quæ excitant in domibus deponendo gladium, haſtam, ſcipionem, linteolum, quo inuolutæ ſunt minutiæ quædam inſtar fæni diſſecti, aliaquè id generis ignis, & caloris expertia; ex quibus poſtea flamma prorumpens inextinguibilis citò ædes abſumit, quicquid domeſtici in contrarium nitantur: vt certiſſimo exemplo cuiuſdam Ianæ Nigræ Armacurianæ confirmat Remigius *lib.* 2. *cap.* 13. Vel à dæmone ollam plenam ignitis carbonibus accipiendo, quam in domos, pagos, & oppida inuertunt, vt breui tempore conſumantur. Sicut oppido Schiltaco in Heluetia intra horam igne conſumpto accedit: vt referunt Eraſmus in *Epiſtolis*, & Lycoſthenes *in Prodigijs*. Ex incendiis colligere licet, quid poſſint in tempeſtatibus, grandinibus, diluuiis, aliiſquè publicis calamitatibus excitandis; Cum circa bona externa omnia poſſint malefici; quæ dæmonem poſſe *parte ſecunda diſput.* 2. demonſtrauimus. Concurrunt enim cum dæmone, qui poteſt huiuſmodi Meteorologica in perniciem hominum Deo permittente, excitare; & quando ſic concurrunt perinde eſt, acſi ipſi facerent, ipſiſquè imputatur ad culpam: Nam *qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. c. qui per alium de reg. iur. in* 6. *& L. quod iuſſu alterius ff. eod.* Quia ſic paria ſunt, aliquid per ſe, vel per alium facere. *L. idem eorum*. §. 1. *ff. quod cuiuſquè vniuerſitatis nomine*. *L. hoc non iure*. §. 1. *ff. de reg. iuris. & L. is damnum ff. eod. tit.*

3. In bonis fortunæ.

§. IX.

663 HInc iuremeritò huiuſmodi criminoſi deteſtantur *in c. Nec mirum* 26. *q.* 5. *Magi ſunt, qui vulgò malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur: hi ſunt, qui permiſſu Dei elementa concutiunt*. Quæ verba Iſidor. *lib.* 8. *Ethymolog. cap.* 9. *ponit*, & L. *multi*: verbò, *Elementa turbare*. Ad huius Conſtantii, & Iuliani Cæſar. legis mentem, accedit Innocentius VIII. in ſequenti Bulla, in qua omnes prædicti tribuuntur effectus magis, & maleficis.

Sanè nuper, inquit, *ad noſtrum non ſine ingenti moleſtia peruenit auditum, quòd in nonnullis partibus Alemaniæ Superioris, nec non in Moguntinen. Colonien. Treuiren. Salzburg. & Bremen. prouincijs, ciuitatibus, terris, locis, & diœceſibus, complures vtriuſquè ſexus perſonæ propriæ ſalutis immemores, & à fide catholica deuiantes cum dæmonibus incubis, & ſuccubis, ac ſuis incantationibus, carminibus, & coniurationibus, alijſquè nefandis ſuperſtitionibus, & ſortilegijs, exceſſibus, criminibus, delictis, mulierum partus, animalium fætus, terræ fruges, vinearum vuas, & arborum fructus, nec non homines, mulieres, pecora, pecudes, & alia diuerſorum generum animalia, vineas quoquè, pomeria, prata, paſcua, blada, frumenta, & alia terræ legumina perire, ſuffocari, & extingui facere, & procurare; ipſoſquè homines, mulieres, iumenta, pecora, pecudes, & animalia diris tàm intrinſecis, quàm extrinſecis doloribus, & tormentis afficere, & excruciare, ac eoſdem homines, ne gignere, & mulieres, ne concipere, viroſquè, ne vxoribus, & mulieres, ne viris actus coniugales reddere valeant, impedire: Fidem præterea ipſam, quam in ſacri ſuſceptione Baptiſmi ſuſceperunt, ore ſacrilego abnegare: Aliaquè quàm plurima nefanda, exceſſus, & crimina, inſtigante humani generis inimico, committere, & perpetrare non verentur, in animarum ſuarum periculum, Diuinæ Maieſtatis offenſam, ac ſcandalum plurimorum: &c.*

Sequuntur Theologi. S. Auguſt. *lib.* 8. *de Ciuit. Dei cap.* 19. Iſidorus *loco citato* S. Thomas *in* 2. *d.* 7. *&* 8. Doctores Mallei malef. 2. *par. q. cap.* 15. Sylueſt. in *ſumma verbo maleficium*. Ioan. Nider *in formicario*. Alphonſus Caſtrenſis *lib.* 2. *de iuxta hæreticorum punitione cap.* 15. Nicolaus Iaquerius *in flagello hæreticorum*. Conſentiunt Iuriſperiti, Bartolus, Angel. Azo. Salycet. Godefrid. *in L. Eorum C. de Malef. & mathem.* Binsf. ibi Bonifacius de Vitalinis *in tract. de maleficijs in cap. de ſortileg. & Mathe.* Ioannes ab Anania *in cap* 1. *de Sortileg.* Paulus Grill. *lib.* 2. *q.* 6. Petrus Gregor. Theoloſanus *in Syntagm. iuris vniuerſi cap.* 11. *num.* 12. *& cap.* 12. *lib.* 34. *par.* 3. Vlricus Molitor Conſtantienſis *in Dialogo ad Sigiſmundum Archiducem Auſtriæ cap.* 1. & cæteri omnes *in L. Multi. C. de malef. & mathem.*

Concluſio Diſputationis tertiæ.

ECce beneuole Lector, quinam, quales, & quanti ſint dæmonum emiſſarij, qui quaſi locuſtæ ſpirituales è puteo inferni prodeuntes, totius orbis incolas ſcorpionum more ſuis maleficiis perſequuntur; & ideò ſunt cauſa eorum efficiens miniſterialis. Fer modò ſententiam, ad quem ſpectet, Theologum Exorciſtam, an Medicum horum infernalium miniſtrorum vim, & poteſtatem in veneficiis concinnandis agnoſcere: atquè de illis iudicare. 664

Malefici ergo ſunt cauſa efficiens miniſterialis maleficiorum

An putas veneficiorum notitiam ad Medicum pertinere? Sed quomodo ad eorum cognitionem peruenire poterit, cum hæc à dæmone, & malefico tanquam cauſis inſenſibilibus, ſeù modo minùs ſenſibus obuio cooperantibus perficiantur? Et medica ars tota verſetur circa humani corporis fabricam; atquè in conſeruanda, aut reſtituenda ſanitate obſeruatis cauſis ſenſibilibus, & phyſicis remediis occupetur: ideòquè hæc in eius obiectum cadere non poſſint, totumquè huius ſcientiæ ſubiectum longis interuallis ſuperent? Vndè ſi Medici cauſam illam ignorant, etiam illorum effectuum naturam ignorare, neceſſe eſt. Ex quo ſequitur, talem notitiam maleficiorum ab illa cauſa ipſis ignota pro-

Quæ cũ ab ipſis procedãt vt à cauſis inſenſibilibus

Non ad Medicū pertinere eorum cognitionem, ſtatuitur. Conſtat ex operā di modo Medicis ignoto.

ta prodeuntium ad ipſos non pertinere; cum iuxta ſuppoſitionem initio huius libri factam, perfecta alicuius rei cognitio ſine perfecta cauſarum ipſius agnitione haberi non poſſit.

Et certè, ſi huiuſmodi myſticæ locuſtæ ex inferno prodeunt; ſi ab Angelo abyſſi ſuſcitantur, & gubernantur; Si mores habent diabolicos, non humanos, coronis aureis, muliebribus comis, dentibus leoninis, alis perſtrepentibus, loricis ferreis, & caudis aculeatis deſignatos; Si veneficis artibus quaſi opaco fumo Eccleſiæ ſplendorem, & puritatem denſiſſimis tenebris obuoluere videntur; Deniq. ſi dæmone duce, quaſi milites infernales poteſtatem nocendi ipſis traditam ſuis maleficiis in homines, & cæteras creaturas exercent, quis non videt, de his iudicare non poſſe, niſi eos, quibus claues abyſſi, & ſcientiæ traditæ ſunt?

Gerit illas Chriſtus, vt ipſe in admirabili forma initio Apocalypſis apparens, aſſerit: *& Habeo*, inquit, *claues mortis, & inferni*. Gerunt & Angeli, qui eas ab ipſo Domino acceperunt: vt refertur à Ioanne, qui cap. 20. *Vidit vnum ex ſpiritibus beatis deſcendentem de cælo habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua*. Gerunt etiam Eccleſiæ Miniſtri, quorum capiti ſupremo dictum eſt: *Tibi dabo claues regni cælorum*, & conſequenter carceris eius infernalis. Gerit denique diabolus: vt idem teſtatur cum ait: *A ſe viſam ſtellam de cælo cadentem in terram, cui data erat clauis putei abyſſi*.

Poteſtate.

Sed Chriſtus, vt Iudex: Angeli, vt ſpiritus adminiſtratorii: Eccleſiaſtici, vt miniſtri: Diabolus, vt tortor, & carnifex. Si ergo à Chriſto Supremo Iudice diabolo tanquā carnifici poteſtas permiſſiua concedatur maleficos quaſi infernales locuſtas ſuſcitādi: cuius erit illorum perſonas, mores, & perſecutiones agnoſcere, & de iis diiudicare, niſi iuſtitiæ diuinę miniſtrorum, quales ſunt eccleſiaſtici viri, qui in ſacra ſcriptura toties Angeli vocitantur, & ſi non natura, ſaltem miniſterio Angelos referunt.

A Medicis aliena.

An clauem huiuſmodi Hippocrates, Galenus, Auicenna, aut alii medicæ ſcientię antiſtites acceperunt, vt hæc omnia reſerare poſſint? Volue illorum libros, ſcrutare omnem ſubſtantiam eorum, medicamquè ſuppellectilem perquire diligenter, & vide, quo loco diſputent de magorum, & maleficorum politia, qua ſiue à dęmonibus, ſiuè ab aliis maleficis gubernantur: De illorum ſubordinatione, colligatione, & conſpiratione vnanimi in tanta vtriuſquè ſexus multitudine: De triplici vinculo, quo dæmoni colligantur, fęderibus, ſocietatibus, & miniſteriis: De triplici ſimilitudine, qua impietatem, iniquitatem, & iniuſtitiam in ſuis actibus ſectantes diabolum referunt. Deniquè quid ſciant diuinando, coniectando, obſeruando: quid poſſint, non ſua, ſed ope dęmoniaca freti in ſuis maleficiis ſomniferis, amatoriis, & hoſtilibus: quid velint, cum tot ſcelera artibus, & operationibus variis, & inauditis publicè, & priuatè moliuntur. Nuſquam gentium illos reperies hæc, & ſimilia ventilantes, cum medicę ſcientię vires, & oculos longis interuallis pretergrediantur.

Et certè quamnā poſſent eius profeſſores è principiis phyſicis, ex quibus totam ſuam hauriunt cognitionem, tot maleficiorum reddere rationem, qualia quotidiè viſuntur, & nos fieri ſupra commemorauimus? Et quomodo probare poſſent vi naturali, induſtria, aut artificio hominum tot, & tanta perfici, quanta certo, & indubitato experimento à magis, & maleficis pręſtari videmus, quę ad cauſam ſupernaturalem inuiſibiliter operantem referre neceſſe eſt?

Ad Theologos ergo Exorciſtas pertinet.

Hęc verò omnibus patefacere ad Eccleſię Catholicę miniſtros, & Theologos Exorciſtas pertinet, 665
qui clauem ſcientię antiquis moſaycę ſynagogę legiſperitis primitùs concreditam, vt dicitur *Lucę* 11. Sed potiori iure ipſis conſignatam acceperunt. Illi etenim ex ſacrę ſcripturę oraculis, ſacrorum conciliorum decretis, ſanctorum Patrum dogmatibus, ſacræ Theologię certiſſimis regulis de maleficiorum operationibus, tanquam de re theologicę ſcientię ſubiecta diſputantes, docent: quomodo maleficia à maleficis tanquam à dæmonis cooperatoribus & cauſis efficientibus oriantur; atque omnia enucleatè ſuis concluſionibus manifeſtant, quæ ad plenam, & perfectam talium cauſarum efficientium notitiam conſequendam requirantur.

Quarè deſinant iſti miniſteriorum eccleſiaſticorum vſurpatores, hanc ſibi prouinciam aſſumere; nec iudicare audeant de maleficijs, qua parte à Veneficis ope dæmonis perficiuntur. Si enim ad illos cauſarum maleficarum notitia non pertinet, nec etiam effectus maleficiorum notitia ſpectabit; cum ad vniuſcuiſquè rei plenam notitiam deueniri non poſſit, niſi per abſolutam eius cauſę cognitionem. Iudicent de cauſis morborum ſenſibilibus, vt ars medica docet. Non vſurpent iudicium ferre de cauſis inſenſibilibus: vt ſunt dęmon, & maleficus, qui modo minimè ſenſibus peruio operantur; atquè ita vocati ad inuiſendos ægrotos, ſi illos morbo videant agitari, cuius cauſam ignorant, & quam ſuorum dogmatum, & principiorum vi deprehendere non valent, motuſquè obſeruent inſolitos, qui non ab operāte natura; ſed aliundè prodire comperiant, agnoſcant dęmonem operantem, & maleficum cooperantem inſenſibili modo, qui ab ipſis non percipitur: nec ſibi clauem abyſſi aſſumant, quæ dum ab ipſis tanquam Medicis contrectatur, nec claudere, nec aperire valet.

Ad quos Medici mittere debent maleficio affectos.

Ideòque ægrotos ad Theologos Exorciſtas Diuinę ſcientię clauem geſtantes, remittant, vt iuxta poteſtatem ipſis à Domino Noſtro conceſſam claudant, & aperiant. Claudant, opificem dęmonem, & eius cooperatores cohibendo, & omnem eis aditum pręcludendo ad maleficia concinnanda; Aperiant, remedia eccleſiaſtica adhibendo, quibus omnis poteſtas dęmoniaca quantumuis occulta aperitur, manifeſtatur, & ſoluitur.

DISPV-

DISPVTATIONIS IV, DE REBVS NATVRALIBVS, Vt ſunt cauſa Maleficiorum.

Partes. Capita. Sectiones. Articuli.

- De rebus naturalibus, vt ſunt cauſa maleficiorum.
  - 1. Animatis.
    - 1. Rationabilibus.
      - 1. Naſcentibus.
        - Per Naturam. 1.
        - Per Temperamentum. 2.
        - Per Caſum. 3.
      - 2. Viuentibus.
        - Per vim cogitationis. 1.
        - Per vim verbi. 2.
        - Per vim viſionis. 3.
        - Per vim tactus. 4.
      - 3. Mortuis.
        - Per partes ſolidas. 1.
        - Per partes eiectitias. 2.
        - Per partes addititias. 3.
    - 2. Irrationabilibus.
      - 1. Senſitiuis.
        - Perfectis. 1.
        - Imperfectis. 2.
      - 3. Vegetatiuis.
        - Domeſticis. 1.
        - Peregrinis. 2.
  - 2. Inanimatis.
    - 1. Sacris.
      - 1. Sacramentis.
        - Baptiſmi. 1.
        - Sacræ vnctionis. 2.
        - Euchariſtiæ. 3.
      - 2. Sacra Scriptura.
        - Hebraica. 1.
        - Latina. 2.
      - 3. Suppellectili ſacra.
        - Templorum. 1.
        - Clericorum. 2.
        - Laicorum. 3.
    - 2. Profanis.
      - 1. Naturalibus.
        - Attritis. 1.
        - Solidis. 2.
      - 2. Artificialibus.
        - Annulis. 1.
        - Imaginibus. 2.
      - 3. Mixtis.
        - Generatis. 1.
        - Ingeſtis. 2.
        - Retentis. 3.
        - Egeſtis. 4.

DISPVTATIONIS IV.

DE REBVS NATVRALIBVS,

Vt ſunt cauſa Maleficiorum.

SVMMARIA.

QVARTA Claſſis Medicorum illos continet, qui res naturales in maleficijs, vt cauſas phyſicas, non vt morales, & ſigna adhiberi putant; & ideò curari poſſe credunt remedijs naturalibus. Contra quos aliàs probabitur tomo 2. cum de Curatione phyſica ſermo erit. 667.

Modò oſtenditur, illas applicari à dæmone, qui, etſi ſine medijs naturalibus maleficia operari poſſit; tamen illa vult adhiberi.

Vel vt cauſas naturales, quarum nouit apprimè vires, applicationes, & effectus. 670.

Vel vt cauſas morales, quas applicari vult, cauſa, modo, ac fine diuerſis. 672.

Quod duabus partibus Diſputationis demonſtratur in rebus naturalibus animatis, & inanimatis.

Pars I. Animatis.

Opinio maleficorum eſt, omnia in mundo eſſe animata.

Probatur apparenter ſcripturarum locis, Patrum auctoritate, ac placitis varijs Philoſophorum, ac Poetarum. 675.

Reſſellitur eccleſiaſticis ſanctionibus, Patrũ oraculis, thelogicis cõcluſionibus, ac rationis vi. 667.

Satisfit obiectionibus maleficorum, quibus ſua opinio nullo modo fauet. 677.

Aſſeritur omnia animata eſſe vel Rationalia: vel Irrationalia.

Iiſquè vti maleficos oſtenditur Rationabilibus, vel Irrationabilibus, in duobus ſequ. Capitibus.

Caput I. Rationabilibus.

Grauiora damna ſunt illa, quæ inferuntur à ſeipſo, vel à ſuis; ideò miſer eſt homo, qui patitur à maleficis, & à ſeipſo Naſcente, Viuente, & Mortuo, vt ſequẽtes ſectiones demõſtrabũt. 678.

Sectio I. Naſcentibus.

Nihil innoxius pueris ſecundùm dictum Chriſti, ac D. Petri. Et nihil, quo libentiùs malefici vtantur, quàm eorum corpuſculis. 679.

Ideò quæritur: An aliquid veneficij inſit in rebus à Natura, vel Temperamento, vel Caſu, in tribus ſequentibus articulis.

Articulus I. Per Naturam.

Videtur vis venefica omnibus ineſſe per naturam, quia malefici omnibus vtuntur. 680.

At falſum eſſe demonſtratur, quoquo modo homo cõſideretur in eſſe naturali, vel morali. 681.

Articulus II. Per temperamentum.

Dari veneficum temperamentum probatur à contrario, & ab experientia in hominibus, mulieribus, & animantibus.

Hæc opinio reijcitur rationibus, ac praxi maleficorum. Satisfit obiectis.

Articulus III. Per Caſum.

An inuolucra fœtus vim habeant veneficam. 686.

Aſſeritur à magis, & maleficis.

Refellitur ratione, auctoritate, & experientia.

Concluditur, hæc omnia adhiberi vt ſigna. Et probatur maleficorum praxi.

Sectio II. Viuentibus.

A viuentibus plura mutuantur malefici; imò à ſeipſis, ſic exigente dæmone, vt ſemper parati ſint ad maleficia concinnanda. 690.

Ideò quæritur, an homines, & malefici ſeipſis habeant vim veneficam ad morbos inferendos vel Cogitatione, vel Verbo, vel Opere viſiuo, aut tactiuo, vt quatuor articulis patefiet.

Articulus I. Per vim cogitationis.

Duplex cognitio in homine, ſcilicet, intellectualis, & imaginaria. Vis primæ ſecundùm Auicennam. Vis ſecundæ in corpora propria, vicina, & remota. 691.
Ex quo infertur per vtramque maleficia cauſari poſſe.
Refellitur illa opinio varijs rationibus. 696.
Primò ex parte hominis ſecundùm potentias illas, ſecundùm ſpecies, obiecta, & actiones.
Secundò ex parte rerum ſecundùm obedientiam naturalem, ac moralem.
Ideò ſtabilitur, nullum vi intellectiua, aut imaginatiua ad immutationem corporum remotorum agere poſſe.
Quod etiam probat Chriſti Domini dictum: Et experientia ipſa.
Si talis homo reperiretur, poteſtatem ſuperaret humanam,& angelicā:& æquaret diuinā. 697.
Ex quo infertur, maleficos ſola cognitione,& imaginatione morbos inferre non poſſe.

Articulus II. Per vim verbi.

Vis vocis, ac verborum alia eſt naturalis in Hominibus, Animantibus,& Inſenſibilibus. Alia eſt magica, cum malefici imperant, depellunt, deprecantur, inuocant, diuinant. 699.
Probatur vim magicam talem non ineſſe in materia vocis: nec in forma verborum: nec in impreſſione facta: nec in audientibus
Concluditur, dæmoniacam eſſe, & tali vi vti illos, qui dæmoni aſtricti ſunt pacto expreſſo, vel tacito. 701.

Articulus III. Per vim Viſionis.

Mira, quæ viſu perficiuntur in Serpentibus, Auibus, Animantibus, Hominibus, Mulieribus, ac Faſcinatoribus. In quibus alia fiunt virtute naturali: alia diabolica. Ideò declaratur, quid per viſionem fieri poſſit naturaliter, vel diabolicè. 703.
Naturaliter quoad animam ad communicanda bona, vel mala: quoad corpus ad inferenda mala.
Non ſola viſione qua viſio eſt; ſed à ſpiritibus, & vaporibus noxijs ex oculis prodeuntibus. 704.
Diabolicè ad mala inferenda Hominibus, beſtijs, & vegetantibus. 710.
Nam naturaliter fieri non poſſe probatur, quoquo modo viſio fiat.
Siue per radiorum emiſſionem ex eorum origine, multitudine, motu, actione, & effectu.
Siue per ſpecierum introſuſceptionem, cum hæc procedere non poſſint ex Hominis natura, vel aſtro naturali: vel temperie: Nec ex oculis videntibus: Nec ex obiectis viſis: vel actione oculorum: aut ſpeciebus receptis. 711.
Ideò concluditur, diabolicè fieri. Et duplex ſtatuitur: altera naturalis: altera malefica.

Articulus IV. Per vim Tactus.

Experimentis probatur, maleficia tactu inferri poſſe.
Reijcitur quædam opinio; cum obſtet ratio ex parte malefici; tactus, actionis, obiecti, & mali. 713.
Concluditur hæc maleficia à demone fieri.

Sectio III. Mortuis.

Mortuorum cadaueribus vtuntur Medici ad beneplacitum, & malefici ad maleficium adhibendo eorum partes Solidas, Eiectitias, & Addititias, vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 716.

Articulus I. Per partes ſolidas.

Partes corporis ſolidæ aliæ ſunt ſimplices: aliæ compoſitæ.
Vtræquè in maleficijs adhibentur. 717.
Vel vt cauſæ naturales, ſed rariſſimè.
Probatur veritas ex parte malefici: ac maleficæ operationis.
Vel vt cauſæ morales, & ſigna maleſiij, & hoc ſæpiſſimè.
Quod varijs confirmatur experimentis.

Articulus II. Per partes eiectitias.

Quę ſint partes eiectitię corporis: Et cur mortuis tribuantur.
Quomodo adhibeantur in maleficijs: componantur modo ſordido: & agant virtute demoniaca. 719.

Articulus III. Per partes addititias.

Quænam ſint partes addititię à natura,& ab arte.
Quomodo hæc applicentur, & agant. 721.

Caput II. Irrationabilibus.

Materiam maleficiorum malefici mutuantur ab irrationabilibus Sentientibus, ac Vegetantibus: vt ſequentes ſectiones demonſtrabunt. 723.

Sectio I. Senſitiuis.

Deus res ſenſitiuas hominis imperio ſubiecit.
Quomodo hoc imperium traditum ſit à Deo: acceptatum à dæmone; & agnitum à ſenſibilibus. 724.
Dæmon illas in hominem ſuſcitat per peccatum,

ac per maleficia, in quibus ipſis vtitur, ſiuè Perfectis: ſiuè Imperfectis: vt ſequentibus articulis notum fiet. 725.

Articulus I. Perfectis.

Dæmon, & maleficus ſenſitiuorum perfectorum vires congerunt in maleficijs; vt probatur in auibus, piſcibus, & animantibus.
Ex quibus varia deſumunt, quę ibi recẽsẽtur. 726.

Articulus II. Imperfectis.

Imperfecta ſenſitiua in maleficijs adhibentur, nempè, inſecta varia alata, & terreſtria: reptilia, & ſerpentes: & animantia ex putredine orta. 730.

Sectio II. Vegetatiuis.

Deus omnium vegetantium notitiam homini dedit. 733.
Homo illam perdidit ſua culpa; ideò damnum patitur à ſeipſo: & ab alijs; præcipuè qui vegetabilibus, & herbis ad malefaciendum vtuntur tum Domeſticis: tum Peregrinis: vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Domeſticis.

Domeſtica vegetantia diuiduntur in Arbores, Frutices, & Herbas.
Hæc verò applicantur vel vt cauſæ naturales: vel vt cauſæ morales.
Quod de ſingulis probatur varijs exemplis. 734.

Articulus II. Peregrinis.

Peregrina vegetantia ſunt quæ naſcuntur vel in locis ſyluaticis: vel remotis.
Vtriſquè vtuntur malefici vtroquè modo. 737.

Pars II. Inanimatis.

Deus in rebus inanimatis, & per illas mirabilia ſæpè opera tur in ſtatu naturæ, & gratiæ.
Exemplis probatur. 738.
Hoc dæmon æmulatur, dum in maleficiorum ſtructura ipſis vtitur ad effectus producendos tum naturales realiter: tum ſupernaturales apparenter, ſiuè ſacris: ſiuè profanis: vt duobus Capitibus demonſtrabitur. 739.

Caput I. Sacris.

Dæmon rebus ſacris libenter abutitur. 740.
Vt Deo grauiorem iniuriam inferat.
Vt Incautos, & ſimplices decipiat.
Vt Saluti ſuorum conſulat.
Vt Hominibus in pœnam noceat.
Et ſic maleficijs vtitur tum Sacramentis: tum ſacra ſcriptura: tum ſuppellectili ſacra: vt ſequentibus ſectionibus notum fiet.

Sectio I. Sacramentis.

In Eccleſia nihil auguſtius Sacramentis. 741.
Aſſignatur ratio.
Et tamen ijs malefici abuti non verentur. Præcipuè Baptiſmo, Sacra vnctione, & Euchariſtia; vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Baptiſmi.

Baptiſmus Fidelibus dignè accedentibus eſt fons vitæ: Maleficis eſt fons mortis, dum illius aqua abutuntur ad incantationes. 742.

Articulus II. Sacræ vnctionis.

Vnctio ſacra fidelibus confertur variè in Baptiſmate, Confirmatione, & Extrema vnctione. Et quare.
His rebus abutuntur malefici ad inferendas corpori infirmitates, & excitandum in anima amorem impudicum. 743.

Articulus III. Euchariſtiæ.

Euchariſtia inter Sacramenta, vt ſol inter planetas eminet. Ideò illa potiùs malefici abutuntur.
Vel Hoſtiam non conſecratam ſumendo ex altari, eamquè variè applicando. 745.
Vel Hoſtiam conſecratam diuidendo, conterendo, & reducendo in eſum, aut potum.
Vel ſuper prunas comburendo.
Vel venenatis animalibus præbendo.

Sectio II. Sacra Scriptura.

Nihil ſanctius in Eccleſia Euchariſtia, & S. Scriptura.
Ex vtroque latere Altaris codices reſeruabantur. 748.
Malefici ijs abutuntur. Et ſacra ſcriptura ſiuè prolata: ſiuè ſcripta hebraicè: vel latinè: vt ſequentes articuli manifeſtabunt.

Articulus I. Hebraica.

Magia cabaliſtica literis hebraicis enucleandis intenta à quibuſdam reputatur.

Vt | *Myſtica, & ſolis doctis probabilis.*
Generalis omnes aliàs ſcietias cõplectẽs. 749.
Diuina à Deo ipſo, non Hominibus tradita.
Efficaciſſima ad mira peragenda.

Reijcitur varijs rationibus, tanquam procedens vel à dæmonibus: vel à delirantibus hominibus. 751.

Conceditur dari Cabalam piam, & ſanctam oretenus traditam, vel ſcriptis exaratam, quæ eſt amplectenda.

Hanc deturpant magi varijs modis.

Articulus II. Latina.

Malefici ſacra ſcriptura abutuntur; præcipuè in ſuis amuletis, quorum vſus à diabolo introductus eſt. 757.

Apud | *Gentiles in ſuis faſcinninis.*
Iudæos in ſuis philacterijs.
Chriſtianos in ſuis breuibus.

In quibus ſunt ſacræ ſcripturæ ſacrilegæ profanationes.

Sectio III. Suppellectili ſacra.

Suppellectili ſacra malefici abutuntur, quæ complectitur ea, quæ pertinent. 759.

Ad | *Templorum ſanctitatem.*
Miniſtrorum Eccleſiæ vſum.
Fidelium pietatem excitandam.

Vt tribus articulis patefiet.

Articulus I. Templorum.

Suppellex ſacra templorum in incantationibus à maleficis adhibetur, nempè, Crux, & Crucifixi effigies. Imagines Dei, & Sanctorum. Reliquiæ ſanctorum, ac Vaſa ſacra. 760.

Articulus II. Clericorum.

Si venerabilis fuit amictus Sacerdotum veteris Teſtamenti: venerabilior eſt apparatus veſtium ſacerdotalium presbyterorum noui Teſtamenti.

Iis malefici abutuntur in Miniſterijs exhibitis, & in incantationibus eius ope factis. 764.

Articulus III. Laicorum.

Suppellex ſacra laicorum ea continet, quibus pietas fidelium excitatur, & fouetur, vt Aqua ſancta: Panis ſanctus: Agnus Dei: Cæreus paſcalis: Candelæ benedictæ: Palmæ conſecratæ, Thus: Oleum, Vinum, Sal. Quæ omnia à maleficis profanantur. 766.

Caput II. Profanis.

Si dæmon rebus ſacris abutitur, eò magis profanas violat, ſiuè ſint Naturales, ſiuè Artificiales, ſiuè Mixtæ, vt ſequentes ſectiones declarabunt. 767.

Sectio I. Phyſicis.

Res phyſicę inanimatę alię ſunt elementares, aliæ Mixtę.

Quę à maleficis labefactantur, dum in ſuis compoſitionibus veneficis applicant vel terras varias, vel metalla, aut ſcorias, vel ſpiritus minerales, vel mineralia, vel colores, aut lapides, vel gemmas, aut ſimilia. 768.

Et hęc omnia aut Attrita in pulueres, aut Solida in maſſa, vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Articulus I. Attritis.

Difficile eſt agnoſcere, quęam res atterantur à maleficis ad ſuos pulueres conficiendos, aut vnguenta componenda. 769.

Deſcribuntur pulueres malefici, ac vnguenta malecfia,

Vtriſque malefici vtuntur dupliciter; ſcilicet, occultè, & efficaciter.

Occultè | *Infundendo in cibum, & potum.*
Corpori applicando.
Leuiter in veſtes ſpargendo. 771.
Virgę medicatæ applicando.
Spargendo per dęmones ipſos.
Diſſeminando in itinere.

Varijs exemplis approbatur. 772.

Efficaciter in Hominibus, beſtijs, & pecudibus, tamen determinato tempore.

Articulus II. Solidis.

Res naturales ſępiùs ſolidę applicantur à maleficis. Et quare.

Quando; Tempore nocturno, vel diurno. 776.

Loco ſecreto, vel publico. Quod experimentis comprobatur: præcipuè in ligularum innodationibus.

Sectio II. Artificialibus.

Artificialia alia ſunt operariorum, alia maleficorum. 780.

Vtraque adhibentur in ſortilegijs. Et quia innumera ſunt, de duobus nobilioribus, & efficacioribus maleficorum operibus probatur, nempè Necromanticis Annulis, & Imaginibus in duobus ſequentibus articulis.

Articulus I. Annulis.

Explicantur dicta diſputatione 1. num. 21. circa annulos. Et quæ ſit maleficorum ſententia de eorum

eorum virtute, & forma. Et quænam eorum praxis.

Nec omnia meras eſſe nugas, probatur rationibus. 781.

Quia
- *Cæli cauſæ ſunt vniuerſales.*
- *Nihil influunt, præter lucem, & motum, ex quibus calor procedit.*
- *Non habent figuras niſi fictitias.*
- *Magnitudine ſunt immenſæ.*
- *Vires à magis affectas non debent.*

Concluditur, effectus annulorum, ſi qui ſunt, procedere à dæmone. Vt praxis ipſa magis oſtendit.

Articulus II. Imaginibus.

Imagines magicę alię Aſtronomicæ: aliæ Necromanticæ. 786.

Quomodo necromanticæ formentur ad amorem excitandum: diuitias acquirendas, infirmitates immittendas.

Vel abſconditę in lectis, aut domo infirmi: vel reſeruatæ apud malificum.

Ex quibus concluditur, illas non naturali virtute; ſed ope dæmoniaca agere.

Sectio III. Mixtis.

Dęmon mixtis vtitur in maleficijs, dum res naturales, & artificiales inducit in corpora: aut ex corporibus educit. Circa quæ datur opinio eorum, qui hæc omnia apparentia tantùm putant & per experientiam comprobant, nec non eorũ, qui veras, & naturales ſpecies eſſe concedunt, ſed eijci apparenter tantùm aſſeuerant. 789.

Non eſt negandum, tales materias veras eſſe, & verè è corporibus emiſſas: vt probatur teſtimonio Doctorum: & experientia ipſa.

Ideò cum ſit prodigioſiſſimum malefici opus, quæritur in quatuor articulis quomodo illa Generantur, Immittantur, Retineantur, & Egerantur.

Articulus I. Generatis.

Plura in corpore humano generari uirtute naturali probatur Medicorum auctoritate, & experientia in longa infirmitate detentis, & in graui uulnere fatigatis. 793.

Ideò non omnes talium rerum eiectiones ad dæmonem referendæ ſunt.

Maiora à dæmone generari poſſe, prbatur ex eius natura ſpirituali, ſcientia magna, & potentia maxima, ideò ope dæmoniaca.

Sed quia ex rebus illis egeſtis multa ſunt, quę naturaliter generari non poſſunt in corpore humano, ideo quæritur quomodo illa ingerantur.

Articulus II. Ingeſtis.

Triplici modo res ſolidæ in corpus immitti poſſunt. 796.

Primò per extenſionem, & occluſionem pororum.

Probatur ſimilitudinibus.

Reijcitur, quia ſupponit incredibile.

Satisfit probationi contrariæ.

Secundò per diuiſionem eorum, quæ ingerenda ſunt.

Probatur ex poteſtate, & imperio dæmonis in creaturas, & ex creaturarum obedientia.

Tertiò per carnis uulnus citiſſimè apertum, & conſolidatum, per quod materia dura immittitur. Probatur, & explicatur Medicorum exemplo in chirurgicis operibus. 798

Conceditur in partibus carnoſis hoc fieri poſſe.

Difficillimè in anguſtioribus, & ſubtilioribus.

Confirmatur exemplis hic modus.

Articulus III. Retentis.

Mirum non eſt, ſi illa retenta dolorem inſerant, ut exemplo oſtenditur. Mirandum uerò, quomodo agant ad malefici placitum; & contineantur in uentre. 800.

Articulus IV. Egeſtis.

Natura mirabilis in noxiorum emiſſione.

Probatur exemplis memorandis. 803.

Dæmon admirabilis in emiſſione rerum maleficarum, quæ eiſdem modis fit, quibus immiſſio.

Fatendum eſt, has emiſſiones, & immiſſiones fieri; etſi modus comprehendi non poſſit.

Opinio Auctoris circa prædicta. 805.

Concluſio Diſputationis quartæ.

Dæmon uult ad maleficia concinnanda, maleficum concurrere, ac res naturales applicari. 807.

Circa rerum applicationem, & maleficium curandum. Aliæ ſunt partes Medici; Aliæ Exorciſtæ.

De quibus rebus Medicus iudicare debeat. 808.

Quomodo iudicare ualeat indirectè.

Exorciſta quomodo de maleficij iudicet directè.

Probatur ratione ſumpta à rebus ſacris, & profanis, ac experientia. 809.

Concluſio generalis Tomi I.

Concluditur, maleficorum cognitionem ad Theologum, non ad Medicum pertinere. 812.

Quia Medicus non nouit eorum cauſas Deum, dæmonem, maleficum, res naturales vt ſunt cauſæ maleficiorum.

Theologus Exorciſta maleficia cognoſcit ſpeculatiuè ex ſcientia philoſophica, ac theologica: practicè ex ſignis externis. 813.

Exorciſtas theologos ſequuntur plures ex medicis de maleficijs tractantes 817.

Speculatiuè ex
- *Cauſis ſanitatis, & ægritudinis.*
- *Medicinæ principijs.*
- *Theologiæ dogmatibus.*

Ideò fatentur ad ſe non pertinere maleficiorum cognitionem, ac curationem.

Practicè, dum morbus inchoatur, augetur, perſeuerat. 821.

DISPV-

DISPVTATIO IV.

DE REBVS NATVRALIBVS, VT SVNT CAVSA MALEFICIORVM.

667 *Aliqui Medici res naturales in maleficijs vt cauſas phyſicas, non vt morales adhiberi putant.*

SVPERIORIBVS diſputationibus pro virili digeſſimus ea, quæ Deum, Demonem, & Maleficos ſpectant; modò elucubranda veniunt ea, quæ ad res naturales in maleficijs adhibitas pertinent; quod præſenti diſputatione proſequemur ob quoſdam Medicos, qui etſi maleficos admittãt, & maleficia ab ipſis confici fateantur; tamen in morbis maleficis cognoſcendis, & curandis ſe ingerere ſolent; eò quòd remedijs naturalibus curari poſſe opinantur. Dum enim vident res naturales à maleficis in morborum curationibus adhiberi, quas tanquam cauſas phyſicas, & non morales agere putant, etiam ipſi rebus naturalibus vtuntur in curationibus maleficiorum, pluraquè pharmaca ſuis libris inſerunt, quæ tanquam efficacia; & humano generi ſaluberrima commendant, & extollunt.

Ideò credunt curari poſſe remedijs naturalibus.

§. I.

HOrum principem Galenum conſtituo, qui circa maleficia ancipitem, & dubium ſe præbuit, vt eius ſcripta teſtantur. Primò namquè Hippocratem ſecutus magicis artibus, & incantationibus nullam adhibuit fidem: vt patet *in 6. Simpl. Medic.* & potiſſimùm *in lib.* 10. vbi ſcribit: *Ridiculum eſſe vocata pathophia medicamenta conſtringere, & vincere aduerſarium, vt in iudicio nihil poſſit eloqui: aut grauidæ abortum facere: aut numquam deinceps concipiat, efficere*. Quibus verbis indicat maleficia taciturnitatis, impedimenti coitus, & abortus. Sed poſteà longo vſu, & experientia edoctus vim incantationum, & artium magicarum confeſſus eſt; & verè eſſe, fieriq. docuit *libro de Medica Homeri tractatione*. *Nonnulli*, inquit, *putant incantationes anicularum fabulis eſſe perſimiles, quemadmodum ego diù exiſtimaui; temporis autem proceſſu ab ijs, quæ euidenter apparent perſuaſus ſum vim in ipſis ineſſe. Nam in percuſſis à ſcorpione adiumentum ſum expertus, nihil autem minus etiam in oſſibus gutturi infixis, quæ incantatione ſtatim expuebantur, ac multa præclara ſingulæ habent excantationes, cum inſtitutum conſequuntur*. Ita *lib. 2. ad Glauc.* extollit artem magicam, vt eam, quæ poſſit celerrimè, & perfectè affectus curare. Docens enim curationem ſcirrhi: *Multæ*, inquit, *ſunt partes iam planè curatæ, conuolutæ, quæ hoc curationis modo membrum dimouendo perfectè ſanatæ ſunt, vt ferè magicum opus videretur*. Si ergo agnoſcit morbos magica arte curari poſſe, fateri etiam debuit, poſſe immitti, quos tamen remedijs naturalibus curari, putauit, vt refert Alexander Trallianus *lib. 9. ver. gr.* annulo ex ære cyprio confecto, & digito geſtato. Quod etiam probatur *ex lib. 3. Medicamentorum facilè parabilium*, quem plures Galeno aſcribunt. Nam caput 189. inſcribitur: *Ad veneficia, & præſtigia*. In quo docet, Caridion, & Latum cuminum Zochij radicem plurimùm valere, & hæc ſuffita dæmones abigere.

§. II.

DVcem hunc eximium multi eius ſectatores ſequuntur, qui de maleficijs diffe- 668

rentes, plura aſſignant remedia naturalia, puta radices, herbas, lapides, oſſa, & huiuſmodi generis medicamenta, quæ expellendorum demoniorum, curandorumquè maleficiorum vi pollere, aſſerunt. Tales ſunt Ioannes Meſue, Marſilius Ficinus, Hieronymus Cardanus, & alij plures; Ad quorum claſſem reducuntur quotquot Medici à catholica fide extorres hæretica labe reſperſi ſunt. Illi etenim, ne cogantur Eccleſię poteſtatem, & eius miniſtrorum auctoritatem ſuper dæmones, & dæmoniacas operationes confiteri, toti ſunt in remedijs naturalibus aſſignandis. Et quia vident hæc minùs opportuna huiuſmodi maleficijs diſſoluendis, addunt, ad Deum confugiendum eſſe; numquam tamen ad Eccleſiam, aut eccleſiaſticos viros, nè contra ſeipſos ſententiam ferre videantur. Contra quos omnes alias diſputabimus cum in tomo 2. de Curatione naturali proloqui dabitur. Ibi enim oſtendemus, hæc omnia non poſſe virtute naturali expellere dæmones, & maleficia ſoluere. Sufficiat modò demonſtrare, has res naturales vt cauſas in maleficijs applicari ab humani generis hoſte; qui etſi homines ſine remedijs naturalibus diuerſimodè lædere poſſit; illa tamen adhibere conſueuit, dum malefaciendo operatur, vt ſic creaturæ omnes ſuperæ, mediæ, infimæ, nempè, dæmones, malefici, & Res naturales in maleficijs concinnandis vnanimi conſpiratione cooperari videantur.

Dæmon maleficia operatur.

§. III.

669 *Sine medijs naturalib.*

PRimum molitur ſua ſola potentia, cum ſagæ metu, ne deprehendantur, rem aggredi nolunt: vel ſe eam expedire non poſſe pro voto putant, totamquè executionem ipſi committunt; tunc enim ad votum ipſarum ſolus rem perficit; & ſubita violentia damnum hominibus infert. Cuius ſubitaneæ operationis memorandum narrat exemplum Nicolaus Remigius *in ſua dæmonolatria lib. 2. cap. 10.* de quadam ſaga, quæ memor iniuriarum pridem acceptarum contubernalem Ioannem Bannum Argentoratum bigis proficiſcentem deuouit, & execrata eſt. Ex quo nedum imprecari deſierat, cum miſer è curru, in quo ſedebat præceps tanta vi deiectus eſt, vt illicò exanimatus iaceret, integro nihilominus toto corpore, nec vlla ſui parte læſo, aut vulnere ſauciato; vndè vno momento illi interclusam animam, interceptoſquè ſpiritus à dæmone fuiſſe, credibile eſt. Similia plura refert *à cap. 10. ad libri finem*, quibus apertè monſtratur, ſpiritum inuiſibilem latenter, & inuiſibiliter ſeipſo damna, & cædes inferre, nullo ſui relicto veſtigio.

§. IV.

670 SEcundum vt plurimùm præſtat in ordinarijs maleficijs, in quibus exequendis ferè ſemper vult res naturales à veneficis adhiberi: Vel vt cauſas naturales: Vel vt cauſas morales maleficij.

Cum medijs naturalib., quæ ſunt Vel cauſæ naturales, quarum nouit.

Cauſæ naturales ſunt omnes illæ res, quæ nocendi vim à natura inditam habent, & naturaliter agunt in eum, cui vel ingeruntur interiùs; vel exteriùs applicantur. In confeſſo namquè eſt, illum non ſemper præſtigiosè, ſed ſæpiùs verè, & realiter operari; præcipuè cum infirmitates, incendia, tempeſtates, & id generis mala excitare deſiderat. Quod duobus modis facere conſueuit. Altero per motum localem, de quo ſupra diſput. 2. multis egimus. Altero per alterationem actiua paſſiuis applicando, qui modus ipſi facillimus eſt. Nouit enim rerum omnium, quæ vniuerſo mundi ambitu continentur, vires, ſympathias, antipathias omnibus ignotas, ipſi notiſſimas; & ideò illas ſeligere ſolet, quæ optatum effectum producere poſſunt. Si perturbationes in animo excitandæ, & morbi in corpus immittendi, ſcit, quæ res naturalis phantaſmata commouere, turbare imaginationem, inſanias, & deliria cauſare valet, quæ humores vitioſos agitare, inquinare ſpiritus animales, detrudere neruos, & generare paralyſim, epilepſiam, febres phreneticas, cæteraſquè infirmitates. Nouit, quomodo aptè applicari debeant; cum optimè ſciat, quid vniuſcuiuſquè valetudini noxium, aut commodum ſit: quo loco, tempore, circunſtantijs debeant adhiberi: qua arte corporibus, vel ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam: vel ſecundùm ipſarum partem ſpirituoſam, & maximè efficacem clam ingerendæ ſint: quænam morbum, & dolorem in aliqua corporis parte determinata, alijs læſis, alijs illæſis excitent; cum multa ſint venena, quæ à tota ſubſtantia habent facultatem lædēdi aliquam partem, vt Medicis eſt manifeſtum. Nouit denìquè vbinam locorum lateant illæ, quibus opus habet; & eas vndecumquè, & quocumquè vult, maxima facilitate, & celeritate aſportat, & applicat; earumquè virtutem auget, vt earum auxilio illa peragere queat, quæ ſolius naturæ operatio numquam efficeret. Nam tunc agentia naturalia ſumit, vt inſtrumenta. Inſtrumenti verò conditio eſt, effectus non tantùm naturali ſuæ virtuti æquales; ſed longè excellentiores, & facultati agentis principalis, à quo mouentur, reſpondentes, producere, vt docet Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad lit. cap. 17. Vndè ſicut ſecuris, quæ in ſe virtutem habet ſecandi duntaxat, poteſt quatenus inſtrumentum eſt periti fabri, à quo ſcitè mouetur, ſtatuam elegantem: aut menſam artificioſam perficere. Et calor natiuus, qui eſt in humano ſemine, quà calor eſt, valet calefacere, rare facere, ſegregare, & condenſare, poteſt quà inſtrumentum eſt animæ, oſſa, neruos, & carnem generare; ità cauſæ naturales, quæ ſecundùm communem naturæ curſum natæ ſunt, aliquos particulares effectus producere; poſſunt alios edere ſuis viribus præſtantiores, ſi à dæmonibus applicentur, qui illis tanquam notis inſtrumentis vtentes.

Vires.

Applicationes.

Effectus.

Qui applicat tā quam inſtrumēta

tes quoad ſubſtautiam, modum, vel celeritatem admiranda operantur: vt eruditè docet Delrius diſq. mag. lib. 2. q. 8. pag. 106.

§. V.

671 HÆc tamen numquam naturæ cancellos effugiunt: aut excedunt cauſæ vim naturalem. Inſunt enim reuera hi effectus in ipſis naturalibus agentibus eo modo applicatis, quibus dęmon applicando nihil confert præter conditionem, ſine qua effectus iſti non producerentur. Licèt namquè vi rerum naturalium applicatarum vtatur; operatur tamen potiſſimùm per modum artificioſum. Vndè in ijs admirandis productionibus nec ſola actiuitas rei naturalis ſecundùm ſe debet attendi; nec ſola quoque ſecundùm ſe dęmonis applicatio; ſed ambo ſimul, ideſt, vis naturalis applicata à dæmone ſecundùm quod cauſa inſtrumentalis ijs operationibus eſt res applicata; cauſa verò principalis ipſe dęmon applicans. Tunc enim naturaliter effectus producitur, cum vtriuſquè cauſæ çoniunctæ non ſuperat facultates. Quare dæmon illas omnes rerum proprietates, virtutes, & potentias naturales perſpectas habendo, cum vult mala inducere, ea iubet à maleficis adhiberi, quæ naturalem habent actionem in ordine ad effectus, quos producere intendunt; & ſic applicari venena ad interficiendum, herbas ad ſanandum, pulueres, & vnctiones, ad malefaciendum. Quæ omnia à dæmone iubente, & Malefico operante ritè compoſita cauſæ verè reales, & phyſicæ illarum ægritudinum ſunt, & appellantur; eò quòd alicui paſſo applicata propriè, phyſicè, & ex natura ſua habent vim attingendi effectum, quem producunt, videlicet, cauſandi talem ægritudinem.

Et ideò cauſa naturales ſunt maleficiorũ.

§. IV.

672 CAuſæ verò morales maleficiorum ſunt res illæ, quæ virtutem non habent ex ſe producendi tales effectus, quales dæmon, & malefici intendunt; atquè applicantur, non vt cauſæ phyſicæ, & reales ægritudinum operatione malefica immiſſarum; ſed vt cauſæ morales, vel ſaltem cauſæ, ſinè quibus non: vt potè ſigna, & ſymbola externa, quibus poſitis maleficus dæmonem inuocat; & dæmon ad malefici placitum operatur. Cum enim Deum in hominibus ſtudeat æmulari, ſignis mirificè delectatur.

Vel Cauſa morales.

Deus propria ductus bonitate ſigna quædam ſacra (ſacramenta vocamus) ad ſalutem humani generis inſtituere dignatus eſt, quæ ſecundùm Scotum *in* 4. *d.* 1. *quæſt.* 4. ſunt veræ, & propriæ cauſę inſtrumentales morales gratiæ, non phyſicæ, ideſt, non ex ſua vi naturali; ſed ex virtute principalis agentis, ſeu ex diuina inſtitutione. His verò ità aſſiſtit, vt quoties adminiſtrantur, toties gratiam dignè ſuſcipientibus infundant; illoſquè ſpiritualibus donis ſanctificent iuxta propriam cuiuſque inſtitutionem. Ità dæmon eius æmulus coniuratus pro ſua multiplici nequitia vult ad hominum exitium promouendum, ſalutemquè euertendam ſenſibilia ſigna inſtituere, quibus ità ſemper aſſiſtit, vt quoties à malefico adhibentur, toties, niſi à Deo impediatur, peragat maleficium, de quo ambo ex pacto conuenerunt. Solet enim cum illo pactum inire, vt quandiù ligatura, ver. gr. ſic annodata fuerit: vel quid tale defoſſum ſub limine: aut talis imago igni applicata, tandiù talis perſona ſit maleficiata: aut qui tali porta domum intrabunt, vel exibunt, tali dolore corripiantur; non quòd illa vim habeant ex natura ſua, & per ſe producendi, & attingendi noxios illos effectus; ſed quòd ex pacto dæmonem ad illos producendos inuitant, & diſponunt.

Quare illo adhibentur.

Vndè non ſunt ſigna certa, & infallibilia, qualia ſunt ſacramenta; ſed falſa, & deceptoria, quia inuocatus non ſemper adeſt, & multoties Maleficum irridet, nec vult ad votum illum audire: vel quia non poteſt: vel quia non permittitur: vel quia ſic iubet.

Quàm vanè.

§. VII.

ILla tamen apponi vult, cum aliquid ab eo eius miniſter poſtulat; vt ſicut Deus in ſacramentis colitur; ità ipſe in maleficijs honoretur. Quod Auguſtinus *lib.* 21. *de Ciuitate Dei cap.* 6. aptè docet ijs verbis: *Dęmones*, inquit, *alliciuntur per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non vt animalia cibis; ſed vt ſpiritus ſignis, inquantum, ſcilicet, hæc eis exhibentur in ſignum diuini honoris, cuius ipſi ſunt cupidi.* Alliciuntur autem diuerſi dæmones diuerſis ſignis ſecundùm quòd diuerſis vitijs ipſorum magis conueniunt. Vndè maleſaciendo non operantur etiam pluries inuocati, niſi pacti ſigna ponantur; res, nempè, ſenſibiles, puta, cortices, herbæ, plantæ, plumæ, oſſa, capilli, & id generis quiſquiliarum, vt hac ratione malefici ſuam exhibeant ſeruitutem, debitumquè teſtentur obſequium. 673

Quo fine.

Ex quibus arguitur inſignis dæmonis malitia; qui cum ſeipſo ſolo maleficia perficere poſſit; tamen & conſenſum hominum petit, & inſuper rerum naturalium applicationem nō vnius, aut alterius ſingularis; ſed omnium, quæ in vniuerſa creaturarum ſerie reperiuntur, cum omnibus vtatur: Vel Animatis: Vel Inanimatis, aut vt cauſent, aut vt ſignificent, ſicut duabus huius diſputationis partibus declarabitur.

Quę cauſe omnes ſunt. Alia Animata. Alia Inanimata.

PARS PRIMA.

Animatis.

§. I.

675 *Opinio maleficorum omnia eſſe animata* SI magicarum artium profeſſores, executoreſque maleficiorum audire velimus, nihil eſt inanimatum, omnia ſunt animata, mundus, & ea, quæ in mundo videntur. Vt enim deteſtandas ſuas operationes plauſibili prætextu contegere poſſint, & ſuam ſcientiam curioſis hominibus faciliùs commendare, vanum hoc commentum excogitarunt: *Probatur.* vel potiùs à Platone, & platonicis ſectatoribus, qui fuere magi, vel magorum fautores, mutuum acceperunt; quo aſſerunt, mundum, ſingulaſquè eius partes anima intelligente eſſe animatos, quæ & ipſis vitam tribuat, & vi intelligendi, atquè ſentiendi potiatur. Quod vt confirment, non ſolùm vtuntur horum Philoſophorum ſententia; ſed etiam Patrum teſtimonijs, qui cælo animam, & ſpiritum tribuere videntur; Immò ſacræ ſcripturæ auctoritate, quæ illis adaptat ea, quæ ſunt animatorum: vt videre, audire, fugere, lætari, clamare, reſpondere, & id ſimilia. Nequè Poetarum figmenta reſpuunt, quibus tanquam inuolucris ſubtilioribus hoc commentum propoſitum fuiſſe aſſerunt. Nam voluntvnamquamquè iſtarum animarum naturalium duplicem habere vim: Vnam intelligendi: Alteram animandi. Primo modo vocari nomine maſculino; ſecundo modo nomine fæminino; & ideò ab iſtis Philoſophis myſticis nomina Deorum, & Dearum inuenta, quibas illas animas ſecundùm vtramquè inſignirent. Sic Iouem fulminatorem, & Iunonem nihil eſſe aliud, quàm animam aeris: Phaetuntem, & auroram animam ignis: Neptunum, & Thètym animam aquæ: Plutonem & Proſerpinam animam terræ: Nouem muſas animas nouem cælorum: Saturnum, Iouem, Martem, Solem, Venerem, Mercurium, Lunam nomina ſeptem planetarum, & ità de cæteris. Ideòquè cum tales Dij, aut Deæ ab ipſis inuocantur, non vocari dæmones; ſed animas ſtellarum, & elementorum, quas dicunt bonas eſſe virtutes à Deo per mundum diſtributas in miniſterium, & vtilitatem eorum hominum, qui ritè illis vti nouerunt: multiſquè epithetis, & elogijs illas honorant, dum Saturnum exemp. gr. vocant patrem Deorum, dominum temporis, arcanæ contemplationis auctorem, vitæ, & mortis cuſtodem, oſtenſorem abſcõditorum, & dominum altum, magnum, ſapientem. Et Lunam nominant Dianam, Lucinam, Proſerpinam, Hecatem, reginam cæli, elementorum dominam, rectricem mundi, calcantem tartarum, & ſimilia.

§. II.

AT quis non videat ſub philoſophico, & magico tegumento latentem inimicum, qui vt cultus ſupremus vni Deo debitus creaturis mundi tribueretur, hominibus hanc opinionem inſeruit meritò à Synodo V. Conſtantinopolit. anathemate damnatam his verbis. *Si quis dicit, Cælum, & Solem, & Lunam, & Stellas, & Aquas, quæ ſupra cælos ſunt, animatas quaſdam eſſe, & materiales virtutes, anathema ſit.* Reiectam à Patribus, vt à D.Hieronymo, qui *in Epiſt. ad Pammachium* illam inter Origenis errores recenſet. Reprobatam à Theologis, & à Facultate Pariſienſi in famoſis illis articulis anno 1498. editis contra magicam ſuperſtitionem. Et rationi ipſi repugnantem. Nam ſi elementa, & omnia ſunt animata, ergo habent animam vegetantem, ſentientem, intelligentem, & liberam. Vegetantem: Si enim habent animam ſentientem, vt iſti ſupponunt, debent habere vegetantem, quæ ſentienti ſubſeruiat, & ſanguinem, aut ſpiritum illarum functionibus ſuppeditet. Sentientem, vt dicunt, & per conſequens debent habere organa ſuis figuris, & temperamentis diſtincta, cum ſenſio non poſſit eſſe ſine organo conuenienti: vt Ariſtoteles *lib. 2. de Anima* probat; & omnia, quæ ſentiunt, clarè demonſtrant. Intelligentem, vt eſt eorum opinio, ergo ſaxa, metalla, plantæ, animalia prædita erunt ſcientia, ſapientia, arte, prudentia; tenebuntquè logicam, phyſicam, metaphyſicam, cæteraſque diſciplinas. Liberam; Nam ſi res illæ ſunt intelligentes, erunt liberi arbitrij, ergo iuſtæ, vel iniuſtæ, beatæ, vel miſeræ, in via, aut in termino. Sed ſi omnia elementa animata ſunt, quid fiet, dum partes eorum ſeparantur à toto: vel poſt ſeparationem iterum ei vniuntur? An vnam habent ſolùm animam: an plures? Si vnam ſolùm, ergo quando pars aliqua ſeparabitur à toto, perdet animam, & denuò vnita perditam recuperabit, & ſic aſſiduè elementorum partes morientur, & reſurgent. Si plures, ergo quot erunt partes in elemento, tot erunt animæ; & cum ſint innumerabiles partes in aqua, aere, terra, innumerabiles quoquè eſſe animas concedendum erit? Quibus quid abſurdius? 676 *Reprobatur.*

§. III.

NEc fauet ſcriptura, quæ in ſuis locutionibus figuratiuè loquitur: vt benè docet S.Damaſcenus *lib. 2. de fide orthod. c. 6. Nullus etiam,* inquit, *cælos, aut luminaria arbitretur animata; inanima enim ſunt, & inſenſibilia; Quare in ſcriptura dicit: Lætentur cæli, & exultet terra; Angelos, qui ſunt in cælo, & homines, qui in terra ad lætitiam vocat. Nouit enim ſcriptura Proſopopæia* 677 *Obiectio ſatisfit.*

pæia vti, & de rebus inanimis tanquam animatis diſſerere: vt mare vidit, & fugit, &c. Addamus etiam, illam vti metaphoris, hyperbolis, & metonimijs; atquè aliquando iuxta opinionem hominum loqui. Idem dicendum de Patribus, qui ſimili phraſi cęlo animam, & ſpiritum tribuere videntur, aut loquuntur de anima aſſiſtente, non informante, quæ nihil aliud eſt, quàm Intelligentia motrix cæli: vt explicat D. Thomas 1. *p. q.* 70. *art.* 3.

Nec fauent maleficis.

Quarè perſtrepere deſinant iſti nugatores Magi cum ſuis fictitijs animabus, quæ etiamſi darentur, parum tamen iuuare poſſent magicas operationes. Si enim bonæ ſunt, quomodo cooperari vellent vanis, noxijs, & malignis eorum operibus? Si malæ, quid opus eſt, ad illas confugere, cum in ijs dęmones paratiſſimi ſint? Si alligatæ ſuis corporibus, quomodo poſſunt rebus humanis intereſſe, & effectibus magicis influere, niſi per lumen, & influentias, quæ ad hæc mira præſtanda non ſufficiunt: vt argumentatur Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iure cap.* 44. *de magia, dubit.* 2.? Quod ſi in aliquo iuuant, hoc eſt artem magicam, eiuſquè abominandas actiones ementitis opinionibus tegere, & dæmoni Diuinitatis æmulo fauere. Qui ſi non veras, vt Deus, ſaltem fictitias animas introducere vult; & verarum cupidus clamat, vt alter Rex Sodomiticus: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*; non vt illis benefaciat; ſed detractas in interitum peccati, poſtea in infernalis gehennæ baratrum præcipitare poſſit.

Aſſeritur, omnia animata eſſe. Vel Rationalia, Vel irrationalia. Iiſquè vti maleficos demonſtratur.

Itaquè reiectis ijs fantaſticis magorum, & maleficorum commẽtis, dicamus iuxtà commune Philoſophorum placitum, res animatas, Alias eſſe Rationales: vt homines, qui animam rationis compotem gerunt, atquè ab ea viuificantur: Alias eſſe Irrationales, nempè animalia, & plantas, quæ animam habeut ſenſitiuam, & vegetatiuam; atquè vtriſque tum Rationalibus, tum Irrationalibus vel vt cauſis, vel vt ſignis dæmonis miniſtros ad maleficia vti: ſicut duo ſequentia capita declarabunt:

CAPVT I.

Rationabilibus.

678 QVamuis omnia damna quacumquè parte inferantur, ſemper grauia ſint; illa tamen grauiora eſſe in confeſſo eſt, quæ fiunt à proximis; vel oriuntur ab eo ipſo, qui illa patitur. Etenim ſi vtendum eſſet magica opinione ſuperiùs refutata: vel ſaltem proſopopæia, altè ingemiſcere arborem diceremus, dum à ſecuri deijcitur; ſed altiùs edere gemitus, cum ex ſuis ipſiuſmet ramis ſecuri manubrium miniſtrauit. Et dolere auem ſagitta transfixam; ſed eò magis, cum è ſuis pennis ſagitræ pennas addidit. At ſine metaphoricis locutionibus aſſerere poſſumus, illius ſortem eſſe deplorandam, qui cogitur baculum tradere, qua vapulet, enſem præbere, quo feriatur, manum admouere, cuius vi confodiatur; ideòquè miſerum eſſe hominem, qui tot damna quotidiè à maligante dæmone patitur per ipſos homines; imò per ſemetipſum, & ſua. Cum nihil ferè ſit in homine, ſiuè Naſcente: ſiuè Viuente: ſiuè Mortuo, quo malefici non vtantur ad eius exitium vel cauſandum: vel ſignificandum: vt totidem ſectionibus demonſtrabitur.

Grauiora damna quæ inferuntur homini. A ſuis. A ſeipſo. Ideò miſer, qui ope maleficorũ patitur à ſeipſo.

Naſcente. Viuente. Mortuo.

SECTIO I.

Naſcentibus.

QVid pueris naſcentibus innoxius, qui omnis doli expertes, quia expertes rationis à Christo Domino *Matthæi* 10. in exemplum ſanctitatis proponuntur omnibus, qui regnum cælorum intrare deſiderant, quaſi conditio puerilis ſtatum eorum præfiguret, qui ætate viri, pueri moribus, & quaſi modo geniti infantes, vt loquitur Petrus, rationabiles ſine dolo lac concupiſcentes, & in eo creſcentes in ſalutem progrediuntur in via Dei, quouſquè in beatam ſanctorum ſortem admittantur? Et tamen inter homines quinam magorum, & maleficorum magis patiuntur inſidias, quàm pueri, quibus enecandis ſtudio perenni laborant nunc in prægnantibus fæminis abortum procurando: nunc enixarum fætibus acus in caput inſigendo: nunc opprimendo iacentes in cunis: nunc penetrando domos ad eos furto tollendos, vt ex corpuſculis elixis, aſſatis, combuſtis, varijſquè modis liquatis, aut in maſſam redactis, ſuos venenarios pulueres, & mortifera vnguenta conficiant, quibus tot maleficia in hominibus, animantibus, vegetabilibus, cæteriſquè operantur. Quaſi nulla ſit res in rerum natura, quæ maiori virtute ad maleficiendum, & quoquomodo nocendum prædita ſit, quàm pueri corpus, quod tàm ſolerti diligentia quæſitum iſti ſecreti homicidę tot modis ad omnium creaturarum exitium applicant. Ideò videndum eſt: An aliquid veneficij lateat in puerorum corporis, Vel à Natura: Vel à Temperamento: Vel à Caſu: quod ſequentibus articulis diſputabitur. 679

Nihil innoxius pueris.

Nihil frequentiùs adhibitũ in maleficijs, quàm eorum corpora.

Ideò quæritur: an in eis aliquid veneficij inſit. A Natura: A Temperamento. A Caſu.

ARTICVLVS I.

Per naturam.

§. I.

ET quidem pueros ex proprietate naturæ vim aliquam maleficam obtinere videtur, eò quòd malefici indiſcriminatim ex omnium corporibus ſuos eliciant pulueres: ideòquè indiſtinctim omnibus inſidiantur, vt ea tollere poſſint. 680

Videtur ineſſe.

Si enim virtus venefica in quibuſdam tantummodo pueris latitaret, hos præ cæteris eligerent. Cum ergo omnibus indifferenter vtantur, quis non videat, ipſorum ſententia, hanc in omnibus naturalem ineſſe facultatem?

At falſiſſimum eſt, illos omnes ex proprietate naturæ venefica vi affectos eſſe. Nam ſi hanc à natura adepti eſſent, omnibus hominibus data eſſet; cum proprietates naturales omnibus inſint, naturamquè ipſam conſequantur. Quamuis enim pro diuerſa regionis temperie: aut vario genere, & educatione diſſimili homines ſolertiores, & agreſtiores: ſubtiliores, & obtuſiores; ferociores, & humaniores naſci contingat; & ex accidenti alius

Falſum tamẽ eſt Siuè homo conſideretur.

alio promptiorem, & viuaciorem naturam nanciſcatur; tamen omnes iiſdem proprietatibus naturam conſequentibus dotantur, quę non magis in vno, quàm in alio reperiuntur. Ex quo ſit, vt ſi aliqui hac virtute malefica à natura prædíti eſſent, idem de omnibus neceſſariò cenſendum eſſet.

§. II.

681 *1. In eſſe naturali* QVo quid abſurdius? Ad quid enim hoc à natura omnibus datum eſſet, quouis eos modo in vtroquę eſſe conſideres?

Si in eſſe naturali, quomodo natura, quæ ſe cæteris animantibus, imò omnibus orbis creaturis tam gratam, & beneficam oſtendit; vicemquè gerit piæ, & beneuolæ matris, tàm dirè ſe haberet in hominem, propter quem cętera ſunt generata? Nec ſe matrem, ſed ſæuam, & ferocientem nouercam exhiberet gratias naturales homini denegando, quas alijs profuſè conceſſit. Cum cæteris hanc intimis medullis procliuitatem indiderit, vt nulla ſit vel minima res exiſtens, vegetans, & ſentiens,quę ſua non quęrat conſeruationem: ad quam tuendam omnia, quę neceſſaria videbantur, ſiuè contra interna diſſidia: ſiuè contra externa nocumenta abundè miniſtrauit;atq. ipſa in eo ſemper intenta eſſe videtur, vt vnaquæquè ſeipſam conſeruet, & ſibi ſimile procreet, quo ſaltem in indiuiduis, & ſingularibus proprietas ſpecierum propagetur. Homini verò parauerit exitium, nec eius conſeruationi; ſed deſtructioni per naturalem illam venenandi facultatem conſuluerit: quaſi homo ſit aliquis naturæ peccantis, & nocentis error, quem ſubitò tollere de medio neceſſe ſit: ſiuè commune aliquod malum, in cuius penetralibus ſui ipſius ruinæ principia condenda ſint, eò quòd diù ſtando ſibi ſemper noxius, alijs innoxius eſſe non poteſt, quis autem hoc audeat aſſerere? Ideò fatendum eſt, non reperiri in hominibus veneficæ huius virtutis, actioniſq. principia; cum nihil, quod deſtruat eorum naturam,à natura oriri valeat; quia virtutum,& actionum illarum principia in nobis inſerta ſunt, quæ ſunt connaturalia, hoc eſt naturæ conuenientia. Fruſtra namquè eſſe dediſſet, ſi non daret etiam conſeruationem: vt ritè probat Leonardus Vairus *de Faſcino libro 3.cap.6.*

§. III.

682 *2. In eſſe morali.* SI verò in eſſe morali homo conſideretur, cum ex communi Philoſophorum effato,& omnium nationum ſententia ſit ad ciuilem ſocietatem natus, in qua alter alteri non obeſſe, ſed prodeſſe debet: vt eruditè, ac Sapienter Seneca teſtatur *de benefi. lib.4.cap.18. Hominem*, inquit, *non vnguium vis, nec dentium terribilem cæteris fecit; nudum, & infirmum ſocietas munit. Duas enim res dedit ei Deus, quæ cæteris obnoxium, validumquè facerent, ſcilicet, rationem, & ſocietatem.* Quomodo cum cæteris aliquam conſuetudinem contrahere poſſet, ſi eſſet à natura venenatus? An non eſſet amandandus inter aſpides, & ſerpentes, qui ideò cum cæteris animantibus conuenire non ſolent; quia innato veneno illis contrario infecti mortem inferunt præſentiſſimam? Quare cum natura eum fecerit ſocialem, ei etiam omnia tribuere dignata eſt, quæ ad mutuam cum alijs familiaritatem exercendam neceſſaria erant, omniaquè auferre, quæ ſociali bono obicem ponere videbantur. Nam *qui dat formam, dat* (formaliter, aut naturaliter) *omnia conſequentia ad formam*: ait Ariſtoteles 8.*phyſic.*

ARTICVLVS II.

Per Temperamentum.

§. I.

SEd dices, hanc veneficam facultatem non eſſe quidem omnibus infantibus datam ratione principiorum eſſentialium ſpeciei; ſed quibuſdam duntaxat ſingularibus ob prauum indiuidui temperamentum per accidens à natura intentum. Quod aliquam veriſimilitudinem præſeferre videtur. 683 *Dari temperamentum veneficum. probatur A Contrario.*

Cum enim contrariorum ſit eadem diſciplina, cur non dabitur prauum aliquod temperamentum, quo quis infectus alios qualitatibus venenoſis inficiat; cum iuxta Medicos detur quoddam temperamentum æqualitatis, ex humorum, & qualitatum actiuarum ad pondus æqua mixtione reſultans, quo homines iuſtitialiter in ſuis complexionibus temperatis mira perficiunt; Eoquè Chriſtum Dominum fuiſſe præditum; atquè huius vi miracula perfeciſſe, velint Fulginas Medicus, magiquè huius opinionis, ſeù potiùs blaſphemiæ ſectatores, quales ſunt Agyppas, Paracelſus, & Conciliator differentiarum XX.

§. II.

ET quidem reperiri homines quoſdam taliter intemperatos, qui per inſenſibilem alterationem: vel vaporem aliquem occultè enixum alij noxij, & infeſti ſunt, teſtatur Plinius, dum de Pſillis, & Marſis loquitur *lib.7.c.2.& 15.*qui odore ſerpentes fugant, & exitiali viru corporibus eorum ingenito ita ſoporant, vt illos impunè laceſſere poſſint. Mulieres verò, quotidiè experimur, menſtruis laborare, quo tempore, vt aſſerit idem Auctor, & poſt illum plures, eorum acceſſu muſta aceſcunt, exuruntur hortorum germina, tactę fruges ſterileſcunt, moriuntur inſita, fructus arborum decidunt, ſpeculorum fulgor hebetatur, aluei apum emoriuntur, æs, & ferrum corripiuntur rubigine, & canes guſtato illo humore in rabiem aguntur, morſuſquè inſanabili veneno infigunt. Ita animalia inſecta, & reptilia multa morſu, anhelitu, tactu varios morbos, & mortem ipſam inferre ſolent: vt aſpides, bufones, reguli, totquè reptantium anguium genera. Eadem tabifica virtus in herbis lapidibus, & mineralibus deprehenditur, quæ ſolo attractu venena fundunt, & inferunt necem. Cur ergo non dabitur idem in quibuſdam hominibus; cum non ſit inconueniens, vt illi, qui cum omnibus creaturis ſuperioribus, & inferioribus ſunt quodammodo omnia per participationem cum animalibus, vel alijs rebus in aliqua proprietate conueniant? Eſtò tales rari reperiantur; habeanturquè pro monſtris: cum ea, quæ per accidens, & præter naturæ intentum fiunt, raro eueniant. 684 *Ab experientia.*

§. III.

AT commentitium eſt, talem facultatem in quibuſdam aſſerere; cum nullus ſit,qui tali temperamento potiatur. Concefferim, quidem, perfectiſ- 685 *Reijcitur*

feɛtiſſimum, & ad pondus, vt dicunt, fuiſſe Chriſti temperamentum. Cum enim eius ſacroſancta humanitas non ex virili ſemine compacta fuerit; ſed ex puriſſimo intemeratæ Virginis ſanguine: nec humana operatione, quæ tot erroribus obnoxia eſt fabricata; ſed formata Spiritus ſancti virtute, cuius perfecta ſunt opera; non eſt negandum, eius complexionem fuiſſe omnibus numeris, partibus abſolutam; quamuis falſiſſimum ſit, & impiè aſſertum, per illam fuiſſe patrata miracula, quæ ab Euangeliſtis referuntur. Cum certum ſit, illa ab eius omnipotenti virtute proceſſiſſe.

§. IV.

1. Rationibus.

ATtamen tale quid in cæteris hominibus reperiri ſuperuacaneè aſſeritur; cum nulla ſit generatio, in qua humorum, & qualitatum inæqualitas non reperiatur ob inæqualem tum viri, tum mulieris conſtitutionem, actionem, & circunſtantias, quæ vnam, & alteram conſequuntur.

Si Pſyllis, & alijs hominibus virus exitiale ingenitum eſt, nullo pacto à natura naſcitur; ſed à dæmonum auxilio procedit. Incantationibus etenim huiuſmodi homines fretos fuiſſe, ſatis ex Plutarco, & Plinio colligitur. Vel acquiritur hominum induſtria, vt probat filia illa venenata, quæ impunè venenis vtebatur, eò quòd ab infantia huiuſmodi aſſueta cibis, temperamentum venenoſum, viruſque diffundens in alios contraxerat: de qua Ariſtoteles ſcribit *de Regimine Principum ad Alexandrum Regem*.

Si mulieres menſtruo laborant, hoc naturæ tribuendum eſt, quæ illas tanto ſanguine abundare voluit, quantum alendo fætui ſufficere poſſet; qui ſanguis ſuperuacaneus in ijs, quæ vterũ non gerunt, ſtatutis temporibus excernitur ſine noxia qualitate, ſi ſanæ ſunt, & benè temperatæ; imò ad complures morbos curandos ex aliquorum Medicorum ſententia valet. Vitioſus verò, & exitialis eſt in eis, quę permixtum vitioſis humoribus emittunt: & hoc eſt menſtruum impurum, & venenoſum. Quare non ex inſtituto naturæ; ſed ex accidenti exitialis eſt; & ita mulieres vim maleficam à natura non ſortiuntur.

Si cum animalibus, plantis, lapidibus homo communicat ſecundùm eſſe, viuere, & ſentire; non tamen ſequitur, omnes omnium illarum rerum proprietates in eo reperiri. Cum enim ſpecie differat; quod vni inditum eſt, alteri poteſt eſſe denegatum. Et ſicut ratione ſpeciei illa communicatio ipſi conuenit; ita conuenirent illæ proprietates; atquè adeò omnibus hominibus communes eſſent; quod falſum eſſe, concedunt iſti, qui aſſerunt, quibuſdam ſingularibus conuenire; nec tamen poſſunt dare, & determinare qualitates illas indiuiduas, quæ hoc naturaliter ſuppoſito tribuant: vt diſputant Codroncus *lib.2.cap.4. de morbis veneficis*, & Leonardus Vairus *lib.3. de Faſcino cap.6.*

2. Prax. maleficorum.

Quare non ex proprietate temperamenti tabifica virtus in puerorum corporibus ineſt: nec ob talem proprietatem ſingularem quæruntur, & applicantur à Magis. Si enim ratione temperamenti noxij elicerent pulueres venenarios, vnguentaquè mortifera, illos ſolos ex pueris ſeligerent, qui tali temperamento prædití eſſent; ſed quia omnibus vtuntur, cuiuslibet ſint complexionis, perſpicuè ex ſua praxi demonſtrant, ſe non ratione temperamenti; ſed ob aliam cauſam puerorum corpora in maleficijs adhibere.

ARTICVLVS III.

Per Caſum.

§. I.

FOrſitan ſi miniſtri ſathanæ à naturæ, aut temperamenti proprietatibus in naſcente puero aliquid expiſcari non poſſunt; ſaltem hoc præſtant ex ijs, quæ accidentariò ipſi venire contingit: ver. gr. inuolucris natiuitatis. Nam fœtus materno in vtero tribus membranis inuoluitur; & ex illo egrediens variè ſe expedit à vinculis à natura ſuperinductis. In ordinario etenim partu diſrupta prima membrana, quæ à Græcis Chorion dicitur à nobis Secundinæ, poſt eius egreſſum eijcitur. In extraordinario autem duæ, quarum prima Agatides à farciminis forma: ſecunda amnios à mollice ita foras erumpunt cum fœtu, vt facies, & caput infantis quaſi galeatum appareat. Hanc membranam Galli Coiffæ, Belgæ Galeam appellant. Ex cuius tegu- 686 *An inuolucra fetus vim habeant maleficã*
minis colore rubicundo, aut liuido fortunam infantis aniculas ariolari ſupra retulimus *numer.617. diſput.3.*

Mirum verò quantum inſanient circa illud inuolucrum malefici, qui ex eo ſuos pulueres venenarios conficere ſolent, & mira promittere ijs, qui illud continuè gerunt. Hos etenim faciunt in bello inuictos, in pace fortunatos. Vndè antiquitùs multa pecunia à Romanis cauſidicis emebatur, qui ſe illo ad cauſæ victoriam multùm iuuari arbitrabantur, vt teſtatur Lampr. *in vita Diadumeni*.

§. II.

AT quid in iſtis inuolucris viſitur niſi Hinc ſolicita naturæ cura, quæ aduerſus extraneos caſus fœtum tutatur in vtero, & carneis illis faſcijs obuoluit, vt ſecuriùs in matricis lectulo conquieſcat. Ideòquè hæc omnia egrediente puero tanquam inutilia eijcit? Illinc deploranda hominis conditio, qui mundum ingrediens tam obſcenis cunis reponitur, & tam putridis tegumentis vndiquè contegitur, quæ ſolo viſu nauſeam pariunt, & horrorem; vt non ſine cauſa inter celebriores mortalium miſerias Iob naſci de muliere recenſuerit? Quoad verò vires illas naturales aptas tot prodigioſis effectibus producendis, ariolorum eſſe commentum oſtendit Leuinus Lemnius Ziricæus *lib.2. de occultis naturę mirac. cap.8.* Et experientia ſæpè teſtatur, infantes huiuſmodi pelle inuolutos, & ſuperſtitioſos illam pro amuleto gerentes nihil minus aſſequi, quàm quod iſti pollicentur: vt patet de illo, quem ſupra retuli *diſp.1.num.154.* 687 *Nullam habere probatur*

§. III. 688

QVarè ſtatuendum eſt ad huius ſectionis concluſionem, illa omnia, quæ ex puerorum corporibus à maleficis deſumuntur, non eſſe cauſas naturales maleficiorum; ſed ſigna, quibus dæmon ad malum perpetrandum inuocatur.

Quod praxis ipſorum pluſquam ſufficienter oſtẽdit. Non enim galea infantili vtuntur, prout à naſcente detracta eſt; neque cutem, aut membranam pueri, aut animalis abortiui ſimpliciter adhibent, *Cõcluditur, omnia, quæ deſumũtur ex corporib. puerorũ, ſigna eſſe maleficij Probatur*

ſed vtramquè præparatam in forma rotonda, aut quadrata verbis incantatiuis, & coniuratiuis ſpirituum, certiſquè incognitis characterum ſignis, quibus dæmones inuocantur, deturpant; abſcondunt ſub ſacrato lapide, ſuper quo miſſas celebrari procurant: baptizant ſub nomine perſonæ maleficiandæ cum aqua Baptiſmatis, & cæremonijs conſuetis; deindè in puluerem redactam ſuper perſonas malefaciendas aſpergunt: vt docet, & exemplis probat Paulus Grillandus *tract. de Sortileg. c. 3.*

Quæ omnia manifeſtè probant, chartas has virgineas, vt vocant, non è natura; ſed à dæmone ſuam ſortiri operationem.

§. IV.

689 Pari modo vnctiones ex infantium pinguedine conficiunt, non quorumcumquè; ſed eorum præſertim, qui abortiui eijciuntur: aut moriuntur ſine Baptiſmo; aſſeruntquè hanc pinguedinem, (*quam vocant pinguedinem pagani ſecundùm eundem Grillandum cap. 6.*) habere mirabilem virtutem. Quaſi verò caro pagana aliquid poſſit pluſquam chriſtiana: aut Baptiſmi aqua tollat vim illam prodigioſam, quæ à natura donatur; & non potiùs hęc omnia à dæmone procedant, qui talibus ſignis mirificè delectatur. Cum enim videat Chriſtum Dominum familiari aſpectu, benedictione ſpeciali, & amore præcipuo pueros proſecutum fuiſſe; & aſſeruiſſe, illorum eſſe regnum Cælorum; nihil tam habet in delicijs, quàm modis omnibus in illis ſuũ explere odium; & ideò ſi baptizati ſunt, conatur per maleficos ſaltem vitam illis corporalem eripere, & corpus flammis abſumptũ redigere in puluerem. Si verò non ſunt baptizati, gaudet illis Beatitudinis aditum intercludere in æternum, qui aliàs ſalutaribus Baptiſmatis aquis regenerandi erant in filios Dei, & hæredes regni cæleſtis. Ideòquè eorum carnes lixari, oſſa comminui, & in puluerem, & vnguenta redigi iubet; vt tàm gratis ſignis appoſitis maleficia gratiùs operetur.

SECTIO II.

Viuentibus.

690 A viuentibus plura malefici mutuantur, quibus cæteris noceant. Non opus eſt longioribus expenſis in ijs quęrendis, quæ ad rem faciunt, cum omnia penes ſe habeant, per quæ excidia, exitiaquè inferre poſſint. Nam ea eſt dæmonis ars, omnibus vti, quæ in viuente homine ſunt, vt alijs mortem afferat; totumquè hominem taliter afficere, vt totus veneno, & mortifera labe imbutus videatur. Ne ſi venenis ex cæteris rebus confectis negotium maleficum ſemper perficiendum eſſet, malefici eorum penuria; vel propinandi difficultate aliquam imperata adimplendi maleficia excuſationem cauſarentur. Quarè, vt eos inprimis ad veneficia paratos, inſtructoſquè habeat à cogitantibus, loquentibus, & operantibus maleficia prodire facit; ideòquè examinandum: An ſola naturali virtute: An verò dæmoniaca, morbi, morſquè ipſa inferantur, dum iſti ſathanæ cooperatores Cogitatione, Verbo, aut Operatione maleficia exercent: ſeù an iſta adhibeantur vt cauſę: vel vt ſigna: quod ſequentes articuli explicabunt.

An homines, & malefici vim habeant veneficum.

Dum morbos, & mortẽ inferunt Cogitatione. Verbo. Opere.

ARTICVLVS I.

Per vim cogitationis.

Sicut homo duplici ſenſu præditus eſt, ſenſitiuo vno, intellectiuo altero: ità duplex in eo cogitatio: alia intellectualis: alia imaginaria deprehenditur, quarum ſummam eſſe virtutem ratione animæ Philoſophi naturæ indagatores vnanimiter aſſerunt. 691

Duplex in homine conditio. Intellectualis. Imaginaria. Vis prima.

§. I.

Prima ſecundùm Auicennam omnipotens eſt. Libro namquè de Anima *ſect. 4. cap. 4.* cenſet, intellectui benè diſpoſito, & ſupra materiam eleuato talem ineſſe vim, vt res cunctæ, quæ materia conſtant, cæleſtes, & terrenæ, ſimplices, ac mixtæ illi obedire [illegible]antur. Ad hoc verò requirunt quidam, vt anima humana in magnum exardeſcat deſiderium. Tunc enim volunt, illam ſufficientem habere poteſtatem ad imprimendum verbis, ſcripturis, imaginibus virtutem aliquam, quæ naturaliter efficax ſit, & energiam habeat ad deſideratum effectum producendum; cum in his rebus adeſt quędam proportio ad hunc effectum, quæ in eo ſignificando ſita eſt: ver. gr. Si quis velit alteri inferre noxam, putant adhibenda eſſe verba, vel ſigna, quę illam deſignent, Si concitarr ad amorem, aut odium etiam externis proportionatis vtendum. Quæ ſi in imaginibus, & alijs rebus inanimis locum habent, quid in homine? Cum enim anima informetur humana, alterius ſimiliter animæ humanę intensè operantis effectus conuenientiùs, & efficaciùs recipere poteſt; cum in eo plures reperiantur diſpoſitiones.

§. II.

Secunda maxima, & mira ſolet efficere in corpus ipſius imaginantis; quia imaginatio, dum retractat ſpecies obiectorum ſenſu perceptorum, & voluit rerum ſenſibilium ſimulacra, potentiarum appetitiuarum varias affectiones, amoris, odij, timoris, iræ, triſtitiæ diuerſimodè mouere, & excitare comprobatur, quæ hominem ſic afficiunt, vt ſtatim calore, frigore, pallore, rubore, exiliendo, torpeſcendo, efferendo, ſimiliaquè faciendo corripi ſe ſentiat: Ideòquè omnia poteſt in corpus imaginantis, quæ naturalem habent coordinationem cum imaginatione: vt ſunt cauſare motum localem in dormientibus, cæteraſque alterationes, & omnia, quæ illas conſequuntur: vt docet D. Thom. *3. par. quæſt. 13. ar. 3. in add. 3 & lib. 3. contra gentes c. 103.* Rationi experientia ſuffragatur, quæ quotidiè in Noctambulis cernitur. Hi namquè per imaginationem ſopitis ſenſibus mira faciunt, docent, hortantur, canunt, ſurgunt; peritè natant in fluminibus; ſumma ædificiorum faſtigia intrepidè conſcendunt, & in eis ambulant, cæteris trepidantibus, qui hæc intuentur: feruenter: & clamosè concionantur; componunt verſus omnibus numeris abſolutos: de negotijs grauioribus colloquuntur: & varia in domo agitant, vt illos non dormientes, ſed vigilantes, & ſeriò, prudenterque ſatagentes exiſtimes. Quã veritatem teſtantur Franciſcus Suarez *diſp. 18. Methaph. ſect. 8. verſ. 28.* Conimbricenſes *in 7. Phyſic. c. 2.* 692

Vis ſecunda in corpora. Propria. Vicina.

ſie.c.2.q.1.ar.7. Valentia *2.2.diſp.6.q.13.punct.2.* Vairus *lib.2.de Faſcino cap.3.* & alij.

§. III.

693 *Vicina.* ADdunt nonnulli hanc imaginariam virtutem non ſolo corpore imaginantis contineri; ſed extra ſe porrigere, & corpora non tantùm propria, ſed etiam aliena reipſa, & verè immutare poſſe. Quod verum eſſe, aſſerunt, ſi vicina ſint, & arcta quapiam coniunctione, & contactu imaginanti copulata; atquè ad agentis alterius corporis affectionem recipiendam valdè diſpoſita. Hoc ſuſtinent apertè D. Auguſtinus *de Apiboue agens lib.18. de Ciuit.Dei c.5.* D.Hieronymus, Toſtatus, & Benedictus Pererius *in cap.30.Geneſis.* Michael Medina *lib.2.de recta in Deum fide c.7.* Alphonſus Mendoza *in quodlibet q.9. Poſitiua.* Plinius *lib.7.cap.12.* Andreas Laurentius *hiſt.Anathom.lib.9.c.20* Marſilius Ficinus *lib.13. de Theologia Platonica,* Valeſius *Med.lib.de ſacra Philoſophia cap.11.* Galenus, & Thom.Morus Martyr *carmine lepido apud Pererium loco citato,* Hieronym.Torquemada *in Horto florum.* Heliodorus *Æthiop.hiſtor.lib.1.* Columella *lib.8.* & Calpurnius Poeta *Eglog.2.* Quod probant ex ijs, quæ in fætibus accidunt, dum in materno vtero concipiuntur: aut aluntur. In conceptu namquè hæc eſt fæminarum natura, vt quales in extremo voluptatis æſtu aut mente cogitauerint: aut perſpexerint, ſi tunc imaginationi occurant, talem ſobolem procreent. Quia *anima,* ait S. Iſidorus *in vſu venereo formas extrinſecas intus tranſmittit, eorumquè ſatiata typis rapit ſpecies eorum in propriam qualitatem.* Videt mulier Ioannis Baptiſtę Cameli tegmine induti imaginem: aut villoſi Vrſi formam, hiſpidum, & hirſutum parit filium. Occurrit vacanti liberis procreandis æthiopis ſimulacrum, puerum nigrum more æthiopico enititur. Species animalis cuiuſdam ſe offert eius phantaſiæ, animantis mores enixus infans præſefert. In hominibus verò quid non operatur imaginatio, cum idipſum in animantibus præſtet; vt ſenſibiliter docent Iacob Patriarchæ pecora variegata, ordinarijſquè auium, & beſtiarum fętus, qui in pauonibus, gallis, & leporibus colore parentibus ſimiles gigni ſolent.

§. IV.

694 POſt conceptionem verò, dum puer alitur, & debitum acquirit augmentum, maternæ imaginationis diſpendia ſentit: vt quotidiè videmus in pleriſquè pueris, qui ex intenſa matris gerētis imaginatione varijs maculis, & notis aſperguntur. Pauet vxor ad inſolitæ rei alicuius occurſum, infans poſtea externatis oculis maternum pauorem oſtendit.

Videt inopinatò cadauer deforme, filium cadaueroſa facie emittit. Auet ceraſa, botros, poma, pira, aut quid ſimile edere, quod ei non conceditur; horum fructuum notas enixus puer ab vtero baiulat. Eſt enim fætus, quandiù materno clauditur vtero, pars matris, & facilè varias eius impreſſiones recipit. Verùm, cur non in matris, ſed prolis potiùs ea parte corporis, qua ſe tetigit mater apparet maculæ impreſſio? Dico, hoc mirum non eſſe. Si quidem facta in matre ingenti quadam phantaſia, & appetitu quorumdam, anima ex ijs, quæ in corpore ſunt, proportionale aliquid mouet, præcipuè in ſanguine; ex quo cum nutriatur fætus, nihil prohibet, ſigna quædam eius alimenti ità affecti in eo remanere, præſertim coloris; propter quod ea ſigna rubentia ferè omnia ſunt, & exuſtionem aliquam in ſanguine factam oſtendentia. Fortaſſe autem, & figura cupitæ rei oſtenditur, quòd in eo proportionali anima etiam figuram mentiatur. Et vt plurimùm hoc in ea parte corporis, qua tunc, dum ardenter illam rem auebat, ſe ipſam tetigit. Forſan, quia ibi per tactum matris fuit ſanguis aliqualiter alteratus, & ex illo proportionali à vehementi apprehenſione, & animæ applicatione moto exuſtus, & quodammodo illius rei concupitæ ſimilitudine inuſtus, qui dein ad fætus partes alendas, & nutriendas accurrens, in fætu, non in matre maculæ illæ enatæ conſpiciuntur. Ità etiam teſtatur Hieronymus Fracaſtorius *lib. de ſympathia, & antipathia rerum cap.23.*

§. V.

NEc hìc ſiſtere putant quidam huius potentiæ imaginatricis virtus. Fertur namquè (aiunt) longiſſimè in corpora remotiora, quæ pertingere, & afficere poteſt; & ſic fulgura, & pluuias e cælo deducere, res loco mouere, ſanare, faſcinare, & ſimilia peragere: vt docet Auicenna *lib. de Anima loco cit.* quem ſequuntur Paracelſus *lib.de imaginibus,* Andreas Cataneus *lib.de mirabilium effectuum cauſis,* Pomponatius *lib. de Incātamentis c.3. & 4.* & alij. 695 *Remotiora.* Quí tamen non conueniunt in explicando modo, quo tales operationes ad extra ab illa potentia peragantur. Alij enim hoc fieri volunt ſolo animi imperio, Auicenna, Fulginas, & Augerius Ferrer. *lib. 2.method.11.* Alij per ſpiritus ex corpore vi imaginationis expulſos (Paracelſus, Pomponatius loco citato, & Sibyllanus c.8.q.3.) Alij per certos quoſdam radios (Alchindius *lib.de imaginibus*) quos ipſi comminiſcuntur, quaſi ſpiritus imaginationi deſeruiens non ſecus ac rationale quoddam ſidus in quaslibet res pro intenſæ illius facultatis voluntate influxus ſalutares, vel pernicioſos effundat. Quorum opinio quàm ſit à veritate aliena mox dicetur *num.ſequenti.*

Ideò per vtramq. cauſare maleſicia, aliqui putant. Quare cum tanta ſit vtriuſquè cogitationis intellectiuæ, & imaginariæ poteſtas, quibuſdam videtur, hac via, nempè, deſiderio vehementi intellectui, vel imaginationi addito, Veneficos amorem, odium, valetudinem, ægritudinem, & maleficia inferre poſſe; eò quòd corporis ſpiritus ea, qua eſt qualitate affectus, ad imaginatiuam deferatur; per quam qualitatem aer inficitur, & corrumpitur, contrahiturquè maleficium iuxta imaginantis voluntatem.

§. VI.

AT imaginaria hæc eſſe commenta, facilè demonſtratur, cum neutra vis talis inſit in homine: vt intellectus, aut imaginationis virtute in extera, & longinqua corpora agere, atquè illa immutare valeat: aliàs non homo, non Angelus; ſed Deus, aut Deo æqualis reputabitur. 696 *Reijcitur illa opinio varijs rationib.*

1. Ex parte hominis. Quid facultates intellectus, & imaginationis poſſunt extra hominem quouis modo conſiderentur? Nam in vtraquè interuenit potentia, ſpecies, obiectum, & actio, quæ quomodo odia, morbos, mortem ipſam in alijs excitandis virtutem habere poſſunt?

1. Ex potentijs namquè ſolis, & ſimpliciter acceptis talia prodire non valent: cum intellectus, & imaginatio abſquè ſpecie, & actu intelligendi, & imaginandi non plus efficere poſſint in vigilante,

quàm

quàm oculus clauſus in dormiente; nec alia vi præditæ ſint, quàm intelligendi, & imaginandi: non autem corpora immutandi.

2. Species etiam huiuſmodi effectus producere non poſſunt: Cum enim non ſint res ipſæ veræ, & viuæ; ſed tantùm rerum verarum, & viuentium ſimilitudines, & ſimulacra, quid aliud poſſunt, quàm res, quarum ſunt effigies, repræſentare, & ſeſe ſpectantibus, & meditantibus offerre? Quomodo ergo extra agere, & in alijs edere poſsũt huiuſmodi actiones? An poterunt aliquid in alieno corpore, quod non poſſunt in proprio? Sed ità poterit etiam ſpecies equi equum gignere, & ſpecies caloris ab vno imaginati algentem alium ab eo remotum calefacere. Sed quid abſurdius?

3. Si verò obiecta ſunt remotiora: vel anima agens in intellectu, & imaginatione talia perficit cõtactu: vel non. Nõ contactu; quia corpora maximè diſtant, ergo ſine contactu. At illa, quæ ſine contactu agunt in infinitam diſtantiam agere poſſunt: cum in naturali actione interualli menſura ſolùm ratione contactus requiratur; ergo anima in infinitam hanc diſtantiam agere poterit: & per conſequens erit infiniti vigoris, quod eſt abſurdum.

4. Deniquè per actum intellectionis, aut imaginationis nec maleficium, nec aliud quidquam in externis corporibus fieri poſſe, probatur ex eo, quòd vtraquè actio eſt immanens in eo, qui intelligit, & imaginatur; ideòq nullã imprimere poteſt qualitatem rei diſtinctę; quod eſſet neceſſarium, vt in eam agere poſſet. Nam radij illi ex imaginatione prodeuntes iuxta Alchindij placitum nulli ſunt. Spiritus, ſi aliqui dantur (, vt aiunt Pomponatius, Paracelſus, & Sibyllanus) planè debiles exiſtunt; nec prætergrediuntur ſinum vtriuſquè potentiæ: Aut ſi extra progredi audent, facilè ab aere corrumpuntur. Species verò habent ſolùm vim repræſentandi, vt dictum eſt. Quare nulla datur talis virtus ex parte hominis.

§. VII.

697 *2. Ex parte rerum.* NEquè etiam in rebus diſpoſitio ad illius receptionem reperitur. Nam quamuis cogitationes ſiuè intellectiuę, ſiuè imaginariæ poſſint concitare ſpiritus, humores, aliaquè ſimilia, quæ ſunt ipſi ſubſtantiæ animæ præſentiſſima, & naturalem ad illam ſubiectionem habent; non tamen idem aſſerendum eſt de rebus externis, in quibus non reperitur ſimilis ſubiectio, & obedientia ad illam, etiamſi deſiderio vehementi ferantur. Nam talis obedientia aut eſt naturalis: aut moralis. Non naturalis; cum creaturæ corporalis, & ſpiritualis ne vnius quoquè ſpeciei vlla ſit naturalis ſubiectio, niſi ratione actionis, & paſſionis propter quas id, quod imbecillius eſt, fortiori cedit. Ideò cum nequè homines ſic agere, nec res naturales ſic pati valeant, ſequitur nullam ineſſe intellectui, aut imaginationi virtutem ad corporum remotiorum immutationem. Non moralis: Nam certè ſi aliquis hominum tali virtute præditus reperiretur, qualis ab iſtis ſcriptoribus aſſeritur, non pro homine habendus eſſet.

Quis enim vmquam inuentus eſt tam potens, qui ſolis, & puris intellectus, & imaginationis actibus, ſiuè naturaliter, ſiuè moraliter ciere tempeſtates, excitare ventos, imperare aeri, commouere pluuias, grandines, ventos, aues de cælo detrahere, ſerpentes educere è latebris, feras è cauernis attrahere, ægrotos ſanare, ſanis morbum, & mortem immittere potuerit. Cum iuxta Domini dictum *Matth. 5. & 6. Nemo poſſit capillum album, aut nigrum facere. Et ad ſtaturam ſuam cubitum vnum adijcere valeat?* Nam ſi homo rem ità coniunctam mutare non poteſt, quomodo poterit rebus externis viros effectrices imprimere?

§. VIII.

IMmò pluſquam Angelus reputandus eſſet, humanam, & angelicam ſuperans facultatem. Nam 698
ſi intelligentiarum ſeparatarum mirandas operationes conſideres, certum eſt, illas naturalium agentium medio, & interuentu produci. Non enim pluuiæ ver. gr. tempeſtates, & terremotus excitantur ab Angelis ſolo actu intellectus, & voluntatis; ſed per applicationem virtutis, quæ naturaliter perficit motus locales, & varias alterationes, ex quibus iſta procedunt; ergo multò minus hoc præſtare valebit hominis cuiuſquè anima, quæ naturę nobilitate, & efficacitate virtutis Angelo inferior eſt, niſi illum Deo aſſimiles. Si enim tàm potens homo daretur, fatendum eſſet, parem & ſimilem eſſe humanam, & diuinam poteſtatem. Dei namquè mira potentia in hoc elucet, quòd res omnes intelligendo, & dicendo producit. *Dixit,* ait Dauid pſal. 32. *& facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Et ſicut dicendo, ab eo facta ſunt, dicendo pariter ab eo poſſunt immutari. Quoniam omnia ſeruiunt ei; ipſaquè inſenſibilia ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum faciunt verbum eius. Ideò æqualis erit intelligentis, aut imaginantis hominis virtus, ſi ſuis intellectionibus, & imaginationibus aliena corpora immutare, alterare ad placitum poterit; nec aliquod in ijs corporibus tali virtuti impedimentum obſtabit; cum ipſa ſint obedire diſpoſita, & tantum imperium reuereri. At non imaginationis perturbatæ ſunt commenta?

Quare aſſerendum eſt, maleficos ſola cogitatione, & imaginatione maleficia perficere non poſſe, alijſquè immittere ſanitatem, aut ægritudinem; nequè hoc vmquam à dæmone inſtitutum fuiſſe, qui res naturales, & ſigna ſenſibilia in maleficijs adhiberi iubet, vt maleficus ijs externis applicationibus ſuum teſtetur obſequium;

ARTICVLVS II.

Per vim Verbi.

§. I.

QVanta ſit vocis, verborum, & carminum vis, 699 *Vis naturalis vocis, & verborũ.*
norunt omnes orbis creaturæ, quæ ſummoperè illa afficiuntur. Hæc enim in hominibus omnia perficit, vt ait Plutarchus, dum peritus orator modò ſermonis elegantia, & lepore: modò contortis, vibratiſquè ſententijs regit auditorum animos, eoſquè flexanima acrimonia, & lenitate temperata delinitos verſat, quò vult, torpentes excitat, exhilarat triſtes, rigidos demulcet, ſolatur afflictos, ſæuientes ſedat, pacat tumultuantes, ac velut tubæ ſonitu percuſſos flectit ad iram, miſericordiam, amorem, odium, cęteraſquè paſſiones; atquè ad arma, tripudia, iocos, & ſimilia; Etiam inuitos irritat, & cogit; & præſertim ſi conueniens actionis, & pronunciationis ratio compoſitis verbis accedat. Hæc in animantibus ſuauem exercet dominationem, dum ferocitate depoſita Paſtoris loquentis ſubſultando ſequuntur imperium; & eò luben-

lubentiùs, & errantia in paſcuis concentu dulciore mulceantur. Nec illa ſolùm; ſed in auibus, quarum aliquæ velut luſciniæ, & cygni cantum quaſi quadam diſciplina ſuæ artis exercent: Aliæ inuitante ſonora voce ex aere in terrã ſpontè decurrunt. Hęc deniquè ipſis inſenſibilibus quaſi auritis ſenſum imprimit. Quod antiqui fabularum Concinnatores Orphęo modulatiore lyrę ſono ſaxa mouente ſignificare voluerunt, ac ſi homini ad certos modulorum numeros loquenti, vel canenti cætera omnia eloquentiæ, & muſicæ virtute affecta parere cogantur.

§. II.

700 SEd eius energia magis ſentitur in verbis, & carminibus magicis quocumquè modo à maleficis proferantur.

Vis magica.

1. Si imperando loquuntur, tota natura (vt ipſi credunt) ſubſiſtit, quaſi parata obſequi, animi ad diuerſas paſſiones impelluntur; corpora afficiuntur diuerſimodè; tauri miteſcunt; latrantes canes acquieſcunt; arbores humano more loquuntur: plantæ ſubito è terra erumpunt; mouentur ſtatuæ; deiiciuntur montes; colles attolluntur; aquæ ſubſaltant; ædificia ruunt; petræ, & ſaxa ſcinduntur; parietes locum dant; terra tremit, & quieſcit; ſidera ipſa videntur curſum abrumpere; nihilquè eſt tam diſtans, quod ſtatim non perſentiat imperantium poteſtatem: vt latè ſupra diſputatione præcedenti proſecuti ſumus.

2. Si verò depellendo verba faciunt, cum noxia, & moleſtia volunt abigere, quid non præſtant in omnibus? Videas ſubitò fugari potentiſſimos exercitus; ſolui obſidiones; incarceratos liberari; ſanari infirmos: recedere feras in antiqua latibula, mures, locuſtas, ſciniphes, cænomias, & alia inſecta infeſta agris expelli, nubes diſſipari, abigi tempeſtates, & ſimiles ceſſare publicas calamitates.

3. Si deprecando deuouent: ſiccantur flumina, agitatur mare, turbatur aer, excitãtur incendia, graſſantur morbi, inducuntur infirmitates, & mala immittuntur. Deuoti verò ſubitò paralyſi, apoplexia, epilepſia, conuulſionibus, aliiſquè morbis inſolitis corripiuntur; pueri ægrotant, puellę conficiuntur macie; vterum gerentes abortum faciunt; homines ſæuis doloribus cruciantur.

4. Si inuocando aliquid à ſuperis petere videntur, omnia ſtatim obtinent; fæcunditas terræ, ſerenitas aeri, mari tranquillitas redditur; fætę liberè pariunt; arentia vireſcunt; infirmi ſanantur; pluuiæ agros irrigant: calores deſiccant nimias humiditates; & bona omnia certatim videntur fluere in eos, quibus benè precantur.

5. Deniquè ſi prophetãdo aliquid effantur: præterita obſoleta, & è memoria hominum elapſa penitus reuocant; præſentia occulta reuelant: futura incognita prędicunt: abſconditos theſauros pãdunt, furta detegunt: proſperam, aut aduerſam furtunam augurantur; & hæc omnia faciunt determinatis quibuſdam verbis, certiſq. carminibus, quibus conſequenter maximam ineſſe virtutem diceres neceſſe eſt. Ideòquè nihil mirum, ſi malefici, quos volunt, inficiunt, dum vocem etiam obmurmurando emittunt; præſertim ſi verbis, & vocibus tanta efficacia præditis vehemens accedat deſiderium: ſicut ſe expertum eſſe fatetur Horatius dicens:

Quantum carminibus quæ verſant, atquè venenis
Humanos animos, has nullo perdere poſſunt
Nec prohibere modo.

§. III.

AT vndè tanta vis in paucis, & ſimplicibus verbis? Eſto ijs naturali virtute homines perturbentur, ipſaque animalia commoueantur, immutatis animis, & corporibus. Quod mirum non eſt: cum ipſa notionum, & rerum, quæ ſignificantur, intellectio, ſuauis verborum pronunciatio, vociſquè grata moderatio hoc præſtare poſſint. Ingeruntur enim per ſonos moderatos, voceſquè ſignificatiuas, conceptus, ſpecies, & ſigna rerum, quæ ab intellectu apprehenſa, varia repræſentant inducentia ad gaudium, triſtitiam, odium, & ſimiles paſſiones; ità vt vis illa non in ſimplici ſono, aut vocibus nudè prolatis ſita ſit; ſed in rebus, quæ per illa verba ſignificantur. 701

Prima naturalis eſt, & innoxia.

§. IV.

ATtamen quomodo ſeipſis ſolis præſtare poſſunt hæc, quæ ſupra commemorauimus à maleficis fieri? Nam quæ virtus eximia in his verbis continetur, cum ab ipſis pronunciantur, qua poſſint tot, & tanta patrare? 702

Secunda diabolica, & perniciosa.

1. An ineſt in materia vocis, ſeù in ſpiritu, qui ex thorace per aſperam arteriam in larynge effingitur? At vim aliam habere non poteſt, quàm cæteri corporis noſtri halitus, qui diſſipantur facillimè ſtatim atquè extra corpus emittuntur. Et ſi quid expiratio haberet virtutis, eandem ſub quacumquè artificiali forma retineret; ideò non referret, quibus verbis maleficus vteretur; Immò ne verbis quidem opus foret; ſola enim efflatio ſatis eſſet effectui producendo; quæ tantò magis eſſet efficax, quantò vberiùs effunderetur.

2. An reſidet in forma verborum ſignificatione, & ratione ſigni? At illa nihil iuuare poſſunt: cum nihil in vocibus ponant; ſintquè denominationes extrinſecæ ab inſtitutione hominum dependentes. Inſuper malefici vtuntur quibuſdam verbis, formuliſquè tam obſcuris, & barbaris, vt illa nec ipſi intelligere ualeant.

3. An in impreſſione aliqua ab anima facta in illis ſignis? At ſi aliqua imprimeretur uirtus in uerbis, ſtatim cum uerbis euaneſceret; nec poſſet hærere diù, & diù operari, cum ſigna magica diutiſſimè uim habeant.

4. An in audientibus vis diſpoſitiua aliqua dabitur? At verba illa ab ijs non intelliguntur, vel quia barbara: vel quia abſentes, aut diſtantes ſunt ab ijs, qui illa proferunt: vel quia intelligentia carent; & tamen longinqui æque, ac propinqui; abſentes æquè ac præſentes: animalia æquè, ac homines; immò inanimata veneficium ex verbis experiuntur: vt latè tradit Franciſcus Valleſius *de ſacra Philoſophia cap. 3.*

§. V.

QVarè ſequitur, totam illam vim non naturalem eſſe; ſed dæmoniacam atq. à dæmonibus procedere, qui verba illa tanquam pacta, ſigna, & conuẽta adinuenerunt, vt faciliùs malè credulos homines decipiant, deceptiſq. impoſturam faciant. Et per cõſequens illos omnes, qui conceptis ijs verbis vtuntur ad huiuſmodi producendos effectus; eaq. conſequenda, quę ipſi deſiderant, pactum habere cum illis tacitum, aut expreſſum. Et quamuis plu-

Ideò verba illa ſunt ſigna maleficiorũ.

Ii res

res tale pactum ignorantes ijs verbis vtantur; tamen hæc mira perficiunt; quoniam is, cui primò dæmon hæc verba dictauit, ea lege illa impetraſſe, exiſtimatur; vt quicumquè ijs vteretur, tacito Sacramento, & fædere cenſeretur obſtrictus. vt eruditè docet Leonardus Vairus *lib.* 2. *de Faſcino c.* 11. & Codroncus *lib.* 2. *de morbis veneficis*. Vndè eæ omnes verborum formulæ tanquam è dæmonis officina prodeuntes reijciendæ ſunt, quicquid primà fronte ſpecioſæ pietatis præſeferant, vt fusè explicabitur infra *tom.* 2. *diſp.* 1. cum de Curatione ſuperſtitioſa pertractabitur.

ARTICVLVS III.

Per vim Viſionis.

703 *An viſu maleficia perficiant.* DVo ſunt, de quibus inter opera humana meritò dubitari poteſt: Vtrum illorum vi maleficia perfici poſſint, Viſus nempè, & Tactus. Mira enim videndo (ea quæ tactum pertinent, ſequenti articulo diſcutienda relinquentes) tum ab hominibus: tum ab animalibus fieri, omnibus incomperto eſt.

§. I.

Mira, quæ per viſum fiunt. TRita ſunt, quæ vulgò circunferuntur: Baſiliſcum inter ſerpentes ſolo intuitu obuios quoſque interimere; & Teſtudinem viſu oua excludere: Gallum inter aues ſpirituoſo obtutu leoni terrorem incutere; de quibus Ananias *lib.* 4. *de natura dæm.* Nicand. *in Theriac.* Dioſcorid. *lib.* 6. Plin. *lib.* 8. & 28. *cap.* 4. Solin. *cap.* 30. & Mercurialis *lib.* 1. *de venenis cap.* 21. Galgalum aſpiciendo ſanare ictericum: ſcribunt Plinius lib. 40. cap. 11. Plutarchus *lib.* 5. *Sympoſiacon. cap.* 7. & Heliodorus *lib.* 3. *Hiſt.* 2. *Æthyop.* Inter animantia lupum homini priùs à ſe viſo adimere vocem, & ingerere raucedinem; vt teſtatur D. Ambroſius *lib.* 7 *in Luc. cap.* 10. Inter homines Tybios Ponti accolas in oculorum altero geminam gerentes pupillam tabe conficere illos, quos aſpiciunt. Inter mulieres, vetulas nocere pueris. Menſtruatas per aſpectum ſpecula maculare. Lippas nocere oculorum intuitu. Et inter vires, & mulieres, plures, quos faſcinatores vocant, ſola viſione, & aſpectu non modò hominibus; ſed & animantibus, arboribus, & ſegetibus ipſis damna inferre: omnium Hiſtoricorum, Poetarum, & Phyſicorum libri referunt: Ita Fauent. *aduerſus impios Athæos diſp.* 1. *cap.* 9. *num.* 153.

Ex quibus infertur, videri aliquos naturaliter maleficio afficere homines poſſe, quos malignè, aut malitioſè aſpexerint. Ex oculis etenim radij, quidam, & ſpiritus, ſeù effluuia emittuntur, qui veluti iacula quædam, & ſagittæ deferuntur ad corda eorum, quos aſpiciunt; nullaque interpoſita mora totum corpus inficiunt pernicioſis qualitatibus, quibus morbi, vel mors ipſa cauſantur. Tali virtute venefica præditos fuiſſe refert Plinius *lib.* 7. *cap.* 2. homines cuiuſdam familiæ apud Tybios, Ponticos, Tryballes, & Illyrios, fæminas Stychias, quæ vocantur Pythiæ, & quotquot duplices pupillas habent; præcipuè ſi vetulæ prouectioris, & ſeneſcentis ſunt ætatis.

§. II.

SEd in his omnibus alia virtute naturali: alia vi dæmoniaca fieri certum eſt; ideòquè hæc adinuicem ſolicitè ſecernenda ſunt; ne quod ex vna procedit, alteri tribuatur. Omiſſis namquè ijs, quæ de teſtudine, gallo, & lupo dicuntur, quæ ad hanc tractationem non pertinent; quia teſtudo oua reſpicit, non fouendi; ſed cuſtodiendi ſtudio: vt dicunt Naturales. Gallus Leonem terret non ex oculis, ſed ex naturali antipathia, vt docet Ananias *lib.* 4. *de natur. dæmon.* quam Lucretius explicuit his verſibus: 704 *Quid in eis inſit naturaliter.*

Nimirum quia ſunt gallorum in corpore quædam
Semina: quæ cum ſint oculis immiſſa Leonum,
Pupillas interfodiunt, acremquè dolorem
Præbent, vt nequeant contra durare feroces.

Simili antipathia videas buffone hiante, quaſi coactam miro cum eiulatu muſtelam ſe eius ori deuorandam inſerere. Cum verò Lupus hominem reſpicit, à micantibus eius oculis, & formidabili aſpectu timor obuio incutitur, timore ſanguis ad cor fugatur; ſanguine fugiente frigus membris inducitur, & frigus ſequitur totius corporis alteratio, vndè raucedo, & vocis impedimentum: vt teſtatur etiam Delrius *diſq. mag. lib.* 1. *c.* 3. *q.* 4. Ijs inquam omiſſis, dicendum eſt, maximam in oculis vim ſitam eſſe ad communicandas animi, & corporis ægritudines.

Quod Animã. Anima namquè, eiuſquè mores ità in eis conſpiciuntur, vt iuremeritò illam dixeris in pellucidis ijs corporis partibus ſedem fixiſſe. Si gaudet hilareſcunt: Si triſtatur, hebetantur: Si pauet, turbantur: Si moleſtia afficitur, effundunt lachrymas: Si dilatatur, ſubrident: Si arctatur, langueſcunt: Si iraſcitur, tumeſcunt: Si quieſcit, remittuntur: Si meditatur, hærent, & apertè nihil cernunt; ità vt varijs affectibus, qui in illa exurgunt, correſpondere videantur. Quarè prout benè, aut malè eſt affecta, per illos, quaſi per affines, & miniſtros non ſolùm ſeipſam exteriùs refert; ſed etiam in aliorum penetralia per ipſorum etiam oculos inſinuat, & miro modo in eis intimè operatur ſua bona, & mala communicandò.

§. III.

PRimum ſenſibiliter fuit in modo, quo in animis hominum vel generatur amor: vel triſtitia diſſipatur. Nam nemini dubium eſt, amoris initia, & incrementa ex viſu naſci; & interna incendia, qua ardent illi, qui liberiore oculo feruntur in obiecta incentiua libidinis, ex mutuo aſpectu excitari, & foueri. Si enim Richardo *diſtinct.* 1. *quæſt.* 12. *quodlib.* 3. credendum eſt, ſolo aſpectu, imagine mediante, paſſio primùm interiùs concitatur, ſeſequè oculis inſinuat, & qualitatem ad laſciuum amorem allicientem eis inſerit; ſuntquè viri, & mulieres, quibus illicium illud, ſeù qualitas attractiua ineſt in oculis per modum qualitatis perpetuæ, & immanentis. Alijs verò durante paſſione amoris duntaxat: ſeù quandiù illi ipſi concupiſcunt, & amant: vt patet in quibuſdam mulieribus, quæ etſi deformiores ſint; tamen oculum habent ita illecebroſum, vt aſpectu plures in ſuum amorem pelliciant, quàm aliæ, quæ longè pulchriores; non tamen illos ſic mouent: quia hac nociua efficacia cum paſſione tranſeunte prędite non ſunt. Hinc diffluere, colliqueſcere dicuntur amantes, cum in mutuo aſpectu ſiuè lumen, ſiuè fluxus, ſiuè quid aliud, quod illos cõficit, 705 *In Bonis*

cum

cum permixta dolori; vel, vt ipſi dicunt, dulci amara voluptate ex ipſorum oculis exit. Neque enim ex auditu, aut acceſſu ità afficiuntur, ac viſu reciproco, quo ſe penitùs ſauciari fatentur; cum paſſione amoris perciti acriùs oculorum aciem intendunt, & ignea lux illa ſplendidior redditur: atquè perſonæ amatæ decorem, & venuſtatem adauget. Non quòd ſolo aſpectui hic effectus præciſè tribuendus ſit; ſed interiori libidini, quæ per attentiorem aſpectum rei conuenientis, & pulchræ excitatur; cum viſus non ſit cauſa, ſed occaſio quædam alterationis; vt rectè diſcurrit Vairus *lib. 2. de Faſcino cap. 9.*

Sic inconfeſſo eſt, nihil tam exhilarare triſtem hominem, quàm oculum hilareſcentem, qui ſua alacritate, decore, & venuſtate, quaſi ſplendentibus radiorum ſpiculis denſas melancholiæ tenebras, quę illum occupant, paulatim diſſipat; & in eius animam alacrem lucem infundit, quæ per eius paſſiones ſemper inſinuata diffunditur, gratoquè progreſſu dilatatur: vt videre eſt in illis, qui gratia hac illecebroſa à natura donati, ſola aſpectus decentia, oculorumquè venuſtate cæteros ad hilaritatem prouocant; quod efficaciùs præſtant, ſi conuerſationis decor accedat. Et ſic ex ijs duobus vides animam in oculis ſedentem ſua cæteris bona communicare.

§. IV.

706 *In malis* SEcundum experimento comperitur, dum anima noxia quadam paſſione agitatur; tunc enim noxium pariter eſſe eius intuitum patet in inuidis, qui quotieſcumquè inuidia tabeſcentes liuidos oculos in aliquem defigunt, animi ſimul venenum vibrant, & quaſi iaculis virulentis viſum confodiunt, ac vulnerant. Cum enim aer nobis circumfuſus per oculos, nares, halitum, alioſquè meatus ad profunda penetret; & ex qualitatibus exteris eò ſecum inferat; qualiſquè influxerit, talem etiam nobis halitum ingerat, dum aliquis liuore percitus alium intuetur, circumſtantem aerem qualitate noxia replet, ac proprium ſpiritum acerbitatis plenum in eum ità contorquet. Spiritus autem, vt potè ſubtilis ad ſpiritum vſquè & medullas ipſas peruadit, varièquè iuxta cuiuſquè diſpoſitionem nocet. Quod in ſimilibus paſſionibus violentis locum habet, in quibus homo ſuas affectiones per oculos quodammodo in animas eiaculat: vt ſatis præclarè, ac luculenter explicat Heliodorus *Æthiopicæ hiſtor. lib. 1. ex Plutarcho lib. 5. Sympoſiacon cap. 7.*

§. V.

707 *Quoad corpus.* PAri modo corporis ægritudines per oculos communicantur. Solo namquè intuitu lippitudinem, à Græcis ophthalmiam dictam, contrahi experientia docet. Cum enim hunc morbum patientes aliquem aſpiciunt, eum lædere ſolent, quæ læſio maximè contingit, quando aſprctus eſt mutuus. Idemquè dici poteſt de ijs, qui peſte, veneno, putridis humoribus, corrupta complexione, aut aliquo vitio interiori laborant. Nam nemo negat, huiuſmodi humoribus venenatas, & noxias inhærere qualitates, quæ ſpiritibus vitalibus communicantur; eoſquè plus, minuſuè iuxta maiorem, aut minorem intenſionem inficiunt. Hi verò ſpiritus, dum attentiùs aliquid animus meditatur: aut acriori applicatione imaginatio intenditur, vehementius incitantur, & excitati viam quærunt, eamquè quærentes perueniunt ad oculos, ex quibus, dum ſimul cum viſione erumpunt, per aerem proximum effluunt, ſuum virus effundunt, & viciniores partes inficiunt; quæ deindè remotioribus contagioſam luem communicant, donec perueniat ad eum, qui inficiendus eſt; in cuius oculos tanquam in partes teneriores ſe ſpiritus ille noxius inſinuat, & deindè in partes penetrat interiores. Vndè ſi mutuus ſit lædentis, & læſi aſpectus, grauior noxa corporibus infertur: quia ex oculis directis ad oculos infixos ſecundùm rectam lineam infectio illa deriuatur. Ideòquè efficaciùs agit in aliud corpus, quod citiùs eius venenatam percipit vim, ſi ei vicinius eſſe contingat. Immutatio namquè illa citiùs fit in corpore propinquo, quàm in longè diſtanti; quia ſpiritus iſti, qui ſunt aliquantulum graues, vt potè humiditate aquea pleni virtute naturali expelluntur; & ideò non poſſunt in longum tendere, niſi magna vi potentiæ expulſiuæ propellantur, quæ nec in oculo ineſt; nec, ſi ineſſet, ſufficeret: quia vis illa noxia reſiſtentia medij faciliimè commutatur.

§. VI.

QVod locum habet, ſi propinquum corpus ad recipiendam corruptionem illam ſit diſpoſitum. Nam ſi talis diſpoſitio in illo non reperiatur, ij ſpiritus nullum nocumentum inferre queunt. Cum enim ſint ſubſtantiæ calidæ, & humidæ, & corpora quædam ſubtilia; in certos vapores reſoluuntur, qui ſi ferantur in corpus ſolidum, frigiditate ſuperficiei corporis ſolidi, & circumſtantis aeris condenſantur; atquè viſibiles effecti ſubtilia corpora apparent: vt contingit in ſpeculo, quod menſtruata intuetur. Si verò deferantur in corpus tenerum, ei faciliimè adhærent: vt videtur in infantulis, qui ob naturalis habitus teneritudinem citiùs ab his ſpiritibus noxijs ex oculis infectorum hominum prorumpentibus in diſcrimen vitæ incidunt. Aut in adultis, qui dum ab oculis infirmis aſpiciuntur, ſe lædi putant, aut timent. Imaginatio enim, & timor, quibus corripiuntur, non ſolùm eos diſponunt ad noxias illas qualitates recipiendas; ſed etiam morbos contagioſos excitant, qui poſteà oculis lædentibus tribuuntur. Hanc veritatem ſuſtinent Alexan. Aphrodiſæus *in Problemat.* & Ariſtoteles *Problemat. 20. ſect.* (niſi dicas, hunc ex vulgi ſententia locutum) apertè eſt D. Thomæ *1. part. quæſtione 117. artic. 3. ad 5. 2. & 3. contra gentes cap. 103.* qnem Ferrar. ibi & Ægidius Columna *contra errores Philoſophorum*, & alij ſequuntur. Et probant non malè exemplis Richardus *d. quæſt. 13.* & Abulenſis *parad. 4. q. 16.* & alijs locis. 708

§. VII.

EX quibus colligitur, immutationes illas, quæ ſiuè in anima, ſiuè in corpore ab intuentibus fiunt, non fieri ipſa, quà viſio eſt; ſed à ſpiritibus, & vaporibus noxijs, & putridis, qui concomitanter cum viſione ex oculis exeunt, ex quorum globis ſubtiliores, ſed pauci progrediuntur: Cæteri plures ex concauitatibus orbium, ſeù angulis, vndè lacrymæ, lippitudo, & alij praui humores inter palpebras, & tunicam candidam ſtillant, qui omnes ſpiritus non pertinent ad potentiam viſiuam; ſed ad tactiuam, quæ per applicationem, & contactum 709

operatur. Et illi per calorem, vel humorem nocent; ſæpiuſquè alios habent coniunctos ex ore, & naribus ſimul cum expiratione prodeuntes, qui à corde longè plus, & citiùs emittuntur; & cum ſint calidiores, & inflammatiores, efficaciori contagio illos afflant, ad quos perueniunt: vt patet in ijs, qui graui morbo phtiſi, lepra, aut peſte laborant, qui non viſu, ſed halitu, aut contactu accedentes inficere conſueuerunt. Et ideò conſtat ſimilem infectionem viſionem non eſſe; ſed vaporũ prauorum extramiſſionẽ, quæ ex ſordidis, & malè affectis corporibus, tanquam ex palude quadam limoſa exhalare ſolent. Et dum ad oculos ſanos deferuntur, ipſos inficiunt; nequè maleficium dicendum eſſe; ſed contagionem: quæ à pluribus faſcinatio phyſica, & philoſophica nominatur; ſed tranſlatitiè per quandam analogiam latè ſumpto vocabulo. Nam propriè à Franciſco Valleſio ſic definitur: *Faſcinatio dicitur paſſio oculis illata, & concepta, profecta ex quadam animi affectatione maligna eius, qui intuetur*. Impropriè verò: *Omne contagium ore, halitu, naribus, affricatione membrorum illatum*. Quo ſenſu non Doctores ſolùm, ſed etiam Patres faſcinationis nomen vſurparunt.

§. VIII.

710 *Quid diabolicè inſit, quoquomodo viſio fiat.*

HOc à natura oculis ineſt. At maiores eius vires adduntur à Dæmone, cum malefici ſolo intuitu mala inferunt, quibus homines tabes conficiuntur: pueri marceſcunt: emoriuntur equi; pecudes lacte deſtituuntur: langueſcunt ſegetes; & ipſa inſenſibilia immutantur.

Hic etenim noſtri generis hoſtis illorum oculis quaſi inſtrumento vtitur ad lædendum, ſicut teſtatur S. Baſilius *hom. de Inuidia*. Nam ex pacto inito inter ipſum, & maleficum, quoties maleficus aliquem veneno inficere vult; eoquè animo illum aſpicit, toties dæmon ſtatim virus eiaculatur, humores commouet, & ſoluit continuum, vt ad eius nutum varias ægritudines inferat. Et certè hæc omnia naturæ operantis virtute fieri poſſe, quis credat qualemcumque opinionem velit amplecti ex his duabus, quæ circa modum videndi inter Philoſophos ventilantur?

§. IV.

Siuè per radiorũ emiſſionẽ

NAm ſi placitum ſequatur Platonicorum, qui Platoni in Thimæo adhærentes, aſſerunt viſionem fieri per radiorum immiſſionem, & hominem cernere aliquid emittendo: vt ſequi cogitur, qui veneficos ſola vi viſionis maleficia perficere aſſeuerat.

1. Quomodo illa omnia concedi poterunt; cum Theologorum, & Peripateticorum verior longè, & ſecurior ſententia obſtet, qui probant viſionem fieri per introſuſceptionem ſpeciei obiectum repræſentantis; & fictitiam eſſe illam radiorum emiſſionem oſtendunt? Ex quo infertur, poteſtatem videndi potentiam eſſe paſſiuam, non actiuam, quæ alterari, non alterare queat; & mira illa extra producere, quæ iſti homines lincei ipſi tribuunt.

2. Quomodo ſpiritus illi, & radij ex oculis exeuntes continua eorum effuſione non exhauriuntur, & necem hominibus afferunt? Cum enim exteriùs continuè prorumpant, eorum corpora languida, & imbecilla reddi, & tandem interire neceſſe eſt; quod tamen non euenit, cum ex magna, & longa inſpectione oculus quidem, ac vis viſiua debilitetur, & corpus nullam virium imminutionem patiatur. Vel ſi immoto corpore exhauriuntur: quæ eſt illa vis, quæ nouam materiam ſemper ſuppeditat?

3. Quomodo egredientes ex oculis ad corpora veneno afficienda perueniunt; atquè ad determinatum hominem? An motu naturali? Sed quis eos ad rẽ viſam comitatur? Quis impedit, ne flantibus ventis ab eorum impetu diſſipentur: aut abſumantur ab excellenti calido, vel frigido? An morali? Ergo virtuti corporum obediunt, vt certum, & determinatum potius hominem, quàm quemlibet ſine diſcrimine obuium lædant; & ipſi conſequenter rationis participes ſunt, corporis virtuti parendo; dum ſingularem illum, & non alium petunt.

4. Quomodo tam exiles ſpiritus nulla interpoſita mora quoſcumq. volunt, faſcinant, & interimunt, ſi naturaliter agunt: cum natura non niſi multo tempore, multiſquè diſpoſitionibus præuijs ſuos operetur effectus?

5. Deniquè quomodo vnus humor vno intuitu tàm diuerſæ ſpeciei res, ſegetes, plantas, animalia, homines naturaliter interimere poteſt: cum in naturalibus rerum actionibus illa, quæ hominibus nocent, arboribus, & ſegetibus non afficere, conſpicuum ſit?

Quarè non radioſis maleficorum oculis; ſed dæmonum operationi veneficia attribuenda ſunt. Solent enim nefarij iſti homines paciſci cum eo; vt quos liuidè; vel iracundè aſpexerint, ijs ſtatim perniciem inferat.

§. X.

QVod etiam ſuadet altera opinio, qua aſſeritur, viſionem fieri per ſpecierum introſuſceptionem. Hac enim poſita, vndènam maleficium videndo, & aſpiciendo ſolùm naturaliter perficiet? 711 *Siuè per ſpecierũ introſuſceptioni*

1. Num ex hominis ipſius, vel natura? Sed eo modo in cunctis hominibus eundem effectum pareret; cunctiquè eſſent faſcinatores; quod non datur. Vel ab aſtro prædominante in eius ortu? Sed omnes illa eadem hora nati faſcinatores eſſent, quod eſt abſurdum. Vel à temperiei, & ſubſtantiæ diſſimilitudine? Sed inter res eiuſdem ſpeciei tanta ſubſtantiæ pugna, ac diſſimilitudo eſſe nequit. Non enim Baſiliſcus Baſiliſco, Vipera Viperæ; ſed homo homini, & animalibus nocet, cum quibus nulla interuenit vehemens naturæ antipathia: nec differentia ſpecifica, quam differentia temperamenti ſequatur.

2. Num ex oculo? At duas ſolùm actiones ſortitus eſt. Alteram motricem, quæ illi cum multis alijs communis eſt. Alteram viſoriam, quæ illi particularis eſt ad rerum differentias oſtendendas. Vndè ergo habet illam vim venenandi, & interimendi, quaſi ad alias res abolendas, & exterminandas ſit procreatus?

3. Num ex obiecto? At ſi aliquid incommodi, vel læſionis ex parte illa oriretur, nulli inferretur, niſi oculis ipſis: vt fit, quando excellens obiectum (ver.gr. ſolis radius) illis offertur, quod ſenſum corrumpit.

4. Num ex actione videndi? At hæc eſt immanens, qua finita nihil in obiecto ſupereſt: vt potè cui nihil acceſſit: vel in illud tranſiuit.

5. Num ex ſpecie? At res non eſt, ſed rei veſtigium, & ſimulacrum, quod omnis actionis eſt expers; & tantummodò viſum ad videndum excitat. Quæ etenim qualitas viſibili ſpeciei ineſſe poſſet actiua, aut paſſiua, quæ ad modum quatuor naturalium

ralium qualitatum alterationem pariat: cum nec calida, nec frigida: nec ſicca, nec humida ſit formaliter, aut effectiuè. Sed nec virtualiter id efficere tantùm poterit, vt res, cuius eſt ſpecies; videatur non extra videntem; ſed in eius oculo. Ergo ex dæmonum actione, & prauitate maleficorum, qui ex inito cum illis pacto viſu mala inferre nouerunt. Quam veritatem apertè docuit Ariſtoteles 1. *de generat. &* 1. *de Anima*, quem ſequuntur Themiſtius, Alexander, & omnes recentiores. Nec non quidam egregij Medici Iulius Schaliger *de ſubtilit. exercit.* 349. Fraciſcus Valleſius *Sacræ philoſophiæ cap.* 68. Codroncus *lib.* 2. *de morb. veneſ. c.* 2. Bochelius *lib. de Philtris c.* 1. Ac Patres, ac Theologi, D. Hieronimus, D. Chiſoſtomus, S. Anſelmus, ac Theophilactus *in illa verba D. Pauli ad Galatas cap.* 3. *Quis vos faſcinauit, non obedire veritati.* D. Thom. 1. *par. quæſt.* 117. *art.* 3. Richardus *quod lib.* 3. *quæſt.* 12. Abulenſis *in Geneſim cap.* 21. *à q.* 11. *vſque ad* 19. Haliacenſis Cardinalis *in Perſpectiua*, Ciruelus *par.* 3. *de Superſtitione c.* 5. Vairus de Faſcino *toto fermè libro* 2. *&* 3 Delrius *lib.* 2. *Diſquiſ. magic. par.* 1. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. Laurentius Ananias. *lib.* 4. *de natura dæmonum*, & Andreas Laurentius *lib* 11. *hiſt. Anatomicæ quæſt.* 1.

§. XI.

712 EX quibus colligitur, duplicem faſcinationem diſtinguendam eſſe: Alteram phyſicam, *quæ nihil aliud eſt*, quàm *virulentum contagium oculis, ore halitu, naribuſquè effuſum aerem inficiens, & afficiens accendentes variè pro varia cuiuſquè diſpoſitione*. Alteram diabolicam, *quæ eſt pernicioſa qualitas arte dæmonum illata, ob tacitum, vel expreſſum hominis cum eis pactum*. Ad primam referenda eſſe illa, quæ de Baſiliſco, ſeu Regulo, de menſtruatis, vetulis, lippis, Tybijs, alijſquè qui truces oculos habent, circunferuntur. Ad ſecundam illa, quæ de incantationibus ſegetum, plantarum, animalium, & hominum à maleficis factis enarrantur. Atquè ideò omnes illos obtutus faſcinatorios, maleficoſquè aſpectus non eſſe cauſas naturales; ſed ſigna tantùm maleficiorum: quod notæ in oculis faſcinantium huiuſmodi deprehenſæ ſatis oſtendunt, in quibus ambobus: vel in eorum altero effigies auis, equi, buffonis, pedis leporis cernitur; qua tanquam ſtygmate ſathanas ſua mācipia inſignire conſueuit.

ARTICVLVS IV.

Per vim Tactus.

§. I.

713 QVi maleficia per contactum naturaliter perfici poſſe aſſerunt, experimentis multis id probare conantur: torpedinis ſariſſa ictæ manum, lacertoſquè piſcatoris ſtupore afficientis: hyenæ vmbræ contactu canes obmuteſcere facientis: Magnetis ferrum trahentis: fidium agninarum lupinis iunctarum diſſilire cogentium: pennarum aquilæ alias pennas abſumentium; aliorumquè, quorum *capite primo diſput.* 1. *n.* 22. meminimus. Ex quibus inferunt, nihil prohibere, quin alicuius hominis contactus ſit noxius: & per illum morbos inferat, abortus faciat, ſimiliaquè naturaliter operetur.

Probatur, maleficia tactu naturaliter inferri poſſe.

At receptis ijs omnibus experimentis, vt veritati conſonis (etſi de quibuſdam meritò dubitetur) dicimus, illa omnia procedere ex vi maxima effuſionis occultarum qualitatum, & latentis in rebus naturalibus conſenſus, & diſſenſus, quem ſympathiam, & antipathiam dicunt: de quibus latè diſcurrit Hieronymus Fracaſtorius *lib. de Sympathia, & antipathia à cap.* 5. *vſquè ad* 11. Nec valere conſequentiam, ſi à brutis ad hominem argumenteris. Nam homo homini ſpecie ſimilis eſt, nec naturalis antipathia in eadem ſpecie locum habet; ſed in vna reſpectu alterius differentis. Inſuper hæc venefica proprietas non toti hominum ſpeciei conuenit; Non enim omnes malefici ſunt; ſed quibuſdam ſingularibus: cum hæ naturales proprietates in tota cuiuslibet rei ſpecie; & in indiuiduis ſolùm reperiantur. Omnes namquè torpedines ſtuporem cauſant, cum feriuntur, & ſic de cæteris. Ideòquè has ſimilitudines nihil prorſus roboris habere ad probandum, ſolo contactu maleficia naturaliter inferri poſſe.

Reÿcitur hæc opinio.

§. II.

ET certè obſtat ratio ſiuè attendas maleficos tangentes: ſiuè tactum ipſum: ſiuè actionem contactus: ſiuè tangendum, & maleficiandum: ſiuè mala immittenda. 714

Stabilitur opinio contraria.

Maleficus enim ſi propria facultate alijs mala poſſet inferre neceſſe eſſet, vt ipſe priùs tali morbo laboraret. Nam certum eſt (vt benè probat Vairus *lib.* 2. *de Faſcino cap.* 10.) aliter morbos per contactum contrahi non poſſe, vt experientia demonſtrat, iuxta quam videmus corpora ſana numquam alijs infirmitates immittere; ſed illa ſolùm, quæ peſte, veneno; contagioſis febribus, & huiuſmodi infirmitatibus detinentur: vt rite teſtatur Fracaſtorius *libro de Contagione à cap.* 3. *vſquè ad finem*, & communiter Medici, *vbi de contagioſis morbis*. Vndè peſtis tempore noxam aliorum conuerſationem, & decumbentium acceſſum fugere ſolemus. At iſtud hominum genus, cum ſanum ſit; tamen medio contactu alijs voneficia infert. Ideòquè talis infectionis cauſa ad alium, quàm ad hominem referenda eſt.

Tactus verò quomodo tam noxia qualitate veneficandi prædictus eſt, qui homini à natura datus eſt, non ad perniciem; ſed ad ſalutem animalis. An qui in ſeipſo ſalutaris eſt, cæteris noxius? Sed quam virtutem aliam naturaliter habet, quàm tangendi? Si enim noxia illa inficitur, cur priùs non necat ipſum hominem, cui ineſt? Illa namquè, quæ ſuo contactu cætera qualitate praua afficiunt, illam in ſeipſis habere debent: vt videmus in ijs, quæ marceſcere conſueuerunt cum fructus fructui adhæret. Sic etenim aliena caliditas, & humiditas, quæ ſunt euaporationis principia commiſcentur, & pomum putridum contactu putredinem, qua marceſcit, adhærenti pomo communicat.

§. III.

ACtio inſuper contactus diuturna eſſe debet, vt per illum poſſit contagium contrahi; Nequè enim ſanus ex contactu languentis infirmi protinùs inficitur; ſed opus eſt, vt corpora diù adhæreant, & medio impuro calore, & ſudore tabifico, qui mali vehicula ſunt; coniungantur. Nam ſic prauæ diſpoſitiones paulatim in alienum corpus introducuntur, & pedetentim contagioſæ qualitates communi-

municantur. At in maleficis contactibus aliter ſe res habet, in quibus ex leuiſſimo contactu etiam ſolius veſtis exitiales, ſæuiſſimiquè morbi ab alijs contrahuntur, aliquando ſtatim ac nulla interpoſita mora, ac ſi fierent per præſentaneum venenum: aliquando tardiùs, & ad tempus à malefico volitum, & præfixum, quæ omnia arguunt aliam cauſam à naturali contactu.

Præterea exitiales effectus patiuntur quotquot ab ipſis maleuolo tanguntur animo, & non alij. Si ergo tactus naturaliter exitioſus eſt, cur non æqualiter agit in eos omnes, qui tanguntur? Et quare ijs duntaxat noxius eſt, quos maleficus perdere deſiderat? An non certiſſimum eſt argumentum, exitium non ex propria tactus natura ſed aliundè procedere? Etenim ſi hoc illi naturaliter inditum eſſet, quotquot tanguntur, læderentur, ipſo etiam nolente malefico.

§. IV.

715 Deniquè ſi mala illata conſideres, alia cauſa à malefici tactu quærenda eſt. Nequè enim omnia per infectionem communicantur; ſed varia diuerſimodè, prout corpus à corpore differt; natura à natura, & nutrimentum à nutrimento. Aliud enim arboribus nocet, quod non obeſt animalibus. Aliud animalia infeſtat, quod hominibus parcit. Aliud homines ferit, quod mulieres non tangit. Aliud mulieres vexat, quod pueris innocuum eſt: vt teſtantur Lucanus Poeta, latè Fracaſtorius loco citato *cap.8. de Analogia contagionum*, & apertè experientia. At per maleficorum contactum omnia mala aduehuntur in ſegetes, arbores, animalia, homines, mulieres, pueros, & puellas.

Quare concludendum eſt, mala illa ab alio, quàm malefico generaliter in omnes effundi, nempè à dæmone, qui iuxta pacta, & conuentiones initas ad qualemcumquè malefici tactum illos adoritur; & ad eius voluntatem interiùs, vel exteriùs torquet. Quod arguunt obſeruationes, & ritus, quibus vtuntur, dum maleficiandos tangunt, nempè, inuocato dæmone: vel myſticis quibuſdã vocibus pronunciatis: ſeù ſubmurmurando prolatis: aut ſæpiùs adhibita virga incantata, qua vti ſolent, cum periculum eſt, nè in facinore deprehendantur, ſi ſua manu illud patrarent: vt pluribus exemplis probat Remigius *lib. 2. cap.8. Demonol.* Quòd videas rationi iunctam eſſe experientiam. Quarè omnes illi contactus non cauſæ; ſed ſigna ſunt maleficiorum, quę ad eorum exhibitionem per maleficum factam à dęmone perficiuntur.

SECTIO III.

Mortuis.

716 *Mortuorum cadaueribus vtũtur.* Etiam mortuos in viuentes ſæuire malefici volunt, dum ex ipſorum ſpolijs plurima mutuantur, quibus maleficia inferunt, vt ſuperius varijs exemplis comprobatum eſt. Quamuis enim ad curandos corporis morbos peritiſſimo euentu à Medicis, & Pharmacopolis multa adhibeantur, quę ex humano corpore, eiuſquè humoribus, & eiectionibus deſumuntur; & ita humanus ſanguis, mumia, & alia huiuſmodi in pharmacorum compoſitionibus miſceantur; tamen, cum hæc omnia fiant per applicationem virtutis naturalis, & ad finem curationis infirmorum à nemine condemnantur, ſed legitimè exercentur. *Medici ad beneficium.* At malefici, dum ijs rebus vtuntur, non eo fine procedunt; nec eo modo operantur; cum non curent, quænam ſit vnicuiquè à natura indita virtus; ſed quærant tantùm præcipienti dæmoni ſatisfacere, qui illa frequentiùs in maleficijs adhiberi iubet, vt quodammodo viuentes, & mortuos ſimul iiſdem criminibus inuoluat; conſcioſquè faciat omnium ſcelerum, quæ in hominum, & creaturarum exitium perpetrare conſueuit. *Venefici ad maleficium.* Quarè hæ omnes corporis humanæ applicationes tanquã diabolicæ meritò reijciuntur: vt magis patebit, ſi tribus articulis conſideremus: Quomodo Venefici per cadauerum partes Solidas, Eiectitias, & Additiias malefici operentur. *Adhibendo partes Solidas: Eiectitias: Additias.*

ARTICVLVS I.

Per partes ſolidas.

Partes corporis ſolidæ ſunt membra eius ex prima humorum conditione procreata, quorum alia ſunt ſimplicia: alia compoſita. Simplicia ſunt ea, quæ conſtant ex ſimilibus, & partes habent homogeneas, ſeù quorum quælibet particula eſt eiuſdem rationis, & naturæ cum toto. Compoſita ſunt ea, quæ ex diſſimilibus conflantur, & partes habent heterogeneas, ſeù naturæ diuerſæ. Prima ſunt oſſa, cartilagines, nerui, venæ, medulla, caro, ſanguis, pinguedo, cutis. Secunda, caput, brachia, manus, pedes, humeri, ſpina, pectus, & cætera membra officiaria, quæ variè ab Anatomicis diuiduntur. 717 *Quæ sũt partes ſolidę.*

§. I.

Hæc autem omnia à maleficis adhibẽtur in ſuis prauis operationibus: Vel vt cauſæ naturales: Vel vt morales, ſeù ſigna diabolicæ conuentionis. *Quomodo adhibeantur.*

Vt cauſæ naturales rariſſimè. Quantus enim quiſquè eorum eſt, qui omnium illarum partium aut ſalutares: aut noxias proprietates nouerit: cum iſta hominum fex ex ignoranti populorum turba vt plurimùm adunetur; paucique inter eos ſcientia phyſica polleant, ad vires cuiuſquè corporis membri dignoſcendas, & ritè applicandas; atquè ij non phyſicis, & medicis operationibus vacent; ſed magicis exercitationibus occupentur, quæ circa illas cadauerum exhumationes, diſſectiones, elixationes, & applicationes horrenda praxi verſantur? *1. Vt cauſæ naturales.* Fateor ex ijs aduſtis, lixatis, varièquè decoctis huiuſmodi homines eligere ſuos pulueres, & vnguenta? atquè vtraquè facultate aliqua naturali, noxia, aut ſalutifera prædita eſſe. At illa non extrahuntur à qualibet parte ſingulari, vt ſingillatim iuxta cuiuſquè virtutem confecta, poſteà debitè alicui particulati morbo ſanando: aut inferendo applicentur; ſed cõfusè ex omnibus inſimul aſſis, aut lixatis educuntur, & omnibus malis inferendis: aut ſanandis indifferenter applicãtur.. Et quãuis fortuitò quibuſdam adhibeantur, nihil tamen noxij in eis operãtur, niſi in ijs, quibus maleficus nocere deſiderat. Quæ infallibiliter arguunt in talibus rerum applicationibus, per quæ maleficia cauſantur, aliam adeſſe virtutem, quàm naturalem, dæmoniacam, nempè, per quam ad illarum rerum, tanquam ſignorum ex conuentione inſtitutorum applicationem, à diabolo perficiuntur.

Et

§. II.

718 Et quidem vt ſigna conuentionis apponi in ordinarijs operationibus probant euidenter exẽpla ſupra relata *diſput. 3.* Necromanticorum, qui ex hominis caluaria rerum occultarum, aut futurorum contingentium notitiam aucupantur; & eorum, qui, vt impunè poſſint dormientibus venenatas potiones infundere, alienas domos penetrare, & diripere ſupellectilem, ſpinam dorſi humani ſuſpendunt: vel manus, aut pedis articulos certo priùs vnguento delibutos accendunt: aut ſcopas pinguedine humana illiniunt, vt illicò ij inſidentes ſublimè efferantur; & in loca diſſita deportentur. Quis enim vnquam nè per ſomnium putauit, vim aliquam ineſſe caluariæ ad occulta patefacienda: aut futura prædicenda? Quaſi verò os nudum, frigidum, ſiccum ſenſu, intelligentia, & prophetica cognitione donatum ſit. Senſu, vt verba interrogantis audiat: Intelligentia, vt illa comprehendat: Prophetia, vt illis per oracula ſatisfaciat. Quis credat vnquam, ſuſpenſam ſpinam, aut digitos ardentes alicuius patibulati tam profundum poſſe domeſticis omnibus inferre ſoporem, vt nulla arte, neque vllis vellicationibus excitari valeant, quandiù feralis illa fax ardet, qua extincta dormientes vltrò excitentur? Nonnè flamma illa ſulphurea, & violacea, qua lucent, dum perficitur, & abſoluitur latrocinium, digitiquè illi tàm integri, & illibati reſtantes, quàm ſi lumini fomitẽ nullum antè præbuiſſent; deniquè opus illud cum eadem digitorum informitate toties repetitum, quoties neceſſe eſt, oſtendunt in ijs non naturam; ſed dæmonem operari? Quis tandem inducere poterit in animum, humanam pinguedinem, & vnguentum ex cadaueribus extractum, atquè ſcopis applicatum virtutem illis communicare, hominem ſublimè efferendi, ſuſtinendi tantum pondus; in locum determinatum tranſportandi? Quomodo enim virtute naturali res grauis inſenſibilis, & irrationalis poterit peragere, quæ ſcopæ iſtæ perficiunt, dum ſeipſa, & hominem efferunt in altum, nec ſtatim cadunt; ſed per aera volitant; nequè fortuitò feruntur; ſed in illum determinatum locum, ad quem magi, & cæteri malefici conuenerunt; quaſi non res grauis, ſed leuis ad modum ignis: non deorſum cadens, ſed vi innata more auis ſe efferens: non caſu delata, ſed conſilio, & deliberata voluntate, tamquam Angelus quo vult, pergat, & opportunè proficiſcatur; ſicquè virtutem exiſtentium, ſentientium, & intelligentium rerum tam potens vnguentum inſimul conſequatur? Quare ſequitur, illa omnia non cauſas eſſe naturales maleficiorum; ſed ſigna conuentionis à maleficis adhibita, vt ad illorum poſitionem iuxta fœdera diabolus operetur: vt latè probat Delrius *diſquiſ. magicar. lib. 3. par. 1.* ſparſim Grillandus *tr. de ſortilegijs* pluribus locis, Remigius, Guaccius, Auctores mallei, & alij.

2. Vt ſigna maleficij.

✠✠✠✠
✠✠
✠

ARTICVLVS II.

Per partes Eiectitias.

§. I.

Sicut ad compoſitionem corporis humani quatuor elementa concurrunt; ità ad eius vegetationem quatuor conſimiles humores conuenire, certum eſt, videlicet, ſanguinem, choleram, phlegma, & melancholiam (vt communis Medicorum ſchola profitetur) ex quibus ſanguis eſt calidus, & humidus; cholera calida, & ſicca: Melancholia frigida, & ſicca: phlegma frigidũ, & humidũ. Primus aeri: ſecũdus igni: tertius terræ: quartus aquæ aſſimilantur. Et quia vnus ex illis, qui magis abundat, cæteris dominatur; cæteriquè inter ſe contrarijs qualitatibus pugnant, quæ vario ſuperueniente cibo augentur, fit, vt multi humores in corpore generentur, quos velut nimis abundantes: vel vt noxios natura eijcere ſatagit per ſeptem vel nouem meatus, quos ſagaci prouidentia varijs in locis aperuit, vt vbi particulariter ad indiuidui conſeruationem operatur, ibi portæ pateant fæcibus eijciendis. Quas partes latè vocabulo ſumpto nominamus, & corporibus mortuis attribuimus; quamuis à viuentibus ſolùm ſecernantur, quia ab illis ſeparatæ tanquam partes mortuæ reputantur (Parcat Lector, ſi hæc, quæ honeſtæ, & pudicæ aures vix tolerant, effari tentamus.) Ad hoc enim artibus diabolicis, maleficiſquè ſceleribus deſcribendis iuxta ſuſcepti operis intentum cogimur; & vt Hilarij verbis vtar: *In vitium vitio vertimur alieno.* 719

Quæ ſint partes eiectitiæ corporis.

§. II.

Dicamus ergo (cum bona venia) corpus humanum ad inſtar antiquę Iudeorũ Piſcinę quinque porticibus eſſe inſtructum ad ſuperfluas aquas, ſlimumquè in fundo generatum euacuandum; & maleficos ad omnes ſtare; atquè expectare naturæ operantis motum, vt eiecta colligant: & collectis non ad aliorum ſalutem procurandam; ſed ad inferendos morbos vtantur. Nam cum ſuos pulueres, & vnguenta componunt, & potiones ſuas conficiunt, ſanguinem, muſcum, ſputa, ſemen, vrinam, menſtruum, & aurium, podiciſquè eiectiones illis immiſcere ſolent. Et hæc omnia alijs rebus permixta, certiſquè verbis condita, in cibum, & potum præbere ijs, quibus maleficium inferre volunt; præcipuè cum aliquem ad amorem prouocare deſiderant. Conſtat enim ex multorum confeſſionibus, has immunditias miſceri poculis amatorijs: vt refert Delrius *lib. 3. par. 1. ſect. 3. diſquiſ. magic.* & confirmat Sprengerus *par. 1. quæſt. 7. Mallei malef.* qui refert, vetulam, quandam tres ſucceſſiuè Abbates in quodam Monaſterio non ſolùm maleficiaſſe; ſed etiam interemiſſe; & ſimiliter quartum dementaſſe. Quod ipſa publica voce fatebatur, nec verebatur dicere: *feci, & facio; nec poterunt à meo deſiſtere amore: quia tantum de meis ſtercoribus comederunt*, quantitatem per extenſum brachij demonſtrando. Ex quo colligere licet, ex vngue Leonem iudicando, quid de cæteris mixturis ſentiendum ſit. 720

Quomodo in maleficijs. 1. Adhibeantur.

In

§. III.

2. *Componantur.* IN quibus dæmon talem ſe gerit, qualis à Spiritu Sancto in ſcripturis vocitatur, nempè, *vt ſpiritus immundus, & Behemot*, ideſt, plures beſtiæ. Nam hæc meritò nomina illi conueniunt, non ſolùm quia in genio, & moribus impurum eſt, vt eius actus, ſtudiaquè teſtantur; ſed etiam quia ſordibus, & exteriore immunditia delectatur. Si enim corpus humanum inhabitat, in illis partibus receptum frequentiùs habet, quæ vti in naui ſentina ſordes, & excrementa recipiunt: vt aliàs faciebat in Pythoniſſis, & ventriloquis. Si ex aere, concretiſquè vaporibus corpus aliud ſibi format, ſuam præſentiam in eo ſemper inſigni aliquo fętore indicat. Si ſuis munera, aut epulas præbet, illa ſolent eſſe è fimo, & ſtercore: iſtæ è morticinijs pecudum. Si maleficos in ſuum miniſterium vocat, mulieres ſquallidas fortunarum tenuitate viles vt plurimùm, & ætatis ſordibus obſoletas eligit, quas prætereà ad ſordes, & immunditiam edoctas habet, & ad porticus corporis naturales adſtare imperat, vt ex eis immunda quæquè colligēdo, ſuis pulueribus, vnguentis, & potionibus immiſceant.

§. IV.

3. *Agant* QVænam autem in his rebus vis naturalis reperire datur, quàm noxia, malefica, & efficax ad valetudinem debilitandam, morbos inferendos, & deijciendos de ſtatu mentis: aut de vita tollendos eos, qui illas in cibo, aut potu ſumunt; cum eorum ingredientia ſint admodum periculoſa, vt ſatis conſtat abſquè ſingulari cuiuſquè demonſtratione? Et quomodo ſemen, menſtruum, & ſtercora amorem excitare, & inſolitos effectus producere valent, qui à maleficis ipſis tribuuntur, niſi diabolus intercederet, & ad huiuſmodi ſigna ardentis libidinis faces accenderet; aliaquè extraordinaria operaretur? Quæ ampliùs probare non decet; cum ijs mouendis ſpurcitijs vacare non liceat, niſi maleficis, & ſcarabæis.

ARTICVLVS III.

Per partes Addititias.

§. I.

721 *Quæ ſint partes addititia.* ADdititias partes, lato loquendi modo, vocamus omnia illa, quæ humanis corporibus ad eius ornamentum, aut munimentum à natura, vel ab arte adiiciuntur, quæ ad hunc locum quaſi res mortuæ dum reſecantur, reuocari debent. Natura namquè interiùs operans duo præcipuè ipſis confert, nempè vngues, qui in digitorum extremitatibus prodeunt; & pilos, capilloſquè, qui in capite, genis, & aliis partibus corporis naſcuntur. Vtriquè verò creſcunt per introſuſceptionem humorum, & fumoſitatum; atquè non parum decoris, & roboris homini conferunt. Qui ſi illis careat, deformitatem non mediocrem circumfert: vt patet in iis, quibus caſtratione, vel infirmitate caluicies ſuperinducta. Ars verò exteriùs operans veſtes varię formæ adinuenit: Alias neceſſarias, quibus humana nuditas tegitur, corpuſquè munitur contra calorem, frigus, pluuiam, & externa aeris incommoda: Alias conuenientes, quibus iuxta vniuſcuiuſq. conditionem homo ſuper induitur, & externis indiciis ſuam dignitatem oſtentat.

§. II.

HAs verò addititias corporis partes maleficiis inſeruire quis credat, niſi hoc quotidiana experimenta probarent? *Quomodo 1. Applicentur.* Dum enim Venefici alicui exitium parant, vel ad amorem excitare prætendunt, maximè expetunt vnguium præſegmina: vel capillos: ſeù crines, vel faſciam, ligulam aut aliud quid minimum veſtimenti, quo corpus eius tangere conſueuit. Cuius veritatis luculentum exemplum mihi enarrauit meus Lector admodum Reuerendus P. Ignatius Lupus auctor. Commetar. in caſus reſeru. Bergom. & in Edictum S. Inquiſ.

Tres homines Bergomates diabolicis facinoribus addictos illius. quondam Simonis Presbyteri in tota Lombardia vt magi inſignis noti ſectatores ſe cognouiſſe mihi aſſeruit, qui ſibi inuicem conſuluerunt, à dæmone inſimul vnicuiquè ſui mille nummos aureos petituros, nec non pro omnibus ſimul quandam Adoleſcentulam valdè pulchram, quam deperibant, vt ea ad concupiſcentiæ effrenatæ ſatisfaciendum pro velle abuti valerent. Hoc inito conſilio, dæmonem ſimul inuocauerunt, qui eis apparens omnia præſtiturum promiſit, dummodo, & ipſi animam ſuam illi traderent, ſed priùs aliquam capillorum, ſeù crinium partem illius Adoleſcentulæ, quam concupierant, habere ſtuderent, quos ſuper altare in nemore domui Adoleſcentulæ ruſticanę proximiore erigendum reponerent, vbi omnibus ad ſacrificium ipſi dęmoni exhibendum paratis, ac thus offerendo ipſum vt Deum adorarent. Illi promptè dęmoni animam obtulerunt, ac citiſſimè omnia preſtare ſtuduerunt. Quare domum Adoleſcentulę adeuntes, eam enixè rogauerunt, vt ſibi crinium, ſeù capillorum ſuorum particulam aliquam tribueret, quę poſt repetitas excuſationes, tandem eorum petitione ſe velle annuere ſimulans, ſtabulum ingreſſa ab vna Vacca pilos abſcindens, eos illis obtulit, qui exiſtimantes eſſe ipſius crines gratias ei exhibentes lęti receſſere, & ad nemus proximum profecti, ibi altare exſtructo, candelis ſupra candelabra accenſis, veſtes induti ſacerdotales thuribulo fumigante dęmonem inuocauerunt, quem ſine mora ſuper altare apparentem adorauerunt, qui ſtatim vnicuiquè eorum mille nummos aureos ſuper altare depoſuit. Sed ecce illa Vacca, cuius pilos Adoleſcentula abſciderat, magno impetu à ſtabulo egreſſa curſu citiſsimo aduenit, ac cornibus, pedibuſque ac dentibus in illos Magos inſiliens modò vnum, modò alium ſauciabat, nunc altare deſtruendo, nunc candelabra, ac cętera euertendo: quo rumore à vicinis incolis audito feſtinanter accurrerunt, qui huiuſmodi ſpectaculum, hominesque veſtes Sacerdotales indutos cernentes eos Reuerendiſsimo P. Inquiſitori Sancti officij denunciauerunt, qui ſtatim miſsis ſatellitibus eos comprehendit, carceribus mancipauit, tandemq. ad triremes deportari mandauit.

En videas quomodo Dæmon capillis, ſeù crinibus vtitur ad ſua maleficia concinnanda; & qua arte Ado-

te Adoleſcentula eorum artem deluſit!

Aut ſi nihil huiuſmodi nanciſci queunt, epiſtolam, aut aliquid de domo eius: vt docent Delrius *lib. 3. part. 1. quæſt. 3. Diſquiſit. Magic.* & Grillandus *de ſortileg. quæſt. 3. numtr. 23.* Ex iis namquè quiſquilijs ſuorum ſortilegiorum materiam mutuantur, quaſi vis quædam efficax in eis inſit. Quam etiam maiorem eſſe aſſeuerant, ſi hæc omnia ex corporibus ſupplicio affectis, & in malam crucem ſublatis depromantur. Quibus tantam virtutem tribuunt ad incantationes, vt induſijs, & panniculis eorum putridis, quibus in patibulis aliqualiter teguntur: immò ipſis carnificinæ inſtrumentis, reſti vinculis, palo, ferramentis communicatam velint. Et ideò illa tanquam potentiſſima ad actiones maleficas ſolicitè quærere, & ſtudioſè adhibere conſueuerunt.

§. III.

2. Agant

AT quis credat vmquam hæc præſegmina, veſtium fruſta, & inſtrumenta ſupplicij aliqua naturali virtute prædita eſſe ad huiuſmodi effectus producendos, quales ſunt: excitare amorem, & odium: victoriam conſequi in ludo: fortunatum eſſe in commercijs: certas infirmitates immittere; & id generis alios; Et non potiùs agnoſcat malignantis dæmonis inſultus, qui ad malefaciendum talia ſigna imponi iubet, vt ſic illudat hominibus? Sicut & hominum excæcationem, qui ab eo perſuaſi res tàm horrendas tantis pollere virtutibus: illas ſecum deferre non verentur, quas aliàs contrectare formidarent? Nec opus eſt, hæc aliis argumentis comprobare; cum ſeipſis hanc veritatem res ipſæ demonſtrent. Atquè ità ex ſuperioribus patet, nihil eſſe in rebus animatis ratione præditis; hominibus, nempè, quouis modo conſideratis, quo malefici vel vt cauſa: vel vt ſigno ſortilegii abuti non deprehendantur: vt de Irrationabilibus etiam capite ſequenti comprobabitur.

CAPVT II.

Irrationabilibus.

723 EX irrationabilibus animatis tanquam ex abundanti promptuario, & copioſo penu ſuorum maleficiorum, ac ſortilegiorum materiam Veneficos depromere, omnes eorum confeſſiones probant; confirmantquè auctores diuerſis exemplis, quibus ſatis ſuperquè conſtat, eos non ſemper ſimplicibus uerbis, aut imprecationibus maleficia perficere; ſed quampluribus rebus ſæpiùs uti, quæ morbi, neciſuè certiſſimam cauſam præbeant ijs, quibus ità conſtituerint, uel ut cauſæ naturales, uel ut ſigna dæmoniacæ operationis. Hæc autem tùm ex Senſitiuis: tùm ex Vegetatiuis mutuantur: ut duabus ſectionibus declaratur.

Materiā maleficiorum Veneſici mutuantur ex Irrationabilibus.

Senſitiuis, & Vegetatiuis.

✠✠
✠

SECTIO I.

Senſitiuis.

MAgno certè bonitatis argumento, & inſigni amoris indicio Deus in naſcentis mūdi primordiis primum hominem paulominùs ab Angelis minoratum gloria, & honore coronauit: cum illum conſtituere dignatus eſt ſuper opera manuum ſuarum; & ſub pedibus eius creaturas omnes ſenſu, & motu præditas; quæ uel tolluntur in aera: uel perambulant ſemitas maris: uel mouentur, & repunt ſuper terram, ſubiecit, ut diuinæ potentiæ conſortem, & participem faceret. Vide enim, quomodo uniuerſale hoc tradatur, & acceptetur imperium. Traditur à Deo & uerbo, & facto Verbo infallibili cum ait *Geneſis 1. Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Quo omnes, & ſingulos ſentientium creaturarum ordines expreſſit, vt nullus ſubiectionis exemptionem præſumeret. Facto admirabili, & prodigioſo; cum formatis cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut uideret, quid uocaret ea. Nam quid mirabilius, quàm immenſam auium, piſcium, & animantium multitudinem, non obſtante plurium antipathia, congregare, congregatam quaſi communi concordia hominis dominationem ſubire, uolentem adducere, & adductam in Adami poteſtatem tradere, ut ad libitum nomina, officia, mandata cunctis imponeret? Acceptatur ab homine, qui unicuiquè nomen imponit, & imprimit quaſi ſignum, & characterem poteſtatis. Domini etenim eſt, ſeruis, & miniſtris iuxta cuiuſquè ingenium, uires, & facultates nomina aſſignare: ut norit, quomodo eos compellare debeat, cum illorum opera uti uult. Et illi ſingulari nomine compulſi ad eius exequenda mandata ſe promptos exhibeant. Quod præſtare non poterat nouus ille princeps ſine ſobditorum notitia, non generali tantùm; ſed etiam ſingulari, qua uniuſcuiuſquè naturam, eſſentiam, operationem, proprietates ſpecificas, & indiuiduas perſpectas haberet. Et certè quomodo plenum in eos poſſet exercere dominium, qui ſingulos ſingillatim non noſſet? Quomodo conuenienti nomine uocitare, niſi ſingulorum quidditatem, & conſequentes proprietates probè calleret? Nec refugiunt irrationales iſti ſubditi eius parere mandatis, ut Moyſes ſatis indicat iis uerbis: *omne, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Quid enim ſignificant, niſi reciprocam dominationis acceptationem factam ab animalibus, cum nomen, & onus impoſitum ſuſceperunt, ut ſe futuros impoſterum ſubditos obſequentes teſtarentur in iis, quæ ab homine poterant imperari ad ſui, & alienam, uel utilitatem, uel uoluptatem? 724

Deus res ſenſitiuas homini ſubiecit.

Sed mirare ſummam infernalis hoſtis malitiam. Ab initio namquè coronam homini detrahere, & gloriam, atquè honorem auferre ſatagit: dum illum impellit ad rebellionem contra Deum; quod facilè aſſequitur. Poſtquam enim per peccatum homo inſurrexit in Deum, vniuerſa ſenſibilium natura inſurrexit in hominem, & ſubditi, qui antea ad nutum obſequebantur in eius exitium vnanimiter cōſpirarunt. Quod eloquenter teſtatur D. Chryſoſtomus *tom. 1. in Enarrat. in Pſalmum tertium* his verbis: *Quandiù Adam purum ſeruauit vultum ad imaginē Dei, beſtiæ ei tanquā ſeruæ parebant; quandò verò vultū fædauit inobedientia, non agnoſcentes Dominū,* 725

Dæmon illas in hominem ſuſcitat.

tanquam alienum eum odio habebant. Et modò inſenſiſſimus hic hoſtis nihil non agit, vt præter generalem perſecutionem, quam omnes creaturæ ſenſibiles, & quotquot vagantur aues in aere; piſces natant in aquis; bruta, & reptilia mouentur in terra, tanquam miniſtri coniurati in hominem ſuſcitant; & etiam ſingulares hoſtilitatis actus exercent, cum illo, ſuiſquè miniſtris Veneficis concurrendo ad maleficiorum executiones. Ideòquè ab vnaquaque ſuas vires nociuas mutuatur; & omnes in maleficijs adhiberi, imperat: Siuè hæ creaturæ ſenſibiles Perfectæ ſint: ſiuè Imperfectæ: vt totidem articulis palam fiet.

Siue, Perfectas, Siuè Imperfectas

ARTICVLVS I.

Perfectis.

726 *Dæmon, & maleficus ſenſitiuorũ perfectorũ vires in maleficijs congerunt.*

QVò ibo à ſpiritu tuo, ait Dauid *Pſal.* 138. *& quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es. Si deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illùc manus tua deducet me; & tenebit me dextera tua*. Sed quò ibit homo à ſpiritu nequam dæmonum, & maleficorum? Si enim feratur in aera, aues cæli ſuſcitant. Si maria penetret, piſces, quaſi tot acies congregant. Si terram perambulet, ſtruunt exercitus animalium, & omnium ſenſitiuarum creaturarum, quæ perfectæ vocantur; eò quòd communi maris, & fœminæ concurſu generentur. Inſimul vires congerunt, quas vnus indicat, & alij applicant in maleficiorum executionibus. Quis enim indicare aptiùs poteſt, quàm ſubtilis naturæ indagator, qui illius ſecreta cuncta rimatur, & penetrat? Quinam accuratiùs applicare, quam efferati miniſtri nequitiæ, qui nullam nocendi anſam prætermittunt?

§. I.

727 *Auium.*

EX auibus multa mutuantur, vt ait Grillandus *tract. de ſortil. cap.* 6 quibus maleficia concinnant. Nam dæmones, qui ſæpiùs in Scriptura aues cæli vocantur: vt Matth. 13. *Et congregantur*. Apocal. 19. *ad carnes regum, tribunorum, fortium, equorum, liberorum, ſeruorum, puſillorum, & magnorum deuorandas*, gaudent ex auibus ea depromere, quæ vel cauſæ: vel ſigna ſunt mali, quod hominibus inferre deſiderant: Modò ab ijs, qui carnibus veſcuntur: Modò ab illis, quæ grano, & ſemine reperto paſcuntur: Nunc à ſylueſtribus, quæ deſerta frequentant; & quærendi ſibi victus difficultatem libertatis amore compenſant: Nunc à domeſticis, quæ domicilijs delectantur, & herili menſæ aſſueſcunt: Aliquandò à rapacibus, quæ acuto viſu, incuruato roſtro, & adunco vngue cæteris inſidiantur: Aliquandò ab aduentitijs, quæ proprio tempore abeunt, & redeunt: Aliquandò à Simplicibus, quæ plurarum diuerſitate oculos, & vocum varietate aures demulcent. Sed vt plurimum ab illis, quas deformes facit, vel vorax edacitas, vel importunus ſtrepitus, vel ſalacitas libidinoſa, vel monſtruoſa forma, vel nocturnus volatus, & vlulatus, vel fuliginoſus. & pullus color, vt ab herodijs, miluis, paſſeribus, anſeribus, anatibus, filicus, picis, vpupis, coruis, nicticoracibus, noctuis, & veſpertilionibus. Atquè vt appareat, non propter naturales earum virtutes ab ijs rebus ſubſidium quæri; ſed vt ſigna pacti, & maleficæ conuentionis applicari, vt plurimùm criſtas, vngues, roſtra, & plumas in maleficijs adhibent; quibus vel nullam, vel minimam vim ineſſe compertum eſt, quorum plurium fui teſtis oculatus. Sic narrat etiam Codroncus *lib.* 1. *cap.* 8. *de morb. venef.* in culcitra propriæ filiæ maleficio affectæ, iuuenta ſigna maleficij, cineres, nempè grana coriandri, fruſtum carbonis, & oſſis defuncti; præterea quaſdam plumas ità quibuſdam filis artificiosè inſertas, vt pileo (vt moris eſt) applicari facilè poſſent. Quibus omnibus ſacro igne combuſtis, infirma conualeſcere cæpit.

§. II.

EX piſcibus ſimiliter, vt aſſerit idem Grillandus loco cit. alia conquirunt maleficijs adhibẽda, nempè, oua, pellem, dentes, ſquãmas, branchias, pinnas, caueas, oſſa, vt proprijs oculis vidi. Quod confirmat quoq. idem Codroncus. Nam poſt reſtitutam filiæ ſanitatem, cum iterum infirmaretur, lectulo denuò explorato, inuenta fuere alia inſtrumenta, ſcilicet, fruſtula duo nucis ſiccæ, & oſſis albi; nouem, vel decem oſſa piſcium, quæ erant fabricata inſtar pectinum, quibus capita pectuntur cum quibuſdam corollis mira arte fabricata ex varijs rebus paratis; ijſquè omnibus igni traditis per Exorciſtam abſquè naturali remedio filiam iterum conualuiſſe. Lucifer namq. qui tanquam Cete grandia apud *Iob c.* 40. *&* 41. deſcribitur, dum in proceloſo huius mundi pelago imperioſam tyrannidem exercet in homines, ijs ad maleficiandum libenter vtitur, quæ à natatilibus, & piſcibus depromuntur, vt ſigna, & ſignificata conueniant. 728 *Piſcium.*

§. III.

EX animantibus deniq. materiam maleficiorum congerunt. Tum ex domeſticis, puta, bobus, equis, ouibus, aſinis, mulis, arietibus, capris, porcis, hircis. Tum ex ſylueſtribus, ceruis, apris, leporibus, cunicolis. Tum ex feris, vrſis, lupis, leonibus, hyænis, à quibus mutuantur ea, quæ ad propoſitum malum inducendum naturaliter conducunt: vel quæ ab imperante dęmone adhiberi iubentur, vt teſtatur Grillandus *tr. de ſortil. c.* 5. Ab ijs enim deſumunt cerebrum, cor, fel, pulmonem, hepatem, ſplenem, iecur. Ab iſtis oculos, aures, palpebras, ora, labia, linguam. Ab alijs cornua, dentes, vngulas, oſſa, pilos, cutem. A quibuſdam cranium, caudam, coſtas, pectus, collum, pedes, ſeù anteriores, ſeù poſteriores dextros, & ſiniſtros. Ab alijs carnem, pinguedinem, ſepum, adipem, medullam, coagulum. Ab aliis arterias, venas, neruos, chartilaginem, veſicam, matricem, teſticulos, membra genitalia. Deniquè ſanguinem, vrinam, ſperma, ſtercus, mucum, ſpumam, ſaliuam, humores excrementitios; & ſi quid aliud aduentitium in eis reperitur, vt Hippomanes, quod triplex eſt. Plantula quędam Archadiæ, teſte Theocrito *in pharmaceutria*. Virus, quod ſtillat ab inguine equæ cupidæ, de quo Propert. *lib.* 4. *in lenam quandam cecinit.* 729 *Animantium.*

Conſuluit ſtriges noſtro de ſanguine & in me
Hippomanes fœta ſemina legit equa.

Et pellicula, quæ reuellitur à fronte pulli equi recens editi, cuius odor equas in furorem adigit, teſte Ariſtotele *lib.* 6. *hiſt. anim. cap.* 18. & Plinio *lib.* 8. *c.* 42. Hæc virtus, vt volunt magi, præcipuè in maleficiis amatorijs enitet, vt probat factum Cæſoniæ, quæ vt Caligulæ amorem ſibi conciliaret, hoc ei potandum porrexit; ſed præter ſpem ipſi mortem accelerauit, vt narrant Ioſephus *lib.* 11. *Antiquit.* & Suetonius *in Caligula*.

AR-

ARTICVLVS II.

Imperfectis.

§. I.

Imperfecta adhibentur à maleficis vt ſunt:

730 SEd frequentiùs ab animalibus imperfectis malefici petunt ea, quæ ad propoſitum veneficium conducere videntur: Vel vt ſunt cauſæ: quia certiſſimum eſt, noxias, & virulentas qualitates plures, & efficaciores in imperfectis, quam in perfectis reperiri. Vel vt ſigna: quia ſicut perfecta ſunt opera Dei, qui benè omnia fecit: ità dęmonis, qui malè omnia facit, imperfecta; ideòquè mirè imperfectis delectatur.

Inſecta

Et primò inſectis ferè vtuntur; vt teſtatur Grillandus *tract. de ſortileg. cap. 7.* Videas enim in omnibus maleficijs araneas, erucas, pulices, ſicadas, bruchos, cantharides, culices, pediculos, ſcabrones, ſcarabæos, cyniphes, veſpas, tineas, formicas, limaces, muſcas, locuſtas, papiliones, multipedes, lumbricos, grillos, ſanguiſugas, ſcorpiones; atquè eorum oua, aculeos, teſtas, alas, membra nunc integra: nunc trita: nunc in puluerem redacta adhiberi. Sic Iana quædam apud Remigium *lib. 2. c. 7. dæmonolatr.* cum ſera iam nocte animo volueret, quomodo pænas expeteret à vicina quadam, à qua iniuriam paſſa erat, præſtò adfuit dæmon ſub ſpecie felis, qui iuſſit ei, vt limacis teſtam in puluerem comminueret, & eo illius veſtem aſpergeret, quod cum factum fuiſſet, miſera vicina in obſcuro ſtabulo reperta vnà cum pecudibus eo ſimiliter puluere aſperſis interijt. Vt ſcias ſimilibus pharmacis non ineſſe vim aliquam certam vel nocendi, vel ſanandi; ſed dęmonem pro ſua poteſtate ea omnia latenter efficere. Eadem Iana, cum illo puluere mulierem aliam abundè aſperſiſſet, membra eius leui morbo debilitauit; & poſt aliquot dies eodem puluere reſperſam ſanauit. Non enim eadem res ad tam repugnantia naturaliter inſimul efficax eſſe, poteſt.

Reptilia

731 His addunt ſerpentes, cæteraquè venenoſa reptilia, viperas, regulos, colubros, ſtelliones, ſalamandras, lacertas, aſpides, baſiliſcos, ceraſtes, iaculos, ſitulas, tarantas, ex quibus venena extrahunt; carnes lixant; dentes, aculeos, pelles, oſſa ſeparant in vſus maleficos. Vndè alioquot ſerpentium exuuium ferè ſemper in iis applicari ſolet. Cum enim ſint miniſtri ſerpẽtis antiqui in ſuis operationibus noxiis ſerpentum adminiculis gaudent, vt poſtea num. *746.* Exemplo probabitur relato ab Auctoribus Mallei malefic. *par. 2. quæſt. 1. cap. 12.*

§. II.

Animãlia ex putredine orta.

732 DEniquè animantibus, quę ex putredine oriuntur, vt talpis, ſoricibus, muribus, ranis, ſed pręcipuè rubetis, & bufonibus in ollis incluſis vti delectantur, ſicut exemplo à Codronco *lib. 3. cap. 6.* relato probatur de quodam Iuuene in oppido Sangeminianenſi Hetrurię, qui adeò perditè mulierem veneficam adamabat, vt formoſam alioqui, & honeſtam vxorem vnà cum filiis relinqueret; & cũ pellice ſuorum immemor vitam coùſquè traduceret; donec vxor de maleficio monita cum eo conſceuiſſet, clàm maleficij inſtrumentum perquiſitum, inuenit ſub lecto bufonem olla incluſum conſutis oculis, quo arrepto, & ſolutis, poſtea igne concremato confeſtim vir ſuorum recordatus, tanquam à ſomno ſurgens ad vxorem, & filios reuerſus eſt. Prędictis omnibus imperfectis animantibus vtuntur magi, & malefici; imò dęmonis ope ea ſępè producunt, vel quę hinc indè in variis locis ſunt conſperſa, congregant, & coarceruant, illa mouendo in locum deſtinatum, vti ſeminibus, plantarum, & arborum floribus nocumenta inferre, ac terræ fructus diſperdere volunt: vt probatur ex ſcriptura *Exodi 7. & 8. Fecerunt malefici per incantationes ſuas ranas, & ſerpentes.* Quod ſuſtinent communiter Patres, & Theologi. D. Hieronymus, Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, & alij in *cap. 8. Exodi* Auguſtinus *lib. 3. de Trinit. cap. 9.* Alexander Alenſis *in 2. par. quæſt. 43. membr. 2.* Magiſter ſent. *in 2. d. 7. in fine* D. Bonauent. & alij ibidem. S. Thomas *1. par. quæſt. 114. artic. 4.* Guilhel. Pariſienſ. *in lib. de Vniuerſo par. 3.* Binsf. *Comment. in Titul. C. de malef. & mathem. quæſt. 9. in L. eorum.* Ad eundem effectum facit Pſalm. 77. *Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locuſtæ &c.* Et deindè ſubiungit: *Immiſſiones per Angelos malos:* Hoc etiam varijs exemplis probat Nicolaus Remigius ex proceſſibus iudiciarijs collectis, ac relatis *lib. 1. cap. 21. dæmonol.* Quæ confirmantur à Binsfel. *loco citato concluſione 3. & 4.*

SECTIO II.

Vegetatiuis.

733 SIcut ſingulari amoris indicio Deus in mundi primordijs omnium ſenſitiuorum dominationem Protoplaſto tribuere voluit; ità admirabili prouidentia diſpoſuit ipſi conferre omnium vegetantium plenam, perfectamque notitiam, qua proficua ſeligeret, vitaret noxia, & omnibus tutò iuxtà qualitates inditas vteretur. At quia homo ſua culpa gratuitis ſupremæ bonitatis donis ſpoliatus hanc notitiam perdidit; & modò laborat incredibili rerum naturalium ignorantia: ſæpiſſimè in dignoſcendis vegetabilium qualitatibus; & ijs ab alijs diſcernendis hallucinatur; nec vires ipſarum niſi labore improbo, ſummo ſtudio, experimento multiplici, & longo temporum interuallo exploratas habere poteſt. Quarè multoties grauia patitur damna tàm à ſeipſo, cum pro pharmaco toxicum ſumit, & grauiſſimas infirmitates, ipſamquè mortem incurrit, dum ſanitatem conſeruare, & vitam tueri deſiderat: quàm ab alijs, qui vegetantium adminiculo varijs, & occultis modis ipſi nocere conſueuerunt.

Homo amiſſa vegetabiliũ notitia damnũ patitur à ſe, & ab alijs.

Inter quos malefici tanquam coniurati hominum hoſtes primas obtinent. Hi namquè cum aliquem adoriuntur, vt ei morbum, aut mortem inferant, herbas, & vegetabilia in maleficijs applicant, à quibus ſe tueri homo non valet; quia noxias eorum proprietates ignorat; nec damna per applicationem illata animaduertit: quia occulto modo ab iſtis concinnatoribus adhibentur, qui à dæmone omnia naturalia probè callente edocti, omnibus vegetabilibus vtuntur; non ſolùm iuxta qualitates innatas; ſed etiam ad magiſtri inſtitutum, nempè Vel vt cauſent: Vel vt ſignificent malum inferendum. Quod tùm in Domeſticis: tùm in Peregrinis duobus ſequentibus articulis demonſtrabitur.

Præcipuè à Veneficis, qui ipſis vtũtur.

Tum Domeſticis. Tum Peregrinis.

ARTICVLVS I.

Domeſticis.

§. I.

734 *Quænam ſint vegetatia domeſtica.* Domeſtica vegetantia, ſeù plantæ generaliter diuiduntur in arbores, frutices, & herbas. Arbores ſunt plantæ ramoſæ, & ſurculoſæ cum caudice ſimplici, quæ altiùs à terra ſurgunt: vt malus, pirus, ficus, ceraſus, morus, & cætera. Frutices plantæ ramoſæ aſſurgentes caudice multiplici à radice: quales arundo, hedera, & cætera. Herbæ plantæ, quæ foliatæ ſine caudice quidem, ſed cum caule creſcunt; & ſemen caule, aut ſurculis ferunt: vt plantago, vrtica, caulis, porrum, & cætera. Quæ omnia maleficiorum materiam veneficis adminiſtrant, dum tanquam cauſæ: aut ſigna ab ipſis applicantur.

Quomodo applicentur, Vt Cauſæ. Cauſæ ſunt: cum Arbores virtutes noxias infundunt, quæ latent in radicibus, caudicibus, caulibus, ramis, ſurculis, folijs, fructibus, corticibus, lignis, matricibus, ſeù medullis, humore, liquore, lacrymis. Frutices innatas proprietates transfundunt per calamos, culmos, mucrones, radices, fibras, capillamenta, crura, vertebras, fructus. Herbæ agunt ſuis thyrſis, ſtolonibus, ſurculis, neruis, corticibus, venis, carne, medulla, adipe, comis, capite, alis, ſinu, geniculis, lateribus, ſtrijs, crænis, folijs, flore, cæteriſquè partibus.

Vt Signa Signa verò ſunt: cum ad nocendum applicantur; non quòd ex ſe noxiam aliquam proprietatem habeant; ſed quia dæmon ad eorum applicationem prætenſum à malefico malum peragere conſueuit; atquè ità vtroquè modo naturali, & morali vegetabilia in maleficijs operantur.

§. II.

735 *Comprobatur experimento In fructibus.* Qvod conſtat experimento in arboribus frugiferis non ſolùm in ijs, quorum noxij ſunt fructus, & natiua qualitate morbos, & mortem inferre valent: ſed etiam in proficuis; vt teſtatur pluribus exemplis Remigius *lib. 3. cap. 5.*

Cuiuſdam Cathinæ Gillotiæ inſignis maleficæ ſua manu poma, pruna, aliaquè eſculenta præbentis ijs, quos vel maleficia debilitare; vel ſanitate donare cupiebat. Libro 2. cap. 7. *Alterius veneficæ Barbelinæ Rayel medicatum pyrum in via deponentis, quaſi id è viatoris pera fortè excidiſſet, quo imprudenter à quodam Ludouico, à quo iniuriam paſſa erat, ſublato, ac guſtato, ſtatim graui morbo correptus, vix præ dolore domum pedes ſe re ferre ſuſtinuit.* Libro 2. c. 4. *Cuiuſdam Claudij Gerardi, qui à Blaſia ſaga inuitatus vt vnà ſecum ad focum pauxillùm ſederet, & ex pomis ibi recenter coctis ederet; cum vnum accepiſſet, tanto ardore eius volæ manui adhæſit, vt alteram ei excutiendo ſtatim admouere cogeretur; verùm dum id facit, vtraquè ſic conglutinantur, vt videretur in vnam coaluiſſe. Clamanti præ dolore, & ferè inſanienti, dum alter aquam verſat ardori reſtinguendo, alter manus inſtrumento diuidere fruſtra conatur: occurrit Blaſia, qua ſubridente, & tantiſper brachium demulcente, pomum excidit, ſedatus eſt dolor, & manus liberè vt antea ſuum exercere officium continuauit.* Deniquè lib. 3. c. 3. *refert, Stephanum quendam Nouachum, qui fruſtra ſolertiam Medicorum tentauerat, vt ſe à trienali morbo liberaret; cum ariolos conueniſſet, à malefica pyrum accepiſſe, quod illa comedere, iuſſerat; ſed cum ſilicis inſtar durum, & planè ferreum ei contactu videretur; nec poſſet illud morſu diuidere, iubente ſtriga, cæpiſſe illud paululum attrectare, donec ſenſit non ſine admiratione emolliri; acſi benè coctum, conditumquè fuiſſet, & in lanæ mollitiem abire, tum illud deuoraſſe, etſi guſtu inſuauiſſimum; & ſtatim illi ſtomachum tanto ardore flagrare cæpiſſe, quanto vix maiorem candentes carbones excitare potuiſſent.*

Quale pygrum tàm enim durum, tam molle, tam efficax in natura datur, ſi dæmonis operatio non intercederet?

§. III.

Sed quid circa huiuſmodi exempla referenda immoror? Nonnè continuis experimentis hanc veritatem probant Exorciſtæ, dum ab obſeſſis, vel maleficiatis eorum cruciatuum exordia perquirunt? quibus euentibus pluribus relictis, vnicum tantum conſiderare ſufficit à me relatum infra *tom. 2. n. 539.* cuius fui teſtis oculatus.

§. IV.

Hoc idem probatur in herbis, quas dæmon præbet, & malefici applicant ijs, quibus nocere cupiunt: vel in occultis locis abſcondunt: vel humi ſpargunt; vt dum cæteri ſupergredientes ſalui, & incolumes euadunt, ſoli maleficiandi necis, vel morbi certiſſimam cauſam incurrant iuxta malefici voluntatẽ ſic referente Remigio *lib. 2. c. 3. 4.* & 8. 736 *In Herbis.*

Perina quædam ſaga, dum vlciſci cupit iniurias à contubernale illatas, à quo egregiè vapulauerat, à dæmone herbam accepit, qua ſterneret iter, per quod ille tranſire debebat. Quod cum factum fuiſſet; & ille inſidiarum ignarus eum locum eſſet ſupergreſſus, ſolus in morbum incidit, quem mors poſteà ſubſecuta eſt. Alia repulſam paſſa à piſtore, cum herbas papiro inuolutas à dæmone accepiſſet, eaſquè ſparſiſſet in porticu domus, ſtatim miſer piſtor cum vxore, & filijs morbo corripitur; nec conualeſcit, donec aliæ herbæ clam ab illa venefica cubili ſubmiſſæ ſunt. Alia limini cuiuſdam herbam à dæmone acceptam ſubdit; & ſtatim ſupergrediens eius vxor exſiccatur lacte in mammis areſcente, ex qua penurias infans interijt. Quædam alia, quæ ſilicis manipulum à dæmone acceperat per eam viam ſpargendum, quam filia eius inimica frequentiùs inibat, vt illam perderet; cum vereretur, nè illud infortunium alios etiam læderet, qui eam viam ingrederentur, iubente dæmone, vt quieſceret, ſola filia ex omni vicinia illàc itando, morbum contraxit. Eadem, cum Caſtellani cuiuſdam ſedem herba perfricuiſſet, valetudinem eius miſerrimè afflixit, non aliorum, qui ante, & poſt eum in illa ſediſſent.

§. V.

In Seminibus. SImile videtur in granis, & ſeminibus & experientia probant illi Exorciſtæ, qui huiuſmodi maleficiorum ſigna perquiri iubent. Exemplo confirmatur ab Auctoribus Mallei malefic. *par.3.q.1. cap.12.*

Vxor quædam vnius ex miniſtris Arciducis, quæ ob magam increpatam, cum dolores, & punctiones horribiles in omnibus corporis membris, calorem in capite immenſum, quaſi igniti carbones ei continuo ſuperfunderentur; & puſtulas ſanie repletas à planta pedis ad verticem pateretur; ſuper oſtium ſtabuli peciam panni albi inuenit, in qua incluſa erant ſemina, legumina, & grana quędam alba ad modum poſtularum, quæ corpori eius inerant, cum oſſibus ſerpentum, & aliorum animalium. Quibus igne conſumptis in momento priſtinam ſanitatem recuperauit.

Vt ex ijs videas, maleficos, & ſagas ijs vegetabilibus vti tanquam ſignis maleficij; & hac arte illos adoriri, quibus calamitatis aliquid ſtruere, ac moliri peroptant.

ARTICVLVS II.

Peregrinis.

§. I.

737 *Peregrinis herbis malefici vtuntur nempè 1. Syluaticis,* ARbores, & herbas peregrinas voco illas, quæ vel in locis ſyluaticis: vel in remotis naſcuntur. Vtriſquè enim maleficos vti certum eſt. Et primas quidèm adhibent (: vt ſalices, ſicomoros, fagos, quercus, abietes in arboribus) earumquè glandes, baccas, dactilos, gallas, nuces, fructus, flores, & folia. Vel inter herbas abſynthium, aconitum, cicutam, coloquintidam, helleborum, vtramquè mandragoram, marrubium, napellum, orpinum, ſcamonæam, ſemperuiuam, trifolium, ſcolopendriam, quæ vim necandi naturalem habent. De quibus mentio fit in *L. 3. §. adiect. & ſequ. ff. ad legem Corneliam de ſiccarijs, & veneficis.* Et plura teſtantur exempla, quæ vt notiſſima omittere lubet: cum paſſim legantur apud Auctores.

§. II.

2. Remotis. SEcundas verò nobis ignotas à dæmone accipiunt qui vt eſt ſpiritus perambulans vniuerſam faciè terræ, herbas colligit in locis remotioribus, quas nouit ad maleficum opus efficacioris eſſe virtutis. In comperto enim eſt, plures plantas in quibuſdam terræ plagis ſub certis cæli conſtitutionibus, & citiùs creſcere, & præſtantiores vires accipere, quàm ſi alibi colantur: vt in partibus orientalibus, Ægypto, Paleſtina, Perſide, in quibus ſimplices herbæ naſcuntur, quæ ſunt virtutis mirandæ; quas dæmon hinc affert; eò quòd in partibus occidentalibus non reperiantur; easque ſuis miniſtris præbet: vt plures ex ipſis iuridicè examinati Doctori Grillando aſſeuerarunt; ſicut ipſe teſtatur *tractatu de ſortileg. cap. 6.*

§. III.

SEd non ſemper vt cauſæ naturales applicantur; cum ſigna ſint ſæpiùs, ad quorum præſentiam dæmon varia exitia infert. Ea verò in maleficis operationibus applicari iubet; vel herbas, radices, folia, capillamenta, & id generis vegetantia, quaſi ex extraneis locis aduecta prębendo. Quod facilè perſuadere poteſt in iis, qui herbarum differentias ignorant: vt ſunt ferè omnes malefici rudes, ignari, & certiſſimè credentes ea, quæ à magiſterulo aſſerunt: Vel in locis inaceſſis, puta, in ſummitatibus montium, cauernarum penetrabilibus, abſconditis aquarum finibus, deſertis, & ſolitudinibus ſummo labore conquiri, imperando; vt ſic miſeris inferni mancipijs illudat. Quibus nihil concedere ſolet eorum, quæ ab ipſo poſtulantur; niſi illos, & varijs animi illuſionibus, & intolerandis corporis fatigationibus conficiat. *Sed vt ſignis maleficij.*

PARS SECVNDA.

Inanimatis.

TAnta eſt diuinę Potentię magnitudo, vt eius ipſa ſine ſenſu inanimata perſentiant: dum in illis, & per illa in vtroquè ſtatu mirabilia operatur. 738 *Deus mira perficit in rebus, & per res inanimatas*

1. In ſtatu natura In ſtatu quidem naturæ quid creaturæ non moliuntur, cum iubente Deo maiora vſitatis operationibus audeant? Cælum irrequieto motu totam terremaſſam gyrans, & ambiens quieſcit. Sol obſcuratur, ſtat, retrocedit. Luna mobilis immota manet. Sidera orbibus ſuis fixa cadere videntur. Ignis ſurſum aſcendens vergit deorſum, nec comburit. Aer ſuas modò excitat, modò ſerenat tempeſtates. Mare tumentes fluctus demittit. Flumina curſum diuidunt. Fontes antiqui areſcunt, & noui fluunt. Aſcendunt montes, deſcendunt campi, & oppoſito motu agitantur. Deniquè grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum faciunt verbum eius, Vndè D. Hieronymus *lib.1. Comment. ſuper illa verba Matthæi cap.8. Surgens imperauit ventis, & mari*, ait: *Ex hoc loco intelligimus, quòd omnes creaturę ſentiant Creatorem. Quas enim increpauit, & quibus imperauit, ſentiunt imperantem, non errore hæreticorum* (& magorum, vt ſupra docuimus in hac diſputatione num. 9. & ſequentibus) *qui omnia putant animantia; ſed maieſtate conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt.*

2. In ſtatu gratia In ſtatu verò gratiæ nobiliora, & auguſtiora operantur. Cum enim ex diuina inſtitutione applicantur, tales producunt effectus, qui totam ſuperant naturæ actiuitatem. Aqua, quæ carnem tangit, animam abluit; & non ſolùm tollit externas corporis ſordes; ſed etiam internas animi maculas, quas originale peccatum induxit. Panis verbo operatorio conſecratus in Chriſti corpus cõuertitur abeunte ſubſtantia, remanentibus accidentibus,

quæ

quæ ad modum ſubſtantiæ ſubſiſtunt, & operantur. Oleum per externa membra languentis effuſum; & intus in abſconditas animę facultates penetrans, peccata, morboſquè depellit: vtramquè reſtituit ſanitatem; & luctantem cum morte, & dęmone Chriſtianum athletam victorem facit. Sacri Diuinę ſcripturæ characteres, in quibus quicquid docetur, veritas: quicquid præcipitur, bonitas: quicquid promittitur, felicitas eſt: quia Deus in ea loquens veritas eſt ſine fallacia, bonitas ſine malitia, felicitas ſine miſeria, latentem continet energiam. Venerandis imaginibus, vaſis ſacris, & eccleſiaſticæ ſuppellectili ſua non deeſt virtus, quæ prodigioſis effectibus quotidiè comprobatur: quia ex Diuina applicatione vniuerſa creatura eleuat ſe ſupra ſe; & ordinarijs naturæ viribus prædita à Potentia Diuina vim mutuatur inſolitam, per quam hæc mira perficiuntur.

739 *Hoc dæmon æmulatur, dũ in maleficijs illis vtitur.*

Quod Dei æmulus, & hominum hoſtis imitari volens; vt aliquam Diuinitatis ſimilitudinem, & ſpeciem præſeferat, in maleficiorum ſtructura, inanimatis vtitur. Vt quod Deus ſumma bonitate in vtilitatem hominum præſtat; hoc ipſe inſigni malitia in eorum perniciem exequatur. Nam illa applicat: aut applicari præcipit Aliquando ad eos producendos effectus, qui illorum, vt potè cauſarum naturalium virtuti congruunt: Aliquando ad ea peragenda, quæ inſitas à natura vires omnimodè ſupergrediuntur. Non quòd ad talia opera producenda eorum virtutem naturalem eleuare poſſit: cum hoc ſolius ſit Creatoris; ſed vt eleuare videatur: & ſic æqualem cum Deo obtinere poteſtatem ad eorum applicationem, occultè producendo illud, quod apparet exteriùs produci ab inanimatis. Et ſic rebus ſiuè Sacris: ſiuè Profanis vtitur: vt ſequentes capituli demonſtrabunt.

Siuè Sacris, Siuè Profanis

CAPVT I.

Sacris.

740 *Cur dæmon ſacris abutatur in maleficijs.*

DÆmon ſacris libenter abutitur. Hoc præſtat: quia ſic grauem omnipotenti Deo iniuriam facit. Cum enim nihil ſit ei antiquius, quàm ea, quę ad eius cultum, & honorem pertinent, omnibus vijs labefactare, nihil eſt tam ſanctum in rebus diuino miniſterio dedicatis, quod profanare non ſtudeat; vt ea, quæ ad Dei gloriam inſtituta ſunt, in eius contumeliam cedant. Et eadem via, qua creaturis maleficum damnum infertur, Creatori iniuria grauis irrogetur. Inſuper hoc modo ſimplices credentium animas ſuis fallacijs irretire conſueuit. Cum enim ſint ad Dei cultum procliuiores, in ſuperſtitionis errorem faciliùs inducuntur; quia ſortilegia ſub ſpecioſæ ſanctitatis tegmine abſcondita detegere neſciunt; & ea putant honeſta, & licita, quæ ſanctitatis deuotione fouentur. Præterea ſic miniſtrorum ſaluti conſulit, cum prodigioſarum ſanitatum, quæ eius opera fiunt, ſuſpicionem aliò à ſuis transfert; nè ſi illorum beneficio morbus leuatus videretur, idem exiſtimaretur ab eis antè illatus veneficio. Deniquè his ſortilegiis ea, quæ ſalutem hominum ſpectant, ad eorum exitium applicat, accedente diuina permiſſione, quæ ſæpiùs ipſi conceditur in peccatorum vindictam, & peccantium punitionem, maximè Sacerdotum, & Clericorum, qui res ſacras non ea, qua decet animi puritate, caſtitate corporis, & externa reuerentia tractant; ſed ad eas perficiendas, quaſi ad opera ſæcularia peragenda, horrendis ſcelerum maculis, & fætentibus carnis ſpurcitiis accedere non verentur. Ideò hoc modo Sacrilego Sacramentis, Sacra ſcriptura, Suppellectili eccleſiaſtica in ſortilegiis, & incantationibus abutitur: vt ſequentes Sectiones declarabunt.

Vt Sacramentis, Sacra Scriptura, Supellectili ſacra.

SECTIO I.

Sacramentis.

QVid auguſtius in Eccleſia Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutis, quę tali nomine nuncupantur: quia ſub tegumento rerum corporalium Diuinam virtutem latenter eorum operantem effectum contegunt. Et per materiale elementum extrinſecùs ſuppoſitum oculis, inuiſibilem gratiam dignè accedentibus conferunt. *Dum caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt & anima muniatur. Caro manuum impoſitione adumbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore, & ſanguine Chriſti paſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur*, ait Tertullianus *lib. de Reſurrectione carnis*. Vndè & Scotus *in 4. ſentent. diſt. 1. quaſt. 2. art. 2.* Sacramentum in genere definiens ait: *Eſt ſignum ſenſibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.* Et tamen horribili profanatione hæc ſacroſanta myſteria à maleficis aſſumuntur: dum ſuas concinnant incantationes; maximè Sacramenta Baptiſmi, Sacræ Vnctionis, & Sanctiſſimæ Eucharistiæ: Quod totidem articulis patefiet. 741

Nihil auguſtius Sacramẽtis.

Iis tamẽ malefici abutuntur præcipuè. Baptiſmo, Vnctione ſacra Eucharistia

ARTICVLVS I.

Baptiſmi.

§. I.

NOn immeritò ſacri Baptiſmatis ſacramentum fons, vitæ à fidelibus nuncupatur; quia accedentes melioris vitæ nouitate reformat; & priùs in peccato mortuos viuentes iuſtitię donat. In quo ſi conſideretur ſolummodò quod corporeus aſpicit ſenſus, elementum fluidum conſpicitur, corruptioni ſubiectum, quod corpora ſolùm lauandi potentiam obtinet; ſed ſi virtus ſpiritus ſancti per conſecrationem Sacerdotis accedens inſpiciatur, non ſolùm corpora: verùm etiam animas diluere, & ſpirituales ſordes ſpirituali potentia amouere dignoſcitur; ità vt in vno, eodemquè elemento inſit, & quod corporis ſenſus attingat mutabile, atquè corruptibile, & quod fides ſola conſpiciat, nec corruptioni, nec vitæ diſcrimini obnoxium. In proprietate humor corruptibilis, in myſterio verò virtus ſanabilis, Elementum ſuperficies tenus lauans, virtus autem vitalis ſanctificationis; & quod immortalitatis eſt interiùs purgans. Comple- 742

Baptiſmus fons vitæ fidelibus.

plectitur vtrumque definitio tradita à Scoto *in 4. ſent. d. 3. q. 1.* dum ait: *Baptiſmus eſt ablutio hominis aliqualiter conſentientis facta ab alio in aqua ſimul verba certa cum intentione debita proferente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione diuina ablutionem animæ à peccato.*

§. II.

Maleficis fons mortis.

SEd maleficis, cæteriſquè ſathanæ miniſtris fons eſt mortis, & interitus ſempiterni, quando horribili abuſu, & ſathanico ſacrilegio eius aquam ſumunt ad ſuas incantationes conficiendas. Non enim eis ſufficit, cum ſe dæmonum miniſterio primùm deuouent, ſuſcepto in Eccleſia vero Baptiſmati renunciare, & fictum aliud, ſimulatumquè inferni baptiſma ſuſcipere; nouumquè nomen ſibi imponere; & nouos eligere execrandi baptiſmatis ſuſceptores: vt ante monuimus *diſput. 3.* Inſuper bufones, imagines malefica arte confectas baptizare: vt dicemus poſtea, quaſi in fictis illius baptiſmatis collationibus vis aliqua inſit; ſed etiam veri Baptiſmatis aquam ſuis potionibus, pulueribus, inguinibus, ſigniſquè maleficis admiſcere gaudent: vt teſtatur Grillandus *tract. de Sortileg. c. 5. num. 3.* & ex eo Delrius *lib. 3 par. 1. queſt. 3. Diſquiſ. magic.* Non quòd virtutem baptiſmalem huiuſmodi mixtis cōferre poſſint, quæ non recipitur niſi ab hominibus dignè diſpoſitis; ſed vt applicatione elementi cæteros viuificantis, mortem inferant ijs, quos perire volunt.

Dum illo in veneficijs abutuntur.

ARTICVLVS II.

Sacræ Vnctionis.

§. I.

Cur ſancta Vnctio cōferatur in Baptiſmate, Confirmatione, extrema vnctione

743 EAdem ſacrilega impietate oleo Sancto vtuntur; aut quo infirmi in extremis poſiti: aut quo infantes recenter baptizati: aut quo fideles adulti Epiſcopis inunguntur, & confirmantur. In ijs enim tribus Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutis vnctio ſacra confertur, vt debilibus robur, formidoloſis audacia, fatigatis requies, & proſtratis fiducia dimicandi tribuatur. Et certè ſi mundus procelloſo, & varijs acto tempeſtatibus mari: aut periculo certaminis aſſimilatur: ſicut proprium nautarum eſt, dum ſulcant æquora, nauem religare, vela reſarcire, quicquid vetuſtate corruptum, aut procellis diſſipatum reſtaurare, perluſtrare litora, portum quærere diligenter. Militum verò, dum aduerſus hoſtes viſibiles dimicant, augere animos, reſumere vires, in medias ruere acies, & confugere ad munita præſidia, vbi mederi vulneribus, artus reficere, neceſſitatibus prouidere valeant, vt iterum redeant in campum acriùs bellaturi: Ità Chriſtianis in hoc procelloſo mundi oceano nauigantibus, & certamen quotidianum in ſpirituali virtutum ſtadio ineuntibus opus eſt ad Eccleſiam, tanquam ad tutiſſimum portum, & inexpugnabilem arcem confugere, vbi ſacramentorum ope requiem, robur, vires, & animos comparare poſſint. Ideò cum hanc tempeſtuoſam nauigationem, & certamen fortè ingrediuntur, ſtatim Baptiſmi oleo inunguntur. Progredientes vlteriùs inter procellas, & acies, balſamo ſacro confirmantur. Iam portum, & prælij finem attingentes extrema vnctione roborantur: vt in nautarum morem cantato celeuſmate: aut ad modum victorum iopæan triumphali repetito, coronam aſſequantur æternam.

§. II.

In vnctionibus abutūtur malefici ad nocendum Corporibus, & Animabus.

744 ET tamen diabolica impietate malefici his ſacris vnctionibus abutuntur, non ad beneficia, ſed ad maleficia: non ad robur excitandum; ſed ad infirmitates inducendas: non ad vitam prorogandam; ſed ad inferendam horribilem mortem ijs, quibus hanc ſacramentorum materiam applicant, quam ſuis incantationibus, & ſortilegijs admiſcere non verentur; vt idem teſtatur Grillandus cap. 5. Et quaſi non ſufficiat nocere corporibus, animis damna inferunt; dum ijs materijs ſacramentalibus abutuntur ad impurum amorem in hominibus, & mulieribus excitandum. Quod idem Auctor *cap. 10.* confirmat exemplo.

Nec dum eſt annus elapſus, inquit *quòd vidi Romæ caſum ipsū euenire in facto, vbi duæ mulieres impudicę cum oleo Sācto Baptiſmatis, ac Chriſmatis inuxerunt ſibi labia dicentes quædam turpia verba ad formandum ſortilegium; deindè oſculabantur viros, à quibus amari cupiebant, aſſerentes, quòd illud ſortilegium, & obſeruantia operabatur maximum effectum quoad iniungendam dilectionem in corde vacuo. Nihilominus vidi ambas caſtigari per vrbem, & mitratas in loco quodā publico notiſſimo turpiter dehoneſtari.*

Hactenus ille; qui cap. 3. refert, illas cum labia inungerent, hæc verba dixiſſe; *Fides abrenuncio tibi*, & cum labijs ſic inunctis deoſculatas fuiſſe viros, à quibus diligi peroptabant; ſed experimento fallaci.

Sic anno Domini 1639. dum in quodam pago diœceſis Brixienſis concionarer, ac priuatim quandam mulierem ſatis læſæ famæ hortarer, vt vitam ſuam mutaret in melius; Vere, dixit, aliàs ſe vitam dixiſſe incontinentem, & laſciuijs deditam, dum in iuuentute ſua Brixiæ commorabatur: præcipuè dum quendam ſacerdotem iuuenem canonicum deperiſſet, ac cum illo carnaliter commiſceri ardenter exoptaret, vt enim ſuis poſſet facilè ſatisfacere votis, ſe ad quandam confugiſſe ſagam, quæ præcepit, ſi vellet ſuum conſequi deſiderium, oleum ſanctum, quo morientes inunguntur, aſſumeret, ac illo poſito ſuper ignitum ferrum interim quædam ſæpiùs repeteret verba. Quod impatiens amatrix, vt obtineret, quotidiè omnes viciniæ inuiſebat infirmos, ac benè attendebat, ſi cui fortè extrema vnctio adhibenda foret. Quarè cum tandem hoc cuidam adminiſtraretur ſacramentum adſtitit diligens mulier tum infirmo inſeruiēs magna charitate ſimulata flagrans, tum ſacerdoti adminiſtranti humiliter ſuum exhibens obſequium, qui globulos illos bombaceos, aut lineos, aut laneos, quibus membra infirmi, oleo ſancto inuncta abſterſerat, in pollubrum deponens, ſagax fœmina presbytero incogitante, & inaduertente illos ferè omnes furtim ſuſtulit, & in linteolo incluſos domum repentè detulit. At cum ſerò eſset, nec tempus huiuſmodi opus peragendi opportunum ſibi videretur, in quoddam parietis foramen repoſuit, vt poſtera die quicquid inſerat malefica, adimpleret; ſed nocte ſequenti (vt ipſa credidit)

à mu-

à muribus fuerunt deuorati: vel aliò tranſportati: ſed de his omnibus (ſubiunxit) ſe pænitentiam egiſse. Quod vtinam pro bono ſuo perfeciſset.

Hæc eſt vna ex illis, ſcilitet Mater, de qua *tom. 1. num.* 444.

ARTICVLVS II.

Euchariſtiæ.

745 *Euchariſtia cæteris eminet ſacramentis.* SIcut ſol cæteros orbium cæleſtium planetas ſplẽdore lucis, caloris ardore, & virtutis efficacia ſuperat; ità ſanctiſſimum Euchariſtiæ myſterium inter ſacramenta, quibus Eccleſia decoratur, reliquis eminere dignoſcitur. Cum non ſolùm gratiam ſignificet, & conferat; ſed etiam ipſum auctorem gratiæ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum incomprehenſibili modo verè, & realiter ſub ſpeciebus panis latitantem; atquè innumerabilibus bonis dignè accedentes, dum ſeipſum præbet in æſum, replentem, contineat. Quæ eſt ratio, cur dæmon eius hoſtis infenſus huic admirabili ſacramento præ cæteris iniurias, & contumelias inferre; eoquè potiùs, quàm aliis abuti, tentet. Quod variis modis in maleficiis, & ſortilegis operationibus præſtat.

Ideò malefici libentiùs ea abutuntur.

§. I.

Enumerantur modi abuſus. PRimò iubet aliquandò malefico, hoſtiam nondum conſecratam ſumere; & poſt ſacrilegos ritus obſeruatos, ea vti ad amorem conciliandum. Quod factum probat illius, qui, vt refert Grillandus *tract. de ſortileg. c.* 3. cum vnam accepiſſet, deſcripſerat in ea verba ſatis turpia: tum illam altari impoſuerat, hoc eſt, ſuper nudo lapide ſacrato; ſub linteamine tamen altaris abſconditam; & per quendam Sacerdotem (quem vocat: rotundæ conſcientiæ) ſuper ea quinquè miſſas curauerat celebrari, additis quibuſdam orationibus ad eius propoſitum compoſitis, tum ſumptam diuiſerat in duas partes; quarum alteram pro ſe reſeruauerat: alteram tradiderat perſonæ maleficiandæ, vt cum illa indiſſolubili amoris vinculo colligaretur. Idem oſtenditur attentatum à quadam impudica muliere (*apud eundem Grillandum*) in cuius cophinis repertæ fuerunt duæ hoſtiæ verbis quibuſdam ſanguineis inſcriptæ, vt illas altari mulieri traderet, quam impudicè vir quidam amabat.

§. II.

SEcundò eiuſdem dęmonis iuſſu ſacrilegi miniſtri creſcente malitia ſumunt etiam hoſtiam conſecratam: vt notat Gloſſa *in c. Accuſatus.* §. *ſanè de hæretic. in 6.* & teſtatur idem Grillandus *eodem loco* de quibuſdam ſortilegis, quorum vnus ad ſimilem amorem mulieris excitandum Sanctiſſimam Euchariſtiam in duas partes diuiſerat; & harum vnam ſumpſerat, verba turpia, & nefanda pronunciando: alteram minutatim contritam, & in pulaerem redactam amaſiæ miſerat, vt in cibum, aut potum ſumeret.

Tertiò maiori impietate aliquando ad eundem effectum ſuper prunas comburẽdam exponunt. Quod confirmat miraculum à Thoma Boſſio *de Notis Eccleſiæ lib. 14. cap. 7.* recitatum, de quadam muliere. *Hæc anno* 1273. *Aufidi in Piceno, cum venerabilem Euchariſtiam in Eccleſia recepiſſet, nec deglutiuiſſet, ſeruatam ſecum domum detulit, vt illa vteretur ad amorem mariti per veneficia conciliandum; atquè ſuper prunas in tegula repoſitam proiecit. Quo facto (mirabile dictu) apertiſſimè in carnem conuerſa eſt, & cæpit ſanguinem latè emittere, qui cohiberi non potuit, quamuis irrito conatu mulier cinerem, puluerem, terramquè apponeret. Cuius rei attonita ſacram Euchariſtiam, & tegulam cum carne, & ſanguine linteo inuoluens ſtabuli propinqui ſtercoribus infodit; vbi per ſeptem annos latuit, donec creſcentibus ibidem miraculis, & muliere reuelante, Sacra Euchariſtia, caro, & ſanguis intacta reperta ſunt, quæ poſt tanta temporum ſpatia in eodem ſtatu hactenus perſeuerant.*

§. III.

DEniquè quod horribile dictu, & inſigne diabolicæ malitię facinus, Sanctiſſimam Euchariſtiam bufoni priùs ſuo ritu baptizato deglutiendam exhibent; aut illam cum venenatis animalibus in ollis includunt, vt ſua maleficia hoſtilia, aut amatoria perficiant. Quod Sprengerus ſtupendo exemplo confirmat *p. 2. q. 1. c.* 12. 746

Quædam mulier poſt ſumptum Sanctiſſimum Sacramentum, illud ore extractum panniculo inuoluit; tum præcipiente dæmone proiecit in ollam, in qua bufo erat incluſus; & illam vnà cum alijs maleficis inſtrumentis in quodam ſtabulo propè horreum domus occultauit. Quod facinus ſequenti die manifeſtatum eſt hoc modo. Mercenarius quidam illàc iter faciens vocem infantis eiulantis audiuit, quæ tantò diſtinctiùs perſonabat, quantò propiùs accedebat ad illum locum: in quo, dum putat infantem ab aliqua meretrice ſubtumulatum fuiſse, rem ad Præſidem defert, cuius miniſtri ab eo miſſi, & in inſidijs poſiti, obſeruare cæperunt: an aliqua mulier ad hunc locum veniret, & ſic auctorem facinoris, & infanticidij, vt putabant, detegerent. Quod dum faciunt, ecce malefica venenis ollam extraxit occultè, & ſub pallio abſcondit: Quæ deprehenſa, & quæſtioni, torturæquè expoſita facinus ſuum confeſſa eſt.

Quibus ſceleribus quid atrocius excogitari poteſt?

§. IV.

HIs addo, quod nuper mihi narrauit quidam Religioſus fide dignus, nempè, ſe anno 1647. audiuiſſe à quodam Iuuene ſuo familiari, qui arti magicæ deditus erat, ſe inter alia opera, quæ ad malum inferendum: vel ad ſua optata conſequenda præſtabat, ſub pedibus ſuis intra calceorum ſoleas, particulam hoſtiæ conſecratæ in contemptum tanti Sacramenti ſic à dæmone iuſſum, & inſtructũ detuliſſe, qui eodem anno vnà cum alio fratre ſuo maiori eiuſdem pernicioſæ artis profeſſore extra illius diœceſis confinia deportatus eſt.

Hinc Parochi, cæteriquè Sacerdotes, ſi quandoquè huiuſmodi de magia: aut maleficio ſuſpectis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare contingat, diligentiſſimè obſeruare debent, & cauere,

cauere, ne hoſtiam conſecratam ſubter, ſed ſupra linguam ſuſcipiant: vel ſi immediatè poſt ſuſceptionem manus ori imponant, vt extrahant: aut quid ſimile præſeferant: vt quo meliori modo poſſunt, tam execrabile, & nefandum impediant ſacrilegiũ.

SECTIO II.

Sacra Scriptura.

748 NOn ſine cauſa in Eccleſijs duo erant antiquitùs ſecretaria à dextro, & à ſiniſtro latere hapſidis poſita; in quorum altero ſacra Euchariſtia: altero Diuinæ Scripturæ codices aſſeruabantur: vt Sanctus Paulinus *Epiſt.* 12. *ad Seuerum Sulpitium* in Nolana à ſe erecta Baſilica feciſſe refert verſibus in fronte eorum affixis.

Sacra Scripturæ dignitas.

A dextra hapſidis

Hic locus eſt, veaeranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterij.

A ſiniſtra verò eiuſdem

Si quem ſancta tenet meditandi in lege voluntas.
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Nihil enim vtroquè ſanctius, & ſacratius in Eccleſia reperiri poteſt: cum ſacra Scriptura reuelet myſteria, fidem fulciat, ſpem erigat, excitet charitatem, vitia propellat, virtutes promoueat, doceat veritatem, conuincat hæreſes, ignorantes illnminet, reducat errantes, ſaucijs medeatur, languentes corroboret, animet puſillanimes, peccantes arguat, pęnitentes purget, iuſtos ſanctificet, & vnumquemquè in doctrina ſalutis erudiat; & tamen malefici ſuo more ſacrilego in ſuis incantationibus abutuntur prolata, & ſcripta modò Hebraicè: modò Latinè: ſicut ſequentes articuli declarabunt.

Illa abutuntur malefici prolata, & ſcripta Hebraicè, Latinè.

ARTICVLVS I.

Hebraica.

§. I.

749 QVamuis nonnulli vanitatis magìs, quàm veritatis ſtudioſi magiam cabaliſticam ſacræ ſcripturæ hebraicis literis enucleandis intentam multis laudibus, & encomijs extollant, quaſi ſcientiam Myſticam, Generalem, Diuinam, & efficaciſſimam; tamen aſſerendum eſt, illam ſi non dæmonum fętum, ſaltem hominum ſomniantium intentum eſſe.

Quidam hebraicã Cabalã laudant, & ſentiunt

In hoc myſticam eſſe, aiunt: vt refert Pererius *lib.* 1. *de magia cap.* 10. atquè ideò ingenijs ſublimioribus dignam: quòd non more aliarum diſciplinarum, quæ ab hominibus edocentur, ſuam doctrinam rationibus, elenchis, & diſputationibus tractet; ſed illam ſub certis numeris, figuris, & ſymbolis in ſcriptura contentis tradat. In qua, vt ipſi volunt, ſingulæ literæ, figuræ, nomina, elementa, apices, lineæ, puncta, accentus, ſpiritus, eorumquè formæ, & omnia etiam, quæ in ea ſunt minutiſſima profundiſſimam quandam, & abditiſſimam ingentium rerum ſignificatricem doctrinam ſuo ſinu complectuntur.

Myſticã.

§. II.

GEneralem verò, eò quòd vniuerſam philoſophiam diuinam, humanam, naturalem myſticè, & ſymbolicè contineat; ità vt nihil de Deo, & eius eſſentia, exiſtentia, perfectione, operatione quæri: nihil de hominis natura, eſſe, viuere, operari, tàm quoad ſpiritum, quàm quoad animam, & corpus, eorumquè potentias, facultates, connexiones, productiones, actuſquè vegetatiuos, ſenſitiuos, rationales diſputare: nihil de omnibus, & ſingulis creaturarum ſpeciebus, indiuiduis, differentijs, inclinationibus, motibus, propagationibus inueſtigare: nihil deniquè de rebus omnibus, quæ in vniuerſa mundi machina conſpiciuntur, inquiri poſſit, quod ſub ijs literarum ſacrarum voluminibus non lateat; & ab occultis ſcientiæ cabaliſticæ Doctoribus non edoceatur.

Generalem.

§. III.

DIuinam autem ſcientiam eſſe prætendunt, non humanam, vt potè non traditam à mortalibus; ſed à Deo immortali, qui illam primùm Moyſem docuit, cum in ſynai montis cacumine inter nubes caliginoſas, procellas inſolitas, fumantem ignem, tubæ ſonum, & tonitruum perſtrepentium fragores, legem ſcriptam, & cabalam non ſcriptam; ſed illam digito in tabulis exaratam; iſtam ſacro ore, auribus, & cordi audientis traditam conſignauit. Quam tantus Doctor poſtea commendauit, non literarum monumentis; ſed oretenus; & illam ſuos aſſiſtentes ſpiritu Dei plenos edocuit, qui tantam ſcientiam deinceps per quam veluti manuum traditionem, & receptionem poſteris tradiderunt. Ideòquè dictam eſſe Cabalam hebraicè, quod latinè idem eſt quod receptio. Atquè ità à prioribus oretenus edoctam, & à poſterioribus auditione ſola receptam, memoriæquè commendatam vſquè modo poſt tot ſæcula conſeruatam fuiſſe.

Diuinã.

§. IV.

TAndem ità in ſuis operationibus efficacem eſſe contendunt; vt aſſerere non vereantur eum, qui hanc magiam cabaliſticam optimè teneat, omnia pręſentia ſcire, omnia futura pręſcire, omnibus orbis creaturis imperare; vt ei obedire cogantur, & omnia quantũuis inſolita poſſe perficere: vt patere, aiunt, in Moyſe, Ioſue, Elia, Eliſęo, ceteriſq. clarioribus antiquę legis hominibus; qnos huius ſcientię vi perfeciſſe, aſſerunt, quę in ſcripturis miracula referũtur. Quia, vt ipſi volunt, voces hebręę, quibus cunctę res in mundi primordio ab Adamo vocatę fuere ſingularẽ vim habẽt ad mira peragenda, vt potè, quę rerum omnium ſubſtantias, qualitates, & proprietates exprimant. Quocirca, cum ijs nominibus ſe appellari ſentiunt, confeſtim ſe vocanti ſubijcere; & in eius obſequio ſe totas addicere, mordicus aſſeuerãt. Quam ſcientię cabaliſticę virtutẽ non ſolùm ſacrarum literarũ prolationi tribuunt; ſed etiam ſcriptioni; cum literę hebraicę aptè concinnatę pergameno chartę, aut tabulis æneis, argenteis, & aureis imprimuntur. Sic teſtantur D. Thom. 2. 2. *q.* 95. *a.* 8. Ioannes Baptiſta Segnus *de vero ſtudio chriſtiano cap.* 7. §. *de arte Cabaliſtica* & Philippus Faber Fauent. *aduerſus impios Athęos diſput.* 1. *cap.* 11. *num.* 236. *& ſequentibus.* 750

Efficaciſſimam

§. V.

751 AT quis non iure meritò rideat tales nugas, & ingeniorum portenta? Vndè enim habent iſti boni viri in vocibus hebræis per ſe ſumptis, plura, & maiora latere myſteria, quàm in græcis, aut latinis? Quomodo probant, in lingua hebræa reperiri voces, quę omnium rerum naturas ſingulares, infimas differentias, & minimas proprietates exprimant? An illa vberior eſt, & ſignificantior græca, aut latina, aut alijs quibuslibet, in quibus certum eſt nullum eſſe nomen, quod ſimul alicuius rei ſubſtantiam, differentias, proprietates genericas, ſpecificas, & indiuiduales aperiat? Sed qua via conſtare hæc omnia poterunt, vim illam in vocibus, & characteribus hebraicis reperiri; cum certum ſit, alios eſſe characteres hebræos, qui nunc extant, quàm qui olim fuerant ante captiuitatem babylonicam: vt teſtatur D. Hieronymus *in Prologo galeato*, qui literas hebræas, quibus nunc vtimur ab Eſdra poſt captam Hieroſolymam, & reſtauratum templum inuentas fuiſſe, docet. Nam ſi hæc vis in primoribus characteribus inerat, nonnè ipſis pereuntibus euanuit? niſi fortè per canalem in poſteriores literas fluere, viſa fuerit ab iſtis Doctoribus oculatis? Inſuper quomodo vim illam res omnes naturales ſentire, & noſſe poterunt? Eſto illam homines norint. An etiam ad animata notitia illa perueniet; & indè ad vegetantia, arbores, & herbas progredietur? Aut fortè etiam ad inanimata, & inſenſibilia, Solem, Lunam, Aſtra, Elementa deueniet, quibus in hoc caſu non ſolùm aures, & ſenſum; ſed etiam intellectum tribuere neceſſe erit?

Reycitur hæc ſcientia varijs rationib.

§. VI.

752 QVæ ſi concedantur, & omnia naturalia audiant hebraicas illas voces. An eorum vi, & latenti virtute ſic afficientur, & mouebuntur, vt loquenti pro eius arbitrio parere; & quæcumquè ille vult, facere cogantur? At quomodo illorum verborum prolationem audire, & ei obedire poterunt, non dico inſenſibilia, quæ motu: non vegetantia, quæ ſenſu: non bruta, quæ ratione carent; ſed ipſi etiam homines motu, ſenſu, & ratione præditi; cum iuxta iſtorum ſententiam reconditiſſimam illam vim, & efficaciam vocum hebræarum pauciſſimi intelligãt; nec niſi qui in illa aut longo tẽpore exercitati tandem eius abſcondita penetrarunt? Qui ſi reperiantur, cur iſti Cabaliſtici peritiſſimi non imperant cælis, ſolem non ſiſtunt, non diuidunt maria, flumina non ſiccant, totumquè mundum non commutant? Cur iſti Iudæorum Philoſophi primores, qui nedum hanc ſcientiam ſibi arrogant; ſed etiam contendnnt ſuper alios edoctos eſſe, vi iſtius ſaltem à ſe duriſſimum ſeruitutis iugum, quo miſerè ſupra mille quingentis, & ſeptuaginta circiter annis oppreſſi tenentur, non excutiunt? Cur per huiuſmodi ſcientiam ad imperia, & regna non ſe eleuant? Probent ſe hoc feciſſe: aut de facto edant huiuſmodi poteſtatis ſpecimen, vt illos quaſi rediuiuos Moyſes, Ioſuas, Elias, Eliſeos, cæteroſque Prophetas ſuſpiciamus. Quaſi verò Sanctiſſimi illi viri virtute Cabalæ, & non potentiæ diuinæ opemiracula perfecerint!

Quare dicendum eſt, totam illam ſcripturæ cabaliſticæ prolationem, & applicationem tanquam inſulſam, ridiculam, & abominandam ab omnibus reijci debere: vtpotè à Necromantia, ſeu à magia dęmoniaca nil prorſus differentem; & per conſequens à ſpiritibus malis dęmonum, aut ſomniantibus delirantium hominum ingenijs adinuentam. De hac loquitur Decretum S. Inquiſitionis Romæ, quo damnantur omnes libri ad Cabalam pertinentes.

Concluditur, illã à dæmonibus, vel delirantibus hominibus adinuẽtam eſſe.

§. VII.

NEc tamen eſt denegandum, dari Cabalam piam, & ſanctam, quæ vocatur Arithmantica: ſicut prior impia, & diabolica appellatur Themantica: prout eam diuidit Garzonus in Platea vniuerſali diſcurſu 29. Hæc autem pia, & ſancta *eſt reuelatio rerum altiſſimarum ſub myſterijs abſconditarum*, vt tradit Pererius *contra artes ſuperſtitioſas l. 1. cap. 10.* Garzonus loc. cit. & Baptiſta Signa *de vero ſtudio chriſtiano cap. 8.* Apertiùs autem deſcribitur à Ioanne Pico Mirandulano *in Apologia q. 4. Cabala*, inquit, *eſt expoſitio, & intelligentia legis diuinæ datæ à Deo Moyſi cum manifeſtatione multorum myſteriorum, quæ ſub cortice literæ continentur.* Eſt enim opinio Rabbi Eleazar, Rabbi Moyſis de Ægypto, Simeon Belangis, Rabbi Iſmael, Rabbi Iodam, Rabbi Inachinam, & aliorum quamplurium (inquit Ioannes Picus) ex ſapientibus hebræorum, & etiam Doctorum legis chriſtianæ, Moyſem accepiſſe duplicem legem à Deo in Monte, ſcilicet, litteralem, & ſpiritualem: Moyſem autem ex præcepto Dei ſcripſiſſe litteralem. Spiritualem autem ex præcepto Dei non ſcripſiſſe; ſed ſolum 70. ſenioribus, & ſapientibus communicaſſe oretenus; atquè eis prę cepiſſe, vt ſic ſolis ſapientibus ſucceſſoribus oretenus traderent ſucceſſiuè. Ex hoc autem modo tradendi per ſucceſſionem iſtam ſcientiam adeptam fuiſſe nomen Cabalæ; vt ſupra diximus; Vndè ſcientia Cabalæ eſt idem, quòd ſcientia receptionis, ſeù traditionis.

753 *Conceditur dari Cabalã piam, & ſanctam*

Pretenſa tradità.

§. VII.

FVerunt autem hæc myſteria & ſecreta deindè tradita litteris, & ſcripta ab Eſdra eo tempore, quo hebræi à babylonica captiuitate reſtituti fuerũt per Cyrum, & ſub Zorobabel inſtauratum templum. Quare Eſdras, qui fuit præfectus Synagogæ, poſtquã legem Moyſis ſcriptam reparauit, & vetus correxit teſtamentum, voluit etiam vt iſta ſecreta Dei eloquia, quæ vſquè ad illud tempus ſcripta non erant, ſcriberentur: quia propter captiuitatem non poterant ſeruare illum ordinem tradendi illam doctrinam per manus; & dubium erat, ne ammitteretur, niſi ſcriptis mandaretur. At quia erant 70. ſeniores, quibus hæc doctrina communicata erat, ordinauit, vt in 70. libris ſcriberetur; qui tamen non niſi ſapientibus communicarentur. Quos libros Ioannes Picus multa impenſa ſe conquiſiuiſſe aſſerit: quia hæbrei hos libros noſtris latinis communicare nolunt.

754 *Scriptis exarata*

Hos autem libros, ait Picus, omnia fidei noſtræ cõſona continere, & eſſe valdè vtiles ad hebræos de eorum perfidia in Chriſtum conuincendos: quia fuerunt Dei ore traditi; & à Iudæis ante mortem, & aduentum ſcripti: Quo tempore nulla paſſione ad viciandam, vel corrumpendam ipſam veritatem moueri poterant. Quos libros interdum (vt notat idem Picus) citant maximè in explicandis diuinæ ſcripturæ ſenſibus Doctores Sancti, & pręcipuè D. Hieronymus. Nec eſt dicendum, hos libros eſſe Talmud, quia iſti totaliter ſunt contra Chriſtum. Et præterea Talmud poſt mortem Chriſti pluſquam 150. annis fuit compoſitum.

Hæc

§. IX.

755 *Quę eſt amplectanda.*

HÆc verò pia Cabala, ſi datur, vt tenet Ioannes Picus, cui ſe ſubſcribunt Faber Fauentinus *aduerſus impios Athæos diſput.* 1. *cap.* 11. Pererius *contra ſuperſtitioſas artes lib.* 1. *cap.* 10. Baptiſta Signa loco citato, & nuper Ignatius Lupus *Comm. Edicti S. Inquiſit. par.* 3. *lib.* 15. *diſt.* 1. *artic.* 2. *diffic.* 1. non eſt reijcienda; ſed tanquam doctrina à Deo tradita maximè eſt amplectenda modò vt talis ab Eccleſia ſit prius approbata. Hac enim illuſtrati fuerunt Apoſtoli: vt teſtatur S. Lucas cap. 8. ibi: *Vobis datum eſt noſce myſterium Regni Dei: cęteris autem in parabolis*. Hæc quoquè nobis promiſſa fuit illis verbis: *Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduerſarij veſtri*. Luc. 21. Item illis verbis: Matthæi 10. *Cum ſteteritis ante Reges, & Pręſides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*. Quod ſæpiùs in Martyribus, & Confeſſoribus adimpletum eſſe, in comperto eſt. Quæ prout eſt à Deo reuelante vocatur reuelatio: vt verò ab vno homine in alium recipitur, nomen Cabalæ, ideſt, receptionis ſortita eſt.

Hanc, quidam ſentiunt, vt tradit noſter Lupus *loco citato*, Theologorum eminentium, ſcilicet, ſpiritu, & ſcientia corruſcantium propriam eſſe; ſed verius dicendum, ſolius Eccleſiæ Catholicæ Romanæ eſſe propriam, quæ cum à Spiritu ſancto edoceatur, in nullo errare poſſe, nemo eſt, qui ambigat. Reſpectu verò particularium dico; Si aliqui nonnulla diuinorum myſteria occulta ſe noſſe arbitrentur: hi examinandi ſunt: an talia myſteria diuinæ ſcripturæ, doctrinæ euangelicæ, eccleſiaſticis ſanctionibus, Patrum teſtimonijs, rectæ rationi, ac bonis moribus ſint conſona: aliter vt ſuſpectæ huiuſmodi reuelationes ſunt habendæ, & prorſus ab Eccleſiaſticis, vel catholicis viris reijciendæ.

§. X.

756 *Hanc gideturpant varijs modis.*

SEd hanc Cabalam piam, & ſanctam ſiuè oretenus traditam; ſiuè ſcriptis exaratam à Magis, ac Maleficis inficiari quis non videat? Non enim eis ſufficit, impiam illam primam, & diabolicam adinueniſſe, qua ſe mirabilia patrare poſſe, ſibi perſuadent; verùm & hanc piam, & ſanctum maculare, & conſpurcare ſatagunt, dum varia myſteria occulta de Deo, de Chriſto, eius vita, paſſione, & morte per traditionem à ſapientioribus Magis, ac Maleficis ſe oretenus recepiſſe profitentur: ſicquè Dei nominibus hebraicis ſiuè ore prolatis, ſiuè ſcriptis: vt El, Eloym, Sabaoth, Eloa, Elion, Eſercheye, Sothaij, Adonai, Ya, Agla. Thetagramaton, & alijs pluribus, ſimul cum dęmonum nominibus, vt Belial, Beelzebub, Sathana, Behemot, Aſmodæo, Leuiathan, alijs prorſus vanis, & ridiculis incognitis vnitis tum ad varia concinnanda maleficia: vt ad ſanitatem ægrotis, ſiuè maleficio affectis conferendam: tum ad cęteros optatos effectus conſequendos abuti, ex varijs Magorum, & Maleficorum confeſſionibus experientia deſumpta, comprobatur. Quo quid Deo iniurioſius, & Eccleſiæ Catholicæ pernicioſius?

ARTICVLVS II.

Latina.

§. I.

SEd non ea ſunt peritia ordinarij ſathanæ miniſtri vt ſcripturam ſacram lingua hebraica pronunciare, & hebraicis characteribus ſcribere ſciant, qui nedum huius idiomatis prima elementa nouerunt, cum ferè omnes, qui artes maleficas; & incantationes profitẽtur, ſint prorſus illiterati. Sat ſibi eſſe putant, ſi latina verba vtcumq proferre, & exarare poſſint. Certum namquè eſt, hos ſacrilegos in ſuis faſcinationibus, impoſturis, coniurationibus, & curationibus ſacrę ſcripturæ, verba adhibere; atquè ijs admiſcere plurima blaſphematoria, inſulſa, abſurda, ignota, & nihil ſignificantia. Tum illa omnia ſimul inſcribere in ſuis amuletis, quibus vel mala inducere, vel auferre conſueuerunt: vt latè demonſtrabitur *tom.* 2. *diſput.* 1. 757

Malefici ſacra ſcriptura latina abutuntur, pręcipuè in ſuis amuletis.

§. II.

Quorum vſus introductus eſt dęmonis ope apud Gentiles Iudęos. Chriſtianos.

SIc, dęmone pręcipiente ſemper ſibi ſimili, magicę iſtę exercitationes apud Gentiles, Iudęos, & Chriſtianos introductę fuere. Gentiles quidẽ, & maximè Romani ſoliti erant puerulis de collo ſuſpendere res turpiculas, ne faſcinarẽtur; & alia amuleta ex diuerſis materijs compacta geſtare contra varias infirmitates, quibus ſanandis, vel impediendis mirificam virtutem tribuebant. Quem morem, ſicut & cæteras idololatriæ ſuperſtitioſas cæremonias à Græcis mutuati fuerant: apud quos ſua periapta, & periamata maximè commendabantur. Iudæi ſua geſtabant philacteria, diuinum præceptum perperam interpretãtes. Cum enim *Deuteronomij* 6. diceretur: *Eruntquè verba hæc, quæ ego pręcipio tibi hodie, in corde tuo, &c. & ligabis ea, quaſi ſignum in manu tua; eruntquè, & mouebuntur inter oculos tuos*. Ipſi plura ex varijs ſcripturæ locis verba congeſta membranis inſcribebant; quas geſtabant circumuolutas in fronte; & ſic à malis omnibus ſe immunes eſſe opinabantur. Chriſtiani obſoletum illum ritum ſacrilegæ antiquitatis renouare non verentur, dum ad maleficiorum præſcriptum ſuis vtuntur amuletis, quæ breuia vocant, & illa de collo ſuſpendunt, brachijs alligant, veſtibus inſerunt; aut alijs modis circumgeſtant, vt à febribus, alijſquè infirmitatibus liberentur.

§. III.

HÆc autem ſi luſtres, videbis continere multa Dei nomina hebraica, gręca, latina, crucibus intertexta. Nomina inſuper Angelorum Sanctorum, non illa nota, Michaelis, Gabrielis, Raphaelis; ſed alia incognita, Tubuelis, Raguelis, Simihelis, Adimis, Tubua, & ſimilia: Vel triũ Regum Gaſpar, Baltaſar, Melchior cũ certis verſiculis. Pręterea verba à Chriſto in cruce pendente prolata, quæ non atramento ſolùm; ſed ſæpiùs ſanguine infirmitatem patientis aſcribuntur. Inſuper verſiculos ex pſalmis Dauidicis variè deſumptos, & ſimul conſutos. Deniquè centones textus euangelici, quibus adduntur verba conſecrationis: aut alia ex canone miſſę mutuata cum 758

Ideòquè vt ſacrilegus, & profanus reijcitur.

mutilis eccleſiaſticarum precum relationibus. Quę omnia quatenus verbis ſacris miſcētur ſuſpecta eſſe: vel ſi addantur aliæ vanæ obſeruantiæ, ſacrilegā eſſe diuinarum ſcripturarum profanationem, nemo dubitat; & nos latiùs probabimus, cum de Curatione dæmoniaca, vbi de verbis ſignificatiuis loqui dabitur.

SECTIO III.

Suppellectili Eccleſiaſtica.

759 *Malefici abutuntur ſuppellectili ſacra.* SI illa omnia, quæ ſpeciali conſecratione diuini cultus obſequijs deputantur, ſingulari reuerentia tanquam quid diuinum contrectari debent: quid dicendum de maleficorum impietate, cum illis omnibus abutuntur, quæ quoquo modo diuinis, & eccleſiaſticis miniſterijs deſtinata ſunt; & pertinent ad vniuerſam ſupellectilem ea omnia complectentem, quæ Vel ad Templorum ſanctitatem, & ornatum conducunt: Vel Miniſtrorum Eccleſiæ vſibus deſtinantur: Vel Fidelium omnium pietati excitandæ, atquè fouendæ inſeruiunt? vt ſequentes articuli manifeſtabunt. *Templorum, Eccleſiaſticorum, Fideliũ.*

ARTICVLVS I.

Templorum.

§. I.

760 *Suppellex templorum à maleficis profanatur.* QVàm acceptus Deo, & hominibus venerabilis ſit templorum ornatus; & quantùm ad diuinum honorem, atquè ad mortalium ſalutem conferat, antiqui, & noui teſtamenti monumenta teſtantur. Sed quàm dæmoni ſit exoſus, probat horrenda profanatio, quam per maleficos exercere non ceſſat; tàm ea, quæ cultui diuino in templis dedicata ſunt, ipſo iubente incantationibus, & veneficijs à ſuis miniſtris applicantur.

Cruces. Ordiuntur a Cruce, quæ ex antiqua praxi ritu eccleſiaſtico erigitur primò in his locis, in quibus fideles templa ad Dei gloriam, & ſanctorum honorem ſuſcitare parant: cum ſit victoria Chriſti, perditio diaboli, infernorum deſtructio, cæleſtium confirmatio, clauis paradiſi, lignum vitæ æternæ, infidelium mors, vita iuſtorum, mortuorum victoria, & ſpes viuentium: vt teſtantur Origenes *homil. 6. in Exod. & alijs locis,* Drogo Hoſtienſis *ſerm. de Sacram. Dominicæ crucis.* Beatus Laurentius Iuſtin. *ſerm. de exaltat. ſanctæ crucis.* S. Ephrem Syrus *ſerm. de cruce, & lib. de Pænit.* S. Leo *ſermon.* 8. *de Paſſione.* S. Martialis *in Epiſt. ad Burdegalenſes c.*8. Landulphus Cart. *de vita Chriſti, vbi de Paſſione Domini:* & vt loquuntur communiter Patres.

§. II.

761 *Crucifixi effigies.* IDem præſtant in Chriſti de cruce pendentis effigie. Crucifixus etenim per crucem peccata deleuit, deſtruxit mortem, vitam introduxit, dedit gratiam, gloriam acquiſiuit, reſerauit cælum, infernum confregit, terram ſanctificauit, beatificauit Angelos, ſanctificauit homines, ſubegit dæmones, principatus, & poteſtates expoliauit, palàm triumphans illos in ſemetipſo: vt Paulus teſtatur ſcribens ad Coloſs. c. 2. Vndè eius effigies conſummato templo in medio eleuatur: vt docet Lactantius *carmine de Paſſione Domini,* in quo Chriſtum alloquentem ingredientes, & ad compaſſionem ſuæ paſſionis excitantem introduxit his verbis:

Quiſquis ades, medijquè ſubis hac limina templi,
Flecte genu, lignumquè crucis venerabile adora.

Quarè, & cruci, & Crucifixo inſidias inferre conantur, non ſolùm inſultu publico, vt antea vidimus *diſputat. præcedenti,* dum ſacras cruces deijciunt, calcant, in fruſta redigunt, inijciunt in flammas: aut ſclopo eiaculato glandes plumbeas igneas immittunt; ſed etiam occulto impetu, nempè, ſub ſpecie ſanctitatis: cum nihil ſit tàm frequens apud maleficos, quàm Crucis, aut Crucifixi alicuius particulas applicare ijs, qui aliqua infirmitate vexantur. Vndè ſi in confinijs ſit aliqua crucis, aut Chriſti Crucifixi imago, quæ à fidelibus honore ſpeciali colatur, aliquam eius particulam ad infirmi ſalutem neceſſariam eſſe, contendunt; vt ſic paulatim illam annihilare, & diſcerpere valeant. Et cum tales deſunt, ijs vtuntur, quæ in promptu ſunt: quas iubent, vel immitti in aquas: vel foueri in cubiculis: vel in locis obſcenis collocari. Sicquè in ſuis amuletis, quæ febricitantibus, aut alio modo laborantibus tradunt, frequentiſſimas cruces apponere conſueuerunt.

§. III.

TVm conuertuntur ad ſanctorum imagines, quarum venerandum cultum ſemper in Eccleſia obſeruatum ipſis ſummè diſplicere omnium miniſtrorum infernalium ſacrilegæ profanationes ſatis, ſuperquè demonſtrant. Hæretici in locis, ad quæ fanatica eorum rabies pertingere potuit, omnes Dei, Sanctiſſimæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum repræſentationes pictas, aut ſculptas iconoclaſtica impietate, & furore diabolico ſuſtulerunt, demiſſa ſæpiùs dæmonis effigie. Dum enim Diui Michaelis dæmonem calcantis: aut Sanctæ Genoueſæ candelam tenentis, quam follicularius dæmonculus extinguere tentat: aut alterius ex Sanctis draconem infernalem catena ligatum tenentis imagines deturpant, aut deturbant, intactas diaboli figuras relinquunt. Similiquè zelo ſculptas Chriſti vltimam cænam cum diſcipulis celebrantis ſtatuas deijcientes, Iudę ſimulacrum conſeruāt: vt neotericos Caluiniſtas feciſſe, refert Delrius *lib. 3. par. 1. q. 7. ſect.* 1. *Diſquiſ. magicar.* Ad demonſtrandum, ſe ſpiritu diabolico, & proditorio agitatos Chriſto, & Sanctis eius inſultare. Ita malefici, cum timore magiſtratus non cohibentur, inſtigante eodem dæmone imagines Sacras Chriſti, & Sanctorum omnibus contumelijs afficiunt; ſed quia timore correpti ſæpiùs non audent illas publica profanatione violare, aſſumpta religionis ſpecie occultis ſacrilegijs conſpurcant, quando illas ob diuerſos fines maleficijs applicant: ver. gr. ſi areſcente præ nimia ſiccitate terra à populis pluuia deſideretur: ſuadent, ſanctorum Martini, Vrbani, aut alterius ſtatuas in aquas, & fontes immergere. Vel iubent, illas vrticis, & ſpinis ſupponere, alta fouea abſcondere, collocare in locis obſcenis, aut ſordidis animalium ſtabulis ſub prætextu repellendæ ſterilitatis: aut inducendæ fertilitatis, ait Grillandus *cap. 10. tract. de ſortilegijs.* 762 *Imagines Dei, & Sanctorum.*

Quòd

§. IV.

763 *Sanctorũ reliquiæ.* QVòd ſi imaginibus ità abutuntur, quomodo, putas, eos ſe gerere in Sanctorum reliquias: cum eodem Grillando auctore *capitibus* 5. *&* 10. particulas oſſium, carnis, neruorum, capillorum, vnguium, veſtium, & ſimilium ſuis maleficis eſculentis, & poculentis immiſcent. Aut etiam rebus profanis, immundis, & horribilibus, puta, ſemine humano, menſtruo muliebri, ſtercoribus animalium, atquè alijs ſpurcitiis. Ideòquè ſacrariis inſidiantur, vt aliquas nanciſci poſſint; In quo præfecti ſollicitè vigilare tenentur.

Vaſa ſacra. Deniquè Baltaſſaris Regis more ſacra vaſa profanant: in hoc peiores: quòd ille vaſa aurea, & argentea à Nabuchodonoſor Ieroſolyma aſportata, ad vſum domeſticum iuſſit afferri, vt in celebri conuiuio cunctis Regni optimatibus exhibito illis tanquam poculis ad hauriendum vinum vteretur. Iſti verò vaſa eccleſiaſtica, aut eorum partes, & fruſta ad ſortilegia, & incantationes adhibeant; quibus exitium creaturæ infertur. Vt Iacobeta illa equina apud Remigium *lib.* 1. *cap.* 2. quæ aſpergillo luſtrali Petroniæ cuiuſdã filię, cui amicũ inuidebat, grauiſſimum morbum, & non multò poſt mortem immiſit.

ARTICVLVS II.

Clericorum.

§. I.

764 *Miniſtri nouæ legis antiquis venerabiliores in ſuis veſtibus.* SAnctitatis amictos zona gloriæ circumcinctos, ſtola glorioſa circundatos, & vaſis virtutis coronatos fuiſſe antiquos Sacerdotes teſtatur Eccleſiaſticus *cap.* 45. *&* 50. cum de Aaron, & Simone filio Oniæ loquitur: Eò quòd mitra lamina aurea fulgente, rationali Iudicii, lapidibus duodecim radiante, ſuperhumerali auro, hyacintho cocco, & purpura intertexto, aureiſquè tintinnabulis in gyrum ornato, & tunica linea ſplendente induebantur. Quæ potiori iure de Sacerdotibus nouæ legis dici poſſunt, qui auguſtioribus miniſteriis deſtinati, non typicè, & vmbratilis; ſed verè Sanctitatis indiciis amiciuntur, cum amicto, alba, cingulo, manipulo, ſtola, planeta, & aliis ſacerdotalibus, aut pontificalibus ornamentis induti ad altare ſacrum accedunt: quod non taurorum, aut vitulorum ſanguine rubet; ſed corporis, & ſanguinis Chriſti, ſacris pallis, & corporalibus obuoluti incruenta oblatione ſplendeſcit.

§. II.

765 *Quas profanant dum illas adhibent.* HÆc tamen ſathanas profanare non erubeſcit; cui placet iis vti ad exitium hominis, quibus ſummus Deo cultus offertur. Vult enim in ſuis congregationibus, vt ait Grillandus cap. 3. à Maleficis reddi expreſſum adorationis cultum per ſolemnia ſacrificia; in quibus paramentis, luminaribus, orationibus, & alijs huiuſmodi ritum diuini cultus imitantibus vtuntur. *1. In miniſterijs diabolo exhibitis.* Quod probat mulieris Aquitanæ confeſſio relata à Florimundo de Raymundis Conſiliario Burdegalenſe *in ſuo libro de Antichriſto c.* 7. quæ coram Iudicibus faſſa eſt, in his ſathanicis conuentibus, quibus ipſa ſæpiùs interfuerat, miſſæ ſimulacrum exhiberi; & illum, qui illam peragit, caſula nigra, cui nulla crux intexta, veſtiri: loco hoſtiæ orbe ex rapa tinctum fuligine eleuari; & omnes ad illam eleuationem clamare: *Magiſter adiuua nos.* Sic venenatos pulueres perfici, ſortilegijque miniſteria diſtribui. Idem enunciarunt aliæ ſtriges, aſſerentes, ad has impietates peragendas cum maiori dæmonum applauſu ſacras veſtes ſæpiùs è ſacrarijs furto à maleficis auferri; atque in ijs diabolicis miniſterijs peragendis adhiberi.

§. III.

EAſdem profanant in ſuis incantationibus. *Nam,* vt ait Grillandus *cap.* 5. *tract. de ſortileg. capiũt fruſtula quædam indumentorum Sacerdotalium, aliorumquè panniculorum benedictorum, quibus ſacra myſteria celebrantur: ſicut camiſciæ, purificatorij, corporalis, tunicellæ, manipuli, amictus, lapidis ſacrati, mappæ, altaris, patinæ, ſudarij, calicis, & ſimilium; atquè ità omnia, vel iſtorum partem admiſcere ſolent in ſortilegijs amatorijs, adhibitis etiam nefandiſſimis precibus, & diabolicis verbis, ad turpes libidinis actus tot ſacramentorum & aliorum ſacrorum perpetrantes abuſum.* Hæc Grillandus. Quæ etiam profanationes in cæteris maleficijs locum habent. Non enim maior eſt ratio, cur in amatorijs potius, quàm in venenarijs, hoſtilibus, cæteriſquè adhibeantur. *2. In incantationibus.*

ARTICVLVS III.

Laicorum.

§. I.

AD ſuppellectilem ſacram laicorum ea omnia pertinent, quæ ad pietatem excitandam, & 766 fouendam non ſolùm perſonis cultui eccleſiaſtico *Quæ ſupellex* dicatis; ſed omnibus omninò fidelibus in Eccleſijs *ſacra* proponuntur: qualia ſunt: Aqua Sancta præ foribus *Laicorũ.* templorum intrantibus exhibita: Panis benedictus, qui Eulogiarum more in aliquibus locis diebus dominicis non communicantibus diſtribuitur: Cereæ formæ orbiculares, quas Agnos Dei vocamus propter Agnum in vna facie impreſſum. Cereus paſchalis ſabbato ſancto in honorem Chriſti reſurgentis ſolemniter conſecratus: Candelæ ad Sacrum hypapanthe, ſeù Purificationis feſtum benedictæ. Palmæ, & oliuæ in dominica, quæ Palmarum vocatur, ad ſignificandum triumphantis Chriſti Domini ingreſſum, & victoriã de hoſtibus reportatam, ſolemni ritu ſacratæ, cæteræquè res: ver. gr. thus, oleum, vinum, ſal, cera, benedictionibus eccleſiaſticis expiatæ, & cultui diuino, vſuique fidelium deſtinatæ. Quibus maximas ineſſe virtutes, aliàs oſtendemus; cum de maleficiorum Curatione diuina, & Eccleſiaſtica proloqui dabitur.

§. II.

HÆc verò ad vſum profanum, & diabolicum ſortilegiorum, & maleficiorum transferri, & applicari à ſacrilegis ſathanæ miniſtris, teſtatur Grillandus *eodem cap.* 5. *ſupra citato*: cum illa, ſicut cætera ſacra alijs maleficialibus rebus admiſcent: vt quod in vtilitatem chriſtianorum conſecratum

tum eſt, in eorum ruinam cedat. Atquè ita ex ſuperioribus euidenter apparet, dæmonem extrema malitia rebus omnibus ſacris abuti; nihilquè eſſe tàm Sanctum in eccleſiaſtico cultu, quod ſuo, & ſuorum miniſterio violare, & profanare non tentet.

CAPVT II.

Profanis.

267 SI inſenſus humanæ naturæ hoſtis tam audax eſt in rebus ſacris per ſuas incantationes violandis, quid non tentabit in profanis, quæ eò potiùs ſathanicæ dominationi ſubduntur, quòd, ſicut priores, non ſunt ſpeciali dedicatione diuinis conſecratæ obſequijs? Ideò per illas res atrociora molitur in hominum perniciem, quoquomodo illis, vel vt phyſica virtute pollentibus: vel vt ſignis ex compoſito inſtitutis vtatur. Quod magis patebit, ſi modum, quo illas in maleficijs applicat, conſideremus: Siuè ſint Phyſicæ: Siuè Artificiales: ſiuè Mixtæ: vt totidem ſectionibus explicabitur.

Dæmon rebus profanis abutitur

Siuè Phyſicis. Siuè Artificialibus. Siuè Mixtis.

SECTIO I.

Phyſicis.

768 REtum naturalium, ſeù phyſicarum inanimatarum aliàs eſſe elementares, alias mixtas; & vtraſquè à maleficis labefactari, certum eſt. In ijs namquè ſortilegis compoſitionibus adhibent modò terram albicantem, rubeſcentem, flauam, friabilem, leuem, ponderoſam, pinguem, macram, varij ſaporis, odoris, & efficaciæ. modò metallorum genera ſeptem, videlicet, aurum, argentum, æs, electrum, ſtannum, plumbum, & quod domat omnia, ferrum. Aliquando ſcorias ex eis prodeuntes: aut eorum compoſita: vt auricalcum, litharginum, chalcitem, calcantum, pondium, antiſpondium, anthimonium. Aliquando ſpiritus minerales, nempè ſulphur, auripigmentum, ſeù arſenicum, ſal armoniacum, & mercurium, ſeù argentum viuum omnium mineralium transformationum medium potentiſſimum. Nunc mineralia, quæ media corpora ſunt inter corpora, & ſpiritus, qualia ſunt: alumen, atramentum, vitrum obſianum. Nunc colores varios, ceruſam, vermilionem, cinabrum, minium, ochram, ſandaracum, ſinopidem, purpuriſſum, cæteroſquè natiuos, aut fictitios. Sæpiùs communium lapidum, & ſaxorum fruſta, calcem, gypſum, tophum, ſilicem, cotem. Sæpiùs fruſtula marmoris varij generis, gagatis, cariſtæi; & vt plurimùm magnetis; immò (quamuis rariùs) gemmas, & lapides pretioſos: Virides; vt ſmaragdū, iaſpim, topaſium, praſium, chryſopaſſium. Rubros: corallum, onicem, ſardonicem, ſuccinum. Purpureos, ametiſtum, ſaphyrum, hiacynthum, cyanæam. Candidos, margaritam, galactitem, ſilenitem, cimediam. Nigros, achathem, egicillam, pyritim. Varios, oppalum, olcam, mitridalem. Chryſtallinos, galiceam, ceraunium, iridem, dracontidem, & id generis alios. Nihil enim intactum relinquunt, quo iubente dæmone non abutantur vel vt cauſa: vel vt ſigno. Et hæc omnia applicant: aut Attrita: aut Solida: ſicut ſequentibus articulis palam fiet.

Res phyſicæ inanimatæ in maleficijs adhibentur

Aut Attritæ. Aut Solidæ.

ARTICVLVS I.

Attritis.

QVamuis ſolis inferni candidatis maleficiorum myſteria pateant; & difficile ſit agnoſcere, ex quibus rebus pulueres, & vnguenta conficiantur; quorum vi, aut infirmitates: aut curationes inferunt; cum ipſimet eorum diſtributores hoc ſæpiùs ignorent; & tàm pulueres, quàm vnguenta à ſuis magiſterulis malefica inſtrumenta in ſuis generalibus conuentibus iuxta cuiuſquè officiū adminiſtrantibus accipiant: vt teſtatur Petrus Binsfel. *Comment. in Titul. C. de malef. & mathem. L. Eorum quæſt. 6. concl. 2.* Attamen ſi ex peritorum confeſſionibus, & illorum apparentia aliquid liceat ſuſpicari, hæc omnia ex ſupra relatis rebus admixtis varijs herbis, oſſibus, aquis, vinis, oleis, cæteriſquè liquoribus venenatis conficiuntur. 769

Difficile eſt, res attritas agnoſcere, quibus à maleficis pulueres & vnguēta conficiuntur.

§. I.

PVlueres namquè alij ſunt atri: cinericei: alij rufi: alij albi coloris. Primi præſentiſſimam necem afferunt. Secundi morbum faciunt. Tertij leuem infirmitatem inducunt. Quarti malum tollunt, & pro medicina applicantur; ità vt hæc pharmaca ſuis ſic officijs, & viribus ſolo colore diſtinguantur: vt refert Remigius *lib. 1. dæmonol. cap. 2.* qui tamen optimè notat, vires illas non ex diuerſitate coloris, vel alijs qualitatibus emanare; ſed ex dæmonis voluntate pendere.

qualitas puluerū.

Quod probat ex eo, quod. Primò idem puluis oppoſitos operatur effectus, cum ille, qui eſt albi coloris, ſi à ſtriga iſta reſperſus fuerit, medicinam facit, & ſanitatem affert. In alterius verò ſtrigis poteſtate infirmitatem, & morbos grauiſſimos cauſat. Secundò Cineritius, qui vulgò morbum non lethalem inducit; necandi tamen vim habet, vbi primùm à Veneficis poſt datum ſathanicæ militiæ nomen vſurpatur. Tertiò omnes illi pulueres impunè à Veneficis contrectantur. Quamuis enim virus habeant, quod certiſſimum corpori venenum infert per conduplicata etiam veſtimenta penetrabile; attamen nuda eorum manus ſine noxa illos tangit, ſpargit, diſtribuit: ità vt tuti, & illæſi maneant, dum peſtem in alios transmittunt. Quartò immò ab omnibus alijs geſtari; & attrectari poſſunt abſquè vllo nocumento, ſtatimac ſortilegi in vincula coniecti ſocietati dæmonis renunciarunt. Quintò deniquè in eo ſolùm agunt, quibus malefici nocere deſiderant, vt ſtatim dicemus. Ex quibus omnibus apertè conſtat, quidquid fit in puluerum illorum aſperſione, latentis dæmonis miniſterio fieri; & ſub minutula illa arena intus graſſari eum, qui ad huiuſmodi ſignorum applicationem operatur. Ideòquè colores illos non tàm eſſe diuerſos, ne in venenorum delectu malefici hallucinentur; & decepti vnum pro alio ſumant: quàm vt pactorum fides declaretur, & promiſſionum veritas eluceſcat: Et ſic tales pulueres non cauſas eſſe; ſed ſigna maleficij.

§. II.

IDem dicendum de vnguentis, quorum alia ſunt alba, alia rufa inſtar bituminis, in quibus permixtæ 770

Qualitas vnguentorū.

mixtæ metalli micç, & ſimul luteæ, candidanteſquè guttæ interlucent: vt exemplo idem Auctor oſtendit *lib.1.c.3.* Mariæ Albertæ, & Catharinæ Præuotiæ, quæ maleficij damnandæ, cum rogarentur mala ſua venena, ſi quæ forte domi reliquiſſent, indicare; ne alicui illis vita functis fraudi eſſe poſſent; idquè ſtatim feciſſent; allatæ ſunt à Perquiſitoribus ollæ duæ fictiles, in quibus tale vnguentum bituminoſum viſebatur: Quæ colorum diuerſitas, diuerſarum rerum, quæ in iſtorum vnguentorum compoſitionem veniunt, varietatem arguit; quam etiam ſignis oſtendit. Nam ſi hæc in flammas inijcias, fulgorem, ſtrepitum, nidoremquè edunt, atquè emittunt, qualem nulla res alia edere, atquè emittere poteſt.

771 Vtriſquè autem tàm vnguentis, quàm pulueribus malefici, & occultè, & efficaciter vtuntur. Occultè quidem: quia inſidioſiſſimis rationibus venena illa pulueraria, & vnguenta ſpargere, & applicare nouerunt; dum manus puluere plenas, & inguine illitas habent, vt eorum vſus ſit magis expeditus, & ad omnem occaſionem parati in promptu habeant, quo nocere poſſint. Hoc autem præſtant: Aut infundendo in cibum, & potum: Aut corpori applicando: Aut leuiter etiam in veſtes ipſas ſpargendo: Aut virgæ medicatæ applicando: Aut per dæmones ſpargendo: Aut in itinere diſſeminando, quo tranſituri ſunt, quibus exitium intentant. Ijs ſex modis ad dæmonis nutum illa diſpenſant: vt exemplis ab eodem Auctore petitis probare licet.

Quomodo vtriſquè vtãtur

1. Occultè ſex modis.

§. III.

772 *PRimo modo Nicolæa Morelia cum venenum dediſſet cuidam coquo Dynaſtæ eius pagi, quẽ incolebat; ac morbus tantum mortis expers eſſet ſecutus, & ob id duriſſimè à dæmone vapulaſſet, coacta fuit damno grauiore eum afficere, & in eius culinam aduolare, vbi potionem, quæ dum fortè coquo parabatur ad ſanationem, & in mortario miſcebatur, mortifero puluere à nemine conſpecto inſperſit; vnde non poſt miſer coquus extinctus eſt* lib.2.dæmon.c.9. *Huic affine accidit anno* 1645. *(nomen vici, ac diœceſis reticeo, quia ſic expedit.) Quædam mulier ſatis læſæ famæ, dum tempore æſtiuo per agrum tranſiret, vbi Colonus quidam paleas metebat, & ſitienti certam dedit potionem, quam ſecum in cucurbitula deferebat, qui aquam bibere ſitim extinguentem opinatus, ſtatim amaram, ac viſcoſam eſſe potionem animaduertit; ideòque à potu deſiſtens mulieri dixit; quid eſt hoc tam amarum? quæ ait, nil aliud eſſe, quàm aquam tinctam; ſed ecce illicò conturbata ſunt omnia viſcera eius, ac torqueri, lacerariquè cæperunt, cor puncturis affligi, quadam febri inſolita nullum ſeruante periodum laborare; acceſſit ad me, qui dum benedictionibus ſacris eum muniebam, meliùs ſe habebat; ſed poſt aliquot horas iterum iiſdem cruciatibus afficiebatur; Ad eum acceſſit illa vetula etiam non requiſita, quæ ſe velle eum ab ægritudine liberare aſſeruit: ideòque præcepit, vt veſtimenta ſua inuerteret, ac baculo percuteret: quia ſic infirmitas recederet. At ego prohibui, ne faceret: cum hoc remedium nec à Deo, nec ab Eccleſia, nec à natura vllam prorſus vim habere poſſet. Quæſierunt parentes ſigna maleficij, quo tempore ſtatim mulier illa accurrit quærens, quid facerent. Inuentis ſignis fuerunt à me igne prius benedicto combuſta; & interim ægrotus (vt mihi enarrauit) maximos ſuſtinuit cruciatus, & ferè ſenſibus fuit deſtitutus; ita quòd è lectulo, quo decumbebat, ampliùs ſurgere non potuit; ſed ſemper proficiebat in peius. Sibiquè videbantur viſcera igne ardentiſſimo continuè flagrari, ſitiſquè vehementiſſima illum affligebat; nec tamen aquam frigidam poterat libare: & quicquid aptum erat ſiti extinguendæ, funditùs abhorrebat. Varia à Medico fuerunt adhibita remedia: vt medicinæ euacuantes, vomitoria, pulueres cor roborantes, & cætera huiuſmodi, ſed omnia incaſſum. Cum tandem miſer iam morti eſſet proximus, Sanctiſſimis Sacramentis Confeſſionis, Euchariſtiæ, ac Extremæ vnctionis munitus: à parentibus, qui ex veneno ab illa muliere propinato moriturum exiſtimabant, res fuit ad Iudicem delata, qui ſtatim miſſis ſuis ſatellitibus mulierem captam carceribus mancipauit: Quo facto, illicò ab ægroto maleficiato ſitis ardor, aduſtio, dolores, torſiones, punctiones, cæteræquè afflictiones totaliter receſſerunt; ac poſt paucos dies priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.*

Vbi videas quid operentur huiuſmodi potiones venenariæ, nempè, ad votum dæmonis, qui ceſſat agere ad maleficiorum placitum, cum ad manus Iudicum deueniunt: vt latiùs oſtenditur infra *tom.2. diſp.1.*

§. IV.

SEcundò Nicolæa Stephana Sanpaulina Dommartinenſe Caſtrum peſtilentia repurgans, 773 *peracto opere, vt diutiùs remanere poſſet, Caſtellani vxorem placuit morbo aliquo diſtinere, nec mora adſtans ad fores cubiculi ſub prætextu reconcinnandarum collarij ſtrophij plicaturarum, quas diſturbatas eſſe dicebat, adducta per ſpeciem officij ad collum manu, ſolertiſſimè excuſſit in eius dorſum micas aliquas pulueris venenati, quem digiti tegebant. Ex quo illicò mulier membrorum horrore, & maximis doloribus correpta eſt. Remigius.* Lib.3.c.3. *Eodem modo Alexia Drigæa illinitum maritum, dum dormiret, interfecit.* Lib.1.c.3.

Tertiò Benedictus Drigæus veſtes inficiendo, cui vellet, mortem inferebat lib.2.cap.8. *Et Alexia Belhoria neglecta ad epulum, ad quod tota vicinia in natiuitate filij viri equeſtris conuocata erat, non aduertentibus qui aſportabant, venenato puluere puerum aſperſit, & necauit* lib.1.c.2.

Quartò Franciſcus Fellæus, Margarita Vuarnia, & aliæ ſtriges, dum virga, ſeu ioco obuios feriunt homines, quos perditos volunt, varijs infirmitatibus cruciant. Ibidem *idem Auctor.*

Quintò Martha Margelatia Brindenſis etiam abſens per dæmonem ſuum mortifero puluere Nicolaum Carpentarium conſperſit. Lib.2.cap.9.

Sextò Roſa Gerardina Stephanum obertum popularem ſuum in mortem congeſiſſe faſſa eſt; cum eius limen tali puluere horis antelucanis conſperſiſſet lib.2.cap.8. *Eumquè ſortilegorum morem in facinore deprehendi timentium eſſe, recitat ibidem Odilla Boncuriana, venenatum puluerem in*

via

via diſſeminandi, per quam tranſituri ſunt illi, quibus aliquid calamitatis moliuntur.

§. V.

774 EFficaciter verò his pulueribus, & vnguentis vtuntur. Nam, vt plures maleficæ apud eundem aſſeuerant *lib.2.cap.8.* numquam hoc fruſtra contra aliquem tentant; præſertim ſi illud à dæmone iuſſæ ſunt facere. Ideoquè non ſolùm hominibus ijs modis conatu numquam irrito nocent: vt exempla ſuperiora commonſtrant; ſed etiam pecudibus: vt alijs exemplis ad eodem Auctore relatis ibidem comprobatur.

2. Efficaciter.

Certis hominib. & beſtiis

Quæ tamen ità peragunt, vt ſparſus puluis non quibuslibet, qui illum contrectant, aut attingunt, morbos, aut necem inferat; ſed ijs tantùm, qui à maleficis deſignati dæmoni indicantur.

Ità apud eundem Hubertuia quædam Buxeriana, vt iniurias à municipe illatas vlciſceretur, vaccas quinquè, quarum prouentu ſe, ſuamquè familiã ſuſtentabat, veneno tollere ſtatuit. Nè tamen in facinore deprehenderetur, ſi illud ſua manu, aut virga patraret; cum perſuaderetur à ſuo magiſtellulo venenato puluere paſcua conſpergere ad quæ frequentior pecoris erat appulſus; verebetur tamen ſtriga, ne lues ad vniuerſum pecus, cui volebat parcere, perueniret: promiſit dæmon intra cum quinquè vaccarum numerum futuram omnem noxam; idquè euentus comprobauit nam illæ ſolæ ex omnibus perierunt.

Certo tẽpore.

Immò iuxta Grillandum *cap.3. de ſortileg.* venefici ità pulueres, & vnguenta temperant, vt morbos, aut mortem non ſtatim afferant; ſed intra determinatum ſpatium decem, aut viginti dierum, menſis; aut trium, aut quatuor menſium, prout ipſi volunt: ſicut ex multorum confeſſionibus didiciſſe aſſerit. Quod ratio ſuadet: cum hæc omnia maleficia arte præcipuè, & induſtria dæmonis componantur, & dæmoniaca virtute operentur.

§. VI.

775 HInc diligentiſſimè obſeruandum, maleficia per huiuſmodi venena illata difficillima eſſe ad curandum: & quandoquè ampliùs nullo modo, niſi per miraculum Dei curari poſſunt: vt teſtatur Binsfeldius *Comment. in Titul. C. de malef. & mathem. in L. Eorum quæſt.6.concl.5.* Ratio eſt: ſicut mala aliquando ità periculoſa, & inueterata ſunt, vt nulla arte medicorum curari queant: ità etiam ob diuturnitatem maleficia hominis naturam, vel aliquod organum, aut membrum internum, puta os paruum, neruum, muſculum, particulam hepatis, pulmonis, lienis, & cętera huiuſmodi ita alterare, deſtruere, ac corrumpere poſſunt, vt impoſſibile ſit ea curare. Non arte naturali; quia ſubiectum non eſt ampliùs diſpoſitum ad ſuſcipienda remedia naturalia: Non dæmoniaca, ſeù malefica virtute; quia cum maleficus curet cooperante demone, qui impedimenta ſanitatis remouere debet medijs naturalibus: ſi ob diuturnitatem omninò natura deſtructa ſit: vel membrum, aut organum aliquod corruptum, non poterit dæmon remedium afferre, nec à tali morbo ægrotum liberare: quia dæmonis potentia vires naturæ creatæ non excedit. Hinc ſæpiſſimè audimus, quando incantatores, & malefici interrogantur, & conſuluntur de morbis illatis (quod nullo modo fieri deberet) eis quandoquè reſpondetur: quòd nimis tardè veniant. Nec tandem poteſtate eccleſiaſtica; quia hæc tantùm ordinatur ad dęmones eijciendos è corporibus obſeſſis, ac locis infeſtis, ac maleficia deſtruenda, quandiù durant; At quando natura totaliter deſtituta eſt, vel aliquod organum, aut membrum eſt corruptum, non ampliùs durat maleficium; quia dęmon non eſt ibi pręſentialiter, nec poteſtatiuè; ſed remanet tantùm effectus maleficij, nempè malum per maleficium à dæmone illatum; quod cum per vires naturæ, ac potentias creatas ſit irreparabile, à ſolo Deo, qui omnia poteſt, per miraculum reparari poteſt.

ARTICVLVS II.

Solidis.

§. I.

SEd non ſemper à maleficis res naturales, ſeù phyſicæ in ſuis incantationibus atteruntur, & rediguntur in pulueres; aut in vnguenta liquantur; cum ſæpiùs ſolidæ applicentur: vt varij lapilli, ſaxorum fruſta, calx, arena, arenatum, carbones, ſeù prunæ extinctæ, cineres, puluis, ſabulum, bacilla, lignorum fruſta, claui, acus, paleæ, & alia id generis inſtrumenta: quæ præcipuè adhibentur, cum ad eos, quibus paratur exitium, facilis non datur acceſſus: aut maleficium in longum tempus protenditur. Tunc enim Venefici ſolent ſolidas diabolica ope hominibus infeſtandis diurno, & nocturno tempore applicare. Diurno quidem occultè ad illos accedendo abſquè eo, quòd ab alijs videantur. Nocturno verò præeunte dæmone, & ianuas, feneſtraſquè reſerante, petendo lectulos abſque ſtrepitu; & res maleficiales abſcondendo in puluinaribus, culcitris, ceruicalibus: aut in veſtimentis, pileis, & cingulis nullò aperturæ relicto veſtigio. Vel illas occultando ſub liminaribus oſtiorum, puteis profundioribus, animalium ſtabulis, aut alijs locis obſcurioribus, in quibus minus ſuſpicio viget, talia latitare: vt ſic longiori tempore maleficia perſeuerent; & perſonæ maleficiatæ diù crucientur. 776

Quarè res phyſicæ ſolidæ applicantur.

Quando

Quo loco

§. II.

VTrumquè experientia approbat. Primum quidem: quia in culcitris, & lectis infirmorum ea reperiuntur, quæ ſunt inſtrumenta maleficij, quibus ablatis, aut combuſtis, quandoquè ſanitas reſtituitur: vt inuenta fuiſſe refert Codroncus *lib.1.cap.8. de morb venef.* in lectulo filiæ. Vincentius Carrarius *2.par. de Medico, & eius officio,* in lectulo Sororis. Menghus *c.14. Fuſtis dæmonum* in lecto cuiuſdam nobiliſſimę Viduę apud Regium. Et alterius pueri nobilis apud Bononiam. Ab his inter multa, quorum fui teſtis oculatus vnicum non diſſimule referam. 777

probatur experientia.

Anno Domini 1644. Ciuedini Vallis Calepinæ vici diœceſis Bergomenſis quædam mulier ancilla cuiuſdam Dominæ Gandinenſis vitæ probitate, ac morum grauitate perilluſtris; fuerat affecta maleficio, ità vt in ſtomacho, capite, brachijs, cęteriſquè ferè corporis membris varios ſuſtineret cruciatus

ciatus, ab hera ſua fuit coram me adducta, qua diligenter examinata, ex ſignis certis cognito maleficio, tunc antiquorum Exorciſtarum ſequens morem, præcepi heræ, vt maleficij inſtrumenta diligenter perquireret; quæ ſine mora inquirens, inuenit in culcitra fruſtum caſei, aliud ſaponi, clauos, varia grana, tres, aut quatuor pecudis coſtas cum aliquibus carnis coctæ reliquijs coſtis adhærentibus, acſi nuper ex eis carnẽ dentibus deuoraſſent: aliaquè plura vana, & ridicula. His igne benedicto combuſtis, ſolitis adhibitis exorciſmis partim conualuit; ſed non in toto; adhuc enim in capite ingentem quandam grauitatem cum vehementi dolore ſuſtinebat. Tunc, vt accuratè etiam ceruical perluſtrarent, iuſſi: & egomet adfui, dum talia peragerent: in qua magna ſabuli, nec non ſeminum cucumerum quantitas fuit inuenta; ſabuli facillimè capitis grauitatem, ſeminum verò dolorem ex inſtituto dæmonis ſignificantium: quibus combuſtis, orationibuſquè eccleſiaſticis ad Deum directis, priſtinam conſecuta eſt ſanitatem.

§. III.

778 Hinc toties inculcant antiqui Exorciſtę eorum lectulos, puluinaria, & culcitras expurgare, quos ſubeſt ſuſpicio maleficio affectos eſſe: vt ipſe Menghus in ijs rebus exercitatiſſimus præſtare ſolebat, cum ad tales infirmos conſolandos vocabatur. Secundum etiam patet experimentis: cum ſæpiùs huiuſmodi ſigna in ſtabulis, & puteis reperiuntur; ſicut in facto accidit Comiti cuidam Vueſtratienſi, de quo Auctores Mallei Malefic, p.2.q.1.

Hic enim, cum elegantem, & nobilem duxiſſet vxorem per tres annos matrimonium conſumare non potuit; donec didicit à Concubina, vetulam quandam ipſum maleficio affeciſſe; & in ſignum ollam certas res maleficiales continentem in putei media curia palatij exiſtentis fundum immiſiſſe; vt quamdiù ibi remaneret, tandiù impotentia duraret. Qua olla ſublata, concrematiſquè rebus illis potentia deperdita Comiti, gaudente Comitiſſa, reſtituta eſt.

779 Sed hoc clariùs, & manifeſtiùs apparet in ordinarijs ligaminibus, per quæ matrimonio coniuncti ad actus coniugij frequenter inidonei fiunt. Ad hoc enim inter infinitos ferè modos, quibus vtuntur malefici, hic ordinarius eſt: Ligulam prolatis quibuſdam verbis, nectere; quæ quamdiù ſic innodata remanet, impedit, operante dæmone, ne mulieres viris: aut viri mulieribus debitum coniugale reddere poſſint; quamuis ad id omni conatu enitantur. Idem dicendum de laminibus æreis, & pluribus ſimili materia compactis, magiciſquè characteribus inſcriptis, quæ quamdiù ſub domorum liminibus, ſtabulis, agris, alijſquè locis defoſſa, & abſcondita perſeuerant, tandiù maleficium perſeuerat. Ex quibus videas, res naturales tùm attritas, tùm ſolidas in ſortilegijs ab incantatoribus adhiberi.

SECTIO II.

Artificialibus.

Tanta eſt malitioſa dæmonis verſipellis induſtria, vt nihil ferè ſit in rerum natura, ex quo materiam maleficarum operationum non aſſumat. Non enim rebus ſolùm naturalibus, & phyſicis vtitur; verùm etiam artificialibus, quæ duplicis ſunt generis. Nam alia fabricantur ab operarijs mercede conductis: Alia à maleficis nequitia compulſis concinnantur. 780 *Artificialia Alia operariorum, Alia Maleficiorũ.*

Prima ſæpiùs in ſortilegiis adhibentur; vt videtur in facto mulieris illius, de qua Delrius *lib.6.cap.2. ſect.1. queſt.3.* quæ cum impudicè verſaretur cum viro quodam, à quo ſe poſteà derelictam videbat. Vt illatam ſibi, vt putabat, iniuriam vlciſceretur, incantationem fecit ſuper ſeram clauſam, quam in puteum quendam miſit, & clauem ſimiliter in alium puteum; & ſic illum reddidit impotentem ad matrimonij conſummationem, quod cum alia muliere legitimè contraxerat. *Vtraquè adhibita in maleficijs.*

Secunda etiam ab illis frequentiùs adhibentur, vt conſtat experimento. Sed quia vtraquè ferè ſunt ſine numero; quis enim tot variorum operum modos, qui ab operarijs, & ſortilegis perficiuntur, valeat enumerare? omiſſis alijs omnibus, de duobus ſolùm totidem articulis diſſerere lubet, nempè Annulis, & Imaginibus, quæ inter artificialia Maleficorum opera nobiliores partes tenere, & efficaciori pollere virtute, ipſimet concedunt, qui illa fabricãt. *Præcipuè Annulis & Imaginibus.*

ARTICVLVS I.

Annulis.

§. I.

781 Virtute cæleſti magos mira poſſe perficere in prima diſput. de Deo *n.* 21. Hermetem Trimegiſtum *apud Auguſtinum lib.8. de Ciuit. Dei c.23.* ex duplici fundamento cenſere, docuimus; atquè adeò videri poſſe illos ad certum ſtellarum ſitum annulos, & imagines vim ad aliquos effectus producendos fabricare. Quod ex annulis Apollonij Thyanæi, Gygis, & aliorum; atquè auctoritatibus Marſilii Ficini, & Franciſci Victoriæ *Relect.* 12. *de Arte magica* veriſimiliter inſinuauimus. Non tamen ea fuit mens noſtra illud approbare; vt inibi ſcripta ſatis apertè demonſtrant. Multò minus Magorum, & Maleficorum ſententiam, & praxim confirmare, qui ſuis annulis, characteribus, & ſigillis miram vim ineſſe contendunt. *Declaratur noſtra ſententia circa annulos.*

Hæc eſt eorum ſententia. *Vultus cælo inferiores iuxta Ptolomæi axioma vultibus cæleſtibus ſubiacere; atquè ità vrſos omnes, canes, ſcorpiones, piſces, & huiuſmodi animalia, quæ terræ, mariſquè ſinibus aluntur, eſſe ſubiecta vrſæ, cani, ſcorpioni, piſcibus, & cæleſtibus animalibus. Nullam eſſe imaginem ſtellarum, & conſtellationem, quæ in cælis ab Aſtronomis collocãtur, cui peculiaris efficacitas nõ inhæreat ad producendũ aliquẽ effectum inſolitum. Planetas, & ſtellas in terreſtres imagines influere, ſi auro, argento, gemmis, & cæteris metallis imprimantur in ſympathia quadã naturali* *Explicatur magorum 1. Sentẽtia.*

verum inter ſe ſimilium; inquantum hæ figuræ adamuſſim inuicem coaptantur. Vnicuiquè metallorũ ſpeciei, vnicuiquè ætati hominis; vnicuiquè qualitati inducendæ: vnicuiquè corporis mẽbro, & parti ſingularẽ planetam præſidere; & eius figuram, ſi illi metallo appoſitè inſcribatur, mira perficere. Tãdem metallicos annulos hac figura inſignitos, & ad debitũ cæli, ſtellarum, & conſtellationũ ſitum fabrefactos vim ab illis excipere; & per illam mirabilium peragendorum poteſtate pollere.

Huic ſententiæ ſimilis praxis accedit, quæ talis eſt: *Cum aliquid perficere volunt, metallũ planetæ illi conueniens ſub eiuſdẽ planetæ dominio ſumunt. Tum quoſdã characteres, & imagines inſculpunt. Aliquãdo in fronte: aliquando in tergo: modò leua, modo dextera manu: nunc capite deorſũ: nunc ſurſum efformato. Deniq. ad certum illum cæli ſitũ annulum fabricant, in quo putant recipi corporis cæleſtis influxus, & virtutem. Iiſquè ſic fabricatis ſe inſolita peragere poſſe iactando aſſeuerant.*

1. Praxis.

Hanc doctrinã præter Ptolemæũ ſuſtinent Aphrodiſæus, Porphyrius, & alij Platonici: Ex recentioribus Pomponatius, Ficinus, Dulcis, & Antonius Mizaldus *in Centur. memorabil. c. 3. q. 1.*

§. II.

782 *Vtraquè tãquam nugax reijcitur varijs rationibus.*

SEd has iactabundas aſſertiones nugaces eſſe, quis non videat? Cælum namque cauſa eſt vniuerſalis, & indeterminata, quæ vniuerſalem, & indeterminatam virtutem omnibus ſublunaribus impertitur, per quam indirectè tantùm, & mediatè particularibus agentibus cooperatur. Nec poteſt immediatè cum cauſis particularibus ad agendũ concurrere. Ex quo ſequitur, cum in vnam partem corporis, aut alterius rei influit, etiã non poſſe, quin ſimul in alijs influat. Vndè non valet ijs imaginibus vim illam ſingularem, & admirabilem tribuere; ſicut nec cæteris rebus; quæ ſi viribus ſingularibus inter ſe differunt, non illas à cælo mutuantur, quòd vnam, eandemq. qualitatẽ omnibus imprimit, & vnaquæq. pro ſua facultate actiones viribus cõuenientes exercet; ſed illas à ſeipſis poſſident: quia vniuſcuiuſq. naturæ ſingulari inſunt, vt teſtatur Ant. Mirand. *l. 22. ſingul. cert.* Georg. Venet. *Cant. 1. lib. 2.* Veracruc. *l. 1. Meteor.* Valeſius *de ſacr. Phil. c. 31.* Medina *lib. 2. de recta fide in Deum c. 1.* Buccaferreus *in 2. de cælo.* Qui omnes aſſerunt, cælos, & aſtra in hæc inferiora nullos habere influxus præter lucem, & motum; vel potiùs influentias quidem agnoſcunt à motu, & lumine realiter diſtinctas: per quas non calorem (hunc enim motu, & luce producunt) ſed alias elementorum qualitates etiam gignunt, quarum in rerum corporearum temperamentum vis eſt aliqua. Sed addunt, hãc poteſtatem certis limitibus coerceri. Nam ſi res inanimas, mixta, ac viuentia imperfecta, quando naſcuntur, ex putredine, gignunt, hoc fit per accidens, ſcilicet, quãdo particulares cauſæ materiam ſic diſpoſuerunt, vt ſit ſemen aptum viuentis, tunc enim huic temperamento cæli, & aſtra ſuo influxu maiorem calorem largiũtur, & illud perfectius reddunt. Si verò ad perfectionem viuentium generationem concurrunt, hoc tantùm fit, cauſam particularem eiuſdem ſpeciei cum re genita coadiuuando. Quo ſenſu ſol, & homo hominem gignunt. Si autem aliquid in excitandis affectionibus, & inclinationibus tribuunt, hoc agitur mediante corporis diſpoſitione, & temperie, quas affectiones ſequi ſolent; Ideòquè non illa excitare; ſed non nihil inclinare ſalua arbitrij libertate dicuntur, vt habetur *26. q. 5. cap. Non liceat Chriſtianis.* confirmat Gloſſa, & ſuſtinet Scotus *in 2. ſent. diſt. 14. q. 3.* Vndè ergo cæli, & aſtra hanc virtutem expiſcantur? Aut quomodo illam annulis, & imaginibus aſtronomicis, cæteriſquè artificialibus tribuunt, cum illa careant?

§. III.

SEd ſupponamus, cælos, & ſydera aliquam virtutem excellentem poſſidere: quomodo illam imaginibus, annulis, cæteriſquè artificialibus cõmunicare poſſunt? Cum enim actio, & paſſio in illis tantum rebus reperiantur, quæ ad idem genus pertinent, vt docet Ariſt. *1. de Gener. & Cor.* & nos latè explicamus infra *tom. 2. diſp. 1. & 2.* Sequitur, corpora naturalia in artificialia, quatenus artificialia ſunt, agere non poſſe. Et ideò non cælos influere in has imagines aſtronomicas: cum nulla ſit illarũ cum cælo neq. ſecundùm naturam, neq. ſecundùm motũ, neq. ſecundùm qualitatem conuenientia. Reſq. naturales, ſicut ſine figuris tales influxus recipere non valent; ita nec poſſe, cum figuris inſignuntur. 783

Et certè quid, vel ad influxus recipiendos, vel cõmunicandos poſſunt figuræ cæleſtes, quæ ſunt planè fictitiæ, & quædam entia rationis à Philoſophis excogitata, vt ſtellas adinuicem inter ſe diſtinguere poſſent? Quis enim tam hebes vnquam inducat in animum, veros eſſe in cælo leones, canes, vrſas, ſerpentes, ſcorpiones, piſces, capricornos; & quod magis mirum eſt, crateres, coronas, naues, caſiopæas, pegaſos; & non potiùs credat, hæc tantum ab Aſtronomis imaginari, qui certis ſtellarum numeris hæc nomina ad placitum impoſuerunt, vt certa, & diſtincta de illis poſſet haberi notitia? At figuræ fictitiæ, & imaginariæ nullam habere virtutem certum eſt: quia *non entis non datur actio, aut paſſio*; ideòq. nec effectum producere, nec influxus recipere à cælo, imò nec ab ipſa arte; cum ordinem ſolùm, compoſitionem, & figuram tribuat, quæ agendi principia eſſe non poſſunt, vt diffuſè explicabitur infra *tom. 2. diſp. 1. num. 294. & ſequentibus.*

§. IV.

DEmus tamen ijs aſſertoribus, omnes ſtellas, & conſtellationes hac inſolita non carere virtute, & ſingulas habere vim illã mirificam ab ipſis excogitatam; conſtans eſt, & indubitata Mathematicorum, & Aſtronomorum ſentẽtia ſtellas, maximè quæ oculis ampliùs patent, magnitudine, & amplitudine totam terræ vaſtitatem ſuperare. Quod cum certum ſit; quomodo ingentium ſiderum virtus in tam paruam, & ſingularem figuram, qualis eſt annuli, coarctari, & reſtringi poterit, vt etiam per alias res plurimas, nedum tali inſignitas, diffundatur? 784

Demum quis tales ſiderum, & imaginum vires, ſympathias, actiones, & paſſiones ijs aſſertoribus reuelauit? An aliquis de cælo demiſſus venit ad illos annuncians hæc myſteria? Certè aſſerere non audebunt. An fortè didicere à Chaldæis, Ægyptijs, Platonicis, & alijs, qui hæc figmenta ſuis ſcriptis inſeruerunt? At quis hæc iſtis enunciauit? Et quibuſnam acceperunt; Primò eum, qui annulum habuerit Lunæ impreſſum effigie, votorum compotem fieri? Qui Veneris, amabilem, Qui Martis, inuictum? Qui Solis, opulẽtum? Qui Iouis gratum? Qui Saturni fortem? Qui Mercurij ſapientem? Secundò ſi fuerit inſculptus Cancer, Scorpio, & Piſcis, eũ procliuẽ eſſe ad iniquitatẽ, leuitatem, mendacium? Si Virgo, Taurus, Capricornus, religionis amplectendæ auidum? Si Gemini, Libra, Aquarius, amicum fidum, legum tena-

tenacem, & concordiæ ſtudioſum fore? Si aries, leo, vel ſagittarius, gratum, & gratioſum omnibus? & id generis dogmata, quibus tota aſtronomica, & aſtrologica ſcientia, praxiſquè tanquam fundamentis innitur?

§. V.

785 *Concluditur effectus annulorum, ſi qui ſunt procedere à dæmone.*

QVare concludendum eſt, hæc omnia meras eſſe nugas. Et ſi aliquando talium annulorum & characterum vſum effectus aliquis inſolitus ſequatur, vt contendunt illorum fabricatores, non annulis, & imaginibus tribuendum eſſe; ſed dæmoni, qui ijs operationibus hoc mentibus conatur inſerere, cum hæc ſymbola, vt ſigna maleficij apponuntur. Quod magis confirmatur ex ritibus tum ſuperſtitioſis, tum ſacrilegis, qui in horum annulorum ſtructura adhibentur. Superſtitio eſt, quando talis effectus deſideratur, in tergo figuræ characterem inſcribere: ſi contrarius, in fronte ſigillum capite modò deorſum, modò ſurſum fodere. Characterem aliquando dextera, aliquando leua manu exarare. Sacrilegium eſt, hos annulos Angelis, & Sanctis Gabrieli, Raphaeli, & *Zachariæ* tribuere. Blaſphemia, dum hoſce Sanctos fingunt nefariè magicis initiatos. Et ſumma impietas, illas imagines, & annulos baptizare, exorcizare, conſecrare, aut potiùs execrare; vt faciunt iſti aſtrologomagi, qui à Summis Pontificibus Sixto V. *conſtit. Cæli, & Terræ Creator.* ab alia Vrbani VIII. roborata, quæ incipit: *Inſcrutabilis*, refelluntur: *Et c. Non liceat. 26.q.5.* Burcardo *lib. 10. c. 3. ibi.* & Iuone *part. 11. c.40. in c. eodem.* à Patribus D. Baſilio *in Hexameron*, Tertulliano *lib. de Idololatria ante medium*. Theologis D. Bonauentura *1. par. Centiloquij.* D. Thoma *2.2.q.96.a.2. lib.4. contra gentes c. 104. & 105.* Ioanne Gerſone *in 1.p. in tract. de erroribus circa artem magicam* Syluestro *verb. Superſt. q. 10.* Ciruelo *de ſuperſtit. par. 3.* Conrado Vuimpina, Vairo, Anania, & alijs. Iuriſperitis Martino de Arles *lib. de ſuperſtitione*; Grillando *de ſortilegijs c. 5.* Oldrato de Ponte *conſil. 210. incipit: Regularis habet traditio*, & Medicis Codronco *lib. 3. de morbis veneficis c. 1.* Bokelio *lib. de Philtris c. 1.* ab ijs omnibus iuremeritò reijciuntur.

ARTICVLVS II.

Imaginibus.

§. I.

786 *Duo genera imaginũ.*

IMaginum, quibus ſuperſtitioſi, & ſacrilegi homines vtuntur, duo ſunt genera: vt docent Laurentius Ananias *lib. 4. de natura dæmonum c. 11.* & Binsfeldius *Comm. in tit. C. de malef. & Math. in L. Multi q. 3.* Aliæ Aſtronomicæ, ſiuè Aſtrologicæ appellantur, quæ ex aſtrorum conficiuntur aſpectu, & ex cęlorum influentijs pendent, nec ad rem conferunt, niſi ex pretioſa materia, auro, argento, & gẽmis conficiantur, diùquè corpori adhæreant, de quibus modò non loquimur; cum idem de illis iudicium ferendum ſit, vt de annulis aſtrologicis. Aliæ necromanticæ vocantur, quæ in vili, vel nobili materia, neglecta ſyderum obſeruatione, cuduntur, & ſine contactu corporeo, qui annulis neceſſarius eſt, ſuum conſequuntur effectum.

787 Hæ verò, vt ait Grillandus *trac. de ſortil. c. 3.* à maleficis ad ſacrificiorum loca portantur, vbi certis cęremonijs noſtras adumbrantibus cum quibuſdam verborum formis, quas referre non permittit honeſtas, in nomine Beelzebub baptizantur, tum poſtulante malefico à dęmone effectum, quem perſonę repręſentatæ inferre deſiderat, igni compoſito adhibentur. *Quomodo necromanticæ formentur, & adhibeãtur.*

Si excitando amori dedicentur, completis ſacrificijs, & adhibitis nefarijs precibus prolatiſq. turpibus verbis, illas ad ignem malefici admouent: ſuum pectus aperientes, & rogantes, vt quemadmodum imago hæc igne cõſumitur, & liqueſcit, eodẽ modo cor mulieris talis, aut talis viri amore ardeat. *Ad amorem.*

Si ad lucra, diuitias, honores, & id generis commoda deſtinentur, capſis ligneis, aut phialis vitreis includuntur reſeruandis ab ijs, qui talia conſequi deſiderant, vt probant Paredrius phiala incluſus Aduocati Burdigalenſis, & Virunculus Mandragores ater, & ſitu pędorequè obſitus, longo capillitio; ſed imberbis capſulæ in modum ſandapilæ efformatæ obſerratus cuiuſdam Belgæ Licentiati. De quibus Delrius *lib. 4 c. 2. q. 6 ſect. 4. diſq. magic.* *Ad lucra.*

§. II.

SI ad infirmitates diuturniores, acutoſquè dolores immittendos concinnentur: Aliquando ſupponuntur lectibus, aut puluinaribus, & culcitris includũtur, vt patet ex eo, quod refert Hieronymus Menghus *in fuſte dęmonum c 14.* *Ad infirmitates.*

Quædam mulier nobiliſſima, cum in Ciuitate Regij anno 1575. incurabili morbo detineretur: nec minimum ſentiret ſolatium ex tot remedijs, quibus ex Medicorum præſcripto vtebatur, iubente dicto Patre Mengho, lecto, in quo iacebat ægrota, expurgatus eſt; in quo cunctis admirantibus inter alia inſtrumenta maleficialia imago ex plumis miro modo ad inſtar hominis fabricata, & omnibus membris, capite, brachijs, manibus, pedibus, cruribus ex eadem materia aptata reperta eſt: qua ſublata, infirma ſtatim ſalutem recuperauit.

Aliàs in aliqua domus parte abſconduntur: vt accidit in oppido Ijsburg, vbi, ſicut narrat Sprengerus *Mallei tom. 1. par. 2. q. 1. c. 12.*

Mulier quædam ventris dolores intenſos, & acutiſſimas torſiones patiebatur à latere ſiniſtro verſus dextrum: & vice verſa, quaſi duo gladij eſſent pectori infixi. Nec ſanari potuit, donec ſortilego quodam maleficium detegente, ſuper limen oſtij domus in quodam foramine reperta eſt imago cerea in longitudine vnius palmi vndiquè perforata, & ex aduerſa per latera duas acus habente ad modum, quo infirma puncturas ſentiebat; quam inibi alia mulier malefica repoſuerat.

Sed ſępiùs domi à maleficis reſeruantur, vbi lento igne torrentur: Vel gladij, enſis, & acus puncturis perforantur: vt eodẽ tẽpore, quo miniſtri diaboli ſimiles actus exercent, perſona repræſentata torqueatur. Hoc confirmat memoranda Duffi Scotorũ Regis hiſtoria apud Boethum *l. 11. rerum Scoticarum*, qui longo morbo detẽtus iteratos cũ doloribus ſummis ſudores patiebatur, quo tempore in extremis Regni finibus cerea eius ſtatua à duabus maleficis ad ignẽ torquebatur, vt fusè deſcripſimus *ſupra diſputat. 3.* Ad has imagines reducendę ſunt illę figurę, quę carbone, vel alio colore in terra, vel in pariete deſcribuntur, vel ad mortẽ inferendam, vel ſaltem infirmitatem grauem inducendam; vt illa, de qua ſupra *diſput. 1. n. 139. in fine.*

§. III.

788 EX quibus omnibus pluſquam manifeſtò conſtat has omnes imagines non naturali virtute; ſed inſtitutione, & operatione dæmoniaca ſuos effectus ſortiri, ideòquè non cauſas eſſe; ſed ſigna maleficiorum, quæ ipſis mediantibus perficiuntur. Quod teſtatur Vniuerſitas Parienſis *in articulis determinatis contra ſuperſtitiones in art.* 21. his verbis: *Quod imagines de ære, plumbo, vel auro, de cera alba, vel rubea, vel alia materia baptizatę, exorcizatę, & conſecratę, ſeu potiùs execrata ſecundùm prędictas artes, & ſub certis diebus, habent virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur.* Error in fide, & philoſophia naturali, & Aſtronomia vera. Cuius articuli ſenſus eſt, quòd tales res, & imagines ex natura ſua non habent naturalem vim ad effectum; ſed effectus ſequitur ex miniſterio dæmonum. Quam veritatem ſuſtinent Ioannes Gerſon *loco citato*, Alphonſus Caſtrenſis *lib.* 1. *de iuſta hereticorum punitione cap.* 15. Auctores Mallei 1. *p. quæſt.* 5. Coſmus Philiarcus *lib.* 3. *par.* 2. *de off. Sacerdotis cap* 8. *in primo præcepto*. Syluester *ver. maleficium*. Iuriſtæ Salycetus, Angelus, & alij *in L. Multi. C de malef. & Mathem.* Martinus Arles, Grillandus, Oldratus de Ponte, Binsfeldius, & alij omnes ſupracitati.

SECTIO III.

Mixtis.

789 NOn ceſſat his maleficijs ſupra relatis ſæuire ſathanica malitia, quæ ad atrociora mala hominibus inuehenda progreditur; cum mixtim res tùm naturales: tùm artificiales quantumuis magnas, & ſolidas ad ſuorum placitum in virorum, & mulierum corpus immittunt. Videas enim ſæpiùs maleficio affectos per os, aut imam corporis partem eijcere oſſa, pannos, ſetas, cornu lucernæ, capillos glomeratos, lanuginem, lapides, ligna, ſaxa, fruſta vitrorum, acus, cultros, clauos, & alia ferramenta; imò ſerpentes, lacertas, & ſimilia. Quod plures fieri poſſe non credunt: quia iſta vel per orſophagum: vel per anum, aliamuè corporis partem abſque illius vulneratione, vel ſenſibili ſaltem læſione tranſire nequeant. Ideò duas opiniones circa tales immiſſiones, & emiſſiones commenti ſunt.

Mixtis dæmon utitur, dum res naturales, & artificiales aut immittit in corpora: aut ex eis emittit.

790 Prima eſt hæc: Omnia, quæ euomuntur, & eijciuntur, non eſſe ſpecies verè naturales: ſed apparentes tantùm; totumquè, quod in iſtis eiectionibus agitur, dæmoniaca ope præſtari: atque ità eſſe meras illuſiones ab hominis hoſte confictas. Quod ex eo probant: quia ſi illa biduum, aut triduum reſeruentur (vt ſe reſeruaſſe, aſſerit Grillandus, qui huius opinionis eſt *lib.* 2. *de ſortileg. q.* 3. *num.* 27.) omninò liqueſcunt, & in ſua forma pereunt. Ex quo argumentum opinandi deſumunt, hæc non eſſe naturalia: quia ſi talia eſſent, in ſua priſtina forma remanerent, nec corrumperentur, maximè ferrum, & lapides propter naturalem eorum duritiem.

791 Secunda res illas tanquam veras ſpecies, & naturales agnoſcit; non tamen vult illas verè, & realiter ex corporibus reijci; ſed dæmonem in ipſo vomitu, vel deiectione aliundè citò, & inuiſibili modo delatas ità immiſcere, & abſcondere, vt cum vomitione, & alijs excrementis eductæ eſſe videantur. Si enim agyrtæ, & præſtigiatores circumſtantium oculos ita perſtringunt, vt ſibi ferrum in iugulum adigere, lanceam in ventrem condere, pectus enſe tranſuerberari videantur, Quid dæmon non poterit ſuis illuſionibus, quas peragere nouit, & cautiùs, & ſubtiliùs?

Vtraquè certè illarum opinionum probabilis eſt: 792
& has eiectiones à præſtigiatore infernali his duobus modis fieri, non eſt à ratione alienum. Quia tamen multorum diligenti, & oculari inſpectione compertum eſt, ſimiles materias verè è corporibus exciſas, & emiſſas, & poſtea multis menſibus, & annis integras conſeruata fuiſſe, infirmi eſt intellectus, in eis, quę multis ad ſenſum patent, omnia ad deceptionem referre; ideò veras eſſe ſpecies naturales credendum eſt: accedente maximè plurium Doctorum teſtimonio, qui ſic experientia ipſa edocti cenſuerunt, ſicuti egomet diù ſeruaui lapides, & alia, de quibus infra.

Hoc autem cum ſit inter omnes à ſortilegis morbos illatos prodigioſiſſimum, & inſigne maleficæ actionis opus, videndum, quomodo illa in corpore Generentur, immittantur, Retineantur: & Egerantur: vt ſic totius operationis ſeries totidem articulis eluceſcat.

Ideò quæritur, quomodo Generentur, Immittantur, Retineantur, Egerantur.

ARTICVLVS I.

Generatis.

§. I.

EX ijs ſupra relatis plura, ver. gr. glomos pilorum, capillos, lapillos, oſcilla conchylia, generari naturaliter poſſe conſentiunt Galenus *lib.* 2. *ad Glaucum*. Celſus *lib.* 5. *cap.* 6. Ætius *lib.* 16. *c.* 100. Leuinus Lemnius *lib.* 3. *de occultis natura miraculis cap.* 40. Alexander Benedictus *lib.* 2. & 3. *Anatom.* Antonius Beniuenius *lib. de admirandis morborum cauſis cap.* 3. 18. 24. 94. Et ipſamet experientia docet, in multis, qui vel longa infirmitate detenti, vel graui vlcere fatigati talia foras emittunt, quæ intra ex praua humorum corruptione; & ex vlcerum putredine coaluerunt; atquè in malè affecto ſtomacho, & vitioſis renum regionibus, aliſquè corruptis viſcerum ſinibus generata ſunt. Patet in calculo laborantibus, aut ijs, qui diutiùs nodoſam tulere podagram ſimilibus morbis detenti fuere: ex quorum ventriculo lumbrici, renibus calculi, articulorum iuncturis lapilli, & calx, aliſquè corporis partibus ſimilia poſt acutos dolores, & duras torſiones prodeunt. Idemquè accidit in ſordidis vlceribus, ex quibus teſte Leuinio *loco citato*, vngues, pili, teſtulę, oſſiculi, lapidum fragmenta ſępiſſimè eruuntur. Quarè non eſt prudentis viri, nequè boni chriſtiani, vt vult Binsfeldius *Comment. in Titul. C. de malef. & Mathem. quæſt.* 7. *concl.* 2. *in L. Eorum* ſtatimac tales eiectiones fiunt, illas in dæmonem referre, & attribuere maleficio: cum natura mira operetur; quæ ideò diabolica opera eſſe cenſentur; quia eorum cauſa, & modus, quo peraguntur, ignoratur. 793

Plura in corpore vi naturali generantur.

§. II.

QVòd ſi hæc naturæ laborantis decurſu in intimis corporum receſſibus generari poſſunt; quantò magis ſi dæmonis accedat operatio; qui, cum ſit ſubſtantia ſpiritualis, & ſpiritus quan- 794

Multa virtute dæmonica ...

quãtitatis corporeę expers, ex ſua inſita vi in quodlibet corpus ſe inuiſibiliter inſinuare: humores vitioſos exagitare: noxios ſpiritus excitare: potentias corrumpere: facultates inficere: meatus obſtruere; inſtrumentorum ſtructuram ſoluere, partium vnitatem ſeparare: putredinem inducere: & ex illa res varias compingere, coagulare, & ad libitum efformare poteſt? Quod facile eſt illi, qui ſcientia, & potentia tantum valet, quantum valere integris diſputationibus demonſtrauimus. Et qui ſciens, & potens eſt multa per motum localem efficere, etiam rebus naturalibus vti poteſt; ex quarum applicatione talia in locis ad hoc aptis formari conſueuerunt. Scit enim admirandas rerum facultates ignotas hominibus ſympathiam, antipathiam, & modum, quo applicari, & temperari debent, vt optatum conſequatur effectum.

795 *Sed plura ſunt, quæ generari non poſſunt; ideòq. ingeruntur* Sed quia multa ſunt ex his rebus egeſtis, quæ naturaliter in corpore humano ex aliqua putrefactione generari nequeunt. Quis enim inducat in animum, cultros, forcipes, clauos, & huiuſmodi artificioſè facta, ex putrefactione poſſe prodire; atquè calorem naturalem in intimis ventris receſſibus metalla gignere, humores ad certam artificioſam diſpoſitionem coagulare, & fortuitò laborioſam opificam induſtriam in talibus concinnandis immitari? Ideò dicendum eſt, talia in corpus ingeri eo modo, quo ſequenti articulo declarabitur.

ARTICVLVS II.

Ingeſtis.

§. I.

796 *Tribus modis hæc ſolida in corpus immittuntur Primus* TRibus modis has res ſolidas, & quantitatiuas in corpus humanum à dæmone immitti poſſe putant Doctores; Ex quibus Lectoris erit eum eligere, qui ipſi magis arriſerit.

Primò per extenſionem, & occluſionem pororum; qui ità dilatantur ab illo, vt hæc duriora inſeri poſſint. Rurſumquè ijs inſertis ità clauduntur, vt huiuſmodi hiatus nullum poſtea veſtigium remaneat. Sic aiunt, qui hunc modum approbant poſt Paracelſum primum eius inuentorem *lib. de occulta Philoſophia:* Fulminis radium poros vaginæ penetrare, ferrumquè, & enſem liquare ſine eiuſdem vaginæ læſione. Eademquè ratione manum, quæ in profundum aquæ lapidem recondit, dum retrahitur nullum ſignum relinquere, quo via diſcerni queat, per quam lapis in aquam penetrauerit.

Attamen hic modus à pluribus reprobatur, vt à Binsfeldio *Comment. in Titul. C. de maleſ. & math. in L. Eorum. q. 7. concl. 4.* & Delrio *lib. 3. par. 1. q. 4. ſect. 6. diſquiſ. magic.* eò quòd ſupponat, Vel dari penetrationem corporum, quàm à Deo ſolo perfici Philoſophi melioris notæ contendunt; Ità vt res illæ ſolidæ, craſſæ, & duræ corpora, & dimenſiones corporeas penetrent. Vel ingentem quandam pororum dilatationem etiam in partibus corporis non raris, quam incredibilem aſſerunt: quia pori ità anguſti ſunt à natura, vt præter tenuiſſimum liquorem, & ſudorem, nullam ſubſtantiam ſolidam emittere, nec ſine inſigni læſione, & cutis, carniſquè sciſſione craſſas, duras, ſolidaſquè materias admittere valeat.

§. II.

NEquè huic ſententiæ fauent allata ſimilia, quæ diſſimillima eſſe patet. Fulmen etenim, cum ſit ſubtiliſſimum, & tenuiſſimum, ea naturali virtute præditum eſt, vt nõ eodem modo omnem materiam lædat: quia lapides, ferrum, æs, & ſimilia, quæ ob duriciem ei reſiſtunt, conſumit, diſſipat, conterit. Tenera verò, mollia, rariora, & quæcumquè ſunt cedere facilia, ſine læſione tranſmittit: vt videtur in homine ab ipſo percuſſo, cuius oſſa nullo vulnere exteriùs apparente contrita remanent. Et in crumena integra, & in nullo læſa, etiamſi pecunia intus conflata, & conſumpta ſit, vt tradunt S. Iſidorus *lib. 13. Ethymolog.* Seneca *lib. 5. & 6. naturalium queſt.* & Plinius *lib. 2. hiſt. natural.* At res illę maleficæ, quę ſpiſſæ, duræ, & ſolidæ ſunt, minimè poſſunt ſeipſas per poros inſinuare. Ità aqua, quæ liquida eſt, humida, tenuis, fluitans, cuiuſuis rei cedens loco, apta eſt vi ſua ſtatim coire, & reuniri, aliud ſolidum corpus admittere, & educto ſubitò coadunari; quod de corpore humano dici non poteſt. Cum enim ſit ſolidum, non diuiditur ſine ſenſu, & dolore: nequè ſine longiori remediorum applicatione coniungitur. Vndè concludunt, imaginarium eſſe, & à naturali ratione alienum, talem pororum extenſionem comminiſci; Quærendus ergo talis modus, qui ſit.

§. III.

SEcundò per diuiſionem eorum, quæ ingerenda ſunt. Aſſerunt enim Syluestri Prieratis ſectatores, dęmonem res ſolidiſsimas diuidere, & comminuere in partes minutiſsimas, etiam inſtar pulueris; tum illas ſic in minuta quantitate ſenſim immiſſas, & ingeſtas iterum vnire, & compingere; atquè in priſtinam formam, & molem reſtituere; idquè tam citò, & ſubtiliter, vt aſtantium oculi talem operationem ob nimiam eius ſubtilitatem, & celeritatem aduertere nequeant; & ità putent eas res integras immitti; quia diuiſionem, & compoſitionem aduertere non potuerunt. Hoc autem illi promptum eſſe facere probant ex imperio, quod, Deo permittente, in naturam, & res naturales exercet. Si enim poteſt (modò non prohibeatur à ſuperno Numine) valles in mirandam altitudinem excitare: montes in profundiſſimas voragines deijcere: ſiſtere fluuiorum impetum: arbores, & vegetantia producere, ac ferè omnia, quæ in hoc mundo inferiori continentur: vt teſtatur Remigius *lib. 3. c. 1. dæmonol.* ſurſum, deorſum vertere; cur non poterit inſtrumenta illa ſolida integra diuidere: diuiſa reunire; maxime cum videamus ferrum igne emolliri, liquefieri, & denuò in priſtinum rigorem indureſcere ſola vi qualitatum, quas imbecillis hominum manus adminiſtrant? An non poterit citò facere, quod faber ferrarius tardiùs præſtat: cum certum ſit, illum vigere ſcientia, & potentia incomparabili; poſſeque facillimè, citiſſimè, & efficaciſſimè, ſicubi opus eſt, actiua naturalia applicare, quæ ad prætenſum effectum producendum cõducere nouit. Et ſic ferrum, ſtuppam, oſſa, lapides, teſtas, & alia, quæ ſua quantitate excluduntur, pro nutu coarctare, extenuare, in atomos imminuere, & rurſus vbi ſunt immiſſa, priori figuræ reſtituere? 797 *Secũdus.*

Tertiò

§. IV.

798 *Tertius.* TErtiò per carnis vulnus citiſſimè apertum, & conſolidatum, per quod materia dura introducitur. Dicunt etenim; qui hunc modum comperierunt, vt Binsfeldius *in ſuo Comment. loco citato concluſione 6.* dæmonem ſuæ ſubtilitate ſcientiæ, & potentiæ virtute homini ſomnum profundiſſimum immittere poſſe: vt Medici, & Chirurgi facere conſueuerunt, cum naturalibus, & ſoporiferis herbis, vel poculis eos ſopore demergere ſatagunt, quibus aliquod membrum abſcindere decreuerunt; vt ſoporati dolorem non ſentiant. Tum ſopore immiſſo, & adempto doloris ſenſu; ſciſſione carnem diuidere. Quod eò meliùs nouit, quantò Chirurgos omnes, & Medicos peritia ſuperat. Et poſt factam ſufficientem carnis diuiſionem, materiam duram, & ſolidam immittere. Dehinc alijs naturalibus, & efficacibus remedijs breuiſſimo tempore vulnus conſolidare; ita vt nulla cicatrix, vel veſtigium inciſionis relinquatur. Si enim hoc Medici, & Chirurgi poſſunt; inter quos illi, qui in arte medica, & chirurgica ſunt peritiores, perfectiùs vulnera curant, & minorem cicatricem relinquunt: Cur hoc non præſtabit dæmon, qui præter innatam medicinæ peritiam, ſi qua ad hunc effectum vtitur, tardam, & debilem operationem ſupplere poteſt.

§. V.

799 QVi modus, etſi facilis in partibus carnoſis appareat; eò quòd nullo negotio dilatari, & conſolidari queunt: eſt difficilior in orificio ſtomachi, gutture, arterijs, & alijs organis; quæ cum anguſta ſint, non dilatantur, aut comprimuntur, niſi ad naturales functiones; tamen nec illud vltimum abſolutè impoſſibile eſt. Nam licèt modus, quo fieri poteſt, ſit nobis incognitus: nec ſciamus, quænam ſint medicamenta ijs conſolidandis, & reuniendis idonea: non tamen dæmonis notitiam fugiunt, qui ſua vi, & rerum naturalium virtute hæc abſolutè preſtare poteſt.

Ita Sennel Armentaria anno 1586. *morti adiudicata faſſa eſt, ſe in ſummum pedem cuiuſdam Philippi piſtoris os è coxa veruecina inſeruiſſe; cum prius admota piſcis ſpina vulnus feciſſet, quod deinde callo obductum eſt. Sic Margarita Ienina, cum filium proprium dormientem, & ad dormiendum altiùs vnguento illinitum viuum aſſare vellet, fato aliquo impedita teſtam humi repertam lateri filij inſeruit, facto priùs vulnere, quod coaluit in momento; vndè etiam videntibus multis erupit poſt multorum menſium vexationem.*

Quæ duo exempla à Remigio *lib.* 2. *c.* 4. referuntur. Sed claudat hunc articulum moderna hiſtoria illorum inſtrumentorum, quæ anno Domini 1664. nec non duobus ſequentibus annis proprijs oculis vidi, manibus tetigi, ac diù apud me retinui, ac conſeruaui, non fictitia, nec tantùm apparentia, ſed phyſica, vera, ac naturalia ingeſta in corpore cuiuſdam Adoleſcentulæ de qua infra in fine articuli 4.

Hæc coram me ducta à R. ſuo Parocho, ac Confeſſario, medio ſuo iuramento mihi enarrauit, quòd dæmon ſub ſpecie, ac figura cuiuſdam Iuuenis violenter immiſerat intra vuluam ipſius plures lapides diuerſarum ſpecierum, ac variæ magnitudinis, aliqua oſſa longa, ac craſſa, atramentum ſutorium, nonnulla vitra, paruum ſclopum ex claue, & ligno compoſitum longitudine vnius palmi, Cuſpides, acus, & alia inſtrumenta, quæ varijs temporibus infigerat in eius ventrem vſque ad ſtomachum, eique maximum dolorem afferentia, quæ poſtea per præcepta dæmoni à prædicto Presbytero, vel à me facta iterum è vulua egreſſa ſunt ſanguine madefacta, quæ omnia mihi tradita ſunt, ac diù conſeruaui. Simili modo alia adoleſcentula eius conterranea menſe Maij 1666. ad me confugit aſſerens ſe vehementi affici morbo laterali acuto: qua prius à me in fide erga Deum instructa præcepi dæmoni, ſi fortaſſe ipſe talem dolorem efficeret, illicò ceſſaret, vel foras emitteret materiam (ſi qua eſſet) talem dolorem producentem quo præcepto facto ſtatim materia illum dolorem efficiens à latere deſcendit in vterum, deinde exiuit è vulua ipſius, & cecidit in terrā vagina ferrea mucronis pugionis, quam diù apud me ſeruaui, quæ non erat genita in ventre, ſed ab aliquo pugione extracta, ac per vuluam in ventrem ingeſta.

ARTICVLVS III.

Retentis.

§. I.

HÆc autem quoquomodo ingeſta ſummum maleficiatis inferre dolorem, clarius eſt, quàm probatione indigeat, dæmone præſente ſpecialiter operante, qui grauiſſimos, quos vult morbos, acerbiſſimoſque cruciatus & propria vi, & auxilio rerum naturalium excitare poteſt. Hoc probat deſperati Agricolæ mors, de quo Ioan. Langius *lib.* 1. *epiſtolarum epiſt.* 38. Hic enim Vlricus Neuſeſſer nominatus, cum crudelibus dolorum tormentis circa alterum hipochondrium conficeretur, ſubito clauum ferreum ſub illæſa cute apprehendit, quem Chirurgus illuc balneator nouacula excidit; non ceſſantibus ob id doloribus, ſed in dies magìs increduſcentibus, miſer, vt ſe ab eis liberaret, arrepto cultro ſibi guttur abſcidit. Poſt mortem in diſſecto ventre lignum teres, & oblongum, quatuor ex chalybe cultri partim acuti, partim inſtar ſerræ dentati, inuolucrum capillorum inſtar globi, & duo ferramenta aſpera palmæ longitudinem excedentia reperta fuere. 800 *Mirum non eſt, ſi hæc retenta dolorem afferant.*

§. II.

SEd non mirum, ſi talia dolorem afferant: Mirum verò, quòd illata, & tamdiù retenta agant, & dolores excitent quandiù, & quantum maleficus voluerit. Quod oſtendit factum Zabermenſis, de qua Auctores Mallei *p.* 2. *q.* 1. *c.* 13. Hæc tempore puerperij in lecto iacens nocturno tempore vidit accedentem ad ſe maleficam obſtetricem cum alijs duabus, & dicentem, ſe velle in eius inteſtina aliqua immittere, quorum dolorem poſt ſemeſtre tantùm ſentire inciperet. Quo dicto, & ventre manu tacto, ſtatim ad manus contactum puerpera 801 *Mirandum, qu… modo 1. Aga…*

pera ſenſit ſibi extrahi viſcera, & ea inferre, quæ oculis diſcernere non poterat. Poſt quæ ſana, nullumquè dolorem ſentiens ſexto menſe finito viſcerum tortura illam euadens, acutiſſimis agitauit cruciatibus, à quibus ope Sanctiſſimę Virginis liberata, oſſa, ligna, ſpinaſquè roſarum longitudine vnius palmæ, aliaquè innumera emiſit per poſticum: Vndè priſtinæ ſanitati reſtituta eſt.

§. III.

802 NEc minus mirandum, quomodo tot, & tanta in anguſta ventriculi concauitate contineri queant: vt videtur in facto cuiuſdam Catherinæ Gualteris Louanienſis, quod refert Cornelius Gemma *poſt calcem libri 2. Coſmoſcrit.*

1. Continentur

Hæc cum libamenti fruſtulum à coætanea acceptum comediſſet, in morbi ſymptommata prorſus prodigioſa incidit; poſt cuius menſem octauum cæpit eÿcere, quæ ſequuntur. 1. Anguillam viuam craſſitudine polliculari, & ſeſquipedali longitudine, quæ triduo ante ſonum argutum, & tenuem edere audiebatur. 2. Ingentem aquoſi humoris copiam humano lotio non abſimilem. 3. Pilos copioſiſſimos numero digiti longitudine, quales annoſis canibus euelluntur. 4. Materiam pullulentam inſtar ſaniei, vel ſtercoris columbini, aut anſerini; & in hac colluuie fruſta lignorum, & membranarum tenuuia rudimenta. 5. Aliam materiam nigram: vt carbones, attramentum, vel ſepiæ ſuccus cum pilis copioſis. 6. Purum ſanguinem tam atrum, acſi anthimonio tinctus fuiſſet humor cum pilis atrocioribus, & liuidioribus, tam virulentum, & craſſum, limoquè ſimillimum. 7. Membranæ fruſta tanquam ventriculi partes, & quaſi tunicas craſſiores, carnoſas, lentas, & duras; inter quæ tria præcipuè fragmenta duorum palmorum amplitudinis cætera longitudine, forma, & inæqualitate ſuperabant. 8. Lapides ferè innumeros; ſolidos, anguloſos, inęquales ſpecie, & magnitudine; & aliquando calce obtectos, varièquè coagmentatos; inter quos vnum cum duplicis caſtaneæ mole librandum. 9. Magnam ligni portionem pollici longitudine, & craſſitie. 10. Tandem os triangulare foris ſolidum, intus cauum, & ſpongioſum, articulos oſſeos digitorum, acus, & rotulas variæ formæ, & magnitudinis, pilos, lapides, & vitri, atquè æris portiunculas.

Quæ omnia quomodo in ventriculo puellæ 15. annorum contineri poterant: cum, teſte Gemma, nullus in ventre tumor, nulla in toto corpore inflatio exteriùs appareret? Vt non minus admiratione digna ſit talium in ventre retentio, quàm immiſſio, aut egeſtio. At circa hæc quid ego ſentiam, dicam in fine ſequentis articuli.

ARTICVLVS IV.

Egeſtis.

§. I.

INter plurimas ſolicitæ naturæ de hominis, & vniuſcuiuſquè indiuidui ſalute, conſeruatione operationes, vna ex præcipuis eſt ſuperfluorum, & noxiorum eiectio; in quibus propulſandis ſæpiùs vltra vires aliquid tentare videtur; cum res ſolidas ad intra ſuſceptas: aut quouis alio modo formatas mirabiliter egerit. 803

Natura admirabilis in noxiorũ eiectionibus.

Quid enim magis admiratione dignum, quàm quòd Ambroſius Parçus Chriſtianiſſimorum Regum Galliæ Chirurgus *lib. 2. cap. 17.* vt teſtis oculatus narrat.

Camerarius quidam, cum imprudens germinis ſpicam fortè deglutiuiſſet; atquè ea in pulmonis ſubſtantiam per tracheam penetraſſet; poſt multos dolores perpeſſos ſenſit obſtetricantis naturę beneficium, quæ ſpicam tranſuerſis pulmonum lobis illæſis, tum integris coſtarum muſculis, & membrana eas ſuccingente incolumi, integram camerarius eiecit.

Prædones quidam ruri fortè repentum opilionem coegerunt, ſemipedalem cultellum, cui corneum erat manubrium craſſitudinis pollicularis in fauces ingerere, qui per ſex menſes in ventre hominis macie confecti retentus, tandem in inguine ſe oſtendit; vndè extractus, & euulſus eſt. Hæc Paræus.

His tertiam narrationem Remigius lib. 3. c. 1. dæmonol. *addidit de Morione quodam Ducis Rohannis in Britannia Gallica, qui enſis mucronem digitos tres longum per os in fauces adegerat, quę duodecimo poſt die per anum egeſſit. In quibus quis non obſtupeſcat, videre delicatum operantis naturæ motum, quo ſpicam, cultellum, & enſis mucronem per tot tenuiſſimæ, & ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ inteſtina, tot ſinus tortuoſos, ſpiras multiplices, & gyros conuolutos, atquè implicitos foras adegit?*

§. II.

QVòd ſi natura hoc ſuis viribus, quid dæmon ſua virtute, rerumquè naturalium applicatione poterit in egerendis inſtrumentis maleficialibus? Certè eò prodigioſiora operari valet, quo poteſtate, & induſtria omnes homines ſuperat; vt non ſit ei difficile ea per os, aut poſticum proferre, quæ intus generantur, immittuntur, & retinentur: ea nempè ijs tribus modis egerendo quibus illa ingerere antea commemorauimus. 804

Admirabilis dæmon in emiſſione rerũ maleficarũ.

Sic anno Domini 1647. Romæ quidam Iuuenis à dæmone obſeſſus pluries Eccleſiam Sancti Franciſci Tranſtyberim deuotè viſitauerat, ſe Deo Clementiſſimo, ac ſeraphici Patris interceſſioni humiliter commendans, maximoperè confidens, per merita, ac preces huiuſce glorioſi Dei Athletæ è dæmoniaca tyrannide, ac vexatione ſe facillimè euaſurum: nec eum ſua fefellit opinio; Nam quadam

dam die dum poſt orationem ad Deum efficaciter directam ante fores Eccleſiæ ſtaret, inopinato ex ore per vomitum clauum, carbones, ac capillos emiſit, præſentibus nonnullis ex noſtris fratribus, qui ſine mora me aduocantes, Iuuenem iam in Conuentum introductum interrogaui: quomodo ſe haberet: qui ait: benè; ſed anteà ferè ſemper aliquandiù ſe malè habuiſſe, variaſquè à dęmone paſſum fuiſſe moleſtias. Quare eo genuflexo cæpi pręceptis conditionatè factis in nomine Domini antiquum inimicum obiurgare, ſi fortaſsè adeſſet, experiundo. Sed iuuenem adinueni à dæmone, & à quacumquè eius moleſtia funditus liberatum. Modum verò, quo clauum illum, cæteraquè illa inſtrumenta ex gutture, & ore foras emiſiſſet, mihi explicare ignorauit.

§. III.

805 *Opinio Auctoris circa prædicta.* VEruntamen ego fateor in ijs, & ſimilibus euentibus, etſi vt plurimum inſtrumenta illa vera ſint, & realia: ſæpè etiam, reor, illa non verè, ac realiter in corpora immitti, nec è corporibus eijci; ſed dæmonem in ipſo vomitu, vel deiectione aliundè citò, & inuiſibili modo oculos adſtantium præſtringendò, ità immiſcere, & abſcondere, vt cum vomitione, & excrementis educta eſſe videantur. Et hoc, vt ſimplices, & ignorantes Exorciſtas relictis ſpiritualibus remedijs ad corporalia haſce res per aluum euacuantia pharmaca confugiant, eoſquè talibus illuſos præſtigijs continuò detineat: Adſtantes verò idiotas in admirationem, & errorem aliquem inducat.

806 Horum aliqua exempla adducam ex his, quorum teſtis fui oculatus.

In primis anno Domini 1658. in territorio Bergomenſi in Conuentu cuiuſdam Congregationis Sororum Tertij Ordinis S. Franciſci cuiuſdam oppidi, in cuius Eccleſia parochiali tempore quadrageſimæ concionabar, quędam Adoleſcentula iam per aliquot menſes varios ſuſtinuerat dolores in renibus, in latere dextro, & in capite, febrique ferè quotidiana licèt aliqualiter remiſſa laborabat: fui ergo admonitus, quòd illa Religioſa aliqua lateris fruſta pluries minxerat, ac tandem vnum lapidem, qui pollicis longitudinem, ac latitudinem, ſiuè craſſitudinem habebat, quos dum è vulua emittebat, totaliter ſenſibus, quaſi graui ſomno, præcipuè poſt eorum emiſſionem per aliquot horas affecta manebat; ideò opus erat, vt ſæpius eius ſorores huiuſmodi lapides, ac lateris particulas ſuis digitis è vulua extraherent. Quare ſemel & iterum putantes, quòd vitam cum morte commutare vellet, vt illam inuiſerem obſecrantes, nec non Reuerendum Parachum, vt extremæ vnctionis Sacramento muniret, ac Medicum, vt ſi quæ poſſet, remedia adhiberet, aduocantes, omnes ſimul acceſsimus. Medicus ex pulſu arguit eam in limine mortis non exiſtere, quia pulſus eam ſe non malè habere indicabat: lapides verò, ac lateris particulas, licèt Medicus, quia neophitus, in renibus genitos aſsereret, veruntamen hoc falſum eſse exiſtimaui, quia tam lateris particulę, quàm lapides, erant omninò ſimiles alijs pluribus in Conuentus atrio exiſtentibus, quos vtique non in corpore genitos, ſed à dæmone duntaxat in vulua poſitos dubio procul exiſtimaui, ſic meæ ſententiæ aliqui Medici ex ſenioribus & doctioribus Bergomatibus ſe aſcripſerunt; quod rei maximè probauit euentus; Poſt namque ei ſuaues ſimul & ſeueras adhibitas correptiones, vt illa omnia eſſe diaboli technas, ac fallacias agnoſceret, ad illam otioſam continuè detinendã, nec non ad magnas expenſas in medicinis ei exhibendis faciendas eius ſorores pauperes ab aliaque eis detrimenta tam ſpiritualia quàm corporalia ſufferenda induceret: cognita ab ipſamet Religioſa diaboli fraude, ac perfectè in Dei fiducia roborata, ad omni diabolica vexatione, ac fraude libera permanſit, ac ſine vllo remedio corporali perfectam aſſecuta eſt ſanitatem.

Huic affine euenit cuidam Adoleſcentulæ. Vallis Serianæ Diœceſis Bergomenſis. Anno Domini 1664. die 19. Decembris vnà cum Sorore ſua, & Reuerendo ſuo Parocho, & Confeſſario ad me confugit, & enarrauit, quomodo dæmon die, noctuque ei apparebat ſub varijs formis, nunc ipſius Parochi, nunc alterius Parochi, nunc alicuius Religioſi, ſed ſæpius cuiuſdam Iuuenis, quem diligebat, qui eam ad carnaliter peccandum ſollicitabat, cui cum ipſa fortiter reſiſteret, eam dentibus, ac morſibus ſauciauit in fronte, quam plagam egomet vidi, ſic & in alijs partibus corporis lacerauit, crines capitis abſcidit, ac præcipuè in ſtomacho immiſit velut bolum grauem, qui ſibi videbatur veluti lapis; cum autem dæmoni præciperem in Nomine Ieſu, vt e ſtomacho educeret illud pondus, ſtatim deſcendit in vterum; iterum à me dæmoni facto præcepto, vt è ventre abſtraheret illud pondus ſine tamen detrimento Adoleſcetulæ, ſtatim e vulua ipſius egreſſus eſt lapis ouatus magnitudine oui pullaſtræ ſanguine madefactas, decidens in terram, qui à ſorore eius Maria acceptus mihi fuit traditus, qui diù apud me retinui, quem conſtat non eſse genitum in ſtomacho, vel ventre illius Adoleſcentulæ, ſed eſse naturalem, ſimilem omnino alijs lapidibus, qui in montibus, vel campis reperiuntur, ideoque à dæmone immiſſum fuiſſe in ſtomachum ipſius vno modo ſupradicto.

Ex quo videas operationum dæmoniacarum varietatem, ideoque in illis dignoſcendis facillimè concludere poſſumus maxima opus eſſe ſcientia, ac prudentia, ne hallucinentur Exorciſtæ; vt ſuo loco dicetur *tomo 2. diſput.* 4. Et poſtquam de his multa didicerimus, memoria repetendum illud dictum D. Auguſtini lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 5. notatu digniſſimum: *Multa, ait ſunt, & fiunt nec dubitari poteſt ea eſſe; quæ tamen rectè cognoſci non poſſunt.* Quare ſufficit ſcire dæmonem res tum naturales, tum artificiales in hominum corpora interdum ingerere; & ea ex illis egerere quandoque, quamuis modum, quo id perficiat, neſciamus.

Concluſio Diſput. Quartæ.

§. I.

ECce quanta ſit dæmonum malitia, & quàm virulentus, quo flagrat, nocendi ardor. Cum enim ſeipſo ſolo poſſit perficere maleficia, vult tamen 807

Dæmon ergo vult ad maleficia concurrere maleficiũ & Res naturales applicari.

men ad eorum conſummationem & maleficium hominem conſentire, & res naturales applicari: vt ſic creaturæ omnes ſuperæ, mediæ, infimæ in opus maleficum conſpirare vnanimiter videantur.

In quibus applicationibus obſeruandum eſt, opus maleficum veneno, alijſque rebus naturalibus compactum periculoſius eſſe eo, quod eſt tantùm ſignum, & ſymbolum conuentionis: quia naturalia naturali modo applicata ſecundùm actiuorum, & paſſiuorum proportionem tàm in bonis, quàm in malis ſuum ſortiuntur effectum, puta organum aliquod corporeum corrumpendo, ex quo neceſſe eſt mors ſequi, vt dictum eſt *n.* 775. *huius diſputat.* & tunc ſanari nequeunt, niſi miraculoſè ab eo, qui Marci vlt. de omnibus in eo credentibus dixit: *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Non autem ab applicatione Crucis, Reliquiarum, & Sacramentalium: quia naturalium rerum curſum non impediunt. At ratio diuerſa eſt in alijs maleficijs, quæ ſæpiùs deſtruuntur virtute ſacrarum rerum: vt poſtea demonſtrabimus, cum de Curatione diuina erit ſermo.

§. II.

Circa rerum applicationem, ac maleficium curandum. Aliæ partes Medici, Aliæ partes Exorciſtæ.

DE rebus autem ſic applicatis, cum iudicium ferendum eſt, & de maleficio curando agitur: Aliæ ſunt partes Medici: Aliæ Exorciſtæ Theologi, qui coniunctim vocari debent: vt circa illas decernant, quid facto opus ſit iuxta cuiuſquè profeſſionem.

Medicus, qui de rerum naturalium proprietatibus, actionibus, vi, & efficacia vnicuique ad ſuos proprios, & naturales effectus producendos à natura ingenita diſputat, ſententiam ferre debet, an naturalis virtus inſit huic minerali, auripigmento, alumini, ijs herbarum radicibus, folijs capillamentis, ijs auium roſtris, vnguibus,
808 *De quib. rebus Medicus iudicare debeat.*
plumis, ijs animalium oſſibus, pellibus, inteſtinis, ijs oleis, vnguentis, pulueribus, quæ in lectis, culcitris, veſtimentis, aut domibus reperiuntur eorum, qui maleficio affecti ſunt, naturaliter inducendi talem morbum, quo hic vir, aut mulier illa laborat. Et an vi operantis naturæ ſolida, puta, acus, lapilli, oſſa ex eorum ore prodeuntia in corporibus generari, in ea immitti, in eis retineri, & ex eis egeri valeant. Hæc enim, & ſimilia prout ſunt cauſæ naturales naturaliter applicatæ, & naturalem operantes effectum, ad Medici cognitionem pertinent, qui circa phyſicam eorum actionem tanquam de re arti medicæ ſubiecta determinat, quæ, qualis, & quanta naturaliter eſſe poſſit. Et ideò, cum talia reperiuntur, in quibus ſubeſt ſuſpicio maleficij, ipſi offerri debent, vt ex ſcientiæ medicæ concluſionibus iudicet. An à tali re naturali huic perſonæ, vel loco naturaliter applicata, talis effectus, qualis videtur in infirmo, vi naturæ, & phyſica operatione oriri poſſit.

Quomodo Medicus iudicare valeat indirectè.

Quod ſi rem huiuſmodi, quæ maleficij cauſa eſſe putatur, cenſet ex artis medicæ præſcripto, non habere à natura virtutem inducendi huiuſmodi morbum, qualem maleficiatus patitur: tunc negatiuè fert ſententiam, & indirectè iudicat eſſe maleficium. Cum enim iuxta ſcientiæ medicæ regulas directè declarat: ex hac herba, ver. gr. aliauè ſimili re morbum hunc naturaliter non poſſe procedere, indirectè aſſerit, illum aliundè ſupernaturaliter prouenire. Et cum cauſam naturalem non habeat, habere ſupernaturalem, dæmonem, nempè, opus maleficum perficientem.

§. III.

EXorciſta verò Theologus, cuius eſt iudicium ferre de omnibus effectibus, qui à cauſis naturalibus procedere non queunt; ſed neceſſario à 809
Quomodo Exorciſta iudicet de maleficijs.
cauſis ſupernaturalibus, puta, à Deo, Angelo, Dæmone producuntur: iudicat de his rebus naturalibus, non inquantum applicantur, vt cauſæ phyſicæ phyſicum producentes effectum; ſed inquantum adhibentur, vt cauſæ morales, ſeu ſigna diabolicæ operationis, qua ad talis ſigni poſituram maleficium perficitur. Cum enim conſpicit, earum vi naturali morbum, qualis in viro maleficiato deprehenditur, induci non poſſe: infert, illas vim habere moralem; vt ſigna maleficij, ideòquè iudicat, hunc morbum referendum eſſe, non ad res naturales, à quibus huiuſmodi effectus oriri non poteſt; ſed ad dæmonem operantem; qui poſitis à malefico talibus ſignis iuxta conuentiones inter ipſos factas, occulta vi maleficiatum hoc morbo afficere, & vexare non ceſſat, quandiù ſigna tali modo poſita permanent. Et ideò directè iudicium fert de maleficio, quod Medico non conuenit, qui abſolutè ad iudicium directum de illo ferendum iudex incompetens dici poteſt.

Directè.

§. IV.

HÆc concluſio manifeſta ratione probatur. 810
Probatur ratione deſũpta à rebus Sacris.
Nam illæ res naturales, quæ à maleficis adhibentur, ſunt vel ſacræ: vel profanæ.

Si ſacræ, ver. gr. quæ ab aqua Baptiſmatis, oleo, balſamo, Euchariſtia, Sanctorum reliquijs, imaginibus, ſuppellectili eccleſiaſtica deſumuntur: aut conſiſtunt in verbis ſacræ ſcripturæ, varijs crucis ſignis, nominibus Dei, & Angelorum, diuerſa forma, idiomate, & charactere exaratis: certum eſt, hæc omnia Theologici eſſe iudicij, non medici; Et ideò ad Theologos, non Medicos ſpectare, circa res has ſacras definire: An inſtitutione diuina, aut eccleſiaſtica vim habeant ad talem effectum, qui in maleficiato apparet, producendum: Ideòquè Medicos ſe immiſcere non poſſe in iudicio ferendo, cum maleficium ijs rebus ſacris perficitur, & continuatur. Quod ità clarum eſt, vt probatione non egeat.

§. V.

Profanis

SI verò res illæ profanæ ſunt: vt ſunt eæ omnes, quæ inſtitutione, & vſu diuinis, & eccleſiaſticis miniſterijs non deputantur: adhuc patet, Medicum de maleficio non iudicare, quoquo modo res illæ in hoc facto malefico conſiderentur. Nam ſi ſigna ſunt tantùm maleficij; nec naturalem, ſed moralem habeant virtutem ad morbum maleficum inducendum, quis non concedat, hoc poſito, ad Theologum Exorciſtam pertinere de ijs iudicare? Cum enim non agant vi phyſica, ſed dæmoniaca; & effectus morbi non procedat à cauſa naturali, ſed præternaturali, ad eum ſpectat de illis rebus, & eorum effectibus iudicare, ad quem eorum cauſæ iudicium pertinet. Atqui Theologi eſt, non Medici, iudicare de dæmone ad illorum ſignorum poſituram operante vt cauſa præternaturali

ergo de effectu,& de ſigno operationis dęmoniacę.

Si verò ſunt phyſicæ cauſæ phyſicum producentes effectum; tunc aſſerendum eſt, Medicum de ijs iudicium ferre, inquantum res ſunt naturales proprium ſuum effectum producentes: non autem inquantum res naturales à dæmone, & malefico applicatæ ad cauſandum effectum maleficum. Iudicat enim de virtute illius cauſę naturalis, prout applicata huic domui, veſti, membro, aut corpori, naturaliter apta eſt producere huiuſmodi effectum, ver.gr. amorem, ſomnum, paralyſin, delirium; ſed non prout applicantur à dæmone, & malefico: quia res illæ ſecundùm quod naturaliter agunt, ſunt de Medici conſideratione,& per conſequens earum actio naturalis prout talis eſt, ab illo debet agnoſci, & definiri. At non ſecundùm quod à dæmone,& malefico applicantur ex pacto ad morbum maleficum, aut quid ſimile cauſandum: cum ea, quæ dæmonis naturam, & operationem ſpectant, Theologo dijudicanda remaneant.

§. VI.

811 Quarè patet in hoc facto, Medicum iudicare ſolùm de re maleficio inſeruiente, nempè, tali cauſa, non inquantùm maleficio ſeruit; ſed inquantùm naturaliter applicata ſecundùm vires à natura ipſi inditas operatur; & per conſequens non iudicare de maleficio: cum maleficium non conſiſtat in applicatione illa naturali: aliàs omnes Medicorum, & Pharmacopolarum operationes, quibus mineralia, herbas, radices morbis ſanandis applicant, eſſent tot maleficia, quod abſurdum eſt; ſed in applicatione præternaturali à dæmone per maleficum inuiſibili modo facta, quę medicam cognitionem tranſcendit, & theologico examini reſeruatur.

Confirmatur experiētia.

Quod magis confirmatur ex communi experientia, quæ tria probat.

Primùm: Has res naturales, cum applicantur in maleficiis, non ſolùm ſuum producere naturalem effectum, qui vnicuiquè iuxtà naturę vires competit; ſed vlteriùs progredi,& maiora conari, quàm virtus naturalis poſſit perficere. Quod manifeſtum ſignum eſt dęmoniacæ poteſtatis virtuti naturali ſuperadditæ, cuius effectum non Medicus, ſed Theologus diſcernere debet.

Secundùm: Has res applicatas vt plurimùm à Medicis non agnoſci: quia à dęmone conficiuntur, & poſteà Maleficis conſignantur: vt patet in pulueribus venenarijs, quibus vtuntur, cum aliquem maleficio afficere cupiunt. Nam ſi Medico offerantur, definire,& aſſignare nō poteſt, ex quibus rebus componantur, & rationem reddere: quarè horum alij ſint atri, alij cinericei, alii rufi coloris. Multò minùs cur ater necem, cinericius morbum grauem, rufus infirmitatem afferat, & albus conferat ſanitatem. Et eò magis, quarè cinericius ver.gr. per vnum ex maleficis applicatus infirmitatem: per alterum necem: per alium morbum afferat, eodem puluere contrarios effectus producente. Immò nec ipſe maleficus, qui virtutes illorum ignorat. Et quamuis color diuerſus oſtendat ipſi virtutem eorum diuerſam: & talis color à dæmone impoſitus fuerit, ne in vſu talium puluerum maleficus decipiatur; atquè ità necantem pro ſanante aliquando accipiat; tamen nequè Medicus, nequè maleficus ex ſolo colore deuenire poſſunt in eorum cognitionem, ex quibus pulueres componuntur: quia, vt ante docuimus, nonnumquam qui color albus vni medicinam facit, in alterius ſtrigis poteſtate lethalis eſt; totumquè maleficum opus à dæmone modo incognito, & inſenſibili perficitur; ideoquè non Medicum, ſed Theologum ſpectat.

Tertium: Rariſſimè,& ferè numquam res naturales, & cauſas phyſicas ad ſuum phyſicum effectum ſolùm producendum in maleficijs applicari; ſed prçter ſolitum naturæ curſum aliud agere,& operari; atquè ideò apponi, vt ſigna conuentionis, & pacti inter dæmonem, & maleficum initi. Vndè ſequitur, huiuſmodi rerum applicationem ad Theologi iudicium pertinere, vt potè Iudicis competentis operum maleficorum; ad cuius tribunal ſtandum eſt ab ijs, qui eorum vi infirmitate aliqua detinentur: aut quid ſimile nociuum patiuntur.

Concluſio Generalis.

§. I.

Agitatis modò quatuor diſputationibus de quatuor maleficiorum cauſis, & quaſi emenſo 812 mari quadruplici aquarum illuuie tumeſcente, cuius gurgites rudibus remis ſolicitauimus, declinauimus freta feruentia, & vario ſecauimus equora curſu; ad optatum tandem portum deueniendum eſt, vt hærens tandiù ſalo nauicula ſolo firma conſiſtat. Hìc iacta anchora certiſſima, nempè concluſione:

Concluditur cognitionē maleficiorum Ad Theologū pertinere Non ad Medicū.

Ad Theologum Exorciſtam, non ad Medicum maleficiorum cognitionem pertinere.

Si enim exacta rei alicuius ſcientia ex perfecta cauſarum, & principiorum eius notitia comparatur, & nullus poteſt aliquid ſcire, niſi priùs principia, & cauſas eius apprimè nouerit, ſequitur, ad ſolum Theologum maleficiorum cognitionem pertinere; cum ad eum ſolum vniuſcuiuſquè cauſę ſingularis ex quatuor aſſignatis cognitio ſpectet; Ideòquè eius eſſe, de maleficijs iudicium ferre non autem Medici, qui iudicare de illis non poteſt: quia illa non cognoſcit. Illa verò non cognoſcit, quia non nouit illorum cauſas. vt in ſingularis cuiuſquè diſputationis calce circa vnamquamquè cauſam, Deum, Dęmonem, Veneficum, & Res Naturales certa concluſione demonſtrauimus.

Quia nō nouit eorum cauſas Deū, Dæmonē Veneficū Res naturales.

§. II.

Ex quibus collige, Theologum Exorciſtam ſibi 813 ſpeculatiuam, & practicam maleficiorum cognitionem iure merito vendicare.

Theologus Exorciſta maleficia cognoſcit.

Speculatiuam: dum in thologica paleſtra ſacrę doctrinæ concluſionibus enucleandis, & ſoluendis quæſtionum nodis laudabiliter ſe exercet.

Practicam: dum in Eccleſia Sancta Dei diuina,& eccleſiaſtica poteſtate munitus exorcizandis energumenis; & diſſoluendis maleficiorum operibus perſeueranter intendit.

Speculatiuè.

In paleſtra namquè theologica continuo ſtudio addiſcit: quænam ſit Diuinæ Prouidentiæ in malis permittendis æconomia: quænam Angelorum bonorū natura, ſcientia, potentia, operatio:& malorum lapſus, obſtinatio, malitia: Quæ ſocietas inter dęmonem, & hominem eſſe poſſit: Quæ ſignorum conuentionis inter ipſos initæ vis,& efficacia: Atquè ideò maleficiorum cauſas probè agnoſcit, quas ignorare, neceſſe eſſet, ſi illa non noſſet. Neceſſarium nāquè eſt, vt qui exorcizandis energumenis, & maleficiatis curandis ex eccleſiaſtico munere deputantur, prius philoſophię, & theologiæ ſcientijs appri-

Ex ſcientia Philoſophica ac Theologica.

apprimè imbuantur, quàm ſacro huic muniri vacent; ne ex defectu ſcientiæ prolabantur in intolerandos errores cum eccleſiaſtici miniſterij contemptu, & generali omnium ſcandalo, ſi dęmonem occultè operantem non deprehendant: aut circa morbo malefico affectos non rectum iudicium ferant.

§. III.

814 QVod certè difficillimum eſſe, nemo negabit, ſi conſideret: Hinc quanta ſit dæmonis malitioſa potentia, dum varijs artibus, efficacibus modis, & verſutijs ſubdolis ſua opera cõcinnat, & mala innumera non ceſſat in orbem inuehere; quę vix, ac ne vix quidèm à nobis homoncionibus agnoſcuntur. Illinc quàm periculoſũ de morbo malefico iudicare, qui ſępiùs, ſi ſigna externa conſiderentur, à naturali diſcerni non poteſt; ideò Medicis, & Theologis diſputationis anſam prębet, dum quiſquè eius cognitionem ſibi vendicat. Ex quo aliquando nimis frequenter accidit, vt qui Theologię ſedulò, ac præcipuè doctrinę de dæmoniacis operationibus, nec non de ægritudinum naturalium cauſis operam non nauarunt; nec aliã circa maleficia notitiam ſunt aſſecuti, quàm tenuem, & vmbrę ſimilem: qualem, ſcilicet, hauſerunt ex libris, qui de maleficijs tractant; cũ de quocumquè morbo obuii cuiuſquè infirmi iudicant, tranſeunt de potentia ad actũ; quas enim in libris infirmitates legunt à dęmone cauſari poſſe, eas ſemper ab illo inductas exiſtimant; & poſſibile pro facto reputantes, quot vident infirmos, tot maleficiatos credunt. Quarè dum cæcutientes iſti Exorciſtæ cæcos infirmos ducere contendunt, ſeipſos, & alios in foueam præcipitant.

§. IV.

815 AD quos cauendos errores Eccleſiaſticę diſciplinę conſultum foret, ſi nullus exorcizandi, & maleficia ſoluendi munus aggrederetur, qui priùs Epiſcoporum vel ſuorum Superiorum mandato non eſſet ad id præuio examine tam circa ſcientię ſufficientiam, quàm vitę probitaté legitimè approbatus.

Quòd ſi tales errores in eccleſiaſticis viris repeiuntur, multò magis inueniuntur in Medicis, qui quaſi cæci iudicant de coloribus, & tanquam ſurdi ſonos diſcernere tentant, cum circa maleficia ſententiam ferunt. Dum enim omnis eorum diſcurſus eſt ab vna cauſa naturali ad aliam cauſam naturalem, modo iſtam, modò illam; & non niſi raró, aut numquam à cauſa naturali ad cauſam præternaturalem, ea, quæ veneficio diabolico tribui debent, noxiis corporum diſpoſitionibus attribuere, & vt morbos à cauſa naturali procedentes curare ſolent. Vndè fruſtra Exorciſta eccleſiaſticis remediis eum curare nititur, qui naturali infirmitate laborat. Et Medicus incaſſum naturalibus pharmacis ſanitatem reſtituere tentat ei, qui præternaturali morbo afficitur: dum is, quem curat Exorciſta, Medico ſanandus offerri debuit: & ille, cui ſuam Medicus operam impendit, ab Exorciſta curandus eſt. Vt ex iis videas, quàm neceſſe ſit, Exorciſtam Theologica ſcientia probè, & aliquali naturalium cauſarum ægritudinũ notitia ad illud munus ritè obeũdum eſſe imbutum.

§. V.

IN Eccleſia ergo Theologus practicè maleficia cognoſcit, dum actu aliquem exorcizat, & curat per exorciſmos, ac præcepta dæmoni facta in nomine Ieſu, per euangelia, & alia id generis ſpiritualia, quæ dæmon maximè abhorret; mutationes in infirmis videt inſolitas; & ſic à poſteriori cognitionem eorum nanciſcitur ex ſignis, quæ vt plurimùm à priori habere non poteſt. Quæ ſigna ponuntur infra *tom.2.diſp.4.num.598.& ſeq.* 816 *Practice*

Verùm enim verò, ne hallucinentur Exorciſtæ in iudicando aliquem eſſe obſeſſum, vel maleficiatum diligentiſſimè animaduertere debent, ne vmquam dicant, aliquem eſſe dæmoniacum, vel maleficiatum certitudinaliter, & abſolutè, niſi etiam ſigna habeant certitudinalia, & euidentia; nec probabiliter, niſi probabilia. Alii namquè ſunt obſeſſi, ſeù maleficiati verè, & realiter: Alii ſolummodò imaginariè: quia ſic eſſe imaginantur, licèt non ſint. Alteri nec verè, ac realiter; nequè imaginariè; ſed tantummodo apparenter: quia ſic alii eos tales reputant: ſecundi, & tertii numeri ſæpiùs ſunt mulieres, quæ defectu menſtruorum, humoribus illis matricalibus afficiuntur, & agitantur: nec non qui humoribus melancholicis, & affectibus flatuoſis, & hypochondriacis corripiuntur: vel cęteris id generis morbis affliguntur; in quibus eadem ferè ſigna concurrere videtur, quę apparent in obſeſſis, ac maleficiatis: Idcircò vt aliquid certi Exorciſtæ valeant ſtatuere, relictis iis, quæ à vetuſtioribus Exorciſtis adduci conſueuerunt, experimentis: De quęrendis ſignis maleficii: illis cõburendis, interim obſeruando: Dum quęruntur, ſi ſaga ſub aliqua apparenti excuſatione ad inuiſendum patientem accedat: Dum venit, & in proſpectu ægroti aſſiſtit, ſi ille afficiatur ingenti moleſtia, terrore, ac tremore corripiatur, ploret, & morbus alteretur: Dum malefica inſtrumenta comburuntur, ſi ægrotus in deteriùs mutetur. His, inquam, omninò poſthabitis, vnicum referam ſignum, quod erit regula, & menſura omnium cæterorum nempè.

Exorciſta, maleficii, vel obſeſſionis eo meliori modo quo potuit, habita notitia, tunc inſtruat obſeſſum vel maleficiatũ, ſi capax ſit rationis, & inſtructionis: ſi non eſt capax, inſtruat parentes eius, vel illius curam habentes; vt ſciant, & credant firmiter, Exorciſtam ex ordine Exorciſtatus ab Eccleſia poteſtatem habere, dæmonibus imperandi, vt deſtruant maleficia hominibus inducta, & recedant, & exeant à corporibus obſeſſis: ideòquè ſicut dęmones nõ poſſunt reſiſtere poteſtati diuinæ: ita nec poteſtati eccleſiaſticę, quæ immediatè à Deo procedit, & dependet; idcircò non poterit dęmon repugnare, & contradicere pręceptis Exorciſtæ. Quare ſi dęmon aderit in corpore patientis, ſtatim ſe manifeſtabit.

Genuflexo ergo ægroto (ſi poteſt) ante pedes Exorciſtæ: Exorciſta ſedens veluti Iudex aſpectu graui, voce horribili, & maxima diuini auxilii, & ſpecialis eius concurſus confidentia fretus animo audaci. In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, & in nomine, ac virtute Domini Noſtri Ieſu Chriſti, vt Chriſti, & Eccleſiæ publicus miniſter præcipiat dæmoni (ſi adeſt) ſiuè vnus ſit, ſiuè plures, vt ſine mora illos moueat humores, illoſquè cauſet dolores, ac cruciatus in ægroto coram Exorciſta, quos ſolitus eſt mouere, ac cauſare, abſente illo. Tunc ſi patiens erit obſeſſus, aut maleficiatus, credat mihi Exorciſta, ſi ipſe credit, veram eſſe, & non fictam ſuam poteſtatem, quam habet ex ordine Exorciſtatus, ſtatim ægrotus aliquam faciet mutationem; nam vel melius

Nn 2 ſe

ſe habebit dæmone fugiente; vel ijſdem coram Exorciſta afficietur cruciatibus, quibus in abſentia eius affligi conſueuit. Tunc autem Exorciſta immediatè eodem modo dæmoni imperabit, vt à tali ceſſet vexatione. Quod vtiquè dæmon, ſi aderit, præſtabit. Et hoc dæmoniacæ præſentiæ, & operationis ſathanicæ ſignum erit euidens. Sic practicè Exorciſta deueniet in obſeſſionis, & maleficij cognitionem, quam antea ſpeculatiuè aſſecutus fuerat.

§. VI.

Ex rciſtas Theologos ſequuntur plures Medici de maleficijs tractantes.

817 Theologos Exorciſtas ſano, & ſalubri conſilio ſequuntur plures ex Medicis, qui de maleficijs, & veneficijs tum ſpeculando: tum practicando tractant, non tam ex Medicinæ placitis, quàm ex theologiæ ſacræ dogmatibus, à quibus didicerunt: Quæ ſit Diuinæ Prouidentiæ in malis permittendis admirabilis ratio, modus, diſpoſitio: Quanta ſit dæmonum, & ſpirituum inuiſibilium ſcientia, potentia, malitia in hominibus vario modo vexandis; ſed præcipuè per veneficia: Quænam magorum, & maleficorum cum diabolo colligatio ad maleficia concinnanda: Quàm efficax ſit applicatio rerum naturalium, vt ſunt ſigna maleficij: Aliaquè ad perfectam maleficiorum, & eorum differentiarum, cauſarum, ſpecierum, effectuum, rationum, quibus infliguntur, remediorum, quibus curantur, & ſignorum, quibus dignoſcuntur, cognitionem neceſſaria. Vt iure merito illos non Medicos; ſed Theologos, ſeù potiùs Medicotheologos dixeris; vt qui ex puræ Theologiæ laticibus veritatem haurientes; & eam ſanis medicinæ aquis admiſcentes, ex vtriſquè fontibus contemperatam doctrinam Lectoribus propinant.

§. VII.

Speculatiuè.

818 Si ſpeculatiuè de maleficijs diſputant, fatentur ingenuè, malefici operis cognitionem non eſſe medicinæ; ſed theologicæ ſcientiæ. Docent etenim, *Medicinam eſſe ſcietiam, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ex parte, vndè ſanatur: vel à ſanitate remouetur; vt habita conſeruetur, & recuperetur amiſſa.*

Ex cauſis Sanitatis, & Ægritudinis.

Sanitatis verò, & ægritudinis quatuor cauſas aſſignant: Materiales, quæ ſunt ſubiectum tum propinquum; vt membrum, aut ſpiritum; tum longinquum: vt humores; & eis longinquiora elementa. Efficientes, quæ ſunt conſeruantes, aut permutantes humani corporis diſpoſitionem: vt aerem, aquā, eſum, potum, euacuationem, retentionem, motum, quietem, ſomnum, vigiliam. Et alterationes in diuerſis anni temporibus, regionibus varijs, artibus, & moribus; aliiſquè rebus, quæ humano corpori ſuperueniunt, atquè ipſum tangunt: ſiuè ſint: ſiuè non ſint contra naturam. Formales, quæ ſunt complexiones, & virtutes, quæ poſt eas eueniunt, & compoſitiones. Finales deniquè ſunt operationes. Iis addunt cauſarum morbos facientium abolitionem à contrarijs fieri: quia contrariorum contraria ſunt medicamina; & pro diuerſis morborum cauſis, eorum etiam medicationes ex rebus naturalibus, ſimplicibus, aut inter ſe compoſitis, puta mineralibus, herbis, radicibus, oſſibus, & corporibus ſolidis, liquatis, lixatis, & in maſſam, oleum, pinguedinem redactis ſumendas, & conficiendas variari debere.

Ex quibus colligitur, Medicos nihil aliud per ſe conſiderare, præter humanum corpus ex parte vndè ſanatur: vel à ſanitate remouetur; Et hoc ſecundùm cauſas planè ſenſibiles, & corporeas, quas per medicationes ſimiliter ſenſibiles, & corporeas tollere debent; & per conſequens, cum de morborum cognitione agitur, illos nullam aliam cauſam cognoſcere poſſe, præter quatuor elementorum, humorum, partium ſimilium, & inſtrumentalium ſymmetriam; vel ametriam: ſeù moderationem, & immoderationem, quarum illa ſanitatis, hæc ægritudinis ſunt cauſæ intrinſecæ. Inſuper regimen in comeſtione, & potu: electionem aeris: euacuationem, & retentionem: motum, & quietem corporis: mutationes ætatum, regionum: cæteraquè ex rebus externis extrinſecùs aduenientia. Cum verò ad curationem proceditur, illos nihil aliud noſſe, quàm medicamina apponere contraria; & ea iuxta diuerſas morborum cauſas variare; quæ à rebus ſenſibilibus, & corporalibus deſumunt, nempè ſanguinem emittendo, purgantia pharmaca adhibendo: victus rationem, vel alia huius generis remedia aſſignando: penſatis priùs debitè cauſis tum externis, tum internis, quas à ſenſibilibus indagare conſueuerunt.

§. VIII.

Vndè ſequitur, maleficiorum cognitionem, & curationem ad eos pertinere non poſſe. Non cognitionem; quia cauſam habent tam intrinſecam, & extrinſecam, quàm procreantem, & ſanantem extra naturam corporum: nempè, dæmonem, & veneficum, qui in cauſando ſunt inſenſibiles; eò quòd neuter per ſe quoad modum cauſandi cadit ſub ſenſu, vel phantaſmate; ideòquè illorum notitia per principia ſcientiæ medicinalis haberi non poteſt, quæ non fertur extra naturam corporum; totamquè haurit à ſenſu, & phantaſmate cognitionem; morborumquè cauſas exquirit à ſenſibilibus, non autem ab inſenſibilibus, quales ſunt dæmones, eò quòd à naturali philoſophia ſua fundamenta mutuatur. Nō curationem: quia maleficia aliquo contrario curari non poſſunt: vt Medicis mos eſt, ſuas curationes operari. Cum enim iuxta Ariſtotelis doctrinam, *ſubſtantiæ nullum contrarium aduerſetur;* & ità dæmoni, qui eſt illorum cauſa ſpiritualis, & inſenſibilis, nihil ſit contrarium; ideò medicaminibus, & manualibus operationibus expelli; aut impediri non poteſt. 819

Fatetur ad ſe nō pertinere maleficiorum cognitionem, & Curationem.

§. IX.

Quarè Medici illi Theologi ex ſuis etiam medicinæ principijs fatentur totam dæmoniaci operis cognitionem, & curationem medicinæ fines prætergredi: vt Ioannes Fernelius vir ſanè doctiſſimus, qui ad mentem Codronchi tàm diſertè, & luculenter egit de morbis veneficis, & eorum cauſis, differentijs, & effectibus, vt omnes antiquiores, & recentiores Medicos facillimè ſuperarit, & meritò à quolibet ſtudioſo, ac chriſtiano ſcientiæ medicæ profeſſore ſit audiendus. Ille etenim has affectiones aptiſſimè tranſnaturam nuncupat: eò quòd cauſam arti medicæ non obſequentem obtineant. Hoc ipſum ſæpiſſimè idem Codroncus in medicina peritiſſimus docet, repetit, inculcat in ſuis libris de veneficijs, in quorum præfatione hoc omnibus notum eſſe voluit, cum dixit: *Quid igitur mirum, ſi pleriquè doctiſſimi Medici veneficos morbos cum cauſam extrinſecam tum procreantem, tum ſanan-* 820

Ex medicinis principijs.

nantem extra naturam corporum poſſideant, ignorare cogantur; nec vllam opportunam medicinam adhibere poſſint? Hæc ille.

Ex Theologię dogmatibus. Sed hanc veritatem luculentiùs, & certiùs aſſerunt ex Theologiæ dogmatibus, quæ idipſum cla. riùs edocet: vt potè quæ diuinorum, dęmoniacorum, & maleficorum operum cauſas effectus, differentias certiſſimè manifeſtat: vt patet in ipſo Codronco, qui filiæ maleficio affectæ edoctus experientia cæpit, relicta communi Medicorum incredulitate, quærere libros huius profeſſionis, inquit ipſe *lib.* 1.*cap.*8. eoſquè legere, & eis fidem adhibere (: Nota verbum *Ex quibus, peritoquè Exorciſta cum multa didicerim, & in multis ægrotantibus obſeruauerim, libenter laborem ſuſcepi alijs opitulandi ſtudio. Inter alios autem auctores, quos mihi legere contigit, fuit Claudius Guilluardus interpres ſacrarum literarum peritiſſimus &c.* Quare ex Theologorum ſententia in his libris loquitur, vt in præfatione proteſtatur dicens: *Quid ſint veneficia*, inquit, *pro Philoſophorum ſententia aperiam, quorum rationibus examinatis, atquè reiectis, Theologorum veſtigia ſecutus meam ſententiam afferam.*

§. X.

821 SI verò practicè de maleficijs tractant, ſeù potiùs maleficio vexatis opitulari vocantur, vt moris

Practicè. eſt, cum cæteros ægrotos inuiſere ſolent, exequuntur ea, quæ ſunt partium Medici, non quæ Theologos ſpectant.

Non enim intollerandum quorundam Medicorum errorem ſequi volunt, qui ſi ſemel alicuius ægroti curam ſuſceperint, & cæperint ei præſcribere remedia, quæ ad eius ſanationem conducere videntur; etiamſi latentem dæmonem poſtea deprehenderint, eò quòd in tollendo morbo laborant incaſſum, irritaquè ſunt omnia pharmaca, quę ab ipſis adhibentur, nolunt tamen fateri maleficium; ſed in pharmacorum vſu aſſignando, & remedijs naturalibus applicandis perſeuerant: erroreſquè errori adijcientes, non ceſſant ægrotum à dæmone vexatum eo modo curare velle, quo ſanandus eſſet, ſi infirmitate aliqua à cauſa naturali proueniente corriperetur: quaſi è re ſit, ſuum honorem in errore perseuerando tueri; quem labefactari, atquè inſigni nota deturpari putarent, ſi ceſſarent ab errore, qui tandem cum ipſorum ſummo dedecore omnibus manifeſtatur.

Quam obſtinatam in malo perſeuerantiam Medicotheologi iure merito damnant ſua praxi contraria. Nam cum tales infirmi ipſis offeruntur Primo omnia morbi ſymptomata, ſeù quæ præter naturam eueniunt, omneſquè poſſeſſionem, obſeſſionem, aut maleficium patientis actus, attenta, exacta, & iuſto pondere librata meditatione conſiderant, & obſeruant. Tum illa principiorum Medicorum normam, & artis medicæ regulas examinant. Indè quibuſdam experimentis quænam ſit cauſa latens, explorant; & cum inuſitatos effectus, motuſquè inſolitos deprehendunt, qui à naturali cauſa ortum habere non poſſunt; huiuſmodi ſanandis infirmis non ſe amplius immiſcent; ſed illos ad Theologos Exorciſtas, & Eccleſiæ Miniſtros remittunt, ad quos ſciunt, talium morborum cognitionem, & curationem pertinere. De his inuſitatis effectibus agitur tom. 2. diſp. 4. num. 603.

§. XI.

QVare poſt obſeruatos illos effectus (qui etiam 822
Theologoexorciſtis maleficijs dignoſcendis inſeruiunt (& debita experimenta, ex quibus ægrotos maleficio vexari comperiunt; atquè ita latentem cauſam, & præter naturæ vires operantem deprehendunt; miniſtros Eccleſiæ vocant: vt ſe feciſſe in veneficio filiæ *loc. citato* Codroncus teſtatur. Vocato enim perito Exorciſta, qui ſigna maleficij in lectulo, in quo ægrota iacebat, inuenta, benedicto igne combuſſit; atquè exorciſmos, & alia ſacra remedia adhibuit, per quæ ſine alio remedio naturali, non ſemel; ſed ter ob varijs temporibus reiteratum maleficium ſanitas filiæ reſtituta eſt: vt idem *cap.* 8. *lib.* 2. fuſiùs narrat. Quam praxim in alijs infirmis obſeruaſſe ex hoc actu ſatis conijcere licet.

Quamobrem hi omnes Medicotheologi tum ex philoſophiæ, & medicinæ axiomatibus: tum ex principiis doctrinæ ſacræ de maleficiis diſputantes; & de Exorciſtarum cõſilio ſuam operam in iis morbis maleficis exhibentes, Deo gloriam, Eccleſiæ honorem, hominibus officium, ægrotis beneficium tribuunt; & ſibi meritum, nomenquè apud Deum, & homines comparant. Atquè ideò non tàm Medici, quàm Exorciſtæ theologi funguntur officio; & in Theologorum numero computari debent.

FINIS PRIMI TOMI.

ALEXICACON
REV. PATRIS
FR. CANDIDI
BROGNOLI.

ALEXICACON
REV. PATRIS
FR. CANDIDI
BROGNOLI.

A
D

Quatu

Quar

R.

Or

VE

ALEXICACON
DE MALEFICIIS,
AC MORBIS MALEFICIS CVRANDIS.
TOMVS II.

Quatuor continens diſputationes varias Curationes explicantes, ac deſcribentes, quibus huiuſmodi morbi ſanari queunt.

Quæ ſunt | DIABOLICA.
NATVRALIS.
MORALIS.
DIVINA.

Quarum executio, qua ratione ab Exorciſtis, & qua à Medicis ſpeculatiuè, & practicè adimpleatur, ſtatuitur cuiuſque in fine.

AVCTORE

R. P. F. CANDIDO BROGNOLO

BERGOMENSE

Ordinis Minorum Reformatorum Concionatore, S. Theologiæ Lectore Generali.

VENETIIS, Apud Io: Baptiſtam Cataneum, M. DC. LXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV, AC PRIVILEGIO.

IN TOMVM SECVNDVM
PRÆFATIO.

ETSI varia, & multa in vniuerſo huius mundi theatro homini ſeſe offerant bona, quorum incredibili deſiderio ſingulis ferè momentis fatigatur, ingentiquè ad illa comparanda ſolicitudine accingitur; attamen inter omnia primarium locum obtinet commodus corporis ſtatus actiones ſuas probè obeuntis, & ſanitas in plurimos annos prolunganda: quæ quia tamdiù conſeruari dignoſcitur, quamdiù à morborum ſiuè naturalium, ſiuè præternaturalium puta, maleficialium, violentia alieni: nec non à dæmonum, aliorumquè eius aſſeclarum iniquorum iniurijs liberati ſumus; hinc in totius primi tomi decurſu de maleficiorum, ac morborum veneficorum cauſis, à quibus ſanitas tollitur, diſſeruimus. Verùm, ſicut in arte medicinæ non ſufficit, morborum cauſas agnoſcere, & de eis ſubtiliter diſputare; ſed inſuper opus eſt, debita parare remedia, & illa ægrotantibus adhibere, vt perfectam curationem conſequantur; ita in Exorciſtico miniſterio pręter ſpeculatiuam cauſarum, quibus maleficæ infirmitates inducuntur, cognitionem, neceſſe eſt, Eccleſiaſticum Miniſtrum ſcientia practica ornatum eſſe, per quam nouerit: quibus modis curandæ ſint; & illi, qui eorum viru infeſtantur, liberandi. Ad quid enim tota theoria cauſarum maleficarum, quam ſuperiori libro propoſuimus, ſi non aſſignetur, & modus eas auferendi; vt illis ſublatis noxij pariter tollantur affectus, & maleficio affectis optata ſanitas reſtituatur? Quarè poſt diſputationes de quatuor cauſis, quibus maleficia, & malefici morbi dignoſcuntur, lubet, de diuerſis curationibus diſputare, quibus huiuſcemodi infirmitates ſanari poſſunt. Et

quia Aliæ ope dæmonum: Aliæ vi rerum phyſicarum: Aliæ ceſſatione pactorum maleficorum: Aliæ auxilio diuino perficiuntur; Ideò placet, hunc tomum in quatuor ſecare diſputationes.

	Prima		Diabolica	
	Secunda		Naturali	
In quarum	Tertia	De Curatione	Morali	tractabimus
	Quarta		Diuina	

vt ſic Alexicacus noſter poſt educta è latebris infernalia monſtra, doceat: quomodo Herculea claua edomanda ſint; & poſt reuelatas veneficarum infirmitatum cauſas, apollineis poculis ſanari poſſe demonſtret.

DISPV-

DISPVTATIONIS PRIMÆ
DE CVRATIONE DIABOLICA.
DIVISIO.

Partes. Capita. Sectiones. Articuli.

- Curatio diabolica.
  - 1. Magica
    - 1. Abominanda.
      - 1. Ex parte agentis.
        - Dęmonis. 1.
        - Malefici. 2.
      - 2. Ex parte medij.
        - Sacrilegi. 1.
        - Superſtitioſi. 2.
      - 3. Ex parte finis.
        - Impij. 1.
        - Noxij. 2.
        - Scandaloſi. 3.
    - 2. Intoleranda.
      - 1. In Exercentibus.
        - Viris. 1.
        - Mulieribus. 2.
        - Pueris. 3.
      - 2. In Addiſcentibus.
        - Publicè. 1.
        - Priuatim. 2.
      - 3. In Fauentibus.
        - Directè. 1.
        - Indirectè. 2.
      - 4. In Requirentibus.
        - Immediatè. 1.
        - Mediatè. 2.
  - 2. Superſtitioſa.
    - 1. Quoad Cauſam.
      - 1. Internam, ſeù proximam.
        - In Grauioribus. 1.
        - In Leuioribus. 2.
      - 2. Externam, ſeù remotam.
        - In Cognoſcitiuis. 1.
        - In Operatiuis. 2.
    - 2. Quoad Modum.
      - 1. Verbalem.
        - Significatiuum. 1.
        - Non ſignificatiuum. 2.
      - 2. Operatiuum.
        - In Actionibus. 1.
        - In Motionibus. 2.
      - 3. Obſeruatiuum.
        - Temporis. 1.
        - Ominum. 2
    - 3. Quoad Effectum.
      - 1. Phyſicum.
        - A cauſa naturali. 1.
        - A cauſa ſupernaturali. 2.
      - 2. Hyperphyſicum.
        - A Dęmone dæmoniaca virtute operante. 1.
        - A Malefico agente dęmonis virtute. 2.

DISPVTATIONIS I.

DE CVRATIONE DIABOLICA.

SVMMARIA.

Curatio diabolica per dæmones, & maleficos eius miniſtros perſicitur. In qua dæmon inuocatur aliquando Expreſsè: aliquando Tacitè.

Ideò curatio diabolica alia Magica: alia Superſtitioſa: vt duabus partibus declarabitur. n. 1.

Pars I. Magica.

Curatio magica ſanitatem confert remedijs diabolicis.

Sub hac comprehenduntur immutationes corporum, & effectus mirabiles. quare Abominanda, & Intoleranda: vt duobus Capitibus manifeſtabitur. 2.

Caput I. Abominanda.

Antiqui curationem diabolicam prædicant licitam vtilem, & diuinam. 3.

Aliqui ex Chriſtianis eam licitam profitentur. 4.

Pomponatius, qui non diſtinguit inter remedia naturalia, & magica.

Paracelſus, qui hortatur Medicum edoceri à ſagis: & ægrotum vti remedijs magicis.

Sed hæc curatio eſt illicita, & abominabilis quoquo modo conſideretur ſiuè ex parte Agentis: vel Medij: aut Finis: vt tribus ſectionibus patefiet.

Sectio I. Ex parte Agentis.

Praxis abominabilis eſt ex parte agentis ſiuè Primarij dæmonis: Siuè Secundarij malefici: vt ſequentes articuli manifeſtant. 5.

Articulus I. Dæmonis.

Dæmonis opera omnia tendunt in hominis perniciem. 6.

Ideò in curationibus magicis poſſibilia peragit: & impoſſibilia tentat per præſtigium. Sed omnia inuitè præſtat. 8.

Probatur multipliciter: quia 1. differt curationem. 2. imperat difficilia. 3. ſe coactum præbet. 4. morbum non tollit, niſi maleficus transferat vel in alium: vel in ſeipsũ. 5. nõ tollit maleficiũ dæmonis inferioris, niſi difficulter. 9. & ſeq

Articulus II. Malefici.

Malefici in curationibus magicis æquiparantur actioni diabolicæ: quia ſimiles ſunt potentia, ac voluntate. 16.

Potentia ob multas cauſas impeditur. Exemplis probatur.

Illarum cauſarum impedientium vanitas oſtenditur.

Ordo in illis curationibus manifeſtatur.

Voluntate dicuntur ſimiles: quia in ipſa dæmoniacæ malitiæ coniunguntur. 20.

Ideò inuiti ſanitatem reſtituunt. Exemplo comprobatur.

Sectio II. Ex parte Medij.

Tota actio magicæ curationis dæmoniacam manifeſtè arguit malitiam. 21.

Ideò abominanda ex parte medij Sacrilegi, ac Superſtitioſi: vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Sacrilegi.

Malefici in ſuis curationibus medijs vtuntur ſacrilegis: quia violant Perſonas ſacras: Loca ſacra: ac Res ſacras; ideò ſunt excommunicati excommunicatione latæ ſententiæ Summo Pontifici reſeruata. 22.

Exemplis comprobatur. 23.

Articulus II. Superſtitioſi.

Media magicæ curationis ſunt ſuperſtitioſa: quia in eis fit exceſſus in cultu veri Dei: & falſi Dei. 26.

Probatur ratione, & experientia.

Sectio

Sectio III. Ex parte Finis.

Quid, & qualis ſit bonus finis: Ex quo aliquod opus bonitatem ſumit. 28.
Tota malefica curatio mala eſt: quia maleficorum finis eſt Impius, Noxius, ac Scandoloſus: vt ſequentes articuli manifeſtant.

Articutus I. Impij.

Finis maleficæ curationis impius: quia in ſuis curationibus malefici homines à Deo auertunt; ac tollunt cultum, quem Deo homo exhibet actibus interioribus, nempè deuotione, & oratione: & actibus exterioribus, videlicet, adoratione, ſacrificio, & inuocatione. 29.
Hos pietatis actus per maleficos curatores dæmon deturpare ſatagit ſiuè interiores, ſiuè exteriores. 32.

Articulus II. Noxij.

Finis magicæ curationis noxius, & damnificus ipſis Curatoribus: vt probatur auctoritate S. Scripturæ: ac Iuris canonici. 33.
Similiter noxius eſt ijs, qui curantur, quos dæmon ſeducit per ſanitatis oblationem: fidem eorum labefactando: eam in ſe transferendo: ac maleficis maiorem deinceps malefaciendi anſam præbendo. 34.

Articulus III. Scandaloſi.

Finis magicæ curationis ſcandaloſus. 37.
Curator magicus monti cadenti comparatur: quia dum alios curat, fit in ſcandalum eorum, & in dedecus christianæ Religionis; quod maximè Deo diſplicet. 38.
Ideo qui talia agunt maximo digni ſunt ſupplicio. 39.

Caput II. Intoleranda.

Iudicia Dei, & hominum ſunt diuerſa. Et quomodo. 41.
Magica curatio toleratur ab aliquibus Iuriſtis.
Non toleratur à Deo: neque ab Eccleſia: ſed punitur in Exercentibus, Addiſcentibus, Fauentibus, ac Requirentibus: vt quatuor ſectionibus demonſtrabitur.

Sectio I. In Exercentibus.

Exercentes magicas curationes grauiter puniuntur. 42.
Qui ſub nomine maleficorum comprehenduntur.
Omnes magicæ actiones eodem iure puniuntur in Exercentibus Viris, Mulieribus, Pueris: vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Viris.

Viri peccant non propter infirmitatem, vel ignorantiam; ſed per malitiam. Ideò grauiter puniuntur pęnis ſtatutis à Iure diuino. 44.
Ratio fauet, quia pœna commenſuratur culpæ, cuius grauitas ſumitur à dignitate perſonæ, & ab ipſo multiplici offenſionis modo. 46.
Puniuntur etiam à Iure canonico excommunicatione nemini reſeruata. 47.
At quia malefici ſunt vel hæretici, vel ſuſpecti vehementer de hæreſi, ſortilegia eorum non ſunt leuia; ſed atrocia, & grauia, quia ſunt vel hæretica, vel hæreticalia. 48.
Quid ſit factum hæreticum. 49.
Obiter quid ſit hæreſis.
Quid ſit factum hæreticale. 50.
Factum hæreticum eſt ex parte operis, vel operantis maleficum expectare à dæmone, quæ ſoli Deo conueniunt. 52.
Factum vel hæreticum, vel hæreticale Deum abnegare, abuti Sacramentis, Sacramentalibus, rebus ſacris, verbis S. Scripturæ, & Symbolo Apoſtolorum.
Factum vel hæreticum, vel hæreticale eſt dæmonem adorare adoratione latriæ, vel duliæ. 54.
Sortilegium hæreticale ex parte operantis eſt, cum maleficus petit à dæmone, quæ non excedunt eius facultatem. 55.
Ex parte verò operis, cum intercedit abuſus Sacramentorum, Sacramentalium, rerum ſacrarum, verborum S. Scripturæ, Symboli Apoſtolorum.
Factum vel hæreticum, vel hæreticale, baptizare imagines; vel pueros rebaptizare; vel ſacra conculcare: vel alia huiuſmodi perpetrare. 56.
Magiam exercentes vel ſunt hæretici: vel vt hæretici habentur; ideò ſubijciuntur excommunicationi Bullæ Cœnæ Domini ſaltem in foro exteriori, quando non eſt error in intellectu. 57.
Malefici de hæreſi conuicti, ſi pertinaces, & impenitentes ſint, traduntur curiæ ſæculari. 59.
Quid ſit tradi curiæ ſæculari.
Malefici ex corde pœnitentes recipiendi ſunt ad pœnitentiam, exceptis quatuor caſibus; de quibus, vel aliquo eorum malefici conuicti non ſunt recipiendi ad miſericordiam in Decretis Summorum Pontificum. Sic etiam ſi ſint hæretici, ſed pœnitentes duntaxat in ipſo tabulato, vel poſt ſententiam conuertantur. 62.
Prædicti malefici pęna mortis ſunt multandi. 64.
Probatur auctoritate legum, & Iuris prudentium.
Immò viui comburendi, ſi impœnitentes ſint.
Quæ pœna probata eſt iure diuino, canonico, ciuili, & conſuetudinario. 65.
Ideò commendandi Principes, ac Iudices, qui tales criminoſos ignis pœna puniri iubent. 66.
Quare Iudices Prouincias ab hiſce malefactoribus purgare debent. Secùs facientes ſiunt rei culpę & reſtitutionis damnorum. 68.
Nec vlli ſuffragatur dignitas perſonæ.

Arti-

Articulus II. Mulieribus.

Citiùs ad maleficia feruntur mulieres. 70.

Quas à pœnis excuſant quidam earum aduocati.

Eorum excuſatio refellitur.

Pœnæ pro viris maleficis ſtatutæ ampliantur ad mulieres, quia non ſunt odioſæ, ſed fauorabiles Reipublicę ob conſeruationem: bonis Ciuium moribus ob exemplum, ipſis maleficis: & ſagis ob conuerſionem. 71.

Expreſsè de ſagis puniendis ſit mentio apud Canones, Pontifices, & Doctores. 72.

Quidam ſagarum patroni eas è numero maleficorum eximere ſtudent.

Huiuſmodi exemptio Sagis eſt infructuoſa, quia ſunt hęreticę, & apoſtatę cenſendę. 73.

Articulus III. Pueris.

Pueri videntur immunes à flagitijs, & conſequẽter à pœnis. 74.

Experientia contrarium docet, cum plures maleficijs vacent.

Quid ſentiendum de pueris impuberibus. 75.

Quid de proximis pubertati.

Quid poſt annum 14. completum. 77.

Iudices quomodo ſe gerere debeant in huiuſmodi caſibus.

Sectio II. In Addiſcentibus.

Dęmon vbique plures inſtituit diſcipulos, qui non ſunt tolerandi, ſed puniendi, ſiuè addiſcant Publicè, ſiuè Priuatim, vt duobus articulis patefiet. 79.

Articulus I. Publicè.

Olim plures fuerunt Scholę, quibus à Magiſtris Magia diſcipulis publicè tradebatur. 80.

Quorum etiam plures hoc noſtro æuo ſunt, qui ſcientijs vanis, ac diabolicis incumbunt in conuenticulis ſecretis, & in nocturnis cętibus. 81.

Quas artes deteſtatur, ac puniri exercentes iubet ius canonicum, ac ciuile. 82.

Articulus II. Priuatim.

Magi, ac malefici, vt ſecuriùs ſuas valeant tradere Inſtructiones, priuatim plures ſeducere tentant, Ignorantes per ſigna exhibita in verbis, & rebus, ſapientes per libros, & ſcripta: 83.

Huiuſmodi libros, & ſcripta Valens Imperator iuſſit diligenter perquirere, & concremare. 84.

Teſtis oculatus eſt D. Ioan. Chryſoſtomus.

Hoc noſtro æuo valdè inoleuit apud corruptam iuuentutem prędictus abuſus, dictorum, nempe, lectio librorum. 85.

Quæ prohibetur iure pontificio, excommunicatione nemini reſeruata.

Si verò copulatiuè concurrant quatuor ſequentes conditiones, tunc legentes, vel retinentes ſunt excommunicati excommun. Bullæ Cœnæ Domini. 86.

Prima conditio, vt liber ſit Auctoris hæretici.

Secunda conditio, vt vel contineat hæreſim, vel de Religione tractet.

Quid ſit continere hæreſim, ac de religione tractare. 88.

Tertia conditio, vt ſcienter vel legantur, vel retineantur. 89.

Quarta conditio, vt fiat abſquè licentia Papæ, qui ſolus poteſt hanc licentiam dare. 90.

Prędictos libros vel legentes, vel retinentes in foro fori præſumuntur hæretici, & vt hæretici ſanctiſſimæ Inquiſitionis tribunali ſunt denunciandi, ac puniendi. 91.

Sectio III. In Fauentibus.

Virus artis magicæ, ac maleficæ magis diffunditur ob magorum, ac maleficorum plures fautores, qui duobus modis eis fauere dicuntur, ſcilicet, omittendo, vel committendo, vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 93.

Articulus I. Omittendo.

Magis, ac maleficis fauent omittendo.

Alij ex officio. Et iſti ſunt. Iudices, qui negligunt eos punire.

Quinam ſint Magorum, ac Maleficorum Iudices.

Quando eos punire ſpectet ad Iudices Eccleſiaſticos, vel ad Iudices ſæculares. 49.

Quando detur præuentio.

Epiſcopi, Inquiſitores, & eorum Miniſtri non punientes magos, maleficos, & ſagas gratia amoris, vel odij, vel lucri, aut alterius commodi, vt eorum fautores habentur. 96.

Et ſi præfati Rei ſint hæretici, vt hæreticorum fautores cenſentur.

Excepta cauſa vitandi ſcandala, vel ignorantia, quòd ſint tales. 97.

Principes, ac Domini temporales, ſi iam ab Eccleſia moniti, negligunt punire magos, & maleficos hæreticos, vt hæretici præſumuntur. 98.

Si verò requiſiti omittunt eos inueſtigare, & capere, ſunt ſuſpecti de hæreſi, & tenentur ad reſtitutionem damnorum.

Alij ex Edicto S. Inquiſitionis. 100.

Hi ex charitate tenentur magos, maleficos, & ſagas denunciare. Secùs facientes ſunt excommunicati ex Edicto S. Inquiſitionis, Iure canonico, ac conſtitutionibus pontificijs.

Ratio dictat.

Ex varijs indicijs ſagæ, ac malefici ſunt denunciandi. 101.

Aliqui defendunt, ſagas eſſe denunciandas à ſocijs, qui eas intereſſe ludis diabolicis viderunt.

Secùs tamen eſt cenſendum ex praxi ſupremæ Romanæ Inquiſitionis.

Si ſaga ſocias denunciet de his, quæ vidit patrare extra ludos, eius denunciatio ſufficit ad inquirendum. 105

Si

Si maleficus, vel ſaga audiatur loqui cum dæmone ſunt denunciandi.

Alia indicia, per quæ malefici, ac ſagæ ſunt denunciandi.

Omnes quicumque ſint vel tacitè, vel expreſsè dæmonem inuocantes de iure nouo ſunt denunciandi.

Filij, Filiæ, Parentes, & Conſanguinei tenentur denunciare magos, maleficos, & ſagas.

Ratio dictat. 108.

Diſtinctio Moderni Auctoris de duplici genere ſagarum refellitur.

Ad denunciationem magorum, maleficorum, & ſagarum, & eorum, qui de hæreſi ſunt ſuſpecti, non eſt præmittenda fraterna correctio; 111.

Omnes exercentes operationes, quæ aliquo modo ſapiunt hæreſim, de iure nouo ſunt denunciandi: dummodo illa actio inuoluat inuocationem dæmonum, vel peccatum mortale. 113.

Articulus II. Committendo.

Magis, Maleficis, & Sagis fauent committendo qui de facto illis auxilium ferunt. 114.

1. *Defendendo verbis, litteris, ſcriptis, opere: vt quidam Aduocati, & Procuratores, qui fidei Inquiſitoribus maximè ſe opponunt: ac dici poſſunt Magorum, Maleficorum, ac Sagarum defenſores.*

Quando ſint puniendi.

Quanam pæna percellantur Aduocati, & Notarij, cum auxiliantur Magis, Maleficis, & Sagis. 118.

2. *Conſulendo, vel auxiliando.* 119.

Probatur auctoritate Conciliorum, Pontificum, Canonum, & Canoniſtarum.

3. *Laudando ſcienter, ſeriò, ac doloſè apud Principes, & Iudices.* 120.

4. *Relaxando: vt quandoque faciunt Principes, Magiſtratus, & Iudices. Qui grauiſſimè Deum offendunt, & maximum Reipublicæ Chriſtianæ damnum inferunt.* 122.

5. *Impediendo directè, vel indirectè.* 126.

Quinam dicantur impedire directè. Et à quo puniri poſſint.

Quinam dicantur impedire indirectè. Probatur exemplis.

Inter hos connumerantur aliqui Superiores ob certas leges ſubditis ſuis impoſitas. Ratio talium legum refellitur. 129.

Pius V. ne ſubditi impediantur à denunciatione, Conſtitutionem edidit, ne per quinquennium poſt denunciationem poſſint à Superioribus moleſtari. 131.

Exorciſtæ ritè ſuo munere fungentes ſunt velut oculi officij S.Inquiſitionis. Quare ſic dicantur. 133.

Prælati Religionum ſtatuta promulgantes, quibus officium ſanctæ Inquiſitionis directè, vel indirectè impeditur, vel debilitatur, vel retardatur, ſunt nuncupandi vel Magorum, vel Maleficorum, vel Sagarum, vel hæreticorum fautores: ac ſuſpecti de hereſi cenſendi. 134.

6. *Occultando directè, vel indirectè.* 137.

Quinam dicantur occultare directè, vel indirectè.

Quomodo ſuſpecti de hereſi ſint dicendi.

Sectio IV. In Requirentibus.

Homines plures, quia nimis intenti ſunt ſaluti ſuę corporali, ſpreto Deo ad dęmonem confugiunt, ab eo auxilium requirentes alij Immediatè: alij Mediatè: vt duobus articulis patefiet. 138.

Articulus I. Immediatè.

A dęmone immediatè quęrunt auxilium, qui cum eo pactum habent expreſſum. 139.

Qui illis opitulari videtur in infirmitatibus; ſed imperfectè: & in neceſſitatibus, cum ad manus Iudicum deueniũt, & ad torturam trahuntur. Quibus, nè ſua fateantur delicta, auxiliatur per maleficium taciturnitatis.

Quomodo tale maleficium componatur.

Varijs modis dęmon ſilentium in eis cauſare ſolet, qui recenſentur. 140.

Quibus pęnis ſint obnoxij predicti ad dęmonem confugientes. 145.

Predictum maleficium impediunt alij illicitè per quandam à terra eleuationem, & in carcerem deportationem, &c.

Alij licitè per veſtimentorum expoliationem, abraſionem capillorum, ac remedia eccleſiaſtica. 147.

Articulus II. Mediatè.

Requirunt mediatè à dęmone auxilium qui ad maleficos recurrunt, vt maleficium ſoluant. 150

Hoc licitum probat Aureolus. Probat à ſimili.

Eius opinio reprobatur vt falſa, erronea, & ſibi contraria. 151.

Præfati criminoſi puniri iubentur iure diuino, canonico, & ciuili. 157.

Nec carent culpa qui per accidens ad maleficos recurrunt. 158.

Hoc licitum eſſe ſentit Remigius extorquendo vi, ac verberibus.

Hæc opinio refellitur; quia periculoſa eſt, & erronea, vel non ſufficienter explicata.

Licitum eſt, inducere vel blandis verbis, vel minis, vel verberibus leuibus, cum probabiliter credimus hoc facturum licitè. 161.

Hoc teſtantur Theologi. Sed cautela debita adhibenda.

Mens Auctoris circa hoc declaratur. 164.

Pars II. Superſtitioſa.

Dæmon non tantùm accurrit, dum expreſsè à magis adiuratur; ſed etiam dum tacitè ab alijs inuocatur. 165.

Quibus opitulatur per ſuperſtitioſam curationem. Quæ diſtinctè dignoſcitur, dum inueſtigatur eius Cauſa, Modus, & Effectus in tribus ſequentibus capitibus.

Caput I. Quoad Cauſam.

Curatio ſuperſtitioſa cognoſcitur ex notitia Cauſæ ſiuè Internæ: ſiuè Externæ: vt duabus ſectionibus patefiet. 166.

Sectio I. Internam, & proximam.

Sicut dæmon vt cauſa interna, & proxima malum operatur in homine: ita pariter vt talis cauſa ſanitatem confert inuocatus in curatione magica expreſsè: & in curatione ſuperſtitioſa tacitè. 167.

Paratumque ſe exhibet concurrere in neceſſitatibus Grauioribus, ac Leuioribus: vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Articulus I. In Grauioribus.

Dæmon per ſuos Magos, Maleficos, & Sagas proponit homini remedia grauiora, ac difficiliora. 168.

1. *In infirmatibus grauioribus: vt exemplis probatur.* 169.
2. *In neceſſitatibus vrgentioribus tradens certos ritus, inſtrumenta quædam, & characteres quoſdam, quibus ad ſanitatem conſequendam vti neceſſe eſt.* 170.
3. *In difficultatibus obſcurioribus, quæ maximè tenent Iudices, nè valeant à magis, & maleficis veritatem extorquere.* 171.

Quos adiuuat varijs modis, vt taciturnitatis maleficium ſoluere queant.

Qui omnes vt ſuperſtitioſi refelluntur.

Articulus II. In Leuioribus.

Dæmon vt honorem aucupetur ab hominibus, eis accurrit inuocatus. 133.

1. *In ægritudinibus leuioribus pellendis, etiamſi res applicata ſit inutilis, & vana. Nam his vanis vtuntur, vt veræ fidei fundamentum deſtruatur.*
2. *In maleficijs arcendis. Varij adducuntur modi.* 175.
3. *In gregibus cuſtodiendis.* 176.

Huius ſuperſtitio oſtenditur; & exemplo comprobatur. 177.

Sectio II. Externam, & remotam.

Sicut dæmon eſt cauſa interna, & propinqua ſanitatis conferendæ: ſic homo eſt cauſa externa, & remota; qui ſeipſo ea operatur, quæ à dæmone præſcribuntur. 179.

Cuius ope vtitur ſiuè ad Cognitonem: ſiue ad Operationem: vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Articulus I. In Cognoſcitiuis.

Homines natura ſcire deſiderant, maximè quæ ad ſui ipſius conſeruationem ſpectant. 180.

Ideò cum infirmantur aliqui, vt ſciant, an ægritudo ſit naturalis, vel diabolica, ſuperſtitioſa quædam capiunt experimenta.

Ex
- *Plumbo liquato infuſo in aquam.* 181.
- *Ablutione corporis cum decoctione verbenæ.* 182.
- *Columbo per medium ſciſſo ægroto applicato.*
- *Pennis gallinæ nigræ poſitis ſub ceruicali.* 183.
- *Aegroti indumento: & alijs pluribus.* 184.

Ad cognoſcendas ſtriges dum ſua libertate fruuntur: vel dum ad manus Iudicum deueniunt, varia ſumunt experimenta. Et recenſentur. 185.

Quæ omnia vt vana, ac ſuperſtitioſa refelluntur.

Ad inueniendа furta, & occulta ſcienda. 190.

Alij vtuntur phiala plena aqua cum certis alijs cæremonijs. Quod ſortilegium hæreſim manifeſtam ſapit.

Alij certis numero lapillis ad fluentem aquã. 192.

Alij certo numero candelarum cum quibuſdam alijs ritibus.

Non eſt tamen ſuperſtitioſa ars inueniendi aquam adhibita virga ſalicea, vel amigdalina. 194.

Articulus II. In Operatiuis.

Quemadmodum in cognoſcitiuis, ita in operatiuis ſuperſtitioſa dicitur curatio, cum quis vtitur medijs ad conſequendam ſanitatem, quæ ex ſe nullam habet vim ad huiuſmodi effectum producendum. 195.

Vnde quidam aiunt, licitum eſſe tollere maleficia per vana, & ſuperſtitioſa.

Cui opinioni Scotum adhærere ſentit Daniel Sennertus Medicus: ſed falsò, & immeritò hoc ei aſcribi oſtenditur.

Nec officit quicquid dicit Sprenger in Malleo. Non enim Scotus docet per vana, ac ſuperſtitioſa licitum eſſe tollere maleficium. 196.

Caput

Caput II. Quoad Modum.

Quamuis modus ſuperſtitioſæ curationis innumerabiles formas comprehendat; attamen omnes reduci poſſunt in tribus ſectionibus ad Modum Verbalem, Operatiuum, & Obſeruatiuum. 198.

Sectio II. Verbalem.

Plures diaboli fautores multa naturalibus ſuperſtitioſa receperunt: vt Arabes, Cabaliſtæ, Iudæi recentiores, ac Magi omnes.
Quorum fundamenta ſunt friuola, impia, & vana. 299.
Veritas eſt, nulla vocabula vim habere naturalem vel ſanandi morbos, aut vulnera: vel depellendi alias noxas. Siuè eorum Modum attendamus Significatiuum; Siuè non ſignificatiuum: vt ſequentes articuli manifeſtabunt. 200.

Articulus I. Significatiuum.

Quidam ſentiunt voces ſignificatiuas ſignificare Primariò per influxum cæleſtem. Secundariò per hominum impoſitionem. 201.
Quorum opinio refellitur vt erronea.
Referuntur variæ verborum formulæ ſuperſtitioſæ, ſed non eo rithmo, ordine, & idiomate, quo ſunt pronunciandæ. 202.
Aliæ plures formulæ continue à dæmone adinueniuntur, ac ſuis aſſeclis traduntur diſtribuendæ. 203.
Quæ omnes vt ſuperſtitioſæ pluribus rationibus reprobantur.

Articulus II. Non Significatiuum.

Maior ſtultitia, verborum formulis nihil ſignificantibus vti. Quas omnes eſſe ſuperſtitioſas in comperto eſt. 205.
Harum plures, ſed imperfectæ deſcribuntur.
Sed vt prorſus vanæ, ac ridiculæ refelluntur ratione, auctoritate Canonum, & exemplo. 206.
Quare prædictis formulis vtentes vel ſunt hæretici, vel de hæreſi vehementer ſuſpecti. 209.
Quomodo in vſu rerum ſacrarum poſſit eſſe ſuperſtitio, vel tentatio Dei. 210.
Oſtenditur, quomodo non poteſt eſſe ſuperſtitio in illa oratione ab Auctore compoſita, quæ incipit: Oratione da recitare, ò portar ſeco, &c. 212.

Sectio II. Operatiuum.

Summus Vniuerſi artifex ſuæ oſtendit ordinem ſapientiæ in ſuis operationbus. 214.
Quem conatur imitari dæmon varia opera adimplere præcipiens ſuis aſſeclis; ad quæ accurrit etiam tacitè inuocatus.
Quæ præcipuè in duobus articulis demonſtrantur in Actionibus, & in Motionibus.

Articulus I. Actionibus.

Variæ actiones tranſeuntes inſtitutæ à dæmone, vt per eas ſanitatem conferat. Quænam ſint.
Eorum aliquæ deſcribuntur; & vt ſuperſtitioſæ refelluntur. 215.
Aliæ actiones recenſentur, in quibus interuenit Abuſus Sacramentorum, Sacramentalium, Rerum ſacrarum, Verborum Sacræ Scripturæ, Orationis Dominicalis, Symboli Apoſtolorum, & ſimilium. 216.
Quæ vt ſuperſtitioſæ, ſacrilegæ, & hæreticales reijciuntur.

Articulus II. Motionibus.

Varij membrorum corporis motus in curatione interueniunt, qui omnes cum ſint ex dæmonis præſcripto, proculdubio ſunt ſuperſtitioſi. 217.
Exemplis comprobatur.
Huiuſmodi motiones ſuperſtitioſas multi exercent hoc noſtro æuo; quorum nonnullæ deſcribuntur. 218.
Alij ſimilibus motionibus ſuperſtitioſis vtuntur, quæ ſuperſtitioſæ oſtenduntur; imò etiam hæreticales, ſi interueniat abuſus Sacramentorum, vel cæterorum, de quibus ſupra. 220.

Sectio III. Obſeruatiuum.

Sicut Deus ſuam manifeſtauit clementiam inſtituendo ſacramenta: ſuamque patefecit ſapientiam varia tradendo præcepta, ex quorum vel obſeruantia, bona; vel tranſgreſſione mala futura coniecturaliter prænunciantur. 220.
Sic dæmon præter remedia verbalia, & operatiua, quibus ſe clementem conatur oſtendere; vt etiam ſe ſapientem prodat, varia tradit præcepta ſecundùm modum Obſeruatiuum, Temporis, & Ominum: vt ſequentes articuli patefacient.

Articulus I. Temporis.

Non eſt ſuperſtitio obſeruare tempora, quibus herbæ ſint colligendæ: ligna ſuccidenda: ac mare nauigandum.
Sed eſt ſuperſtitio: 221.
1. *Cum obſeruatur vnus vel hebdomadæ, vel menſis, vel anni dies, quà talis. Vel certa hora diei, quà talis hora.*
2. *Cum adduntur circunſtantiæ inutiles: vel non approbatæ orationes.*
Conſtat ex Iure canonico.
Adducuntur exempla à Petro Breslayo, & ab Alexandro ab Alex. 223.
Ex dierum in fauſtorum ſuperſtitione emanarunt dies critici. Quid ſint. 224.
Quando ſuperſtitioſi: quando non.
Quas obſeruationes aliæ ſequuntur populares ad negotia peragenda, nempe. 225.
Obſeruatio
- *Diei S. Pauli. Quando dicatur ſuperſtitioſa.*
- *Primorum duodecim dierum Ianuarij.*
- *Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ.* 226
- *Feſti Sancti Stephani.*
- *Annunciationis B. V. Mariæ.* 227.
- *Diei Paraſceue.*
- *Feſti S. Mariæ Magdalenæ.*
- *Diei lunæ.* 229.

Has vanas obſeruantias vt ſupeſtitioſas deteſtantur
Diuus Paulus ad Galatas.
Sanctus Ambroſius ibi. 230.
Theologi omnes. 231.
Aliæ adducuntur dierum vanæ obſeruantiæ.
Ad ſanitatem conſequendam: ad fures inueniendos: ad nonnulla futura præſcienda. 232.
Inter has ſuperſtitiones non eſt connumeranda obſeruantia partus octimeſtris, quem minimè vitalem eſſe, ferunt. Nec anni climacterici, quem homini lethalem eſſe dicunt. 233.
Ratio cur partus octimeſtris nequeat viuere. 234.
Ratio cur anni climacterici lethales dicantur, quæ eadem eſt de Criticis diebus. 235.

Articulus II. Ominum.

In omine homo ſigna futurorum ſumit. 236.
Ex
- *Nomine, ac voce.* 237.
- *Iis, quæ fortuitò domi accidunt. Exemplis probantur.*
- *His, quæ extra domum, ſeù in via euenire ſolent.* 239.
- *Sonitu aurium.* 240.
- *Actionibus varijs.* 241.

Prædictæ omnes vanæ obſeruantiæ, vt ſuperſtitioſæ damnantur in iure canonico.
Ratio dictat. 242.
Aliquando tamen dicta, vel facta hominum talia ſunt, vt diuino impulſu aliquid futurum præſignificent. 243.
Aliquando etiam actiones irrationalium.
Aliquando per ipſa inſenſibilia.
Aliquando ex Comato ſydere. 244.
Quid ſit. Et quomodo formetur.
Quid prænuncient naturaliter, ac ſupernaturaliter.

Caput III. Quoad Effectum.

Cum effectus nobis ſint notiores, ac priores ipſis cauſis, facilè deuenitur in cognitionem ſuperſtitioſæ curationis, ſi ipſius in duabus Sectionibus contemplemur Effectum ſiuè Phyſicum: ſiuè Hyperphyſicum. 248.

Sectio I. Phyſicum.

Effectus naturalis eſt ille, qui non excedit cauſarum creatarum vires. 246.
Quæ, & quot conditiones requirantur ad phyſicam actionem.
Sæpiùs dæmon multa operatur per cauſas naturales; ideò curatio ſuperſtitioſa poteſt eſſe etiam quoad effectum phyſicum ſiuè procedat à cauſa naturali: ſiuè à cauſa ſupernaturali: vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Articulus I. A Cauſa naturali.

In phyſicis effectibus multa ſæpiùs admiſcentur, quæ illos ſuperſtitioſos reddunt. 251.
Alij vtuntur remedijs occultis citiſſimè operantibus licèt naturalibus. Quomodo peccent. 252.
An ſint A Magiſtratibus permittendi. 253.
Alij ſolo contactu ſanant morbos.
Huiuſmodi curationes naturales non eſſe, probatur. 254.
Obijcitur de quibuſdam mirabilibus. Reſpondetur obiectioni.
Poteſt Deus concedere, vt aliqui vel odore, vel tactu, aut habitu ſanare poſſint aliquos morbos. Conſtat de maſculo ſeptimo loco nato, ac de Regibus Galliæ. 256.
Quid de Rege Pyrrho contactu morbos ſanante.
Quid ſentiendum de Salutatoribus, ſeù Enſalmadoribus. 258.
Alij vtuntur remedijs externis certis, ac definitis. 259.
Quarum curationum varij ſunt modi, in quibus interueniunt orationes quædam: Fruſta panniculi linei aqua intincta: Fruſta indusij ſanguine madefacta: Puluis aluminis aduſti. Et id generis. Quæ non videntur ſufficientes cauſæ naturales ad ſanitatem conferendam.
In quolibet tamen remediorum prædictorum eſt aliquid, quod naturaliter aliquantulum iuuare poteſt. 262.
Formulæ verò verborum adhibitæ per modum deprecationis ſunt licitæ, adhibitæ verò vt formulæ neceſſariæ, & vt ſigna infallibilia talis effectus ſunt ſuperſtitioſa. 264.

Prædi-

Prædicta ergo remedia, quia continent plura vana, inutilia, & ſuperflua, ideò ſunt ſuperſtitioſa. 265.

Articulus II. A Cauſa libera, nempè, Dæmone.

Dæmon etſi præſtigijs quandoque homines fallat; Aliquando tamen veros producit effectus denominatos 266.

Vel prodigioſos, prout reſpiciunt cauſam artificialem, nempè, dæmonem agentia naturalia præparantem.

Probatur exemplo. 268.

Vel phyſicos, prout reſpiciunt cauſas naturales naturaliter operantes. Probatur à ſimili de dæmoniacis.

At quia illicitum eſt, à dæmone auxilium petere, dicti effectus ope dæmoniaca producti ſunt ſuperſtitioſi.

Quid agendum à Magiſtratibus, ordinarijs locorum, & Inquiſitoribus, cum huiuſmodi Curatores ſibi occurrunt. 272.

An inter hos effectus connumerandus ſit ſanguinis fluxus ex cadaueribus occiſorum coram reo. 273.

Et vtrum indicium eſſe poſſit ad torturam.

Conſultius erit Iudicibus ſe abſtinere ab huiuſmodi indicijs.

Examinatur quidam effectus à formicis alatis productus in territorio Bergomenſi, qui naturalis non eſſe probatur. 276.

Nec præternaturalis à dæmone, Ergo à Deo ſupernaturalis eſſe conuincitur.

Ratio congruentiæ ſumitur à proprietatibus formicarum: quæ aptiſſimè videntur præſignare actiones Præcurſoris, qui colitur in loco, vbi tales effectus producuntur. 278.

Sectio II. Hyperphyſicum.

Effectus hyperphyſici dicuntur omnia opera à Deo operata tum in veteri, tum in nouo teſtamento.

Vel per
- *Seipſum.*
- *B.Virginem.* 279.
- *Angelos.*
- *Sanctos omnes.*

Sed quia aliqui effectus hyperphyſici etiam ſunt à dæmone; ideò curatio ſuperſtitioſa poteſt eſſe quoad tales effectus, ſiuè procedant à dęmone dæmoniaca virtute operante: ſiuè à malefico eiuſdem dæmonis virtute agente. 280.

Articulus I. A Dæmone dæmoniaca virtute operante.

Dæmon ſeipſo multos præſtat effectus, qui humanas ſuperant vires. 281.

Quorum vnus eſt, qui procedit ex applicatione facta in loco diſtanti.

Eius ſuperſtitio oſtenditur rationibus.

Obijcitur de Sympathia. Satisfit obiectioni. 283.

Sic expulſiones nubium factę à certis hominibus certis ritibus; Quorum iactantia conuincitur dupliciter.

Ita expulſiones inſectorum quadam artę factę. 285.

Eorum praxis ſuperſtitioſa oſtenditur.

Simili ſuperſtitione affecta eſt litis, quę inſtituitur inter dæmonem, & maleficum volentem ſe ad Deum conuertere. Probatur validiſſimis rationibus. 286.

Huc referuntur effectus immunitatis à varijs periculis. 288.

Quæ omnia ſuperſtitioſa eſſe demonſtrantur varijs rationibus. 289.

Ità ſuperſtitioſi ſunt illi effectus, qui dicuntur euenire ex rebus naturalibus, quæ tamen non habent vim ad illos producendos. 290.

Errant Medici, & Exorciſtæ talia aſſerentes.

An Galli cantus ſtrigarum diſſipet conuentus. 292.

Qua ratione poſſint dæmones odiſſe galli cantum.

Articulus II. A Malefico virtute dęmonis agente.

Dęmon, vt ſuos honoret aſſeclas, multa præſtat per ipſos, quę effectus hyperphyſici appellantur. 294.

Huc referuntur effectus prouenientes ab imaginibus aſtronomicis. Quid de his ſentiat Caietanus. 295.

Eius poſitionis fundamentum, vt ſuperſtitionum fuit prius confutatum à D.Thoma. 296.

Rationes ipſius Caietani nullius eſſe valoris oſtenduntur. 297.

Illa conformitas figurę ad aſtrum nihil conferre probatur.

Quare vſus talium imaginum vt ſuperſtitioſus condemnatur à Pontificibus, Canonibus, Patribus, Theologis, Canoniſtis, ac Iuriſperitis. 299.

Idem de annulis aſſeritur, quibus dicitur dęmon alligari, quod ſuperſtitioſum oſtenditur. 300.

Sic ille motus annuli, quo pulſantur horę, vt effectus ſuperſtitioſus reprobatur. 301.

Concoluſio Diſputationis.

Concluditur, curationem dęmoniacam eſſe abominandam, & intolerandam, ideò deteſtandam, ac ſollicitè fugiendam. 302.

Nec ſpectare ad Medicos: quicquid aſſerant nonnulli Medici, qui pro naturalibus multa ſuperſtitioſa receperunt. 303.

Precipuè Paracelſus, qui varia ſuperſtitioſa tradit.

Eius errores reſſelluntur. 304.

Nec ad Exorciſtas ſpectare vllo modo: licèt forſaſsè hoc aſſereret quidam Felix Malleolus, qui varijs vtebatur formulis ſuperſtitioſis. 306.

Quæ

Quę omnes erroneę eſſe oſtenduntur.
Multi huic ſimiles ſunt hoc noſtro ęuo, qui à dęmone ſępiùs decipiuntur. 307.
Quod prouenit ex interrogationibus factis dæmoni iuxta exorcizandi regulas ab antiquis Exorciſtis in ſuis exorciſmarijs traditas. 308.
Quibus Exorciſta ſe ignarum prodit.
Prædictæ ergo curationes vt illicitæ, ac ſuperſtitioſæ reprobantur. Ideò ab Exorciſtis, Medicis, ac quibuſcunquè abominandæ, atque fugiendæ. 310.
Ad cognoſcenda opera ſuperſtitioſa aſſignantur. 311. & ſeq.
Regulæ tres pro Medicis.
Regulæ ſex pro Exorciſtis.

DISPV-

DISPVTATIO I.
DE CVRATIONE DIABOLICA.

I *1. Curatio diabolica per dæmonem, & maleficos eius miniſtros perficitur.*

INCIPIAMVS à curatione diabolica, quæ per Demonem, & eius miniſtros Magos, Incantatores, Sortilegos, Maleficos, Veneficos, & alios, quocumque nomine vocentur, qui eius ope ægrotis medentur, perfici conſueuit; quam ideò primo loco proponimus, vt omnibus innoteſcat, quàm abominanda ſit, & ſolicitè fugienda.

In qua dæmon inuocatur Aliquando Expreſsè, Aliquando Tacitè.

Hæc autem eſt duplex, prout ad eam perficiendam diuerſimodè ſe gerunt infernales illi Curatores, & qui eorum actibus aliquo pacto conſentiunt. Nam Aliquando demon verbis compellatur expreſſis, & formali adiuratione euocatus ex orco patenti, & manifeſta operatione ea peragit palàm, quæ ab ipſo deſiderantur; vt fit à Maleficis iuxta conuentiones inter ipſos initas.

Aliquando modo tacito inuocatur: vt ab ijs, qui nullo expreſſo pacto eius miniſterio irretiti, tamen ſe operibus dæmoniacis immiſcent; & ad eius curationes vtuntur; ad quorum tacitas preces ſubdolus hoſtis accedit; & occulto modo præſtat illa, quæ ab iſtis oratoribus poſtulantur; Ideo

Ideo Curatio Alia Magica, Alia Superſtitioſa.

Alia eſt curatio per dæmonem expreſsè inuocatum, & palàm operantem facta.

Alia per eundem tacitè interpellatum, & occultè concurrentem exhibita. Primam vocamus Magicam. Secundam Superſtitioſam. De quibus totidem huius diſputationis partibus diſſeremus: vt ijs diſcuſſis à quocumquè rectè, & catholicè ſentiente, fugiendam, ac contemnendam eſſe, ſtatuatur.

PARS PRIMA.

Magica.

HÆc magicæ ſuperſtitionis fetus remedijs ſuperſtitioſis, incantationibus, ſortilegijs, & medijs diabolicis vtitur ad ſanitatem conferendam. Sub eius nomine comprehenduntur omnes immutationes corporum ſimiles; & maximè illæ, quæ ad hominum commodum, & vtilitatem, ſeu beneficium fiunt: ſiuè immediatè circa ipſa corpora humana: ſiuè circa animalia: ſiuè circa arbores, & ſimilia. Similiter effectus illi, qui per hanc artem ſanitatum hominibus promittuntur: vt non poſſe lædi ab hoſtibus, nec ſubeſſe caſibus fortuitis, & id generis alij; Nam omnes ad magicam curationem, ſi ab ijs exercentur, qui cum dæmone pactum habent expreſſum: ſi verò ab alijs, qui pacto expreſso cum dæmone non ſunt fæderati: ad ſuperſtitioſam tantummodo, reuocantur. Quam magicam curationem Abominandam, & Intollerandam eſſe duobus capitibus demonſtrabimus: vt in vno culpa: in altero pęna huic crimini debita videatur.

2 *Curatio magica ſanitatē confert remedijs diabolicis.*

Sub hac comprehendun tur immutationes corporum, et effectus mirabiles.

Quare Abominanda, Intolleranda.

CA-

CAPVT I.

Abominanda.

Antiqui curationem dæmoniacã prędicãt Licitam, Vtilem, Diuinã.

3 ANtiquorum ſententia dæmoniacam curationem non ſolùm licitam eſſe; ſed laudabiliter practicabilem; & vtiliter exercendam eorum ſcripta demonſtrant; quibus paſſim ſummis illam laudibus efferunt, & tanquam à Deo hominibus communicatam ingenti eius benignitate commendant. Diuinam etenim & magicam illam vocant, vt potè quæ à Deo humanas calamitates miſerante nonniſi à magis, ideſt, ſapientibus addiſcenda, & exercenda eſt. Nec mirum, cum neſcirent diſtinguere inter diuinam, & diabolicam rationem ſoluendi maleficia; & in fictitia illa Deorum ſuorum turba dæmones inuocarent. Ideò quicquid à falſis Dijs profanæ antiquitatis, ſeù dæmonibus edocebatur ad mortalium curationes, hoc ipſi tanquam veri Dei beneficium ſuſpiciebant. Quorum vanitatem, & ſuperſtitioſos ritus diligentiſſimè exſequitur D. Hieronymus, & Oleaſter *in cap. 13. Ezechielis poſt medium:* eorumquè multa exempla congerit Annæus Robertus *lib. 1. rerum iudic. cap. 5.*

Aliqui ex chriſtianis eam licitam profitentur. Pomponatius qui non diſtinguit. inter remedia naturalia, & magica. Paracelſus qui hortatur Medicũ edoceri à Sagis. Ægrotũ magicis vti remedijs.

4 Sed Neotericorum placitis eandem curationem tanquam licitam proponi, eorum præcipuè, qui ſe chriſtianos eſſe profitentur, mirandum ſanè, & lachrymis proſequendum. Pro quibus omnibus Pomponatium, & Paracelſum producimus in medium, vt in ore duorum teſtium ſtet omne verbum.

Primus *in ſuo libro de incantationibus* multa inſeruit magica, ſuperſtitioſa, & diabolica more multorum, qui medendi varias rationes proponentes, magicum remedium, à naturali non ſecernunt; ſed vtrumquè inſimul exhibentes, lectores incautos decipiunt.

Secundus *de morbo caduco*, tum Medicos, tum ægrotos ad magicas operationes recurrere docet. Nam Medicum inſtituens, vt in ſua arte perfectus ſit & ediſſerens, quo pacto morbis à magico artificio inflictis ſuccurrendum ſit, ait; *Quia, nec Auicenna, nec Galenus de tali curatione ſcripſerunt. aut ſciuerunt quidquam. Nec in Academijs omnis ars addiſcitur; ideò oportet quandoquè, Medicum accedere ad vetulas, ſagas, zigenepos; ruſticos, & circumforaneos, & ex ipſis artem addiſcere; eò quòd plus ſciant de iſtis rebus, quàm omnes academię profeſſores. Sic Ægrotum edoceas,* addit, *ſi quiſpiam ſupernaturali morbo, vel dolore per incantationem detineatur, illi nullum naturale remedium proderit; ſed magicum remedium eſſe oportet, quo morbus tollatur, quali & introductus.* Quæ duo placita ex duobus eius principijs deducuntur. Primum eſt: *Tales curationes magicas minimè contra Deum eſſe: quia illis non ad perniciem; ſed ad ſalutem hominum vtimur.* Cui placito hæc verba ſubiungit: *Dicant ad hæc quicquid velint Theologi.* Secundum eſt; *Nihil referre, an* Deus, *vel Angelus, vel diabolus: mundus, vel immundus ſpiritus opem ferant, modò æger curetur.* Quod probare illum non pudet ſacrę ſcripturæ teſtimonio ex Zachariæ cantico *Lucæ* 1. deſumpto. *Salutem ex inimicis noſtris de manu omnium, qui oderunt nos.*

Sed hæc curatio illicita eſt, & abominabilis, quoquomodo conſideretur ſiuè ex parte Agentis, vel Medij aut Finis

Quarè talem curationem illicitam, & abominandam eſſe, probamus non ſolùm iure diuino, eccleſiaſtico, & humano: vt latè *tomo 1. diſput. 1.* proſecuti ſumus; ſed etiam praxi, quoquomodo conſideretur: ſiuè ex parte agentis: ſiuè ex parte medij: ſiuè ex parte finis: vt totidem ſectionibus declarabitur.

SECTIO I.

Ex parte Agentis.

Praxis abominabilis eſt ex parte agentis.

SI actio illa perfectiſſima eſt dicenda, & omni laude digniſſima, quæ à perfectiſſimo, ac ſummè bono agente prouenire dignoſcitur: ex oppoſito iuremerito illa ſuper omnia maximè eſt deteſtanda, & abominanda, quæ ab agente iniquiſſimo, ac nefandiſſimo promanare conſpicitur. Talem quis non videat praxim curationis magicæ, ad quam perficiendam duo agentia concurrere, neceſſe eſt. Alterum primarium, & præcipuum, dæmonem, nempè, qui ſua virtute morbum tollit, & ſanitatem inducit. Alterum ſecundarium, & minus præcipuum, nempè, maleficum, qui dæmonem inuocat, & ea peragit, quæ ab ipſo præcipiuntur. 5

Siuè Primarij dæmonis Secundarij malefici.

Vtriuſquè autem eſſe valdè abominandam ſequentes articuli declarabunt.

ARTICVLVS I.

Dæmonis.

§. I.

Dæmonis opera omnia tendunt in hominum perniciē.

QVis non deteſtetur, & abominetur curationem operatam à dæmone, à quo quicquid peragitur; etiamſi in hominum ſalutem corpoream, & bonorum exteriorum augmentum cedere videatur; tendit nihilominus in eorum damnum; ideòquè ab ipſis ſollicitè præcauendum, & fugiendum? Tanto enim odio illos proſequitur, quod vt aliquo modo valeat exſaturare, vbiq. ponit laqueos in igne, aere, aqua, terra: inſidia ſtruit in omni loco ſacro, & profano: bellum mouet apertè, & occultè, vt omnes, & ſingulos malis oppreſſos teneat, & quos poteſt, ad ſua caſtra perducat. Quod quidèm ſi conſequitur, præclaros ſe putat agere triumphos. Si aſſequi deſperat, pro lucro habet, cum vel corpori, vel fortunæ bonis damna infert; vt ſic ob illata damna voluptatem ſaltem apparentem percipiat: Sicut videmus fieri ab ijs, qui continuè odia fouent. Nam ſi quoquomodo inimicis nocere queunt, ſummoperè lætantur, illorumque miſeriam ſuum ſolamen arbitrantur, licèt gaudium illum ſit maxima amaritudine reſperſum. Hinc cum perpetuis inuidiæ facibus ſpiritus ille nequam vratur; & ſuccreſcentibus ardeat aduerſus homines irarum flammis ſuiipſius carnifex, nihil intactum relinquit, quod non protinus exequatur ſiuè poſſibile: ſiuè impoſſibile, modò illos in vltimum exterminium poſſit attrahere: vt facit in magicis curationibus, in quibus 6

Ideò in Curationibus magicis.

§. II.

1. Poſſibilia peragit.

POſſibilia peragit, cum naturali, aut dæmoniaca virtute perfici poſſunt. 7

Primò namquè ſi naturalis virtus ſanitatem conferre poteſt, facillimè hanc perficit curationem: quia apprimè omnium rerum naturalium vires nouit, & modum, quo debitè applicari valeant: vt latè diſſeruimus *tom. 1. diſput. 2. p. 1.*

Secun-

Secundò ſi curatio naturalem virtutem prætergrediatur; & potentiam dęmoniacam non excedat, adhuc dęmon facili negotio ſanat: quia illam ad malefici votum hominibus curandis impendit. Quod præcipuè locum habet in morbis arte malefica inductis, in quibus dęmones inferiores non poſſunt ea ſoluere, quæ ſuperiores ligauerunt, licèt poſſint ea, quæ virtuti eorum ſunt proportionata. Superiores verò dęmones non tantùm poſſunt omnia, quæ inferiores faciunt; & ità ſanare morbos ab eis illatos; ſed etiam plura quam ipſi: quia ſcientia, & potentia maiori pollent. Sicut præſtantiores Medici eas valent curare infirmitates, quas minus periti tollere non poſſunt. Habent enim dęmones ſuperiores poteſtatem ſuper inferiores: vt docent D. Auguſtinus *lib.* 83. *qq. q.* 79. D. Thom. *de Potentia, q.* 109. *art.* 2. *&* 3. Palud. *in* 4. *d.* 44. *q.* 7. Ideòque poterunt eos cogere, expellere, infirmitateſque ab eis inductas perfectè curare.

§. III.

8 *Impoſſibilia tẽtat per præſtigium.*

IMpoſſibilia tentat dæmon. Quamuis enim non poſſit omnes morbos curare, vt benè docet Petrus Binsfeld. *tract. de Confeſſionibus malefic. priori parte quæſt. concluſ.* 8. tamen petentibus hominibus, & vrgentibus maleficis, illos curare aggreditur. 1. Ne infirmus, & debilis videatur, qui potens exiſtimari deſiderat. 2. Ne deſeratur à maleficis eius impotentiam videntibus. 3. Ne contemnatur ab hominibus, qui ad ipſum recurrunt. Et tunc præſtigijs vtitur. Nam ægrotus aut ſanatur ad tempus, quo elapſo iterum morbus redit: aut ſanatus apparet; etſi verè infirmus ſit; ſed dolorem non ſentit.

Sed omnia inuitè præſtat.

Hæc autem omnia ſiuè poſſibilia, ſiuè impoſſibilia inuitus præſtat. Cum enim agitur de damno alicui inferendo ſpontaneum ſe actorem præbet: vt cum morbo aliquis afficiendus eſt, non expectat à maleficis ad hoc rogari; ſed ipſos vrget, & incitat minis, promiſſis, & verberibus. Cum verò agitur de morbo tollendo, & ſanitate reſtituenda, non agit blienter; ſed coactus ex odio infenſiſſimo, quo hominem proſequitur, illiq. ſemper malum, & non bonum adducere contendit. Quod facilè oſtenditur.

Probatur multipliciter Quia

§. IV.

9 *Differt curationem.*

PRimò: quia differt curationem, cum illam citò præſtare queat. Quod ſuo malo probant indies illi, qui ad tales confugiunt curatores.

Hoc teſtari poteſt quidam Paulus de Regatijs Teuto ſutor, qui Venetijs anno 1647. *fuit in vtroque oculo maleficio affectus, ità quòd lucem non poterat videre, dolores in eis acerbiſſimos, & puncturas acutiſſimas patiebatur; ipſe nihil tamen de maleficio cogitans varios accerſiuit Medicos, qui octomeſtre continuo varia adhibuerant medicamina, nullum remedium omiſerunt, quod illi non applicarent, nihilquè intentatum reliquerunt, vt illi optatam reſtituerent ſanitatem; ſed omnia incaſſum; ſemper enim morbus deterior fiebat. Tandem acceſſit ad eum quædam vetula, quæ illi ſanitatem intra ſpatium trium dierum infallibiliter conferre promiſit, dummodo, quæ illi præcepiſſet, perfectè adimpleret: qui cum timoratæ eſſet conſcientiæ, conſuluit Parochum, an mulier illa eſſet bona; & an tuta conſcientia poſſet ipſius remedia adhibere, qui eam vt morum grauitate, ac vitæ probitate ornatam prædicauit: ſed ex fructibus illius cognoſcemus illam. Seipſum ergo exhibuit ægrotus paratum omnia quæ præcepiſſet, adimplere; quarè illa plura iuſſit perficere, quorum ferè omnia nullam in ſe habere virtutem oculos ſanandi, præſeferebant; ideòquè quilibet mediocriter non ignarus talem curationem potius à dæmone quam ab aliqua virtute naturali perficiendam facilè colligere poterat. Promiſit, ante três dies completos ſanitatem; ſed quæ iuſſit ſibi eum afferre nonniſi diù poterat inuenire, nempè caput canis illis conditionibus, ac qualitatibus prædìti, quas mox dicam numero ſequenti. Tandem poſt multos dies inuentum illud ſuper prunas aſſauit eo fine, vt ſuſpicari poteſt quo ſupra* tom. 1. pag. 211. num. 612. *enarratum eſt fieri à ſimilibus operatoribus. Ex illo capite, vt ipſa prætexebat, puluerem deduxit, aquamquè inſtillauit, quæ oculis adhibuit hoc ritu: accenſa nempè candela non benedicta ipſo ſuper lectulum ſuum prima die decumbente modo conſueto: ſecunda die è conuerſo, pedibus nempè ſurſum, & capite deorſum, cum denario argenteo puluerem illum eleuans, & in oculos proyciens, poſtea illos prædicta aqua abſtergebat: deindè accepto cultello, cuius manubrium eſſet argenteum, manubrio ſuper oculos varia faciebat ſigna, interim nonnullis admurmuratis verbis; eiuſdem verò cultelli cuſpide eos ad modum crucis ſignabat; dicens ſe per tale ſignum dolorem intercidere; fecitquè totum vnius oculi dolorem in alterum oculum tranſire, in quo vehementiſſimis cæpit torqueri cruciatibus: iuſſitquè: vt bis in die, nempè ante ſolis ortum, & poſt eiuſdem occaſum quotidiè ſuper tria transfreta aliquantiſper deambularet: quæ omnia bonus Teuto perfectè adimpleuit, non tamen conualuit. Completis tribus diebus præſtitutis: mulier cauſans, infirmitatem nimis eſſe grauem, dixit, adhuc quindecim dies eſſe neceſſarios, quibus completis, abſque dubio ipſe optatam conſequeretur ſanitatem. At ille cum ſe cognoſceret ſemper proficere in peius, & remedia mulieris vt ſuſpecta habere cepiſſet, me aduocare fecit, rogans, vt illi remedia ſpiritualia adhiberem. Cui iuſſi huiuſmodi ſuperſtitioſam deteſtari curationem, & ad diuinam Clementiam, ac pietatem, nec non Sanctiſſimi Nominis Ieſu confugere virtutem, & efficaciam, ac firmiter credere in poteſtate eccleſiaſtica Exorciſtæ tradita contra dæmones: Quibus monitis inſtructus, ac in Domino confiſus, dæmoni à me in nomine Ieſu impoſitis præceptis, vt ceſſaret ei nocere, nec vllo modo amplius diuexaret, Diuino opitulante Numine integram conſecutus eſt ſanitatem. Vetula verò pſeudocuratrix, quæ ſolita erat bis in die ægrotum viſitare, hora nempè prandij, & ſerò amplius non comparuit; ſed nulla de hac re reddita ratione, duas forſices, quas dum curatio illa durabat, apud ſe domi retinendas, neceſſarium eſſe, aſſerebat, ſtatim Sutori remiſit.*

§. V.

10 Contemplare modò, benigne Lector, hanc mirabilem curationem? Nonne hanc ſtatim ſuperſtitioſam, ac diabolicam ſuſpicis? Nonnè dicta vetula ab illo bono Parocho vt ſancta reputata ſe manifeſtam diaboli partiariam propalauit? Cuinam innixa poteſtati, & auctoritati promittere potuit, infra tres dies infallibiliter ſe illi ſanitatē collaturam? An à Deo habuit hanc facultatem? Abſit, vt dicamus hoc: Quia Deus huiuſmodi perſonis ſuas non communicat gratias gratis datas: niſi quandoquè pro bono publico. Sed quando illas tribuit, ſuam non concludit poteſtatem termino trium dierum, cum citò poſſit conferre ſanitatem: nec tradit per talia media vana, & ridicula. An ab Eccleſia? Quis hoc aſſerat? Eccleſia enim ſolis ſuis miniſtris, & non mulierculis tradit poteſtatem dæmones eijciendi, & maleficia ſoluendi. An ab aliqua occulta vi naturę? Sed illa remedia adhibita, etſi aliqua, puta puluis, & aqua poſſent aliquam vim habere naturalem; attamen quoad applicationem, & modum operandi naturalem non præſeferebant: Nam quòd ad curationem neceſſarium eſſet, puluerem in oculos proijci cum denario argenteo, ſignari oculos cum cultelli manubrio, ac cuſpide, verba nonnulla proferre, deambulare ſuper tria transfreta, hęc omnia abſque dubio nullam phyſicam actionem ad conferendam oculis valetudinem habere poterant: vt patet cuilibet in phyſicis mediocriter edocto. A dæmone ergo, credidit ſe huiuſmodi virtutem adepturam; ſed eam fefellit opinio: quia, cum ipſe ſit pater mendacij, multa ſuis clientibus promittit; ſed pauca, aut nulla præſtat.

§. VI.

11 Secundò imperat difficilia, & quaſi praxi impoſſibilia, quorum ſi minimum omittatur, nihil agit. Hoc in prædicto Teutone facillimè conſpici poteſt. Iuſſit enim mulier inuenire canem, in quo nullus eſſet pilus albus, nec alterius coloris; ſed totus ater, mediocris ſtaturæ, ætatis vnius, vel duorum annorum, & non ampliùs; pro quo inueniendo hoc opus, hic labor. Cum enim dolores ſuccreſcerent in diem eius parentes, & amici diligentiſſimè inuigilabant cuncti, in vijſquè inſidias ponebant, ſi quem fortè huiuſmodi canem inueniſſent, quo quid difficilius præcipuè Venetijs? Nam ſi quos inueniebant, vel non atri erant: vel ſi atri, pilos nōnullos alterius coloris admixtos habebant: vel nimis iuuenculi, vel nimium ſeneſcentes: vel nimis parui, aut nimia molis quantitate affecti: ideòque ob hanc difficultatem remedij applicationem longiùs protrahebat. Sed cane adinuento, & eius capite ſuper prunas aſſato, aliud iubet difficile: Erat tempus æſtiuum, quo ob dolores vehementes, ac nimiam aeris caliditatem non poterat ægrotus laſſis corporis membris, vllam dare quietem, nec ſomnum capere, niſi aliquantiſper ſummo mane ante ſolis ortum; ſed tunc ei opus erat, è lectulo ſurgere, vt ex præſcripto illius curatricis hùc, illùcquè diſcurreret, ſuper tria transfreta deambulando. En crudelitas ſathanicorum curatorum. Sed omnibus his peractis tribus diebus præſtitutis, quibus promiſerat infallibiliter conferre ſanitatem, verſipellis hoſtis, à quo facillimè inſtruebatur mulier, qui non hominis ſalutem, ſed perniciem maximè affectat, quindecim alios dies, vt ſanitatem conferat, inſuper neceſſarios eſſe, aſſeuerauit; quibus multa alia difficilia obſeruanda ſtatuiſſet: Nec hic ſtetiſſet malitia diabolica; ſed adhuc tempus longius ſanitatis protraxiſſet, donec miſer, niſi ad Diuinam pietatem confugiſſet, pro ſanitate promiſſa, oculos, vitam, & ſalutem amiſiſſet.

2. Imperat difficilia.

§. VII.

Tertiò externis ſignis ſe coactum, & renitentem exhibet: vt luculento exemplo à Remigio relato *lib. 3. cap. 3. dæmonol.* probatur de quodam Stephano Nouacho Madrenſi maleficio affecto cui, vt ſanitatem conferret quædam ſaga, præter ea, quæ illi adhibuit, de quibus locuti ſumus *tom. 1. diſput. 4. num. 735.* ſublatum in proximum aerem, oblato immani vrſo impoſuit: tum repetitis ſpatijs ſæpiùs vexit, interim ipſa, quaſi onere iniquiore opprimeretur, non ceſſante ingemiſcere bellua, ea verò vox erat dolentis dæmonis, quòd præter ingenium tali valetudinis beneficio operam ſuam accommodare cogeretur; ſed eius tarditatem illa increpans, magis magiſquè, vt viam pergeret, iſtis vrgebat verbis: *Age dum ignaua, atquè odioſa bellua, nunc factis digna recipis tuis, quæ me primùm ad hunc ita multandum vel inuitam impuliſti.* Hæc à ſe audita trepidus ſeſſor poſtea ſanitate acquiſita, magna fiducia teſtatus eſt. Vbi ex eo videas, quomodo dæmon in reſtituenda ſanitate ſe coactum, & renitentem exhibet. 12

3. Se coactum præbet.

§. VIII.

Quartò maleficos deterret à talibus poſtulationibus, & illos importunè ſollicitantes colaphis, ac verberibus afficit: & licèt ijs annuat quandoquè, tamen morbum tollit, niſi maleficus transferat in alium: vel in ſeipſum: vt optimè declarat Gregorius Turonenſis *lib. 6. hiſtor. Franc. c. 35.* dicens: *Iſta diaboli liberalitas eſt, vt boni nihil vllis hominibus præſtet, niſi cum æquali, vel maiori hominum damno. Vndè ſi mulierem morbo liberet, transfert in virum: ſi ſenem, in adoleſcentem: ſi filium, aut filiam transfert in patrem, aut matrem: ſi ſortem magus in alium non tranſtulerat, ipſemet necatur: vel ingens vitæ diſcrimen adit.* Quod refert factum aliquando à quibuſdam Veneficis Pariſienſibus, qui Mummolum prefectum, quem in morbum lethalem mala ſua arte coniecerant, ad valetudinem reducere aliter non potuerunt, quàm prius eius conſenſu vita priuato vix bimo infante, quem Chilperius pater vnicum in ſpem regni alebat. Huic ſimile refert Auctor dæmonom. *lib. 3. cap. 2. de quo ſupra tom. 1. pag. 37. n. 137. in fine* de illo mago, qui dixit ſe non poſſe ſanitatem conferre Patrifamilias, niſi ſortem transferret in filium adhuc lactantem, cui cum genitor aſſentiretur: nutrix, quæ filium vehementer amabat, de ſalute ipſius ſolicita aufugit, & nutricium inter vlnas baiulando aliò aſportauit: ſic ſanatus eſt æger; ſed non comparente puero, magus fuit ſubſtitutus, qui eadem infirmitate correptus, à dæmone interfectus eſt.

4. Morbum non tollit, niſi maleficus transferat. Vel In alium. Vel In ſeipſum.

Quintò

§. IX.

14 QVintò non ſoluit maleficium ab inferiore dæmone peractum, niſi cum maxima difficultate ob inferioris reſiſtentiam, qui libenter obediens, cum morbi inferendi ſunt ſuperioris præcepto, ſe renitentem præbet, cum ſunt tollendi, vim vi repellendo; Quam maximam eſſe, docet Delrius in lib. 2. q. 40. *diſquiſ. magic.* Hinc multoties euenit, quòd licèt Saga Superior promittat, maleficium ſoluere ab inferiore malefica illatum; non tamen illud ſoluit, nec ſanitatem confert; imò ægrotus ſemper proficit in peius ob reſiſtentiam factam à dæmone maleficæ inferioris; quia dum ſuperior demon tollit maleficium factum, puta, in pectore, ipſe aliud in ſplene, vel in pulmone operatur, ſi ille hoc aufert à ſplene, vel pulmone, inferior aliud perficit in capite, vel alio membro, donec maleficiatus poſt multos paſſos cruciatus, tandem viam vniuerſæ carnis ingredi cogitur.

§. Non tollit maleficium dæmonis inferioris, niſi difficulter.

Hoc fateri poteſt ſuo malo Venetijs quędam mulier, quæ anno 1648. *cum me aduocaſſet, vt quandã eius filiam annos* 15. *natam ſacris benedictionibus munirem, quam maleficio affectam ipſa putabat: vt vidi illam, manifeſtè comperi, eſſe mente captã, ac prorſus potentiarum ſenſitiuarum interiorum nedum ipſius intellectus, & voluntatis vſu totaliter expertem; & quouis bruto animali peiorem, ac deteriorem: eius enim mater mihi enarrauit dicens:* nec manducat, nec bibit, niſi coactè, ferè nũquam die, ac die ſomnum capit; vlulat ſæpiùs velut bellua; non loquitur, nec vllum oſtendit ſignum, ſe apprehendere id, quod ei per verba, vel per nutus pro bono ſuo proponitur: nõ poteſt rectà conſiſtere, nec decumbere, aut ſe ſternere ſuper *lectum, vel* ſuper terram; ſed ſẽper ſuper articulos pedum ſuorum conglobata manet: velut manent infantes in vtero matris. *Feci eam violenter rectà incedere, ſed ſtatim, vti prius, ſeipſam contrahebat. Probaui, an adhuc duraret maleficium, quo Mater dixit, illam, dum puerula bima adhuc erat, fuiſſe affectam; ſed cum nullum ſignum maleficij comprehenderem; iam illud eſſe completum, nec ampliùs ibi dæmonem eſſe operantem; ſed remanſiſſe ſolùm effectum maleficij, qui nil aliud erat, quàm totalis ventriculorum cerebri exſiccatio, vel extenuatio, cum neruorum cõtractione, organorum, quorum perfecta conſonantia ac diſpoſitio ad rationis vſum, nec non ſenſitiuarũ potentiarum tum apprehenſiuarum, tum appetitiuarum operationem maximoperè eſt neceſſaria, læſione inſigni, & formali corruptione; ideòq; non niſi per apertum Dei miraculum poſſe ſanitatem conſequi, exiſtimaui.*

Ratio eſt, quia poteſtas ab Eccleſia tradita Exorciſtæ non ſe extendit, niſi ad dæmones à corporibus maleficiatis, vel obſeſſis, à domibus, alijſquè rebus ad vſum hominis ſpectantibus eijciendos, quando ſunt præſentes: quod euenit, quandiù durat maleficium: nec adhuc aliquod organum; aut membrum eſt diſſolutum, ac funditus deſtructum: quia tunc nec Exorciſta, nec Demon reſtaurare valent; ſed requiritur potentia Dei infinita, cum à priuatione ad habitum non fiat regreſſus, niſi per potentiam Dei infinitam.

§. X.

SEd quomodo ad ſtatum tam miſerrimum deuenifſet illa infælix, audiant qui tàm faciliter poſthabito diuino adiutorio confugiunt ad Deum Acharon, & auxilium poſtulant à dæmone. 15

Dum prædicta filia adhuc erat puerula bima, fuit maleficio affecta. Mater (quæ hæc mihi enarrauit) auida ſalutis propriæ filiæ iam omnibus ſenſibus ornatæ ad quandam Medicam, ne dicam, ſagã celeberrimam acceſſit, quæ ſtatim promiſit filiæ cõferre ſanitatem; interim oleum dedit, quo ſtomachũ eius vngeret: quo peracto viſa eſt filia aliqualiter meliùs ſe habere; ſed paulò poſt maioribus cępit affici cruciatibus. Iterum mulier adijt maleficam, & ſecũ puerulam adduxit; quam varijs vnctionibus, ſignis, verbiſquè admurmuratis muniuit; interim mater puellæ videbat ſagam in cubiculo vndiquè à quibuſdam felibus circumdari, qui magnitudine corporis veruecibus haud abſimiles erant, ſaltantibus, & geſtientibus circa eam: quos mulier dæmones putauit. Hos priùs ſecretò ſaga allocuta; denuò infallibiliter ſanitatem impertiendã promiſit: quia ſic ſui forſan dæmones pollicebantur: & re ipſa videbatur filia aliqualiter ſe melius habere. Sed altera mulier, quæ & ipſa vulgo ſaga putabatur; & fortaſſe illa erat, quæ priùs maleficium intulerat, ad ægram puerulam acceſſit, ac quaſi commiſerans eius miſeriæ dixit, ſe velle, aliquod ei afferre adiutorium: Idcircò linea quadam meaſura per longum per latum, & quaquauerſum puerulam eſt dimenſa, & ſuper caput varia fecit ſigna: ſic puella impoſterum ſemper profecit in peius, donec ad illum ſtatum miſerrimum, de quo ſupra, perducta eſt.

Aliam ſimilem ijſdem diebus adhuc Venetijs habitatione parùm à priori diſtantem, eiuſdem ferè ætatis, ſimilibus cruciatibus, ac dementia aſſectam vidi, quam parentes eius mihi dixerunt, prius fuiſſe rationis vſu benè compotem, & perfecta valetudine dotatam vſquè ad ætatem octo annorum; ſed poſtea per maleficium, ac per curationem cuiuſdam mulieris ſic deformatam. Quibus omnibus dixi; Meritò hæc patimini, quia peccaſti in Deum veſtrum. Ecquid boni poteratis expectare à dæmone ſummè malo, cuius omnes machinæ, aſtus, & operationes ad id collimant, vt homines ad vltimum animæ, & corporis exitium perducat?

Cum ergo ſemper hominis damnum, numquam bonum deſideret dæmon, quis nõ videat, in ſimilibus curationibus magicis operari, & agere, quia bonum aliquod homini ægroto conferendo in corpore, maiora damna infert in anima, non ſolùm illaqueando peccatis; ſed alios etiam inuitando, vt in ſimilibus morbis ad eum recurrant; & ſic maleficorum, & ſubditorum ipſi miniſtrantium numerus augeatur? Vndè iuremeritò S. Leo loquendo de demonis curationibus, ait: *Beneficia eius cunctis ſunt nocentiora vulneribus.* Quarè quoquo modo agat in curationibus iſtis, ſemper eius actio illas procul dubio malas, & abominabiles reddit.

ARTICVLVS II.

Malefici.

§. I.

16 *Malefici in his curationib. æquiparantur actioni diabolicæ: quia ſimiles ſunt. 2. Potentia.*

QVandoquidem miniſtri fideles dominorum mores æmulantur, non dubium eſt, quin Maleficorum actio in curationibus magicis actioni diabolicæ veniat æquiparanda; & ideò pariter abominanda: cum ſint potentia, & voluntate ſimiles.

Potentia Maleficorum alia non eſt, quàm diabolica. Quicquid enim operantur, hoc ope dęmonum faciunt; quæ illis diuerſimodè communicatur: vt latè diſſeruimus ſupra *tom. 1. diſput. 3.* Alij enim morbos immittunt: & hi plures; cum enim iſti ſint homines diabolici, ac diaboli humanati, ſi dęmones, quorum mores gerunt, ſemper ad malum perpetrādum ſunt intenti, & iſtos diaboli miniſtros, vt plurimùm tum in hominum perniciem: tum in aliorum animantium detrimentum, ac totalem plantarum, ac fructuum extinctionem ſuas impendere vires, quis ibit inficias? Alij morbos curant: & hi pauci. Vel quia remedia ignorant opportuna: vel quia non poſſunt, cum non ſint remedia in eorum poteſtate; ſed ex diaboli pendeant arbitrio: vel quia nolunt ob ſuam nimiam in proximum impietatem, ac odium implacabile, quo ſemper agitati malum, & non bonum cuilibet affectant. Alij vtrumquè præſtant: & ſunt pauciſſimi: vt teſtantur Auctores Mallei, Syluester Prierates, Grillandus; & alij relati à Binsfeldio *Comment. in Tit. C. de maleſ. & Mathem. in L. Eorum quæſt. 6.* Poſtquam enim maleficijs aliquem affecerunt, nonniſi rarò eum ſanare ſolent. Nam multa ſunt, quæ, ne aliorum à ſe afflictam valetudinem vel reſtituant; vel ſubleuent, ſibi agnoſcunt afferre impedimentum: nempè quòd à ſacris, à Medico, aut alia re quapiam iam ſit mendicatum auxilium, quòd ab alio, quàm à ſe morbus ſit illatus: quòd in vinculis conſtituti ea ſint facultate medendi, quæ ſibi erat anteà à dæmone conceſſa, deſtituti; quòd hac tantùm lege id illis liceat, ſi commutato beneficio, damno, atquè iniuria maiore afficiant: quòd non ſint diſertis de ſanando verbis rogatæ: atquè id generis alia, quibus nuſquam non ſolent afferendis remedijs moras, ac tergiuerſationes interponere.

Quæ ob multas cauſas impeditur.

§. II.

17 *Exēplis probatur*

HÆc omnia exemplis comprobantur à Remigio *lib. 3. dæmonol. cap. 5.*

In agro Stinenſi Nonas Nouemb. 1586. Roſa Girardina pro comperto recenſuit, non poſſe morbum tolli ab alio, quàm ab eo, qui illius cauſam dediſſet: nec cuiquam licere, vt in meſſem alterius falcem ſuam immitteret. Charmeſij Calend. Decemb. 1584. Dominica Euræa ait, non poſſe reſtitui ſanitatem ei, cui ſemel eſt adempta; quin idem morbus ſæpè etiam grauior in alium transferatur. Item medendi vires à dæmone acceptas ſtatim euaneſcere, vbi Sacerdos, aut Medicus ægro ſanitatis ergò manus admouerunt. Haracuriæ 4. Idus Nouemb. 1586. Alexia Drigæa, ait numquam eſſe integrum, atquè abſolutum ſanationis beneficium; ſed morbi ſemper aliquid hærere, ac ſupereſſe. Ardemontij 3. Nonas Decemb. 1584. Catharina Balandræa, fruſtra, inquit, aut ſedationem, aut leuationem ægritudinis expectari ab ijs, qui ſunt in ſortilegij reatu. Deſijſſe etiam tunc in dæmonis manu, per quem poſſunt omnia. Cui conſentiens eſt, quod dicit Nicolaus Morelius, qui cum ſerræ 14. Calend. Februarij 1587. iam vinctus rogaretur, vt medicinam faceret puero Ioannis Chematij, quem non negabat à ſe in eum, quo tunc laborabat, morbum eſſe iniectum, reſpondit, eius rei nullam amplius eſſe ſibi relictam facultatem; quando ea, qua ſe ipſe induerat criminis confeſſione, dæmonem penitus à ſe ablegauerat. Et omninò carceris locum, quo minus ſortilegijs, quæ ad eam ſanationem adhiberi oportebat, conuenire poſſe. Alias excuſationes adducere conſueuerunt aliæ ſagæ ab eodē alijs exemplis comprobatas.

§. III.

VErùm quod in primis aſſerit Girardina, quis non videat, dæmonem fingere eius ſagę operam ad medendum ſibi eſſe neceſſariam, qua antea ad lædendum vſus eſt? Siquidem nemini dubium eſt, quin id ſolus dæmon ſuopte (vt aiunt) Marte præſtare poſſit; ſed hoc ideò facit, tum vt beneficium coarctet, ac coanguſtet magis, dum eius conferendi poteſtatem ad alterius, nempè, ſagæ, aut malefici transfert libidinem; tum vt eorum pleniore mereatur obſequio, dum illis inuitis, & inconſultis nihil eorum, quorum fuerunt auctores, mutaturum ſe oſtendit. Nequè enim in eo parum ſibi placent, quòd vident vitæ, necisquè ſibi in homines poteſtatem eſſe attributam: quodquè vlciſcendi niſi is, quem ipſi ſtatuerit, finis, modusquè nullus alius ſit futurus. Quod verò aſtruitur à Dominica Euræa de translatione morbi in alium iam reſolutum eſt ſupra *articulo præcedenti*, & quod non poſſit dæmon reſtituere ſanitatem, ſi ægrotus à Medico corpori, & Sacerdote animæ quæſierit medicinam: nemini eſt ambigendum, per fraudem, ac malitiam ibi ſubeſſe fictionem. Neutrum enim probabilem cauſam habet, eum à tali curationis officio remouendi. Id enim potius à zelotypia eius prouenit, qui veretur, ne eius beneficij gratiam extinguat, quę diuina, vel humana preceſſit curatio, cui fortè accepta referri poſſit ſanitas. Et hæc eſt vna ex dæmoniacis cautionibus ſuis magicis curatoribus tradita; videlicet his, qui ſe faſcino in morbum coniectos putant, opinionem ingerere, non eſſe ad diuina, aut humana remedia confugiendum, ſi velint conualeſcere: omnemquè valetudinis ſpem iam tum certò deponendam eſſe, cum ad illa vel ſola mente, & cogitatione conuertitur. Et omninò ſemper cauſa aliqua ſubeſt, ne ſuorum miſerationi, ſi quæ aliquando eos mouet, accedat, atquè indulgeat, vt patet in illa Alexia Drigæa. Quod verò tandem prætexitur, ſanitati conferendæ impedimentum eſſe reatum, & in carcerem incluſionem. Verum equidem puto, omnem expiraſſe poteſtatem quoad maleficia inferenda: Vt enim teſtatur Sprenger *in Malleo tom. 1. par. 3. q. 8.* Maleficæ ſtatim ac ſunt in manibus iuſtitiæ omnes vires earum expirant, præcipuè quoad maleficia præſentia; & etiam quoad futura, niſi eis à diabolo ſuccurratur in maleficio taciturnitatis: quod etiam euenit in perſona Magiſtri Guilhelmi Edelini magi, in quo à tempore iuridicæ incarcerationis, vis omnis 18

Illarum cauſarū impeditium vanitas oſtēditur.

nis hoſtilis, nempè, dæmonis in eo euanuit: vt refert Delrius *lib.5.Diſquiſ.magic.ſect.12.circa finem* quod probauit quoquè hoc noſtro æuo Colonus ille, de quo ſupra *tom.1.d.4.num 772.*

Veruntamen, eſtò in illis expirauerit vis maleſaciendi dum vincti ſunt, & in carcerem detruſi, veriſimile videtur Nicolaus Remigio loco citato, non eſſe eis dæmonem valetudinis curationem denegaturum, ſi cuiquam illam poſtulent: dum modò ſontes in ea adhuc ſint conditione, vt ſuorum peccatorum confeſſione, ac vera pænitentia dæmonem ſuum à ſe nondum amouerit. Tunc enim fracto fœdere, cuius legibus conſtabat ea ſanandi per alienos à natura modos poteſtas, certum eſt, & ipſam prorſus elanguiſſe, atquè euanuiſſe.

§. IV.

19 *Ordo in illis curationibus manifeſtatur.*

VTut ſit, cum aliquando aliquem maleficio affectum iſti Curatores ſanare aggrediuntur, huiuſmodi curationes hoc ordine peragunt; vt inferiores multa perficiant: ſuperiores verò maiora, cum omnia poſſint quæ inferiores, & maiora etiam, cum ſint maiore à dæmone donati poteſtate: ideò in curationibus ſæpiſſimè minores, qui in magno ſunt numero, impotentiam confitentur; ad illos recurrentes mittunt ad ſuperiores. Vndè Binsfeldius *loco cit.numero 16.concl. 3.* refert: cum interrogata fuiſſet quædam ſaga: num illi, quem maleficio infecerat, remedium afferre potuiſſet? Reſpondit: *Ah ego, & mei ſimiles hoc non poſſumus, licet inferamus:* fuerat autem talis mulier miſera ex communi conſortio, & non honoratiore loco.

§. V.

20 *Voluntate dæmoniacæ malitiæ coniunguntur. Ideò inuiti ſanitatem reſtituũt. Exemplo comprobatur.*

VOluntate etiam æqualis malitiæ glutino dæmones, ac malefici coniunguntur. Omnes enim ad hoc tendunt in omnibus ſuis actibus quantumcumquè factis ad homines curandos, tum vt regnum dæmonis amplificent, pluresquè eius ſeruituti adijciant: tum vt eius adimpleant voluntatem, quæ eſt, & animas, & corpora perdere in gehennam; & cum vni non poſſunt damna inferre, ſaltem alteri noceant. Quarè nonniſi inuiti ſanitatem reſtituunt. Et cum hoc beneficium corporale præſtant, damnum inferunt ſpirituale. Hæc omnia patent exemplo à Grillando relato de Iuriſconſulto quodam Sabinenſi tract. de ſortileg.cap.6.

Erat iſte coniugatus, ſed maleficio factus impotens, cui nullius Medici ars poterat opitulari; conſuluit magum; à quo iuſſus, vt ea nocte cum coniuge dormiret ſumpta quadam potione priuſquam decumberet: Sedulò tantùm caueret, ne nocte illa vel vxor, vel ipſe ſigno ſe crucis cõmunirent; neuè metuerent, ſi quid auribus, oculiſuè inſoliti obuerſaretur. Paruit Cauſidicus, & ad vnguem cunctis obſeruatis, quinta circiter hora noctis ecce illi pluuiæ, procella, tonitrua, fulguraquè maxima; mox & ideò pauendi terremotus, vt concuſſa domus ab imo nutaret, non ſecus ac arbor à ventis penè euulſa, ſucceſſere hominum magni clamores, & eiulatus. Cumquè in eam partem maritus oculos conieciſſet, videt in camera pluſquam mille, vt apparebat, adinuicem certantes, & vnguibus, pugnis, & calcibus crudeliter pugnantes, & lacerantes alteriùs facies, ac veſtimenta tota; inter quos vidit mulierem quandam, quæ erat alterius oppidi vicini, & dicebatur, quòd erat malefica, de qua ipſe ſponſus multum ſuſpicabatur, ne ab ea maleficiatus fuiſſet, quæ vltra omnes maioribus gemitibus, & vlulatibus cruciabatur; & crines, faciemquè ſuam totam vnguibus lacerauerat. Propter quæ ipſe maleficiatus dixit, quòd aliquantulum timuit à principio, dubitans, ne quid mali ſibi accideret. Deindè recordatus de monitionibus magiſtri, reſumpſit vires, vxorem verò ſemper tenuit ſub pannis abſconditam, ne iſta videret. Poſtquam vero ità certauerant per mediam horam, vel circa, ingreſſus eſt Magiſter in camera prædicta; & erat tunc circa mediam noctem; ad cuius ingreſſum omnes illi pugnantes vnà cum muliere ſtatim diſparuerunt, & abierunt penitùs. Magiſter autem acceſſit ad maleficiatum, & illius humeros tetigit manu perfricando aliquãtulum dicendo: quòd non dubitaret amplius: quia iam liberatus erat. Poſt cuius diſceſſum maritus conualuit, & deinceps liberis operam dare valuit.

En quomodo maleficus ille, cum eſſet potentia ſuperior muliere illa, quod maleficium intulerat, eam coegit auferre, immiſſis dæmonibus, qui ſpecie pugnantium ſic illam acerbiſſimè cruciarent, ideoque inuita coacta fuit deſinere illi malefacere. Quis autem huiuſmodi probabit, ac laudabit curationem? Nonnè apertè oculis omnium ſe exhibet deteſtandam, & abominandam ex parte agentis ſiuè primarij, & præcipui, nempe, dæmonis iniqui, & maleuoli: ſiuè ſecundarij, & minus pręcipui, malefici qui dęmonem inuocat, ei tanquam Domino famulatur, eaquè peragit, quę ab ipſo ſuo magiſtro infernali edocetur?

SECTIO II.

Ex parte Medij.

SI *bonum eſt ex integra cauſa:* teſte D.Dionyſio Aeropag. *cap.4.de diuinis nominibus. Malum verò ex defectu cuiuſque circumſtantiæ:* Iure merito peſſimum, & abominabile dixeris, quod non tantùm ex vna, ſed omnibus ferè cauſis malum ſe exhibet. Tota actio maleficæ curationis, cum diabolicum præſeferat adiutorium, peſſimam, & abominandam ſeipſam prodit ex parte agentis primarij, & ſecundarij. At quia medijs vtitur, quæ dęmoniacam manifeſtè arguunt malitiam nefandis ſortilegijs, ac innumeris ſuperſtitionibus refertam, abominanda vtriquè eſt nuncupanda ex parte Medij Sacrilegi, ac Superſtitioſi: vt duobus articulis explicabitur. 21

Tota actio maleficæ curationis dęmoniacam manifeſtè arguit malitiã. Ideò abominanda. Ex parte medij. Sacrilegi, ac Superſtitioſi.

ARTICVLVS I.

Sacrilegi.

QVis non videat media, quibus magici curatores ſæpiùs abutuntur, ſacrilega eſſe? Si enim *Sacrilegium* iuxta meliorem Doctorum ſententiam, *eſt ſacræ rei violatio vel eiuſdem vſurpatio:* vt habetur ex D. Thoma *2.2.q.99.artic. 2.* Diax *in ſua praxi cap.89.* Iacobo à Graſſis *Caſuum Reſeruat.lib.2.cap.35.* & aliis communiter: Quod quidem multipliciter committitur, ſcilicet, ratio- 22

Malefici in ſuis curationibus medijs vtuntur ſacrilegis.

ratione rei, loci, & perſonæ: Hiſce tribus profectò in ſuis curationibus maleficos abuti eaque violare faciſſimè dignoſcitur. Et.

Quia violant.

§. I.

Perſonas ſacras.

PRimò perſonas violant. Vt enim alicui maleficio affecto ſanitatem conferant; cum id à ſuo dæmone non aſſequantur, niſi ſortem transferant in alium, & cum maiori ſuo fænore. Si ægrotus ſanandus perſona ſit illuſtris, ſi non poſſunt in aliam ſimilem, vel digniorem malum transmutare, tunc in ſacerdotem ſi non impediuntur, maleficium transferunt. vel etiam in Nouitios religioſos; præcipuè quando malefici ſunt ſacerdotes: aut Religioſi: vt teſtatur Delrius *lib. 5. Diſquiſitionum Magicarum ſectione 16. verſic. Tertio loco*. Sic accidit illi Sacerdoti florentino de quo ſupra *to. 1. pag. 220. num. 584.* qui octennio fuit à dæmone obſeſſus: maleficus enim, qui illum maleficio affecerat, Sacerdos erat eiuſdem Religionis, ipſiuſmet obeſſi (vt ipſe mihi enarrauit) condiſcipulus, qui poſtea ob varia opera magica ad Sanctiſſimæ Inquiſitionis tribunal delatus fuit, ac carceribus mancipatus; ſed fracto carceris oſtio aufugit: Geneuam petijt, ac inter hæreticos ſe recipiens, publicè à fide catholica, & apoſtolica apoſtatauit.

Sacerdotes.

Religioſos Nouitios.

Sed ſæpiùs videmus Nouitios religioſos maleficijs affici, ſiuè clerici ſint, ſiuè ſint laici, potiſſimùm in ijs Religionibus, vbi monaſticæ perfectionis inſtituta primordia magis vigent. In hoc enim malefici gratiſſimum dæmoni obſequium ſe præſtare putant: eò quòd ſuperioribus conuentuum, vbi annum ſuæ probationis degunt, eos è Religione expellendi, & à ſtatu perfectionis exercendæ reuocandi hiſce ægritudinibus maleficialibus anſam præbent.

§. II.

QVarè hoc maleficos præter alias excommunicationes, quas ob varia crimina perpetrata incurrunt: vt ſortilegos etiam excommu-

23 *Ideò malefici, vt ſacrilegi excommunicati ſunt excommunicatione latæ ſententiæ Summo Pontifici reſeruata.*

nicationi latæ ſententiæ Summo Pontifici reſeruatæ *in cap. Si quis ſuadente diabolo* 17. q. 4. *& c. Religioſus de Sentent. excommunicationis lib. 6.* ſubiaceri nemo eſt, qui ambigat. Quæ non tantùm alligat inijcientes manus in clericos; verum etiam in Monachos vtriuſquè ſexus profeſſos; imò etiam in nouitios in quacumquè Religione approbata, ſiuè choro addictos: ſiuè conuerſos, aut oblatos, modò emittant profeſſionem, & ſint ſub obedientia, & renuncient bonis, vt habetur *c. Monachi. c. parochianos. c. de monialibus. c. cum illorum. de ſententia excommunic. c. religioſos §. 1. eod. tit. in 6. Gloſs. in c. cap. vt lex. 27. q. 1.* Videas meum Speculum Cleric. tract. 2. cap. 1. num. 15. & 16. Nec officit, quòd non fuerit in maleficio manuum iniectio: Nam per manuum iniectionem, per Gloſſam *in verbo manus*, intelligitur non ſolùm quæcumquè percuſſio immediata; ſed etiam ea, quæ fit medio inſtrumento eum tangente, vt lapide, baculo, gladio, & pedibus. Vel pulueris, aut vini, aut aquæ, vel alterius liquoris iniectione: & eò magis quocumquè alio modo in lædendo ſecretiori, noxiori, & efficaciori, qualis eſt ille, quo vtuntur magi. Nihilquè refert, an tangat perſonam, aut rem ei inhærentem, ſi hæc violenter, aut iniurioſè, ſeù temerariè fiat; facit textus *in L. quæ Religioſis ff. de rei vendicatione cap. quanto. de iudic.* vbi *quæ Religioſis adhærent, religioſa ſunt*. Nec obſtat, quòd malefici non ſeipſis; ſed dæmonis ope mediante huiuſmodi perſonis ſua maleficia inferant. Nam licet Canon *ſi quis ſuadente*, tantùm loquatur de executore; tamen ex iuris diſpoſitione extenditur ad mandantem, vel dantem conſilium, auxilium, conſenſum, & fauorem: imò etiam ratum habentem poſt factum, ſi nomine ſuo factum eſt; & etiam ad non reſiſtentem, cum de iure hoc debeat, & non facit. Fauet textus *in cap. mulieres §. 1. c. quantæ de ſententia excommunicationis cap. cum quiſ. eod. tit. lib. 6. Qui enim per aliũ facit, per ſeipſum facere videtur c. per alium de regul. iuriſ. in 6. & L. quod iuſſu alterius ff. eodem.* Plura enim Deus dæmoni permittit mala agere à malefico iuſſo, & mandato, quàm ſola ſua malitia ducto: quia ſicut iſti plenam habent ad bonum operandum libertatem: ità maiorem quàm dæmones ad malum vel ſuopte Marte: vel alterius ope, & adminiculo perpetrandum poteſtatem habent.

§. III.

SEcundò loca ſacra: puta, Eccleſias, oratoria, 24
Loca ſacra.
cæmeteria, & reliqua huiuſmodi antiquus ille Dei aduerſarius in odium, & contemptum diuini cultus, & reuerentiæ Eccleſiæ Dei debitæ ſuis mancipijs in magicis ſuis curationibus peragendis, præcipit violare. Quod clarè patet exemplo relato à Remigio *lib. 3. cap. 4. Dæmonolat.*

Quædam, ait, mulier venefica, nomina Thenota, Nancæij cum aliquando rogaretur laboranti morbo vicinæ cuidam medicinam facere (nam & ea de cauſa vulgo adiri ſolebat: vti in Hiſpania quos Seruatores appellant: & in Italia ſæpiùs eiuſdem farinæ mulieres) à Diuo Fiacro morbum illum eſſe dixit: cui ob id vouenda eſſat cum donarijs profectio; quam ipſa, ſi ità iuberent, lubenter ſuſciperet. Conducta eſt mercede, vt hanc nauaret operam. Aegram tranſuerſo decuſſatim lino cerato primùm dimenſa eſt: tum linum in certum numerum complicauit, atquè in ſinum quaſi fouendum impoſuit: Deinde & noctem, quæ proximè eſt inſecuta, totam ad ædium, in quibus decumbebat ægra, fores excubauit: ac primo diluculo ſe in viam dedit cum perpetuo ſilentio: Cumquè ad D. Fiacri fanum perueniſſet, id ingreſſa linum ſuccendit, eiuſquè ſcintillantibus ceris figuras ad aræ maioris gradus in crucem duxit, ac tandem ſe foras eijciens ipſum fanum ter oberrauit: lino illo interim flammas edente crepitantes, & cæruleas. Iiſquè omnibus ſic defuncta ſe in vrbem recepit.

Ecce vt ſilentia, dimenſiones, vigilias, murmura, figuras cereas, ignes expiandis ſcilicet, religionibus interponunt. Quæ certè omnia, cum ſic iubente dæmone fierent in Eccleſiæ Dei iniuriam, opprobrium & contemptum, manifeſta ſacrilegia eſſe, quis negare audeat? Quæ profectò imitatio eſt maniſeſtiſſima ariolorum, quos pagana habuit antiquitas; Quæ, vt inquit D. Auguſtinus *lib. de natura dæmonum*, circa idolorum aras preces nefarias emittere, & funeſta ſacrificia offerre ſolebant. In hoc enim longè intolerabiliſſima: quòd ſæpè adimixtas habent ſordes, illuuies, excrementa, aliaquè multa, quibus nihil fingi poteſt ab ea puritate alienius, quàm in diuino cultu, ac cærimonijs adhiberi par eſt: vt late tradidi ſupra *tomo 1. pag. 195. num. 570.* & docet Remig. *lib. 3. Dæmon. c. 1.*

Nec

§. IV.

25 *Res ſacrae.* NEc minora flagitia perpetrare ſolent iſti diaboli aſſeclæ in reliquas res ſacras, vt à dæmone poteſtatem curationis obtinere valeant. Abutuntur enim veſtibus, vaſis, ornamentis, imaginibus, reliquijs Sanctorum, ac verbis ſacris. Varijs hoc facilè comprobari poſſet exemplis; ſed vnicum tantum ſufficiat, hoc noſtro æuo nobis exhibitum, quod refertur infra num. 164.

Mitto quam plura alia ſacrilegia ab iſtis diaboli mancipijs circa Sacramenta, ac Sacramentalia commiſſa, quibus abutuntur in ſuis magicis curationibus operandis: cum omnia rerum ſacrarum genera violentur, nedum loca ſacra, ac perſonæ diuino cultui dicatæ, quare huiuſmodi curatio verè peſſima, & abominanda non tantùm ex parte agentis; verum & ex parte medij, quo vtuntur: quia ſacrilegi, ac cultui diuino totaliter contrarij.

ARTICVLVS II.

Superſtitioſi.

§. I.

26 *Media magica curationis ſunt ſuperſtitioſa. Quia in eis fit exceſſus in cultu veri Dei* AT maiori abominatione dignam ſe exhibet malefica curatio, dum media, quibus vtuntur iſti diaboli partiarij non ſolùm ſunt ſacrilega; verum & ſuperſtitioſa. Quod facilè dignoſcitur: cum omnia illa comprehendant, quæ de ratione ſunt ſuperſtitionis; nempè exceſſum in cultu veri Dei, & cultu falſi Dei: de quibus latè ſupra *tom.* 1. *pag.* 206. *num.* 598. His medijs quis non fateatur imprimis fieri exceſſum in cultu veri Dei, dum ei cultus redditur vanus, mendax, inutilis, & pernicioſus, præcipuè cum miſſam celebrari faciunt: vel alia opera bona iniungunt adimplenda? Quandocumquè enim cultus, qui Deo redditur, in aliqua falſitate in ſignificando eſt fundatus, talis cultus non tantùm eſt inanis, & inutilis; verùm etiam mendax, & pernicioſus. Nec deeſt ratio: *Nam mendacium*, ait D. Thomas 2. 2. *q.* 93. *art.* 1. *in quacumquè materia ſit vſurpatum ad colendum Deum per illud, peculiari modo Deo eſt iniurioſum, & conſequenter pernicioſum, eo quia in alterius, & maximè in diuinam cedit iniuriam*. Vis mendacium agnoſcere in his magicis curationibus? Media ab eis adhibita contemplare. Sacrificia, quæ in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis; vel pro futuris impetrandis: vel pro remiſſione peccatorum: aut, quod primum eſt, in recognitionem, & reuerentiam ſupremæ Dei excellentiæ, qui principium eſt totius eſſe, & Dominus omnium, & à quo totum bonum procedit, ſoli Deo offerri debêt, iubent iſti ſathanici curatores, applicari ſecundùm ſuam intentionem, quæ alia non eſt, quàm vt dæmoni ſuo per huiuſmodi oblationem exhibeant honorem, qui dignetur amico ſuo conferre ſanitatem. En mendacium in cultu Deo debito, & per conſequens iniuria Deo grauiſſima illata; Deum enim exteriùs, & apparenter venerari oſtendunt; & interiùs grauiſſimè offendunt, & blaſphemant. Quid ſi alia bona opera iniungunt? adhuc omnia illa ſunt ſuperſtitioſa; quia inutilia, vana, falſa, & pernicioſa. Præcipiunt profectionem neceſſariò perficiendam ad ædem alicuius ſancti, quem iratum dicunt, qui placari non poteſt niſi per alicuius rei oblationem, per nocturnas excubias in eius téplo agendas, multas in eo proſtrationes, deambulationes, & circumquaquè gyros, & circumuolutiones: tot candelas vnicuiquè cruci apponendas: tot egentibus talem denariorum ſummam erogandam: aliaſquè id generis cæremonias obſeruandas: quæ nullam prorſus virtutem habent ſiuè à Deo, ſiuè ab Eccleſia ad talem ſanitatem infallibiliter cóferendam: ſed ipſimet, non ſancto adiuuante; ſed dæmone cooperante dum ſua tollunt maleficia, ſanitatem conferunt, vt narrat & pluribus exemplis confirmat Remigius *lib.* 3. *dæmon. cap.* 1. Qui autem huiuſmodi media ſuperſtitioſa non agnoſcat, ideòquè falſa pernicioſa, & vana? A parte enim rei ſignificatæ non ſunt, ſicut extrinſecùs apparent. Non adeſt finis debitus; deficit modus talibus actionibus conueniens: non ſunt opera circunſtantijs debitis ornata, atquè perfecta.

Huc referendæ ſunt innumeræ orationum formulæ, quibus vulgo vulnera ſanantur: vel morbi curantur: vel infortunia arcentur: nec non chartulæ ſacris nominibus, ac characteribus incognitis inſcriptæ, pyctaſia, volumina, atquè alia id generis amuleta, & alexicaca; quæ dæmon ſuos aſſeclas in ægritudinibus curandis adhibere docuit, de quibus latè infra.

§. II.

SEcundò his medijs falſo Deo, nempè, dæmoni cultus ſupremus exhibetur, vt ſunt actiones idololatriæ, quæ in maleficijs auferendis, ac ſanitate conferenda à dæmone ſuis mancipijs ſæpiſſimè iniunguntur. Vult enim ab eis coli ſummo honore, qui ſoli Deo exhiberi debet, vt exemplo probatur infra *num.* 164. & teſtantur Bullæ Pontificiæ editæ contra maleficos ſæpiùs citatæ in totius operis decurſu. Huiuſmodi autem cultus dæmoni exhibitus, licèt non ſit vera & propria idololatria: quia dæmonem adorans, puta, maleficus veram non habet opinionem ſupremæ excellentiæ, & diuinitatis in dæmone, quæ ad veram idololatriam eſt neceſſaria; habet tamen affectum reuerentiæ, quo vel per adulationem: vel diabolicum timorem dæmoni vult diuinum exhibere honorem, eiquè ſe ſubmittere tanquam numini, licèt agnoſcat, non eſſe verum numen. Cui externum quoquè ſignum exhibet, per quod interior exiſtimatio, & ſubmiſſio illi declaratur: vt ſubtiliter obſeruat Suarez *de Religione lib* 2. *de Superſtitione cap.* 4. Quarè huiuſmodi adoratio licèt non ſit vera, & propria idololatria; reducitur tamen ad idololatriam, quæ ex genere ſuo grauiſſimum eſt peccatum; cum honorem diuinum, & diuinitatem ipſam quantum in ſe eſt, transferat ad creaturam. Sicut grauiſſimum in Republica cenſetur crimen, ſi quis alium, quàm legitimum Principem pro Rege agnoſcat, & habeat, eiquè honorem regium deferat. Eſt itaquè crimen læſæ Maieſtatis diuinæ: ſicut illud humanæ. Quàm ergo abominanda eſt huiuſmodi curatio ex parte Medij Sacrilegi, & Superſtitioſi? 27 *Falſi Dei.*

SECTIO III.

Ex parte Finis.

Quis ſit finis bonus.

Et qualis ſit, ex quo aliquod opus bonitatem ſumit.

28 FInis definitur ab Ariſtotele *lib.2. de Demonſtrat. c.2. Bonum aliquod, cuius cauſa aliquid aut natura: aut arte fit.* Bonum, inquam, ex genere, & melius his, quæ ſunt ad talem finem: vt rectè docet D. Bonauent. *in 2. diſt. 38. art. 1. q. 1.* & ſic eſt verum illud axioma ariſtotelicum 2. *Topic. Cuius finis bonus eſt, ipſum quoquè bonum eſt.* Cuius finis ex genere, & in ratione finiendi bonus eſt, & media ordinata in finem idoneitatem habent ad ipſum finem, totum opus vtiquè bonum eſt. At ſi finis operis vel ex genere ſuo, vel in ratione finiendi malus eſt, totum opus vtiquè malum erit: cum malum ſit ex defectu cuiuſquè circumſtantiæ.

Tota maleſica curatio mala eſt: quia maleficorũ finis eſt Impius, Noxius, Scandaloſus.

Quam bonitatem autem malefica curatio poteſt præſeferre ex fine ſuo? Eſto bonus videatur finis illius, qui curari petit, quia ſanitatem, quæ ex genere ſuo eſt quid bonum, conſequi intendit. In ratione tamen finiendi, puta ſi illam petit ab eo, quem nonniſi per media magica, & ſuperſtitioſa conferre nouit, malam eſſe talem curationem, nemo eſt qui ambigat. At reſpectu magici curatoris tota actio curationis maculata eſt, & deformis, non ſolùm ratione mediorum, quibus vtitur, nullã, vt dictum eſt ſupra, idoneitatem habẽtium ad talem finem: ſed & in ratione finiendi: & ratione ipſius finis, qui eſt Impius, Noxius, & Scandaloſus: vt ſequentes articuli declarabunt.

ARTICVLVS I.

Impij.

§. I.

Finis maleficæ curationis impius, quia in ſuis curationibus homines à Deo auertunt. Tollunt cultum quẽ homo Deo exhibet.

29 QVàm grauis Deo inferatur iniuria tot criminibus, quæ in magicis curationibus perpetrantur, quis valeat enunciare? Ad quid enim aliud collimant iſti Curatores magici ex ſui principis auerni voto, ac præſcripto in ſuis magicis curationibus, quàm homines à Deo auertere, & ad dæmonem conuertere, cuius partes & imperium augere ſtudent: pietatiſquè, ac religionis ſupremum qui ſoli Deo debetur, cultum tollere, eumquè dæmoni patrono ſuo colendiſſimo exhibere? Homo enim, cum primùm ac principaliter Deo debitor exiſtat, tum propter ipſius ſupremam excellentiam: tum ob immenſa ab eo accepta beneficia: vt potè primo principio eſſendi, & gubernationis, ei vtiquè alligari debet, tanquam origini indeficienti: vt ritè docet D. Thom. 2. 2. *q.* 81. *art.* 1. Ad ipſumquè omnem ſuam aſſiduè dirigere actionem, ſicut in vltimum ſuum finem; eiquè diuinam præſtare reuerentiam, ac debitum exhibere cultum. Sed quænam virtus poterit huiuſmodi parere fætus, niſi pietas, quæ idem eſt quod religio teſte D. Auguſtino *lib.* 10. *de Ciuit. Dei cap.* 4. Græcè dicta latria, ſiuè theoſebia? Hæc enim varios producit effectus ſiuè interiores: ſiuè exteriores, quibus homo Deo debitum valet exhibere honorem.

§. II.

Actib. interiorib. Deuotione.

VIs interiores? En deuotionem, & orationem. 30
Deuotione enim, *quæ à deuouendo dicta nil aliud eſt, quàm promptus voluntatis affectus ad aliquid efficiendum propter obſequium, honorem, & cultum Dei,* homines ſeipſos quodammodo Deo deuouent, vt ei ſe totaliter ſubdant; ideoquè deuoti nuncupantur: ſicut olim apud Gentiles deuoti dicebantur, qui ſeipſos idolis deuouebant in mortem pro ſui exercitus ſalute; ſicut de duobus Decijs Titus Liuius narrat *Decade* 1. *inter princip. & medium.*

Oratione.

Oratione verò, quæ ſecundum Caſſiodorum *ſuper pſal.* 38. *dicta quaſi oris ratio, eſt actus, quo aliquid à Deo ſiuè mente tantùm, ſiuè etiam verbo, & ore ſuppliciter petimus,* homo Deo reuerentiam exhibet, inquantum ſcilicet ei ſe ſubijcit, & orando ſe eo ſicut auctore ſuorum bonorum, indigere profitetur. Qui, cum ſit actus reuerentiæ, ad religionem ſpectare, vtiquè fatendum eſt. Quem actum exercere commendat Redemptor noſter *Matthæi* 7. dum ait: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.* Vndè D. Chryſoſtomus *lib. de orando Deum non procul à princip.* ait: *Conſidera, quanta eſt tibi conceſſa felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Chriſto miſcere colloquia, optare quod velis, quod deſideras poſtulare.*

§. III.

Actibus exteriorib. Adoratione.

VIs exteriores? En adorationem, ſacrificium, 31
& inuocationem. Adoratione enim, vt docet D. Thomas 2. 2. *q.* 84. *art.* 2. homo Deum actu veneratur certa aliqua corporis inclinatione, vel ſubmittendo, aut aperiendo caput: vel genuflectendo: vel totum corpus inflectendo: aut proſternendo: aut pectus tundendo. De qua locutus eſt Chriſtus *Matthæi* 4. dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.*

Sacrificio.

Sacrificio verò aliquid ab homine Sacerdotali dignitate fulgente actu immolatur, ſacrificatur: aut quolibet alio modo Deo offertur in diuinam reuerentiam, aliqua rationè mutatum, ſiuè cum alijs permixtum.

Inuocatione.

Inuocatione tandem, vt notat D. Thomas loco cit. *q* 91. *art.* 2. nomen Dei actu homo adhibet ad auxilium ab eo petendum: vel ad ipſum laudandum. Hac Dauid ad Deum confugiebat, dum dicebat *pſal.* 117. *De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor non timebo, quid faciat mihi homo,* & alibi ſæpiùs. Quos actus omnes ad pietatem, ſeù religionem pertinere teſtatur D. Thomas loco cit. Et quemlibet eorum peculiarem erga Deum dicere reuerentiam, ac ſingularem in ipſum cultum oſtendere, cuilibet rectè, ac catholicè ſentienti eſt manifeſtiſſimum.

§. IV.

Hos pietatis actus per maleficos Cura

AT antiquiſſimus Dei, & hominum aduerſarius 32
hos omnis pietatis actus ſiuè interiores, ſiuè exteriores ſua impietate per ſuos ſymmyſtas maleficos in magicis Curationibus peruertere intendit, ac omni quo poteſt ſtudio, ac conatu labefactare ſatagit. Deuotionem namque, qua homines per promptum voluntatis affectum ſeipſos Deo deuouent,

tores dæmon de turpare ſatagit uent, tollere nititur, dum per ſanitatis collationem ad ſuiipſius deuotionem eos allicere tentat: à ſuiſque magicis Curatoribus honorem, ac cultum, qui ſoli Deo debetur, ſibi aucupari curat. Orationem verò impedire contendit, dum per huiuſmodi curationes efficit, vt homines Deo poſthabito Clementiſſimo, ac piiſſimo, qui eſt refugium noſtrum, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis, confugiunt ad Beelzebub Deum Acharon; à magicis Curatoribus ſalutem expectantes, qui non niſi ope dæmoniaca illam conferre valent. *Siue interiores.*

Siuè exteriores Nec tantùm actus interiores: ſed & exteriores quoquè deturpare conatur. Adorationem enim, quæ ſoli Deo debetur, ſibi à maleficis, antequam ſuas perficiant curationes, ſubmiſsè, ac humiliter exhiberi iubet. Cui ſacrificium vt plurimum adiungere tenentur, qui feſtinanter, vt eius votis annuant, aliquid ei in obſequium offerre non detrectant: Interim ipſius nominis inuocationem ſæpius repetentes, ac in omnibus ſuis actionibus eius auxilium, qui tam beneuolum ſe exhibet in ſanitate conferenda, ſæpiſſimè implorantes. Sicquè gloriam, & honorem, qui Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili Deo ſoli exhiberi debent, ab eo auferentes, & in creaturam transferentes, dæmoni tenebrarum principi, & omnium malorum auctori præſtare non verentur. Quo quid impius inueniri poteſt? Quare parum refert, qui curatione magica curari petit, ſolùm ſanitatem conſequi intendat, dum à malefico, qui eam confert, eſt fine impio viciata, ac deturpata: ex quo neceſſe eſt, ſe prodat abominabilem, ac deteſtabilem.

ARTICVLVS II.

Noxij.

§. I.

33 *Finis magicæ curationis noxius, & damnificus ipſis Curatoribus.* Verè odio ſunt Deo impij Curatores, & impia eorum curatio, cum Deum, quem glorificare, laudare, ac venerari deberent, derelinquentes, Maieſtatem eius, ac virtutem abnegant, ac proterunt; ideò pariter noxius, & damnificus huiuſmodi curationis finis eſt dicendus tum ipſiſmet magicis Curatoribus, qui eam præſtant: tum ipſis ægrotis, qui ab eis ſanitatem petunt.

Quid mali non eueniet impijs iſtis Curatoribus? Audiant Sapientiſſimum *Prou.* 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur.* Hinc iuremeritò ſtulti ac dementes vocantur *in cap. Qui ſine ſaluatore 26. quæſt. 2.* & eorum curatio mors potiùs, quàm vita nuncupatur his verbis. *Qui ſine Saluatore ſalutem vult habere, & ſine vera ſapientia æſtimat prudentem ſe fieri poſſe; non ſanus, ſed æger: non prudens, ſed ſtultus in ægritudine aſſidua laborabit; & in cæcitate noxia ſtultus, ac demens permanebit. Ac proinde omnis inquiſitio, & omnis curatio, quæ à diuinis, & Magis, vel ab ipſis dæmonijs in idolorum cultura expetitur, mors potiùs dicenda eſt, quàm vita; & qui ea ſectantur, ſi ſe non correxerint ad æternam perditionem tendunt* Pſalmiſta dicente *pſal.* 95. *Omnes Dij gentium ſunt dæmonia: qui per deceptos homines, alios decipere quotidiè geſtiunt, vt perditionis ſuæ faciant eos eſſe participes.*

§. II.

Et verè: quia hi magici Curatores non tantùm ſibi ipſis ſunt iniqui, dum varijs, ac grauiſſimis criminibus ſe obnoxios reddunt: ſed cum ſint perditi, alios perdere ſtudent, ſeducti alios in errorem, & malitiam ſeducere tentant. Quam autem machinam validiorem, ac modum efficaciorem poteſt inuenire dæmon, vt homines à Deo auertat, ſeducat, ac pertrahat in interitum, quàm dum per ſuos aucupes diabolicos de recuperanda, quæ ſemel amiſſa eſt, valetudine ſpem inijcit? Quis enim, dum id conſequatur, conditionem vllam reijciat? Incutit igitur ipſe morbos, atquè ægritudines primùm: ſed Deus bone, quales? Certè quæ etiam non rarò ad inſaniam, furoréquè adigant (vt plures hoc noſtro æuo ſuo damno expertos ego noui.) Tum earum perſanandarum oſtentat rationes, & faciles, & expeditas: obſonium, puta, ex eius domo, cuius mala arte ſe in morbum coniectos putant. Nam in ea dolorum acerbitate quis tam erit conſtans, & moderatus, qui ſic præſenti, &, vt videtur, gratuito remedio abſtineat? Quis, qui pro ſummo beneficio id non amplectatur; ac fraudis, noxæquè prorſus expers eſſe non exiſtimet? At illud memoriæ reuocandum Virgil. *Eclog.* 2. 34 *Iis, qui curantur.*

Frigidus ò pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

O veteratorem inſignem, qui hominum maximam perniciem ex eorum imbecillitate adeò verſutè aucupatur! *Quod enim*, ait Remigius *lib.* 3. *dæmonol. c.* 2. *ij naufragium, quam iacturam maiorem facere poſſunt, quàm fidei, qua ſola Deo aſſeruntur, vendicātur, & obſtringuntur? Per quam vnam nihil non ab eo impetrant ſipronà, faciliaque experiuntur omnia:* vt docuit Ieſus Chriſtus Dominus noſter Marci 9. dum rogatus à dæmoniaci patre dicente: *Si quid potes, adiuua nos miſertus noſtri:* reſpondit: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Rurſus Matth. 9. Cæcis rogantibus ſibi reſtitui lumen oculorum, ait: *Secundùm fidem veſtram fiat vobis.* Et alibi ſæpiùs: *quemadmodum credis, ità eueniat tibi.* Vbi pro fide intelligitur fiducia, ſeù confidentia in Dei bonitate. Quæ quid aliud eſt, quàm vinculum, quo vno firmiſſimè deuincitur Dei erga homines beneuolentia? Quid aliud eſt, quàm fœdus, quo nos Deus in tutelam, præſidiumquè ſuum, noſquè viciſſim in Deum illum recipimus? 35 *Quos dæmon ſeducit per ſanitatis oblationem.*

Hæc enim præcipuè pro obiecto habet infinitam Dei bonitatem; quæ ſicut in ſeipſa fons eſt diuini amoris: ita prout ſe effundit in nobis, cauſa eſt amoris in nobis erga Deum. Nam quòd Deus ſit omnipotens, præcipuè in nobis ſolet parere timorem: quod etiam ſuo modo per potentiam ſuam licèt finitam, & coarctatam, poteſt facere dæmon. Inſuper quòd Deus ſit ſapientia perfectiſſima, admirationem generat in nobis; ſed & dæmon aliquo modo ſua ſapientia innata, acquiſita, & communicata idem operari valet. At quòd Deus ſit bonitas infinita in nobis amorem, & maximam in Deum fiduciam, ac confidentiam producere habet; Cuius bonitatis, cum totaliter ſit expers dæmon, nihilquè participet de ea, cum ſit ſummè malus, & conſequenter ex nobis nullatenus amorem, ſpem, ac confidentiam ſibi conciliare valeat: mirum videri non debet, ſi hæc fiducia æmulatorem Dei maximum, hominum oſorem infeſtiſſimum Sathanam tam malè habet; ſiquè de nulla re adeò eſt ſollicitus, quàm de ea labefactanda, conuellenda, ac tandem in ſe vnum transferenda. *Fidem eorum in Deũ labefactādo.*

Quarè per magicos ſuos Curatores mentem eò impellit, vt ſibi ab ægrotis fides habeatur, & veræ fidei fundamentũ infirmius reddatur: Dehinc ſuadet

Eamquè in ſe trãſferendo.

illis, ſi opem eius implorauerint, ſi totam in eo fiduciam collocauerint, ſemper ſe in omnibus eorum anguſtijs, ac neceſſitatibus præſtò adfuturum, ſicquè citiùs, ac faciliùs ab ipſis, quàm à Deo auxilium recepturi. Et nè eos decipere videatur; ſed practicè hoc à ſe promiſſum auxilium experiantur, obſonio, aut pharmaco à Malefico, vel Saga tradito vim maximam ineſſe docet. Ex quo, oporret, ſanrtatem ſe recepturos, neceſſariò credant. Hoc modo ægrotos à Creatore ad creaturam facillimè auertit: quæ blaſphemia eſt intollerabilis, vt benè admonet idem Remigius loco citato dicens:

36 *Deniq. quod iniquiſſimũ eſt, homines maleficio affectos in eam impellit neceſſitatem; vt quos certò nouerunt Deo, vniuerſoquè hominum generi infenſos, atquè inimicos, ipſiſquè etiam priuatim afflicta valetudine iniurios, eos tamen ſuppliciter adire, obteſtari, atquè etiam munerari non dubitent. Nempè hoc eò redit, vt prædonibus, ſuiſquè inimicis, ac tortoribus gratiam habeant maleficiati, quòd ſpoliauerint, non etiam trucidauerint: vt malefici ferociores, atquè ad nocendum deinceps confidentiores reddantur, quòd pro ſupplicio præmium reportare ſe videant. Vt tandem corporis breuis, incertaquè valetudo animæ ſempiterno, atquè indubitato luatur interitu.*

Maleficis maiorem deinceps malefaciendi anſã præbendo

ARTICVLVS II.

Scandaloſi.

§. I.

37 SI finis magicę curationis nedum Curatoribus ipſis; ſed & alijs maximè eſt noxius: cur non erit etiam ſcandaloſus? Quam ſcandali rationem rectè monti cadenti comparauerim. Cum enim maximis terremotibus terra concutitur, & agitatur, fundamenta montium conturbantur, & commouentur, ità quòd mons aliquis quandoquè cadens præceps defluit, ſicquè ſaxa transferuntur de loco ſuo, euelluntur arbores, moriuntur plantæ, ſcinduntur lapides, vineæ deſtruuntur, arbuſcula diſſipantur, obducuntur campi, diſpereunt fructus, opprimuntur domus, ſuffocantur animalia, viæ præcluduntur, & petræ viatoribus fiunt in ſcandalum, offendiculum, & ruinam; ità vt nequeant, niſi difficillimè ad proprios remeare lares. Mons equidem dici poteſt homo gratia baptiſmali inſignitus iuxta propheticum effatum *pſal.67. Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo:* per gratiam nempè. At cum in terra propria, ſcilicet, in corpore, & anima varijs quatitur tentationum motibus, ac perſuaſionibus per magicos curatores exhibitis, dum ab ægritudinibus per ſuas magicas curationes liberatus ſanitatem obtinet; tandem voluntati eorum morem gerens totaliter à Deo auertitur, & præceps ruit in deterius, ecce mutatus de loco ſuo, ideſt, de ſtatu ſuo pacifico, virtutes eradicantur, fides moritur, ſpes euaneſcit, frigeſcit charitas, imò deſtruitur, potentiæ infirmantur, à malitia obruitur fit cæcus intellectus, improba voluntas, memoria ingrata, totuſquè facinoribus patrandis addictus fit in ſcandalum, offenſionem, & ruinam maximam Chriſtifidelibus. Si enim *ſcandalum* à D. Baſilio *tract. 1. de Baptiſmo cap. 16.* deſcribitur: quòd *ſit quidquid vel ad defectionem à veritate, quæ ſecundùm pietatem eſt abducit: aut ad errorem ſollicitat: aut inſtruit ad impietatem:* quis apertè

Finis magicæ curationis ſcandaloſus. Monti cadendi cõparatus.

non agnoſcat, finem huiuſcè magicæ curationis penitus eſſe ſcandaloſum? Nam cum inexplicabilis ſit ſathanæ auiditas, qui nihil tam habet in votis, quàm longiùs imperij ſui fines extendere, & cumulatiorem hominum turbam ſuæ ſubijcere diuinationi, non ceſſat vrgere maleficos; & continuè obtundere, vt eos ad ſuorum cętum adigant, quibus aliquod impendunt obſequium, vel quodlibet præſtant beneficium.

§. II.

HInc Malefici dum per ſuas curationes aliquibus ſanitatem conferunt, ſi vident poſſe facile ſuum conſequi intentum, totis viribus nituntur, eos à catholica veritate abducere, & ad fidei abnegationem, Dei contemptum, diabolicum cultum, ac cętera horrenda, ac nefanda Maleficorum crimina perpetranda perducere; quibus perſuaſi infelices Deum voluntariè ignorantes, ac deſerentes ita excęcantur, eorumquè aures aggrauantur, vt videntes nõ videant, & audientes non intelligant iuxta illud *Iſaiæ 6. Ex cęca cor populi huius, & aures eius aggraua.* Et Sap. 2. *Excęcauit eos malitia eorum.* Vndè Paulus ad Rom. 1. *Quia non probauerunt, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant, quæ non conueniunt.* Quod teſtatur etiam D. Gregorius *hom. 11. in Ezechielem* dicens: *Iuſtus, & omnipotens Deus cum præcedentibus peccatis iraſcitur, permittit, vt cęca mens etiam in alijs labatur.* Propterea illi, qui vident, quòd magicus curator, vel diabolus Dei abnegationem, crucis contemptum, dæmoniacum cultum, eorum abrenunciationem, quæ in Baptiſmo promittuntur, pactum cum dæmone, & alia huiuſmodi facinora proponit, ac requirit, oportet, quòd exeæcati non videant. Quis enim niſi cæcus tam oculis corporis, quàm cordis, ſi audiat ſibi proponi Dei abnegationem non exhorreſcat? Quis tàm à mente alienus, ſi adhuc ſcintilla veræ lucis irradiet, metu non concutiatur, ſi tale ſcelus obijciat? Certum ergo videtur, talia præceſſiſſe ſcelera, quorum pęna eſt, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. 38

Quia malefici dum alios curant, fiunt in ſcandalum eorum.

At quænam præcedentia crimina ad talem cæcitatem maleficos inducere potuerũt? Dicamus, & rectè: quia priùs curationib[9] magicis, ac ſuperſtitioſis ſe totos dicarũt, ac pro ſalute corporis animę ſalutẽ voluntariè, ac lubenter dederunt, poſthabitoquè totaliter diuino adiutorio, dæmoni animo, & corpore ſe deuouentes, non ceſſarunt, donec ad malorum omnium verticem peruenerunt. Quod probat illud Gloſſæ in illa verba *Matthæi 4. Si cadens adoraueris me:* cum infert: *Ergo qui adoraturus eſt diabolum, priùs corruit.*

§. III.

NEc tantùm ſingularibus perſonis malefici prębent ſcandalum, & offendiculum ſuis maleficis curationibus; ſed ſi publicè exerceantur, toti Eccleſiæ, ac Chriſtianæ Religioni maximo ſunt dedecori, ac ruinæ. Quod ſummoperè fugere admonet Apoſtolus 1. *Cor. c. 10.* dicens: *Sine offendiculo eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſię Dei.* Nihil enim tam offendit, ac nocet Religioni noſtræ, quã ſcandali feneſtrã aperire infidelibus: quia, cum vident catholicos, poſthabito Deo, qui eſt defenſio, ac protectio noſtra, dans ſanitatẽ, & vitã, ad dęmonẽ confugere, ſtatim linguam exacuunt ſimul contra nos omnes, & ex vnius delicto totã Chriſtianorũ gentẽ iudicant. Neq. hoc contenti; ſed ſtatim aduerſus caput ſuũ loquẽtes ob ſeruorũ delicta etiam cõmunem Dominũ 39

Dedecus Chriſtianæ Religionis.

audent

audent murmurare; & putant velamenta errorum ſuorum eſſe alienam deſidiam.

Et quàm valdè hoc Deo diſpliceat, verba exe-
40 crantis exprimunt, Matthæi 18. *Vè mundo à ſcandalis*. Et illud Ieroboami, cum ad vitulos aureos adorandos Tribus decem inuitauit. 3. *Regum c.* 12. ne redirent in templum Ieruſalem ad Deum verum adorandum, ita in diuina mente repoſitum legimus, vt ſemper referat, & refricet, & prodat, quaſi dolorem maximum. Et cum aliorum Regum peccata refert, ſemper Ieroboam tanquam malorum caput memorat: *quibus peccauit, & peccare fecit Iſrael.* 3. *Reg.* 14. Hunc enim quaſi clauum in corde gerebat. Quarè prædicti curatores, prauis ſuis exemplis, rei fiunt animarum, quæ pereunt; atquè adeò maximo digni ſunt ſupplicio; Ideò ponderat Chryſoſtomus, Deum maiori pęna affeciſſe Iezabelem, quàm Achab, etiáſi ipſe vineam vſurpauerit. Illa verò ſolùm conſilium dederit: quia ſolet Deus maiora infligere ſupplicia ijs, qui anſam peccandi præbent, quam qui grauia ſcelera committunt.

Quod maximè Deo diſplicet.

Ideò qui talia agũt maximo digni ſunt ſupplicio

Quis ergo magicam hanc curationem non contemnat? quis eam prorſus non abhorreat, cuius agens primarius dęmon eſt hoſtis Dei, & hominum infenſiſſimus: cuius mores maleficus, vt ſecundarius æmulatur, dum illum in potentia, & volitione imitatur? Quis toto cælo huiuſmodi actionem non exhorreſcat, quæ perficitur medijs tam ſacrilegis, & ſuperſtitioſis? Quis non paueat hanc curationem, quæ finem habet impium, noxium, & ſcandaloſum: cum ad aliud non tendat, quàm ad cultum Deo debitum deſtruendum; homines criminibus obnoxios reddendos, mundumq. totum ad impietatem, & idololatriam inſtruendum? Quidni ergo hæc magica curatio abominanda, deteſtanda, & eliminanda?

CAPVT II.

Intoleranda.

41 SIcut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meę à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris, ait Dominus *Iſaiæ* 55 Sunt enim ita diuerſa, ac diſſimilia iudicia Dei à iudicijs hominum, & cogitationes Dei à cogitationibus hominũ, quòd multa ab hominibus exiſtimantur licita, & bona, quæ apud Deum ſunt illicita, & mala.

Iudicia Dei, & hominũ ſunt diuerſa.

Tollerandam eſſe magicam curationem, ſicut & cunctas magicas actiones licitas eſſe ad tollendum maleficium ad bonum finem: vt ad ſanandum infirmum, vel tempeſtates repellendas, opinantur aliqui Iuriſtæ *in L. Eorum C. de malef. & math.* Bartolus, Salycetus, Godefridus, Azo *ſuper dictam legem*, Grillandus *lib. de ſortilegijs*, Petrus Ærodius *lib. rerum iudicat.* 8. *tit.* 7. *c.* 6. quibus ſe ſubſcribunt Hoſtienſis *in ſumma de Magiſtris.* §. *Quam ſcientiam.* Troilus Maluetius *in tr. de ſortib.* Nec mirandum: cum enim lex ciuilis pacem, & bonum externum ſolummodo reſpiciat, non ità attendit ea, quæ ad conſcientiam ſpectant. Nihilominus quamuis toleret, & non puniat: (ſicut & *L. Gracchus. C. ad L. Iuliam. de adulterio. & L. Marito. ff. eod. tit.* non punitur maritus occidens vxorem deprehenſam in adulterio:) non tamen approbat tanquam rectè facta. Verùm apud Deum, eiuſquè ſponſam catholicam Eccleſiam non tantùm eſt reprobanda magica curatio, & cunctæ magicę actiones repudiandę; ſed omninò impediendæ; pęniſquè ſpiritualibus, ac temporalibus vindicandæ in Exercentibus, Addiſcẽtibus, Fauentibus, & Requirentibus: vt ſequentes ſectiones declarabunt.

Magica curatio toleratur à Iuriſtis.

Sed non à Deo nec Ab Eccleſia. In Exercentibus. Addiſcentibus. Fauentibus. Requirentibus.

SECTIO I.

In Exercentibus.

QVàm grauiter maleficos pro maleficij crimine puniat Deus miſericors, & iuſtus in hoc mũ- 42
do ordinariè, & extraordinariè; auctoritate publica, & priuata: in vita, & in morte ſatis ſuperq. demonſtratum eſt ſupra *to.* 1. *diſp.* 1. *p.* 3. Quibus etiã pænis magicas exercentes curationes affici, nemini eſt ambigendum. Licèt enim *Exodi* 22. ſolùm dicatur; *Maleficos non patieris viuere*; attamen maleficorum nomine iſti omnes comprehenduntur: quia in propria, & vſitata ſignificatione non ſolùm dicitur maleficus, qui magiæ arte ad nocendũ vtitur; ſed abſolutè qui pactum habet cum dæmone, & aliquid operatur eius ope ſiuè ad ſanandum, ſiuè ad diuinandum, ſiuè ad quidquid aliud peragendum, vt cõſtat *ex c. Nec mirum.* 26. *q.* 5. vbi poſt multas magorũ, ac maleficorum enumeratas ſuperſtitiones, ſic dicitur: *Ad hæc omnia ſupradicta pertinent ligaturę execrabilium remediorum, quę ars Medicorum condemnat; ſeu in præcantationibus, ſeu in characteribus, vel in quibuſquè rebus ſuſpendendis, atquè ligandis: in quibus omnibus ars dęmonum eſt ex quadam peſtifera ſocietate hominum, & Angelorum malorum exorta. Vndè hæc cuncta vitanda ſunt Chriſtiano, & omni penitus execratione repudianda, atq. damnãda.*

Exercẽtes magicas curationes grauiter puniuntur.

Qui ſub nomine maleficorum comprehenduntur.

Nec officit lex illa Conſtantini ſupra allata *L. Eorum C. de malef. & mathem.* quia recentiore lege 43
iam ſublata eſt à Leone Imperatore *Conſtitut.* 65. *ad Stylianum de Incantatorum pæna:* vt rectè aduerterunt D. Petrus Gregorius Toloſas *lib.* 4. *c.* 46. *n.* 2. *in ſuis Commentarijs artis mirabilis*, Nicolaus Remig. *lib.* 3. *dæmonol. cap.* 12. & Delrius *lib.* 6. *diſquiſ. magic. cap.* 2. *ſect.* 1. *q.* 2. *Quam Conſtitutionem quòd Tribonianus, homo planè ſceleſtus prætermiſerit*, ait Delrius, *causã aliã non video, quã quia ab omni erat pietate, & vera religione alienus.* Ibi Leo grauiſſimis verbis negat quidpiam verè bonũ his artibus effici.

Sed apparens illud bonum, illecebram, atquè naſſam eſſe; quæ illectos, inquit, *in malorum omnium extremum, vbi à ſummo bono exciderint, abſorbeat, compertum habemus. Notum enim nobis eſt, illas, vt qui ſeipſis dedunt, pro Creatore, ac Domino infauſtis, diriſquè dæmonijs adhærere ant efficere, & qui illas aſſectantur, hos per externarum rerum lætam quandam ſpeciem, vulnera in anima excipere. Quale quiddã interpugnandum meticuloſis frequẽter accidit, qui dum ictus interdum excipere manu nolũt, illis vel caput, vel vẽtrẽ exponunt. Sanè verò ſi quis aliquo modo incantamẽtis vſus eſſe deprehenſus fuerit, ſiuè id reſtituendæ, cõſeruãdæuè valetudinis: ſiuè auertẽdæ à rebus frugiferis calamitatis cauſa fecerit, is apoſtatarũ pænam ſubiens vltimum ſupplicium ſuſtineto.*

Sed & Caroli V. Conſtitutio hos arbitrio iudicis cõdigna pęna puniri iubet. Quod notat enim Theodorus Balſamõ *in Nomocanone*: vbi ait, *legibus puniri qui eiuſmodi magica faciũt: tametſi boni alicuius cõſequẽdi gratia, ac propter vbertatẽ fructuũ id præſtẽt.* Itaq. omnia hæc flagitiorũ genera, cunctæq. huiuſmodi magicæ actiones eodẽ iure cenſentur, eiſdemquè pænis tũ diuinis, tũ humanis canonicis, & ciuilibus puniendæ in Exercentibus, cuiuſcumquè ſint ſexus, ætatis, & conditionis, nempè, in Viris, Mulieribus, & Pueris, iuxta delicti grauitatem: vt ſequentibus articulis demonſtrabitur.

Omnes magicæ actiones eodem iure puniũtur In Exercentibus. Viris. Mulieribus. Pueris.

ARTICVLVS I.

Viris.

§. I.

44 *Viri peccant, Non per Inſirmitatem: Nec per Ignorantiam. Sed per malitiā.*

INter illas tres cauſas à Theologis communiter aſſignatas omnium delictorum, quę in mundo fiūt, infirmitatem, nempè, ignorantiam, & malitiam; tertiam grauiorem reddere culpam, peccantemquè maiori pęnæ fieri obnoxium, nullus ſanę mentis ambigere poteſt; cum maiorem dicat mentis, animiquè deprauationem à tramite veritatis deuiam. Sed quęnam cauſa viros magicæ operationi deditos in tot, & tanta ſcelera inducere valeat? An infirmitas? Conſidera nominis ethymon: Vir namquè nomen eſt virium: quòd viribus, & robore præſtet. Quod teſtatur D. Greg. *Moral. lib. 26. ſuper illud Iob 24. De Ciuitatibus fecerunt viros gemere. Viri ſunt,* inquit, *qui perfectis greſſibus per viam Dei non fluxè, & eneruiter currunt; ſed viriliter. & 36. ſuper illud Iob* 40. *Accinge ſicut vir lumbos tuos,* ait: *Scriptura ſacra viros vocare conſueuit, qui vias Domini fortiter, & nō diſſolutis greſſibus ſequuntur:* non ergo infirmitas impellit. An ignorantia? Sed vir nomen eſt virtutis, eò quòd præſtans ſit virtute, & ſapientia. Quod probat Apoſtolus 1. *Corint.* 13. *Quando,* ait, *factus ſum vir euacuaui, quæ erant paruuli.* & Aug. *lib.* 3. *ſerm.* 13. *Vir dicitur à virtute eò quòd libidines vincere debeat.* Nec etiam ignorantia inducit. Sola ergo malitia in eo præcipuè locum habet. Ideòq; meritò pęnas tantis criminibus debitas ſoluere debet iure diuino, canonico, & ciuili.

Ideò grauiter puniuntur pænis ſtatutis.

§. II.

45 *§. 1. Iure diuino.*

DIuino iure magi, & malefici etiamſi nullo veneno necaſſent: etiamſi ſegetibus, & animantibus non nocuiſſent: etiamſi necromantici non forent; eò tantùm, quòd dęmoni fæderati, quòd conuentui intereſſe, & ea, quæ ibi exercentur, ſoliti pręſtare: puniri iubentur *Exodi* 22. *verſ.* 18. *Maleficos non patieris viuere.* Quo loco vox latina admodum eſt latè patens, nec reſtringenda ad ſolos venenarios: vt nec Græca, nec Hebræa; vbi nomine maleficorum comprehenduntur omnes hæ peſtes, ſagæ, ſtriges, lamiæ, malefici, venefici, incantatores, ſortilegi, & diuini: vt rectè docent Suarez *de Religione lib. 2. de Superſtitione cap. 19. num.* 1. & Facundex *in 1. preceptum Decalogi lib. 1. cap.* 44. Idem ſtatuitur *Leuit. 22. Vir, ſiuè mulier in quibus pythonicus, ſiuè diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur. & Deuteronomij cap.* 18. ferè omnes huius peccati modi diſtinctè enumerantur: & ſubditur: *Omnia hæc abominatur Dominus; & propter huiuſmodi ſcelera delebit eos.* Quæ leges non ſunt in lege noua irritæ: vt latè probauimus *ſupra tom. 1. diſp. 1. num.* 40. Propterea D. Paulus *ad Galatas cap.* 5. omnia hæc vitia vno vocabulo complexus eſt, inter opera carnis ponens veneficia: vt fit etiam à Ioanne *Apocalyp. c.* 18. ibi: *In veneficijs tuis errauerunt omnes gentes.*

§. III.

RAtio fauet. Nam *ſi criminis grauitati commen-*
46 *ſuranda eſt pęna grauitas; Deuteron. cap. 25. & c. non afferamus 24. q. 1. L. Sancimus C. de pęnis.* Grauitas autem pęnæ petenda eſt à perſonæ offenſæ dignitate, & ab ipſo offenſionis modo: quis non videat, à maleficis Deum Optimum Maximum, & Deiparam, & omnes cælites, & vniuerſam Eccleſiam, genuſque humanum, & animata, inanimataquè omnia grauiſſimè offendi? Nam Deo, & Superis maledicunt, & blaſphemant: cęteris creaturis abutuntur, & exitium parant, idquè modis contumeliæ, & crudelitatis pleniſſimis.

Ratio fauet. Quia pœna commēſuratur culpæ, cuius grauitas ſumitur A dignitate perſonæ offēſæ: Ab ipſo multiplici offenſionis modo.

Primò Deum offendūt idololatria grauiori, quàm Iſraelitarum. Illi vitulum aureum adorabant: vt habetur *Exodi 32. num.* 5. coram eo bibebant, ſaltabant, canebant: Hi coram dęmone ipſo, cui ſe deuouent, cui ſacrificant, cui fidelitatis, & obedientiæ ſacramentis ſe addicunt: coram hoc, inquam, edūt, bibunt, choreas ducunt, cantillant, fędiſſimèque multa operantur: vt latè proſecuti ſumus *tom.* 1. *diſput.* 3.

Secundò conſulunt ipſum dęmonem frequenter, quod crimen eſt morte digniſſimum ex lege Dei *Leuit.* 20.

Tertiò offerunt filios, & filias ſuas dęmonijs; ideòquè lege Dei iubentur occidi qui ſemen ſuum offerunt Moloch. *d. cap. 20. verſ.* 6.

Quartò eadem lege necari iubentur *qui cum iumento coierit;* qui adulterium commiſerit: item qui cum ſexus eiuſdem homine *Sodomiam commiſerit. d. cap. 20. verſ. 15. 10. &* 13. Sed longè deteſtabilior eſt ſpurcities Magorum; quia licèt plures eorum ſint coniugati, adhuc verſantur in continuo quaſi concubinatu cum dęmonibus; & ſic non tantùm contra ſexum; nequè tantùm extra ſpeciem peccant; ſed etiam extra genus, quod deteſtabilius eſt, & peſſimum omnium carnalium peccatorum: Nec ocioſum eſt, quòd, cum diuina lex dixiſſet: *Maleficos non patieris viuere:* ſubiungat immediatè: *qui cum iumento coierit, moriatur: qui immolat Dijs occidetur.* Nimirum, vt hæc connexa, & comitari ſolita ſeſe indicentur.

Quintò in eorum crimine interuenit blaſphemia atrociſſima, & maledictum in Deum: quæ lex diuina quoquè morte ſanciuit vindicanda *Leu.* 24. *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus. Et ad filios Iſrael loqueris. Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum: & qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus obruent eum omnis multitudo populi.* Cum ergo malefici, vt plurimum ſint blaſphemi, cur & ipſi morte puniri non debent?

Tandem in vno crimine accedunt multa alia, quibus ſingulis à legibus humanis mors decreta ſupplicium, vt mox dicetur. Ideòquè videtur communi iudicio carere, qui communem hanc peſtem non cenſet igne, gladioquè abolendam, & ſuſpicionem occulti conſenſus, atquè conſpirationis, vt dicetur, meritò prębet, qui ſe Dei & hominum coniuratos hoſtes defendere, atquè tueri velle profitetur.

§. IV.

CAnonico iure quoquè, Maleficos, Sagas, Ariolos, ſortilegos varijs multari pænis ſtatuitur. 47
In primis omnes tàm exercentes, quàm conſulentes, vel remedia ab eis poſtulantes excommunicantur *cap. ſi quis ariolos & cap. fortes ſ. 26. quæſt.* 5. quam excommunicationem ipſo facto incurrere, nemini tamen reſeruari, ait Delrius *lib. 5. diſquiſ. magic. ſect.* 16. Sed contrarium ſentiunt Suarez *tom.* 1. *de*

§. 1. Iure canonico Excommunicat. nemini reſeruata.

de Religione lib. 2. de Superſtit. c. 19. num. 3. Syluester *verb. Superſtitio, quæſt. vlt.* Alenſis *2. par. q. 164. membro 5.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. & iure lib. 2. cap. 42. d. 5. num. 19.* & Stephanus Façundex *in 1. præceptum Decalogi lib. 1. cap. 44.* aſſerentes, nullam propter hoc crimen ipſo facto incurrere excommunicationem; licèt de iure vniuſcuiuſquè diæceſis aliud eſſe poſſit. Ratio eorum eſt; quia illa verba, *anathema ſit, ſit excommunicatus*, extra crimen hæreſis, non importat ſententiam excommunicationis latam; ſed à Iudice probato crimine ferendam. Sicut iſta; *Sit extorris, ſit exul*, non ſignificant ſententiam exilij ipſo facto latam; ſed per iudicem ferendam.

At quia ſunt Vel Hæretici, vel Suſpecti vehementer de hæreſi.

Sed quid prodeſt circa hanc controuerſiam tempus terere, cum malefici omnes vel ſint hæretici, vel ſaltem eorum facta ſint hæreticalia: vt habetur ex c. *Accuſat. de Hæreticis lib. 6. §. ſanè & c. Epiſcopi 26. q. 5.* & confirmant plures P. P. infra citandi? Iuuat ergo potiùs opera ſortilega diſtinguere: vt qualia ſint maleficorum, & aliorum, & quibus digna pænis; dignoſcere poſſimus.

§. V.

48 Opera ſortilega alia ſunt minus grauia: alia magis grauia, & atrocia.

Sortilegia eorum non ſunt leuia.

Prima ſunt ea, in quibus pactum explicitum cum dæmone non reperitur, nec interuenit dæmonis inuocatio, ſiuè per modum adorationis, ſiuè per modum deprecationis: nec abuſus aliquis ſacramentorum, vel ſacramentalium; aut verborum ſacræ ſcripturæ. Talia exercentes vtroquè iure ciuili, & canonico puniuntur ſecundùm Iudicis arbitrium, cum hæreſim non ſapiant. Debere tamen iudicem arbitrio ſic vti, vt canonibus, legibuſquè ſe accommodet; nec eorum præſcriptum temerè tranſiliat, videlicet, niſi qualitas facti, conditio perſonarum, animus delinquentis, ſcandalum indè exortum, ſimiliauè ſuadeant, pænam intendere, vel minuere; quod idem in mandantibus, & conſulentibus obſeruandum receptum videtur. Quæ pænæ pro varietate criminum, ac perſonarum diuerſitate, alijſquè circunſtantijs à legibus præſcriptæ videri poſſunt apud Delrium *lib. 5. diſquiſ. magic. ſect. 16.* ibi varios citantem auctores.

Sed atrocia, & grauia: quia

Alia ſunt crimina atrocia, & magis grauia, quæ communiter patrantur à ſagis, ac maleficis, qui cum pactum habeant initum cum dæmone expreſſum, illum adorent, ei ſuo modo ſacrificia offerant, ſequè totos dicent, ac deuoueant, conſequenter hi omnes vel ſunt hæretici: vel facta eorum ſunt hæreticalia, quorum primaria, ac principalia nunc conſiderare lubet, vt pænas etiam tantis ſceleribus deditas poſtea dignoſcamus.

Vel Hæretica: Vel Hæreticalia.

§. VI.

49 Factum hæreticum eſt illud, in quo à malefico dæmon expreſsè inuocatur ad faciendum, vel indicandum ea, quæ vel facere vel ſcire non poteſt; & credit talia dæmonem præſtare poſſe. Quod certum eſt: quia hæreticum eſt, credere, dæmonem poſſe facere, vel ſcire, quæ neque ſcire, neque facere poteſt; ſed ſoli Deo reſeruata ſunt. Dico, *hæreticum, non hæreticale*: quia vt ritè docet Delrius *loco cit. ſect. 15.* hæreticale lato vocabulo ſignificat tam quod manifeſtam ſapit hæreſim, quàm quod hæreticum eſt. Et quia has duas ſignificationes multi non benè diſtinxerunt; ideò etiã errauerunt in hac materia. Eſt enim differentia inter hæreſim, factum hæreticum; factum hæreticale, ſeù ſapiens manifeſtam hæreſim, & factum ſapiens tantùm aliquo modo hæreſim, ſeù factum in dubio hæreticale. Hæreſis eſt aſſenſus, quo intellectus cum pertinacia alicui falſitati adhæret, quæ veritati catholicæ repugnat. Factum hæreticum eſt opus, quod ex ſe repugnat catholicæ veritati, etiamſi formaliter non eſſet error in ipſo intellectu; ſed dicitur quaſi materialiter: quia eſt materia circa quam intellectus aberrans verſatur in hæretico errore: ſicut etiam propoſitio hæretica eſt ipſa enunciatio falſa catholicæ veritati contraria. Et ad factum hæreticum ſufficit id quod facit eſſe huiuſmodi: vt ſi quis rem ita ſe habere pertinaciter contenderet: puta quis puerum rebaptizat, & firmiter ac pertinaciter credit, rectè id poſſe facere: iſte verè eſt hæreticus, & factum illius hæreticum eſt nuncupandum: quia veritati catholicæ contrariatur. Idcircò etiam in ſacro Arſenali Inquiſitorum parte 10. admonit. 32. habentur ſequentia verba: *La pertinacia, per cui l'huomo ſi conſtituiſſe heretico conſumato, non è la ſola oſtinatione, con che alcuno, etiamdio ammonito, perſiſte in quell'errore, che deue laſciare, ma ciaſchun deliberato conſentimento contrario alla verità Cattolica da lui conoſciuta.*

Quid ſit factum hæreticũ.

Obiter quid ſit hæreſis.

§. VII.

Factum hæreticale, ſeù ſapiens manifeſtam hæreſim eſt id, quod deſignat maximam ſimilitudinem, & vrgentiſſima indicia erroris in fide; vt cum quis aliquid operatur, vel enunciat, quod videtur repugnare catholicæ veritati, & aſſerit id fieri poſſe, ver. gr. ſi quis ſacramentalia miſceret vſibus profanis citra pactum expreſſum dæmonis, vel inuocationem ipſius expreſſam, faceret factum ſapiens hæreſim manifeſtam ſeù hæreticale. Et ſi diceret hoc fieri oportere, ſeù licere, hæc aſſertio ſaperet hæreſim. Sic P. Aragonius *2. 2. q. 11. art. 2.* quem ſequitur Aloyſius Bariola *in floribus Directorij Inquiſitorum 3. par. de varijs propoſitionum gradibus*, ait: Illam propoſitionem manifeſtam ſapere hæreſim, quæ prima fronte præſefert ſaporem hæreſis manifeſtæ. Si autem eadem propoſitio conſideretur ex parte ſubiecti, ideſt, reſpectu enunciantis, tunc illa dicitur hæreticalis, quæ cum duplicem habeat ſenſum, catholicum, videlicet, & hæreticum, indiſtinctè, & abſolutè profertur ab homine in fide ſuſpecto: vel eo tempore, quo de tali re exiſtunt hæreſes. 50

Quid ſit factum hæreticale.

§. VIII.

Factum tandem ſapiens aliquo modo hæreſim eſt, quod ſignificat aliquam ſimilitudinem, indicium, aut veſtigium erroris in fide: vt docet Frietas *in addit. ad Rodericum Achuna quæſt. 5. num. 44.* relatus à Lupo *p. p. Edicti S. Inquiſit. lib. 3. a. 2. diff. 1.* Sic propoſitio ſapiens aliquo modo hæreſim eſt illa quæ prima verborum ſignificatione, & prima facie ſenſum habet hæreticũ; quamuis piè intellecta poſſit habere ſenſum catholicum: qui tamen ſenſus non debet eſſe confictus, aut commentitius; ſed qui ab Eccleſia, & Sanctorum explicatione ſit receptus. Ita Aloyſius Bariola loco citato. 51

Quid ſit factum aliqualiter hæreticale.

Quæ-

§. IX.

52 *Maleficũ expectare à dæmone, quæ ſoli Deo conueniunt eſt factũ hæreticũ ex parte operis & ex parte operantis.*

QVæcumquè ergo ſortilegia fiunt à maleficis, & ſagis pactum habentibus cum dęmone expreſſum, in quibus dæmon ab eis expreſſè inuocatur ad faciendum: vel indicandum ea, quæ ſolus Deus facere, vel ſcire poteſt, vt quod mortuum reſuſcitet: animam veram defuncti repræſentet; arbitrij libertatem mutet, vel cogat ad amorem: vel futura contingentia, quæ ipſe nouit contingenter, vel dependent à diuina prouidentia: vel à libero arbitrio, certò, & infallibiliter prænunciet, & reuelet, facta huiuſmodi hæretica ſunt ex parte operis: quia tale opus repugnat catholicæ veritati: & hæretica reſpectu operantis, ſi credit firmiter dæmonem talia præſtare poſſe, etiam Deo non permittente: tum quia vehementer eſt ſuſpectus de apoſtaſia, ideòquè præſumptiuè hæreticus cenſetur. Ita ſentiunt Ioannes de Anania *in rubr. extra de hæreticis num.* 8. Albericus *in rubric. de hæreticis poſt. num.* 12. Vmbert. Locat. *in iudiciali Inquiſitorum in verbo Apoſta. num.* 5. *in princip. & num.* 6. *in fine verſ. inuocare verò dæmonia, & alijs locis.* Simanch. *Catholicarum inſtitut. tit.* 21. *num.* 4. *& ſequent.* Farinacius *de Hæreſi quæſt.* 181. *num.* 5. *&* 6. & Cæſar Carena *tract. de off. Sanctæ Inquiſitionis par.* 2. *de ſortilegijs tit.* 12. §. 4. *num.* 24.

§. X.

53 *Factum Hæreticũ vel Hæreticale eſt Deum abnegare. Abuti Sacramẽtis. Sacramẽtalibus. Rebus ſacris. Verbis ſacræ ſcripturæ.*

SOrtilegium hæreticum eſt, vel hæreticale qualificatum, cum malefici in ſortilegio Deum abnegant, abutuntur Sacramentis, puta, Euchariſtia, confeſſione, baptiſmate &c. vel ſacramentalibus: aut rebus alijs ſacris: vt oleo ſancto, Agnus Dei reliquijs Sanctorum, candela, vel aqua benedicta: vel in eo adhibent Euangelium, Symbolum, Pater noſter, vel aliquem pſalmum Dauid: aut alias orationes, vel verba ſacræ ſcripturæ, maximè ad effectum conſequendum, quod de ſe ſit peccatum mortale. Si enim credunt huiuſmodi adhibita vim habere ad maleficiorum operationem factum eſt hæreticum, ideſt tales ſortilegi ſunt hæretici. Si verò non credunt, factum hæreticale eſt, ideſt, ipſi ſunt vehementer ſuſpecti de hæreſi. Hoc teſtantur Pegna *ad Directorium Inquiſit. par.* 2. *Comment.* 67. Farinac. *de hæreſi quæſt.* 181. *num.* 2. Lelius Zec. *p.* 1. *tit. de fide, rubric. de hæreſi cap.* 11. *num.* 13. *verſ. ſimiliter.* Petrus Binsf. *tract. de Confeſs. malef. prælud.* 14. *verſ. ex horum Doctorum opinione.* Ioannes Azorius *Inſtitut. moral. par.* 1. *lib.* 9. *c.* 26. *q.* 4. Scaccia *de Iud. Ciuil. Criminalibus, & hæreticalibus lib.* 1. *cap.* 12. Delrius *lib.* 5. *diſquiſ. magic. ſect.* 15. Leon. *in Theſauro fori eccleſiaſtici par.* 2. *cap.* 36. *num.* 9. & Carena *par.* 2. *de Sortileg. tit.* 12. §. 4. *num.* 23.

§. XI.

54 *Factum Hæreticũ Vel Hæreticale eſt Dæmonẽ adorare Adoratione Latria.*

SOrtilegium hæreticum eſt, vel hæreticale, quandocumquè dæmoni tribuitur adoratio vel latrię, vel duliæ ſoli Deo, & ſanctis eius debitæ: ſic docent Eymericus *in Director. Inquiſit. par.* 2. *quæſt.* 43. *ferè per totam:* vbi etiam Pegna latiſs. Scaccia *dicto c.* 12. *num.* 15. Farinac. *loco cit. num.* 68. Dicitur autem ſortilegus latriæ honorem dæmoni dare, ſi vocaret eum Deum: vel alijs verbis denotantibus diuinitatem. Honorem verò duliæ, ſi eum vocat Sanctum, vel beatum; ſi ei genuflecteret, preces funderet, luminaria accenderet, thus, & alia aromata ei offerret: immolaretquè ei aliquod animal: vel ſanguinem proprium: vt latè Eymericus *loco cit.* Scaccia *d. c.* 12. *num.* 26. *& ſequent.* Leon. *de Theſauro fori Eccleſ. d.* 39. *num.* 9. *&* 10. & Farinac. *loco cit. num.* 77. Quòd ſi credunt, talem honorem dæmoni eſſe debitum, hæretici ſunt cenſendi: quia intellectus adhæret pertinaciter falſitati, quæ repugnat catholicæ veritati, & voluntas conſentit. Si verò non credant, hæc dæmoni conuenire; ſed tantùm huiuſmodi exhibeant honorem, vt aliquid à dæmone conſequantur, non ſunt hæretici; ſed vehementer ſuſpecti de hæreſi: quia tale factum, ideſt ſapit manifeſtam hæreſim & ex parte operantis, ſi habet pactum cum dæmone expreſſum: & ex parte operis: quia opus ex ſe manifeſtam ſapit hęreſim. Ita Ioannes à Roias *in tract. de hęreticis p.* 1. *num.* 304. *& ſequent. & n.* 309. *& ſequent. & n.* 356. *& ſequent.* Vmbert. Locat. *in iudiciali Inquſit. in verbo Hęreticus num.* 32. Simanch. *Catholic. inſtitut. titul.* 31. *rubr. de Hæreticis num.* 8. qui teſtatur, eſſe conſtantem Theologorum, & Iuriſperitorum ſententiam ex Antonina, Syluestrina, Ioan. Lupo, Albertino, & Alphonſo de Caſtro cum alijs ibi per eum alligatis. Farinac. *loco cit. num.* 79. dicens: tales eſſe hæreticos præſumptiuè; quod ſufficit ad illos puniendos modò grauiùs, modò leuiùs, vt de hæreſi vehementer ſuſpectos, & Campeg. *in additionibus ad Zanchinum in tract. de hęreticis cap.* 22. *litera C. in verbo Inquiſitor. verſ. pro his intelligendis:* vbi pariter ex hac præſumptione, ſeù iuris fictione ſic dæmones adorantes hæreticos ab Eccleſia reputandos, & iudicandos eſſe cenſet, *& in verſ. quòd ſi quis dicat:* vbi ait: quòd eſt iuris præſumptio. Et hoc credo voluiſſe Franciſcum Suarez *de Relig. lib.* 2. *de Superſtit. cap.* 19. *num.* 10. dum dixit, adorantes dæmones per latriam, vel duliam: ſeù illos inuocantes ad id, quod à ſolo Deo cognoſci, reuelari, aut fieri poteſt, reputandos eſſe vehementer de hæreſi ſuſpectos, Quod confirmat etiam Iacobus de Graffijs *lib.* 2. *ſuarum deciſ. c.* 15. *n.* 15.

Vel Dulia.

Limitant tamen hìc Campeg. *in additionibus ad Zanchinum in tract. de hęreticis cap.* 22. *litera C. in verbo Inquiſitor. verſ. quod ſi quis dicat,* & Iacobus de Graffijs *loco cit.* Hanc iuris præſumptionem, in dubio, quòd in adorante dæmones præſumatur error, admittere probationem in contrarium.

§. XII.

QVæcumque ſortilegia fiunt à maleficis, ac ſortilegis habentibus pactum expreſſum cum dęmone reſpectu operantis ſunt hęreticalia, etiamſi non eſſent ratione operis: vt ſi à dęmone peteretur res, puta ſanitas, quæ eius facultatem naturalem non excederet. Ita Delrius *diſquiſ. magic. lib.* 5. *ſect.* 15. *num.* 2. Zanardus *in ſumma diuinorum pręceptorum par.* 2. *cap.* 64. *verſ.* 2. *erit ſortilegus.* Tales enim pacta cum dęmone ineuntes ſunt vehementer ſuſpecti de Apoſtaſia, vt docet Zanardus ibi ex D. Thoma 2. *ſect. diſt.* 7. & Genuenſis *in Praxi Curię Archiepiſcop. Neapolit. cap.* 18. *num.* 11. *verſ. item vehementer ſuſpecti in nouiſs. impreſs. & antiquis cap.* 23. 55

Sortilegium hęreticale ex parte operãtis, cum maleficus petit à dæmone quæ non excedũt eius facultatẽ. Ex parte operis cũ, intercedit abuſus Sacramẽtorum

Quandò verò in ſortilegio facto ad conferendam, vel conſequendam ſanitatem aliqua concurrunt prædictorum numeris pręcedentibus: puta, adoratio dęmonis, expreſſa inuocatio, abuſus ſacramentorum, vel ſacramentalium: vel aliarum rerum ſacrarum: vel verborum ſacræ ſcripturę: tunc factum illud vel eſt hęreticum, vel hæreticale etiam

ex

Sacramẽtalium. Rerum ſacrarũ verbis ſacra ſcripturæ.

ex parte operis: quia huiuſmodi opus manifeſtam ſapit hæreſim: Hoc teſtantur Franciſcus Torreblanca *de magia lib.2.c.49.n.56.* Delrius *lib.3.diſquiſ. magic.par.2.queſt.4.ſect.7.* Io: Criuil. *de ſuperſt.p.3.cap.11.*& Cæſar Carena *tract.de off.ſanctæ Inquiſit. par.2.de ſortileg.tit.* 12.*§.5.num.*31.

§. XIII.

56 *Factum Hereticũ vel Hereticale Baptizare imagines. Rebaptizare pueros: ſacra cõculcare, Et alia huiuſmodi perpetrare.*

TAndem breuiter omnia ſortilegia, & opera magorum, ac maleficorum ſunt vel hæretica, vel hæreticalia, in quibus ſortilegi imagines baptizant; pueros rebaptizant; caput defuncti fumigant; ſanctorum imagines conculcant, ſputis fædant; cruces deijciunt, vel confingunt; ſacramentis ſacris, vel ſacramentalibus nefarie abutuntur; dæmones inuocant, eis thura adolendo, ſacrificia offerendo, candelas accendendo, cultum tribuendo, genua flectendo, humi proſternendo, preces emittendo, adorando, ſe eis deuouendo, obedientiam promittendo, laudes eorum, vel cantus proferendo, caſtitatem pro eorum reuerentia, vel admonitu ſeruando, ieiunando, carnem ſuam macerando, veſtibus nigris, vel albis pro eorum reuerentia induẽdo; per characteres, ſigna, & ignota nomina obſecrando; aues, vel alia ſimilia animalia immolando; ſanguinem proprium ex ſe emittendo; vel aliquid ſimile in eorum cultum, & obſequium peragendo: vt ſcripta eorum nomina honoris, & cultus cauſa deferendo, vt latiſſimè hæc omnia proſequitur noſter Belochius *de Caſibus reſeruatis par.2. q.1.in primo caſu Tabellæ Anchonitanæ num.73. & fere per totum illum caſum.*

§. XIV.

57 *Magiam Exercentes Hereticũ ſunt vel Hæreticales habentur*

HInc magicam artem exercentes ne dum hæreticales ſortilegi reputandi ſunt, ſed etiam vt hæretici habendi. Hoc teſtatur Eymericus *in Directorio Inquiſitorum par.2. in verbo hæreſis q.43. verſ.ex prædictis apparet.* Ibi Petrus Vendramen. *in additionibus litera A.* vbi benè declarat, qui dicantur magi. Vmbertus Locat.*in iudicial. Inquiſitorum in verbo Apoſtata, num.5.verſic. Et ſimiliter etiam ab alijs operibus magicis & num.7.verſ.ex his apparet, quòd magicam artem ſectantes vt hæretici ſunt habendi.* Simanch. *Catholicarum inſtitutionum tit.63.rubric.de Superſtitionibus num.14.* vbi dixit magicas artes ex pactis dæmonum prouenire, *& in Enchiridio Violatæ religion. tit.8.num.11.* Petrus Gregor. *Syntag.iuris lib.34.c.1.& ſeq.* Lelius Zecch.*in ſumma par.1.tit.de fide, cap.17.rubric.de magia num.2.* Toletus *de inſtitutione Sacerdotum lib.4.cap.14.num.3.& 4.* Iacobus de Graffijs *lib.1. ſuarum Deciſionum cap.6.rubr.de magijs per totum*, latius Benedictus Peterius *tract.de magia cap.1.& ſequent.*& Farinac. *de Hæreſi q.181.num.36.*

Quarè cum magi, ac malefici prædictis omnibus criminibus communiter ſint obnoxij, ob quę non ſolum hæreticales, hoc eſt, vehementer de hæreſi ſuſpecti reputantur; ſed & aperti hæretici præſumuntur: quales penas tantis ſceleribus, ac facinoribus tam horrendis, & execrandis deberi exiſtimabimus? Non alias vtiquè, quàm quibus ipſimet hęretici multari iubentur.

§. XV.

IVre ergo canonico vt hæretici, aut vehementer de hęreſi ſuſpecti ſubijciuntur excommunicationi latæ ſententiæ, quæ prima eſt in Bulla cænæ Domini Summo Pontifici reſeruatæ. Et quamuis nullus error eſſet in intellectu: nihilominus in foro exteriori ligarentur: quia cum eorum facta ſint hæretica, nempè veritati catholicæ contraria, præſumitur etiam error interior in intellectu: vt habetur *c. Epiſcopi 26.q.5.* & confirmat Toletus *loco citato.* Idcirco non tantùm prædicta excommunicatione; ſed etiam alijs impoſitis iuxta delicta ab eis perpetrata, nec non cæteris pænis hæreticis ſolitis infligi *extra de hæreticis c.ad abolendam* puniri iubentur. Confirmat Spineus *in tract. de ſtrigibus c.3.& 15.* vbi ait; quòd Innocentius VIII. Iulius III. Adrianus VI. & Clemens VII. huiuſmodi maleficorum cauſas Inquiſitoribus commiſerunt: quia apoſtatæ, & hæretici ſunt, vel certè vehementer ſuſpecti. Idipſum teſtantur Vmbertus Locat.*in iudiciali Inquiſitorum in verbo lamia.* Ioannes à Roiàs *ſingular.9. num.6.* Simanch. *Cathol.inſtitut.tit.37.rubr de lamijs* mall.malef.*par.1.q.14.* Alph.de Caſtro *lib.1. de iuſta hæret. punitione cap.16.* Alciatus *lib.8.parergon.cap.22.*& Farinac.*loco citato num.46.* qui omnes communiter concludunt, Inquiſitores poſſe ſic, vt ſupra, contra magos, maleficos, & lamias procedere: vt benè concludit etiam Petrus Binsfeldius *tract.de confeſſionibus malefic.memb.2.poſt quintam concluſionem principalem. §. hac quæſtio.verſ.ſecunda concluſio.* dicens: *quòd omnium iudicio maleficorum crimen ad hæreſim refertur; ſtatutaquè in hæreſi procedunt etiam in maleficijs: tum quia eadem militat ratio. Vbi autem eſt eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet. L.illud ff.ad legem Aquiliam cum ſimilibus: tum etiam quia omni crimine atrocius eſt.* 58

Ideo ſubiciuntur Excommunicationi Bullæ cęnæ Domini ſaltem in foro Exteriori, quando nõ eſt error in intellectu.

§. XVI.

QVòd ſi malefici, lamiæ ac ſtrigæ prædictæ confeſſæ, aut conuinctæ de errore: quia, puta fidem abnegarunt, pertinaces, & impænitentes fuerunt; Inquiſitores prædicti eas tanquam hæreticas curiæ ſeculari tradunt: vt habetur per eundem Simanch. *loco cit.num.16.& in Enchiridio Viol.religion.tit.11.rubric.de lamijs num.2.* Eymer. *in Directorio Inquiſit.par.2.q.43.num.8. verſ. Ex his apparet, il ſecondo.* Quod apertè extat *in c.ad abolendam §.præſenti, extra de hæreticis* in illis verbis: *Præſenti nihilominus ordinatione ſancimus, vt quicumque manifeſtè fuerint in hæreſi deprehenſi, ſi clericus eſt, vel cuiuslibet religionis obumbratione fuſcatus, totius eccleſiaſtici ordinis prærogatiua nudetur: & ſic omni officio, & beneficio ſpoliatus eccleſiaſtico, ſæcularis relinquatur arbitrio Poteſtatis animaduerſione debita puniendus: & in §. Laicus,* in illis verbis: *Sæcularis iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris vltionem.* Et ibi hoc annotarunt Gloſſa *in figuratione caſus verſ.ſecundo ſtatuit & verſ.ſi verò & in verbo: relinquatur.* Abbaſ.antiquus *num.2.* Hoſtenſis *num.5.verſic.ab hac regula & in verbo: ſecularis relinquatur, & num.6. in fine verſ.Laicus autem.* Ioannes Andreas *in ſummario.* Henric. Boich.*num.20.verſ.Clerici prius, & num.21.* Ancharanus *in Summario, & num.4.* Anton.de Butrio *num.1. verſ. & traditur curiæ ſæculari, & num.5.verſ. Nota primò* Marianus Socin.*in Summario.* Felyn.*etiam in*

59 *Malefici de hereſi conuicti ſi pertinaces,& impænitentes ſint, tradantur Curiæ ſeculari.*

in Summario. Cardinal. Zabarell. *ante num*, 1. *&* Ioannes de Anania *in ſecundo Summario, & num*. 6. eſt etiam text. *in cap. Excommunicamus* §. *Damnati in princ. extra eodem*, vbi ad literam dicitur: *Damnati verò præſentibus ſæcularibus poteſtatibus, aut eorum Balliuis relinquantur, animaduerſione debita puniendi*, & extat Conſtitutio Innocentij IV. edita de anno 1254. *incipit: Nouerit Vniuerſitas verſic. Damnati*, relata per Franciſcum Pegnam *inter literas Apoſtolicas fol. mihi* 21. *in princ. &* alia Nicolai III. edita de anno 1281. *incipit: Nouerit vniuerſitas verſ. Damnati verò*, relata vbi ſupra per Pegnam *fol. 67*.

§. XVII.

60 *Quid ſit tradi Curiæ ſeculari.*

TRadi autem hæreticum Curiæ ſæculari debita pæna puniendum, tàm in clerico, quàm in laico aliud non eſt, quàm illum Iudici ſæculari relinquere, vt in ſuum forum recipiat: vt benè declarat text. *in c. Nouimus in fine principij de verborum ſignificatione*; ibi Gloſſa. Henric. Boich. *in d. c. ad abolendam num*. 20. *verſ. Vnde dic* & declarat *in eodem cap. ad abolendam* Hoſtienſ. *num*. 7. *verſ. & niſi pænituerit, & num*. 8. *verſ. Ideò autem dixi*, & ibi Abb. num. 7. & num. 12.

§. XVIII.

61 *Malefici ex corde pænitentes recipiendi ſunt ad pænitentiam.*

BEnè verum eſt, quòd ſi malefici huiuſmodi pænitentes veniam petant, & ad Eccleſiam ex corde redire velint, admittendi ſunt ad pænitentiam, ac etiam reconciliandi: nec vllo pacto tradendi, ſeù relinquendi curiæ ſæculari: dummodò non fuerint prius carcerati à Iudicibus ſæcularibus: vt latiùs dicetur infra: Ita Simanchas, qui de probabiliori, veriorique ſententia teſtatur, *Catholicarum inſtitutionum tit*. 37. *rubr. de lamijs num*. 17. in eadem allegans etiam Arnaldum Albertinum *in tract. de agnoſcendis aſſertionibus catholicis, & hæreticis quæſt*. 25. *num*. 66. Et Eymericus *in Directorio Inquiſitorum par*. 2. *quæſt*. 42. *num*. 5. vbi generaliter dixit, ſortilegos pænitentes ab Eccleſia cum abiuratione recipi ad miſericordiam. Dixi, *ſi ex corde redire velint*. Nam malefici cum ad manus Iudicum deueniunt, & de aliquo delicto per teſtes ſunt conuicti, oſtendunt ſe velle ad Eccleſiam redire; & paratiſſimos ſe exhibent ad tales errores abiurandos, & ad peccata ſua in confeſſione ſacramentali aperienda: ſed hoc duntaxat, vt mortis diras pænas effugiant. Omnia enim fictè vt plurimùm, & non ex corde operantur. Abiurant, ſed tantùm illos errores, quos celare non poſſunt. Confitentur peccata; ſed tantùm illa, de quibus publicè ſunt conuicti cum aliquibus alijs venialibus: illaquè exponunt Confeſſario non humiliter, & per modum accuſationis; ſed per modum excuſationis, & narrationis. Et poſtquàm Iudicum manus euaſerunt; iterum ad caſtra diaboli ſui domini confugiunt, ad vomitum reuertuntur, & fiunt nouiſſima peiora prioribus. Quarè prædicta Simanchæ, ac cæterorum D. D. poſitio intelligenda eſt, ſi ſpes effulgeret emendationis: & magna, atquè clara pænitentiæ indicia extarent: nec rei ſunt relapſi: nec ſcandalum timetur: nec magnum imminet Reipublicæ periculum ex hac clementia.

§. XIX.

VVruntamen etſi regulariter pænitens hæreticus ad miſericordiam pro prima vice admittatur, 62 *Exceptis quatuor ſequentibus caſibus.*
ſi ex puro corde ad fidem reuertatur, vt dicunt prçallegati Auctores; in nonnullis tamen caſibus vigore Conſtitutionum Summorum Pontificum pænitens non recipitur ad miſericordiam, etiam quòd relapſus non ſit; ſed brachio ſæculari tradendus.

Primus caſus eſt. Miſſam celebrans, cum Sacerdos, & presbyter non eſt, brachio ſæculari traditur, etiam quòd non ſit relapſus, ſed pænitens, ex decreto Pauli IV. *ſub die* 20. *Maij* 1557. *relatum per Vmbertum Locatum poſt Iudicial. Inquiſitorum rubrica contra ſine ordinibus celebrantes*. Et ex alio decreto eiuſdem Pontificis *ſub die* 20. *Maij* 1559. *rubr. contra abutentes ſacramentis vbi generaliter de audientibus confeſſiones non exiſtentibus in ſacris, & abutentibus ſacratiſſimo Altaris Sacramento*. Quç decreta roborata ſunt per aliam Conſtitutionem Clementis VIII. incipit, *Etſi aliàs* Romæ publicatam die 5. Decembris 1601. relatam à Stephano Quaranta *in Summa Bullarij, verbo Ordo in fine*. Quam Conſtitutionem ad omnes etiam minores 25. annis, dummodo vigeſimmum ætatis annum compleuerint, ampliauit Vrbanus VIII. Conſtit. 79. incipit: *Apoſtolatus*, 23. Martj 1628.

Secundus caſus eſt de hæreticis, qui negant Sanctiſſimam Trinitatem, Diuinitatem D. N. Ieſu Chriſti, eius Conceptionem de Spiritu Sancto, Mortem ipſius, vt nos redimeret; ac Virginitatem Beatiſſimæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ. Hi hæretici licèt prima vice, etiam non relapſi Curiæ ſçculari traduntur ex Pauli IV. Conſtitutione *incipiente: cum quorumdam hominũ prauitas de anno* 1555. *regiſtrata per Franciſcum Pegnam inter literas Apoſtolicas poſt Directorium Inquiſitorum fol. mihi* 155. cuius quidem Conſtitutionis verba refert idem Franciſcus Pegna *in additionibus ad Eymericum in eodem Directorio Inquiſit. par*. 2. *q*. 58. *comment*. 83. *verſ. Penultimo & verſ. Final. folio* 414. quæ Romæ die 18. Maij 1597. fuit practicata, dum in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Mineruam vnus pænitens, qui inciderat in caſum dictæ Conſtitutionis fuit ſæculari brachio relaxatus, vt teſtatur Campan. *in diuerſ. Iuris canon. Rubr*. 1. *num*. 47. *in fine*. De qua Bulla vide Scortiam *in Selectas Roman. Pontific. Conſtitutiones Epiſt*. 67. Extat pariter Conſtitutio Clementis VIII. *edita die* 3. *Febraurij Anno* 1603. *Pontificatus ſui anno* 11. *relata per Paulum Piaſecium in praxi Epiſcopali par*. 2. *cap*. 4. *num*. 143.

Tertius caſns eſt, de quo in Conſtitutione eiuſdem Pauli IV. *incipit: cum ex Apoſtolatus officio*: quando, ſcilicet, Magiſtratus quilibet, ſeù Domini Eccleſiaſtici, ſeù temporales inciderint in Schiſma, aut hæreſim: Vel hæreſim, aut Schiſma excitauerint. Quç quidem Conſtitutio pariter regiſtrata eſt per eundem Pegnam *inter literas Apoſtolicas poſt eundem Directorium Inquiſ. folio mihi* 157.

Quartus caſus tandem eſt in maleficis, & lamijs, qui per maleficia aliquos occiderint: vt per Conſtitutionem Gregorij XV. *incipient. Omnipotentis Dei ſub die* 20. *Martij* 1623. *qua Bulla impreſſa habetur poſt*. 4. *par. reſol. moral. P. Dianæ*.

§. XX.

63 QVare Malefici conuicti incidiſſe in aliquem prędictorum quatuor errorum etiam pro prima vice, etſi pęnitentes ſint, non ſunt ad miſericordiam recipiendi; ſed ex prædictorum Summorum Pontificum Conſtitutionibus ſæculari brachio tradendi.

De quibus omnibus, vel aliquibus malefici conuicti ad miſericordiam non ſunt recipiendi. Sicut etiam ſi heretici ſint impęnitentes ante ſententiam.

Immò quamuis de nullo prædictorum quatuor errorum fuerint conuicti, dummodo de aliqua hæreſi rei ſint adinuenti, etſi pænitentes ſint in ipſo tabulato, vel poſt ſententiam conuertantur, raró ad miſericordiam ſunt recipiendi. Itá Abb. *in cap. excommunicamus, il primo num.* 10. *verſ. Vel poteſt dici.* Ioann. ab Anania *num.* 7. *eod. verſ. vel poteſt dici. extra de hæreticis*. Decianus *in tract. criminal. lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 40. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 24. Caſtrus Palaus *diſput.* 6. *punct.* 2. *num.* 18. Carena *de off. Sanctæ Inquiſ. par.* 3. *de pænis. tit.* 13. §. 1. *num.* 16. & 17. Farinac. *de Hæreſi. q.* 193. *num.* 63. vbi ait: *Ante oculos Inquiſitores habere debent caſum relatum ab Eymerico in decimo modo terminandi proceſſum de eo ſacerdote in Ciuitate Barchinon. vt impænitente damnato, qui cum inciperet comburi, clamauit, quòd educeretur, & fuit eductus, & abiurauit; ſed poſt* 14. *annos fuit vt impænitens relapſus condemnatus, qui multos infeciſſe repertus eſt*: & ideò Franciſcus Pegna *ibi in additionibus ad Eymericum par.* 2. *q.* 11. *comment.* 36. *litera E. verſ. Poſtquam traditus fuerat*, expreſsè concludit, nullo modo hos ſic pænitentes, dum curiæ ſæculari fuerunt traditi, eſſe recipiendos; & hanc ſententiam ſic ſemper æquam viſam fuiſſe, affirmat; & quod contrarium facere, valde periculoſum eſt.

§. XXI.

64 QVas autem pęnas ſecundùm leges humanas ſuſtinere debent huiuſmodi diaboli partiarij cũ de aliquo prædictorum quatuor errorum: vel de hęreſi fuerint conuicti, & impęnitentes. Non alia vtiquè, quàm morte multari, non ſolùm iure diuino, & canonico; ſed ciuili etiam, & conſuetudinario, incomperto eſt. *L. Nullus. L. Multi L. Etſi excepta. C. de Maleficis, & Mathematicis. & L. Arriani. §. Manichei ibi. & vltimo ſupplicio tradendi. C. de hęreticis. & L. Quicumque. §. eos verò. verſic. Vltimo etiam ſupplicio*. Qui tamen loquitur in docentibus hæreſim, & ibi Gloſſa *in verbo Damnetur. C. eodem. & in L. Vbicumquè. & L. ſeq. & L. Manichæi. C. eodem.* Hoc ſuſtinent Hoſtienſis *in c. ad abolendam. num.* 7. *verſ. Lex etiam humana, extra de hęreticis.* Ioannes Andreas. *num.* 6. *verſic. Lex humana.* Henric. Boich. *n.* 19. *verſ. Lex etiam humana.* Ancharanus *n.* 7. *verſ. Lex ciuilis.* Ant. de Butrio *n.* 17. *verſ. Lex humana.* Abb. *num.* 13. *verſ. Sed ius ciuile.* Cardinal. Zabarell. *n.* 18. Ioan. de Anania *n.* 7. *ad medium verſic. Hanc etiam pęnam*. Eſt etiam Gloſſæ *in c. Excommunicamus, il ſecondo in verbo puniendi extra de hæreticis*. Archidian. *in cap. Vt inquiſitionis officium num.* 3. *in verbo Animaduerſione, eodem tit. de hæreticis in* 6. Syiueſt. *in verbo Hæreticus*. §. 1. *num.* 14. *verſic. Duodecima pæna, quòd morte plectuntnr.* Fr. Rayner. *In ſumma, in verbo Hæreſis c.* 5. *poſt verſiculum Quartũ eſt.* Vmbertus Locat. *in iudiciali Inquiſit. in verbo, pæna n.* 9. *verſic. Duodecima pæna, quod morte plectuntur.* Bonifacius de Vitalinis *in rubr. de crimine hæreſi, n.* 6. *in fine verſ. & condemnantur ad mortem* Grilland. *tract. de hæreticis q.* 3. *n.* 2. *in fine.* Carerius *in eodem tract. de hæreticis, ſub n.* 132. *in princ. verſ. iure autem ciuili, & verſ. conſuetudine introductum eſt*. Gundiſal. *in dicto tract. de hæreticis, q.* 15. *num.* 4. *in princ. & verſ. Et ius ciuile.* Boſs. *in tit. de hæreticis, n.* 37. Vide quod in hoc conueniunt lex ciuilis, canonica, & diuina. Conrad. *in pract. rubr. de hæreticis n.* 12. Anton. Gomez *de delictis c.* 2. *rubr. de crimine læſæ Maieſtatis diuinæ, & humanę num.* 1. *poſt verſic. Item pro qualitate facinoris*. Couar. *variarum reſolutionum lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 10. *in princ.* Menoch. *de arbitrar. q. lib.* 2. *caſu* 374. *num.* 1. Petrus Gregorius *Syntagmat. iuris lib.* 33. *cap.* 8. *n.* 20. Lælius Zecch. *in ſumma par.* 1. *tit. de fide, rubr. de hęreſi, c.* 11. *n.* 16. *verſ. multiplex verò pęna*.

Diſſima lefici pęna mortis multandi ſunt. Probatur auctoritate Legum. Doctorũ.

§. XXII.

NEc ſolùm malefici prædicti criminoſi vt ſupra morti ſunt tradendi, vt ſatis ſuperque probatum eſt; ſed viui comburendi. Et iſta pæna ignis approbata eſt de iure diuino, canonico, ciuili, & conſuetudinario, vt communiter notant Doctores *in cap. ad abolendam extra de hæreticis*. 65

Imò viui comburẽdi. Quę pęna probata eſt Iure Diuino, Canonico. Ciuili. Cõſuetudinario.

Nec immeritò. Si enim miles, qui in bello ad hoſtes aut fugit, aut vult transfugere, vltimo ſupplicio afficitur ſecundum leges, *L. Deſertorum §. is qui ad hoſtes ff. de re militari. L. ſi quis aliquid ex metallo §. Transfuga ff. de pænis. Transfugæ ad hoſtes, aut ſecretorum noſtrorum renunciatores, aut viui exurantur: aut furca ſuſpendantur*: Qua pæna erunt digni, qui à Duce Chriſto, cui dederunt fidem, & obedientiam promiſerunt, fiunt tranſfugæ ad crudeliſſimum omnium hoſtem dæmonem? Si ſecundùm legem diuinam, & ciuilem blaſphemus lapidibus obrui meretur, vt eſt textus clarus *in Authent. vt non luxurientur contra naturam*, quam Ioan. ab Anania *cap.* 2. *de maledic.* vehementer laudat, & magnifacit & ita affirmant, & concludunt Doctores, vt atteſtantur Damhaud. *in pract. crim. cap.* 61. *num.* 26. & Iulius Clarus *lib.* 5. *ſent.* §. *Blaſphemia num.* 3. Quæ tamen pæna hodiernis temporibus non ſeruatur ob defectum religionis, & iuſtitiæ: vt dixit Lucas de Pegna *in L. omnes C. de delator. lib.* 10. Quinam autem peiores blaſphemi, quàm malefici, qui non ſolùm verbis; ſed factis maximas in Deum, in Chriſtum, in B. Virginem, in Sanctos faciunt blaſphemias, vt placeant dęmoniorum principi, cui magis probatur, qui maiora ſcelera perpetrat? Taceo, quòd nefarij iſti cum dæmone coeant, vbi, cum non ſolùm ſit naturarum diuerſitas; ſed in nullo communicatio, maiorem merentur pænam, quàm peſſimi Sodomitæ, qui ſecundùm ius ciuile, & canonicum morte puniri iubentur. *L. cum vir nubit in fæminam. C. ad legem Iuliam, de adult. & in d. Authentica, vt non luxurientur contra naturam.* 15. *q.* 1. *can. mulier. &* 23. *q.* 5. *can. Reoſ. §. Qui coierit*. Et quamuis tex. *in. d. L. cum vir nubit.* innuat pænam gladij: conſuetudine tamen receptum eſt, vt peccantes contra naturam igne concrementur: vt docent Angel. *in d. L.* Damhauder. *in pract. crimin. cap.* 96 *num.* 12. Iulius Clarus *lib.* 5. *in §. Sodomia* relati à Petro Binſfel. *Comment. in tit. C. de malef. & mathem. in L. Nemo q.* 1. *concl.* 2. *verſic. Quintò*. Quam conſuetudinem ſequitur Conſtitutio Caroli V. *in art.* 116. Quis ergo dubitat, pæna ignis afficiendos eos, qui hoc enormiſſimum peccatum non dubitant exercere cum ſpirituali creatura, quod omnia peccata carnis malitia, & enormitate ſuperat?

§. XXIII.

Commendandi Princip. ac Iudices, qui tales criminoſos pœna ignis puniri iubent.

66 DIgni vtiquè omni laude Principes, & Iudices, qui huiuſmodi hominum fęces, & auerni miniſtros iubent igne concremari, qui Deum ſuum abnegare, communioni Sanctorum abrenunciare, pacta cum dęmonibus inire, ipſorum caſtra ſequi, alijs contumeliam, ac graue damnum Reipublicæ, & eius membris inferre non erubeſcunt. Sic ille Rex Gothorum Athalaricus edictum edidit, cuius meminerunt Caſſiodorus *lib.* 9. Olaus Magnus *lib.* 3. *c.* 19. *de gentium ſeptemtrionalium varijs conditionibus*, & Petrus Gregorius *lib.* 34. *Syntag. iuris vniuerſi c.* 14. *Maleficos*, inquit, *vel eos, qui ab eorum nefarijs artibus aliquid crediderint expetendum, legum ſeueritas inſequatur. quia impium eſt, vos illis eſſe remiſſos, quos cæleſtis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas eſt, Creatorem vitæ relinquere, & ſequi potiùs mortis auctorem?*

Sed clariori conſtitutione has pęnas Maleficis debitas declarauit quidam Elector Saxoniæ *lib.* 2. *p.* 4. quam allegat Ioannes Georgius Godelmannus *li.* 3. *de Magis, & Veneficis cap.* 11. *numer.* 19. relatus à Binsfeldio *loco citato verſic. Poſtremò*. Conſtitutionis autem verba è germanico idiomate in linguam latinam ad verbum translata ſic habent: *Si quis oblitus chriſtianæ fidei cum dæmone fœdus inierit, operatus ſit aut rem habuerit, talis perſona, etiamſi veneficio, ſiuè maleficio nemini nocumentum intulerit, igne è vita ad mortem tolletur, & punietur.*

§. XXIV.

67 HVic affinis eſt conſtitutio Federici Imperatoris, *Incipit; Inconſutilem in fine* relata per Pegnam *inter literas Apoſtolicas in Directorio Inquiſitorum folio mihi* 18. vbi decernit, vt huiuſmodi criminoſi impęnitentes viui in conſpectu hominum comburantur in flammarum commiſſi iudicio, vt videre eſt apud Hoſtienſem *ibi numer.* 7. *in verbo Debitam*: Henric. Boich. *num.* 19. Ancharan. *n.* 7. Anton. de Butrio *numer.* 17. *verſic. Quæ, quæ erit pœna*. Abb. *num.* 2. *verſic. Nota pœnitentiam Clerici*. Cardinal Zabarell. *num.* 8. & Ioan. de Anania *num.* 7. *verſic. Iſtorum enim*. Abb. *in cap. Excommunicamus, il primo ante num.* 1. *verſic. Secunda corporalis*, & communiter Doctores, quorum catalogum videre eſt apud Farinacium *de Hæreſi q.* 189. *num.* 4.

Et, licèt prædictæ leges decernant, maleficos impęnitentes viuos eſſe comburendos: & Iudices, qui exequuntur ſententias, ſint miniſtri iuſtitiæ, ideòquè ſubdantur legibus, & debeant infligere pęnam à lege præſcriptam, maximè qui agnoſcunt ſuperiorem; nihilominus vſus obtinuit, vt priuſquam igni tradantur, interficiantur compreſſis faucibus, ſiue ſtrangulentur, ad euitandum periculum, ne lenta mors ob magnos cruciatus, in deſperationem reum trahat. Idcircò apud Chriſtianos receptus eſt mos prius ſtrangulandi, quàm comburendi, niſi in aliquo caſu ob ſingulares circumſtantias criminis atrocitas aliud poſtulet: vt in hæreſiarchis, & alijs id generis.

Si autem reus maneat pertinax in malo, & non conuertatur ad cor, nec pęniteat ore obſtructo, & lingua ligata, ne puſillos offendere queat viuus comburitur in crimine hæreſeos, vt praxis Italiæ, & Hiſpaniæ docet. Quod etiam in crimine maleficorum fieri debet: Nam in impęnitenti non eſt timenda deſperatio. Et ratio, vt viui non comburantur, eſt, ne cadant in deſperationem, vel aliud peccatum in maximo cruciatu: vt latè tradunt Couarruuias *lib.* 2. *variarum Reſolut. cap.* 10. *à num.* 9. Iulius Clarus *lib.* 5. § *fin. practic. Criminalis q.* 99. *verſic. Vnum tamen in hoc propoſito notabis*. Et Binsfeldius *tract. de confeſſ. malef. memb.* 2. *poſt.* 7. *concluſionem principalem in quarto dubio.*

Meritò ergo maleficis, vt hæreticis pęna ignis debetur ex Ioan. 15. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*. Ad hunc enim finem illa verba allegantur à Panormitano, Ioanne Andrea, & Hoſtienſi *in cap. Ad abolendam de hæreticis*. Sunt enim Malefici præuaricatores, qui quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi, quæ non tolluntur manibus, igneque comburentur vſquè ad nihilum: vt benè diſcurrit Binsfeldius *loco cit.*

§. XXV.

Iudices Prouincias ab hiſce criminoſis purgare debent. Secus facientes fiunt Rei Culpæ, & Reſtitutionis damnorum.

INuigilent ergo Iudices maximoperè, & omni conatu ſtudeant, & curent, vt Prouinciæ ab hiſce 68
malefactoribus purgentur, præcipientes, eos è medio tolli; nè ſi ex ſua negligentia, & conniuentia Reſpublica, aut eius membra damna patiantur, fiant rei culpæ, & reſtitutionis damnorum: *vt habetur cap.* 1. *de off. Iudic. delegat. & DD. ibidem L. congruit. ff. de off. præſid.* Audiant Dominum clamantem, & verba repetentem *apud Ieremiam* 50. *Gladius ad Chaldæos; gladius ad diuinos: gladius ad fortes illius:* numquid & ipſi clamare poterunt: Ignis ad magos: ignis ad maleficos: ignis ad magicos Curatores, quorum crimina grauiſſima diuinam Maieſtatem lædunt, & Dei Optimi Maximi indignationem prouocant, vt iuſtè nobis iraſcatur? Creſcente enim malitia creſcit, & pęna, quæ commenſuratur culpæ. Si ergo Chaldæi, & diuini ſecundùm Dei ſententiam gladio puniuntur, ſicut & tales capitaliter leges ciuiles *in tit. C. de malefic. & mathem.* multandos ſtatuerunt: cur & iſti malefici ob tot criminum magnitudinem, & multitudinem igne non erunt comburendi?

Nec vlli ſuffragatur dignitas perſonæ.

Nec eis ſuffragari poteſt dignitas perſonæ. Nam 69
licèt de lege communi excuſentur à tormentis perſonæ in dignitate conſtitutæ; vt Doctores, Equites aurei velleris, Decuriones, Capitanei militum, Officiarij Principum, Rectores Ciuitatum, & ſimiles dignitate fulgentes: vt docent Franciſcus Brunus *de indicijs, & tortura par.* 2. *q.* 3. Marſilius *in pract. crimin. in §. Expedita à num.* 27. Iulius Clarus *lib.* 5. *ſent. §. fin. pract. crim. q.* 64. Gandinus *in tract. de maleficijs in tit. de quæſtionibus*. Damhaud. *in prac. crim. cap.* 41. & alij alibi. Excipiuntur tamen crimina Maleficorum: vt extat *in L. etſi excepta. C. de malefic. & mathem.* ſicut etiam crimen læſæ Maieſtatis. *L. nullus. C. ad legem Iuliam Maieſtat.* & proditionis patriæ, Ciuitatum, aut Principum, & ſimilium. *L. Deſertorem. §. His, qui ad hoſtes. & L. proditores. ff. de re militari*. Cum ergo tot leges tum canonicæ, tum ciuiles clamitent in viros magicas actiones exercentes, nullibi equidem ampliùs ſunt tolerandi; ſed vbiuis locorum funditùs tollendi. Et ſi harum auctoritas non ſufficit, ſufficiat vna omnium Creatoris vox ſic præcipientis: *Maleficos non patieris viuere.*

AR.

ARTICVLVS II.

Mulieribus.

§. I.

70 *Citiùs ad maleficia feruntur mulieres*

DIgnum ſanè, quòd viri, qui perfectis greſſibus per viam Dei fortiter, ac viriliter incedere deberent, improbitate, ac malitia relicto primo veritatis lumine cum morte fędus ineuntes pactum facientes cum inferno ſuis operibus peruerſis Altiſſimum contemnunt, pęnis etiam ſuis pro culpis debitis à legibus diuinis, & humanis percellantur. Sed quibus ſupplicijs multandæ erunt mulieres ſagæ, quæ vt malitiam ſuam exſatient, citiùs ad maleficia feruntur; nec eſt nequitia ſuper mulieris nequitiam, clamante ſapientiſſimo Ieſu filio Sirach Eccleſiaſt. 25.? At dicent aliqui iſtarum ſagarum aduocati, *cum pœna non ſint amplianda, ſed reſtringenda*, quia odioſæ. *cap. odia. de regul. iuris in 6. & c. quædam lex. §. quod ſcripſi. & 25. q. 3 cap. tua. de decimis*, mulieres haſce non comprehendi ſub illis pęnis in pręallegatis legibus indictis: cum ibi loquatur tantùm de Magis, Maleficis, Diuinis, & Ariolis; atquè per genus maſculinum ſemper enuncientur? At blaterent, vt lubet, iſti diaboli fautores, quòd ſagæ, ſeu maleficæ à dictis nõ eximuntur legibus, quin & ipſæ eiſdem ſubijciantur pænis. Quamuis enim ſupradictæ leges loquantur in maſculino genere; comprehendunt tamen etiam fęminas: quia maſculinum in materia indifferenti inter maſculum, & fœminam prolatum ſemper concipit, & comprehendit fœmininum. *ff. de verborum ſignificat. l. 1. ff. de legat. l. ſi ita ſcriptum*. Gloſſa. Ioannes Immolenſis. Bartolus *in L. Quicumque de ſeruis fugit.* Marſil. *conſil. 85. num. 20.* Ludouicus Romanus *in conſil. 98. num. 3.* Petrus Ancharan. *in cap. In generali, de elec. in 6.* Archidiac. *in can. Si quis ſuadente. 16. q. 4.* & Binsfeld. *Comment. in tit. C. de malef. & mathem. in princ. notabil. 7.* Quod non ſolùm veritatem obtinet in lege ciuili; ſed etiam diuina: vt rectè annotat Panormit. *in cap. Maiores. de Baptiſmo, & eius effectu. num. 3.* ex illo Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cęlorum.* Ad quod propoſitum poſſet allegari multæ ſcripturæ tàm veteris, quàm noui teſtamenti. Pſal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requieſcet in monte ſancto tuo. Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo.* Matthæi 7. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Dñe intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cęlis eſt: & cap. 25. Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum:* & iterum: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Si enim maſculinum ibi non conciperet fęmininum, cunctæ fęminæ, & à patria cæleſti excluderentur, & à gehennæ pęnis eximerentur.

Quas à pęnis excuſant quidam eorum aduocati

Eorũ excuſatio refellitur.

§. II.

71 *Pęnę præallegatę ampliātur ad mulieres quia non ſunt odioſa, ſed fauorabiles.*

NEc officit, quòd dicant, pęnas eſſe reſtringendas, & non ampliandas, vt potè odioſas; ideoque prædictam regulam, cum ſit in odioſis, non eſſe ampliandam, & ad mulieres extẽdendam. Nam falſiſſimum eſt, prædictas leges eſſe odioſas; immò maximoperè ſunt fauorabiles non ſolùm toti Reipublicæ, & cuilibet perſonæ: quinimò ipſiſmet ſagis, & maleficis:

Primò maximæ ſunt vtilitati Reipublicæ: quia dum iſti facinoroſi vtriuſque ſexus è medio tolli iubentur, non ita contumeliam, & damnum Reipublicæ, eiuſquè membris inferre valent; ſic habetur magis ciuium inter ſe pacificus conuictus, & totius Reipublicæ maior conſeruatio per hoc, vt nemo alterum lædat: vt enim cætera omittam, cum eorum peccatum ſit in vno multiplex quædam colluuies, ſentina, & ſemper repullulaſcens hydra peccatorum: Deus grauiſſimè ſemper offenditur; & ad clades toti Reipublicę inferendas prouocatur maximè: vt his infeliciſſimis temporibus experimur, quibus huius ſectę (quę iam cęteris longiùs proſerpit) flagitia bonorum hominum precibus, & pietati prępònderant; pluſquè illa poſſunt ad irritandum, quàm hæc ad Deum placandum.

Reipublicæ ob conſeruationem.

Secundò leges illę proſunt bonis ciuium moribus. Quamuis enim Magi, Malefici, & Sagę nemini nocerent facto, nihilominus iuuat, eos è medio tolli, ne ſuis pernicioſiſſimis ſceleribus, & nefandiſſimis ſuperſtitionibus alijs noceant ſuo exemplo: vt videmus quotidiè lamias multiplicari, & earum ſermones, atquè opera canceris inſtar ſerpere. Multi enim natura, aut praua conſuetudine ſunt procliues ad ſcelera, qui pęna mortis deterrentur à ſimilibus criminibus perpetrandis iuxta illud Poeticum:

Oderunt peccare mali formidine pęnæ.

Et alij pęnas flagitioſorum perſpicientes formidant; eorumquè exemplo fiunt cautiores: quare tollendi ſunt de medio, quia iuxta illud Salomonis *Prou. 19. Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit.* Vide infra ſub n. 587. & ſeq.

Bonis ciuium moribus ob exemplũ

Tertiò ipſiſmet Maleficis, & Sagis huiuſmodi pęnas fauorabiles eſſe, ac proficuas, quis audeat negare? Niſi enim hi diaboli aſſeclę de medio tollantur, ſed diutiùs tolerentur, maiora aggrauatis ſceleribus ſupplicia ſibi accerſunt, & de die in diem fiunt deteriores. Cumquè ſalutis pars ſit, minùs affligi: optimè illis ad ſalutem conſulit æternam, qui maturè flagitijs eripit. Docet enim experientia vix vllos extra rogum, vel carceres conuerti, & ex maximo numero pauciſſimos excutere illam ſeruitutem duram, & diram niſi ad manus iuſtitiæ deueniant. Quomodo conuertantur, quę domi moriuntur; nec habent qui ad Deum reuocet conſcium peccati eorum quenquam? Poteſt vtiquè Deus ad pęnitentiam etiam domi reuocare: ſed non videmus hoc fieri; quod ſingulari Dei contingit clementia, quę pęnas tantis ſceleribus debitas vult breuiore, & leniore hic ſupplicio expiari.

Ipſis ſagis, & maleficis ob cõuerſionẽ.

Cur ergo leges prędictæ maleficos de medio tolli pręcipientes dicendę ſunt odioſę? Immò vt fauorabiliſſimę, vtiliſſimę, ac ſanctiſſimę admirandę, & obſeruandę, nec ideò reſtringendę ad viros tantùm; ſed & ad fęminas ampliandę, quas imbecillitas ſexus non excuſat, cum ſemper inſignis malitia comitetur; ac propterea in ſua nequitia obſtinatiores, & facinoroſiores in criminibus ſuis perpetrandis.

§. III.

SEd quid immoror in iſtis probationibus? Nonnè de iſtis diaboli mancipijs fit expreſſa mentio in *c. Si per ſortiarias, atquè maleficas, 33. q. 1.* & in Cõſt. 72
Innoc. VIII. *Summis deſiderantes*, vbi expreſsè varia recenſet facinora à pluribus vtriuſq; ſexus perſonis arte dęmonis patratas, quas, pręcipit, debitas criminibus ſoluere pęnas? Sic Alex. VI. *in conſt. cum acceperimus*, diuerſas vtriuſque ſexus perſonas diuerſis incantationibus, & diabolicis ſuperſtitionibus

Expreſsè de ſagis puniẽdis fit mẽtio apud Canones Põtifices

in Prouincia Lombardiæ operam dantes; ſuiſquè veneficijs, & vanis obſeruationibus multa nefanda ſcelera procurantes memorat; ac præcipit Inquiſitoribus, huiuſmodi perſonas vtriuſquè ſexus iuſtitia mediante punire, & compeſcere. Idipſum meminit, ac iubet Adrianus VI. *Conſtit. Dudum uti nobis*. Et ſi attendere velis, quid Theologi, quid Caſiſtæ, quid Canoniſtæ, quid Iuriſtæ, quid Poetæ, quid Hiſtorici, ac Doctores omnes de dæmoniacis miniſtris tractantes referant, inuenies de mulieribus ſagis multa narrare. Cum nihil frequentius audiatur apud illos, quàm nomina magarum, ſagarum, ſortiariarum, lamiarum, ſtrigum, veneficarum, pharmaceutricarum, incantatricum, excantatricum, ſortilegarum, empuſarum; quæ quamuis diuerſa; tamen totam illarum naturam vix explicare valent.

Doctores

§. IV.

Quidam ſagarum patroni eas è numero maleficiorũ eximere ſtudent.

73 AT ex oppoſito inſurgunt nonnulli lamiarum patroni ac defenſores, quorum principes ſunt Ioannes Vuierus Medicus, Franciſcus Ponzinibius, Duarenus, & Godelmannus Iuriſtæ aſſerentes, lamias noſtras è numero magorum, ac maleficorũ eximendas eſſe: quòd earum operationes ſunt niſi imaginationes deluſarum mulierum. Arripiunt occaſionem ex *c. Epiſcopi* 26. *q.* 5. quia deluſas Herodianas ille canon aſſerit, ſic ratiocinantur: *ſi illæ mulieres deluſæ, ergo & noſtræ ſtriges*, & ita deluſæ talia delicta quæ verè ac realiter nõ commiſerunt, in iudicio confitentur; ideòquè, cum delicta eorum non ſint niſi imaginaria, non poſſe à Iudicibus puniri.

Huiuſmodi exemptio ſagis eſt infructuoſa.

Verùm etiamſi certum ponatur, quod dubium eſſe probatur à Spineo *tract. de Strigibus quæſt.* 23. à Binsfel. *tract. de Confeſſ. malefic. in fine in ſolutione ad primum argumentum*, & Delrio *lib.* 5. *diſquiſ. magic. ſect.* 16. *poſt medium*, dictum capitulum emanaſſe à Concilio generali, ac ritè congregato: illudquè ſe extendere ad noſtras ſagas. Quod falſiſſimum eſſe oſtendunt præcitati Doctores, & nos infra docebimus, cum de ſtrigarum fautoribus erit ſermo. Adhuc eorum ſententiam ipſiſmet lamijs infructuoſam eſſe, oportet, ipſi fateantur. Per eam namquè ſupplicio non eripiuntur; quia adhuc ex ipſo *cap. Epiſcopi*, hæreſeos conuincerentur. Ibi enim definiret, tales mulierculas eſſe infideles, & à Deo ad ſuffragia dæmonum deſciſcere. Et rectè definit: quia licèt deluſæ fuiſſent in ſomnis tam (vt optimè ratiocinatur Nicolaus Iaquerius *flagelli faſcinariorum cap. vlt.*) poſtquam euigilarunt recordantes eorum, quæ in ſomnis egerant, putantes, ea verè, & corporaliter à ſe geſta, ratificant pactum, & cultum dæmoni exhibitum; & ſolicitè ſibi cauent ab ijs, quæ in ſomnis dæmon prohibuit; & omnia ſedulò exequuntur, quæ iuſſit facere. Fouent enim pertinaciter voluntatem ad ſimiles conuentus reuertendi; & faciendi quæcumquè arbitrantur ſe illic commiſiſſe, ſacrilegia, ſodomiam, inceſtus, infanticidia, idololatriam, &c. Profitentur ſæpè coram complicibus etiam in iudicio, ſe hæc nolle deſerere. Quare ſunt hæreticæ, & apoſtatæ cenſendæ, licèt hæc nequam voluntas, & opinio ex deluſione naſceretur. Ad cultum enim, & exercitium hæreticæ prauitatis ſufficit, liberè in eam conſentire, & eam acceptare. Sicut ſi aliquis catholicus ſomniaſſet, ſe audire aliquem docentem, vel concionantem: Non eſſe Purgatorium: poſteà verè vigilans putaret, ſe vigilantem hæc audiuiſſe, & memor eorum, quæ ſomniarat argumentorum, huic hæreticæ propoſitioni fidem, ac conſenſum præberet, & animo dictiſquè eam foueret: talis dubio procul haberetur, & eſſet verus hæreticus, & vt talis puniri deberet. Inſuper ſicut qui (ſic arguit Bernardus Cumanus *Lucerna num.* 9.) in ſomnis paſſus eſt illuſionem, quia ſomniabat, ſibi rem eſſe cum aliena vxore; ſi poſteà memor ſomnij complacet ſibi de tali actu propter delectationem, quam indè ſibi viſus percipere ex ſpolio thalami alieni; licèt non peccet ratione ſomnij, qua ſomnium fuit (quia iudicium rationis tum ligatum erat & ideò tum peccare non potuit) mortale tamen adulterij peccatum ſibi conſciſcit ratione complacentiæ ſubſecutæ, & conſenſus pleni in vigilia præſtiti. Nam rectè Auguſtinus ait *Delectari falſo crimine verum eſt crimen*. Deindè quis ignorat, has vigiles multa conari ad hoc crimen: & conatum, qui ad cogitationem acceſſit, pænam in atrocioribus criminibus meritò exigere? *L. quiſquis C. de leg. Iul. Maieſt. L. Si quis non dicam rapere. C. de Epiſcop. & Cler. L. unica. C. Si qua præditus poteſt. L.* 1. *ff. de Extraordin. crimin. L.* 1. *ff. ad leg. Pompeam de parricidijs. L. fugitiuus ff. de verborum ſignific.* Quis ignorat, fautores, & conſcios eadem pæna cum maleficis puniendos? *L.* 1. *§. occiſorum ff. ad S. C. Syllan. L. vtrum ff. ad leg. Pompeam de parricid. §. alia, de public. iudic.* Deniquè patet in *d. c. Epiſcopi* non obſtante deluſione hæreticas declarari, quia dicit: *ſceleratas, & retrò poſt ſathanam conuerſas*: quod eſt, eſſe apoſtatas à fide, dicit: *alios ſecum ad infidelitatis interitum traxiſſe* (quod eſt dogmatizantium) *à recta fide deuiaſſe, fidem perdidiſſe, in errorem Paganorum deuolui, diaboli eſſe, non Dei, & Paganis eſſe deteriores*. Si ergo capitulum iſtud pertineret ad ſtriges, deberent ergo adhuc hodie ſtriges tractari, vt hæreticæ, & à fide apoſtatantes? Quem igitur fructum ex hoc capite percipiunt, quòd illas tam clarè hæreticas pronunciat, & proindè ſubdit pænis hæreticorum?

Quia de hæreſi cõuincũtur & Apoſtatæ cẽſentur.

Quarè cum mulieres ſtriges, vt vt conſiderentur, ſiue realiter, ſiuè deluſoriè ſua facinora patrantes, in malefaciendo, ac horrendis ſceleribus perpetrandis non inferiores, nec infirmiores hominibus ſe exhibeant, à Iudicibus pæna eadem, qua viri iure meritò ſunt multandæ, vt quæ in vita tot flagitia, ac facinora deſerere noluerunt, ab illis ſaltem ipſæ derelinquantur in morte.

ARTICVLVS III.

Pueris.

§. I.

Pueri videntur omni immunes à flagitiis, & conſequẽter à pœnis.

CVm agitur de magicis actionibus, quid commune cum his flagitijs habere poſſunt pueri, 74
quorum ætas, teſte D. Chryſoſt. *homil.* 59. *in Matth. omni arrogantia, omni gloriæ inanis furore, omni liuoris inſania, omni carnalis concupiſcentiæ æſtu, omni auaritiæ appetitu, omnis contentionis cupiditate, cæteriſquè huiuſmodi effectibus eſt immunis*, quæ omnia, & ſimilia ſunt cauſæ ad maleficas actiones perpetrandas diſpoſitiuæ? Sed experientia rerum magiſtra contrarium docet. Cum enim ſit inſatiabilis diaboli cupiditas, ſuum vſquèquaquè dilatandi imperium, nihil magis appetit, quàm ſuorum mancipiorum augere numerum, ideò non ceſſat, vrgere maleficos, & continuè obtundere, vt eos ad ſuorum

Sed experiẽtia contrariũ docet.

cætum

cætum adigant, qui in eorum non ſunt poteſtate. Hinc miſeri miniſtri, vt magiſtrorum ſuorum gratiam aucupentur, ſolent, quotquot ex liberis, & parentibus poſſunt, bonos, & malos impellere ad nomen dandum militiæ diabolicæ. Pater filium nondum puberem deducit ad nocturnos cætus, addit animos pauenti ad inſolita ſpectacula, renitentem dæmonibus offert in pignus obſequij, & iuratæ fidelitatis, inuitumquè ad cuncta maleficorum flagitia ſollicitare non deſiſtit. Mater filiam quaſi ad conſanguinei ſponſalia domo abductam, monitamquè, ne ad vllum rei aſpectum formidet, iiſdem conuenticulis inſerit, oblatamquè lucifero tradit, in eiuſquè verba iureiurando adigit; ideòquè maleficia, ſortilegia, incantationes, ſceleraquè magica quaſi hæreditario iure à progenitoribus communicata exercentur à pueris, qui ſæpiùs patribus nequiores euadunt: vt latè docuimus *diſput. 3. tom. 1. num. 130.* Quibus ergo pœnis multandi erunt pueri huiuſmodi flagitia perpetrantes.

Cum plures eorũ maleficis vacent.

§. II.

75 Audiamus legum interpretes. Certum eſt ex communi Doctorum ſententia, quòd minor impubes, etſi doli ſit capax, in delictis mitiùs punitur, *L. 1. §. Impubes. ff. de minoribus.* Ibi enim ætas excuſationem meretur. Ita ſentiunt Iulius Clarus *lib. 5. §. fin. pract. Crimin. q. 60.* Marſil. *in pract. §. quoniam. n. 96.* Farinac. *de pœnis temperandis q. 92. n. 41.* qui plurimos allegat, quibus addo Cabell. *reſolut. criminal. cent. 2. caſu 134.* Iulium Cæſarem Ruginellum *in ſuis practicis q. lib. 1. cap. 35. per totum,* Ludouicum Gilhauſen *in ſua Arbore iudic. crimin. cap. 5. ramuſculo 3. num. 54. & ſequent.* Præſidem Abauo *de reatibus q. 23. num. 5. & ſeq.* Cæſarem Carenam *tract. de off. Sanct. Inquiſit. part. 3. titul. 9. §. 6. num. 20. & ſequent.* Impuberes autem cenſentur ſecundum DD. *in cap. 1. & 2. de delictis puerorum,* fœminæ vſquè ad 12. annum, maſculi vſquè ad 14. annum quantum ad peccatum carnis. Sic etiam minor ætate excuſatur à pœna ordinaria Sodomiæ. Socinus Iunior *lib. 3 conſil.* Menochius *lib. 2. de arbitr. iud. qq. caſ. 329.* Ideò ſemper illa regula iuris habenda eſt ante oculos, quòd ferè in omnibus pœnalibus iudicijs ætati, & impudentiæ ſuccurrendum eſt. *L. ferè. ff. de regul. iuris.* Si autem minimè ſit doli capax, in totum excuſatur à pœna. *L. infans. ff. ad legem Corneliam, de Sicarijs.*

Quid ſentiendum de pueris impuberibus ex DD. ſententia.

§. III.

76 Si verò quis ſit doli capax, & proximus pubertati, tenetur nõ ordinaria, ſed mitiori pœna. *L. Auxilium. §. in delictis ff. de minoribus.* Quando autem puer ſit doli capax, iudicis arbitrium requiritur. Quidam enim citiùs, quidam tardiùs fiunt doli capaces; & ità nonnumquam etiam contingit, quòd malitia ætatem ſuppleat; quod comprobatur exemplo relato à Ioan. Andrea, Hoſtienſi, Panormit. Ioanne Anania *in cap. 1. de delictis puerorum, ex Dialogis S. Gregorij:* Diabolum è manibus Patris eripuiſſe puerum quendam quinquè annorum iurantem, & blaſphemantem Deum; quod Deus non permiſiſſet, ſi ille infans non fuiſſet doli capax: cum dicat diuina Scriptura *Ezechiel. 18. Filius non portabit iniquitatem Patris,* & communiter Theologi *in 4. ſent.* aſſeuerent, neminem puniri pœna gehennæ niſi pro peccatis proprijs. Non ergo infans ille punitus fuit pro peccatis Patris, ſed pro ſuis proprijs; quę non fuiſſent tali pœna punita, niſi & culpa præceſſiſſet. Aliud parum abſimile narrat Cæſar Carena de quodam puero, in quo malitia ætatem ſuppleuerat: Anno 1636. dum erat ProIudex maleficiorum Ciuitatis ſuæ Cremonæ ſub Illuſtriſſimo D. Don Conſaluo de Salamanca. *Puer, quem in Curia, ait, arbitranti fuimus, non attingere annum 18. quòd in loco Mirabelli occiderit proditoriè quandam mulierem ei ad ſtratam nonnullos aureos ſurripiendo, Curia noſtra exiſtente in voto eſſe in arbitrio Senatus, vel attenta atrocitate delicti eum dãnare ad mortem naturalem: vel ſtante ætate, quam ex aſpectu iudicauimus, eum multare pœna perpetua triremium: Senatus hac vltima pœna eum puniendum iudicauit.* Idipſum confirmat idem Auctor *p. 2. de Blaſphemis tit. 7. §. 16. num. 84.* vbi ait, indiſtinctè non ſolum in blaſphemia; ſed in omnibus alijs delictis ad S. Officium ſpectantibus minorem viginti quinquè annis mitiùs eſſe puniendum, niſi eſſet hæreticus pertinax, & impœnitens. Farinac. *de hæreſi q. 194. §. 2. num. 32.* & Souſa *in Aphoriſ. Inquiſit. lib. 3. c. 32. num. 8.* At Sanctiſs. D. N. fælic. recordationis Vrbanus VIII. ſua ſpeciali Conſtitutione *incipiente Apoſtolatus 23. Martij* 1628. expreſsè ſtatuit, celebrantes, cum Sacerdotes non ſint ſæculari foro eſſe conſignandos, vt vltimo ſupplicio afficiantur, etiamſi minores eſſent viginti quinquè annis dummodo maiores eſſent annis viginti; in quo extendit Conſtitutiones Greg. XIII. & Clementis VIII. contra prædictos criminoſos editas. Nam ante conſtitut. Vrbani VIII. vtique rei prædicti criminis minores viginti quinquè puniebantur citra mortem. Sic Petrus Binsfeldius *Comment. in tit. C. de maleſic. & mathem. in L. Nemo q. 1. poſt concluſ. dub. Quid dicendum ſit de pueris* ſuam explicãs intentionem circa hoc, cum eadem ratio militet, in crimine maleficij, quæ in prædicto crimine, ait: quòd ipſemet non auderet vnquam conſulere iudici in conſcientia, vt in hoc enormiſſimo crimine arbitrium extenderet ad vltimum ſupplicium ante decimum ſextum annum completum, niſi maximæ circumſtantiæ accederent; quamuis de rigore legis aliud fieri poſſet. Sed ante talem ætatem minor eſſet cuſtodiendus intolerabili cuſtodia, & inſtruendus: quo tempore elapſo, ſi non ſit circumſtantijs adiunctis ſpes firmæ, conſtantiſquè conuerſionis, adhuc eſt locus iuſtitiæ.

Quid, ſi proximus pubertati.

§. IV.

Ex quibus omnibus facilè eſt colligere quid agendum cum pueris in materia magiæ, & maleficiorum.

1. Si puer 8. 9. 10. 11. annorum, aut plurium noxius, ac reus maleficij deprehendatur, diligenter incumbendum inprimis, vt ad meliorem frugem, & viam ſalutis reducatur: quia in tam parua ætate aſtutia diaboli, in malorum hominum, etiam nonnumquam, imò vt plurimum propriorum parentum malitia pueri in hoc peccatum ſeducuntur, ſeducti ob ignorantiam teneræ ætatis neſciunt, quid remedij adhiberi poſſit; imò etiam ex inſtructione diabolica tenent in ſecreto, & nemini mortalium extra conſortium more omnium maleficorum reuelant. Contingit tamen quandoquè, vt puto ex ſingulari diuina diſpoſitione, quòd ex ſimplicitate, vel alia cauſa pueri, qui ſecretum tenere non poſſunt, prodant congregationes, & tractatus maleficorum nocturnos: vt ſępiùs experientia eſt cõprobatum. Hi autem communiter, qui minores ſunt 14. annis puniri non debent, niſi ferula, aut virgis terreri

terreri

reri non tam ad condemnandum, quàm inquirendum iuxta illud Dyni relatum ab Alberico *in L.1. §. Impubeſ. in verbo Ferula ff. ad Syllanum. Caſtiga iuuenem ferula, furca ſenem, peccantem iuuenem corrige, pende ſenem.*

§. V.

77 *Quid poſt annum 14. completũ* POſt verò annum 14. completum iudicis arbitriũ poteſt habere locum: an in tam graui crimine in minorem ætatem ſit mortis ſupplicium ſtatuendum ex circumſtantijs occurrentibus in caſu: vt ſi talis diu fuerit in tali crimine: an perpetrauerit plurima alia crimina: vt ſi abnegauerit Sanctiſſimam Trinitatem, Diuinitatem D.N.Ieſu Chriſti, eius Conceptionem de Spiritu Sancto, mortem ipſius, vt nos redimeret, Virginitatem Beatiſſimæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ: vel aliquem per maleficium interfecerit: vel commiſerit rerum ſacrarum abuſum: aut ſodomiam, vel cum dæmone concubitum, ac ſimilia, quibus firmiter intellectu, ac voluntate adhærere comprehendatur, & magno dolo, & aſtutia fuerit præditus, nec ſpes vlla conſtantis conuerſionis, & emendationis effulgeat; imò vt hæreticus pertinax,& impænitens perſeueret: tunc brachio ſæculari eſt tradendus vltimo ſupplicio multandus; ne forte ſi corpori parcatur, & ætati, anima corpore intereat: *vt habetur L. Excipiuntur ff. ad Syllan.* Quod confirmat Simanch. *Catholic. Inſtitut. tit. 29. rubric. de filijs, & minoribus num. 56.* vbi ait: quod Minores viginti annis hæretici, etiam poſt tempus gratiæ redeuntes ad fidem benignè recipiuntur *& num. 58.* vbi, quòd minor viginti annorum doli capax, ſi hæreticus pertinax fuerit, & monitus, atquè conuictus ad Eccleſiam redire noluerit, perinde ac ſi maior eſſet, iudici ſæculari relinquendus, & ab eo in ignem mittendus eſt, *& num. 59.* dixit, attendendam eſſe ætatem, non in qua minor incæpit eſſe hæreticus; ſed in qua contra ipſum cæptum eſt inquirere: quia hæreſis cum minore ſemper creuit, & ſemper ſecum illam habuit, *& in Enchiridion Violatæ religion. tit. 44. rubr. de minoribus num. 2. & ſeq.* vbi eadem repetit *& tit. 47. rubr. de defenſionibus num. 11.* vbi de infante. Binsfel. *loco cit.* Farinac. *de Hæreſi q. 19. §. 2. num. 32. & q. 92 num. 107. in fine & num. 189. 181. & 192.* qui alios allegat loquens de pœnis temperandis. Decianus *crimen. lib. 3. cap. 12. num. 25. & lib. 5. cap. 37. num. 56.* Souſa *lib. 3. Aphoriſ. Inquiſitorum cap. 32. num. 21.* Ruginellus *cap. 36. in ſuis pract. num. 19.* Ludouic. Gilhauſ. *in ſua Arbore iudic. crim. cap. 5. ramuſcul. 3. de exception. num. 67. verſ. neque etiam excuſat.* & Cæſar Carena *de officio S. Inquiſit. par. 2. tit. 7. §. 16. num. 81. & 83. & par. 3. tit. 9. §. 6. num. 27. & ſequent.*

§. VI.

78 *Iudices quomodo ſe gerere debeant in huiuſmodi caſibus.* QVare licèt Iudex in leuioribus, & minoribus criminibus pronior ad abſoluendum, liberandumquè eſſe debeat; in grauioribus tamen atrocioribuſquè, contrarium ſentiendum; maximè quando tendunt in diuinę, humanæquè Maieſtatis offenſam, & communis boni detrimentum iuxta ea, quæ Marſilius *in pract. §. occurrunt num. vlt. in fine libri*, Damhaud. *in pract. cap. 150. num. 6.* & alij alibi: quod multis iuribus probari poſſet. Quia maior eſt fauor diuinæ, humanæquè maieſtatis, & Reipublicæ, quàm priuatarum perſonarum. Ideòque in hoc crimine quando quis reus inuenitur, non facilè eſt banniendus, aut religandus extra fines Prouinciæ, aut Dominij: quia cùm crimen etiam dependeat à cooperatione dæmonis, facillimè nocte redeunt ad ſuos, vt conuentui adſint, quando agitur contra ſalutem patriæ: vt iudices noſtri non rarò percipiunt ex confeſſione reorum. Dum autem eos ſic relegant, adhuc datur eis occaſio, maleficia continuandi, & non ſolùm ſuam Prouinciam nocturno tempore; ſed alias etiam catholicas quouis tempore peſtifero hoc veneno inficiendi: vt rectè admonent Binsfeldius *loco citato*, Præſes Abauo *in ſua Praxi criminali in §. ſortilegium, num. 98. &* Carena *de off. S. Inquiſit. par. 2. tit. 12. §. 31. num. 158. verſic. Et ex hac perpetua.*

Ne ergò huiuſmodi magica opera, ac nefanda, crimina, quæ ij diaboli aſſeclæ eo ſuadente, & opitulante tum in malefaciendo; tum in ſanitate conferenda continuò committere, & perpetrare non verentur, impunita remaneant, in non modicum catholicæ fidei opprobrium, animarum ſuarum periculum, Diuinæ Maieſtatis offenſam, Reipublicæ chriſtianæ perniciem, cunctorum hominum, & animantium, detrimentum, in pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum, à Iudicibus iuxta legum præſcriptum, conſilium peritorum, praxim doctiſſimorum, & proborum virorum non ſolùm nõ ſunt toleranda; ſed penitùs eliminanda, ac punienda in exercentibus viris, mulieribus, & pueris.

SECTIO II.

In Addiſcentibus.

TAm effrænati ſunt ſuperbiæ motus, tàm inexplebiles cupiditatis æſtus, tam faſtuoſi ambitionis impetus, quibus dæmon, vt plures habeat ſectatores, continuè agitatur, quòd vbiquè gentium magicarum artium profeſſores inſtituere contendit, ac fœderatorum numerum augetur, & ita excæcati ſunt homines, vt ad illos accedere non pertimeſcant, vt diſciplinas huiuſmodi magicas conquirant. Ideòquè tales non ſunt tolerandi, ſed coercendi, ſiuè illud fiat Publicè: ſiuè Priuatim, vt ſequentes articuli declarabunt. 79 *Dæmon vbiq. plures inſtituit diſcipulos, Qui non ſunt tolerãdi, ſed puniẽdi. Siue addiſcant Publicè, Siue Priuatim.*

ARTICVLVS I.

Publicè.

§. I.

PVblicas, ac celebres olim magiæ Scholas in diuerſis regnis, & vrbibus extitiſſe, præcipuè Salamanticæ, & Toleti in Hiſpania; & in Italia ad Locum Nurſinum; & in Spelæo Viſignano ex auorum memoria refert Delrius *diſquiſit. magic. l. 2. q. 1. in princip.* Sed vtinam hoc etiam noſtro æuo non ſint plurimi huiuſmodi diaboli partiarij, qui, vt dæmonis augeant partes, magiſtri officio fungentes diabolicis accincti artibus varios diſcipulos inſtruere non ceſſant, ijs nonnulla tradentes pręcepta certoſquè ritus, ac modos edocentes, quibus mira & inſolita tum in laudibus, ac honoribus ab hominibus iniquis, & inſipientibus aucupandis: tum in maleficijs horridis concinnandis: tum in ſanitate ægris conferenda perficere valeant. Quę, ne magicę artis omnium nationum calculis condemnatę rei 80 *Olim plures fuerunt ſchola, quib. magia à magiſtris diſcipulis publicè tradebatur. Plures etiam ſunt hoc noſtro*

aut huiuſmodi magiſtri rei inueniantur, omnia ſua occultæ virtutis naturalis imagine contegere conantur, vt ſub ſpecioſo velamine latitantes impunè ſua flagitia exercere queant.

Ac diſcipuli ſciẽtijs diabolicis vacãtes. Quare huiuſmodi Magiſtrorum diſcipuli inanes, curioſi, & impij dictarum artium notitiam nimis anxiè habere cupientes eis inueſtigandis, & capeſcendis in diuinæ legis offenſionem multipliciter incumbunt. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, cæteriſquè ſortilegijs, & ſuperſtitionibus non ſine dæmonum expreſſa, aut tacita pactione operam nauare non verentur.

Alij verò aliquas priſtinæ, & antiquæ, ac per crucis victoriam proſtratæ idololatriæ reliquias retinentes quibuſdam augurijs, auſpicijs, ſimilibuſuè ſignis, & vanis obſeruationibus aſſiduè intendunt. Alij cum morte fœdus ineuntes, & pactum facientes cum inferno ad occultorum diuinationem, ad inueniendos theſauros, ad maleficia perpetranda, vel ſanitati alicui impertiendam, nefarias magicę artis incantationes, inſtrumenta, & veneficia addiſcunt, quęrunt, & adhibent; circulos, & diabolicos characteres deſcribunt: dęmones inuocant, aut conſulunt; ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt; eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliaue ſacrificia offerunt: candelas accendunt; aut rebus ſacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus ſacrilegè abutuntur: cæteriſquè impietatis operibus execrandis incumbunt, vt ait Sixtus V. Conſtit. *qua incip. Cæli, & terra creator*.

§. II.

81 *In conuenticulis ſecretis, & nocturnis cætibus.* Quæ omnia hi nequiſſimi diaboli partiarij addiſcere conſueſcent: vel in quibuſdam conuenticulis ſecretis, vbi magi, ac malefici condicto tempore conueniunt, vt à magis, ac maleficis primoribus edoceantur. Vel in nocturnis cætibus, vbi à dęmone publicè inſtruuntur, quomodo, & quibus inſtrumentis, ac medijs maleficia concinnare valeant: quibus pharmacis, & medicaminibus valetudinem alteri pręſtare habeant; quæ præcepta neceſſariò ſint adimplenda: pulueres ſpargendos in aera accipiunt, ad fruges, vineas, & ſegetes inficiendas, quibus ſparſis ventorum turbines, & tempeſtates horrendas excitent: cęteriſquè, quibus opus eſt ad magica, ac malefica facinora perficienda optimè imbuuntur: vt de ſeipſo faſſus eſt in iudicio Ioannes de Vaux Stabulenſis Monachus inſignis magus: vt refert Delrius *diſquiſ. magic. lib. 5. Append. 1.*

Quis autem negare audeat, has artes prorſus eſſe fallaces, ac pernicioſas, vanaſque improborum hominum aſtutia dæmonum fraudibus introductas, quibus ſemper diaboli operatio ſe fallaciter immiſceat, vt ſua fraude, ac dolis miſeros homines à via ſalutis auertat, & laqueo damnationis inuoluat? Quod teſtatur Gratianus *cap. Nemo 26. q. 5.* dicens: *Hæc poteſtas immundis ſpiritibus ideò datur, vt per vaſa ſibi apta, hoc eſt, prauos homines ſeducant illos, qui ſpernunt veritatem, & credunt mendacio; & iuxta Pauli ſententiam, ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent; ad fabulas autem conuertentur: onerati peccatis ducentur varijs deſiderijs ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Ioannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ità & iſti reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ſed vltra non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.*

§. III.

Proptereà huiuſmodi magiſtrorum, ac diſcipulorum execrandis flagitijs occurrere volens 82
Puniri iubentur Iure Põtificio. Sixtus V. *Conſtit. Cæli, & terra Creator*, mandauit Epiſcopis, & Inquiſitoribus, aliſquè locorum ſuperioribus, hos nefarios homines cuiuſcumquè dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, pœnis canonicis, aliſquè eorum arbitio coercere: Quæ Conſtitutio roborata eſt ab Vrbano VIII. alia Conſtitutione, *incipiente Inſcrutabilis, extenſiuè ad alia; edita Anno Domini 1631.*

Nec putes, ei parcere leges ciuiles. Nam *C. de malef. & mathem. L. Eorum L. Nemo L. Etſi excepta, & L. Culpa ſimilis.* Seueriſſimis legibus nempè, pœna capitis, vel ignis, aliſquè atrociſſimis plectendos ſancitum eſt. His accedunt aliæ Chriſtianorum Imperatorum leges *in C. de Hæret. L. Omnes vetita* *Iure ciuili.* *legibus diuinis, & imperialibus conſtitutionibus hæreſes perpetuò quieſcant; & nemo vlterius conetur quæ reperit prophana præcepta vel docere, vel diſcere: nec antiſtites eorumdem audeant fidem inſinuare quam non habeant.* Quid enim præfati Magiſtrorum magorum, ac maleficorum diſcipuli in illis cõuenticulis addiſcunt? Non aliam vtique ſcientiam, ac doctrinam, quàm hæreticam, erroneam, & ſcandaloſam: puta dæmoni maximam ineſſe potentiam, nec Deum illam poſſe impedire, ac coercere: qui illi ſeruiunt, & obſequuntur, fore beatos in hoc ſæculo, & in futuro nullis afficiendos pœnis: abſque ſacramentali confeſſione, ſola cordis contritione magos, & maleficos ſaluos fieri: cæteros qui Summo Pontifici Romano obediunt, præſcitos, ac damnatos eſſe; aliaſquè huiuſmodi blaſphemias execrandas, & hæreſes intolerandas. Quibus ſtudentes cum hæretici fiant: vel ſaltem vehementer de hæreſi ſuſpecti, præter pœnas præmiſſas, cæteris tum canonicis, tum ciuilibus, quibus hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos multari ſupra docuimus, obnoxios fieri, nemini eſt ambigendum.

Quarè nè ampliùs ità grauiter Diuina Maieſtas lædatur, fidei integritas violetur, & animabus prætioſo Chriſti ſanguine redemptis peſtis, atquè exitium importetur, Epiſcopis, Inquiſitoribus Magiſtratibus, & quibuſcumquè, quibus incumbit ex officio, ſolicitè eſt inuigilandum, & diligenter inquirendum, vt in profeſſores, Lectores, & Scholaſticos, qui ſupradictas damnatas ſcientias exercent, profitentur, docent, vel addiſcunt, ſeueriùs tum canonicis, tum ciuilibus pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.

ARTICVLVS II.

Priuatim.

§. I.

Experientia rerum magiſtra cum varijs temporibus magicos docuerit præceptores, in ma- 83
Magi, & Malefici vt ſecurius ſuas nus Magiſtratuum quàm ſæpè tradere ſeipſos, dum publicè diſcipulos magicis tentarunt imbuere diſciplinis; alium adinuenerunt modum minus periculoſum, ſecuriorem, ac impræſentiarum vſitatio-

rem.

valeant tradere inſtructiones, priuatim plures ſeducere tentant. Ignorantes per ſigna exhibita In Verbis & Rebus naturalibus. Sapiẽtes Per Libros, & Scripta.

rem. Seipſos enim in alienas introducunt domus: ibi priuatim, ac ſecretò quamplures ſeducere conantur, totis viribus eis perſuadentes, hanc ſcientiam magicam à Deo eſſe profectam, nec in ea aliquid ſuperſtitioſi inueniri; ideò quemlibet poſſe hilari animo, & quieto corde eam ſequi, & amplecti. Quarè ignorantibus, puta, mulierculis, hominibuſquè rudibus, & idiotis per ſigna in verbis, & rebus naturalibus oſtenſa: Sapientibus verò per libros, vel ſcripta nomina varia incognita, plureſquè figuras continentia magicam, ac maleficam artem cummunicare ſtudent.

§. II.

84

Huic malo occurrit Valẽs Imperator præcipiens, libros prædictos perquirere, & concremare. Teſtis oculatus fuit D. Chryſoſtomus.

QVàm autem graue Chriſtianæ Religioni, ac membris eius catholicis horum librorum lectio afferat damnum, optimè nouit ille terrarum orbis Princeps Valens Imperator, cuius iuſſu circa annum 370. magna, & acris fuit facta inquiſitio codicum artium vetitarum; & ad eum finem rectiùs conſequendum cuiuſquè fermè domus penetralia accuratè perluſtrata fuerunt, & innumeri Codices; imò multi voluminum aceruí, congeſti, atquè in conſpectu Iudicum concremati: vt poſt Ammianum *lib.* 19. prodit Baronius *tom.* 4. *Annalium ſub Anno Chriſti* 370.

Ea de cauſa innocenter etiam D. Chryſoſtomus in diſcrimen, à quo tamen diuino præſidio liberatus extitit, deuenerat: vt ipſe teſtis eſt *in homil.* 39. *in Acta Apoſtolorum*, vbi ſic loquitur:

Mota eſt olim me adhuc adolcſcentulo magna tyrannorum hoſtilitas, militibus etiam foris extra ciuitatem ad inſidias poſitis, fortè libellos fortuitò quærebant incantatorios, & magicos. Et qui ſcripſerat librum nondum perfectum in flumen abiecerat, & captus cum poſtularetur ab eo, reddere non poterat; ſed ducebatur per totam ciuitatem vinctus: & cum ità accuſaretur, dedit pœnam. Tunc ego ad martyris ædem proficiſci volens, tranſibam per hortos iuxta flumen cum alio quodam. Ille autem viſo libro, qui in ſuperficie fluebat: primùm quidem putabat linteum eſſe: propior autem factus agnouit eſſe librum, & deſcendens recepit. Ego autem contendebam, vt de communi inuento, & ridebam. Sed videamus inquit, quidnam hoc ſit. Reuoluit partem paginæ, & inuenit ſcripta magica. Accidit autem eodem tempore militem tranſire, qui hoc animaduertens abijt, & timere nos fecit. Quis enim credidiſset, quod è flumine ſumptum ſuſtuliſſemus, cum omnes tunc etiam qui non ſuſpecti eſſent, detinerentur? Et abijcere non audebamus, ne videremur: Idem erat periculum ſi ſcinderemus. Conceſſit igitur Deus, & abiecimus, & poſtea periculis liberati ſumus.

Hæc Chryſoſt. Ex quo apertè conſtat, quàm illis temporibus fuerit periculoſum, & infame habere libros magicos.

Hoc etiam benè perſpectum habuerunt Chriſtiani in primitiua Eccleſia, quorum multi, vt notat Lyranus *ſuper Acta Apoſtolorum c.* 19. veniebant ad Paulum Apoſtolum confitentes peccata, & relinquentes idola: Multi autem ex eis, qui fuerunt curioſa ſectati, ideſt, artes magicas, contulerunt libros, ideſt, portauerunt ad Apoſtolum, & combuſſerunt, ſcilicet, in contemptum diaboli, & honorem Ieſu Chriſti.

§. III.

AT hoc noſtro æuo, quàm huiuſmodi librorum pernicioſorum inoleuerit abuſus, maximè apud corruptam iuuentutem, experientia nimis docet in dies cum maxima Chriſtianę Religionis pernicie, & animarum interitu. Si enim profana, & vaniloquia hæreticorum ſunt deuitanda iuxta D. Pauli monitum *Actor.* 19. eò quòd multum proficiant ad impietatem; & eorum ſermo vt cancer ſerpat; multò magis profectò librorum magorum & maleficorum lectio cauenda; ſcriptura enim manet, & vox perit; & ea, quæ permanent, fortiùs imprimunt in animum, magiſquè mouent. 85

Hoc noſtro æuo valdè inoleuit dictus abuſus nẽpè dictorũ lectio librorum

Quæ prohibetur

Sed audiant iſti diaboli partiarij, eorumquè diſcipuli leges Pontificias prohibentes, quoſcumquè magorum, & ſortilegorum retinere libros.

Iure pontificio excommunicatione nemini reſeruata.

Sic enim cauetur in Extrauaganti Ioannis XXII. *relata in Direct. Inquiſ. par.* 2. *quæſt.* 43. *num.* 9. Poſtquam locutus eſt de magorum, ac maleficorum delictis abominandis, addit: *Monemus omnes, & ſingulos renatos fonte baptiſmatis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione anathematis, præcipientes eiſdem, quòd nullus ipſorum aliquid de peruerſis dogmatibus docere, ac addiſcere audeat.* Et paulo infra. *Qui contra noſtra ſaluberrima monita, & mandata facere de prædictis quicquam præſumpſerit, excommunicationis ſententiam promulgamus; quam ipſos incurrere volumus ipſo facto; & contra tales, ſi admoniti infra dies octo à monitione computandos præfata, à præfatis non ſe correxerint; præter pœnas prædictas ad infligendas pœnas omnes, & ſingulas, quas de iure merentur hæretici per ſuos competentes Iudices procedatur.* Deindè ſtatuit, ac præcipit, quòd *nullos eorum libellos, ſcripturas quaſcumquè de præfatis damnatis erroribus quicquã continentes habere, aut tenere; vel in ipſis ſtudere præſumat; ſed abolere, & comburere teneantur.* Qua excommunicatione ligantur omnes retinentes libros Clauiculæ Salomonis, Pſalmodię, Cornelii, Agrippæ, libros, & ſcripta Petri de Abano, quæ de magia tractant, & id generis.

Poſt ſupradictas canonicas pœnas, aliæ extant in Bulla Sixti V. *Conſtitut. Cæli, & terræ Creator* contra retinentes libros Aſtrologiæ iudiciariæ Chiromantiæ, Necromantiæ, & ſimilium artis magicæ ſortilegorum, incantatorum, & diuinatorum: vt dixi *in præcedenti articulo*. Quos magicos libros ſiuè impreſſos, ſiuè manu ſcriptos nec legi, nec retineri poſſe, ſed igni tradendos eſſe præter ſupradictam Exſtrauag. Ioan. XXII. etiam ſtatutum eſt tum iure antiquo, vt in primitiua Eccleſia; tum ex Conſtitutione Pii IV. & Clementis VIII. *in Regulis Indicis librorum prohibitorum auctoritate Concilij Tridentini Reg.* 9.

Huiuſmodi autem excommunicationes à prædictis Summis Pontificibus contra magorum, ac ſortilegorum libros retinentes, aut legentes nemini reſeruantur: vt communiter ſentiunt Doctores. Veruntamen aliud poſtmodum decretum emanauit factum in Congreg. Generali S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis ſub die 3. Maii 1601. quo ſub pœna excommunicationis maioris ipſo facto incurrenda S. officio reſeruata, nec non ſub aliis pœnis in ipſo decreto contentis prohibetur Fratribus Ord. S. Franciſci de obſeruantia retinere, aut quouiſmodo habere, ſeù legere ſcripta, vel libros Geomantiæ Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Chiromantiæ, & Necromantiæ, ſeù continentes incantationes ad amorem, inuocationes dæmonum,

abuſus

abuſus Sacramentorum, Sacramentalium, rerum Sacrarum, & benedictarum, remedia ſuperſtitioſa infirmitatum, ad theſauros inueniendos, ſeù quæuis ſortilegia; ſed cum primum ad cuiuslibet ipſorum manus huiuſmodi ſcripta, & libri quouis modo peruenerint, etiam occaſione audiendi Confeſſiones Sacramentales Ordinarijs locorum, ſeù Inquiſitoribus, vel eorum Vicariis reſpectiuè inter 24. horas realiter, & cum effectu conſignare, & tradere debeant.

§. IV.

86 *Si verò copulatiuè concurrunt quatuor ſequentes conditiones, tunc legentes, vel retinentes ſunt excommunicati excommunicat. Bullæ Cænæ Domini.*

QVando autem prædicti magorum, & ſortilegorum libri, ſiuè quorumcumq. aliorum ſint alicuius Auctoris hæretici, & aliquam contineant hæreſim, illos ſcienter retinentes publicè, vel occultè quouis ingenio, vel colore abſq. licentia, & auctoritate ſedis Apoſtolicæ ipſo facto incurrunt in ſententiam excommunicationis Bullæ Cænæ Domini, cuius abſolutio reſeruata eſt Summo Pontifici, vt latè docet Martinus Nauarrus *lib. 5. Conſil. in tit. de Hæret. Conſil. 3. n. 1. & Conſil. 8.* Homobonus *de Exã. Eccleſiaſt. tom. 1. tract. 7. c. 2. q. 9. ibi reſolutio*, Azorius *par. 1. lib. 9. c. 16. q. 6.* Ignatius Lupus *p. 3. Comment. Edicti S. Inquiſit. lib. 25. diſt. 6.*

Ex quo colligitur, vt dicantur incurrere in Bullam Cænæ Domini huiuſmodi libros retinentes, vel legentes, quatuor, oportet, copulatiuè concurrant cõditiones; quarum vna deficiente non incurrunt: ligãtur tamen excommunicationibus latis à ſupradictis Pontificibus, ſi malo fine id faciant.

Primò requiritur, quòd libri, qui leguntur, retinentur, &c. ſint libri hæreticorum.

87 *Prima conditio. Vt ſit liber Auctoris hæretici.*

1. Ex qua concluſione ſequitur, quòd legentes libros infidelium, vt librum Talmud, Magazor, cæteroſq. nefarios impiorum libros non incurrunt excõmunicationem hanc; ſed aliam latam à Pio IV. & à Clemente VIII. in Bullis poſitis in Indice librorum prohibitorum. Ità cenſent Leonardus Duardus *ad Bullam Cænæ lib. 2. can. 1. q. 35. num. 3.* Sanchez *in ſum. l. 2. c. 10. n. 22.* Suarez *de Fide diſp. 20. ſect. 2. n. 11.* P. Pueronus Abbas Oliuetanus *in Bulla Cænæ c. 1. n. 196.* Naldus *in ſum. verbo libri n. 9.*

2. Non incidunt, qui in libro Auctoris catholici legunt hæreſes hæretici ad verbum inſertas, quamuis praua intentione, ſcilicet, hæreſim addiſcendi: quia in Bulla Cenę non punitur affectus; ſed factum. Iſti autem non legunt hæretici librum. *Vbi autem opus eſt facto, non ſufficit intentio. L. Non omnes §. finis ff. de re militari.*

3. Ad incurrendam hanc cenſuram non eſt neceſſe, auctorẽ libri eſſe damnatum: ſed ſufficit eſſe quomodocumquè hæreticum. Ità contra Graffium Sanchez vbi ſupra, & Suarez *de Fide dicta ſect. 2.* Pater Pueronus *ibidem num. 173.*

4. Dicta particula comprehendit libros Schiſmaticorum, qui ſimul ſunt hæretici, cum verè hi baptizati ſint. Ita Sanctarellus de hæreſi *c. 13. n. 17.* Barboſa *in c. fraternitati n. 3. de hæret.* Suarez *vbi ſupra.* Sic legentes libros Armenorum, & Græcorum, qui ſunt hæretici. Ita Ferdinand. à Caſtro Palaõ *in opere moral. tom. 1. tract. 4. diſput. 2. §. 1. num. 1.*

5. Extenditur dicta excommunicatio etiã ad legentem librum in ea parte, in qua nulla eſt hæreſis. Ita Sanchez *l. 2. n. 35.* quia totus liber eſt prohibitus latè Sanctarellus *d. cap. 13. num. 12.* Carena *de Off. S. Inquiſit. par. 2. tit. 10. §. 1.*

6. Legentes Scholia hæreticorum in libris catholici Auctoris: vel annotationes Auctoris hæretici non incidunt in dictam excommunicationem. Ità cenſent Layman *lib. 2. tract. 2. c. 14. num. 2.* Quod intelligendum, ſi ſcholia, & annotationes eſſent quid minimum; Nam tunc verè non poſſent dici libri hæreticorum. Secus ſi ſcholia hæretici adeò eſſent ampla, & annotationes tam copioſæ, vt ex ipſis magis quàm ex catholica doctrina creſceret volumen, vt potiùs liber hæretici, quàm catholici cenſeretur.

Secundò requiritur, vt liber hæretici hæreſim contineat: vel de religione tractet. 88

Secunda conditio Vt contineat hæreſim, vel de Religione tractet.

Quid autem ſit, librum hæreſim continere: vel de Religione tractare: dico illos de hæreſi tractare, quorum argumentum eſt de hæreſi, ad differentiam illorum, qui ſolummodò obiter de illa tractant. Illi verò dicuntur tractare de Religione, qui pertinent ad explicationem fidei, ſacræ ſcripturæ, ac Theologiæ Scholaticæ: nec non illi: qui de cultu Dei, de Clericis, de Monachis, moribus chriſtianis, & conſcientia: Sic Duardus *in Bulla Cænæ lib. 2. q. 39. & 40. concluſ. 2. num. 23.* Sanchez *lib. 2. diſt. cap. 10. num. 33.* Suarez *de fide diſputat. 2. ſect. 2. num. 28.* Bonacina *de Cenſuris diſputat. 2. quæſt. 5. punct. 4.* Sanctarellus *de hæreſi cap. 13. num. 10. & 11.* Marius Alterius *de Cenſuris tom. 1. lib. 5. diſput. 2. cap. 6.* P. Pueronus *vbi ſupra num. 178.* & Ferdinand. à Caſtro Palao *vbi ſupra num. 7.* Ex hac conditione colligitur, eum, qui legeret librum hæretici, qui ex profeſſo hæreſim non contineret; nec de Religione tractaret; licèt aliquam hæreſim contineret, ob hoc non incideret in hanc excommunicationem huiuſce Bullæ. Ita Filiuc. *q. mor. t. 2. tract. 22. c. 7. n. 204.* Souſa *in expoſitione huiuſce Bullæ diſp. 3. c. 2. concl. 2.*

Tertiò requiritur, vt ſcienter legantur, retineantur, &c. Vndè ſufficit ad euidendam hanc cenſuram, vel ignorare librum eſſe hæretici: vel etiam ſi hoc ſciatur, ignorare, quòd hæreſim contineat; vel de Religione tractet. Ita Sanchez *vbi ſupra num. 38. & 39.* Duardus *q. 36. 37. & 38.* Sanctarellus *d. cap. 23. num. 15.* qui alios allegat, Souſa *in Aphor. Inquiſit. lib. 1. c. 21. num. 22.* Naldus *in ſum. in verbo Bulla Cænæ num. 15.* Vbi ait: Quòd in Bullã incidunt etiam Aromatarij, qui chartis vtũtur libri hęretici ad inuoluendum obſonia. Ita Scortia *in Select. Pontif. conſtit. Theor. 410. verſ. ſeptimò.* 89

Tertia conditio Vt ſcienter legãtur vel retineãtur.

Quartò requiritur, vt id fiat abſquè licentia Papæ, qui ſolus poteſt hanc licentiam dare: vt probat Sanchez *dicto cap. 10. num. 43.* Suarez *dicta ſect. 2. num. 27.* & Carena *de Off. S. Inquiſit. par. 2. tit. 10. §. 1. num. 9.* 90

Quarta conditio. Vt id fiat abſquè licentia Papæ.

Ex hac conditione ſequitur, Lectores, ſiuè quocumquè alios retinentes, vel legentes dictos hæreticorum libros hæreſes continentes abſquè licentia Summi Pontificis, ſed propria auctoritate, etſi bona intentione id faciant, puta vt tales confutent hæreſes, dictam incurrere excommunicationem Bullæ Cænæ Domini.

§. V.

91 *Prædictos libros legentes, vel retinentes, vt hæretici præſumuntur, & ideò denunciandi Sanctiſs. Inquiſitionis tribunali, ac puniendi*

PRædictos omnes huiuſmodi libros legentes, vel retinentes hæreticos pręſumi, & vt hæreticos Tribunali S. Inquiſit. eſſe denunciandos, & de hęreſi poſſe condemnari, eo ipſo quòd libri hæreſis penes aliquem reperiuntur, ſentiunt Ludouicus Rom. *in ſingulari 323. incipient. eo ipſo, quod libri hæreſis &c.* Albericus *in L. Quicumquè. C. de hæretic.* Hippolit. Marſil. *in pract. criminal. §. diligenter. n. 92.* Idem *in conſil. 23. incip. Miſericordia Domini n. 34.* Archidiac. & Ioan. Andr. *in c. Filij de hæret. lib. 6.* Carrer. in

in tract. de hæret. n. 135. Ioannes Fantuccius, & nonnulli alij in *c. Sanè profertur* 24. *q.* 2.

Quorum ſententia roboratur Conſtitut. Martini V. *edita de Anno* 1418. *incip. Inter cunctas relata per Franciſcum Pegnam poſt Director. Inquiſitorum inter litteras Apoſtolitas folio mihi* 88. & Conſtitutione Leonis X. *edita de Anno* 1510. *incip. Exurge Domine verſ. Inſuper, quia errores præfati & verſ. inhibemus præterea*. In qua ſtatuitur, vt hæreticos puniri non ſolùm imprimentes, & publicantes; ſed etiam legentes, & retinentes libros Martini Lutheri: Nec non Conſtitutione Iulij III. *edita de Anno* 1550. *incip. cum meditatio cordis relata per Pegnã vbi ſupra folio mihi* 148. Qua cauetur, retinentes libros damnatos incurrere pænas hæreticis inflictas.

Veruntamen huiuſmodi poſitio non mihi probatur; ſed aliqua, mihi videtur, limitatione indigere: cum nullo iure hoc caueatur, vt notat Pegna *p.* 2. *cõ.* 3. *verſ. Horum tamen*. Neque ratio, aut ius patiatur, vt ex ſola præſumptione de tanto crimine, quale eſt hæreſis, quiſpiam damnetur *c. litteras de præſumptionibus*, niſi alia concurrant puta, libri detentorem etiam eſſe hæreticum: vel libri hæretici compoſitorem. Nam compoſitio libri hæretici ſine accuſatore aptiſſimè Auctorem deſignat, & conuincit, hæreticum eſſe. Ita ſentiunt Maximus Epiſcopus Aquileienſis *in Concilio Lateranenſi ſub Martino eius nominis primo circa annos Domini* 645. Repertorium Inquiſiſ. *verb. Libri*. §. 1. Ioannes Roias *de ſingularibus fidei ſingul.* 124. *num.* 1. Simanchas *Catholic. Inſtitut. tit.* 38. *rubr. de libris, & ſcriptis n.* 2. Zanchinus *in tract. de hæreticis cap.* 7. *n.* 7. Arnaldus Albertinus *in tract. de agooſcendis aſſertionibus catholicis, & hæretic. q.* 28. *n.* 1. *& ſeq.* & alij apud Farinacium *de hæreſi q.* 180. §. 1. *num.* 33.

§. VI.

92 *Quæ omnia procedũt in foro fori.*

SEd prædicta omnia procedunt in foro fori, in quo vtiquè omnium prædictorum ſententia præfatos libros legentes, vel retinentes, vt ſaltem de hæreſi vehementer ſuſpecti ſunt habendi; ideòque vt tales Tribunali S. Inquiſitionis denunciandi, ac puniendi. In foro autem poli, & ſacramenti Pęnitentiæ excluditur præſumptio, credendo pęnitenti pro ſe, & contra ſe.

Quibus autem pęnis corporalibus, ac temporalibus huiuſmodi criminoſi ſint multandi, ſtatuit Lex ciuilis. Nam *L. ſimilis culpa. C. de maleſ. & math.* non tantùm magicas artes addiſcẽtes, ſed & docentes equuleo torqueri, vnguliſquè ſulcantibus latera iubentur pęnas perferre dignas facinore proprio. Quod habetur etiam apud Iulium Paulum *lib.* 5. *Receptarum ſent. tit.* 25. *ad L. Corneliam, de ſicar. & veneſ.* vbi ſtatuitur, quòd libros magicæ artis apud ſe nemini habere liceat. At penes quoſcumquè reperti fuerint, bonis ademptis, combuſtiſquè his publicè in Inſulam deportentur. Humiliores verò capite puniantur.

Cum ergo leges tam canonicæ, quàm ciuiles has magicas deteſtentur artes; iubeantquè docentes, & addiſcentes, necnon eiuſdem artis libros legentes, ac retinentes grauiſſimis coerceri pęnis, ſatius quidèm erit, antequam eorum crimina ad Iudices deferantur, pęnaſq. ſuis debitas flagitijs ſuſtinere cogantur, miſericordiam Dei præuenire, & implorare, corde puro, & contrito pęnitentiam agere: ad ſuperiores abſolutionis poteſtatem habentes confugere, libroſquè hoſce magicos conſecrandos Vulcano Inquiſitoribus deferre.

SECTIO III.

In Fauentibus.

ENormiſſima quidem, ac nefandiſſima eſſe crimina, quibus Magi, ac Malefici tam exercentes viri, mulieres, ac pueri; quàm addiſcẽtes ſiuè publicè, ſiuè priuatè obnoxij fiunt, nemo ſanæ mentis dubitare poteſt: cum expreſsè in diuinæ Maieſtatis offenſam, Eccleſiæ dedecus, hominum perniciem, ac totius Reipublicæ chriſtianæ detrimentum ea committant; ac perditi alios perdere non deſinant; ſeducti alios in errore, & malitia ſeducere tentent. Sed vndènam hoc crimen ſic longè, latèquè ſuum diffundit virus; ità vt ſine moleſtia ingenti, labore improbo, ac difficultate maxima aliqua ex parte extirpari valeat, ſicut experientia rerum magiſtra apertè docet in dies? Non vtiquè aliundè, niſi ex cuiuſcumq. ſtatus, conditionis, ſexus, ac religionis fauentiũ maleficis, & ſagis magno numero. Hìc autem fauentium, ſeù fautorum nomen latè ſumimus, prout eo quoquè comprehendi poſſunt eos non punientes, nõ denunciantes, defendentes, occultantes, laudantes, conſulentes, vel officium S. Inquiſitionis, eius miniſtros, vel denunciatores, & alios huiuſmodi impedientes. Quos omnes magorum, ac Maleficorũ fautores duobus modis cici poſſe, docet Nicolaus Eymericus 2. *par. Direct. Inquiſ. q.* 53. ſcilicet, Omittendo, & Committendo, vt patebit duobus ſeq. art. 93

Artes magicę, & maleficæ virus diffunditur ob magorũ, ac maleficorum plures fautores.

Qui duobus modis eis fauere dicuntur Omittẽdo, Committẽdo.

ARTICVLVS I.

Omittendo.

§. I.

MAgis, ac Maleficis fauere dicuntur omittendo, ſeù omiſſiuè, qui circa magos, ac maleficos; vel ſuſpectos de magia, ac maleficio; vel per indicia euidentia infamatos ea facere omittunt, aut negligunt, ad quæ vel ex eorum officio, vel ex edicto Sancti Officij obligantur. 94

Magis, ac maleficis fauent omittẽdo.

Horum primi occurrunt Iudices, quibus huiuſmodi crimina punire ex officio incumbit. At quia magorum, ac maleficorum delicta ſunt mixti fori, prius examinandum, quis ſit eorum iudex competens.

Alij ex officio Iſti ſunt Iudices qui negligũt eos punire.

Pro cuius difficultatis ſolutione dico breuiter ex Binsfeldio *de Confeſ. Maleſ. & Sagarum prel.* 14. *fol. mihi* 119. Sortilegia, ſeù crimina magorum, ac maleficorum dupliciter conſiderari poſſe. Vno modo vt hæretica ſunt: vel ſapiunt hereſim. Et in hoc caſu eorum cognitio ſpectat ad Iudicem Eccleſiaſticum: vt patet *ex l.* 6. *de hæret. c. in fidei fauorem & c. Accuſatus*. §. *ſanè*: cum hoc diſcrimine, quòd de iure antiquo ad Inquiſitores tantùm ſpectabant ſortilegia, quæ manifeſtam ſapiunt hæreſim, quæ verò ſapiunt hęreſim, ſed non manifeſtam, hæc ad Epiſcoporum pertinebant, vt pluribus probat Farinacius *de hæreſi. q.* 181. §. 4. *n.* 91. & Conſtit. Alex. IV. *edita de anno* 1258. *incipit*. *Quod ſuper. verſic. Ad illud. relata per Franc. Pegnam inter lietras Apoſtolicas folio mihi* 30. At de iure nouiſſimo Inquiſitores cognoſcunt de omnibus ſortilegijs etiam ſimplicibus, & priuatiuè quoad Laicos ex vigore Conſtit. Inn. VIII. *incipient*. *Summis deſiderantes affectibus*. Alexandri VI. *incipient. Cum acceperimus*. Adriani VI. *incipien. Dudum*, & Sixti V. *incip. Cæli, & terre Creator.*

Quinam ſint iudices magorũ, ac maleficorum. Quando eorũ punitio ſpectet Ad Iudices eccleſiaſticos.

Altero

Quando ad Iudices ſeculares.

Altero modo ſortilegia ſiuè opera Magorum, ac Maleficorum conſiderari poſſunt, vt ex eis varia delicta oriuntur contra bonum publicum Reipublicæ, damna contra iuſtitiam, & communem pacem: vt homicidia, furta, latrocinia, damna in vineis, cædes animalium, & ſimilia: in hoc caſu Iudex laicus eſt competens iudex iſtorum flagitiorum. Quod repetit Binsfeldius *in ſecundo membro poſt 6. concluſ. principalem in 2. dub. verſic. 3. Siuè hoc crimen conſideremus. folio mihi* 275. Hanc traditionem Binsfeldij ſecutus fuit Io. Griuell. *in ſuis deciſionib. Senatus Dolani. deciſ. 33. num. 3. verſic. quod ſine dub.* Et confirmat Cæſar Carena *de officio Sanctæ Inquiſ. p. 2. de ſortileg. tit. 12. §. 16. num. 151. & ſequent. plures allegans Auctores*. Idem teſtatur Martinus Delrius *Diſquiſit. magic. lib. 5. ſect. 14. in fine verſ. Et quia crimen*, vbi dixit, crimen maleficij, & ſortilegij eſſe mixti fori; & quòd propterea ſi abſolutus in Curia ſæculari non fuit ab ea punitus ſufficienter, poterit Iudex eccleſiaſticus maiorem, quam meretur, pęnam infligere. E contra ſi maleficus, & ſortilegus fuerit leuiter caſtigatus à Curia Eccleſiaſtica, poterit tunc Iudex ſęcularis ſeueriùs punire, & damnare etiam ad mortem: neque tunc cenſetur quis pro eodem crimine bis punitus: quia vtraque punitio pro eadem continuata habetur. Et ibidem *ſect. 12. §. Porrò.* dixit: Quòd maleficus, ſeù lamia, quando receptus eſt ad pęnitentiam à Iudice Eccleſiaſtico, poteſt capi à Iudice ſæculari propter damna temporalia varijs illata; & ab eodem Iudice ſęculari condigno ſupplicio puniri. Quod confirmat Farinacius *de hæreſi q. 181. §. 4. num. 92.*

§. II.

95 *Quomodo detur præuentio in hoc crimine.*

HInc in huiuſmodi crimine datur præuentio. Nam ſi malefici fuerunt primo loco carcerati à Iudicibus ſæcularibus, poſtea Inquiſitoribus petentibus remiſſi propter incidentem hęreſim, vel ſuſpicionem hęreſis; Inquiſitoreſq. hęreſi non inuenta: vel ſi inuenta, iam per torturam, abiurationem, ac pęnitentias condignas purgata, illos Iudicibus ſecularibus puniendos reſtituunt; & tunc ipſi ſæculares Iudices poſſunt hos maleficos, & ſagas punire etiā de infanticidijs, & alijs criminibus non ſapientibus hæreſim; non quidem ex proceſſu coram Inquiſitoribus fabricato; ſed cum eorum proprio proceſſu: vt per Simanch. *Cathol. Inſtitutionum tit. 37. n. 18. & 19.* Campeg. *in additionibus ad Zanchinum in tract. de hæretic. cap. 22. lit. C. verſ. Subdit alterius*, & Farinac. *loco cit. §. 1. num.* 48.

§. III.

96 *Epiſcopi, Inquiſitores, Miniſtri eorum non punientes magos, & maleficos hæreticos gratia, Vel Odij. Vel Amoris: Vel Lucri: Vel Alterius commodi: Vt hæreticorum fautores habētur.*

INprimis ergo cum Magorum, ac Maleficorum Iudices ſint Inquiſitores, vel Epiſcopi, vt potè eorum, qui ſunt vel hęretici, vel ſaltem vehementer de hæreſi ſuſpecti: Si maleficij crimen, vel quodlibet eorum opus cum hæreſi ſit coniunctum, Epiſcopi, Inquiſitores, & eorum miniſtri, ac familiares, ſi odij gratia, vel amoris, aut lucri, vel alterius commodi eos non puniant, & contra ipſos procedere omiſerint, vt hæreticorum fautores ſunt habendi. Si Iudex fuerit Epiſcopus, pænam ſuſpenſionis ab officio per triennium: Inquiſitores verò, & reliqui eorum miniſtri excommunicationis ſentētiam ipſo iure incurrunt. *Text. eſt in Clem. 1. §. il ſecondo. extra de pænis. & in cap. excommunic. il primo. §. Volumus. de hæreticis*, latè Pegna *ad Directorium Inquiſ. par. 2. comm. 2. verſic. Si de Epiſcopis.* Anchar. *numer.* 11. Ioannes de Imola *num. 3. verſ. in verbo verum*. Farinac. *de hæreſi. q. 182. num. 24. & q. 186. num. 145.* Sanctarellus *de hæreſi cap. 11. num. 2. qui plures alios allegant*.

Et præter ſupradictam excommunicationem, à qua non poſſunt abſolui, niſi per Romanum Pontificem, præterquam in articulo mortis, & tunc ſatisfactione præmiſſa, &c. Inquiſitores, & eorum miniſtri incurrunt aliam excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini latam contra hæreticorum fautores. Hoc voluit Toletan. *in ſumma interpretatione eiuſdem Bullæ Cęnæ Domini, in verb. Excommunicatio 1. n. 20.* & Bartholom. Vgolinus *in tr. de cenſuris Pontifici reſeruatis p. 2. in Gloſſa Fautores*.

97 *Excepta cauſa vitandi ſcandala. Et ignorantia quòd ſint tales.*

Hoc tamen intelligendum eſt, niſi Epiſcopus; vel Inquiſitores tales Magos, ac Maleficos hæreticos permitterent ad euitanda maiora ſcandala: vel vbi ignorant, eos eſſe hęreticos. Ita colligitur ex textu in dicta Clement. 1. *§. verum de hæreticis.* Caietan. *in ſumma, in verbo Excommunicatio cap. 3.* & alijs apud Farinacium *q. 186. de Hæreſi. §. 8. num. 145. & 146.* Similiter Epiſcopus non incurrit excommunicationem propter huiuſmodi negligentiam; ſed ſuſpenſionem ab officio, vt dixi, ipſo iure per trienniū; ac deponi debet ab Epiſcopatu, & alter ſubſtitui: vt habetur ex eadem Clement. *c. Excommunicamus, il primo §. volumus. extra de hæreticis*: Ita Farinacius *q. 182. de hæreſi n. 24.* plures allegans Doctores.

§. IV.

98 *Principes, & Domini temporales, ſi ab Eccleſia moniti negligunt punire magos, & maleficos hæreticos, vt hæretici præſumūtur.*

PRincipes, Domini temporales, Magiſtratus, Marchiones, Comites, Rectores Ciuitatum, Moderatores Prouinciarum, ſi ab Eccleſia moniti neglexerint, Magos, Sagas, ac Maleficos hæreticos in eorum ſtatu, prouincia, ciuitate, ac iuriſdictione cōmorantes extirpare, præter pęnas tum à iure ciuili; tum canonico contra huiuſmodi tranſgreſſores latas, de quibus Farinacius loc. cit. n. 15. non ſolùm dicuntur fautores hęreticorum; ſed etiam præſumuntur hæretici; & plus puniri debent, quàm ipſi hæretici: vt habetur ex textu *in c. 2. extra de hæreticis*, & per notata ad illum textum per Pegnam *in additionibus ad Eymericum in Directorio Inquiſ. p. 2. comment. 2. verſ. Si de Epiſcopis*, & Iacob. de Graſſijs *lib. 4. ſuarum Deciſionum cap. 18. num. 20. verſ. Qui habent iuriſdictionem.*

§. V.

99 *Si requiſiti omittunt, eos inueſtigare, & capere, ſuſpecti ſunt de hæreſi.*

DOmini temporales, ac Iudices ſæculares, qui requiſiti omittunt, inueſtigare, ac capere huiuſmodi Magos, ac Maleficos hęreticos, ſuſpecti ſūt de hæreſi, & hęreticorum fautores cenſentur, textus eſt *in c. excom. §. moneantur, de hæret.* latè Farinac. *loc. cit. n. 15. 16. & ſeq.* & Cæſar Cęrena *de off. S. Inquiſit. p. 2. tit. 4. §. 1. n. 5.* plures cumulātes Doctores.

Nihilominus, ſi huiuſmodi Magi, ac Malefici non ſunt hæretici, ſed tantùm de hæreſi ſuſpecti, quod raro euenit; tunc prædicti Epiſcopi, Inquiſitores, Domini temporales, Magiſtratus, ac Iudices ſæculares, cæteriq. huiuſmodi negligentes eos punire, vel extirpare, non ſtrictè hęreticorum, ſed Magorum, ac Maleficorum dicuntur fautores, nec in Bullæ Cœnæ Domini contra hæreticorū fautores latā excōmunicationē; ſed in aliā latā in Edicto S. Inquiſ. cęteraſq. pęnas à ſacris canonibus, decretis, cōſtitutionibus, ac Bullis Pontificijs, contra eorum, qui de hæreſi ſūt ſuſpecti, vel diffamati, fautores, incurrere cenſentur.

Prædicti autē omnes præter prædictas pęnas, tenentur

Et tenẽtur ad reſtitutionem dãnorum.

etiam ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ Reipublicæ, vel eius membris ſequuntur ex eorum conniuentia: vt habetur *c.1.de off. iudic. deleg. & L. congruit. ff. de off. preſid.* cum huiuſmodi punire criminoſos, illis incumbat ex officio.

§. VI.

§.2. Alij ex Edicto S. Inquiſitionis tenentur denũciare magos, & Maleficos. Secus facientes ſunt excommunicati ex Edicto S. Inquiſit. Iure canonico. Conſtitutionibus Pontificijs. Ratio dictat.

100 ALij ex edicto Sanctæ Inquiſitionis tantùm magorum, ac maleficorum dicuntur fautores, qui non ex officio, vt primi; ſed ex charitate tantùm Sanctæ Inquiſitionis Tribunali eos denunciare tenentur.

Quando ergo maleficium, ſeù magorum, ac maleficorum crimen coniunctum eſt cum hæreſi, tenentur omnes ex præcepto Edicti Sanctæ Inquiſitionis, maleficos, ac magos Sancti Officij Tribunali denunciare. Secùs faciens, excommunicationem incurrit latam *in eodem Edicto S. Inquiſit. & c.2. extra de hæreticis & c. qua propter ſecundò quæſt.7.* & extat conſtitutio Innocentij IV. *edita de anno* 1254. *incip. Licèt ex omnibus verſic. Item ſi quis hæreticos ſciuerit, relata per Fraciſcum Pegnam inter literas Apoſtolicas in Directorio Inquiſit. fol. mihi* 20. & alia Nicolai III. *edita de anno* 1281. *incip. Nouerit Vniuerſitas verſic. Item ſi quis eum, relata vt ſupra folio mihi* 67. Farinac. *de Hæreſi q.197.§.2.n.35.* plures D.D. allegans. Et non reuelando dicitur hæreticorum fautor. Si enim in crimine læſæ Maieſtatis humanæ quiſque illud reuelare tenetur; multò magis crimen læſæ Maieſtatis diuinæ reuelare tenebitur: *vt in Repertorio Inquiſitorum in verbo hæreticus verſ. Nota, quòd in crimine læſæ Maieſtatis. & in verbo Accuſatio verſ. Sed vtrum quilibet homo.* Quam regulam confirmat Delrius *Diſquiſ. magic. lib.5. ſect.4. verſ. ſextò tenetur.* Subditquè vix contingere, iſtos maleficos magos, ac ſortilegos non habere hæreſim coniunctam. Sed quòd vnuſquiſquè reuelare teneatur ſortilegos, etiam quòd ſortilegia non ſint hæreticalia voluiſſe videtur Lelius Zecch. *in ſumma par. prima tit. de fide rubr. de hæreſ. cap.11. num.13. verſ. ſciat tamen aliquis.*

§. VII.

Indicia ad ſagas denunciandas.

101 MVlier, quæ habet malum nomen maleficæ, ad quam plures concurrunt pro maleficijs, licet non appareat, ipſam feciſſe niſi ſimplices ſuperſtitiones, ſi pluries id faciat; & paſſim ad quorumcumquè inſtantiam id faciat, eſt denuncianda: Ita Genuenſis *in praxi cap.18. num.14.* & Cæſar Carena *de Officio Sanctę Inquiſit. p.2. tit.9. num.32.*

102 Si penes maleficum, vel ſagam reperta ſint inſtrumenta magica: vt pentacula: vel libri ſortilegia continentes: vt Clauicula Salomonis, Almadel, Centum Regum, opus Mathematicum, opera Petri de Abano, & cætera id generis, ſunt denunciandi: vt tenet Carena *loco citato tit.12.§.21. num.* 177. Ait enim huiuſmodi indicium facere ad torturam; ergo à fortiori ſunt ſufficientia indicia ad denunciationes. Confirmat Binsfeldius *L. fin. C. de malefic. & Mathem. tit. de indicijs criminis maleficij verſ. Octauum indicium.* Et hoc deciſum fuiſſe à Sacroſancta Vniuerſali Romana Inquiſitione *de anno* 1599. atteſtatur Genuenſis *in praxi Archiepiſcopali Neapolitana cap.18. num.13.*

103 Si penes aliquem inuenta ſit olla plena oſtijs, membris humanis, imaginibus cereis, quæ acubus transfixæ ſint, & ſimilibus, vt vehementer de maleficio ſuſpectus denunciandus eſt. Ita Ioannes Zangerius *in ſuo tract. de quæſt. & tort. cap.2. n.200. verſ. præcipua verò hæc ſunt.* Ludouicus Gilhauſen *in arbore Iudiciorum crimin. cap.6. p.7. ſect.2. n.106.* Torreblanca *de magia lib.5. cap.17. num.36.* aſſerentes, indicia eſſe ad torturam; ergo à fortiori ad denunciationes. Carena *loco cit. num.194.*

§. VIII.

Aliqui defendũt Sagas à ſocijs eſſe denunciandas, qui eas ludis diabolicis intereſſe viderunt. Secus tamen eſt censẽdũ ex praxi S. Supremæ Romanæ Inquiſitionis.

MAleficos, & ſagas à ſocijs eſſe denunciandos, cum ab eis ludis, & choreis diabolicis intereſſe viſi ſunt; eorumquè denunciationes indicium facere ad torturam, etiamſi non fiat mentio, quòd hominem, aut vaccam, aut equum necauerint: aut damna intulerint, validiſſimis rationibus probant Binsfeldius *tract. de Confeſſionibus malefic. membr.2. poſt 6. concluſionem dub.2. ferè per totum & verſ.7. illatum.* Et Martinus Delrius *Diſquiſit. magic. lib.5. Appendice 2. q.8.* quod etiam voluit Gregorius de Valentia 2.2. *diſput.6. q.22. punct.4.§.3. verſic.2. regula* Verùm quicquid ſit de hac opinione in puncto iuris, clarum eſt, quòd illa in praxi non ſeruatur in S. Officio & Praxis hæc fundatur in decreto quodam Sanctæ Supremæ Romanæ Inquiſitionis, de cuius vſu, & obſeruantia, praxiquè atteſtatur Farinacius *de hæreſi, q.185. num.153. verſ. Aduerte tamen, quod vera non eſt.* Nam licèt ſagæ illæ de viſu deponentes verè, quandoquè imò ſæpè ad ludum diabolicum transferantur per diabolum; attamen negari non poteſt, quin quandoquè etiam decipiantur; ita vt translatio illa imaginaria ſit: per conſequens cum earum depoſitio poſſit eſſe falſa, videtur abſurdum dicere, quòd ex talibus depoſitionibus oriatur indicium ad torturam; cum indicia ad torturam ſufficientia debeant eſſe certa, non dubia, & æquiuoca. Quinimmò ex Sigiſmundo Scaccia *de Iudicijs ciuilium criminal. & hæret. lib.1. cap.82. num.10.* earum depoſitiones non ſufficiunt ad inquirendum: prout etiam ita fuit à Sacra Congregatione S. Officij de Vrbe deciſum quia dæmon in illis ludis poteſt decipere formando imaginem alicuius perſonæ iuſtæ. Veruntamen hoc Deus illi regulariter non permittit. Ideò benè docet quidam Auctor Modernus Confeſſarium non debere cogere pænitentem ad denunciandum conſocias, quas aſſerunt ſecum ad ludum dęmonum conueniſſe. Licèt in probatione aliqualiter declinet à veritate, dum Ponzinibij opinionem erroneam, & ſcandaloſam videtur approbare; quam latè improbaui *tom.1. diſput.2. num.177. & ſequentibus.* 104

§. IX.

Si ſagæ denunciet ſocias de his, quæ vidit eas patrare extra ludos eius denunciatio ſufficit ad inquirendum.

AT ſi ſagæ deponerent de his, quæ vigilantes viderunt ante Conuentum ſathanicum, nempè quòd ſocia dęmonem inuocauit, adorauit, ſe vnxit ad volandum, & alia huiuſmodi crimina, quę extra conuentus illos perpetrarunt: aut ſibi narrauerunt: vel perſuadere tentarunt, earum depoſitiones ſufficiunt ad inquirendum; qui teſtes eſſe poſſunt. *L. teſtium. C. de teſtibus c. cum cauſam de teſtibus. L.3.§.1. eod. titul.* Et ità docet Lucerna Inquiſit. *cap. vlt. num.13.* Simanch. *de cathol. inſtit. titul.37. de lamijs num.15.* Scaccia *loco citato* Carena *de off. Sanctę. Inquiſit. par.2. titul.12. num.227. verſic. quòd verùm.* Albert. *de aſſertionibus catholicis agnoſcendis q.24. num.15. & q.2.* Bartholomæus Spineus *lib. de ſtrigibus cap.14.* Felinus *in cap. ſicut tuis de Simon.* Alexander Alenſ. 2. *par. q.122. membr.* 10. §.14. & alij apud Stephanum Facundex *in 1.* 105

præce-

præceptum Decalogi lib.5.ſect.2. num.16. Ideòquè tali caſu etiam ad denunciandum Confeſſarius eos cogere tenetur.

Si maleficus audiatur loqui cum dæmone, eſt denũciandus.

Si Saga, aut Maleficus cum dęmone loquatur, adſtantibus dęmonem reſpondentem audientibus; ſed non videntibus, eſt denunciandus. Ità Gilhauſen. *in arbor. Iudic.crim.c.6.p.7.ſect.2. num.106.*

§. X.

Alia indicia, ob quæ maleſici, ac ſagæ ſũt denunciandi.

106 SI ſaga reperiatur inimicum ſuum tangere; & ille ſtatim nullis peccantibus humoribus; ſed prius benè ſe habente, illicò vel mortuus concidat: vel membrorum diſtorſione, apoplexia, alioue ſubito morbo afficiatur; pariterquè ſi penes ipſam reperiretur chirographum obligationis inter ſe, & diabolum eſt denuncianda. Ita Ioan. Zanger. *in ſuo trac. de quæſt.& tortura cap.2.num.200. verſic. præcipua verò hæc ſunt.* benè Faber *in ſuo Codice Fabriano in titul.de maleſ.& mathem.lib.9.definit.2. verſ. Sed ſi quod plerunquè.* Vbi etiam ipſe ponit exemplum de eo, qui ſtatim ab aliqua accepto pomo ſubito morbo corripitur. *Et in ſuis notis ad dictam definitionem num.11.* Huius rei rationem reddit philoſophicam; quòd naturaliter non poteſt fieri talis, ac tanta mutatio; cum natura (vt aiunt Philoſophi) operetur in tempore. Idem prorſus fatendum de ea; quæ aquam, vel vinum, aut aliũm liquorem propinat alicui, qui immediatè in gutture ſentit amaritudinem, in ſtomaco dolorem, in corde puncturas, in viſceribus torſiones, ac febri afficitur inſolita nullos ſeruante periodos. Quam ægritudinem, indicium erit manifeſtum, eſſe ex maleficio: ſi cum maxima fiducia inuocato nomine Ieſu, vt dæmonem expellat, ſi eſt, facto ſigno ✠ crucis ſuper locum doloris, ceſſat dolor.

§. XI.

Omnes quicumquè ſint tacitè, vel expreſſè dæmonem inuocantes, de iure nouo ſunt denunciandi.

107 QVare omnes magi, malefici, ſagæ, lamiæ, ſtriges, faſcinatores, incantatores, & alij huiuſmodi magicas curationes exercentes viri, mulieres, ac pueri; artem magicam, & opera malefica docentes: vel addiſcentes tam publicè, quàm priuatè dæmonem inuocantes, vel ad ipſum recurrentes tacitè, vel expreſsè, vt eis auxilietur, ſiuè in his, quæ à dæmone naturaliter nequeunt fieri: ſiuè in his, quæ naturaliter facere poteſt: Magis, ac maleficis fauentes, ſiuè committendo, ſiuè omittendo qui cumquè ſint, ac quacumquè dignitate fulgentes de iure nouo S. Inquiſitionis Tribunali ſunt denunciandi. Ita ex Edicto Sanctæ Inquiſitionis, & Conſtit. Sixti V. *incipient. Cæli, & terra Creator. quæ extat apud Laertium tom.2. Bullarum*, ita teſtantur Azorius *inſtit. moral. prima par. lib.9. cap.26.q.4.* Farinacius *de hæreſi q.181. num.101.* Sanchez *in ſumma lib.2.cap.38.num.92.* Raphael de la Torre *tom.2. de Religione q.96. artic.4. diſput. 3.* Souſa *in Aphoriſm. Inquiſit. lib.1.cap.57.* & Ignatius Lupus *comm. Edicti S.Inquiſit.p.3.lib.19.d.3.art.3.diffic.vnica.*

§. XII.

Filij tenentur denunciare parentes maleficos.

108 AD denunciandum autem Magos, ac Maleficos tenentur omnes; immò ipſimet filij, ac filiæ: nempè filius patrem: pater filium: vxor maritum, & maritus vxorem, quando ſciunt, eos maleficorum crimine, vel hæreſi laborare; nec eſſe emendatos: aut admonitione priuata non corrigendos: nec adſint alij maiores, qui denuncient. Ita Binsfeldius *tract.de confeſſionibus malefic. membr.2. poſt princip. §. pro parte negatiua. folio mihi 225.* Nauarrus *in Manuali confeſs.cap.25.num.50. & in comment.cap. inter verba.11.q.3. concluſ.6.* Alexander Alenſ. *3.p. 4.præcept.q.33.* Alphonſ. à Caſtro *lib.2. de iuſta hæretic.punit.cap.26.* & alij quos citat, & ſequitur Ioſeph Maſchardus *de probationibus volum.2. concluſ. 857.num.18.* Idipſum docuerunt Pegna *ad Directorium Inquiſit.ſub litera B.comment.15.par.2.* Ludouicus à Paramo *de Origine S.Officij lib.3. q.8. n.83.* Farinacius *de hæreſi q.197.num.40.* Suarez *de fide, diſput.2.ſect.4.num.21.* Lelius Zecchius *de caſibus reſeruatis caſu.2.num.2.verſic.2.ampliatur.* Diana *Reſolut.moral.par.1.tract.4.reſolut.4.* Didacus Cantera *in ſuis q.criminal. q.5.de reo.num.3.verſic. in hoc cadit illa quæſtio.* Carena *de Offitio Sanctæ Inquiſit.par.2.tit.9.num.10.*

§. XIII.

RAtio eſt: quia etſi pater filium, aut mater filiam: vel è conuerſò, amare teneatur quantum ad vitam, plus tamen ſecundùm ordinem charitatis tenetur conſulere ſaluti animæ, vt ad ſuam reducatur viam: quia anima pretioſior eſt corpore: tum quia bonum commune Reipublicæ priuato eſt præferendum; & cum periclitatur, quiſquè tenetur incommoda ferre, vt illud conſeruet, natura ita dictante. 109

Ratio dictat.

Colligitur hæc concluſio ex illo loco Deuteron. *cap.13.verſ.6.* vbi dicitur: *Si tibi perſuadere voluerit frater tuus, vel filius, vel amicus clam dicens: Eamus, & ſeruiamus Dijs alienis, non acquieſcas ei; nec audias, aut parcat ei oculus tuus, vt miſerearis, & occultes eum; ſed ſtatim interficies; vt primùm manus tua ſuper eum; & poſtea omnis populus mittat manum.*

Ex quo textu colligitur, talem accuſandum, vt poſtea interficiatur. Et licèt videatur loqui tantummodò de apoſtaſia à fide, & idololatria; attamen intelligendus eſt etiam de Magis, & Maleficis, qui, vt ſæpiùs dixi, apoſtatæ ſunt à fide, idololatræ, dæmonem adorantes, & vt plurimùm ſunt hæretici: vel ſaltem de hæreſi ſuſpecti, ac ſua impietate, iniquitate ac iniuſtitia Chriſtianę Reipublicæ pernicioſiſſimi: idcircò naturali ratione quælibet perſona, cum ſit pars totius Reipublicæ, ei ſuccurrere tenetur, ita ex hoc eodem naturalis rationis fonte eos denunciandi orietur obligatio, vt poſt D.Thomam, Salon.Bann.Aragon.Sot. & alios, quos allegat, peregregiè docuit Genuenſis *in Praxi Archiepiſcopali Neapolit.cap.18.num.1.* Tenetur autem quilibet, & ſub pęna peccati mortalis, & excommunicationis: vti habetur in Bulla Gregorij IX. *incipiente Excommunicamus.* Innocentij IV. *incipiente: Nouerit. quę habentur in fine Directorij Inquiſitorum inter literas Apoſtolicas pro S.Officio.*

§. XIV.

NEc eſt attendenda diſtinctio allata à quodam moderno Auctore, qui ait: *Attendendum, aliquas ſtriges eſſe tantummodo ſibi nocuas, vt potè illæ, quę cum dæmone carnale habent commercium ob voluptates carnis explendas: Aliquas verò nedum ſibimetipſis; ſed alijs quoquè nocuas eſſe.* Nam omnes malefici, & ſtriges ex hoc, quòd malefici, ac ſtriges ſunt, cum dæmone carnaliter commiſcentur. Et licèt varii fuerint eorum fines, ob quos ſe dæmo- 110

Diſtinctio quædam relata à quodam vt inutilis refellitur.

dæmoni deuouerunt; nempè alij, vt ope dæmoniaca vindictam ſumerent de inimicis ſuis: alij, vt diuitias, vel honores compararent: alij, puta aliquæ ſagæ, vt ait ille Auctor ob voluptates carnis explendas; attamen hæc à dæmone nequeunt obtinere, niſi & ipſæ dæmoni in his, quæ eis pręcipit, obſequantur; videlicet, illum adorent, Deum abnegent, Beatiſſimam Deiparam blaſphement, Sanctos contemnant, & inhonorent, Sacramentis, Sacramentalibus, ac rebus ſacris abutantur, tempeſtates cieant, maleficia ad graues ægritudines, mortemquè ipſam hominibus, & animalibus ſæpiſſimè inferendam, concinnent, aliaquè id generis, de quibus *ſupra tom.1. diſput.3.* perpetrare ſatagant: vt teſtantur Summi Pontifices Innocentius VIII. Alexander VI. Adrianus VI. & alij ſæpiùs à nobis allegati. Quarè illa diſtinctio dicti Auctoris eſt inutilis; nec ad aliud deſeruit, quàm ad Chriſtifideles à maleficorum, ac ſtrigarum denunciatione retrahendos.

§. XV.

111 *Ad denunciationem huiuſmodi faſcinariorũ non eſt præmittẽda fraterna correctio.*

NEc ad huiuſmodi magos, ac maleficos denunciandum fraterna correctio eſt præmittenda; ſed ſtatim ſiuè publicos, ſiuè occultos omninò ea omiſſa denunciandos eſſe, tenent Eymericus *in Repertorio Inquiſit. in verb. Denunciatur verſic. An quãdo proceditur*, & plurimi antiqui D.D. apud Farinacium *de hæreſi q.197. num.39.* Suarez *de fide diſp.2. ſect.3. num.11.* Sanctarellus *de hæreſi cap.9. dub.5. num.5.* qui ait: *Numquam eſt ſperandum, eum qui auſus eſt, ſe opponere Eccleſiæ vniuerſali, corrigendum eſſe per meam monitionem.*

Et ego addo, eum, qui voluntariè Deum abnegauit, fidei catholicæ renunciauit dęmoni ſe deuouit, eiquè promiſit, numquam ſe de peccatis acturum pænitentiam, nec ad fidem Chriſti reuerſurum, vt faciunt malefici, & ſagæ, numquam ſperandum, per priuatam monitionem corrigendum: tum quia ex parte ſui eſt voluntariè in malo obduratus: tum quia Deus non tenetur ſpeciale ei præſtare auxilium cum ille voluntariè etiam pro tempore futuro omni ſpe auxilium Dei obtinendi, ſe priuauerit: tum quia continuè dæmonem habet aſſiſtentem, qui eum tum minis, tum blanditijs in malo permanere, nec à ſua ſeruitute recedere, inducit.

Probatur ex Edictis Inquiſitorũ

Hoc confirmant Edicta Inquiſitorum id expreſsè præcipientia, fundata in communi omnium doctrina: quòd correctio fraterna in delictis tendentibus particulariter contra bonum commune debet omitti. Ita Molfeſ. *in ſum. tract.1. cap.17. num.14.* Rodericus à Chuna *de Confeſs. ſolicitantibus q.18. n.1.* qui alios allegat, & Carena *de off. Sanctæ Inquiſit. par.2. tit.9. num.18.* Prædicta doctrina roborata eſt Conſtitutione Alexandri VII. quæ incipit: *Licèt alios.* Edicta anno 1660. die 8. Iulij; quæ habetur in fine S. Arſenalis Inquiſit.

§. XVI.

112 *Etiam de hæreſi ſuſpecti ſunt denunciandi omiſſa fraterna correctione.*

NEc tantùm Magi, ac Malefici hæretici; ſed etiam de hæreſi ſuſpecti omiſſa fraterna correctione ſtantibus Inquiſitorum edictis ſunt denunciandi. Ita in blaſphemis Pegna *par.2. Director. comment.18. In Confeſſarijs ſolicitantibus* Rodericus à Chuna *loco cit. num.11.* Freitas *in Additionibus poſt. Henriquez in ſumma lib.6. cap.17. num.4. ſub litera E.* & Ludouicus à Paramo *de origine S. Inquiſitionis lib.3. cap.10. num.4.* Delrius *Diſquiſit. magic. lib.5. ſect.4. num.6.* Optimè Turrianus *in ſuis ſelectis diſputationibus par.1. diſput.30. in Cenſura Propoſitionum. Centuria 2. dub.24.*

Quamuis ſint occulti.

Nec excuſat, quòd talis Magus, vel Maleficus hæreticus; vel de hæreſi ſuſpectus ſit occultus, & ego ſolus ſciam, talem eſſe maleficum, aut magum, nec aliter eius opera magica, aut malefica hæreticalia probare poſſim. Nam talem vtiquè eſſe denunciandum, ratio dicta: quia, quamuis delictum probari nequeat, Superior vigilabit. Et poteſt eſſe, quòd contra prædictas perſonas adſint aliæ denunciationes, ex quibus fortaſſe de facili poſſint ad torturam, & ad alia iuris remedia deuenire. Ita Carena *loco citato allegans Genuenſ. in praxi Archiepiſc. Neapolitana c.18. num.1.* Sanctarell. *de hæreſi c.9. dub.5. num.2.* Suarez *de fide diſput.20. ſect.4.* Lælius Zecch. *dicto caſu 2. verſ. ampliatur prædicta concluſio.* Lazarius *de Blaſph. q.12. num.54.* & alij plurimi, quos citat Farinacius *de hæreſi dicta q.297. num.36.* & Scaccia *de Iudic. l.1. cap.56. num.4.*

§. XVII.

TAndem non ſolùm Magi, ac Malefici; ſed cæteri omnes ſuperſtitioſas curationes, & quaſcumquè alias operationes exercentes, nedum quæ ſapiant hæreſim manifeſtam; ſed etiam quæ aliquo modo ſapiunt hæreſim, de iure nouo ſunt denunciãdi; dummodò talis actio ſit peccatum mortale, & ſaltem implicitè dæmon ibi inuocetur. Ita ex Bulla Sixti V. *incipien. Cæli, & terræ Creator.* Confirmat Lęlius Zecchius *in ſum. par.1. tract. de fide c.11. num.13.* Naldus *verbo Superſtitio num.10.* Azor. *in ſum. tom.1. lib.9. c.26. q.4.* Sanchez *præcept. Decalogi lib.2. cap.38. num.92.* Farinac. *de hæreſi q.181. §.4. num.101.* Raphael de Turri *tom.2. de Religione q.96. art.4. diſput.3.* Souſa *in Aphor. Inquiſit. lib.1. cap.58. num.2. & 3.* & Ignatius Lupus *comm. Edicti S. Inquiſit. par.3. lib.15. diſt. vnica art.4. diff.1.* & nos ſupra num.107. 113

Exercentes operationes, quæ aliquo modo ſapiunt hæreſim ſunt denunciandi.

Ex quibus colligitur, ad denunciationem Magi, ac Malefici, aut hæreticaliter ſuperſtitioſi duo copulatiuè neceſſariò requiri.

Dummodo actio.

Alterum, quòd in Superſtitione expreſsè: aut ſaltem tacitè inuocetur dæmon.

Includat inuocationem dæmonis

Alterum, quòd ſuperſtitio inuoluat mortale peccatum. Nam Sancto Tribunali non deferuntur ſuperſtitiones per ſe veniales. Deficiente vna iſtarum conditionum ſuperſtitioſa actio non eſt denuncianda. Cæterum de his, quę ſpectant ad denunciationem videas noſtrum Lupum, qui hæc ex profeſſo clarè, ac diſtinctè in toto ſuo opere in Edictũ S. Inquiſitionis pertractat.

Et ſit mortale peccatũ.

ARTICVLVS II.

Committendo.

MAgis, ac maleficis fauere committendo dicantur ij, qui non ex negligentia, & omiſſione; ſed facto, ſeu cooperatione illis ſuum impendunt auxilium. Hoc autem multipliciter præſtare ſolent, nempè defendendo, conſulendo, laudando, auxiliando, relaxando, impediendo, & occultando. 114

Magis, & maleficis fauent committendo, qui auxiliũ præſtant illos.

Mago-

§. I.

Defendẽdo Verbis Literis, Scriptis, Opere,

MAgorum, ac maleficorum fautores dicuntur defendendo illi, qui verbis, literis, ſcriptis, aut tacto eos defendunt. Nam ratio eadem, vt ſæpiùs dixi, militat de maleficis, & ſagis, quæ de hæreticis. Ita Ioannes de Anania *in cap. Excommunicamus il primo. §. credentes num. 15. extra de credentibus.*

Vt quidã Aduocati, ac Procuratores.

Primi ergo veniunt Aduocati, & Procuratores, qui abſquè licentia Iudicis, Inquiſitoris, ſcilicet, aut Epiſcopi: nec ab eis deputati patrocinantur illi, quem, publica fama volat, inquiſitum eſſe vt magum, vel maleficum; & conantur criminis enormitatem eleuare; contenduntquè probare, non eſſe credendum ijs, quæ de magis, & maleficis certò enarrantur, & ea omnia vana eſſe, & delira: aliaquè huiuſmodi, ſicut facere Vuierus hæreticus, quidam Calidius, Loſæus Theològus, Godelmannus, Franciſcus Ponzinibius, & Duarenus; ſuiſquè ſcriptis nituntur obtinere per illud capitulum *Epiſcopi*, id ad lamias noſtras extendendo, ne lamiæ interficiantur. Nam ob iſtiuſmodi Iuriſtarum patrocinium, docet quotidiana experientia, ſtriges impunitas iſto prætextu: vel minus, quàm oportet, punitas dimitti.

Qui fidei Inquiſitorib. ſe opponunt.

Nec fidei Inquiſitores inter catholicos vllum,
115 maius impedimentum experiuntur, quàm Legiſtas quoſdam, qui falſa opinione imbuti, quæ de Magis, ac Maleficis dicuntur, ex canone illo *Epiſcopi*, cuncta eſſe illuſoria: nec grauem mereri pænam, definire præſumunt. Conqueritur de hac re Bartholomæus Spineus ſacri Palatij Magiſter *Apologia 1. cap. 3.* dicens: *Potiſſimam labem, cur ſic inualeſcat iſta Maleficorum, & Strigarum peſtis, eſſe quorundam Iuriſtarum perſecutionem; quibus Principes Theologiæ imperiti facilè credunt, quaſi ſapientibus, licèt in huiuſmodi ſatis rudes exiſtant: vt potè Dei prouidentiam, diaboli poteſtatem, atquè malitiam, & pleraquè alia theologica, ad quæ articulus ille deducitur, ignorantes: adimplent allegationibus legum folia, quæ, vt in pluribus, non faciunt ad propoſitum; eò quòd puros actus humanos poſſunt regulare leges humanæ; non autem diabolicis colligatos poſſunt benè cognoſcere. Sed ſolùm preſuppoſita cognitione ſuperioris ſcientię, ſacrę, inquam, Theologię, poſſunt pęnas determinare talibus conuenientes.* Hæc illæ. Poſtea *cap. 4.* ſic ſcribit: *Hoc capitulum, Epiſcopi, malè intellectum à Iuriſtis, quatenus hæc, quæ ad Theologiam pertinent, pertractat, eſt cauſa illorum ruinæ, putantium, eò quòd in corpore iuris Canonici redactum eſſe vident, poſſe proprium ſenſum circa illud ita procedere, & etiam Theologorum communi ſenſui ſe opponant.*

§. II.

Ac dici poſſunt magorũ, ac maleficorũ defenſores.

116 HViuſmodi ergo Magorum, ac Maleficorum Aduocati iuremerito dici poſſunt eorum detentores ſecũdùm Ancharanum *in c. ſi aduerſus n. 2. extra de hæreticis*: ibi etiam Ioannes de Anania *eodem num. 2.* vbi pluribus exornat, quòd aduocando, & procurando quis dicitur præſtare auxilium, & fauorem delinquenti. Syluest. *in verbo hęreſis. §. 1. num. 10. poſt medium verſic. Vel fortè, quia Aduocati ſunt.* Vmbertus Locatus *in iudic. Inquiſit. in verbo Fautores hæreticorum. Vbi quòd Impeditores ſancti officij dici poſſunt*, & alij plures allegati à Farinacio *de hæreſi q. 197. §. 3. num. 55.* & Pegna *in additionibus ad Eymericum par. 3. q. 39. comment. 88. folio mihi 610.* infert, quòd poſſunt Inquiſitores procedere contra Aduocatos patrocinantes pro hęreticis, quales ſunt Magi, ac Malefici, vt plurimum. Vndè Martinus Delrius *Diſquiſit. magic. lib. 5. ſect. 4. verſ. Secundum eſt*, propterea dixit: *Aduocatum hæreticorum, & ſortilegorum eſſe de hæreſi ſuſpectum.* Et infra *verſ. 3. eſt*, ait: *Cum ſortiarij, vt plurimum etiam ſint hæretici, eos, qui ſcienter defendunt ipſos, & errores eorum, eſſe ipſis deteriores, proquè ſocijs habendos c. qui aliorum 24. q. 23.* Ita Eymericus *par. 2. q. 52. num. 3.* Pegna *in addition. ad Eymer. cõment. 77. verſ. Hic autem modus defenſionis.*

§. III.

Quando ſint puniendi.

QVi verò neſciunt eſſe ſortiarios, hi puniendi 117
non ſunt vt tales, niſi ſua defenſione Iudicis officium impediant *c. qui conſentit. 11. q. 3.* Qui autem ſcientes, eſſe ſortiarios, non defendunt errorem; ſed perſonam tantùm, iſti ſe valdè ſuſpectos reddunt, & contra illos ſpecialiter procedere poſſunt Inquiſitores *c. accuſatus. §. vlt. de hæretic. in 6.* & ob hanc defenſionem ſunt puniendi ſicut & Notarij. Illi ſi ſcienter, & ſpontè ſine licentia Inquiſitoris, aut Epiſcopi patrocinantur in iudicio. Hi verò, ſi inſtrumenta illis confecerint, *c. excommunicamus. §. credentes de hæretic.* Brunus *lib. 5. de hæret. cap. 13.* Simanch. *in pract. tit. 14.*

Quæ pæna ſint multãdi

Vtriquè autem tam Aduocati, quàm Notarij, 118
quando Magi, & Malefici ſunt hæretici, eis præſtantes huiuſmodi patrocinium, ſunt infames; & priuantur exercitio ſui officij: vt habetur *in cap. Si aduerſus extra de hæreticis.* Ibi hoc adnotarunt Hoſtienſis *num. 1. & 2. in verbo Fautoribus & in verbo Defenſoribus.* Ancharan *ante num. 1.* Anton. de Butrio, Abb. Marian. Soccin. Felinus, Cardinal. Zabarella, & Ananias omnes *in Summario*, Farinacius *loco citato num. 56. & 58. & 67.* plures cumulans Doctores. Et extat Conſtitutio Innocentij IV. *de anno* 1254. *incipit: Nouerit Vniuerſitas. verſ. Item Iudices, relata per Franciſcum Pegnam inter literas Apoſtolicas folio mihi 21.* & alia Nicolai III. edita *de anno* 1281. *incip. Nouerit Vniuerſitas verſ. Item Iudices relata, vbi ſupra folio mihi 67.*

§. IV.

2. Conſulẽdo, vel auxiliãdo. Conſtat ex auctoritate Pontificũ Conciliorum, Canonũ, Canoniſtarum.

ALij Magorum, ac Maleficorum dicuntur fauto- 119
res conſulendo, vel auxiliando, qui nempè dant conſilium: vel auxilium præſtant: aut docent modum, quo manus Iudicum euadere queant: vt in Concilio Tarraconenſi regiſtratum per Pegnam *in Directorio Inquiſit. p. 2. folio mihi 234. in princip. Concilij verſ. Fautores.* Et extat conſtitutio Innocentij IV. edita de anno 1252. *incip. ad extirpanda in verſic. quicumquè verò. relata per Franciſcum Pegnam inter literas Apoſtolicas folio mihi 10.* & Clementis IV. edita de anno 1265. *incipit ad Extirpanda verſic. qui cumquè verò. relata vt ſupra folio mihi 61.* Hoſtienſis *in ſumma de hæreticis §. Quæ pæna feriatur num. 10. verſic. Nec talibus dandum eſt conſilium, vel auxilium, & §. Quæ pæna componatur num. 13.* Vbi propterea, quòd ſic conſulentes, & auxiliantes ſunt ipſo iure excommunicati & ſepultura carent *c. Vt Inquiſitionis de Hęreticis in 6.* Calderin. *in tract. de Hæreticis rubr. de pænis receptatorũ n. 2.* Repertorium Inquiſit. *in verbo Fautores verſic. Verbis autem. Vbi de dantibus conſi-*

lium

lium hæreticis , vt euadant manus Inquiſitorum . Zanchinus *in tract. de hæreticis cap.5. n.5. & 6. Vbi de præſtante conſilium , & auxilium hæretico , vt fugiat* . Decianus *in tract. crimin. lib.5. cap.51. n.46.* Sylueſter *excommun.9.* Arſenale Inquiſitorum *lib.1. ibi contra quos procedit S. officium* . Azorius *par.1. lib.8.q.17.*

§. V.

120 *3. Laudãdo. Apud Principes, ac Iudices. Scienter Seriò. Doloſè.*

HVc referuntur illi, qui ſcientes, præfatos magos, aut maleficos commercium habere cum dæmone, & crimine hæreſis pollutos eſſe, ſcienter, ſeriò, & doloſè laudant eos apud Principes, & Iudices, & dicunt, eſſe probos, iuſtos, & innocentes, tales laudantes dicuntur eorum fautores. Ita ſumma Angelica *in verbo Hæreticus num.24. ante finem verſic. Ex commiſſione verò omnes dicuntur fautores*. Sylueſter *in ſumma in verbo Hæreſis n.10. verſ. ex commiſſione*. Decianus *in tract. crimin. l.5. cap.35. num.48.* Bartholomæus Vgolinus *in tract. de cenſuris Pontifici reſeruatis par.2. in Gloſſa Fautores in princip. num.10.* Secus ſi non ſeriò, ſed ex ſimplicitate laudarent, credentes, eos non eſſe hæreticos; ſed bonos chriſtianos.

121 Vndè ad hoc, quod præfati defenſores conſultores, auxiliatores, ac laudatores teneantur aliqua pœna propter prætenſum fauorem, debet priùs conſtare de hæreſi illius, de cuius fauore, defenſione, conſultatione, auxilio, ac laude agitur iuxta doctrinam Bartoli *in l.is, qui ff. de furt.* Et in ſpecie voluit Vmbertus Locatus *in iudicial. Inquiſit. in verbo Fautores num.3. verſic. Vnum iuxta prædicta ſcias, & in verbo Procedere num.1.* Quintil. Mandoſ. *in additionibus ad Repertorium Inquiſit. in verbo Fautores litera H.*

122 *4. Relaxando. Vt quãdoque faciunt. Principes. Magiſtratus. Iudices.*

Horum Iuriſtarum Aduocatorum Magorum, ac Maleficorum defenſorum conſultorum, auxiliatorum, ac laudatorum hortationibus verbis efficacibus, fuco veritatis ornatis, ac orationibus magna energia pronunciatis perſuaſi Principes, Magiſtratus, ac Iudices aliquando ſi huiuſmodi Magi, Malefici, ac Sagæ ſint carceribus mancipati, eos relaxant, ac manumittunt; quo quid Deo iniurioſius, ac Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſius?

§. VI.

123 *Qui grauiſſimè Deum offendunt. Patet ex S. litteris.*

QVàm grauiter Deum offendant, ex ſacris litteris clariſſimè, ſi mentis oculos aperiamus, perſpicimus. Sic enim, cum fornicatus eſſet populus cum filiabus Moab, & adoraſſet Deos earum, & Principes punire diſſimulaſſent, furore concitatus Deus dixit ad Moyſen *Numer.25. Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Iſrael, & occidat vnuſquiſquè proximos ſuos*. Quibus auditis Phinees Zelo diuino correptus, vltione ſumpta Dominum placauit, & ceſſauit plaga à filijs Iſrael, cum perijſſent viginti quatuor millia virorum. Quanto, quæſo, furore Dominus concitatur: Quantis plagis affici meremur, dum Principes, Magiſtratus, ac Iudices diſſimulant, multis in locis fornicari multos cum diabolo; eiquè offerre ſacrificia: Deum verum contemni, & nefandis ſceleribus irritari; aliaquè plurima patrari flagitia, quæ à nemine vix cogitatione comprehendi valet? Nec mirum, quòd Deus ſæpiùs ob peccatum hoc hominibus multa flagella immittat. Nam directè, & immediatè contra Dei tendit Maieſtatem. Idcircò non magis licet Principi diuinam remittere, aut diſſimulare iniuriam, quàm Prætori licet ſui Principis, vel Militi ſui Imperatoris. Quia lex illa veteris teſtamenti, *maleficos non patieris viuere*, non eſt duntaxat iudicialis poſitiua; ſed iudicialis iuris diuini, & naturalis; & ideò non eſſe per legem Euangelij ſublatam, latè demonſtrauimus *ſup. tom.1. diſp.1. num.40.* Quare Iudicibus inferioribus, cum ex lege naturali, & humana teneantur, maleficos punire, non licet vitæ reis huiuſce delicti promittere ſecuritatem, vt ſuum ſpontaneè confiteantur crimen, & ſocios detegant; ſed licere id ſolo ſummo Iudici, cuius eſt legem interpretari, & ex cauſa iuſta, & quando hoc euidens neceſſitas, vel vtilitas Reipublicæ poſtulat, incomperto eſt.

Propterea meminerint Principes, ac Iudices, ſi quæ damna per eorum conniuentiam, aut negligentiam à maleficis ſubditi patiantur; Si qui necentur: aut ad conſortium criminis pertrahantur, ſanguinem hunc à manibus eorum Deum requiſiturum; Non hominis illos, ſed Dei iudicia iudicare. Cauendumquè, ne fiant ſocij furum; & ne dum, vt Ioſaphat, his, qui oderunt Dominum, amicitia iunguntur, iram Domini mereantur; audiantquè terrificum illud Prophetæ Eliæ dictum Regi Achaz *3.Reg.c.20.num.42. Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius*.

§. VII.

124 *Maximũ Reipublicę Chriſtianæ damnũ inferunt*

QVàm verò graue Reipublicæ Chriſtianę damnum inferant, hoc quotidiana docet experiẽtia. Nam hi Iudices Magis, ac Maleficis fauendo, dęmonum tyrannicum dominium in Chriſti Eccleſiam confirmant: horum opera ſalus Reipublicæ proditur: ab his de communi interitu priuata lucra comparantur, quibus volupe eſt, in vtramquè aurem dormire, donec tortuoſus draco ſe toto corpore inſinuet; & venenum apoſtaſiæ, idololatriæ, ac nefandiſſimarum libidinum, incredibilis crudelitatis, execrandorum ſacrilegiorum, & quotidianarum contra tenellam ætatulam, contra fruges, & alimoniam mortalium, contra patrię, totiuſquè generis humani ſalutem, machinationum per totum paulatim Chriſti corpus diffundat: vt benè diſcurrit Delrius *Diſquiſit. magic. lib.5. ſect.16. propè finem folio mihi 767.* Quis autem non hos de Republica, & Eccleſia quàm peſſimè mereri pronunciet? Quis non profliget, & execretur? Videmus, ſi quidquam videmus, impunitate ſtryges fieri deteriores, & pedetentim plures, pluresquè ſibi complices impigrè adiungere: nec quicquam illis optabilius eſſe, quàm quòd aſſiduè diabolus inculcat, ſinceram adhuc partem eodem carcinomate peruadere. Vndè ſi de vllo crimine verum de hoc ſanè veriſſimum eſt illud Stratoclis relatum à Damhauder. *in pract. crimin. in c.150. num.6.* Et illud vulgare prouerbium: *Qui parcit malis nocet bonis*.

Hoc Deus ipſe per Iſaiã *c.47. verſ.9.10.11.* ſatis apertè Babilonijs inſinuat, ſe regioni, in qua maleficijs parcatur, propitium numquam futurum; ſed ab ea grauiſſimas pœnas exacturum: *Venient*, inquit tibi, *Babylon hæc duo ſubitò in die vna, ſterilitas, & viduitas; Vniuerſa venerunt ſuper te propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. Sapientia tua, & ſcientia tua decepit te. Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius: & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare. Sta cum incantatoribus tuis, & multitudine maleficiorum tuorum*

rum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua: ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi poſſis fieri fortior. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum, ſtent, & ſaluent te augures cæli, &c.

Confirmat S. Ioan. Chriſoſt. *hom. 10. in cap. 2. ep. 1.*
125 *ad Timoth. ſub fine*, deplorans, quòd ab hoc neſario auſu vix orbis minima pars ſeruetur; & omnes ferè ſint æternæ mortis vinculo expoſiti: hæc Dei iram ſemper prouocaſſe, ſe nunc multò magis, poſt tot tàm ingeniis beneuolentiæ, ac miſerationis, tam inſignis indicia clementiæ, poſtquam ille filium redemptionis noſtræ impendit. Quid ergo fas ſperare nobis, vbi tot quotidiè pullulant maleficiorum, faſcinariorum defenſores, tutores, & in Scabinatus, Conſulum, Fiſcalium, Parlamentorum, in ipſa Principum ſacraria irrepunt? Vtinam recogitarent annos antiquos, & priora ſecula reuoluerent; ſtatim deprehenderent, nulli vmquam Principi, Reipublicæ, Prouinciæ maleficia exitio non fuiſſe.

Hos ſequuntur illi, qui captos huiuſmodi magos, aut maleficos ex manibus curiæ eximunt. Vel pecunia, aut precibus huiuſmodi carceratos liberari curant. Ita Farinacius *de hæreſi q. 182. n. 97. & 99.* & Sanctarellus *cap. 11. n. 8.* Item qui ſe fingunt magos, ac maleficos, quos quærunt Inquiſitores, vt hoc modo veros magos, & maleficos liberent. Sanctarellus *vbi ſupra n. 9.* Farinacius *ibidem num. 98.* qui alios allegant auctores.

§. VIII.

126 NOnnulli magorum, ac maleficorum dicuntur fautores, Officium S. Inquiſitionis directè, vel indirectè impediendo, ne magos, ac maleficos punire valeant Inquiſitores.

S. Impediendo Directè, vel Indirectè. Quinam dicantur impedire directè.

Directè quis agere, & impedire Sanctum Officiū dicitur, cum non circuitu, vel per aliud medium; ſed principaliter in id incumbit, ne fiat: vt omnes iniuriantes, vel offendentes Inquiſitores, ſeù eorum miniſtros, vel etiam teſtes, & denunciatores, qui in Sancto Officio aduerſum aliquem depoſuerunt. Hi omnes quicumquè ſint, excommunicati ſunt ex Bulla Pij V. *Si de Protegendis*, *edita de anno 1569. relata per Franciſcum Pegnam in Director. Inquiſit. inter literas Apoſtolicas folio mihi 174.* Quæ omnes, & quaſcumquè perſonas comprehendit ipſi Conſtitutioni contrauenientes; & hoc ob dictionem illam *Quicumquè*, quæ neminem excludit. *L. Iulianus ff. de leg. 3.* maximè ſtantibus verbis ſequentibus ampliatiuis: *ſiuè contra Ciuitas, ſiuè Populus, ſiuè Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illuſtris*. Cuius Bullæ declarationem videas apud Carenam *de Officio S. Inquiſitionis parte 2. titul. 13. per totum*.

127 Poſſunt autem huiuſmodi iniurantes, & offendentes puniri ab eiſdem Inquiſitoribus: quia talis iniuria dicitur facta Eccleſiæ ex allegatis in Repertorio Inquiſitorum *in verbo Iniuria: verſ. Primò.* Sunanch. *Catholic. Inſtitut. titul. 34. rubr. de Inquiſitoribus Apoſtolicis num. 28. & in Enchyridion violatæ Religionis tit. 7. rubr. de Inquiſitoribus num. 13.* Zanchin. *in tract. de hæretic. cap. 32. num. 1.* Campeg. *ibi in additionibus.* Farinacius *de hæreſi, q. 182. num. 79.* Carena *de off. S. Inquiſitionis par. 2. tit. 4. n. 22.* Sanctarellus *de hæreſi, cap. 11. num. 14.* Scortia. *Theoremate 278.*

A quo poſſint puniri.

§. IX.

INdirectè è contra quis gerere, ac impedire dicitur Officium S. Inquiſitionis, qui inſinuatione vtitur: aut alio modo nititur idipſum euertere; vnde in conſequentiam oriatur impedimentum officij S. Inquiſitionis: vt illi, qui leges, ſtatuta, ac præcepta ſuis ſubditis imponunt, quibus indirectè Inquiſitoris officium impeditur, vel retardatur, vel debilitatur, ne magos, ſagas, ac maleficos, inquirere, aut punire queat. Ita Pegna *in additionibus ad Eymericum in Directorio Inquiſitorum p. 2. q. 54. comm. 79.* Probat à ſimili de hæreticis Carena *loco citato n. 10. & 24.* Farinac. *loc. cit. num. 75.* Vbi ponit duo exempla indirecti impedimenti deſumpta *ex c. ſtatutum, ibi: Vnum, quod ſtatuto cauetur, vt nullus poſſit de aliquo crimine puniri ab aliquo præterquam à Poteſtate. Vel quod nullus alius, quàm Poteſtas poſſit aliquem capere vel capi facere. Alterum, quando ſtatuto cauetur, vt nullus alius, niſi ſit de familia Poteſtatis, poſſit arma portare.* Quibus ſtatutis indirectè impeditur, ne poſſint aliqui criminoſi puniri ab Inquiſitoribus; & nè miniſtri, & officiales Sancti Officij poſſint arma deferre.

128 *Quinam dicantur impedire indirectè*

Probatur duobus exēplis.

§. X.

HVc referuntur illa ſtatuta, ordinationes, leges, ac præcepta à Prælatis, ac Superioribus Religionum edita, quibus ſuis ſubditis prohibent, ne directè, vel indirectè dicere, ſcribere, vel quouis modo explicare, ac ſignificare poſſint cuicumquè aliquem hominem, vel mulierē ſæcularem, vel religioſum eſſe maleficiatum; vel à dæmone obſeſſum; aut de tali morbo ſuſpectum; & eò minus explicare directè, vel indirectè actiones operatas circa tales patientes ab aliqua ſingulari perſona eſſe ſuperſtitioſas, ac diabolicas, ac nullo modo circa tales cauſas reſpondere, conſulere: vel quoquomodo alicui patienti ſuum præſtare auxilium, ſub pœnis, &c.

129 *Inter hos connumerantur aliqui Prælati ob certas leges ſubditis ſuis impoſitas.*

Per huiuſmodi enim ſtatuta, ac præcepta quis apertè non videat, Prælatos, ac Superiores prædictos indirectè ſaltem impedire, ne Tribunali S. Inquiſitionis denuncientur magi, malefici, ſagæ, eorumque opera malefica, ac diabolica deſtruantur? Nam ille dicitur impedire officium S. Inquiſitionis indirectè, qui facit aliquid, ex quo directè ſequitur aliquod impedimentum circa tale officium. Dum autem ſubditis prohibetur dicere, ſcribere, & explicare cuicumquè, aliquem eſſe maleficiatum, obſeſſum, vel ſuſpectum de tali malo: aut talem actionem patratam à tali perſona eſſe ſuperſtitioſam, ac diabolicam; conſequenter illis prohibetur, nè dum interrogantur ſuper aliquo infirmo: vel de aliquo opere patrato ab aliqua perſona ſingulari, poſſint verbo, vel ſcripto exprimere: aut conſulere, talem perſonā eſſe Tribunali S. Inquiſ. denunciandam; quamuis non ſolum per probabilia indicia; ſed per ſigna certa, & euidentia nouerint, opera à tali perſona circa talem patientem operata dæmoniaca arte eſſe facta. Nam qui vult antecedens, vult etiam conſequens, quod neceſſariò ſequitur ex tali antecedente: & qui prohibet primum, prohibet ſecundum. Si quis prohiberet, aliquem vllo modo loqui, conſequenter prohiberet, illum concionari, legere, &c. & ſi quis prohiberet, aliquem ſe mouere: prohiberet etiā illum ambulare, & currere: quia ſecundū non poteſt eſſe ſine primo. Striges, ac malefici cognoſci nequeunt, niſi per opera ſua malefica, ac diabolica;

uec denunciari queunt, niſi cognoſcatur; Qui ergo impedit, ne cognoſcantur, impedit, ne denuncientur. Quare per huiuſmodi præcepta, ac ſtatuta Snperiores prædicti faciunt id, ex quo in conſequētiam oritur impedimentum S. Officij. Ergo indirectè ſaltem dicuntur officium Sanctæ Inquiſitionis impedire.

§. XI.

130 NEc tantùm per huiuſmodi præcepta, & ſtatuta prohibentur ſubditi, ne alijs verbo, vel ſcripto exprimant, aut conſulant, magos, & maleficos Tribunali S. Officij eſſe denunciandos; ſed ipſiſmet Religioſis ſubditis ſaltem indirectè prohibetur, ne eos denuncient. Quod manifeſtum eſt ex illo verbo *Cuicumquè*, quod comprehendit omnes perſonas cuiuſcumquè ſtatus, ordinis, dignitatis, & conditionis; ideòquè etiam ipſoſmet Inquiſitores, & Iudices. Nam *generale dictum generaliter eſt intelligendum. L. de pretio, ff. de publiciana in rem actione. L. præſes. ff. de off. præſidis*. Non enim ſtatuta illa diſtinguunt de perſonis, cui debeant, vel non debeant huiuſmodi opera malefica, ac perſonas maleficas patefieri; ſed abſolutè prohibent, ne cuicumquè verbo, vel ſcripto exprimant, ac patefaciant; idcircò illa particula, *cuicumquè* neminem excludit: Nam *qui totum dicit, nihil excludit. L. Iulianus. ff. de leg. 1. gloſ. in L. à procuratore. C. mandatis*. Ideòquè ſaltem indirectè prædicta ſtatuta, ordinationes, ac leges impediunt, ne ad Tribunal S. Inquiſitionis magorum, ac maleficorum opera nefaria, ſuperſtitioſa, & abominanda deferantur.

§. XII.

131 QVare hoc optimè agnoſcens felicis recordationis. Pius V. qui antequam ad culmen Pontificatus fuiſſet aſſumptus, & cardinalitia dignitate illuſtratus Inquiſitoris munere Bergomi, & alibi fuerat perfunctus, ne Religioſi ſubditi à ſuis Superioribus, ac Prælatis reuocarentur, & impedirētur à magorum, maleficorum, & aliorum quorumcunquè hæreticorum, vel de hæreſi ſuſpectorum denunciatione: Vel poſt denunciationem, ne ob id ſub aliquorum defectuum prætextu puniendorum, pęnitentijs, vel alijs (vt ſolent quandoquè) moleſtijs perturbarentur, motu proprio ſequentem edidit Conſtitutionem menſe Augusti 1563.

Ideò Pius V. ne ſubditi impediantur à denunciatione, ſtatuit, nè per quinquēnium cōtinuum poſt denūciationem poſſint à Superiorib. moleſtari.

Sanctiſſimus D. N. Papa Pius V. in Generali Congregatione S. Officij, vt indemnitati recurrentium ad illud: vel in eo teſtimonium perhibentium prouideret, ſtatuit, & decreuit, vt Regulares quorumuis etiam mendicantium ordinum perſonæ, quæ pro tempore ad Officium S. Inquiſitionis pro quocumquè negotio recurrerint, ſeù confugerint: vel in eo teſtimonium perhibuerint veritatis: aut alias quomodolibet depoſuerint, nequaquam à ſuis Superioribus per quinquennium continuum à die recurſus, ſeù depoſitionis huiuſmodi moleſtari: vel ex quacumque cauſa: vel exceſſibus prætenſis perſonarum illarum; & de debitis propterea pænis, ſeù pœnitentijs eiſdem imponendis, niſi Illuſtriſſimi Cardinales Inquiſitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum; & ab ipſis Cardinalibus deſuper reſponſum fuerit.

Hoc Decretum extat apud Aloyſium Bariolam *in Floribus Directorij Inquiſitor. in fine totius operis*: apud Vmbertum Locatum *in opere Iudiciali Inquiſitorum in fine operis, vbi de decretis S. Congregationis*, Antonin. Dianam *par. 4. tract 8. in fine, vbi Decreta, & Conſtitutiones Recentiorum Pontificum ad Tribunal S. Inquiſitionis ſpectantes*, & apud Ignatium Lupum *Comment. Edicti S. Inquiſitionis p. 1. lib. 4. diſt. 9 artic. 4. diffic. 1.* 132

Caueant tamen ſubditi, ne hac Conſtitutione ad ſuam malitiam, & prauam, ac pertinacem contra Superiores voluntatem fouendam, ac protegendam abutantur; cum mens Summi Pontificis ſit duntaxat, vt quilibet Chriſtifidelis labes hæreticæ prauitatis Tribunali S. Inquiſitionis ſine vllo impedimento liberè denunciare valeat.

§. XIII.

HInc ex prędictis facillimè colligi poteſt, Exorciſtas Theologos, qui vitæ probitate, prudentia, ac ſapientia fulgentes ritè ſuo munere funguntur, eſſe veluti myſticos oculos officij S. Inquiſitionis, quorum viſu acutiſſimo videntur, dignoſcuntur, & quaſi manuducuntur ad eius Tribunal Magi, Malefici, Sagæ, Incantatores, Lamiæ, magici curatores, hæretici, cæterique ſuperſtitioſi homines, mulieres, ac pueri, vt ab hiſce iniquorum fęcibus Reſpublica Chriſtiana emundetur. Quod faciunt Exorciſtæ non quærentes à dęmone mendacij patre, vt dicat: Quomodo formatum ſit illud maleficium: an maneat ibi ligatus; & quomodo debeat deſtrui tale maleficiū: vt docent plures antiqui Exorciſtæ: quia cum dæmon ad aliud non collimet, quàm homines decipere, & trahere ad interitum; vtiquè per huiuſmodi interrogationes ad aliquos trahet errores, aliquem iniuſtè infamando, vel odia fouendo, rixaſquè diſſeminando. Sed prius facto dęmoni præcepto in nomine Ieſu, ne impediat potentias interiores, & exteriores obſeſſi, vel maleficiati iuterroget ipſum; vel potiùs, imò priùs parentes eius, ac domeſticos de origine infirmitatis: de modo, quo talis infirmitas incæperit; An die, vel nocte, & qua hora noctis, puta poſt tertiam horam, & ante quintam, vel ſextam; quia ſæpiùs eo tempore ſolent maleficia operari: An in ſomno, vel vigilia: An domi, vel extra domum: An ex aliquo cibo comeſto, vel potu hauſto: An impetu, vel ſenſim, ac paulatim: An adhibuerit aliquod remedium, & tunc diligenter quærat, quis adhibuerit tale remedium: An Medicus; vel Chirurgus; vel Religioſus, vel Idiota, vel fęmina: An fuerit naturale, vel ſpirituale: An verba fuerint prolata, & quæ ſint illa verba: An ſigna facta ſint cum aliquo inſtrumento ligneo, ferreo, laneo, lineo, lapideo, plumbeo, aureo, argenteo, vel huiuſmodi: An alia interuenerint, quæ nullam vim habent naturalem ad ſanandum. Ex his, & alijs huiuſmodi ferè quotidiè Exorciſta Theologus facillimè magorum, maleficorum, & hæreticorum notitiam hauriet, qua mediante poterit Reuerendiſs. Inquiſitor ab huiuſmodi diaboli aſſeclis Eccleſiam Dei benè expurgare. Qui ergo prohibent, Exorciſtas Theologos ſuo munere fungi; ac præceptis iniuſtis os obſtruunt, ne loquantur, dici poſſunt, præfatos S. Inquiſitionis Officij oculos eruere, ne videant, quæ ſunt videnda, ac remedia debita adhibeant. 133

Ex quib. colligitur, Exorciſtas ritè ſuo munere fungētes eſſe veluti oculos officij S. Inquiſitionis.

Quaredicātur ſu

Prædi-

§. XIV.

134 PRædicti ergo Prælati huiuſmodi ſtatuta, ordinationes, ac præcepta promulgantes, quibus directè, vel indirectè Sanctæ Inquiſitionis officium impeditur; vel retardatur: aut debilitatur, ne magorum, ac maleficorum delicta puniri queant; magorum vtiquè, ac maleficorum fautores ſunt nuncupandi. Ita habetur *in c. Accuſatus. §. Sacerdotes*, & ibi Geminianus *in ſummar. de hæret. in 6.* Bonifacius de Vitalinis *in Clementina 1. n. 160. de hæreticis.* Ioan. Calderin. *in tr. de hæreticis.* Farinac. *de hæreſi q. 182. num. 69. plures allegans Doctores, & in c. vt Inquiſitionis officium. §. finalis. de hæreticis in 6. quomodo impedientes excommunicationis pœnam ipſo iure incurrant:* vbi ſic habetur: *Quòd ſi quis in fidei negotio Epiſcopo, vel Inquiſitoribus ſe opponere: vel aliquatenus impedire præſumpſerit: ſeu auxilium, conſilium, vel fauorem dederit, excommunicationis ſe nouerit mucrone percuſſum*, & ibi Gloſſa *in verbo percuſſum*, Ioan. Monach. *ante n. 1. in verbo prohibemus, & in verbo ſi quis*, & alij plures apud Farinac. *loco citato num. 71.* Et ad hoc ſpecialiter extat Conſtitutio Innocentij VIII. contra magos, ac maleficos. *incip. Summis deſiderantes affectibus:* vbi Inquiſitoribus Germaniæ præcipit, corrigere, incarcerare, punire, & multare iuxta eorum demerita nonnullos clericos, & laicos earum partium quærentes plus ſapere, quàm oporteat: quia nonnulla aſſerere audebant, quibus aliquo modo officium S. Inquiſitionis impediebatur, vel retardabatur, ne labes hæreticæ prauitatis, aliorumquè magorum, ac maleficorum exceſſuum, quæ in perniciem aliorum innocentium ſua venena diffundebat, expurgaretur, ac prorſus extirparetur. Idem inculcat etiam Adrianus VI. *Conſtit. quæ incipit: Dudum vti nobis.*

Prædicti Prælati talia ſtatuta promulgantes nuncupatur fautores magorũ ac maleficorum.

§. XV.

135 ET licèt prædicti impedientes non ſint hæretici, niſi per annum in illa excommunicatione ſteterint animo pertinaci; ſunt tamen de hæreſi ſuſpecti; & contra eos procedere poſſunt Inquiſitores. Ita Bonifacius de Vitalinis *in Clement. 1. num. 160. de hæreticis.* Vmbertus Locat. *in iudicial. Inquiſit. in verbo ſuſpicio n. 11. & 12.* Repertor. Inquiſitorum *in verbo Fautores. verſ. Impedientes.* Campegius *in additionibus ad Zanchinum in tract. de hæret. c. 20.* Pegna *in additionib. ad Eymeric. in Direct. Inquiſit. p. 2. q. 54. comment. 79. litera B. folio mihi 401.* Vbi etiam tradit: An hæc ſuſpicio ſit vehemens, vel leuis, ex qualitate perſonarum, & modo impediendi dignoſcitur.

Ac de hæreſi ſuſpecti cẽſentur

136 Quare cum huiuſmodi ſtatuta, quibus directè, vel indirectè Inquiſitionis S. officium impeditur, debilitatur, vel retardatur, nihil valeant, ſtatuentes compellendi ſunt per cenſuram eccleſiaſticam ad tollendum talia ſtatuta, textus eſt expreſſus *in c. Statutum. il primo de hæret. in 6.* & ibi Gloſſ. *in verbo Directè, & in verbo Indirectè*, & communiter Canoniſtæ omnes. Extat Conſtitutio Innocentij IV. *edita de anno 1252. incipit. Ad extirpanda, verſ. cæterum tenebantur. relata per Pegnam inter literas Apoſtolicas folio mihi 11.* Item & alia Conſtitutio Alexand. IV. *edita de anno 1257. incipit: Implacida relatio, relata per Franc. Pegnam vbi ſupra folio 26.* Summa Roſella *in verbo Hæreticus. n. 39.* & alij plures apud Farinacium *de hæreſi. q. 182. n. 76.*

Ideo ad huiuſmodi ſtatuta tollẽda cõpellendi.

§. XVI.

HVc referendi ſunt illi, qui magos, aut maleficos, & alios id generis hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos aliquo modo directè, vel indirectè occultant, ne Tribunali S. Inquiſitionis denuncientur; & ad manus curiæ deueniant. Qui vtiquè dicuntur magorum, ac maleficorum, vel etiam hæreticorum fautores, ſicut expreſsè de hæreticos occultantibus probat Farinacius *loc. cit. num. 95.* plures allegans Auctores. 137

6. Occultando vel directè, vel indirectè

Hinc Parochi, ac Concionatores, qui inter miſſarum ſolemnia; vel coram populo in Eccleſia congregato, ne ſtriges denuncientur, & ad manus Iuſtitiæ deueniant, ſuadent populo ne credant, in ſua Parochia aliquem eſſe magum, maleficum, aut ſagam, nec vllum eſſe maleficiatum, dicendi ſunt maleficorum fautores.

Vt Parochi, & Cõcionatores publicè populo ſuadentes, ne credant in ſua parochia aliquã eſſe ſtrigem, vel maleficiatũ hi ſuſpecti sũt de hæreſi.

Hoc enim nil aliud eſt, quàm impedire, ne denuncientur: vel efficere, vt occulti maneant; & magis, magiſquè eorum virus gliſcere, ac nefaria eorum flagitia multiplicari queant. Ideòquè talia publicè proferentes ſuſpecti ſunt de hæreſi. Pro quibus faciunt ſupradicta. Ita Farinacius *de hæreſi q. 182. num. 95.*

Tandem fautores magorum, ac maleficorum dicuntur 1. illos viſitantes, & cum ijs ſuſurrantes, dum carcerati habentur. 2. qui valdè lamentantur de eorum comprehenſione, & morte. 3. qui dicunt, eos iniuſtè damnari. 4. qui ægris oculis aſpiciunt illos perſequentes, vel denunciantes. 5. furtiuè colligentes magi, aut malefici hæretici combuſti oſſa abſcondenda. Hi haberi debent vti vehementer de hæreſi ſuſpecti. Ita Pegna *2. part. Directorij Inquiſit. comment. 78. verſ. Iam vt nihil. Ex Iuoneti ſumma.* Farinacius *vbi ſupra num. 10.* Zanardus *in ſumma diuin. Præcept. tom. 1. cap. 5. de fide. verſ. Fautoriæ*, & Carena *de off. S. Inquiſ. p. 2. tit. 4. num. 18.*

SECTIO IV.

In Requirentibus.

NIhil eſt tam proprium, ac naturale hominibus, & animantibus, quàm ſibi noxia fugere, proficua quærere; mala cuncta repellere, & bona omnia corporalia, quæ poſſunt, ſolertiſſimè proſequi. Et hoc tam innatum eſt illis, vt homines; qui rationis vſu ſunt participes in tribulationibus, anguſtijs, ac neceſſitatibus nedum remedia naturalia; ſed & ſupernaturalia, ſi quæ ſibi profutura agnoſcunt, toto cælo adhibere contendunt. Et licèt *Deus*, qui eſt Fons omnium bonorum, *refugium noſtrum, & virtus, adiutor in tribulationibus, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem*, vt ait, Ieſus filius Sirach *Eccleſiaſt. 31.* paratiſſimum ſe exhibeat, nobis ſuum impendere ſolamen, & auxilium ſi ad ipſum toto corde ſupplices, & humiles confugiamus, per Prophetam dicens *pſal. 49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me:* & ſæpius alibi tam in nouo, quàm in veteri teſtamento. Sunt tamen multi ex hominibus ita excæcati; quòd ſpreto Deo, qui omnia poteſt, cuncta nouit remedia bonum afferentia, & omnibus vult benefacere pro ſua bonitate, ac pietate, ad dæmonem confugiunt, ſentinam omnium malorum, cuius poteſtas admodum ligata, ſapientia obſcurata, ac bonitas funditùs ablata, & ab eo, qui non niſi ad 138

Homines aliqui nimis intẽti ſaluti ſuæ corporali

Spreto Deo ad dæmonem confugiunt ab eo auxiliũ requirẽtes

Alij Immediatè Alij Mediatè.

malum omnibus inferendum ſemper intendit, in ſuis anguſtijs ac neceſſitatibus auxilium petunt, ac requirunt Alij Immediatè: Alij Mediatè: vt ſequentes articuli declarabunt.

ARTICVLVS I.

Immediatè.

§. I.

A dæmone immediatè quærunt auxiliũ qui cum eo pactũ habent expreſsũ quibus videtur opitulari in Infirmitatib. Neceſſitatibus cũ ad manus Iudicum deueniunt. Quibus, nè fateãtur delicta opitulantur per maleficium taciturnitatis

139 IMmediatè illi à dæmone in ſuis anguſtijs, ac tribulationibus implorant auxilium, qui cum ipſo pactum expreſſum inierunt: vt malefici, qui dæmonem vt ſuum Deum, ac Dominum agnoſcunt, quibus ipſe vt ſibi obſequentibus ſuam promittit opem in neceſſitatibus. Sic ſæpiùs poſtquam hæc ſua mancipia varijs affecit tunſionibus, atquè moleſtijs, veniam humiliter petentibus, & aliquid ei in ſacrificium offerentibus ſuum impertitur auxilium, & ab infirmitatibus eripit, eis licèt imperfectam conferens ſanitatem: vt docent Binsfel. de Conf malef. & Auctor. Mallei.

Nec duntaxat in infirmitatibus; ſed & in maioribus neceſſitatibus non derelinquit: vt quandò ad manus Iudicum deuenerunt; & ex decreto eorum ſunt torquendi, ne à tormentorum vi, ac cruciatuum acerbitate victi cogantur fateri veritatem dũ magis, ac magis eius implorant adiutorium, vt ſibi in tantis periculis opem ferat: ipſe, vt ſe diligentem exhibeat tutorem, & adiutorem, eis accurrit, varijs modis per maleficium taciturnitatis præcipuè ſuum impendens ſolamen, & adiutorium: vt docent Marſil. *in L. Repeti. ff. de quæſtionibus.* Paulus Grillandus *in tract. de quæſtion. & tort. in quæſt. 4. à num. 12.* Damhaud. *in rerum criminal. praxi cap. 37. à num. 21.* Eymericus *in 3. par. director. Inquiſitorum, in cap. De tertio modo terminandi proceſſum in cauſa fidei per tormenta.* & Commentator eius Franciſcus Pegna *ibidem commẽt. 39. in litera F.* Malleus Malefic. *in 3. par. q. 15.* Nicolaus Remigius *lib. 3. dæmonol. cap. 8. & 9.* Delrius *lib. 5. diſquiſit. magic. ſect. 9. verſic. Quoad tertium dubium.*

Quomodo componatur. Varijs modis ſilentium cauſare ſolet.

Huius autem ſilentij, & taciturnitatis maleficium componitur, vt tradit Sprenger *in malleo malefic. par. 3. cap. 14.* ex quibuſdam membris infantuli non baptizati violenter necati, & in puluerem redacti, quibus cineribus corpori inſperſis, vel occultatis, ſilentij hanc vim conſequuntur. Fit autem hoc artificio diaboli multis modis: Multiplex enim eſt cauſa huius ſilentij.

§. II.

1. Operãdo, ne dolorem sẽtiant.

140 PRimò aliquando tacent, quia dolorem non ſentiunt. Poteſt enim dæmon res applicare eis naturales, quæ vim habeant naturalem efficiendi inſenſibilitatem in doloribus, & tormentis: aut ſaltem leniendi, & minuẽdi dolorem; ita vt vel dolorem non ſentiant: vel leuior, & tolerabilior dolor videatur. Eſt enim dęmon, (vt ſupra *to. 1. diſp. 2.* ſignificatum eſt,) peritiſſimus, acutiſſimusquè rerum naturalium perſcrutator, vndè exactè cognoſcit herbarum, lapidum, aliarumquè rerum, quæ naturæ ordinem non tranſcendunt, vires, & effectus. Scribit enim S. Albertus Magnus *in lib. de ſecretis natura,* vt eum allegant Paris de Puteo *in tract. Syndicatus in cap. 2. de tortura* Grillandus *in d. q. 4. num. 13.* quòd lapis quidam Meſites dictus, eò quòd oriatur in ciuitate appellata Meſis in partibus oriẽtalibus Ægypti, contritus, & aqua, aut vino mixtus, datuſquè ad potandum illi, qui torquendus eſt, inducat inſenſibilitatem pænæ, & cruciatus. Hunc lapidem rectiùs cum Dioſcoride *lib. 5. pharmacorum Simplicium cap. 149.* & alijs: Memphitem appellaueris, à Memphi ciuitate.

§. III.

SEcundò aliquando dæmon, cum ſit inuiſibilis, & ſpiritualis, etiam inuiſibiliter operatur, ſic virtute ſua corpus malefici, aut ſtrigis ſubleuat, vt tortura nullum dolorem inferat. Et ſicut corpus poteſt eleuare, ſic etiam non eſt eidem difficile pondera in altum tollere, ita vt nequaquam corpus, & eius membra extendant: ſic laxare funes, quibus malefici ligati, & extenſi manent. Aliquandò verò ea, quæ corpori infligi, vel infundi videntur, ipſe aliò auertit: aut vim eorum priuſquam corpus contingant, tollit: aut aliquid medium denſum, & ſolidum, quod ſimul facit, ne adſtantibus ſit conſpicuum, interponit. Aliquando deniquè corpus ipſum malefici ex equuleo tollit, & aliud ſubſtituit; quæ cuncta, cum Deus permittit, illi ſunt facillima? Rariùs tamen hanc ſuperpoſitionem corporis alterius contingere putat Delrius loco citato: frequentiùs auerſionem illam, ſiuè depulſionem: item interpoſitionem. 141

2. Eos ſubleuando, nè tortura dolorem inferat.

§. IV.

TErtiò quandoquè, imò ſæpiùs taciturnitatem inducere ſolet dæmon per aſſiſtentiam in gutture malefici, præcluſis illi interiùs faucibus, & ore, ea moderatione vt non præfocetur, loqui tamen non queat: interdum etiam organo auditus ſic obſtructo, vt Iudicis voces, interrogationeſquè non exaudiant rei; quorum exempla ſuggerit Nicolaus Remigius *lib. 3. Dæmonolatriæ cap. 8. & 9.* 142

3. Aſſiſtẽdo in gutture malefici.

Blainuillæ in Lotharingia Anna Xallea Anno Domini 1587. Calendas Mart. eſt ſupplicio affecta, quæ dixit, ſe imis faucibus dæmonem ſuum, cum torqueretur, occluſum habuiſſe, quo faciliùs locuturæ vocem inhiberet, ſi fortè per doloris impatientiam ad fatendum vrgeretur. Et qui torturæ aſſiſtebant, aduerterunt, tortas fauces in eum tumorem accedere, vt mentum ipſum ſua elatione propemodum adæquare viderentur: tum adeò decolorari, vt facilè intus angorem ineſſe maximum conijcerent. Haud multum diſſimile, vt Grillandus narrat, accidit, eo Iudice Romæ. Malefica quædam antequam in tortura eleuaretur, verba quædam ſubmiſſa voce dicebat: deindè eleuata ſilebat penitùs velut mortua, & nigrior apparebat in vultu carbone extincto, oculos extra caput valdè tremendos, more illorum, qui ſtrangulantur, emittens, & nihil penitùs loquebatur nequè boni, nequè mali. Eandem ſilentij neceſſitatem ſibi à dæmone illatam confeſſa eſt Franciſca Fellæa morte multata Pangæij Anno Domini 1584. 5. idus Nouembr. Nicolao Remigio teſte; quæ præterea ita occluſas ad vocem Iudicis aures ſe habuiſſe dixit, vt quàm primùm interrogaret, nihilo plus audiret, quàm ſi is nihil omninò loqueretur. Erat

ergo

ergo huius fæminæ malus ſpiritus non ſolùm mutus; ſed etiam ſurdus, ideſt, ſua præſentia mutum, & ſurdum pro ſua voluntate efficiebat. Quemadmodum Marci 9. *Spiritus à Chriſto eiectus erat ſurdus, & mutus quantum ad effectum, quem cauſabat. Anna Morelia ſimili modo Anno Domini* 1581. 3. *Calend. Decembris. Hadouillæ alij quidam malefici, cum in tormentis eſſent, dæmonem non conſtitiſſe propiùs ad ferendam opem, quàm extremis equuleis, refert idem Remigius. Vnde æque locuturis vocem inhibebat, ac ſi auribus ipſis ſeſe totum inſeruiſſet.*

§. V.

143 QVartò inducit taciturnitatem malus ſpiritus per aſſiſtentiam exteriorem, aut ſuggerendo ei, qui torquetur, ne loquatur; aut eum confortando, vt breuem quidem torturam fortiter perferat ſpe vitæ longioris: aut etiam minando verbera, ſi delictum confiteatur. Atquè hic modus, vt putat Binsfeldius *Comment. in tit. C. de malefic. & mathem. in L. Etſi excepta q.* 1. *concl.* 15. maximè locum habet in eis, qui duritia mentis, & fortitudine corporis valent. De quibus ab Vlpiano *in L.* 1. §. *Quæſtioni fidem ff. de quæſt.* dicitur, quòd pleriquè patientia, ſiuè duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, vt ab eis veritas exprimi nullo modo poſſit. Quod confirmat etiam Fabius Inſtitut. Orator. *lib.* 5. *cap.* 4. dicens: *Pleriquè ſic tormenta contemnunt, vt patientia facilè mendacium faciat.* Quod & de Leæna Meretrice, Anaxarcho, Antiphilla Cyrenenſi, alijſquè multis ſcriptum reliquerunt Plinius *lib. hiſtor. natur.* 7. *cap.* 23. Valerius *lib.* 8. *cap.* 4. & Remigius *loco citato:* Ex quo vnicum referam memoratu dignum:

1. Aſſiſtē- do extrin- ſece mul- tipliciter

Blainuillæ Anno Domini 1587. 17. *Calend. Februarij Alexia Belhoria cum per aliquod ſpatium in carnificum acerrimis tormentis permanſiſſet, tandem cum ad ſpontaneam ſuorum delictorum cõfeſſionem ſe accingeret, & à Dominica oratione, vti mos eſt Chriſtianis, auſpicaretur, ſtupentibus præ admiratione, qui tum aderant, omnibus, in murum, quem poſt ſe habebat, auerſa ruit tanto impetu, vt pro enecta iàm multis tollenda videretur. Sed paulatim ad ſe rediens, ac deliquij cauſam, rogata.* Non videtis, *inquit*, ſub lecto proſtratum carnificẽ, qui me modò faucibus comprehenſam penè præfocauit? En etiam vt terrorem vultu minaciter obijcit; atquè, quantum poteſt, inhibet, ne de ſe verbum vllum dicam. Nec me nunc quidem primùm à vero dehortari tentat; Nam iam cum torquerer, in aurem ſiniſtram ſe policis inſtar intulit, monens ſedulò linguam vt temperarem; nec vinci me ſinerem exigui temporis non admodum vehementi dolore:

Sic veluti ſtrenuus pugil non conquieſcit, nequè defatigatur, dum ſupereſt certandi copia, atquè occaſio. Nec prius vnquam deſtituit, quos ſemel habuit obſequentes, quam ipſi illi, ceù agni lupo fuerint erepti.

§. VI.

QVintò ſolet illis dæmon membranulas, & alia inſtrumenta magica varijs notata characteribus ſuppeditare, quibus in locis corporis ſecretiſſimis abditis ex pacto ſenſum adimit, ita vt vel ſomno profundiſſimo opprimantur: vel vultu hilari rideant, & Iudices irrideant. Confirmat hanc veritatem quoddam memorabile factum adductum à Iodoco Damahaudero *in ſua pract. crimin. cap.* 37. *num.* 21. ſic aſſerente. 144

5. Per membranulas, & alia inſtrumenta.

Ipſe vidi, cum in ciuitate Burgenſi eſſem à conſilijs in muliercula admodum anu, quæ tum habitu, tum victu, tum inceſſu, tum moribus, & fucata ſanctimoniæ ſpecie ab omnibus venerabatur, veluti vera Chriſti Apoſtola, quòd multarum matronarum filias, ac filios quaſi miraculosè curaret, gibbos liberaret, crura, tibiaſquè confractas illicò reſtitueret; idquè non arte, aut externo medicamine aliquo adhibito; verùm, vt olim Apoſtoli, pietatis aliquo exercitamento, nempè, vt vno, duobus, vel tribus diebus ieiunarent in pane, & aqua: vel vt ter legerent orationem Dominicam: & inuiſerent aliquas Eccleſias: vel vt ſacrum vnum aut alterum religiosè audirent: aut aliquas preculas perſoluerent ægri. His rebus iniũctis ritè expletis, illicò, aut certè intra paucos dies à morbis liberabantur, & firmæ valetudini reſtituebantur. Cum iſtius mulierculæ ea facta in vulgus latiùs ſpargerentur, à Senatoribus intempeſta nocte iuſſa fuit ex lecto comprehendi, & carcere mancipari. Poſtridiè cum ab iiſdem Senatoribus perquireretur, quomodo, quibus medijs, quo fœdere, quaquè fiducia freta ſuas curas perageret, intrepidè ſemper reſpondit, ſe piè cuncta exercuiſſe, & bonis, pijſquè rationibus, atquè ideò non debuiſſe tàm ignominiosè comprehendi. His non obſtantibus ex certis indicijs per Senatum adiudicabatur torturæ; ad quam cum veniſſet, & verbis perſuaſorijs examinaretur, conſtanti vultu, & animo ſemper perdurauit in ea ſententia, ſe nihil eorum, quæ fecerat, dæmonis ope peregiſſe; ſed omnia pio, & licito modo. Interim ob conſtantem negationem torturæ tradita eſt: illa autem non lamentationem, aut clamores edidit; ſed horum loco ſubridere cæpit; & quamuis ligata, digitorum tamen comploſionibus Iudicibus ipſis inſultabat; & poſita ſuper ſcamno, aut riſit: aut dormiuit. Hinc factum, vt è ſcamno, & tortura relaxaretur, & iterum in carcerem reciperetur: poſtea noua indicia habita torturæ iterum tertiò adiudicatur. Verùm priuſquam ſcamno imponeretur, totius corporis pilos, & crines abradi curauimus, poſtea ſcamno imponitur, acerrimè torquetur, nihil tamen fateri voluit. Tandem quibuſdam adſtantibus ſuccurrit, eam non eſſe tonſam in pudendis tam retrò, & ante, & ſub axillis, vbi per tonſtrices illi quoquè crines abraſi fuerunt; & inter radendum reperta fuit pergamena in pudendis retro, & ante inſerta, cui inſcripta fuerant aliquot peregrina vocabula dæmonum crucibus aliquot inter ſe diſtincta, hac pergamena Senatoribus exhibita occaſionem præbuit, vt rurſus ſcamno traderetur torquenda, vbi facta plenè paſſibilis, omnia nudè fatebatur quæcumquè prioribus

infor-

informationibus fuerunt propoſita; cum autem rogaretur, cur prius fateri noluit: Niſi à me, *inquit*, omnes crines, atquè etiam hanc ſchedulam abſtuliſſetis, numquam à me perquirere quicquam potuiſſetis: vt quæ per illa facta eram impaſſibilis; *quod haud dubium veriſſimum erat*. Hæc omnia Damhaud. vbi ſupra.

Factũ ſimile accidiſſe in Vrbe Neapolitana teſtatur Ambroſius *de proceſſu informatiuo lib.4.cap.7.n.13.* vbi in tali caſu, os, foramina narium, & aurium, anum, vel vuluam, & ſi quà plaga, vel cauterium aut inciſio in corpore adſit, diligenter inquirenda eſſe, vt plura alia, quæ in tali caſu facienda eſſe, adducit etiam Chartarius *de interrogatione reorum lib.4.cap.1.num.220. & ſequent.* cum Marſilio *in pract. crimin. §. Nunc videndum num.52. Sed his cautelis mox dicam*.

145 *Quibus pœnis ſint obnoxij dicti ad dæmonē recurrētes* Ex ijs modis taciturnitatem in maleficis cauſandi colligere poſſumus, quam ſolertem ſe exhibeat dæmon ſuorum aſſeclarum defenſorem ad eum in ſuis anguſtijs confugentium, eius opem aſsiduè requirentium, & ſuppliciter auxilium implorantium. Quos certè vel vt hæreticos, vel vehementer de hæreſi ſuſpectos eiſdem pœnis, quibus ſupra *à n.58 & ſequentibus* obnoxios eſſe, quis ibit inficias?

§. VII.

146 At, cum prædicta omnia ſubſidia fiant arte diabolica, videamus modò, qua ratione Iudices artem arte deludere, & clauum clauo extrudere poſsint.

Maleficium taciturnitatis impediunt Alij illicitè per quādam in carcerem deportationem. Alijs cautio eſt, vt à lictoribus ſublimes de domo tollantur, abrepti à terra, Anthæi inſtar in carcerem deportentur. Quem morem in vſu præſertim habent Germani, qui vaſtum regnum incolunt: vt refert Remigius *lib.3.c.9.dæmonol.* At quia iſte modus planè eſt ſuperſtitioſus; ideo relicto vnà cum alijs ab eo relatis, de quibus infra loquimur *par.2. huius diſpututationis num.171.* eos duntaxat referam, qui ſunt in vſu apud Iudices catholicos, & pios. Petrus Binsfeldius *Comment. in tit. C. de maleſic. & mathem. in L. Etſi excepta q.1. concluſ.15. in fine* quoddam tormenti refert genus, quod non lædit corpus, & maximè eſt potentiæ ad confeſsionem ex maleficis eruendam; de quo Marſilius *in L.1 ff. de quæſtion. col.12.* teſtatur, ſe experienriam ſumpſiſſe in duabus fæminis maleficis, dum eſſet Capitaneus Vallis Lugani, quæ tormenta alia non timuerant, & vicerant; ſed adhibito hoc in ſpatio quadraginta horarum omnia plenè delicta confeſſæ fuerunt. Reus ponitur ſuper ſcamno ad ſedendum, & ibi adſunt duo, qui eum cuſtodiunt, vt non dormiat, nec die, nec nocte: & cum ipſe reus inclinat caput in vnam partem propter ſomnum, famulus, qui eſt ab illa parte, dat cum manu ei in capite, & excitat eum, & eleuat caput: Idem facit alter famulus, quando caput inclinat verſus ſuam partem; Et quando illi duo ſunt defeſsi, & volunt dormire, alij duo noui ſubrogantur in locum illorum, & non permittunt vnquam dictum reum dormire, & quieſcere, donec omnia confiteatur promiſſa ſibi quiete, & in duabus noctibus, & vno die hoc modo defatigabitur, & confitebitur. Fatetur Marſilius ſæpè ſe vſum hoc tormento contra obſtinatos, & non timentes tormenta, & ait: *Verè nemo ita ferox inuenitur, qui huic tormento poſſit reſiſtere*. Sed quia impedit, quin dæmon poſsit per maleficium aliquod ex ſupradictis taciturnitatem inducere; ideò quæramus alios modos, quibus maleficia dæmonis tollantur.

§. VIII.

Aliis viſum eſt, & benè, nempè Iacobo Sprengero, Henrico Inſtitori & aliis *in Malleo maleſ. par.3. quæſt.14.* Binsfeldio *loco citato*, Delrio *lib.5. diſquiſ. magic. ſect.9. verſic. ſecundo, vt dum miniſtri. fol. mihi 705.* Dumminiſtri ſe parant ad torquendum, optimum eſſe, alios interea expoliare reum, (ſi ſit mulier,) expoliandam eſſe ab aliis mulieribus, antequam ad torturã ducatur, ne quid in veſtimentis lateat maleficii. Hoc oſtendit factum, quod accidit Brixiæ Anno Domini 1643. cum quedam mulier, de qua *ſupra tom. 1. d.3. num.524.* de hęreſi ſuſpecta carceribus eſſet mancipata, bis fuit à Iudice per torturam perquiſiti, vt circa nonnulla delicta, de quibus indicia habita fuerant, veritatem fateretur; At illa cum conſtanter omnia negaſſet: pręcepit Iudex, eam à quibuſdam mulieribus propriis ſuis veſtimentis expoliari, & induere ſubuculam à Sacerdote priùs benedictam, quam induta tertio tradita fuit turturæ, & tunc ſtatim omnia ſua confeſſa eſt delicta. Et quæſita, cur prius noluiſſet fateri veritatem, reſpondit: *Numquam potuiſſem verum fateri, donec priora illa veſtimenta induta eram*. Cuius rei certior factus fui, dum ſententiæ contra eam prolatæ ex proceſſu extractæ apud me habui exemplar. 147 *Aly licitè per veſtimentorum expoliationem.*

§. IX.

Aliam cautionem adhibere ſolent: vt teſtantur Sprenger *in Malleo maleſ.* Iodocus Damahuderus, Delrius, & Binsfeldius *loco citato*: Iubent, capillos capitis, & barbæ abradi, imò & per totum corpus etiam in partibus ſecretioribus: ſi fæminæ ſint, à fæminis: ſi viri, à viris: ſic cauetur inhoneſtas, ac verecundia, propter quam Inquiſitorem Germanici Sprengerus, & alii non auſi ſunt, hoc vti remedio, vt ipſimet profitentur, addentes alibi hoc in vſu eſſe. Tamen (inquiunt) in aliis regnis Inquiſitores talem per totum corpus abraſuram fieri mandant. Vndè & Cumanus Inquiſitor hoc ipſis inſinuauit: quòd anno elapſo (qui fuit 1485.) maleficas incinerari mandaſſet, omnibus per totum corpus abraſis, Et hoc in diſtrictu, & comitatu Burbiæ in confinibus Archiducis Auſtriæ verſus Mediolanum: Quod etiam exemplo ſupra relato confirmat Damahuderus. 148 *Per abraſionē omnium capillorum.*

In hac autem tonſione illud diligentiſsimè eſt obſeruandum, ſi fiat duntaxat, ne ſigna maleficii lateant foraminibus corporis inſerta; vel crinibus inſperſa, rite id fieri. Eademquè de cauſa, ne qua vnctio ſubeſſet, ſuadet Delrius, totum corpus aqua calida prius diligenter abluendum. Sed ſi tonſio fieret ea opinione: quòd per eam robur corporis, & animi fortitudo pereat, exemplo Samſonis, in quo totum id diuina virtute contingebat, & etiam documento Apollonii Thyanæi, vt tradit Remigius *lib. 3. cap. 9. dæmonol.* hoc magicum, & ſuperſtitioſum vt potè dæmonis operum Dei vbiquè improbi æmulatoris commentum, & vt ſub ſpecioſo velamine homines illaqueet, nemini mediocriter ſcienti eſt ambigendum.

Non-

§. X.

Per remedia eccleſiaſtica.

149 NOnnullis tandem valdè proficuum, & vtile viſum eſt, ſi ſimul cum quæſtione aliqua remedia eccleſiaſtica, quibus dæmonis vires infringi ſolitæ adhibeantur. Idcircò præmittendam eſſe Exorcizationem, non quòd poſſeſſas à dæmone ſagas omnes ſentiant; ſed quia dæmonem habent præſentem, cuius ope; & perſuaſionibus, vt ſupra monſtratum eſt, in ſua malitia, & peruerſitate obſirmatæ manent: impediunturquè, ne lingua ſua veritatem fateri valeant. Vtile inſuper exiſtimatur, ſi torquendi collo appendantur ſacræ reliquiæ: vel agni cerei effigies conſecrata: item ſi aqua benedicta in os infundatur, & ea corpus aſpergatur: & cum vtuntur tormento, in ſomnis cerei benedicti inſtillatio inopinata. Verùm hæc omnia ab vſu docentur: & cauendum, ne ſacris hiſce remedijs ſuperſtitioſi aliquid ratione materiæ, temporis, aut numeri immiſceatur. Ità ſentiunt Syluester *lib. de ſtigimag. admirand.* Delrius *lib. 5. diſquiſ. magic. Append. 2. quæſt. 25.* Qui etiam *q. 29.* docet loquens de ſagis, poſſe in tali caſu Iudicem deſiſtere à tortura, & poſt alios dies repetere: quia dæmon non ſemper ſtrigibus aſſiſtit; ſed aliquando deſerit, vel ſponte ſua: vel Dei iuſſu: vel non ferens eccleſiaſtica remedia, quæ adhibentur. Huic ſententiæ ſe ſubſcribunt Antonius Queuedo *in lib. de indic. & tortura par. 2. cap. 6. per totum,* & Diana *Reſolution. moral. par. 4. tract. 6. de tortura in S. Officio &c. Reſolut. 37.* Sed omnium vtillimum erit vti remedio à nobis tradito infra *diſput. 4. num. 952. & 953.*

ARTICVLVS II.

Mediatè.

§. I.

Requirunt mediatè à dæmone auxiliũ qui ad maleficos recurrunt, vt maleficium maleficio ſoluant. Hoc licitũ putat Aureol. Probat à ſimili.

150 SAnitatem, vel quoduis auxilium mediatè à dæmone requirunt illi, qui ad maleficos curatores pactum habentes cum dæmone expreſſum confugiunt, vt maleficium maleficio ſoluant. Quod licitum eſſe, ſi à malefico parato requiratur, opinatur Petrus Aureolus *in 4. ſentent. d. 34. q. 2.* quem ſequitur Angelus *in verb. Superſtitio.* §. 13. Dicunt enim, ad bonum finem malitia hominis parati vti licere: ſicut etiam petere mutuum ab vſurario: Sacramenta à ſuo Curato in mortali peccato exiſtente: & iuramentum ab infideli, qui per deos falſos eſt iuraturus. Quis autem non videat hæc omnia licitè peti poſſe? An petitur fortaſſe effectus aliquis poſitiuus, dæmonis, nempè, auxilium ad aliquid peragendum? Sed ſola deſtructio maleficij petitur, quæ bona eſt. Cum non poſſit excogitari remedium aliud ad tollendum maleficium (aiunt ipſi) cur non erit licitum quærere à malefico parato, vt maleficium maleficio tollat?

§. II.

151 AT veritas oſtendit, accedentes ad eos, qui publica infamia ſunt notati, & veluti magi, aut malefici reputati, vt ſanitatem per artem ſuam magicam impertiant, ne dum culpæ mortali obnoxios, ſed pæna debita multandos ſiuè per ſe recurrant: ſiuè per accidens.

Huiuſmodi opinio reprobatur, quia Falſa, Erronea, Cõtraria ſibiipſi.

Ideòquè inprimis quàm ſit falſa, erronea, & ſibi ipſi contraria, omninoquè improbabilis prædictorum opinio Auctorum, ipſamet ratio dictat. Fatentur enim, non licere, accedere ad eum, qui facere nouit maleficia, non tamen ſolitus eſt, ac paratus illa facere, vt maleficium maleficio ſoluat: cum ipſi mago intrinſecè ſit malum, per magicam artem aliquid efficere, quamuis ad bonum finem: quia *non ſunt facienda mala, vt eueniant bona* Paulo teſtante *Roman. 3.* Quod in his maximè veritatem habet, quæ ſunt intrinſecè mala. Et ſicut ipſe maleficus licitè non poteſt vti arte ſua ad maleficium auferendum: nec alius poterit licitè inducere ad id faciendum, ſi ipſemet maleficus non eſt paratus.

§. III.

SEd ecce falſitas, & contrarietas. Vos dicitis, non licere, petere à malefico non parato, vt maleficium maleficio tollat: quia hoc eſt intrinſecè malum. Res enim, quæ petitur, ex natura ſua mala eſt. Etſi aliquid peteretur, quod ex ſe licitum eſſet, & ſine peccato fieri poſſet, licitum vtiquè eſſet, illud poſtulare ab aliquo, vt notat Caietanus *2. 2. q. 67. art. 4.* quamuis illud ſine peccato facturus non eſſet: Eſt enim accidentarium, quòd alter peccaturus ſit faciendo: quia ex malitia ſua addit operi poſtulato malitiam, & non ex vi petitionis. At non videtis ex veſtra poſitione nihil aliud ſequi, quàm non eſſe intrinſecè malum, per magicam artem maleficia tollere: dum vultis concedere licitum eſſe, à malefico parato petere, vt maleficium maleficio ſoluat; quod eſt omninò contrarium poſitioni veſtræ, & ſpeculatiuè, & practicè improbabile? Si enim maleficia tollere per maleficia eſt opus per ſe illicitum, quod numquam benè, & licitè fieri poteſt: quomodo licitè poterit quis poſtulare ab alio quantumcumquè parato, vt faciat tale opus? At quia ipſe nequam eſt, opus, quod ex natura malum eſt, poterit fieri bonum? Dum vultis quærere, ac petere opus per ſe malum, nonnè ex conſequenti petitis malitiam, quæ eſt inſeparabilis ab opere? Poteritnè quis velle adulterium, vel blaſphemiã formaliter, & nolle malitiam talibus criminibus adnexam? Ecce falſitas, & contrarietas. Qui ergo petit à malefico, licèt parato, vt maleficium per artem magicam, vel maleficam deſtruat, auctor quidem eſt operis poſtulati ex ſe intrinſecè mali: quia rogans, ſicut & conſulens cauſa moralis eſt operis poſtulati; ideòquè & malitiæ auctor eſt dicendus; & talis peccati cauſa moralis, & propria; cum malitia à tali opere nequeat ſeparari: eò magis ſi ipſemet maleficiatus ad ſanitatem obtinendam ſit paratus, ea præſtare ſibi à maleficio imperantur. *Quicquid enim eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati;* ex Ariſt. *in Antepredic. cap. 3.* 152

§. IV.

Fundamenta eius nullius ſunt roboris.

AT inſpiciamus eorum fundamenta ſine fundamento. Quam enim vim ad hanc rem habere poſſunt illæ rationes adductæ de Vſurario, de Curato, & de Infideli? Nam exempla ſunt valdè diſſimilia; quia qui petit mutuum ab vſurario parato non excuſatur à culpa; eò quòd non ſit cauſa mutui; nam reuera cauſa eſt; ſed excuſatur; quia mutuum de ſe bonum eſt, & ipſe non cauſa 153

vſura-

vſurarum; nequè illa petijt, ſed permiſit. Sic qui ab infideli petit iuramentum, non vult, vt per falſos Deos iuret: quia tunc peccaret; ſed ſolummodò petit, vt iuret; ſi daretur petenti optio, eligeret, vt per Deum verum trinum, & vnum iuraret. Similiter de Curato eſt dicendum: Nonnè poteſt ſine peccato miniſtrare, ſi prius pænituerit per confeſſionem; vel ſaltem contritionem? At maleficium eſt de ſe intrinſecè malum, ideò numquam poteſt licitè fieri; & per conſequens nec quis licitè petere, vt fiat. Nam petens, & inducens conſentit in peccatum alterius, quod ſine reatu eſſe non poteſt iuxta D. Pauli ſententiam *Roman. 1. Digni ſunt morte non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt*. Licèt enim talis maleficus paratus eſſet, non tamen feciſſet illud particulare maleficium, niſi petens eum induxiſſet.

§. V.

154 *Et confirmatio ſine infirmitate*

ET quàm infirma ſit illorum confirmatio, in qua aſſerunt, non peti effectum poſitiuum; ſed ſolam maleficij deſtructionem, quis eſt ità ignarus, qui non agnoſcat, ſi petitur maleficium maleficio tolli, poſitiuum aliquod poſtulari; quia petitur, vt fiat illud maleficium, quo aliud eſt tollendum: & ideò licèt deſtructio prioris maleficij non ſit mala; illam tamen procurare tali medio, intrinſecè malum eſt: quia inuoluit ſocietatem, & pactum cum ipſo dæmone, & cultum quendam eius. Nam rogare dæmonem, vt benè aduertit Suarez *de Religine lib. 2. c. 18. n. 5.* vt aliquid non faciat, non minus eſt quidam cultus eius, & quædam ſubiectio ad ipſum, quàm rogare illum, vt aliquid faciat. Etſi enim Sacerdotes, vel Exorciſtæ dæmoni præcipiant, vt deſinat nocere: hoc faciunt, non petendo, ſeù deprecando; ſed obiurgando, & imperando; virtuteque diuina id faciunt, tamquam Dei miniſtri, eiuſquè voluntati obſequentes. At quando homo rogat dæmonem tanquam ſupplex, & indigens eius, ſe illi profectò ſubijcit, eumquè quodammodo Deo anteponit. De quo ſanè Deus conqueritur iuxta illud 4. *Regum c. 1. Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Acharon?* Deus enim eſt orandus, vt liberet à maleficio, & non dæmon; & confugiendum ad Sacerdotes; vel Exorciſtas Dei miniſtros, vt poteſtate ab Eccleſia accepta à corporibus obſeſſis dæmones eijciant, ac maleficia deſtruant.

§. VI.

155 *Ideò hallucinantur, dum putant, non poſſe maleficium deſtrui ſine malefici auxilio Probatur auctoritate Facultatis Pariſienſis.*

EX his colligitur, quàm hallucinentur præfati Doctores, dum aiunt, non poſſe excogitari aliud remedium ad maleficium tollendum, quàm recurrere ad maleficos, vt maleficium maleficiò tollant: quaſi à Seruatore noſtro non fuerit data poteſtas dæmones eijciendi omnibus in ſe credentibus, cum *Marci vltimo* dixit: *Signa autem eos, qui crediderint. hæc ſequenter: In nomine meo dæmonia eijcient?* Et ab Eccleſia Exorciſtis in ordine Exorciſtatus, ad eundem effectum obtinendum?

Quare ſapientiſſimè facultas Theologica Pariſienſis *in artic. de Superſtitionibus* definiuit: in artic. 5. dicere:

Quod licitum ſit, vti magicis artibus; vel alijs quibuſcumquè ſuperſtitionibus à Deo, & Eccleſia prohibitis pro quocumquè bono fine: error quia ſecundùm Apoſt. *Non ſunt facienda mala, vt eueniunt bona. Et in artic. 6. dicere. Quod licitum ſit, aut etiam permittendum, maleficia maleficijs repellere, & artic. 7. dicere: Quod aliquis cum aliquo poſſit diſpenſare, vt talibus licitè vtatur: error.*

Hoc docet perpetuus Eccleſiæ Catholicæ vſus, *Perpetui Eccleſiæ vſus.* quę ſemper id improbauit, vt plurimi Canones oſtēdunt, *c. Qui ſine Saluatore 26. q. 2. ſupra relatum num. 33. huius diſput. c. Admoneant & c. Non obſeruetis 26. q. 7.* quibus adſtipulantur Canoniſtæ Burch. *lib. 10. c. 40. &* 41. Iuo *p. 11. c. 65. & 66.* qui aſſerunt eadem ferè verba, exceptis aliquibus, legi in Concilio Turonenſi 3. *c.* 42. Conſentiunt Patres D. Ioan. Chryſoſt. *hom. 8. in epiſt. ad Coloſs. Citius mors homini* *Patrum.* ait *chriſtiano ſubeunda, quàm vita ligaturis redimenda*. B. Leo *ſerm. 19. de paſs. Domini*, & Auguſt. *tract. 5. in Ioan.* Id Confirmant Theologi *Theologorum.* D. Bonauentura, D. Thomas, Scotus, Thom. de Argentina, & alij *in. 4. d.* 34 Alph. à Caſtro *lib. 1. de iuxta hæretic. punitione*, Sylueſt. *verb. maleficium p.* 8. Caietan. 1. 2. *q.* 78. *art.* 4. Abulen. *in c. 19. Matt, quæſt.* 90. Ioſeph Angles *q. de arte mag. art. 6. diff. 2.* ac cuncti recentiores, vbi de ſuperſtitionibus. Tandem Iuriſperiti Grill. *lib. 2. de ſortileg. q. 6.* & Bartol. *in L. Eorum*, §. *fin. C. de malef. & mathem.* *Iuriſprudentium*

§. VII.

HInc patet, quàm impium ſit illud dogma Paracelſi ſupra relatum *num. 4. huius diſput.* 156 *Oſtenditur impietas dogmatis Paracelſi.*
Nihil referre, an Deus, vel diabolus, Angeli, vel immundi ſpiritus ægro opem ferant, modò morbus curetur. Vndè ſanè dolendum eſt, apud multos chriſtianos hanc etiam ſententiam inualuiſſe; quòd ſi aliqua calamitate premantur, modò liberentur, non curant: an medijs licitis, vel illicitis, vtantur. Nec minori ignominia digni ſunt exiſtimandi, qui ad hoſce maleficos confugiunt remedia poſtulantes quibus ſe ab hoſtibus tueantur; nec ab eis armis lædi poſſint. Nam poſt horum euaſionem periculorum in peiora labuntur, quæ eos ad vltimum perducunt ſupplicium. Nec ſilentio prætereundi ſunt, qui huiuſmodi magos, ſeù aruſpices, vel ariolos conſulunt: vt de futuris contingentibus, fortuitiſquè caſibus; aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendunt, certò aliquid euenturum præcognoſcant.

Quare Deus iuſtus huiuſmodi tranſgreſſores ſe 157 *Præfati crimino[ſi] puniri iubentur Iure Diuino. Canonico. Ciuili*
pæna mortis puniturum proteſtatur *Leuit. c. 20. Anima, quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam; & interficiam eam de medio populi ſui.* Idem prorſus *Deuteron.* 18. vbi concludit Moyſes ſic: *omnia hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos.* Iure vero canonico, omnes huiuſmodi perditi homines qui conſulunt diuinatores: vel remedia petunt à maleficis, in eaſdem incidunt eccleſiaſticas pænas, in quas & ipſi malefici, & diuinatores, de quibus *ſupra à num. 47. & ſeq.* vt habetur *c. 1. 26. q. 5.* Sic eoſdem vtriuſquè ſexus cuiuſcumquè ſint dignitatis, vel gradus, qui poſthabito Deo vero, à diaboli mancipijs auxilia poſcunt, diligentiùs inquirere, ac procedere ſtatuit Sixtus V. *in d. Conſtitut. Cæli, & terræ Creator*. Iure autem ciuili, qui magos conſulunt, gladij pænæ ſubduntur ex Carolina ſanctione, & conſuetudine imperij, etiamſi ob bonum finem interrogarint: vel magicis artibus, aut remedijs vſu fuerint.

Nec

§. VIII.

Nec carent culpa qui per accidens ad maleficos recurrunt.

158 NEc putes, culpa, ac pœna carere eos, qui per accidens recurrunt ad maleficos ſanitatis obtinendæ gratia. Per accidens recurrere, voco eos, qui confugiunt ad illos, quos ſciunt publica infamia eſſe notatos, & velut magos, vel maleficos reputatos: non tamen ab eis petunt, vt per artem maleficam maleficium tollant; ſed ſimpliciter, vt deſideratam ſibi reſtituant ſanitatem, quam illos præſtare nonniſi opitulante dæmone norunt; ideò per accidens, & indirectè ſaltem dici poſſunt, huiuſmodi diabolicas velle operationes.

Hoc licitum eſſe ſentit Remigius Extorquendo vi, ac Verberib. Probat Hiſtorijs, ac Rationibus.

Quod licitum eſſe, probat Nicolaus Remigius *lib.3. dæmonolatria cap.3. num.33.* Ait enim: precario quidem non licere à maleficis opem impetrare, & hoc facientem ſemper lethaliter peccare. Licitum tamen eſſe vi, & verberibus eam extorquere; & hoc facientem numquam peccare. Primum enim dicit admirationem, & obtemperationem, animumquè ſe ſuppliciter deijcientem, ac demittentem; ideòquè potiùs ipſam ferendam eſſe mortem, quàm ad tam horrendum ſacrilęgium adduci nos ſinamus, vt quaſi ſupplices, venerabundiquè à dęmone opus imploremus: cum Deus ſolus ſit colendus, atquè obſecrandus; atquę is ſit zelotes, qui non patitur quicquam de gloria ſua adimi. At verò quòd vi, & minis maleficus poſſit cogi, vt morbum, quem induxit, auferat, cum dicat contemptum, & dedignationem, licitum eſſe probat aliquot hiſtorijs, & rationibus, quarum Vna eſt: quia hic non vllæ blanditiæ, non preces, aut venerationes accedunt: nequè ſaga verberibus pulſata habet, quo glorietur: nequè dæmon, qui quaſi obtorto collo ſe à noxa retractum amiſſa preda in fugam verſum, deriſum, ſpretum, ac nihili penſum agnoſcat. Altera, ſicut licet à fure fugiente rem vi ſibi arreptam alia vi repetere, arcem iniuſtè ab hoſte occupatam armis recuperare: per tyrannidem vinculis mancipatum, violenterquè eripere; cur non hęc vis licita, vt innocens morbis indigniſſimis ſanetur.

§. IX.

Hæc opinio refellitur,

159 AT quàm periculoſa, & erronea ſit, vel ſaltem non ſufficienter explicata hæc opinio nemini mediocriter intelligenti eſt ignotum. Negare enim non poteſt ipſe Remigius non omninò culpa carere, qui ità à maleficis morborum liberationem per vim extorquere conatur: cum illorum opera intercedat, quæ cauſam impietatis aliquam habere videtur. Quis autem huius ſcientiæ peritus ignoret, ſagam, dum vi, & minis adigitur, vt morbum tollat, iterum habere ad dęmonem recurrere, ipſumquè ſuppliciter exorare, vt à nocendo deſiſtat, ac ſanitatem tradat? Qui quidem honor diabolo eſt gratiſſimus. Nec tàm iniurijs, quę mancipijs ſuis inferuntur, offenditur: quàm hoc honore delectatur. Et proindè qui hoc modo ſanari cupit, ſaltem per accidès, ſeù pacto ſaltem implicito cum diabolo ſe immiſcet: cum cogat veneficam iſta facere vi pacti, quod cum diabolo inijt; propterea diabolum non coactè, ſed voluntariè id facere.

Hinc experientia conſtat, diabolum non cedere, nec iuuare, niſi cum putat, plus ſe nocere poſſe, id, quod ipſe Remigius teſtatur *eodem loco n.* 18. dum ſcribit: *Numquam eſſe ſolidam gratiam: aut plenum, integrumquè beneficium, quod conferunt dæmones; (ſi id rectè beneficium dici poteſt) ſed ſtatim vel æquata: vel grauiore aliqua iniuria luendum eſſe ei, qui impetrauit. Vix enim morbum vllum à quodam expellunt, quem in alium illico non transferant: & vnius ſalutem alterius interitu ferè ſemper paciſcuntur.* Cum ergo qui ſagam minis, vel verberibus cogit tollere maleficium, ſit cauſa ſaltem per accidens, quòd dæmonem adoret; vt maleficium maleficio tollat, illud alteri inferēdo; quod de ſe eſt intrinſecè malum; vtiquè illicitum erit, precibus, vel minis ſagam inducere, vt maleficium tollat.

§. X.

Rationes eius ſunt irrationabiles.

160 RAtiones verò à Remigio adductas quis non videat irrationabiles? Si primam intueamur, nonnè magis coactio Deum inhonorat, cum alium cogat peccare? Immò nec dæmonem inhonorat: quia eſt cauſa, vt maleficus dęmonem inuocet, eiquè obſequium præſtet; & ipſemet ſagam verberans dęmonem honorat; quia non modò credit, dæmonem poſſe hanc medelam afferre; ſed etiam concurrit poſitiuè ad actum poſitiuum. Dæmon verò pluris hoc facit, quàm mancipij ſui iniuriam, cuius afflictione ſolitus eſt gaudere. Nec poteſt dici expers pacti taciti: quia cogit maleficam, hæc peragere virtute pacti, quod inijt cum dæmone. Si verò ſecundam rationem contemplemur; paucis verbis dicimus, illationem, quæ de furto, de arce, ac mancipato ſumitur, eſſe vanam: quia cuncta illa ſunt licita, & iuri diuino, naturaliquè conſentanea: maleficium verò maleficio ſanare, cuilibet repugnat iuri.

§. XI.

Licitum eſt inducere Vel Blandis verbis, Vel Minis, Vel verberib. leuibus. Si probabiliter credimus hoc facturũ licitè.

161 NOn tamen denegamus, quin à malefico poſſit peti, ipſumquè inducere blandis verbis: vel etiam minis, & leuibus verberibus cogere, vt maleficium deſtruat; ſi probabiliter credamus, quòd ſit facturus hoc licitè, & iuſtè, puta, ſi maleficium eius eſſet generis, quòd naturali aliqua virtute: aut actione ſine vlla dęmonis inuocatione, & auxilio; ſed per modum aliquem licitum diſſolui poſſet.

Hoc teſtantur Theologi

Fauent Theologi Scotus, Alphonſ. à Caſtro, Caietan. & Sylueſt. *loco ſup. citato.* Gabriel Biel *in 2.d.8. quæſt.2. artic.4. dub.2.* Binsfeld. *Comment. in tit.C. de malef. & mathem. quęſt.5.* & præcipuè Domin. Soto *in 4.d.34. q. vnica,* ſic ait: *Poteſt quiſquè aonuenire maleficium, & rogare, & pecunia ab eo extorquere, vt illas ligaturas, quas habet ſepultas; aut ſuſpenſas: aut alicubi aſſeruatas, indè remoueat: quia maleficum facere illud, virtus eſt,* ſic ille. Nec rationi obſtat: cum hoc ſit vti iure meo, & inducere magum ad id, quod facere tenetur, & ſine peccato poteſt facere, ſi velit: non autem eſt conſentire pacto, quod dæmon habet cum mago. Sic B. Theodorus Archimandrita (vt refert Gregorius *in vita ipſius apud Surium in menſe Aprilis*) iuſſit cuidam Theodoro mago ad pęnitentiam adducto primò omnia peccata ſua confiteri. Sècundò ſi quos haberet libros maleficos in medium proferre. Deindè quoſcumquè homines, aut domos, aut animalia maleficijs ſuis obſtrinxerat, diſſoluere. Tandem non ampliùs ea in quemquam exercere; ſed pænitentiam agere.

§. XII.

162 De verberibus autem, & minis apertè conſtat; Si procertò quis habeat, ſe maleficio læſum ab aliquo mago, & actualem adhuc perſeuerare læſionem, cur non poterit leuibus verberibus eum cogere, vt licitè maleficium deſtruat? Si enim iniurias, ſeù offenſas actualiter illatas cuilibet per vim repellere licet, cur non poterit etiam per vim maleficium inducere, vt actuale maleficium deſtruat? Imò maleficus ipſemet tenetur non nocere proximo, & per conſequens debet id licito modo facere, nempè per remedium aliquod naturale, ſi nouit: vel per deſtructionem ſigni, ſi ſignum ſit in eius poteſtate. Hunc modum ſe ſeruaſſe anno Domini 1658. mihi enarrauit die 3. Auguſti eiuſdem anni quidam Sutor ex Valle Seriana inferiori Diœceſis Bergomenſis dicens:

Cum quidam die rixatus fuerim cum muliere mihi vicina, ea ira percita mihi dixit: eò quòd mihi verba iniurioſa dixiſti Deus tibi immittet dolores, torſiones ſeptem menſibus continuis, quibus verbis prolatis ſtatim in crure ferre cæpi dolores, ſed ſequenti nocte magìs magiſquè tormenta augebantur; quare mane facto accepi gladium, ac prædictam mulierem ſolam in domo ſua inuentam detinui, ac poſito ad guttur eius gladio, per Deum iuraui, niſi à me auferret maleficium, quod patrarat, me illam occidere velle; At ipſa ſe excuſauit dicens, ſe non feciſſe maleficium vllum, veruntamen non dubitaret, quia ſtatim ceſſaret: Sic illicò ceſſarunt dolores, ac ſanitati priſtinæ reſtitutus fui. Hæc ille.

163 *Sed cautela debita adhibenda.*

Diligentiſſimè tamen eſt aduertendum in tali caſu: quòd vtiliùs erit, ac tutius, adijcere proteſtationem, qua expreſsè proteſtetur, ſe nihil commune cum diabolo habere velle: maximè ſi petat, vt tollat maleficium, vel quid aliud huiuſmodi; quod non nudam ceſſationem; ſed quiddam actus poſitiui ſignificat; immò conſultius erit, vt petatur ab eo, quo remedio ſit vſurus; ſi nolit dicere, non eſt vtendum eius opera: quia hoc ipſo ſatis indicat, ſe vſurum remedio illicito. Si verò indicat remedium, tunc ſi ſatis prudens es, ac doctus, ipſe conſidera, ac diſcerne: an licitum ſit, necnè. Si non es idoneus iudex, doctiores, & prudentiores conſule. Si dubitetur, an ſit remedium naturale, conſulantur Medici. Si verò, an ſit diuinum, conſulantur Theologi.

§. XIII.

164 *Meus Auctoris circa hoc declaratur.*

Ego autem, vt verum fatear, numquam alicui cōſulerem maleficiato accedere ad maleficos, vt maleficium tollant pro ſanitate obtinenda; quamuis ſit licitum iuxta prædictorum ſententiam Auctorū: quia res valdè periculoſa eſt; ideò Exorciſta memor eſſe debet illius dicti Virgilij:

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Nam licèt debitas in conſulendo adhibeat diligentias, ac circunſtantias; ægroti tamen, vel eorum conſanguinei, vel amici nonniſi rarò eas obſeruare conſueſcunt; ſed nimio amore, ſeù deſiderio ducti ſanitatis ſibi, vel parenti, aut amico acquirendæ, maleficos impellunt ad tollendū maleficium, ac ſanitatem reſtituendā, ſiuè medio licito: ſiuè illicito vtantur. Hanc veritatem docet experientia rerum magiſtra, quam vnico comprobabo exemplo de quodam Ciue Bergomate, qui dum hæc ſcriberem adhuc erat inter viuos.

Hic cum maleficio affectus fuiſset, vt ipſe ſuſpicabatur à quadam ſaga meretrice, cum qua aliàs carnaliter conuerſabatur, ſed pænitentia ductus eam penitùs deſeruerat, vt ab huiuſmodi morbo eriperetur, acceſſit ad quendam Exorciſtam, cui ſuam ſuſpicionem enarrans, præcepit ei, vt ad ſagam prædictam accederet, eique verbis blandis ſuaderet, vt maleficium tolleret; & ſi huiuſmodi blandicijs à propoſito dimoueri nollet, tunc minis, ac verberibus ad maleficium deſtruendum eam compelleret. Quod facto comprobauit. Nam cum blandicijs ei complacere nollet, diſtricto gladiolo atque ad guttur poſito, ſtatim ea promiſit, ſe illi ſanitatem reſtituere: veruntamen opus eſſe vt ad dæmonem confugeret, ipſum adoraret, ei ſacrificium offerret, ac ſuppliciter rogaret, vt ipſe maleficium tolleret; ideoque neceſſe eſſe, vt ipſe veſtes Sacerdotales candelas cereas, & candelabra, thuribulumque cum incenſo ſibi deferre, vt dæmoni ſacrificium offerre valeret; qui ſine mora omnia præſtitit, prout ipſa præceperat. Quibus omnibus peractis ſanitatem corporis eſt aſsecutus; ſed cum conſcientiæ ſtimulis agitaretur in anima, ad quendam Confeſſarium Theologum confugit, qui ei mandauit, vt Sagam illam Sanctæ Inquiſitionis Tribunali denunciaret: (qui prudentiùs egiſset, ſi ei conſuluiſset ſpontè comparere Reuerendiſſimo P. Inquiſitori ſeipſum accuſando de errore commiſſo, ac Sagam denunciando de patrato delicto.) Ad quod tribunal Saga vocata, ſeipſam excuſauit dicens, ſe, quicquid præſtiterat, coactam ab illo Iuuene præſtitiſſe, à quo etiam, & veſtes ſacerdotales acceperat cum reliquis ad ſacrificium dæmoni offerendum requiſitis; Idcirco vt mortem ab eo ſibi intentatam euaderet, ea, quæ ille enarrauerat, præſtitiſſe. Quibus auditis, & proceſſu formato, Saga in exilium fuit demandata ac Iuuenis in Monaſterium ad pænitentiam de delicto patrato peragendam detruſus.

Ex quo facile eſt colligere quàm ſatius ſit maleficio affectis conſulere, vt ad Deum Optimum, Maximum confugiant, qui eſt refugium noſtrum, & virtus adiutor in tribulationibus: ad virtutem, & efficaciam Sanctiſſimi Nominis Ieſu: ad poteſtatem eccleſiaſticam, qua dęmones effugantur, & maleficia deſtruuntur: cęteraquè remedia, de quibus latè *vltima diſput.* pertractabitur.

Cum ergo magica curatio ad ſanitatem conferendam vtatur tantùm remedijs diabolicis, iuremeritò eſt abominanda non tantùm ſpeculatiuè; ſed etiam practicè tum ex parte agentis primarij, nempè, dæmonis, qui ſua virtute morbum tollit; & ſanitatem inducit: ac ſecundarij, malefici, qui dæmonem inuocat, & ea peragit, quæ præcipiuntur à dæmone: tum ex parte medij ſacrilegi, & ſuperſtitioſi: tum ex parte finis impij, noxij, & ſcandaloſi. Ac propterea intoleranda, & punienda in Exercentibus viris, mulieribus, & pueris: in Addiſcentibus publicè, priuatim: in Fauentibus directè, & indirectè: & in Requirentibus immediatè, ac mediatè: quia ſemper pactum inter dæmonem, & maleficum in hac curatione magica expreſſum intercedit: Sicut implicitum in ſuperſtitioſa: vt in ſecunda parte demonſtrabitur.

PARS SECVNDA.

Superſtitioſa.

Dæmon non tantùm accurrit, dum à maleficis expreſsè, ſed etiã dum tacitè ab alÿs inuocatur.

165 EA eſt diabolicæ ſuperbiæ tam indiuidua,& innata proprietas ſemper amãdi excellentiam ; nullumquè aut ſuperiorem , aut conſortem ſuſtinendi , quòd eius ſtimulis agitatus inueteratus hoſtis , vt diuinam æmuletur ſimilitudinem , & pro Deo habeatur , non tantùm à Maleficis verbis expreſſis , ac formali adiuratione euocatus , morbos ſanare : futura prædicere ; in neceſſitatibus auxiliari : à periculis eruere : aliaquè patenti , & manifeſta operatione quæ ab ipſis deſiderantur iuxta eorum conuentiones peragere palam, non dedignatur, vt præcedenti parte demonſtratnm eſt . Verùm etiã per ipſos Magos , atquè Maleficos quaſi per inferni præcones alios à Deo auertere,eoſquè per ſuperſtitioſas curationes, variaſquè actiones diabolicas ad ſeipſum adducere, conatur : quos vt ſibi obliget , licèt nullo pacto expreſſo eius miniſterio irretitos , tamen ad eorum preces tacitas ſubdolus hoſtis accedit , & occulto modo præſtat illa, quæ ab iſtis oratoribus poſtulantur , qui dum ſe operibus immiſcent dęmoniacis ; eiſquè ad ſanitatem obtinendam : vel quodlibet aliud ſibi optatum impetrandum vtuntur,cultum,quem Deo exhibere deberent, dęmoni ſaltem implicitè impendunt,quod ad rationem ſuperſtitionis ſpectat. Vt autem huiuſmodi curatio,vel actio ſuperſtitioſa quęnam ſit, diſtinctè dignoſcatur, in hac ſecunda parte huius diſputationis inueſtigandum Cauſa, Modus, Effectus: quod fiet totidem capitibus .

Quibus auxiliatur per ſuperſtitioſã curationẽ, Quæ diſtinctè dignoſcitur dum inueſtigantur eius Cauſa, Modus, Effectus.

CAPVT I.

Quoad Cauſam.

Curatio ſuperſtitioſa cognoſcitur ex cognitione cauſarum.

166 DIgnum ſanè illud dictum poeticum 2. *Georgicon:*

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas .

Cognita enim cauſa, ſtatim cognoſcitur effectus, & ex qualitate cauſæ arguitur qualitas effectus ipſa veritate doeente *Matt.7. Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus ? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit . Non enim poteſt arbor bona malos fructus facere ; nequè arbor mala bonos fructus facere* . Si ergo ſuperſtitioſæ curationis eſſentiam, quidditatem , ac qualitatem cognoſcere cupimus , cauſam ipſius ſiuè Internam : ſiuè Externam inueſtigare contendamus . Cauſam autem voco concurrentes ad illam curationem, qui alij non ſunt, quàm dæmon , & homo huiuſmodi exeequentes operationem : Dęmon quidem interna,ſeù proxima : homo verò externa , ſeù remota : Sicut totidem ſectionibus explicabitur .

Siue Interna. Siue Externa.

SECTIO I.

Internam, ſeù Proximam.

QVemadmodum in perpetrandis maleficijs dæmon cauſa proxima , & interna nuncupatur ; eò quia latenter operando , humores ſiuè vtiles,ſiuè noxios exagitat immediatè ; eoſquè in principes partes potiſſimùm ; nec non in alis ignobiliores traducit , hiſce venas , alioſuè ductus obſtruit : quandoq. inſtrumentorum permutat ſtructuram ; aliarumq. partium ſoluit, ac ſeparat vnitatem ex quo innumerabiles morbi, hiquè grauiſſimi, cruciatuſquè acerbiſſimi excitantur . Ità pariformiter in ſanitate conferenda cauſa interna,& proxima iuremeritò eſt appellandus . Cum enim ſpiritualis ſit ſubſtantia , quæ inſtrumentis corporeis non impeditur, ex ſua inſita vi in corpora inuiſibiliter ſe inſinuare poteſt;ibiquè intrinſecè operando,noxios expellere humores ; purgare inteſtina ; vertigines remouere ; capitis,ac ſtomachi arcere dolores; cruditatem omnium morborum matrem auferre; ac deniquè humores ita temperare , & in debita proportione conſeruare ; vt nequè quantitate,nequè qualitate peccent. Sicquè morbi quicumq. longe abeant; ratioquè ſanitatis perfectæ exhibeatur. Quod tamen diuerſimodè peragit in ſuperſtitioſa curatione,& in magica . In magica enim accedit expreſsè inuocatus; intercedit eius adoratio ; oblatio rei alicuius fit in eius cultum,& honorem; Sacramentorum abuſus; apparitio dęmonis,vel ſaltem ipſius locutio; operatio aliqua in Dei odium,Beatiſſimæ Virginis , ac Sãctorum contemptum, aliaquè huiuſmodi facinora execranda palam interueniunt . At in hac ſuperſtitioſa curatione nullum horum aduenit; ſed tacitè,& occultè inuocatur dęmon . Nec qui ſanari expectat, vel aliud quærit beneficium , quicquam cum dæmone palam; & apertè cõmune habet; ſed ipſemet dæmon ex pacto , quod expreſſum habet cũ malefico , ſemper præſto aſtandi, ſuumq. auxilium impertiẽdi quotieſcunquè quis vtatur ſignis ab eo inſtitutis, vel quicquid aliud peraget à maleficis præſcriptum , vel in libris magicæ artis contentum, & expreſſum, occultè accurrit ; ſuum præſtat auxilium ſaltem pro aliquo tempore ; paratumquè ſe exhibet, ſemper in hiſce curationibus , ac neceſſitatibus concurrere ſiuè in Grauioribus , ſiuè in Leuioribus : vt ſequentes articuli patefacient . 167

Sicut dæmon, vt cauſa interna, & proxima malum operatur in homine. Ita pariter vt talis cauſa ſanitatẽ confert

In curatione magica inuocatus expreſsè

In ſuperſtitioſa, inuocatus tacitè. Paratũquè ſe exhibet cõcurrere In neceſſitatibus Grauioribus, Leuioribus.

ARTICVLVS I.

In Leuioribus.

§. I.

SIcut in arte medicinæ iuxta Hippocratis effatum in ſuis aphoriſmis:aph.6.ſect.1. *Extremis morbis extrema remedia ſunt adhibenda* : ſic dęmon archimedicus excellentiſſimus tum in curandis grauioribus infirmitatibus: tũ in neceſſitatibus vrgentioribus hominibus ſubleuãdis: tum in difficultatibus obſcurioribus diſſoluendis remedia ſuis ſymmiſtis magis, & maleficis tradit grauiora, ac difficiliora; cęteriſq. hominibus proponẽda,& exhibenda iubet. Quę quò grauiora ſunt,ac difficiliora,eò maiora, ac plura incidunt media inutilia,ac ſuperſtitioſa ; quæ quidem ad maiora perpetranda flagitia viam parant . 168

Dæmon per ſuos maleficos proponit hominibus remedia Grauiora, Difficiliora in infirmitatibus.

Probatur varijs exemplis

Hoc fateri poteſt quidam Pheron Rex, de quo Herodotus lib.2. *Is à dæmone fuerat excæcatus; quòd iratus ſpiculum in Nilum flumen contorſiſſet. At poſtquam vndecim annis ſic luce caruiſſet, oraculum, quod in Buti vrbe conſuluerat, fertur reſpõdiſſe, viſum ei rediturum, ſi oculos abluiſſet lotio mulieris, quæ à ſolo ſuo marito cognita fuiſſet. Expertum ergo primo loco propriæ coniugis vrinam, cum nihil amplius cerneret: cæterarum deinceps; tandem oculos recepiſſe. Ibiquè omnes mulieres illas, præter eam, cuius vrina ſalutaris fuerat in vnam vrbem coegiſſe, quæ rubra gleba dicitur: & eas illìc vnà cum vrbe omnes concremaſse: & medicam illam ſuam ſibi matrimonio copulaſse.*

Quis non fateatur hæc remedia execranda, & prorſus abominanda, quæ ad tam ſæua flagitia, ac impia facinora perpetranda homines perducunt? Cur enim magis efficax reſtituendo oculorum lumini lotium eius mulieris, quæ virum tantùm ſuum quàm quæ alios eſt paſſa? Nonnè hæc machinæ, doli, fallaciæ, præſtigiæ, ac ſuperſtitiones meræ: vbi dæmon occultè accurrit, ſuumquè præſtat auxilium vt mentes hominum aucupetur, ſuumquè apud eos valeat propagare imperium. Idem ferè apud Mich. Iſſelt. anno 1586. legitur, in Liuonia fuiſſe locum, vbi nimbis, tonitruis, ac tempeſtatibus dæmonia truculenter graſſabantur, niſi in locum quendam innocuus infantulorum cruor à ruſticis infunderetur. Nonnè hoc remedium apertè ſathanicum eſt?

§. II.

169 HOc probat etiam factum illius Stephani Nouachi Madrenſis, de quo Nicolaus Remigius *lib.3. dæmonol. cap.3.* qui perpetui triennij morbo correptus ità quòd planè eſſet deſperatus, à quadam muliere per varia media ſuperſtitioſa ſanitati fuit reſtitutus. Grauis equidem morbus; ſed videas etiam, quàm grauis ſit curatio. Primò pyrum ei comedendum præbet; quod cum plane videretur ferreum, negat, morſu diuidi poſſe; ſed dum hæc loquitur, ac paululum interim illud contrectat ſentit non ſine admiratione in lanę mollitiè propè abijſſe. Eo deuorato (nam erat guſtu inſuauiſſimum) ſtatim illi ſtomachus tanto ardore conflagare cæpit, quanto vix maiorem candentes carbones excitare potuiſſent. Iubet illa lecto infirmum ſe componere, & è vicina duas lectas accerſere matronas, quæ ea nocte illi vigiliam ſuam tradant; & ecce in cubili collocatus fit agenti animam haud ità diſſimilis. Sed ſufficiuntne iſta remedia ad ſanitatem obtinendam? Videas maiora; ſed inhumaniora, ac intollerabiliora. Clam ſublatum ægrum humeris transfert mulier in aeram proximã, ibiquè oblato immani vrſo imponit. Tum repetitis ſpatijs ſępiùs vehit, ac reuehit, ipſa quaſi onere iniquiore opprimeretur non ceſſante ingemiſcere bellua: vt ſupra dixi *num. 12. huius diſput.* Tandem lecto componitur æger; & poſt alia remedia per dies adhuc octo adhibita, valetudinem conſecutus eſt. Quis aueat ſanitatem conſequi tam graui, & periculoſa curatione? Quis non exhorreſcat remedia tam atrocia, & inhumana? Poterat quidem dicta mulier ex pacto occulto, & implicito ſanitatem conferre exhibito illo pyro. At cum immani illi vrſo ægrum impoſuit, qui aliud non erat, quàm dęmon, qui ad nutum mulieris ſic ab ipſo inſtructæ talia præſtabat, ſe pactum cum dęmone habere expreſſum, apertè demonſtrauit. Quam enim virtutem naturalem ad ſanitatem conferendam habere poterant illæ euectiones immanis vrſi? Nullam vtiquè. Sed totum operatum eſt à dęmone ex pacto explicito habente cum malefica, cui implicitè conſentit miſer ægrotus pro ſanitate corporis venalem dæmoni tradens ſanitatem animæ.

Hùc reuocari poteſt id, quod anno Domini 1667 euenit in quadam Italiæ Vrbe cuidam Medico, qui grauiſſimo dolore torquebatur in dextera coxa, quo repentè fuerat affectus, dum pede volut percutere quendam magnum Catum nigrum manducantem in ſolario domus interiora cadaueris cuiuſdam filij abortiui, cuius anatomiam Medicus faciebat. Catus euanuit, & Medicus tam intenſo dolore affligebatur, vt requiem habere nequiret die, ac nocte. Fuerunt adhibita omnia remedia naturalia, quæ natura, & ars medica ſuppeditare poterat; ſed omnia incaſſum. Parentes ipſius, quibus valdè graue erat, amittere filium tanta virtute præditum, confugerunt ad quandam ſagam, quæ illum inuiſens promiſit illi dare ſanitatem; ſed cauerent, ne aliquis Sacerdos, ſiuè regularis, ſiuè ſæcularis illum viſitaret, aſſerens nullum poſſe maleficia ſoluere, niſi qui ſciant illa facere. Inſuper volebat dimetiri corporis ipſius Medici longitudinem, & latitudinem; ſicut fecit illa, de qua ſupra pag.5.num.15. *Sed ipſe noluit. Tunc ſaga ſubiunxit, ſufficit, quòd detis mihi duo ipſius veſtimenta, & ſolidos* 31. *ſed eos mihi numerate: deinde tot alios mihi numerate, poſtea tot ducatos, iterum tot cechinos, ac denuo tot ongara, ſed ſemper diſpari numero: deinde duo vaſa plena oleo, & tot alia plena vino generoſo, ac ligna ad comburendum. Sic omnia quæ petijt, illi tradiderunt: ipſa verò promiſit dare Medico ſanitatem poſt quinque, vel octo dies, quibus tranſactis, cum ſemper Medicus proficeret in peius, petierunt à ſaga, cur ſanitatem Medico non attulit; Reſpondit, quia oportebat, quòd illi etiam tribuerent omnia neceſſaria ad lectulum complendum, & exornandum, & poſteà ſanitatem daret; ſed ipſi inſtabant, vt priùs ſanitatem ei daret, eò magis, quòd tot, ac tanta acceperat, quòd ſe ſatisfactam fateri deberet; Si autem ſanitatem daret, ipſos eſſe tradituros omnia, quæ petebat, & etiam maiora. At cum ipſa nollet eorum dictis conſentire, ab aliquibus amicis perſuaſi ad me confugerunt, rogantes, vt Medicum inuiſerem, ac ſacris benedictionibus munirem: acceſſi ſequenti die, & à matre ipſius Medici auditis, quæ habentur ſupra, conſideratis omnibus circunſtantijs prædictæ infirmitatis, Medico perſuaſi, vt deponeret illam incredulitatem, qua Medici communiter laborant circa maleficia; & crederet, quòd, ſi ille dolor, quo torquebatur in coxa, fortaſſe à dæmone produceretur, dæmon erat tanquam canis ligatus in manu Dei, nec poterat aliquem torquere, niſi Deo permittente, Deus autem poteſtatem dedit Eccleſiæ, ac miniſtris eius dæmones eijciendi, eiuſque opera malefica deſtruendi. Idcirco cum ego ipſius Dei, & Eccleſiæ eſſem miniſter, licet indignus, cum præcepiſſem dæmoni in Nomine Ieſu, ne vllum in eo dolorem efficeret, ſtatim ceſſaret, ſi & ipſe firmiter hoc crederet. Qui reſpondit, ſe hoc credere: quare in Nomine Ieſu præcepi dæmoni, vt ceſſaret à ſua operatione,*

Error reprobatus ſup. to.1. n.94. & ſeq. & infra diſput. 4.

to.1. pag. 28. num. 105.

qui

qui ſtatim ceſſauit. Ego autem interrogans Medicum, an dolor ceſſaſſet: reſpondit, quòd ſic; ſed coxa remanebat veluti ſtupida: ego autem manum impoſui ſuper coxam, iterumque præcepi, vt dæmon totaliter ceſſaret à quacunque operatione: ſic ſtatim ceſſauit: quod ipſe Medicus bene affirmauit. Quo audito, præcepi ipſi, vt è lectulo ſurgeret, & per domum ambularet velociter, quod ſtatim præſtitit, ambulans feſtinanter ſine vllo dolore. Ego verò præſentibus omnibus eius parentibus feci eum genuflectere, Deum rogare aliaque adimplere, quæ habentur infra diſput.4. vbi de remedijs particul. *admonens ipſum, non tantùm fidem, ac fiduciam in Deo eſſe neceſſariam; ſed etiam perſeuerantiam in fide, ac fiducia.*

Prædictis à me peractis diſceſſi relinquens Medicum ſanum, ac liberum à quocunque dolore; ſed ecce dum egrediebar ab oſtio cubiculi, ingreſſus eſt quidam Medicus, qui quid in mentem eius inſtillauerit, ego ignoro; ſcio benè hoc, quòd ſequenti die iterum dictum Medicum inuiſens, inueni illum incredulitate Medicorum imbutum, ac dicentem ſe iiſdem doloribus adhuc torqueri, & quæ dixerat die præcedenti, videlicet, quòd ad mea præcepta facta contra dæmonem ceſsaſset dolor, ac ipſe ambulaſset ſine dolore, ac genuflexiſset, fuiſse tantùm res imaginarias, quia fortis imaginatio facit caſum, & quæ dicuntur de ſtrigibus, ac maleficus eſse meras nugas, ac fabulas, & ſicut nullam fidem præſtauerat illi mulieri, quæ dicebatur ſaga: ita iſtis remedijs à me adhibitis, eò quòd infirmitas erat tantùm naturalis: idem ſubiunxit mater ipſius, aſserens dictam infirmitatem eſse productam ex continua occupatione in facienda anatomia; nam ille fætor cadauerum, cui erat aſsuetus, inuaſerat eum, ac prædictos immiſerat dolores. Ego autem dixi: ſi vultis hanc ſuſtinere opinionem, facite quidquid vobis magìs expedit: veruntamen ſcitote, ſi non ſatisfeceritis diuinæ Iuſtitiæ, eò quòd ad ſagam dæmonis aſseclam confugiſtis, de hac infirmitate non conualeſcet; ſed morte morietur. Idcircò poſt aliquot dies ad mortuos euolauit.

Vide ſupra to. 1. n. 454.

Ex prædictis in caſu antecedenti facilè colligi poteſt, quomodo dæmon in illa grauiori infirmitate accurrerat, non vt ſanitatem illi impertiret, ſed vt per ſuam miniſtram ſagam impediret ſub prætextu ſanitatis ei conferendæ, ne Religioſi illum viſitarent, eique remedia ſpiritualia adhiberent, ac Medicus mediante alio Medico Conſultore in ſua detineretur incredulitate, ſicque omnia remedia reſpueret ſpiritualia, diuina, & eccleſiaſtica, quibus facillimè ſanitatem conſequi potuiſſet.

§. III.

170 NEc ſat eſt dæmoni verſipelli, velle Deum æmulari in ſanitate ægrotis conferenda, verùm & in neceſſitatibus. Scit enim, Deum pro ſua immenſa pietate, ac bonitate infinita omnibus ſuum polliceri auxilium, qui firma fide, ac ſine vlla hæſitatione in ſuis neceſſitatibus nomen ſanctum eius inuocantes, illud obtinere ſperant ſicut aperte per Prophetam *pſal. 49.* exprimit dicens *Inuoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me*, & ſæpiùs alibi tum in veteri, tum in nouo teſtamento repetit. Quod ratione ſuæ omnipotentiæ præſtare poteſt, eos facillimè à periculis imminentibus animæ, & corporis eruendo, ac præſeruando. Propterea, & ipſe qui ſummè malus, & cuius potentia à Deo valdè eſt ligata, vt ſaltem apparenter pro aliquo tempore ſummi boni, ac omnipotentis Dei æmulator exiſtat; nedum ſuis ſectatoribus, qui pactum cum eo expreſſum inierunt; ſed & alijs ſuam opem in neceſſitatibus maioribus præſtare, paratiſſimum ſe exhibet.

In neceſſitatibus vrgentioribus.

Hinc per magos ſuos, ac maleficos certos ritus, quædam inſtrumenta, quoſdam characteres tradit; quibus ſi vtantur homines, ipſe eis occultè accurrit, & ſuccurrit in neceſſitatibus, vt eos poſtea ad interitum trahat. Vndè quidam impij homines, & præcipuè milites, ac ſatellites ſe inuulnerabiles, nec poſſe ab inimicis lædi, putant, ſi arma certo ritu incantent: Vel ſacrilego auſu Crucifixi imaginem compungant, vel comminuant, aut confringant: vt refert Codronchus *lib. 3. de morbis venefic. cap. 11.* Vel ſi ferant interulam lineam horrendis inſcriptam imaginibus, quam vocant, *inferni camiſciã:* Vel ſi periapta quædam ferant varijs characteribus inſignita: aut orationes quas blaſphemè admodum, ac mendaciter tribuunt D. Leoni, vel Carolo Magno inſignitas magnis (ſic loquuntur magi) Dei nominibus. Horum duorum vltimorum vſus maximè viget in Italia, nedum apud ſimplices, & idiotas; ſed etiam apud doctos, vel ſaltem titulo doctoratus inſignitos. Vnum ex his ſe nouiſſe fatetur Delrius *lib. 2. Diſquiſ. mag. quæſt. 21.* ſtudioſum iuris nomine Quirinum VI. Baccalaureum, qui cum tali mẽbranula fretus audacter ſe iurgijs, & pugnis immiſcuiſſet; ſæpè ictus numquam ſaucius: tandem Romæ anno 1572. vel 1573. in ſympoſio minimo vulnere fuit interremptus. Sic ille dux ſatellitum Salodienſis Brixiæ hiſcè fulgimẽtis munitus poſt multas mortis euaſiones, vt dixi *tom. 1. d. 1. n. 154.* tandem ſecuri percuſſus interijt.

Tradens Certos ritus: Inſtrumẽta quadam: characteres quoſdam. Quibus ad ſanitatẽ conſequendam vti neceſſe eſt.

Idem prorſus enarrauit mihi Reuerendiſ. P. Agapytus Vgonus Inquiſitor S. Officij Venetiarum, qui hanc diſputationem examinauit, ſeriò conſiderauit, ac laudauit, ſicut & totum opus approbauit, dixit enim mihi, eundem caſum hoc noſtro æuo Taurini accidiſſe cuidam Duci cohortis. Hic namque cum accepiſſet à quodam Mago Cuticulam, ſeù chartam virginem baptizatam, de qua infra num. 288. *vel interulam lineam horrendis imaginibus inſcriptam, de qua* ſupra tom. 1. n. 154. *qua mediante promiſerat eum in bello, & certaminibus inuulnerabilem futurum, vt probaret, an verum eſſet, quod aſſerebat, ſecretò poſuit illam in veſtimentis cuiuſdam ſui ſerui ipſo inſcio, & cum ad menſam Dux prædictus ſederet, præcepit ſeruo, vt ſibi vinum deferret, quod ſtatim ſeruus deferens, Dux fingens ſe eſſe magnoperè iratum, & indignatum, eò quòd tale vinum, & non aliud, quod fingebat ſe voluiſſe, detuliſſet, prauum ſclopum accepit, & laxata in eum rota igneis globulis ſeruum percuſſit, quo facto ſeruus perterritus in terram cecidit, ſe mortuum credens, ad quem aſſiſtentes accurrerunt, quærentes vulnera, ſi quæ eſſent, ſed nullum inuenerunt vulnus, ſed igneos globulos inter camiſciam, & pellem corporis exiſtentes, ſeruumque ſanum, ſicut prius, nulloquè vulnere affectum. Quo viſo omnes Milites eius cohortis dicta periapta quęſierũt; in illis (Deo ſpreto) totam fiduciam poſuerunt, qua fiducia freti vnà cum prædicto ſuo Duce ad bellum ſecuri perrexerunt, cum inimicis auda-*

cter

ſter pugnauerunt, in qua pugna omnes, vnà cum Duce ab hoſtibus percuſſi, & interempti, corpus & animam ſimul amiſerunt.

Hæc ſunt dæmonis auxilia, quibus ſuos tuetur aliquandiù in corpore, vt tandem in corpore, & anima ad vltimum exitium perducat.

§. IV.

171 *In difficultatib. obſcurioribus quæ maximè tenent Iudices, dũ non poſſunt à maleficis veritatẽ extorquere. Quos adiuuat Varijs modis, vt taciturnitatis maleficium ſoluere queant.*

TAndem ſicut in ægris ſubleuandis, & hominibus ſanis protegendis ſe antiquus hoſtis piiſſimum, ac potentiſſimum præbere conatur: ſic vt ſapientiſsimum ſe prædicet, nedum apud maleficos ſuos aſſeclas, dum eos in tormentis conſtitutos indolorios reddit, vel mutos, ne veritatem delictorum fateri queant; ſed & apud Iudices ipſos, dum in obſcurioribus verſantur difficultatibus, quæ maxinè illos tenent, cum à maleficis de maleficio ſuſpectis, & indicatis torturæ addictis confeſſionem delictorum extorquere non poſſunt; tunc nequiſſimus ſathan, & his per ſuos accurrit, varia tradens remedia, quibus taciturnitatis maleficia ſoluere queant: & ex ore eorum flagitiorum valeant percipere veritatem.

Alij ergo, præcipuè Germani nonniſi à ſathanicis magiſtris edocti iubent, vt malefici à lictoribus ſublimes de domo tollantur, ac abrepti à terra Antæi inſtar in carcerem deportentur: vt ſupra dixi *num.* 140. *huius diſput.*

Alij hoc curæ eſt, vt detracta omni veſte, tunica interiore induant, quam vno die neuerint, texerint, ac conſuerint: Nam operoſam, & difficile eſſe conuenit, quod tantam difficultatem vincere, atquè expugnare queant.

Sunt, & qui ab imis plantis pedum ad verticem capitis vſquè depilatos, ac deraſos tormentis exhibeant, non vt ſigna maleficij, ſi quæ lateant, patefiant; ſed quòd dæmonem in crinibus, ac pilis receptum habere credant. Quod iam olim Domitiani Imperatoris iuſſu in Apollonium Thyanæum vſurpatum teſtatur Philoſtratus *in vita Apollonij lib.* 8. *c.* 3. *& lib.* 7. *c.* 14. Nam & is ſibi à crinibus viſiones naſci non ſemel ante dixerat, ferrumquè ob id ijs abmoueri valdè metuebat.

Non deſunt & qui iniecta in os aqua frigida, indè putent deturbari dæmonem. Sic Roſa Gerardina in agro Stinenſi Non. Nouemb. 1586. fatetur hac vna re adductam ſe, vt verum fateretur; aliaſquè omnes premendi rationes ſe pro nihilo habuiſſe.

Aliud experimentum à pluribus fieri conſueuit. Quadrupedes conſtringuntur, ac in lacum frigida oppletum immerguntur: ſi incolumes enatant, pro manifeſtis: ſin ſubmerguntur, pro inſontibus habentur. Quod etiam Deſiderius Gandonius Salſuriæ ad Bariſium Non. Mart. 1588. inter alia, quæ affirmabat ſortilegorum propria pro indubitato enarrauit. Sic & apud Illyrios, ac Triballos mulieres faſcinatrices fuiſſe, quę ne veſte quidem degrauatæ mergi poſſent, refert ex Iſigono Plinius *Hiſt. natur. lib.* 7. *cap.* 2.

Denique aliud à ſe obſeruatum memorant Sprenger & Inſtitor: vt, ſcilicet, maleficæ auerſæ ad quæſitorem rapiantur. Quæſitoris ſiquidem animum illas miſeratione occupare: imò potiùs faſcinare, ſi eum vel tantillum aſpectu præuerterre queat. 3. *par. Mall. malef. quæſt.* 15. Non minùs, quàm qui hominem videre prior occupat baſiliſcus: aut etiam lupus.

§. V.

AT ſi quis ſtudioſius horum omnium cauſam exquirat, non aliam, puto, probabiliorem reperiet, quàm dæmonem talibus experimentis occaſionem conſultò præbere; materiamquè veluti ſubminiſtrare, qua hominis ad tentandum Deum procliuiores efficiantur: dum ſcilicet ſiuè in infirmitatibus, ſiuè in periculis corporis, ac vitæ diſcriminibus, ſiuè in difficultatibus ambiguis ea omittunt, ac negligunt, quæ ad manum ſunt remedia, vel naturalia, vel moralia, vel ſpiritualia; & aliena, inſolentia, & quæ dæmonem auctorem, monitoremque potiùs habent, ſectantur, ac probant. 172

Qui omnes vt ſuperſtitioſi refelluntur.

Quid enim virtutis habet naturalis ad taciturnitatis maleficia diſſoluẽda, maleficos à lictoribus ſublimes de domo tolli? Quid eos induere tunica interiore vno die texta ac conſuta? Quid depilare à planta pedis ad verticem vſquè, hac de re tantùm, ne dæmon ſe abſcondat in pilis? Nonne poteſt manere ſub lingua? Nonne in quacumquè minima particula corporis maleficæ? Nonnè etiam propè corpus, & operari in corpore? Quid aqua illa frigida in os iniecta ad confeſſionem extorquendam? Nonne potiùs raucedinem inducere, & vocem præcludere poteſt, ne verba valeat proferre?

Quid quadrupedes conſtrictos immergi. Nonnè poſſet dæmon etiam noxios ſubmergere? Quid tandem maleficas auerſas ad quæſitorem rapi? Nonnè hæc omnia prorſus machinæ ſunt diaboli: vt homines à Deo auertat, hiſcequè rebus vanis mentem eorum implicet? Idcircò hæc omnia vt ſuperſtitioſa à viris catholicis ſunt deteſtanda: quia quicquid in eis operatur, à dæmone eſt inuentum, vt cultum Deo debitum à maleficis explicitè; à reliquis verò ſaltem implicitè ſibi arroget, & vſurpet.

ARTICVLVS II.

In Leuioribus.

§. I.

ITa auidus eſt honoris, & tam ab hominibus coli deſiderat antiquus ille ſerpens, vt non ſolùm in grauioribus: verùm etiam in leuioribus non dedignetur eis accurrere, & occultè ſe immiſcere, adeòquè, vt planè futilibus, abſurdis, & ſcurribus perſępè cooperari ſatagat. 173

Dæmon, vt honorem aucupetur ab hominibus, etiã accurrit implicitè inuocatus in ægritudinibus leuioribus pellẽdis.

Quod præſtat, dum implicitè ab hominibus inuocatur tùm ægritudinibus leuioribus pellendis: tùm in maleficijs arcendis: tùm in gregibus cuſtodiendis. Quid non operatur in morbis ſanandis? Docet per ſuos magos, ac maleficos.

Si qui faciant oblationem ex bonis eleemoſina impetratis, credentes, ea maioris eſse efficaciæ ad effectum conſequendum; ſanitatemque optatam obtinendam:

Si putent crucem ex eleemoſinis emptam, vel factam ſanctiorem, & efficaciorem.

Si offerant ſanctis ceram, vel aliam materiam, illi immiſcentes capillos hominis: vel pilos animalis ipſius ægri, &c.

Per annulum deſponſationis meiant, &c. vt liberentur maleficio.

Pro

Pro quibuſdam capitis doloribus, & ſimilibus morbis curandis, ad porcorum lintrem, ſeù obbam collum applicent: In nomine Patris, &c.

Aegrotantis cingulum metiantur ad cognoſcendum, à quo ſancto ſit ſanitatis impetranda, adhibitis alijs definitis ritibus.

Stramen bipenni diuidant, vt ſanentur manuum, vel digitorum tumores.

§. II.

174 NEc officit, quòd res applicata ſit omninò inutilis, & ridicula: dummodo homo illi, & non Deo fidem habeat: quia hùc tendit verſipellis, vt per hæc vana & inutilia homo illi; & non Deo fidem habeat: quia hùc tendit, vt veræ fidei fundamentum infirmius reddatur, & per fidem, quàm directè, & explicitè in his inutilibus, & vanis ponunt, ſibi ſaltem indirectè, & implicitè fides habeatur. Quod probat factum cuiuſdam vetulæ ophthalmia laborantis, de qua Delrius *lib. 6. Diſquiſit. magic. c. 1. ſect. 1. q. 1.* quæ cum ſtudioſum quendam conueniſſet, ab eoquè petijſſet, vt quæ in ſchedula, quam illi porrigebat, continebantur, ſibi non grauaretur, exſcribere, certam ſe eſſe, ſi de collo illam geſtaſſet, oculorum lippitudine liberandam: & ſtudioſum ſcripti illius characteres vel obſeletos cernens: vel obſcuriores (vt ſolent) legere non valens: eorum loco hæc verba ſcripſit in ſchedula: *diabolus huic vetulæ oculos eruat,* &c. ſimulquè philacterium mulierculæ tradidit. Quod cum de collo ſuſpendiſſet, ſpe plena poſt paucos dies ſanitati fuit reſtituta. Nimirum voluit Sathan hanc anum decipere, & in ſuperſtitione ſua obfirmare.

Etiamſi res applicata ſit inutilis, & vana: quia his vtitur, et fidei fundamentum deſtruatur.

§. III.

175 QVid non præſtat in maleficijs arcendis ab hominibus, ac pecoribus eorum? Docet, *ſi menſtruo cruore domus alicuius poſtes inungantur cum certis alijs ritibus dæmoniacis magorum artibus, & inſidijs aditum omnem præcludi: vt ſcribit Ludouicus Banairolus* Ennead. Muliebri cap. 2.

In maleficijs arcendis. Varij adhibentur modi.

Pellem capitis lupini affixam villæ valuis, vel lupi roſtrum cum certo ritu idem præſtare: ita Plin. lib. 20. hiſtor. natur. cap. 9.

Hyenæ ſanguinem inunctum impedire omnes magorum artes: apud eundem Plinium lib. 28. cap. 8.

Fel canis nigræ amuletum eſſe domus totius eo ſuffitæ; purificatæue contra cuncta maleficia. Eandem vim eſſe amianto lapidi: ac ſanguine atris canis reſperſis parietibus; eiuſquè genitali ſub limine ianuæ defoſſo certo ritu apud eundem lib. 30. cap. 20. & lib. 20. cap. 9. & lib. 28. c. 7.

Pro quibuſdam verò pecudum morbis igneis ſtruere ex peculiaribus lignis, & in eum animalia impellere: vel in orbem circumducere: & quod primo loco tranſit animal, hoc ſanctis offerre.

§. IV.

VT autem armenta, gregeſquè ſola in paſcuis à lupis inuadi non poſſint: ſuadet: S. Lupi 176
libum pinſere hoc ritu: coquunt libum triangularem, prætexto Trinitatis ſacratiſſimæ honore, & ei quinquè foramina imprimunt in memoriam (ſic colorant) vulnerum Christi: poſtea in B. Lupi honorem libum dant in eleemoſynam primo mendico, non ex propoſito; ſed ignarò, & fortuitò occurrenti.

In gregibus custodiendis.

Et hoc frequens eſt, ait Delrius *lib. 3. diſquiſ. magic. par. 2. quæſt. 4. ſect. 7.* in pagis propè Thenas, & Louanium. Superſtitio ſe prodit in eo (vt cætera mittam) quòd fortuito mendicanti dari debet; nam quid hoc vel ad cuſtodiam pecoris, vel ad honorem Dei attinet? Quis autem non rideat huiuſmodi amuleta? Cum enim ſint res corporeæ, ac ſenſibiles, quam virtutem habere poſſunt contra dæmones, qui ſunt ſpiritus incorporei, & inſenſibiles? ſi ergo aliquem operantur effectum, nonniſi ex pacto dæmonis cum mago, aut malefico inito. Sicquè cum cæteris implicitè tali pacto conſentientibus concurrit, vt magis homines in aliquod peccatum pertrahat.

Huius ſuperſtitio oſtenditur.

§. V.

AVdiamus ipſum patrem Mendacij veritatem hanc proferentem apud Georgium Pictoriū 177
ex Abbate Spambenſi de Subulco quodam, qui in Scipione ſuo, vel baculo paſtorali ſchedulam nomine D. Blaſij inſcriptam habebat, cuius baculi vi, & potentia porcos ſuos ab omni luporum vi, & raptu tutos credebat; ac tantùm ſchedulæ numinis tribuebat, vt etiam porcos in agris ſolos paſcendos abigeret. Tamen contingente quodam tempore, cum gregi paſtor abeſſet; & quidam præteriens dæmonem cuſtodire vidiſſet, illiquè dixiſſet: quid ipſe hìc cuſtodiret, qui hominum ſalutis perſecutor foret peſſimus? reſpondit: porcos cuſtodio: retulit alter, cuius iuſſu, dæmon, inquit, ſtultæ paſtoris confidentiæ. Nam ſchedulam quandam ſuo bacilio incluſit, cui diuinam aſcribit virtutem; vel indè quòd Sancti Blaſij nomine eſt inſcripta: & eam porcos ſuos à luporum iniuria defendere contra legem ſuam credit; mihi falſa ſuperſtitione inhærens, vbi cum per me fuiſſet vocatus, & denuò vocatus, & non comparuiſſet, me S. Blaſij vice hùc cuſtodiendum contuli. Vt enim ſemper labens Dei, & Sanctorum vices gero: ita & nunc libentiſſimè pro ſuo S. Blaſio illi porcos cuſtodio: vt ſtultum hominem in ſua vana confidentia extollam, ac roborem, ac eò perducam, vt talem Schedulam pluris, quàm Deum faciat.

Probatur exemplo.

§. VI.

EN ſathanas quomodo diligentem ſe præbet in mortalibus auxiliandis, vt eos à Deo auertat, 178
ſuoquè famulatui ſaltem implicitè aſciſcat. At non eſt putandum, erraſſe paſtorem, quòd S. Blaſij deuotus eſſet cultor; eiquè ſe, & ſua commendaret;

nam

nam ſanctos honorare, obſecrare, & auxilio, cuſtodiæquè eorum nos committere, pium, & ſalutare eſt, quicquid hæretici garriant: Verùm quia fiduciam ſchedula collocabat: & quia ſchedulæ diuinitatis aliquid tribuebat: & quia Deum tentabat, relictis ſuibus in ſchedulæ tutela: nec etiam Sanctorum auxilium precibus impetrandum ſibi, ſed nudo nomine chartulæ inſcripto opinabatur. Hac de re dæmon illum per hæc infima, vana, ac ſuperſtitioſa ad maiora crimina trahere contendebat. His enim obſequijs, quæ hominibus exhibet: vt rectè obſeruauerunt D. Auguſt. *lib. 83. q. q. q. 79.* & D. Leo *ſerm. 19. de Paſſione Domini*, conatur dæmon homines ad id perducere, vt tandem maioribus irretiti criminibus totaliter dæmoni ſe deuoueant.

Quare cum huiuſmodi curationis ſiuè in grauioribus ſiuè in leuioribus ægritudinibus, neceſſitatibus, obſequijs, vel præſeruationibus cauſa interna, ac proxima ſit dæmon, qui ad hoc ſolùm collimat: vt homines à Deo auocet; cultumquè Deo debitum ſibi arroget: cur non eſt dicenda ſuperſtitioſa hæc curatio ex parte talis cauſæ proximæ, & internæ? Quis ibit inficias.

SECTIO II.

Externam, & Remotam.

179 QVamuis non deſinant dæmones, qui nequitiæ ſunt ſpirituales omnes, omni tempore, omnibuſquè modis tùm apertè, tùm occulta pugna, tùm mixto certamine homines adoriri in anima, in corpore, in rebuſquè exteris, vt latè diſputatum eſt *tom. 1. d. 2. par. 3. per totam*. Nihilominus vt faciliùs conſequantur optata per vanas etiam ſuperſtitiones mentes hominum implicare, ac illaqueare ſatagunt. Quarum ſicut ipſe dæmon cauſa eſt intrinſeca, & proxima: quia latenter, & occultè operatur; & immediatè effectum in hiſce curationibus intentum producere conatur: ſic externa, & remota nuncupandus eſt homo, non qui ad maleficum gratia curationis accedit; ſed qui ſeipſo ea peragit, quæ ad illam conſequendam à dæmone deſiderantur. Talis autem dum hæc operatur, cum dæmone implicitum habet pactum ſiuè ope eius vtatur ad Cognitionem: ſiuè ad Opus: vt duobus articulis palam fiet.

Sicut dæmon eſt cauſa interna, & propinqua.

Sic homo eſt cauſa externa, & remota qui ſe ipſo ea operatur quæ à dæmone præſcribuntur, Siuè ad Cognitionẽ, uel Opus.

ARTICVLVS I.

In Cognoſcitiuis.

§. I.

180 CVm nihil tam in votis ſit hominibus, quàm ſcire omnia præſentia, præterita, futura, & poſſibilia dicente Ariſt. 1. *Metaph. 1. omnes homines natura trahi, & duci ad ſcientia, cognitioniſquè cupiditatem*. Quis ignorat, vnumquemquè notitię eorum præcipuè, quæ ad ſui ipſius, ac bonorum ſuorum conſeruationem, recuperationem, & à malis præſeruationem maximè ſpectant, operam nauare.

Homines natura ſcire deſiderant præcipuè quæ ad ſui conſeruationem ſpectant.

Idcirco non mirùm, ſi quàm plures ex hominibus, ſi quandoquè morbo aliquo afficiuntur, nimis ſuæ anxij valetudinis recuperandæ, vel vt morbi cauſam agnoſcant: vel vt remedia addiſcant, quibus valeant curari, quouis remedio etiam ſuperſtitioſo ſæpiſſimè vtantur.

Hinc aliqui, vt experientia diſcant: an ægritudo ſit à dæmone, vel à cauſa naturali, quædam capiunt experimenta deceptione plena.

Hac de cauſa quędam capiunt experimenta ſuperſtitioſa.

§. II.

QVidam, vt referunt Ioan. Nider *in ſuo formicario*, Sprenger *in malleo malef. par. 2. q. 2.* & Codroncus *lib. 2. de morbis venef. cap. 2.* Vas plenum aqua imponunt ſuper locum corporis affectum, plumbumquè in cochleari ferreo liquatum huic infundunt vaſi, interim verba quædam obmurmurantes, & ſubitò in plumbo coagulato diuerſarum rerum ſpecies prorumpunt: ſic pro varia guttarum conformatione iudicant primò: an ſit malum ex cauſa naturali; vel ex maleficio profectum: deindè cuius generis maleficium ſit. Quis autem, niſi prorſus ignarus hunc explorandi modum approbabit? Quis ſuperſtitioſum illum non iudicabit? Scio aliquos non deeſſe, qui exiſtimant, à Saturno hanc vim plumbo inditam eſſe, vt maleficia prodat, aſſerentes, ſeptem metalla eſſe ex ſeptem planetis. Et quia Saturnus dominatur plumbo, eius proprietatem eſſe, vt ſi plumbo ſuper maleficium aliquod fuſum fuerit, per ſuum influxum maleficium demonſtrent. 181

Ex plumbo liquato infuſo in aquã.

At quàm alienum ſit à veritate, experientia facta probat. Nam in hanc, vel illam guttulas formam coagulari pro natura morbi; merè, & verè eſt opus non naturæ; ſed intelligentiæ. Suppoſito enim, quòd Saturnus dominetur ſuper plumbum: non tamen conuincitur, ex hoc plumbum vim recipere demonſtrandi maleficium. Cum ergo Deus non formet huiuſmodi figuras: neq. Angelus bonus: nequè natura hoc præſtet, quis non videt, hoc fieri à cacodæmone, cui ſaltem tacitè conſenſit experimenti auctor.

§. III.

NEc laudari poteſt aliud experimentum, quod à quodam didiciſſe fatetur Codroncus *lib. 3. de morb. venefic. cap. 13.* Vt ægrotus, nempè, cum decoctione verbenæ (vulgo herba Sancti Ioannis dicitur) abluatur, in aqua ablutione ſi nihil reperiatur: decoctio non immutetur in colore, infirmum veneficio non eſſe affectum: quòd ſi magna copia pilorum, & præcipuè ſuorum inueniatur, eſſe argumentum efficax non ſolùm veneficij; ſed & grauiſſimi; minimèquè curam recipientis: quòd ſi pili ſint pauciores, morbum eſſe mitiorem, & curationem admittere. Quòd ſi decoctum illud ad nigrum colorem mutetur, ſignum eſſe præſentię dæmonis: quòd ſi alios colores mutetur, alia indicare. 182

Ex ablutione cũ decoctione verbenæ.

Quis verò non percipit, hunc etiam modum eſſe ſuperſtitioſum: cum pili illi virtute verbenæ, aut ablutionis nec elici, vel procreari poſſint; ſed requiratur maior potentia: vt eſt illa dæmonis, qui & morbum inferentes, & morbum curantes ſuperſtitionibus, ac criminibus fædare ſatagit. Addo, coloris hanc mutationem etiam naturali humorum prædominio (vt aiunt) in morbis non maleficis, ſed grauioribus contingere poſſe.

Aliud experimentum ſumunt nonnulli, vt tradit Idem Codronc. *lib. 4. c. 2.* columbum per medium ſciſſum ventriculo ægrotantis apponunt, nonnulla verba obmurmurando. Qui modi, & alij conſimiles, quos mitto manifeſtè magici ſunt, ac ſuperſtitioſi:

Ex colũbo per mediũ ſciſſo

tioſi: cum prorſus virtute naturali careant, nec ſubſit ratio, cur miraculo res aſcribatur, maximè cum certa verborum formula vtantur.

§. III.

183 NOlo tamen mittere experimentum quoddam, quod fieri ſolet à mulierculis in territorio Bergomenſi.

Ex pennis gallinæ nigræ ſub ceruicali poſitis.

Anno Domini 1645. Quædam mulier cuiuſdam pagi diæceſis Bergomenſis iam per tres menſes graui afficiebatur ægritudine, plurimis pharmacis adhibitis, ſed incaſſum, tandem acceſſit ad eam quædam mulier, quæ vulgo ſaga putabatur, promittens ſe ei ſanitatem impertiri, dūmodo prius agnoſceret, ſi morbus procederet ex maleficio; ideoquè ſe velle facere experimentum. Præcepit ergo eius matri, vt pennas, ſeu plumas gallinæ nigræ clam aſſumeret, ità quod nulli hominum eſſet notum, quas deindè poneret ſub ceruical ægrotę ipſa inſcia, hiſquè ibi relictis duobus diebus; poſtea eas acciperet, diligenterq. aſpiceret, ſi quid vltra pennas appoſitum inueniret, infirmitas erit ex maleficio. Sin autem, erit ex cauſa naturali. His auditis mater, quæ Deum timebat, acceſſit ad me, omnibuſquè per ordinem narratis, prædicta tanquam ſuperſtitioſa contemnere, & ad Deum confugere conſului. Quæ ægrota cum à dæmone obſeſſam ſe patefeciſſet, fuit poſteà diuino fauēte auxilio ab eo prorſus liberata.

Videas quot in vno experimento ſuperſtitiones? Quam virtutem habere poterant pennæ ſub ceruicali conſtitutæ ad maleficium oſtendendum? cur pennæ potius gallinæ nigræ, quàm alterius auis, vel coloris? quid illa ſecreti obſeruantia? cur per duos dies tantùm, & non amplius? quis poſuiſſet vltra pennas, quas inuenbat quiſquilias? A quo expectabat talem appoſitionem? Non à Deo, quia hæc media non inſtituit, ſicut nec Eccleſia: Non ab Angelis bonis, quia hiſce vanis, & ridiculis non ſe immiſcent, ergo à ſolo dęmone, qui huiuſmodi vana inſtituit, vt homines decipiat.

§. IV.

184 TAndem alterum experimentum non eſt ſilentio prætereundum, quo Venetijs quædam mulierculæ vti ſolent, vt egomet audiui à nonnullis ægrotis, eorumquè conſanguineis, pro quibus tale ſumpſerunt experimentum.

Ex ægroti indumento aliquo.

Deferunt aliquid indumentorum perſonę ægrotantis, puta, calceamēta, linteola, zonas, induſium, vel id generis ad mulierem; quæ ſumere vult experimentū, quę an conſulat dęmonem, vel quid aliud, ego ignoro. Sat mihi ſcire, neminem poſſe agnoſcere infirmitatem, an naturalis ſit, vel dęmoniaca ex inſpectione indumenti, non ergo alius reuelat, quàm dæmon.

Ex aqua ſuper ægroti caput ebulliente.

Alij ponunt ſuper caput infirmi mappulam plicatam, & ſuper eam vaſculum plenum aqua, quę ſi ſpontaneo motu ebulliat, diuinant, ægrum eſſe maleficio affectum, deinde aquam in euripum, ſeu canalem proijciunt. Hoc experimentum Anno Domini 1648. menſe Iulij adhibitum fuit cuidam puellę decenni à quadam vetula. Laborabat puella febre, ac dolore capitis, quam inuiſit vetula promittens poſt experimentum ſumptum eam à maleficio liberare; ſed facto experimento puella profecit in peius, maioribuſquè affecta eſt doloribus, cępit phreneſi laborare, ac furijs agitari, & in capite ita acutas, & atroces die noctuquè perpeti puncturas, quòd poſt dies ſex, vel ſeptem è viuis ad mortuos euolauit.

Nemo autem eſt qui ambigat, huiuſmodi experimentum eſſe ſuperſtitioſum. Quis enim illam aquam ebullire facit? vbi ignis? non alius vtiquè quàm dęmon. Ad quid ponere illam mappulam plicatam? Cur tandem, opus eſt, aquam illam proijcere in canalem? Hoc certè experimentum ſpecies eſt diuinationis, quæ continetur ſub hydromantia: & qui eo vtuntur, iuremerito hydromantici nuncupari debent: vt ſupra tradidi *tom. 1. pag. 121. num. 613.*

§. V.

SEd hic non ſiſtit curioſitas humana, vt morbos maleficos cognoſcat, quos euadere queat: Sed adhuc per illicita, & vana cauſas morborum nempè maleficos, & ſagas inueſtigare conatur. 185

Experimenta ad cognoſcendas ſtriges. Dū ſua libertate fruuntur.

Ad eas enim cognoſcendas, dum ſua fruuntur libertate, aiunt quidam, vt refert Delrius lib. 6. Diſquiſ. magic. cap. 2. ſect. 1. quæſt. 1. *ponere ſcopas in oſtio cum certo ritu impedire, ne domo exeant. Vel coniectis in bulliente ollam ſoleis, aut crinibus eius, vel acubus, &c. cogere vt accurrat.*

At ſunt magicæ nugæ, ac peccata grauiſsima, quia nituntur pacto cum dæmone inito.

Sic anno Domini 1665. in territorio Bergomenſi quidam Presbyter Exorciſta ſufficienter ignarus, cum iuxta monita Ritualis Romani dæmonem quandam Adoleſcentulam poſſidentem interrogaſſet: quodnam eſſet nomen ſuum, & reſpondiſſet proferens nomen Parochi illius Parochię, quam ipſi incolebant, deindè interrogaſſet, an eſſet ibi ſolus & reſpondiſſet, ibi etiam exiſtere matrem ſuam, proferens nomen Matris dicti Parochi: tunc Exorciſta ignarus voluit experimentum ſumere, ſi verum eſſet, quòd Parochus, ac mater eius eſſent in corpore illius Adoleſcentulæ, vel ſaltē ibi duo dæmones ab ipſis immiſſi, idcircò præcepit eius parentibus, vt coram ipſo ſigna maleficij, nec non aliqua eius induſia ſubtrita ponerent in lebetem ſupponēdo magnam lignorum quantitatem ignem accendentes, ita vt nedum quæ in lebete poſita erant, ſed & ipſe lebes penè adurerentur, interim quædam verba proferentes: Quo facto Parochus, ac Mater eius infirmati ſunt. Quis autem ignorat dictum experimentum eſſe ſuperſtitioſum; propterea Parochus ſanitate adepta, vt ſe, ac matrem ſuam ob infamia, qua laborabant, purgare poſſet, Exorciſtam vt calumniatorem accuſauit in iudicio, ac inter Miſſarum ſolemnia ſe à calumnia ſibi, ac matri ſuæ à dæmone impoſita liberauit, Exorciſta verò à Iudice pœna fuit multatus.

Item Venetijs ad compelledum ſagam, vt veniat ad domū perſonæ maleficiatæ, & ſanet eā: vel ſi nō venit, moriatur, docent perſonam maleficiatā, vel ænergumenam mingere in cucurbitam, illamque benè obſtructam claudere in quodam loco cum quibuſdam cæremonijs, & tunc, aiunt, quòd ſaga veniet ad domū perſonæ obſeſſæ, vel malſiciatæ, pulſabit ad ianuam illius, ingredietur, eam viſitabit, ac maleficium auferet, ac ſanabitur: vel ſi non

veniet, morietur ſaga, & cucurbita crepet, & vrina effūdetur per domum, & fætore eā replebit.

Hoc experimentum mihi enarrauit quædam mulier Venetijs die 7. Nouembris 1667. quod dixit ſibi traditum fuiſſe à duabus mulierculis, quę illam hortabantur adimplere, ſed ipſa noluit, ſed ad Deum confugit, & ad me, vt Dei, & Eccleſię miniſtrum. Quis approbare auderet tale factum? Nonnè eſt ibi dæmonis implicita inuocatio? Quis coget venire ſagam, niſi dæmon? Quis occidet ſagam, ſi non veniet, niſi dæmon? Eſt igitur ibi manifeſta ſuperſtitio.

§. VI.

186 *Dum ad manus Iudicum deueniūt Quorum ſumūtur Per Rogum, Prunas, Ferrum, Aquam frigidam aut calidam.*

CVm verò ad manus Iudicum deueniunt, quid non experiuntur hi, vt earum maleficiorum, pactorum dæmoniacorum, ac cæterorum criminum notitiam certam, & veram conſequantur?

Quidam experimentum ſumunt per rogum, per prunas, per ferrum; hoc eſt, vomeres, ſeù lateres, ſeù coticulas, vel chirothecas candentes. Innocentia probatur, ſi illæſus quis abiret: ſin, nocens habebatur.

Hoc obtinet vſum apud Iaponios, vt docent Epiſtolæ Ieſuitarum; præcipuè P. Luiſij Froes ſcriptæ anno 1595. Alij probatione aquæ frigidæ in explorandis ſtrigibus vtuntur: præcipuè in Germania. Nonnulli aquæ calidæ: vt Galli: cuius probationis modus, forma, cum aquæ exorciſmo, & alijs circunſtantijs latiſſimè tractantur à Delrio *lib.4. Diſquiſit. magic. cap.4. per totum:* ad quem remitto lectorem.

§. VII.

187 *Hæc omnia vt ſuperſtitioſa prohibita sūt. A Stephano V.*

AT circa hæc experimenta quid moramur? Hæc enim omnia vt ſuperſtitioſa ſunt prohibita à Stephano V. Summo Pontifice Romano *ad Maguntinum Archiepiſcopum Scribens: in c. conſuluiſti 2. q. 4.*

Ferri candentis, ait, *vel aquæ feruentis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet ſacri non cenſent canones. Et quod Sanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. Spontanea enim confeſſione: vel teſtium approbatione publica delicta, habito præ oculis Dei timore, commiſſa ſunt regimini noſtro iudicare: occulta verò, & incognita ſunt illi relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum.*

Quibus verbis ſubdit Gratianus *cap. eodem & cap. Mennam in fine 2. q. 4.* Non hæc duo tantum purgationis genera, quæ hic nominantur; ſed & quælibet ſimilia inhibita videri, eò quòd in quibuslibet talibus ratio, quam Pontifex addit, eadem procedere intelligatur. Quod apertè dictum *verſ. vlt. d. c. Mennam*, vbi legimus: *Vulgarem deniquè, ac nulla canonica ſanctione fulcitam legem, feruētis, ſcilicet, aquæ, ſiuè frigidæ, ignitiquè ferri contactum: aut cuiuslibet popularis inuentionis (quia fabricante, hæc ſunt omninò facta, inuidia) nec ipſum exhibere, nec aliquo modo te volumus poſtulare; immò Apoſtolica auctoritate prohibemus firmiſſimè.* Eadem prohibita ſunt ab Alex. II. *Epiſt. ad Raynaldum Cumanum Epiſc.* ab Honorio III. *cap. dilecti filij, de Vulgaribus probationibus*, à Lucio III. *c. Ex tuarum, de purgat. canon.* & ab Innoc. III. *c. Sententiam ſanguinis, ne Cler. vel Monach.* Factæ enim ſunt, prædicto Stephano Pontifice teſtante, hæ probationes fabricante inuidia, diabolo nempè, hominum ſaluti inuidente. Nam Iudices, ſiuè quicumque alij huiuſmodi probis vtentes

Alex. II. Hon. III. Luc. III. Inn. III.

Deum tentant; quod eſt peccatum grauiſſimum repugnans religioni, ac primo Decalogi præcepto: quia miraculum à Deo petitur citra neceſſitatem, quæ aperta Dei eſt tentatio, vt benè teſtantur præfatus Honorius Pontifex, D. Th. 2. 2. q. 97. & Summiſtæ omnes *in verbo Tentatio Dei, vel Tentare Deum.* In probatione autem de ſtrigibus non eſt miraculoſa operatio cēſenda; ſed pactum magicum cum dæmone, cui ſaltem implicitè ſe immiſcet, qui de ſtrigibus huiuſmodi experimentum ſumit. Hoc enim promiſcuè contingit ad proiectionem in aquam, quam faciunt Iudices catholici, & hæretici, vt conſtat, quia maximè hæc probatio viget inter hæreticos; ſed hæretici non faciunt vera miracula. Quare huiuſmodi probationes vt prohibitæ, quia ſuperſtitioſæ, à Iudicibus prorſus ſunt relinquendæ, ac deteſtandæ; eæquè adhibendæ, quæ à legibus, canonibus, ac ciuilibus traduntur; & à Doctoribus catholicis, ac probis commendantur.

§. VIII.

ALiud nonnulli ſumunt experimentum ex lachrymis, vt videre eſt Malleo Maleſ. p.3. q. 15. *an ſaga lachrymare queat coram Iudice ſtando, aut tormentis exponendo. Hoc enim ipſo pro certiſſimo ſigno ex fide dignorum antiqua relatione, ac propria experientia docente adeò compertū eſt, quòd etiamſi ad lachrymandum coniurationibus hortetur, & compellatur, ſi malefica exiſtit, hoc ipſum ſcilicet, lachrymas emittere non poteſt, dabit quidem flebiles voces, & ex ſputo genas, & oculos linire, acſi fleret, attentabit, ſuper quo à circumſtantibus cautè aduertendum erit. Modus autem coniurandi ad lachrymas veras, ſi innoxa fuerit, & cohibere lachrymas falſas, talis, vel conſimilis in ſententia practicari à Iudice poteſt, ſeù presbytero, manum ſuper caput delati, ſeù delatæ ponendo dicere:* Coniuro te per amariſſimas lachrymas à noſtro Saluatore Domino &c. *Hæc in Malleo.* 188

Experimentum ex lachrymis.

§. IX.

VErùm hoc experimentum à Godelmanno, Binſfeldio, ac Delrio vt inane, & friuolum reputatur. Nam ſi Doctores Mallei loquuntur de lachrymis ex pœnitentia, vel deuotione, illæ nō ſunt ſpontaneę; ſed à Deo, cui lubet, dantur, ſi de lachrymis propter ſenſum doloris, fieri poteſt, vt ſit talis quarundam conſtitutio corporis, vndè, ait Delrius, nouiſſe pueros, quos citius flagris quiuis diſcidiſſet, quàm vel vnam lachrymam excuſſiſſet. E contra Picardorum hæreticorū genus in Bohemia, quod *Flentes* vocant, aiunt, vbertim flere quandocumquè lubet. An ergo hi nequeunt eſſe malefici? Et licet formula prædicta lachrymas coniurandi nihil contineat impij; attamen formulas huiuſmodi Iudicibus præſcribere merè arbitrarias, & fallaci duntaxat experientiæ innixas: non ſatis pium, neque religioſum eſt, & ſapit tentationem Dei. 189

Quod reputatur inane, et friuolum A Godelmann. Binsfel. & Delrio

Nec ratio etiam, quam addunt, bona eſt, ſcilicet, hoc contingere, quia gratia lachrymarum in pœnitentibus donum eſt Spiritus ſancti, & diabolo diſplicet; ideò illam conatur impedire. Agè enim ſi oratio illa, ſeù coniuratio efficax eſt ad donum à Spiritu ſancto impœnitenti, & nolenti maleficæ impetrādum, ad lubitum interrogantis latrūculatoris, (quod quis credat?) ſanè diabolus nō magis poterit has lachrymas impedire, quā cordis pœnitentiam: Si non eſt ad hoc efficax, cur id diabolo diſpliceat, cui fictæ lachrymæ non poſſunt non placere? Cur ergo per huiuſ-

huiuſmodi commenta ab Eccleſia non approbata via ſtruitur ſimilibus ſuperſtitionibus? Præterea cur nequeat diabolus lachrymas, ſi velit, elicere, quas muliebre ingenium cum lubet, elicit, & ſuperſtitio Flentium Picarditarum?

§. X.

190 NEc minori cura homines, qui de mundo ſunt, & mundanis rebus ſunt addicti, quærunt bonorum (fortunæ vocant) ſuorum conſeruationem: quòd ſi quandoquè eorum pars aliqua ſibi furtim ſurripitur, pro recuperatione illorum nedum medijs licitis; ſed, vtut, ſint vtuntur.

Simili modo, vt bona fortunæ homines cōſeruent, & ablata recuperent. Alij ad inueniēda furta & occulta ſcienda vtūtur phiala plena aqua cū certis cæremonijs

Vndè nonnulli ad inueniēnda furta, ſicut & alia occulta agnoſcenda, accipiunt phialam plenam aqua, & ante eam ponunt puerum, vel puellam virginem cum candela, ſeu cereo accenſo reſpicientem dictam aquam, dicendo iſta verba: Angelo bianco, Angelo ſanto per la tua ſantità, &c. moſtrami chi hà tolto la tal coſa, e che n'hà fatto, & ſimilia. *Tunc enim aliquando apparent vmbræ, ſeù imagines ad inſtar perſonarum, quæ furatæ ſunt dictas res: Item & figuræ rerum ablatarum, & locorum, vbi repoſitæ ſunt, actus, quos fecerunt fures in aſportando furtum, necnon etiam figuræ rerum, vel negotiorum occultorum quæ quæruntur.*

§. XI.

191 HOc ſortilegium ſic formatum, quòd hæreſim manifeſtam ſapiat, planè conſuluit Barbatia *in conſil.* 55. *lib.* 2. quem ſecuti ſunt Vmbert. Locat. *in iudiciali Inquiſitorum in verbo Diuinationes n.* 4. *in fine. verſic. & nota quod Diuinatio:* qui tamen loquitur, quando candela, & aqua erant benedictę. Decianus *in tract. criminal. lib.* 5. *cap.* 17. *verſ. item hæreticus eſt, qui per phialam.* Franciſcus Pegna *in additionibus ad Eymericum in Directiorio Inquiſitorum part.* 2. *quæſt.* 43. *comment.* 68. *littera G.* Et licet Iulius Clarus *in §. Hereſis num.* 23. *ad finem.* Expreſsè reprobet eundem Barbatiam, prout etiam facit Hippolytus Riminaldus *conſil.* 414. *num.* 16. & 19. docentes, ſortilegia facta ad inuenienda furta non eſſe hęreticalia. Attamen veritas eſt: quòd huiuſmodi ſortilegia tunc ſunt hæreticalia, cum in eis interuenit abuſus vel ſacramentorum, vel ſacramentalium, vel aliqeid aliud ex his, quæ ſupra diximus *num.* 55 & 56. *huius diſput.* Aliàs ſecus, ita Farinacius *q.* 181. *de Hæreſi. numt* 17. In caſu autem noſtro negari non poteſt, quin ſortilegium ſit hæreticale; cum in eo diabolus vocetur Sanctus, & ſic Duliæ honor ei impendatur. Idem dicendum de vſu ſpeculi ad ſcienda futura cum accenſione candelæ, quæ adorationem ſignificat, vt teſtatur Ricc. *deciſ. Curiæ Archiep. Neapolit.* 243. *per totum volum.* 2.

Quod ſor[tilegium in] ma[nifeſtam] ſapit hæreſim.

§. XII.

192 ALij alijs formulis vtuntur: *Vt deprehendant furem, accedunt ad fluentem aquam, indè quot ſuſpectos habent, tot numero lapillos colligunt, domum referunt, faciunt igneſcere in foco defodiunt ſub limen, &c. imponunur ſcutellæ aqua plenæ cum certis ritibus; & ad nomen furis calculus eius faciet ebullire. Item leguntur ſeptem pſalmi cum litanijs. Hinc ſequitur oratio terribilis ad Deum Patrem, &c. Hinc Exorciſmus in furem. Denìquè formatur figura circularis cum barbaris nominibus, & in medio pingitur oculus: tum clauus æneus certorum laterum oculo infingitur malleo cupreſſino, & dicitur certus in pſalmis verſiculus, ſic fieri oculum putant excuti.* Quem modum vtiquè, patet ex prędictis, manifeſtam ſapere hæreſim. *Alij vtuntur certo numero candelarum, quas accendunt cum quibuſdam alijs cęremonijs, & ritibus.*

Alij certo numero lapillos ad fluentem aquam.

Nec deſunt alij modi, quibus vtuntur mundani homines ad res perditas inueniendas, vel fures deprehendendos, quos prorſus eſſe ſuperſtitioſos quis neget? Nam talia operantes effectum expectant, non à Deo, neque ab Eccleſia, cum ab eis hanc virtutem non habere, conſtet: ergo à diabolo, cui talia adhibentes ſaltem implicitè aſſentire, nemini eſt ambigendum. 193

Alij certo numero candelarum.

Non eſt tamen damnanda de ſuperſtitione ars inueniendi aquas in terra latentes, & defluentes adhibita virga ſalicea, vel amygdalina, vel ſanguinula, aut auellanæ, quia hic effectus viribus naturæ fieri poteſt in debita diſtantia ob qualitates ab aqua in virgam, vel à virga in manu hominis humidi exiſtente in aquam tranſmiſſas: Vel ob ſympathiam virgæ in manu hominis talem complexionem habentis, exiſtentes, tum quia nihil mali apparet, ex quo hanc artem redarguere, & reprobare debeamus; conſequenter dicimus, hanc artem non eſſe ſuperſtitioſam; ſed niſi viribus naturæ, vel exerceri Deo gratis concedente, vt docet Bonacina *de Legibus diſp.* 3. *q.* 5. *punct.* 4. *num.* 14. 194

Non eſt tamen ſuperſtitioſa ars inueniendi aquam, adhibita virga amygdalina.

ARTICVLVS II.

In Operatiuis.

§. I.

SI in cognoſcitiuis diabolicam concurrere operam non dubitatur, quandocumquè morbi cauſam, furem, & alia id generis agnoſcere quis tentat per ea, quæ nec naturali virtute, nec diuina, nequè angelica, nequè eccleſiaſtica inſtitutione ad tales effectus obtinendos ordinantur. Idem equidem fatendum eſt in practicis, ſeù operatiuis, quotieſcumquè per media, quæ cauſæ eſſe non poſſunt ex ſe habentes virtutem ad huiuſmodi effectus producendos quis conatur ſanitatem tueri, amiſſam recuperare, è carceribus ſe eripere, manus iudicum euadere, mortem euitare, & alia id generis præſtare. 195

In operatiuis ſuperſtitioſa eſt curatio, cū quis medijs vtitur, quæ ex ſe nullam habent vim ad talem curationem obtinendam.

Propterea Hubertinus, & Goffredus iuriſtæ vt habetur *in malleo maleficar. par.* 2. *q.* 2. concedunt, licitum eſſe, maleficia tollere etiam per opera ſuperſtioſa. Cui opinioni Scotum adhærere falsò aſſeuerat Daniel Sennertus Vratislauienſis Medicus *lib.* 6. *pract. medicinæ pvr.* 9. *cap.* 8. vbi ait, *Scotum in* 4. *ſent. d.* 34. *q. vnica dicere: Superſtitionis eſſe, ſi quis ſtatuat, non eſſe maleficium ſuperſtitione depellendum.* Quæ verba vt legi, admiratus ſum, prædictum Medicum tanto Doctori aſcribere huiuſmodi errorem. Ex quo facillimè agnoſcitur, Sennertum nec legiſſe, nec vidiſſe Scotum. Scotus enim de maleficijs nullibi agit, præterquam loco citato à Sennerto, vbi tractans de matrimonij impedimento caſuali, quod fit per maleficium, loquens de remedio ſic ait: *Si per orationes Sāctorū impediatur virtus dæmonis benè ſit; Si tamen Deus illas nō exaudiat, tūc ſi ſciretur maleficiū, & deſtrueretur, dęmon non fatigaret eū ampliùs, quia ex pacto nō aſſiſtit, niſi dū durat aliquod ſignū. Et*

ex hoc patet, quod truffatica eſt illa quæſtio: An liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum. Nou enim ſolùm licet; ſed eſt meritotium deſtruere opera diaboli: Nec in hoc eſt aliqua infidelitas: quia deſtruens non acquieſcit operibus malignis; ſed credit, dæmonem poſſe, & velle fatigare, dum tale ſignum durat, & deſtructio talis ſigni imponit finem tali vexationi. Hæc ſunt verba Scoti. Legant quæſo Medici, & quilibet alius Doctus Scoti editiones *ſuper 4 ſentent.* tàm veteres, quàm recentiores. Nec enim aliter inuenient eius verba, quàm ſuperiùs à me fuerint recitata. Bonè Deus poteratnè Scotus ſuam clariùs aperire ſententiam? Quotuſquiſquè eſt adeò ignarus, qui ex prædictis verbis poſſit deducere, Scotum aſſentire iuriſtarum opinioni: cum luce clarius meridiana appareat, Scotum in hac eſſe opinione, vt dicat, licere maleficium tollere per deſtructionem ſigni: quod quidem licitum eſt: licet ſatius relinquendum, vt latè probabo infra *diſput. 3.* Non autem dixit, licere, tollere maleficium per ſuperſtitionem. Quid igitur loqueris moderne cenſor, ſi Scotum non legiſti? cur Theologorum ſubtiliſſimum in his, quæ ad mores ſpectant, audes paruipendere, ſi eius doctrinæ limina ne quidem à longè ſalutaſti?

§. II.

196 AT prædictum Medicum, arbitror, cum opinione Iuriſtarum Scoti connumerare ſententiam: quia apud Sprengerum loco citato in malleo (conſtat ex verbis ipſius, vbi immediatè addit hiſtoriam eodem loco à Sprengero relatam) legerit, *Scotum in 4. ſent. vbi ſupra, reputare fatuitatem, aſſerere: quod etiam per vana, & ſuperſtitioſa non debeant maleficia tolli. Dicit enim: Nec in hoc eſt infidelitas: quia deſtruens non aſſentit operibus diaboli ſed credit, eum velle, & poſſe fatigare, dum durat tale ſignum: quia ex pacto non aſſiſtit ad hoc, niſi dum illud durat, & ſic deſtructio illius ſigni imponit finem tali vexationi: vndè & dicit: quod meritorium eſt, opera diaboli delere.* Hæc Sprenger. Sed rogo hîc intelligentes, vt obſeruent Sprengeri argumentationem. Quia Scotus dixit: non ſolum licere; ſed eſſe meritorium, deſtruere opera diaboli; nec in hoc eſſe aliquam infidelitatem, quia deſtruens non acquieſcit operibus diaboli; ſed credit, dæmonem poſſe, & velle fatigare, dum tale ſignum durat, infert Sprengerus, licitum eſſe, imò meritorium, per vana, & ſuperſtitioſa tollere maleficia. At quis tam ignarus eſt in logicis, qui ignoret, huiuſmodi conſequentiam eſſe prorſus inconuenientem, & abſurdam? Nonnè apertè ibi eſt fallacia à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid? Quis tam neophitus in ſcientia argumentandi, qui non agnoſceret fallaciam, dum quis diſcurreret hoc modo: Licitum eſt, ac meritorium dare pauperi eleemoſynam, ergo licitum eſt, ac meritorium furari, vt detur pauperi eleemoſyna? Sic pariformiter claudicat Sprengeri argumentum, dum dicit: licitum eſt, & meritorium tollere maleficium, & deſtruere opera diaboli, ergo licitè, & meritoriè poteſt quis facere hoc per vana, & ſuperſtitioſa. Primum concedimus cum Scoto: Secundum negamus, ſicut nec ipſe admittit. Si enim Sprengeri conſiſteret argumentatio, ſequeretur, quod ſi quis deſtrueret ſigna maleficij in culcitra, vel ſub limine ianuæ inuenta, intendens deſtruere opera diaboli, vana, & ſuperſtitioſa voluntariè committeret, quod videtur abſurdum.

Nec officit quicquid dicat Sprenger in malleo.

§. III.

NOn ergo Scotus cum opinione illorum iuriſtarum eſt connumerandus; nec per vana, ac 197
ſuperſtitioſa ex mente ipſius licitum eſt tollere maleficium, & ſanitatem conſequi: ſicuti nequè ego hanc volo laudare ſententiam. Incomperto enim eſt: quandocumquè per vana, & ſuperſtitioſa quis à maleficio liberari tentat; vel alia id generis operari conatur, quorum effectus è re, à qua expectatur, produci nequit, ab alia cauſa nempè, dæmone prouenire, cum quo pactum ſaltem implicitum qui operatur, habere, neceſſe eſt.

No enim Scotus docet per vana, & ſuperſtitioſa licitum eſſe tollere maleficium.

Quarè huiuſmodi curatio dæmoniaca iuremerito ſuperſtitioſa eſt exiſtimanda, cultuiquè diuino maximopere contraria. Tum ratione cauſæ internæ, & proximæ, videlicet, dæmonis hoſtis humani generis infenſiſſimi, qui ad hanc accedit curationem non expreſsè, & apertè, ſed tacitè, & implicitè, occultèquè optatam confert ſanitatem ſiuè in grauioribus: ſiuè in leuioribus ægritudinibus; vt cultum Deo debitum ſibi ſaltem implicitè aucupetur. Tum ratione cauſæ externæ, & remotæ, homines nempè, qui ad ſanitatem obtinendam, vel aliud conſequendum, operatur ea, quæ à dæmone primo mago ad effectum aliquem impetrandum adimplenda tradita fuere: quæ cum ex natura ſua ſiuè in cognoſcitiuis: ſiuè in operatiuis apta nata non ſint ad illum effectum producendum: dæmoni illum occultè producenti ſaltem implicitè, & tacitè conſentire operantem, nemo eſt, qui ambigat vt fuſiùs explicabitur ſub alijs rationibus in ſequentibus capitibus.

CAPVT II.

Quoad Modum.

VErè magnam rerum cognitionem acquirere, fateatur, oportet, qui earum cauſas indagare 198
contendit iuxta philoſophicum effaum 1. Phyſic. *Vnumquodquè arbitramur cognoſcere cum cauſas eius cognoſcimus.* Veruntamen, rerum quoquè pulcherrimas formas innumeris, & artificioſiſſimis rationibus compoſitas, quas qui rerum modum, & ordinem contemplatur, non ignorare conuincitur, quis valeat enunciare? At quis nõ videat modum, quo ſuperſtitioſa curatio peragitur, ob varias rationes, & innumerabiles formas, non quidem ſolidas, vtiles, pulchras, & decoras; ſed vanas, inutiies, turpes, & deformes, quibus ſuperſtitioſi homines vtuntur, eſſe inexplicabilem, & indicibilem? In hac tamen varietate omnes illæ rationes reuocari poſſunt ad Modum Verbalem, Operatiuum, Obſeruatiuum: vt tribus ſectionibus declarabitur.

Superſtitioſa curationes quoad modum omnes tamen reduci poſſunt ad Verbalẽ, Operatiuum, Obſeruatiuum.

SECTIO I.

Verbalem.

MOdum verbalem, qui in diuerſis verborum 199
formulis conſiſtens in hiſce curationibus adhibetur, vim, & efficaciam ad tollendos morbos habere naturalem diceretur, ſi fides aliqua quibuſdam diaboli fautoribus eſſet præſtanda. Quidam enim phyſiologiæ minus addicti, magicis autem

nugis

Plures diaboli fautores multa naturalibus ſuperſtitioſa receperunt

nugis nimis creduli facilè naturalibus ſuperſtitioſa multa receperunt; quorum primi ſunt Arabes, ferè omnes cabaliſtæ, & recentiores Iudęi; magi quoquè omnes cum Arippa, Paracelſo, Plinio, & Pomponatio: à quorum errore immunis non videtur Origenes *lib.1.& 5. contra Celſum*: quem ſequuntur quidam Medici valdè ſuperſtitioſi Q. Serenus *lib. de remedijs* Ætius *lib.8.c.5.* Octauianus *in Eupo riſtis*, Marcellus, & Trallianus. Quibus adiungitur Canonicus Tigurinus, cuius nomen maturo, & ſapienti conſilio Eccleſia Romana inter primę claſſis prohibitos ſcriptores, quorum ſcripta ſunt vetita, retulit.

Veritas eſt, nulla vocabula vim habere naturalem, vulnera ſanādi, vel noxas alias depellendi.

200 Horum omnium patrocinia, quibus ſuam tuentur ſententiam, quia friuola, impia, & vana, ſilentio prętexire, conſentaneum duxi, ffiarmans, & indubitanter aſſerens.

Nulla vocabula vim habere naturalem vulnera, vel morbos ſanandi: aut noxas alias depellendi, ſiuè verba ſint ore prolata: ſiuè ſcripto comprehenſa: ſiuè ſola, & incomplexa (vt vocant:) ſiuè complexa, & in propoſitionem, vel orationē aliquāverſu, aut proſa relata: ſiuè ſignificatiua: ſiuè nihil ſignificatiua: ſiuè hæbræa: ſiuè alterius linguæ: ſiuè dicta cum ſibilo, aut afflatu: ſiuè aliter quomodocumquè abſente, vel præſente ægro. Verba enim vel ſcribuntur in charta: vel ore proferuntur. In charta tantùm ſunt figuræ; & propterea nullam efficaciam habent, & ſi quam vim habere dicuntur, ab atramenti, vel chartæ, cui inſcripta ſunt, temperamento, vim illam accipiant, oportet; & proindè ſua, propriàquè vi non operantur. Ore verò prolata vim tantùm habent contactu aerem feriendi, & auditum afficiendi, ſicut & animalium, reliquorumquè inanimorum ſoni, qui ex aeris fractione cauſantur. Sed ſonus tactum non magis valet immutare, quàm color auditum, vel dulcedo viſum: quia non ſunt ſenſuum iſtorum obiecta. Cum ergo ad ſanationem corporum neceſſe ſit, ſenſum tactus immutari, fateantur, oportet, ſanationi morborum ſolam verborum prolationem, vel ſcriptionem nihil conferre; ſiuè verborum conſiderent modum ſignificatiuum: ſiuè non ſignificatiuum, vt ſequentes articuli demonſtrabunt.

Siuè eorū modum attendamus Significatiuum, & Nō ſignificatiuū.

ARTICVLVS I.

Significatiuum.

§. I.

Quidam ſentiūt, voces ſignificatiuas primariò ſignificare per influxum cæleſtem. Secundario per hominū impoſitionem.

201 SI verborum attendatur modus ſignificatiuus: dicent Aduerſarij, voces ſignificatiuas primariò per influxum celeſtem ſignificare: Secundariò verò per hominum impoſitionem; ideòquè non tantùm vim habere morbos ſanandi ob quandam, vt aiunt Cabaliſtæ cum cæleſtibus corporibus, & mentibus ſympathiæ connexionem; verùm etiam quia per ſe duntaxat primò auditus, deindè affectionibus animi immutatis per accidens tactus quoquè immutatur. Sicut videmus (inquit Pomponatius) fieri ab Oratoribus facultate Rhetoricæ: & à peritis muſicis vi harmonię. At lubet ab his quęrere, inprimis: num neceſſe non ſit, quemlibet influxum cæleſtium orbium per traduces qualitates in ſubiectū tam remotum influere ipſis influentijs recipiendis aptum, & accommodatum? Deindè num res corporeæ, vt ſunt nomina, ſint ſubiectum idoneum recipiendis qualitatibus corporeis? Quorum vt prius nequit negare: ità poſterius nequit affirmari. Nihil ergo tribuit energię primus ille influxus cæleſtis. Impoſitio quoquè humana, cum ſit nuda, & mera arbitraria, denominatio ad diuerſa apud diuerſas nationes ſignificanda, quid queat influere, nec argus videat, quem ferunt fuiſſe oculatiſſimum.

Quorum opinio refellitur, vt erronea.

Nec ſimile eſt de Oratoribus, & Muſicis. Oratores enim non verbis nudis; ſed pondere ſententiarum, & rationum momentis perſuadent. Aliter ſi nudis tantùm verbis, numquam animos concitarent. In muſicis etiam ipſa concentus ſuauitas, & harmonica modulatio diſtrahit animum à doloris cogitatione, & ad lętitiam prouocans lenit, & contemperat humores. Cui quid ſimile in horrificis, ac ſtridulis ſibilis, atquè ſuſurris magorum? quid virtutis in hiſce formulis curationum à dæmone auctore inuentis, ac diſpoſitis? Qui ergo illis vtitur, ſaltem implicitè, & tacitè conſenſit pacto à malefico cum dæmone inito: & conſequenter eius curatio ſuperſtitioſa proculdubio eſt nuncupanda.

§. II.

VErùm pro maiori etiam minus peritorum intelligentia ex innumeris verborum, vel orationum formulis ſiuè ſacris, ſiuè profanis, ſiuè mixtis quibus vulgo vulnera ſanantur: vel morbi curantur: aut infortunia arcentur, nonnullas ſubijciam, vt de ijs poſſint lectores quandocumquè de facto inciderint iudicare. Nec eo, quo pronunciandæ ſunt idiomate, ordine, & rythmo ponam, ne curioſi, & impij queant abuti; ſed aſcribam tantùm initium, ac finem, omiſſis medijs, & circumſtantijs, quas auctores earum requiri, aſſeuerant. 202

Referuntur varia verborū formulæ ſuperſtitioſæ; ſed nō eo rithmo, ordine, & idiomate quo ſunt pronunciandæ.

1. *Ad curandos morbos, vel vulnera ſananda dicere*: Si Sancta Maria puerum Ieſum verè peperit, liberetur homo, aut animal &c. In nomine Patris &c. *Similiter dicere:* Si Chriſtus verè mortuus eſt, &c. ſanet te &c. *& ſimiles.*

In quibus eſt manifeſta, & aperta tentatio Dei. Vult enim, Deum obligare, vt neceſſariò ſanet à tali morbo; ſicut nunc neceſſarium eſt, & infallibile Mariam Virginem peperiſſe Ieſum; Similiter neceſſarium, & infallibile ipſum iam pro ſalute noſtra eſſe mortuum, &c. Ità prætendit, quòd Deus neceſſariò ſanet ægrotum à tali vulnere: vel morbo: quod eſt grauiſſimum peccatum repugnans religioni, ac primo Decalogi præcepto: vt etiam ſupra oſtendi *de probatione ferri candentis, aquæ calidæ, & frigidæ num.* 177. *huius diſp.*

2. *Dicere*: Chriſtus fuit natus, Chriſtus fuit amiſſus, Chriſtus fuit inuentus, ipſe benedicat &c. hæc vulnera. In nomine Patris, &c.

3. *Dicere contra vermes:* Ego adiuro vos vermes per omnipotentem Deum, vt iſta domus, vel ciuitas ſit vobis tam deteſtabilis, quàm Deo eſt vir ille, qui falſam ſententiam, &c. In nomine Patris, &c.

4. *Ad dolores ſedandos dicere*: Palea denſa, ligna rara, homo bonus, &c. & dolor ventris vel alterius membri vadat, *cum quibuſdam orationibus, &c. Hanc dicunt magi, ac malefici traditam eſſe à Chriſto cuidam homini, qui eum in domum ſuam recepit ad ſe calefaciendū. Sed hæ ſunr nugæ à diabolo inuentæ, vt homines decipiat.*

5. *Ad infortunia arcenda illud, de quo Burchardus* v. collegiſti: Collegiſti herbas medicinales

cinales, *cum alijs incantationibus, Symbolo, & Dominica oratione*.

6. *Ad infirmitates tollendas*: Chriſtus natus, Chriſtus mortuus, &c. & iſte infirmus ſolatium accipiat, *cum certo numero orationis dominicæ, & Aue Maria*.

7. *Ad ſiſtendum Sanguinem: In aquæ frigidæ cyathum inſtillare profluentis ſanguinis definito numero guttas; & inter vnamquamquè recitare Pater noſter, & propinare patienti, eumquè de quibuſdam, &c. interrogare. Vel fronti certum verſiculum inſcribere: Vel dicere*: Sanguis mane in te ſicut Chriſtus, &c. ſanguis mane fixus ſicut Chriſtus, &c. *& ter repetere. Item*, In Sanguine Adæ orta eſt mors ✠ &c. ò ſanguis, vt fluxum tuum, vt cohibeas, &c.

8. *Ad ſiſtendum illum in vulnere:* Chriſtus natus eſt in Bethleem, & paſſus, &c. *& hæc dicentem tenere innominatum digitum in vulnere, & facere certas ſuper vulnere cum eo cruces, & recitare certo numero Pater noſter cum Symbolo. Item certum verſiculum ſolum dicere ex Paſſione, &c.*

9. *Pro eodem*. Per Ieſum Chriſtum filium eius, in nomine Domini noſtri, qui in Cana Galileæ, &c. qui pedibus tuis ſuper te ambulans, & à Ioanne in Iordane in te baptizatus eſt, qui te vnà cum ſanguine de latere, &c. In nomine Patris, &c.

10. *Contra venenum*. Dac potum mandato, ſeu nuncio, & chriſtianus ſanatus erit, *cum certis alijs obſeruantijs*.

11. *Contra dolorem ex tortura*: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus, &c. factus ſum ſicut homo non audiens, &c. Accipe, & manduca, hoc eſt corpus meum ſint in te in anima diaboli, &c. *cum certis alijs nominibus incognitis in principio*.

12. *Pro eodem*. Quem quæritis adſum, triſtis eſt anima mea, &c.

13. *Pro eodem*. O clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſrael, qui aperis, & nemo, &c. veni foras de domo carceris, &c. *cum certis alijs*.

14. *Pro eodem*. Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, &c. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire, &c. Ieſus tranſiens, &c.

15. *Ad tollendas ruſcipilias*. Quo vadis Iſaac? vado ad quærendum Iſaac, reuertere, &c. *cum certis orationibus*.

16. *Ad curandum maleficiatum. Exprimere nomen læſi, & matris eius, & Angelos gloriæ, qui ſtant in loco ſexto ſex diebus, ter in die. Septimo collocetur nudus contra ſolem, &c. deindè nomina horum Angelorum inſcribenda laminæ, &c. & vigeſima die menſis ſanabitur*.

17. *Ferre inſcripta nomina trium Regum cum certis tribus verſiculis:*

18. *Aegrotos in foro collocare, & eorum corpori chartam miris, varijſquè characteribus conſignatam, & additis nominibus dæmonum:* Bulſar, Narthim, Oleaſar, Bilech, Mammon, Oriens, &c. *deformatam*.

19. *Ad liberandum ægrotum à febre ſequentem formulam Anno* 1648. *Venetijs inueni traditam à muliercula cuidam infirmo. Præcepit dicere ter:* Cum Chriſtus peruenit ad Caluarium ei quidam dixit: Habes febrem, &c. qui reſpondit: febrem non habeo, &c. *qui hæc dixerit cum quibuſdam alijs orationibus à febre ſanabitur*.

20. *Ad idem aliam inueni in territorio Bergomenſi Anno* 1645. Coniuro te febris per opera Chriſti, cuius primum, aut ſecundum, omne ſit tertium, &c. quintum cantabit; ſextum nominalia, ſeptimum, &c. coniuro te febris per Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, &c. Per tres miſſas Sanctiſſimæ Natiuitatis: per duo millia Angelorum, &c. per Sanctos, &c. per Cælum; per terram; per ſolem, lunam; & ſtellas: quæ omnia febrim expellant.

Dicunt autem hanc formulam datam fuiſſe à Chriſto Petro, qui ante ianuam Galileæ iacebat febre affectus. Cui dixit: Quicumquè hanc orationem recitauerit, à febre liberabitur. *Sed hæc ſunt mera diaboli commenta.*

21. *Ad impediendum, ne equus patiatur cum in itinere ſoleam ferream amiſit, Recitare certo numero Pater noſter, & Aue Maria, & reducere ad memoriam aliquem qui morte turpe fuerit condemnatus; vel è medio oblatus; & inuocare eum proprio nomine, eumquè adiurare per nomen Dei, & Virginis Mariæ, quòd pedem equi ſeruet ab omni malo, ſicut Iudæi, &c. pedes Domini Ieſu, cum quibuſdam obſeruationibus in principio adimplendis.*

22. *Contra vermes equorum, vel equarum viſcera corrodentes*. Iſta Iob Deus fecit Iob, & Iob fecit vermes, & vermes mortui ſunt, &c. in honore Dei, &c. In nomine Patris, &c.

23. *Contra dolores equi. Dicatur in aure equi detecto capite*, Oremus præceptis ſalutaribus moniti *cum Pater noſter, quibuſdam alijs*.

24. *Ad ſanandum equum clauatum*. Dulce lignum, dulces clauos, &c. oremus præceptis ſalutaribus moniti, &c. *cum certis alijs orationibus, & obſeruationibus*.

25. *Contra vermina equi, vel bouis. Dicere*, Fugitè, fugite vermina, & dolores, quòd ità præcepit Saluator, qui manet ante arcam, &c. *& hæc verba dicere in aure equi, vel bouis cum quibuſdam alijs obſeruantijs in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, & Sancti Alò*.

26. *Ne equi moueantur, dum ferreæ ſoleæ eis ſupponuntur*. Sta eque ſicut ſtetit flumen Iordanis, &c. *cum certis in auribus equi in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, & Sancti Alò*.

27. *Ad equos ſanandos interrogant, cuius coloris ſit? dicat*, Spadicem, *clamant*. Spadix: Si laboras tali, vel tali morbo, tam verè ſaneris, quàm Ioſeph, & Nicodemus, &c.

28. *Dicto* conſummatum eſt, *pedem equi terræ fortiter incutere, & addito alio verſiculo clauum excidere*.

29. *Contra vermem equum affligentem; Talibus diebus ante ſolis ortum ſuper equo dicere;* In nomine Patris &c. exorcizo te vermem per Deum Patrem, &c. vt nec carnem, nec oſſa huius equi edas. *Deinde recitatis certo numero Pater noſter, & Aue Maria, in dexteram equi cum aliquot crucibus factis inſuſurrare verba.*

30. Sic

30. *Sic orationem illã incipientẽ* Crux Chriſti &c. *ad peſtem euitandam, eſſe omninò ſupeſtitioſam; & vti talem fuiſſe à S.Congr. S.Officij declaratam per litteras Emin. D. Cardinalis S. Honufrij datas ad Inquiſitorẽ Hetruriæ* 18. *Septemb.* 1630. *teſtatur P. Diana* reſolut.mor.p.4. tract. 3.reſolut.*62. Quod etiam confirmat P. Marchinus* tract.de peſte in problematibus.

31. *Ad ſanandum ab omni malo quædam formula eſt in vſu inter Hiſpanos milites, qua quidam ſalutatores, vt ferunt, ſanctè viuentes, & omnes gratis curantes cum ſola impoſitione linteorum, & certorum recitatione verborum vtuntur: formula latino idiomate adducitur à Delrio* lib.3. diſquiſ.magic. par.2. quæſt.4. ſect.*6. quæ hæc eſt.* Per Chriſtum, & cum Chriſto, & in Chriſto, eſt tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus Sancti omnis honor, & gloria per omnia ſæcula ſæculorum. Oremus, &c. Amen Ieſus, Potentia Patris, Sapientia Filij, Virtus Spiritus Sancti. Sanet hoc vulnus ab omni malo. Amen. Ieſus Domine mi Ieſu Chriſte, credo, quòd nocte Iouis Sancti in cæna poſtquam lauiſti pedes tuorum Sanctorum diſcipulorum, accepiſti panem Sanctiſſimis manibus tuis, & benedixiſti, & fregiſti, & dediſti tuis ſanctis diſcipulis dicens &c. Similiter accepiſti calicem in ſanctiſſimas manus tuas, & gratias egiſti, & tradidiſti illis dicens: accipite, & bibite, quia hic eſt meus ſanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionẽ peccatorum: hoc quotieſcumquè feceritis, facite in meam commemorationem. Obſecro te Domine mi Ieſu Chriſte, vt per hæc Sanctiſſima verba, & per virtutem illorum, & per meritum Sanctiſſimæ Paſſionis tuę ſanetur hoc vulnus, & malum iſtud. Amen. Ieſus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Ieſus.

32. *Tandem, alia breui formula vſum fuiſſe quendam Religioſum Romæ mihi enarrauit Anno Domini* 1647. *quidam Sacerdos ex noſtris vir morum grauitate, ac vitæ probitate celeberrimus, qui ferè ab omnibus ſanabat ægritudinibus: forma verborum hæc eſt:* Non eſt virtus, nequè momentum niſi per Deum Patrem, &c.

Nonnullæ hìc afferuntur mihi traditæ die 24. Octobris huius anni 1667. à probatiſſimo Viro D. Franciſco Sala, cui hoc onus impoſui, ſuadente Reuerendiſſimo P.Inquiſitore, vt Confeſſarij Veneti inuigilent, & obligent pænitentes ad denunciandum S.Officio huiuſmodi Curatores Superſtitioſos.

Ad faciendum, quòd Maritus ſit bonus, bonam vitam ducat, amet vxorem, & erga eam ſe benè gerat, ipſa vxor quando adeſt ſacrificio miſſæ poſt conſecrationem, & eleuationem Hoſtiæ, & Calicis ſi dixerit ſequentia verba: Calix eſt eleuatus, Presbyter prępāratus, liber eſt apertus, calix eſt coopertus: ſic rogo Deum, vt cor mei mariti, &c. *dicunt quòd habebit intentũ. Sic quando mulier parturiens non poteſt parturire, Maritus ipſius ſi iuerit ad audiendum ſacrum, & obſeruauerit, quando Sacerdos dixerit orationem Dominicalem* Pater noſter, &c. *& ipſe etiam ſecretò eandem recitauerit, & ſtatim ad domum ſuam reuertatur, & iterum in aure ipſius parturientis eandem orationem recitauerit, cum quibuſdam alijs vanis obſeruantijs, dicunt iſti Curatores, quòd parturiet.*

Ità ad ſanandum aliquem ab Epilepſia, ſeù morbo comitiali docent iſti Curatores diabolici, quòd parentes ægroti emant parum millij, & vocent Adoleſcentulam virginem, quæ ponat grana millij in cribro, quæ, ſeruatis quibuſdam vanis obſeruantijs, poſt terga cribret millium ſuper corpus morbo comitiali laborantis, dicens ſequentia verba: Ad honorem Dei, & S. Valentini cribro hoc millium, & rogo Deum, vt tot annis ceſſet iſte morbus, quot grana, &c. *Dicunt, quòd ſanabitur.*

Ex doctrina ſupra allata, & infra ſæpiùs repetenda conſtat dicta remedia eſſe ſuperſtitioſa, non enim vllam vim habent naturalem, neque ſupernaturalem, cum neque à Deo, neque ab Eccleſia ſint inſtituta: ergo à dæmone, qui ad prolationem illorum verborum, & ad poſitionem illarum operationum prorſus inutilium, & vanarum accurrit: vt ſic his honoretur à ſuis Magis, ac Maleficis, qui talia periapta diſtribuunt, ac ſuorum aſſeclarum numerum adaugeat.

§. III.

QVamplures aliæ huiuſmodi formulę paſſim circumferuntur; imò continuò nouæ à dæmoni- 203
bus adinueniuntur, quas ſuis tradunt aſſeclis diſtribuendas; vt ſic magis, ac magis homines à Deo ad creaturas auertant; & à cæleſtibus curis ad cænoſa, terrenaquè deducant; vel ſaltem à ſerijs, & grauibus ad ludicra, & nugatoria.

Plures aliæ formulæ cõtinuè à dæmone adinueniuntur, ac ſuis aſſeclis tradũtur diſtribuendæ. Quæ omnes vt ſuperſtitioſæ refellũtur.

Quam enim vim poſſunt habere hæ formulæ verborũ ad ſananda vulnera, morbos curandos, infortuniaq. arcenda? An naturalem? Sed hanc non ineſſe ſatis probauimus ſupra. An artificialem? Sed de hac vi nemo vnquam vel ſuſpicatus fuit. An ſupernaturalem? At ſi hæc foret; gratiæ, aut miraculi foret. Hoc autem dici nequit. Nam licèt ſint verba ſignificatiua, Deus tamen ea non inſtituit ad huiuſmodi effectus producendos. Et nihil tale promiſit; nec Eccleſiæ reuelauit: quale magi iactant: nec iuuat Deus magicas incantationes: nec in Beelzebub ſic operatur, ne gloriam illi ſuam ea menſura communicet, qua ſolet Angelis, & Beatis. Nec illa ex ſe ratione ſuæ ſignificationis ſunt ordinata ad ſanitatem à Deo per modum deprecationis impetrandam. Virtutem ergo habent prodigioſam, non quidèm miniſterio bonorum Angelorum; quia hi non ſe immiſcent magicis operationibus; ſed malorum, ſcilicet cacodæmonum, qui tacitè inuocati ad iſtas curationes celeberrimè accurrunt, vt tandem gloriam, & cultum Deo debitum ſibi arrogent.

§. IV.

MOta tamen fuit quæſtio Ipris in Hiſpania ſu- 204
per illa formula poſita num. 31. qua vtebantur illi Salutatores; maximè quia naturale medicamentum accedebat. Qua de re, vt refert Delrius *loco citato*, Reuerendiſſ. Epiſcopus Iprenſis Simonius, & conſiliarij eius totam curationem hanc iudicarunt ſuperſtitioſam, & illicitam; & prohibuere, ne quis ea vteretur. Multis hæc damnatio viſa eſt dura; ſed immeritò. Nam hic effectus totus ex-

pecta-

pectatur à Deo per modum miraculi. Sed miracula ſic aſſiduè, & quaſi ex conſuetudine poſcere, eſt Deum tentare. Deindè ſancti viri ad miracula edenda, & gratias ſanitatum à Deo obtinendas non ſunt vſi certis, & quaſi conceptis verborum formulis: ſed modò ſic, modò aliter, prout Spiritus Sanctus ſuggerebat: ſemper tamen fide firma ac indubitata innixi Summæ Dei bonitati, ac virtuti Sanctiſſimi nominis Ieſu, qui ſic docuit *Marci vlt.* dicens; *ſigna autem eos, qui crediderint hæc ſequitur: In nomine meo dæmonia eijcient, &c. ſuper ægros manus imponent; & benè habebunt*: vt latiſſimè traditur infra *diſp. 4. num. 630. & ſequent. & num. 632. & ſequent.* & iam breuiter poſui in illa breui oratione iam typis edita Taruiſij Anno 1648. cuius titulus eſt: *oratione per liberar, & preſeruarſi da maleficij, &c.* Tertiò qui donum ſanationum à Deo acceperunt, illi numquam accipiunt cum conditione, vt talibus vel talibus vtantur verbis: ſed tales commentitiæ formulæ ſunt indicia pacti ſaltem latentis. Quartò non licèt priuatas comminiſci formulas, quas nec ſacræ litteræ: nec eccleſiaſticus vſus approbauit, qualis eſt iſta, quæ licentioſè abutitur, & deprauat multa ſacroſancti Miſſæ ſacrificij verba, etiam ipſius Canonis. Deniquè applicat verba conſecrationis rei, ad quam inſtituta non fuit (quod non eſt permittendum) & præterea petit effectum ſibi concedi per vim prædictorum verborum, quæ vis non ad vulnerum corporis conſolidationem; ſed ad panis, ac vini tranſubſtantiationem à Saluatore noſtro directa fuit. Neque illud negligendum eſt, Eccleſiam, & Catholicos eius filios tanta ſemper in veneratione hæc ſacroſancta conſecrationis verba habuiſſe, vt nefas ducerent illis vti, niſi quando in Miſſæ ſacrificio: vel quandò in Eccleſia, vel Scholis, aut diſputationibus ijs neceſſariò vtendum. Contra diabolus, & membra eius malefici rebus nullis vtuntur libentiùs: aut frequentiùs ad ſua ſacrilegia nefanda, quàm, & ipſa Venerabili Euchariſtia, & ijs, quæ ad illam pertinent: ſicut etiam verbis ſacræ ſcripturæ, orationis Dominicalis, Salutationis Angelicæ, Symboli Apoſtolorum, & id generis.

infra n. 903.

Idem prorſus fatendum de vltima illa formula, qua vtebatur Romæ ille bonus Religioſus: *Non eſt virtus, &c.* Licèt enim omnia verba bona ſint, nequè aliquid mali contineant; Attamen quia ex vi ſuæ ſignificationis non ordinantur ad petendum ſanationem ab ægritudinibus; ſed tantùm oſtendunt, omnia eſſe, & dependere à Deo, & in fieri, & in conſeruari: nec à Deo, nec ab Eccleſia ſunt inſtituta; nec ex aliqua antiqua eccleſiaſtica traditione habetur, quòd illis prolatis neceſſariò ſequatur talis effectus ſanitatis; ideò à dæmone adinuentam eſſe, vt homines ſub ſpecie boni incautos decipiat, facillimè exiſtimari poteſt.

ARTICVLVS II.

Non Significatiuum.

§. I.

205 *Maior ſtultitia verborũ formulis*

QVàm grauis error dictis verborum formulis ſignificatiuis adhibere fidem, effectuſquè in illis promiſſos expectare, nemo ſanè mentis ambigere poteſt: cum nil aliud ſit, quàm in dæmonis hoſtis infenſiſſimi ſe conſtituere clientela. At maior ſtultitia, ac fatuitas eorum, qui diuino; ac Diuinorum ſpreto patrocinio, verborum formulis prorſus ridiculis, & vanis nihilquè ſignificantibus ſe credunt; ab eiſquè auxilia in neceſſitatibus expectare non erubeſcunt, nullum facientes diſcrimen, an effectus ſint à Deo; vel à dæmone, dummodo optata conſequantur. Quarum aliquas licèt imperfectas, & informes hic ſubijciam, vt à prudentibus, & cordatis viris, ac Deum timentibus contemnantur, ac pro nihilo habeantur.

nihil ſignificantibus vti

Quarum plures imperfectè deſcribuntur.

1. *Contra dolores dentium proferre verba planè incognita, & abſurda: vt hęc:* Strigiles, Falceſquè, *&c. vel aliud,* Galbes, *&c.* & Galdes *&c. Item* Gibel, Gor, *&c.*

2. *Contra morſus canum rabidorum proferre illa veterum;* Danata darios, *&c. & recentia* Abrac, Amon, *&c. Vel illa pani inſcripta;* Irioni, Khiriori, *&c. Vel iſtud;* Hax, pax, max, *&c.*

3. *In piſcium captura illud Geoponici Conſtantini* Iac Sabaoth, *&c.*

4. *Contra dolores ex tortura;* Para, gar, dar, donc, ſemen, al nome del Padre, *&c.* Ieſus autem, *&c.* O bar, adar, degatar, negar, *&c.*

5. *Ad ſanandos equos* Ante paraute, ſuperante, & ante, vt virgo Maria peperit, *&c.*

6. *Ad ſiſtendum Sanguinem in vulnere dicere;* In nomine Patris, *&c.* chunrat, cara, ſarite, *&c.*

7. *Contra morbum vermium;* Megali, Megabili, Sanctus, Iiob Vydo, Malguet, Malla, Macula, Sanctus, Iob, *&c.* In nomine Patris, *&c.* Vomit, vermis, perarabie, Calluci, Ieſus, *&c.*

8. *Contra alium morbum. Quęre qualis morbus equum afficiat. Reſpondent ſecundùm nomen morbi equum vexantis, & tu ſecretò dicis;* Nigolamberto *cum quibuſdam alijs obſeruantijs, & ſanatur equus.*

9. *Vt equus nauim ingrediatur; dicere in auribus equi;* Zeutantar, Zarbera, Maron, peſon, criel, *&c. cum certis alijs obſeruantiis.*

10. *Contra vermes equos affligentes: Ponunt equum contra ſolem, & recitatis certo numero Pater noſter, & Aue Maria: peractiſquè nonnullis crucibus, ponuntur in quodam circulo ex quatuor partibus ſequentia verba:* Simul minor mi fac, mi fac *cum certis alijs obſeruantijs. Deinde dicunt hæc verba.* Maga, Magla, Magabula, *&c.*

11. *Attalum affirmare tradunt: Si quis ſcorpione viſo dicat* Bud *eum illicò cohibeat, ne ictus ſuos vibret. Et Q. Serenus ait, verbum* Abracadabra *ſubindè literas minus ſcriptum donec in à deſinat, pyramidalem formam conficiens collo ſuſpenſum Hemitritæum depellere.*

12. *Contra cuncta maleficia Varro tradit ſequentia nomina:* Siſta, piſta, riſta, xiſta, *&c. Vel eiuſdem ter repetitum* Anaſanges *cum certis ritibus:*

Alia id generis innumera traduntur, vt refert Delrius *lib. 6. Diſquiſ. magic. cap. 2. q. 1.* à Marcello Empyrico *in lib. de Medico eius*, à Vegetio, Plotino, Ioanne Fernelio, Marſilio Ficino, & alijs: quæ omnia ſilentio trado, ne nimis hiſce futilibus & vanis aures Lectorum offendam.

Quis

§. II.

206 *Quæ vt prorſus vana, ac ridiculę refellun tur Ratione*

QVis autem non rideat huiuſmodi remedia? Quis apertè non videat, ſi per ea optatus habeatur effectus, nonniſi à dæmone prodire? Quam enim virtutem habere poſſunt hæc verba totaliter vana, ridicula, & planè inutilia? Si verba ſignificatiua nullam vim habere poſſunt naturalem morbos ſanandi: cum ſenſus tactus immutare nequeant: nec ſupernaturalem, cum nec Deus, nec Eccleſia haſce verborum formulas inſtituerit, quis talem vim huiuſmodi verbis ignotis aſcribere audeat? Quomodo ergo operantur? Si effectus apparet, vndè procedit? Quid conferunt talia verba? At luce meridiana clarius eſt, ea dęmonum ſigna, & conuenta eſſe; & ex hominum credulitate dæmonibus prædocentibus, & ſuggerentibus eſſe inuenta. Hi ſiquidem quàm maximè conantur, vt nobis impoſturam faciant; Et ideò verba effingunt, quibus quaſi pactionis ſigno quædam hominibus euenire ſtudent.

Qui autem huiuſmodi verbis ad ea conſequenda vtuntur, tacitum, vel expreſſum cum dæmonibus vtiquè habent pactum. Et licèt aliqui tale pactum ignorent, & verbis illis vtantur: tamen nihil refert: quoniam is, cui primò dæmon ea verba dictauit, ea lege habuiſſe exiſtimatur, vt quicumquè illis vteretur, tacitè dæmonem inuocare intelligeretur.

§. III.

207 *Auctori- tate Ca- nonum.*

HAs aduerſarij machinas deteſtantur canones anathematis pęnam in eos fulminantes, qui philacterijs (hoc eſt conſeruatorijs, quæ, vt ait Gloſſa *cap.* 1. 26. *quæſt.* 5. ſunt chartæ, in quibus continentur incantationes) vſi fueriut. Et ſi clerici ea faciant, iubent, eos Eccleſijs, eijci. *cap.* 4. 26. *q. ead.* Qui canones quomodo ſint intelligendi, & de quo genere philacteriorum loquantur, petendum ex alio canone, nempè vltimo eiuſdem quæſt. vbi inter cętera in hunc modum ſcribit B. Iſidorus. *Ad hæc pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars condemnat medicorum, ſeù in præcantationibus; ſeù in characteribus ſuſpendendis, atquè ligandis, in quibus omnis ars dæmonum eſt ex quadam peſtifera ſocietate hominum, & Angelorum malorum exorta.* Quæ ſumpſit ex B. Auguſtino *lib.* 2. *de doctrina chriſtiana.* Quod etiam ab eodem confirmatur *tract.* 7. *in Ioannem* his verbis: *Fingunt ſpiritus maligni vmbras quaſdam honoris ſibimetipſis, vt ſic decipiant eos, qui ſequuntur Chriſtum. Vſquè adeò fratres mei, vt illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici miſceant præcantationibus ſuis nomen Chriſti, qui iam non poſſunt ſeducere chriſtianos, vt dent venenum, addant mellis aliquantum.* Cunctis enim illis formulis verborum apponunt ſemper iſti diaboli ſymmyſtæ nomen Chriſti, & præcipuè Sanctiſſimæ Trinitatis; vt ſic anguis lateat in herba. Quis ergo huiuſmodi remedia tam abſurda approbet? Quis velis remiſquè non contendat, hæc ridicula, ſed ſacrilega diaboli pharmaca è mundo penitus eliminare, & Vulcano dicare?

§. IV.

208 *Exemplo*

DIgnum memoria, quod refert Leonardus Vairus *lib.* 2. *de Faſcino cap.* 11. Athenis cautum fuiſſe, ne quis verbis medederetur: Vndè cũ in Achaia quandam mulierem eſſe, Athenienſes cognouiſſent, quæ verbis medebatur, eam lapidibus obruendam dederunt; aſſerentes, non verbis, ſed plantis, herbis, lapidibus, & animantibus Deos immortales ſanandi vim dediſſe. Vtinam etiam Iudices hoc noſtro infelici æuo, Rectores animarum, cunctiquè, ad quos pertinet ſuper gregem ſuum vigilare, hoc Ethnicorum ob oculos ſibi proponant factum: quòd procertò non tot ſuperſtitionum germina pullulabunt: deſtruentur latentes diaboli inſidiæ: non ita faciliter ad ſua optata conſequenda homines his profanis, aut ſacris abutentur philacterijs.

209 *Quare prædictis formulis vtentes ſunt Vel Hæretici, Vel de hæreſi vehemẽter ſuſpecti.*

In quibus omnibus cum ferè ſemper poſita ſint vel nomina Dei, vel ſacræ Scripturæ verba, ut ſymbolum, aut oratio Dominicalis, vel aliæ orationes, talia geſtantes, vel proferentes, & adhibentes, ſi de ſuperſtitione admoniti non reſipiſcant, vel hæretici, vel ſaltem vehementer de hæreſi ſuſpecti habentur. Hæretici ſi pertinaciter credant, ſe virtute illorum verborum, non poſſe vllo modo etiam Deo permittente lædi ab inimicis, vel mori ſubitaneè, vel igne comburi, vel aqua ſuffocari. Vel tales honores, officia, aut dignitates conſequi infallibiliter, vel alia id generis, quæ vel à libero arbitrio, vel à diuina prouidentia pendent, obtinere, indubitanter credant, vt ſatis, ſuperquè dictum eſt ſupra à *num.* 50 *& ſequent. huius diſputationis.*

Si verò non credant: tunc non ſunt hæretici, ſed vehementer de hæreſi ſuſpecti ratione abuſus verborum ſacræ Scripturæ, puta pſalmi alicuius verſiculi, vel Euangelij, vel Symboli, aut orationis Dominicalis, vel alterius orationis, vt tradunt Pegna *ad Direct. par.* 2. *comm.* 67. Farinac. *de hæreſi q.* 181. *n.* 2. *& ſequent.* Scaccia *de Iudic. ciuil. crimin. & hæret. lib.* 1. *c.* 12. Delrius *Diſq. mag. lib.* 5. *ſect.* 15. *per tot.* Leon. *in Theſauro fori Eccleſiaſtici p.* 3. *c.* 36. *n.* 9.

Nec officit, quòd huiuſmodi philacteria, vel verba proferantur, vel deferantur ad bonum finem, videlicet, ad ſanitatem obtinendam, vel ſe à malis, & periculis præſeruandum; Nam ſufficit, quòd adhibeantur diuerſo modo, ac fine, quàm à Deo inſtituta ſunt; vel ab Eccleſia. Sic ſuſtinent Delrius *lib.* 3. *Diſquiſ. Magic. cap.* 2. *q.* 4. *ſect.* 7. Torreblanca *de Magia lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 56. Carena *de Off. Sanctiſs. Inquiſit. p.* 2. *titul.* 12. *de ſortileg.* §. 5. *num.* 30. *&* 31. quia tunc non eſt eis vti; ſed abuti.

§. V.

210 *Quomodo in vſu rerum ſacrarum poſſit eſſe Superſtitio.*

TAndem hìc ſilentio non eſt prætereundum id, quod admonet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 96. *artic.* 4. Non tantùm ſuperſtitioſum eſſe in prædictis formulis à dæmone inuentis tàm ſignificatiuis, quàm non ſignificatiuis, verùm etiam ſi res, aut verba ſacra ſint, poſſe ſuperſtitionem in eorum uſu committi, ſi aliquid adiungatur, quod vanum ſit, & inutile ad diuinam reuerentiam, vel ad diuinum auxilium impetrandum, ver. gr. quando geſtantur reliquiæ, uel euangelium Sancti Ioannis, aut aliqui uerſiculi pſalmorum non ex deuotione tantùm; ſed adiunctis uanis circumſtantijs, puta, ut ſic, uel ſic ſint ſcripta: uel reliquiæ ſint in uaſe triquetro, uel triangulo, tribuendo uim formæ, uel materiæ: ut ſcriptum ſit in

pergameno virginea: vel tempori, vt ſcriptum ſit oriente ſole, vel perſonæ, vt alligatum ſit ab incorrupto, vel modo, vt tot filis, vel talibus. Item neceſſe eſt, vt nulla adſit figura præter ſignum crucis: nulla imago, præterquàm Chriſti, vel Beatæ Virginis, vel Sancti alicuius noti: aut ſolita Angeli boni. Item nulla barbara, & incognita Dei, vel Angelorum nomina ſint addita. Deniquè nil aliud adſit vani, vel mendacis. Deus enim numquam eſt auctor mendacij, vel vanitatis: quin immò quoad illam partem ſignum eſt dæmoniacum, & ſuperſtitioni adiungitur ſacrilegium.

§. VI.

211 *Tentatio Dei.*

ADdo prætereà (parcat lector, ſi nimis prolixè hæc ſcribo, quia has ſuperſtitiones ad noſtram nimiam perniciem, & grauem chriſtianæ religionis deſtructionem nimis ſerpere cernimus.) Quòd licèt ſecluſa omni huiuſmodi ſuperſtitione, ſanctum, & religioſum ſit, reliquias Sanctorum ad collum ſuſpenſas deferre, vel Euangelium ſancti Ioannis in pectore ſcriptum portare, & ſimilia, bona fide ſperando per modum impetrationis peculiarem Dei protectionem, & Sanctorum interceſſionem; nihilominus id tanquam omninò certum ſperare per delationem talis rei non minus quàm ſi eſſet à Deo promiſſum, non caret ſuperſtitione, ſi non falſi cultus, ſaltem ſuperflui: vt eruditè docet etiam Suarez *lib. 2. de ſuperſtitione c. 15. n. 10.* Et propterea interuenire poteſt ibi tentatio Dei, ſi ob eam confidentiam nimiam temerè ſe homo periculis exponat: aut in periculis omittit ordinaria media, quibus ſe tueatur.

Nam poſtulare à Deo miraculoſam defenſionem, aut protectionem ſine cauſa, vel ſpeciali inſtinctu, eſt tentare ipſum. Vndè oratio, vel alius cultus, qui propter hunc finem illi offertur, ſuperfluus, & vanus eſt: quia reuera per talem actionem ipſe non honoratur. Et ideò illa nimia confidentia de conſequendo illo effectu à Deo per tale breue, cum non ſit fundata in promiſſione eius, vel eſt vana, & purè voluntaria, vel eſt etiam nimia confidentia ſui, & ſuorum meritorum: & ex hac parte poteſt continere pernicioſam ſuperbiam. Deniquè ille modus quærendi commoda hæc temporalia per vſum Reliquiarum, vel aliarum rerum ſacrarum cum tanto affectu, & credulitate obtinendi illa, non caret periculo, quòd dæmon ſe ingerat, & in aliam maiorem ſuperſtitionem hominem inducat. Vndè D. Chryſoſt. de hac re ſuper Matth. ſic ait: *Quidam aliquam partem Euangelij circa collum portant; ſed nonnè quotidiè Euangelium in Eccleſia legitur, vt audiatur ab omnibus? Cui ergo non proſunt in auribus poſita euangelia, quomodo poſſunt circa collum ſuſpenſa?* Et ſubdit: *Vbi eſt virtus Euangelij? In figuris literarum, an in intellectu ſenſuum? Si in figuris, benè circa ſuſpendis; Si in intellectu, ergo meliùs in corde.*

§. VII.

212 *Oſtenditur, quomodo non poſſit eſſe ſuperſtitio in illa breui oratione ab Auctore compoſita; quæ incipit:* Oratione da recitare, ò portar ſeco &c.

HAc de re in illa breui oratione, quam Taruiſij typis mandare curaui Anno Domini 1648. cuius titulus eſt: *Oratione da recitar, ò portar ſeco, efficaciſſima per liberar, e preſeruarſi da maleficij, moleſtie de demonij, dalla febre, inſidie de nemici, & altri mali, e pericoli dell'anima, e del corpo.* Cuius exemplar extat infra *diſput. 4. n. 904.* Nè illam recitantes, vel apud ſe geſtantes hallucinarentur, ponentes ſuam fiduciam tantùm in verbis, vel geſtatione eius: poſt eam immediatè in ſecunda impreſſione ſic admonui idiomate italiano: *Qualſiuoglia Chriſtiano ſe vna volta al giorno almeno dopò d'hauer fatto vn'atto di dolore, e contritione de' ſuoi peccati, e procurato per quanto può dalla parte ſua per conſtituirſi in gratia di Dio, recitarà detta oratione; ouero non potendo recitarla, farà da altri recitarla: ò dirà in vece almeno tre Pater noſter con tre Aue Maria ad honore, e gloria del Santiſſimo Nome di Gieſù, portando ſeco detta oratione; ma con deuotione, & gran confidenza in Dio, di ottenere le gratie, che ſi dimandano in eſſa, &c. ſperimenterà ſopra di ſe la diuina pietà, e miſericordia, &c.* Ex quibus verbis apertè conſtat, quòd recitantes; vel apud ſe dictam orationem retinentes, ſi diuinam obtinere volunt protectionem, debent quotidiè Deo ſe humiliter ſubijcere; & de peccatis ſuppliciter, ac puro corde veniam petere: præterea elicere actus fidei, ac firmæ in Deum confidentiæ, ſepiſsimè diuinam conſiderando bonitatem, immenſam eius pietatem, ac clementiam: ac veritatem verbi eius, quo promiſit ſæpiùs tum in veteri, tum in nouo teſtamento, ſuum impertiri auxilium ijs, qui diligunt illum, ac in ſuis neceſsitatibus fiducialiter, ac humiliter ad eum confugiunt, nomen ſanctum eius inuocantes: ac præcipuè gratias poſtulantes ob honorem, & gloriam Sanctiſsimi Nominis Ieſu vt ipſe ait: Ioan. 14. *Quodcumquè petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio,* &c. Quæ confidentia non nititur orationis literis, aut verbis, vel eius geſtationi; ſed ſummæ Dei bonitati, ac clementiæ, ac veritati verbi eius, qui talem confidentiam maiorem, vel minorem pro cuiuslibet maiori, vel minori de congruo diſpoſitione; & prout melius eis expedire iudicat, communicat, de qua latè diſputatur infra *d. 4. n. 63.* Illa igitur geſtatio, ſiuè dictę orationis detentio, quã hortatus ſum in dicto monitorio, nil aliud eſt, quàm ſignum, ſeù memoriale, quo detinens, ac deferens excitatur, ac quaſi manu ducitur ad quotidiè eliciendos actus prędictos, nempè contritionis, ac confidẽtiæ in Deo, ſubmiſsionis, ac pię petitionis, & humilis, ac feruentis ad Deum orationis. Sic tollitur omnis ſuſpicio, qua quis ſuperficialiter duntaxat eam conſiderans, illam ſuperſtitionis inſimulare poſſet.

§. VIII.

NEc officit ille ternarius numerus Pater noſter, & Aue Maria præſcriptus. Nã per illud verbũ 213
pręcedens, (*almeno*) denotatur, eum, qui dictam orationẽ defert, poſſe ad libitum recitare etiam plures, vel etiã mentaliter tantùm Deum exorare, prout deuotio magis ei ſuggeret, & excitabit. Fuitque mea pręcipua intentio: vt apertè explicui Reu. Patri Carolo Veliterrano Inquſ. Gen. Taruiſii, per illũ ternariũ orationis dominicalis, & ſalutationis Angelicæ, annuere illis, qui dictã non poſsẽt recitare orationẽ, vt & ipſi quotidiè aliquã ſaltem orationem vocalẽ Deo offerrent, per quam diuinam obtinerent protectionẽ, & ne confidentiam ſuam ponerent in dictæ orationis literis, vel eiuſdẽ apud ſe retẽtione, ac geſtatione; ſed per quotidianã orationem, ac mentis in Deum eleuationem, in Deo omnem ponerent ſpem ſuã, ac totam fiduciam ſuã in eo collocarent. Quod propoſitum meum ipſe probauit, ac laudauit. Multòquè magis plures deuoti Chriſtiani variis locis talis cõfidẽtię effectus in ſuis neceſsitatib. sũt experti

Non nego tamen, quin & ipſa breuia, vt à ſacerdotibus benedicta, & ſacra verba continentia, ſicut, & Reliquiæ ſanctorum, Agnus Dei; cæteraq. ſacra maximopere valeant contra infortunia; & præcipuè con-

contra maleficia, prout ab Eccleſia ordinata ſunt, ſi cum debita reuerentia, & ſpe in Deum, & in Sanctorum patrocinium ſecum deferantur. Sed de his fuſè diſputabitur infra *loco ſuo diſput. 4. vbi de remedijs generalibus*.

SECTIO II.

Operatiuum.

Deus oſtendit ordinem ſuæ ſapientiæ etiam in ſuis operationibus.

214 SVmmus ille Vniuerſi Artifex, cuius verbo facta ſunt omnia, vt fatetur D. Ambroſius *lib. 4. de ſacram. cap. 4. Iuſſit Dominus, & factum eſt cælum; Iuſſit Dominus, & facta eſt terra; Iuſſit Dominus, & facta ſunt maria; Iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt*. Vniuerſi quoquè ordinem ſuæ conformem inſtituit ſapientiæ, extra quem manet ipſe, atquè incredibili arte illi præeſt vbiquè. Qui quidem ordo quamuis in rebus vniuerſis conſpici valeat, in operationibus tamen maximè lucere incomperto eſt. Hunc ſummum Artificem omni ſuo ſtudio in ſuis operibus conatur æmulari ille, qui ſemper Dei genium habuit, dum ei fieri ſimilem continuè appetijt, Cacodæmon nempè, qui non tantùm potentiæ ſuæ virtutem, ac ſapientiæ ordinem in verbis per ſuos Maleficos demonſtrare conatur, dum varijs in neceſſitatibus euocatus ex orco tacitè, vel expreſsè citiſſimè accurrit; verbiſquè ab ipſo inſtitutis hominibus eum inuocantibus optatum præbet auxilium: vt præcedenti ſectione explicatum eſt. Verùm etiam in operibus externis hanc ſuam vim, ac ſapientiam nititur exhibere, dum variè varia opera, licèt vana, & inutilia ſuis adimplere præcipit deuotis; quorum modus operatiuus licèt in creatis ferè vniuerſis ſe prodere queat; præcipuè tamen manifeſtari fatemur in varijs Actionibus, & Motionibus: vt ſequentes articuli declarabunt.

Quem conatur imitari dæmon à ſuis aſſeclis etiã tacitè inuocatus, præcipuè In Actionibus. In Motionibus.

ARTICVLVS I.

Actionibus.

§. I.

Variæ actiones tranſeuntes inſinuatæ à dæmone. Quænam ſint. Aliquæ deſcribũtur & ut ſuperſtitioſæ refelluntur.

215 PEr actiones hic non intelligimus, quæ communes ſunt factioni, & creationi: nec vt actiones comprehendunt immanentes; ſed tranſeuntes tantùm, vt ſunt de genere actionis, quæ varijs modis ad conferendam ſanitatem, morboſque tollendos perfici à dæmone præcipiuntur, vt benedictiones cum certo modo, & figura; oris actiones per aliquam inſufflationem, aut halitum; templorum viſitationes; ſacramentorum, ac rerum ſacrarum abuſus; quamplureſquè alij ritus, ac cæremoniæ. Quarum aliquas hic deſcribam pro etiam minus peritorum intelligentia.

1. *Primò venit ille ritus traditus à Paracelſo* lib. de hyperphyſicis morbis: Fabricet Medicus, *ait*, ceream imaginem ad ſimilitudinem patientis, & in nomine eius, aut cõformet ceream particulam ſimilem parti affectæ, idquè indubitata fide, & forti imaginatione credat per illam ſanitatem ægro reſtitui poſſe: ac tandem additis magicis precationibus cereã illã imaginem in ignem proijciat. At ſi fortè ex doloris acerbitate; vel partis affectæ vitæ periculum metuatur, integram imaginem certis verbis admurmuratis comburat Medicus, & liberatur æger. *Quis non videat totam hanc actionem magicam eſſe, ac diabolicam?*

2. *Ad curandum pilorum, acicularum, ſpinarum, & ſimilium corpori ingeſtorum maleficium volunt quidam, non eximi illa per vulneris inciſionem; ſed materiam illam ſpontè prodeuntem totam excipi, & in foramine facto ſambuci, vel quercus orientem ſpectante imponi; & ex eodem ligno cuneo obturari certis verbis additis. Quam actionem meram eſſe ſuperſtitionem quis neget? immò & diaboli opus, per quem reſiduum materiæ ſtatim fertur ad idem foramen ex corpore, in quo latitabat.*

3. *Tale puto exiſtimare: quod ablutio matutina quicquam proſit ad maleficium illo die arcendum; falſoque id ſagas illas Remigio perſuaſiſſe.* lib. 1. dæmonolatriæ cap. 1.

4. *Hùc refero illud de immerſione in aquam, quod narrat Arnulphus Lexonienſis* in Epiſt. ad Papam Alexandrum *his verbis:* Vt miracula facere crederentur; & quibuſlibet commentis ſæcularium perſonarum frequentes inuitarent acceſſus, ſanitatis remedia promittebant ei, qui ſe incantatę ab eis neſcio quibus carminibus aquæ ſepties ſuſtineret immergi. Ægra itaquè mulier aquæ glaciali frequenter immerſa inter manus comprimentium monachorum congelata deceſſit, dum vim algoris ægritudo non ſuſtinet, & profana religio naturam potiùs irritat ad perniciem, quàm Dei miſericordiam ad ſalutem.

5. *Pro quouis morborum genere: Funiculo laneo brachium circumdare in nomine Domini &c. Et ad nomen ſancti, cui morbus tuus ſacer funiculus contrahetur, et fiet breuior &c.*

6. *Filium per chriſma trahere: aut ceream imaginem ſub altaris pala abſcondere.*

7. *Cum ægroto ante febris acceſſionem manus lauare, & interea certum ex pſalmis verſus ſubmurmurare, vel laborantis manu apprehenſa dicere:* Æquè facilis tibi hæc febris ſit, atquè, &c.

8. *Virgas parallelas vi certorum verborum medijs partibus committere; et in crucis formam vincire, et de collo ſuſpendere, vel thoraci lignum rotundum cum certo murmure applicare: vt Turcæ faciunt.*

9. *Vt maritus diligat vxorem, refert Beetzius* in expoſit. 1. præcepti c. 5. *quoſdam ſic dicere mulieribus, vt accipiant de omnibus crinibus ſuis, et offerant illos ante altare ter cum cereo ardenti certis verbis obmurmuratis, et tunc quandiù portabunt ſuper caput ſuum tandiù exardeſcet in amorem earum.*

10. *Ex eodem. Vt ſponſa habeat bonam fortunam; oportere, quòd in nuptijs ingrediatur domum ſub duobus euaginatis gladijs poſitis ad modum crucis S. Andreæ cum certis verbis.*

11. *Contra ſterilitatis maleficium, vel odij inter coniuges, refert Cardinalis Cuſanus* lib. 2. Exercitationum in ſermone: Ibant magi, quam viderant ſtellam &c. *quoſdam nidum auium inuenientes capere ipſam cum pullis matrem cum quibuſdam verbis, et ideò vult, à Moyſe fuiſſe præceptum* Deuteronom. 22. *ne mater cum pullis capiatur.*

12. *Ad pluuiam obtinendam, refert Martinus de Arles* de ſuperſtitione, opere, quod extat in oceano iuris, *& ſimul confutat quandam vanam obſeruantiam, quæ ſimul eſt ſuperſtitio, & Dei tentatio, & ſacrilegium, & blaſphemia, qua Nauarræ ruſtici vtebantur, imaginem Beati Petri in flumen mergentes; quod idem ſolent facere accolæ Rheni cum ſtatua B. Vrbani.*

13. *Hùc pertinet opinio Sileſiorum, Morauorum, & vicinarum gentium putantium, faſcinationibus reſiſtere faſciolas, vel tæniolas rubeas alligatas equorum frenis, vel epiphijs. Qua de cauſa etiam apud Græcos, & Romanos pueri, & puellæ faſciolis ruſſeis præcingebantur, vt refert Chryſoſt.* in hom. 12. ad Corinth. *& alii apud Martin. Roman.* lib. 1. Sing. c. 2. & lib. 2. c. 23.

14. *Venetiis quædam mulieres innuptę, quando lauant ſibi caput, & proiiciunt in viam communem aquam, qua ſuum caput lauerunt, obſeruant quiſnam primus tranſeat ſuper illam aquam, & dicunt illum futurum eſſe ſuum ſponſum.*

15. *In Apulia, et Lucania Prouinciis Regni Neapolitani, et fortaſsè in toto illo regno hæc viget ſuperſtitio. Ad ſanandum à morbo vermis, vulgo dicto* mal del verme. *Accipiunt vermiculum viuum, et ponunt in manu infantis recenter nati priuſquam baptizetur, et clauſa manu, ac faſciis conſtricta dum baptizatur, moritur vermis in manu infantis. Statimac verò eſt baptizatus, ex manu eius parentes vermem iam mortuum auferunt, et in terram proiiciunt. Poſtquam verò puer factus eſt adultus, dicunt, hanc habere virtutem, et auctoritatem, vt omnes morbos vermis affectos ſanare queat, ſignando ſigno crucis ſuper partem lęſam his verbis admurmuratis:* In nomine Patris, &c. Occidi vermem cum eram, &c. nunc occido, quòd &c. hinc auſero &c. *deindè in terram expuat.*

Sic narrauit mihi quidam Religioſus Sacerdos Prouinciæ Apuliæ, qui plures dicto morbo affectos ſe ſanaſſe aſſeruit; quia à parentibus ſuis admonitus fuit, ſe, dum baptizatus fuit, vermiculum in manu occidiſſe.

In hac autem actione, ſi quis attentè illam conſideret, inueniet in ea fieri exceſſum in cultu Dei: Colitur enim Deus in Sacramento Baptiſmatis, cæremonijs, ac medijs indebitis, ac modo inconueniēti. Nam ex verme mortuo in manu pueri, dum baptizatus eſt, credunt, virtutem accepiſſe ſanandi omnes tali morbo affectos. Sed hæc mera ſunt commenta diaboli. Quis enim huiuſmodi inſtituit ordinationem? Quis talem tribuit virtutem? Non alius vtiquè quàm diabolus, qui ex pacto expreſsè inito cum primo mago, ad poſitionem talis vermis, & ad huiuſmodi actionem accurrit, & remedia intrinſecùs applicat, quibus morbum tollat: cui operationi dęmoniacæ tacitè conſentit, qui tales actiones operatur.

16. *Hùc referendi ſunt Clauicularij, qui per clauiculam dictam Salomonis varias nouerunt exercere actiones; quibus vel expreſsè, vel implicitè ſaltem ſe pactum cum dæmone habere, demonſtrāt. Iſti enim abſquè claui, & ſtrepitu, vt dicunt aperiunt carceres, ſoluunt reos, eorum cuſtodes graui ligant ſomno, ſeras domus, apothecæ, arcæ, arculæ, &c. iactant, ſe aperire, & claudere, nullo apparente ſigno aperitionis; ſimiliter mulieres ad ſui amorem pellicere, ſolo intuitu, aut verbis in eis corruptionem excitare, & alia id generis perpetrare poſſe, aſſeuerant, omniaquè ex Salomonis clauicula didiciſſe aſtruunt.*

Quæ clauicula dicitur à claui tanquam diminutiuum ipſius: dicitur Salomonis: quia ipſius profeſſores teſtantur, à Sapientiſſimo Salomone adinuentam fuiſſe; & propterea ab ipſius nomine tanquam ab Auctore ſumpſiſſe denominationem. Diciturque clauicula, quia velut clauis aperit carceres, ſoluit reos, & alias huiuſmodi actiones operari docet, vt iactant dicti clauicularij.

At falſiſſimum eſt, Salomonem hanc inueniſſe clauiculam; ſed illius adinuentor eſt diabolus, qui figmentum hoc vocari iuſſit clauiculam Salomonis: vt vel ſic ipſius turpitudo ſub nomine doctiſſimi Auctoris deliteat, & faciliùs ad ſuiipſius ſequelam homines alliciat: ſicut etiam ſupra diximus *tom. 1. pag. 218. num. 633. de Arte Paulina, Spirituum, & Angelica*: vt benè tradit Baptiſta Signa *de vero ſtudio chriſtiani cap. 7.* Dum enim Salomon verus Dei amicus fuit; & eius præceptis obediens, quis audeat aſſerere, huiuſmodi vacaſſe arti ſuperſtitioſæ, ac prorſus diabolicę? Si verò illum conſideres poſtquàm per peccatum à Deo fuit auerſus, ipſe non indigebat incūbere huic arti: quia omnibus delicijs affluebat. Falſiſſimum etiam eſt, quòd carceres aperiant, & reos ſoluant; nam praxis contrarium docet: videlicet, poſtquam carceribus ſunt mancipati omnem vim diabolicam euaneſcere: vt ſupra diximus *tom. 1. pag. 190. num. 551.* Nec poſſunt mulieres inuitas ad ſui cogere amorem: quia voluntas ſemper libera manet in actu ſuo: vt ſatis fusè demonſtratum eſt ſupra *tom. 1. pag. 191. num. 555.* De his legendus Lupus noſter *3. par. Edicti S. Inquiſ. lib. 15. diſt. 1. art. 4. diffic. 3.*

17. Prædictis actionibus abſimiles non ſunt illę, quibus nonnulli vacant, dum maleficium amoris tollere volunt.

Vtuntur enim maleficio odij, certo ritu ver. gr. conſecrantes, vel potiùs execrantes columbam nigram, & diuiſam per medium dant comedendam amantibus. Item vt odij maleficium tollant, vtuntur amoris maleficio, ver. gr. Euchariſtiam Sacram in ore habentes oſcalantur eam, quam volunt in amorem inducere: vel labiis chriſmate inunctis id faciunt cum certis cæremoniis.

18. *Vt ſterilitatis agrorum maleficium tollant, hoſtiam ſacram comminuunt, & tritam in puluerem ſpargunt per hortum: vel agrum; quæ non tantùm ſunt ſuperſtitioſæ; ſed manifeſtè impiæ, ſacrilegæ, & hæreticales, & tamen hæc facta aliquando legitur:*

Primum antecedenti numero refert Hollenus *in Præceptorio de Chriſmate.* Alterum Grillandus. Cætera de Euchariſtia Cæſarius Eiſterbacenſis *lib. 9.*

§. II.

IDem prorſus fatendum de cęteris actionibus prę- fatis, in quibus, quando interuenit abuſus Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel Sacrarum rerum, aut verborum ſacræ ſcripturæ, Orationis Dominicalis, Symboli apoſtolici, vel alterius orationis, non tantùm ſuperſtitioſæ nuncupandæ; ſed etiam ſacrilegæ, & hæreticales cenſendæ: vt teſtatur Pegna *ad Director. Inquiſ. par. 2. comment. 67.* Farinac. *de Hæreſi quæſt. 181. num. 2. & ſequent.* Scaccia *de Iudic. Ciuil. Criminalibus, & hæreticalibus lib. 1 c. 12.* 216 *Aliæ actiones ſuperſtitioſæ recenſentur, in quibus interuenit.*

Delrius

Abuſus Sacramentorũ Sacramẽtalium, Rerũ ſacrarum Verborũ S. Script. Symboli Apoſt. & ſimilium

Delrius *diſquiſ. magic. lib.5. ſect.*15. & Carena *de Off. S. Inquiſit. par.2. de ſortilegijs tit.*12. §.4.*n.*23. An verò illa actio, in qua interuenit abuſus hoſtiæ non conſecratæ, cenſenda ſit tantummodo ſuperſtitioſa; vel etiam hæreticalis: Circa hanc difficultatem nonnulli, quos citat Carena *loco citato num.* 52. dixerunt, non eſſe hæreticalem. Veruntamen ſententia verior eſt, talem actionem eſſe hæreticalem. Ratio fauet primò: quia in quacumquè hoſtia reperitur Crux Chriſti, quæ vbicumquè, & in quacumquè materia reperiatur, ſemper eſt adoranda Adoratione latriæ: vti docuerunt communiter Theologi *in 3. ſent. diſt. 9. & in 3. par. ſummæ D. Thomæ quæſt.25. art.4.* Secundò ſæpè non rem; ſed ſignificatum inſpicimus. At Hoſtia quæcumquè ſiuè conſecrata, ſiuè non, ſemper repræſentat ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium; vndè eam ſpernere, conſequenter eſt ſpernere Sacramentum Altaris. Sicut enim forma Sacramenti Euchariſtiæ adhibita in ſortilegio, in omnium ſententia, reddit illud qualificatum; idem dicendum de alia parte integrante eiuſdem Sacramenti, ideſt, de Hoſtia non conſecrata, quæ adeò eſt materia Sacramenti, quòd moraliter pro Euchariſtia tantummodo eſt deſtinata; & non eſt ſicut aqua, & oleum reſpectu Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis, quæ de ſe ſunt materiæ communes tam ad Sacra, quàm ad Profana. Ita etiam Diana 4. *par. tract.* 7. *de pænis reſolut.* 10.

Et ſi dicatur, quòd vtimur Hoſtia non conſecrata aliquandò ad literas claudendas: Reſpondetur, hoc eſſe merè per accidens; nec tollere, quin Hoſtia moraliter tantummodo pro Sacramento Euchariſtiæ ſit deſtinata. Ita ſentiunt Zanardus *in Summa diuin. Præcept. par.2. cap.64. verſ. Imò teneo, quòd vti.* Scaccia *de Iudic. Ciuil. Criminalibus, & Hæreticalibus lib.1. cap.12. num.34. verſ. ſortilegus igitur,* & Cæſar Carena *de Officio Sanctæ Inquiſ. loco citato numero 54. & ſequentibus.*

ARTICVLVS II.

Motionibus.

§. I.

217 *Varij mẽbrorum corporis motus in curatione hac interuenerũt, qui omnes ſunt ſuperſtitioſi. Exẽplis comprobatur.*

VArias etiam motiones in hac curatione exerceri, experientia docet: nempè, leues manuum, pedum, aliorumquè corporis membrorum motus, qui per ſe non ſunt actiui circa alios, ad quorũ commodum ordinariè fiunt. Hoc exemplo comprobari poteſt relato à Remigio *lib.3. dæmonol. cap.4.* ex Suetonio, Tacito, Sabellico, alijſquè non infimæ claſſis Scriptoribus.

Veſpeſianum pro tribunali ſedentem Alexandriæ, vbi ſtatos æſtiuis flatibus dies operiebatur, quo ex plebe viri adierunt, opem ſibi orantes à Serapide demonſtratam: Hic oculis, vt cæco dies illuceſceret, ſi ipſius oculos ſputo Veſpeſianus inunxiſſet. Alterquè firmior fieret, ſi calce contingeretur. Cum vix fides rei eſſet; nec ea vllo modo ſucceſſura crederetur, ne experiri quidèm à principio Veſpeſianus auſus eſt. Cæterum amicis hortantibus, quòd dicerent peracti remedij gloriam penes Cæſarem: irriti verò ludibrium penes miſeros fore: vtrumquè pro concione tentauit. Nec defuit euentus. Nam alteri manus ad vſum ſtatim verſa eſt: Alteri clara reluxit dies.

At quis non videt huiuſmodi motiones nullam vim prorſus habuiſſe naturalem? Sed ſi effectum intentum produxerunt, non à tali motu; ſed à dæmone ortum habuiſſe. Verebatur enim dæmon ille, quem ſub Serapidis nomine colebat Ægyptus errorum mater, nè piorum Eccleſia recens ibi conſtituta ex vetuſto illo ſe exturbaret domicilio; præuiditquè futurum, vt duo ægri vterquè ſua eſſet defuncturus clade; ac proindè ambos impulit à Veſpeſiano opem implorare, vt cum euentus ſecutus fuiſſet, eius fauore, qui erat rerum potiturus, oraculi Maieſtas augeretur; nec ex eo imperij faſtigio ad veræ lucis fulgorem animum intenderet.

Sic de Pyrrho narrant, ſplene ſcilicet, laborantibus mederi ſolitum fuiſſe, poſtquam reſupinos dextro pede tetigiſſet.

§. II.

SImiles motiones ſuperſtitioſas vulgo exercent hoc noſtro æuo plures viri, ac mulieres tum ad morbos tollendos; tum ad infortunia auertenda, quarum aliquæ hic deſcribuntur. 218 *Similes motiones multi exercent hoc noſtro æuo. Quarum aliquæ deſcribuntur.*

1. *Ad ægritudinem pellendam: Ducere ægrotum ante ſolis ortum verſus orientem; & eò expanſis ad ſolem manibus in crucifixi morem ſtantem dicere:* Hodie dies illa eſt, qua Dominus Deus ad crucem acceſſit, &c. *Deindè recitare quaſdam orationes.*

2. *Contra venenum. Statimac venerit nuncius, ſeù patiens, ponere pedem dextrum ſuper ſiniſtrum ipſius, & præbere ei poculum aquæ, aut vini, certam recitando orationem.*

3. *Sic Anno* 1648. *Vt quædam uetula ſanaret ab ægritudine oculorum illum, de quo ſupra in* hac diſput. n.9. *præcepit, ut bis in die iret ad tria transfreta mane ante ſolis ortũ, & ſero poſt ſolis occaſum, & ad ripam aliquantiſper deambularet.*

4. *Ad ſeruandum equum illæſum, cum in itinere ſoleæ ferreæ euelluntur, ponere digitos groſſiores in modum crucis ad ſummitatem pedis; & dicere quædam uerba.*

5. *Ad eundem effectum. Genuflectere ante pedem abſquè ſolea ferrea exiſtentem, & recitare Pater noſter; & eleuando dictum pedem cælum verſus, ad illa verba* ſicut in cælo, & in terra, *tunc ponere pedem ſuper terram, &c.*

6. *Ad equum coactum. Eruere clauum, & in terram figere genuflectendo dicendo Pater noſter & ad illa verba,* & in terra *malleo, vel ſaxo percutere terram additis certis verbis, & obſeruantijs.*

Prædictis addam vnicum factum, de quo anno Domini 1664. Venetijs à probatiſſimo Viro D. Frãciſco Sala meo familiari conſultus fui: quod poſtquam Bergomum fui regreſſus per litteras ſequentes, ſed idiomate eius materno iterum mihi repræſentauit dicens.

Admodum R. P. mi in Domino obſeruantiſsime.

EX litteris veſtris mihi gratiſſimis audio id, quod Paternitas veſtra Reu. præparat ad typis edendum, & quod deſiderat pro informatione illius caſus, de quo Frater meus D. Bartholomæus

fuit

12. *Ad pluuiam obtinendam, refert Martinus de Arles* de ſuperſtitione, opere, quod extat in oceano iuris, *& ſimul confutat quandam vanam obſeruantiam, quæ ſimul eſt ſuperſtitio, & Dei tentatio, & ſacrilegium, & blaſphemia, qua Nauarræ ruſtici vtebantur, imaginem Beati Petri in flumen mergentes; quod idem ſolent facere accolæ Rheni cum ſtatua B. Vrbani.*

13. *Hùc pertinet opinio Sileſiorum, Morauorum, & vicinarum gentium putantium, faſcinationibus reſiſtere faſciolas, vel tæniolas rubeas alligatas equorum frenis, vel epiphijs. Qua de cauſa etiam apud Græcos, & Romanos pueri, & puellæ faſciolis ruſſeis præcingebantur, vt refert Chryſoſt.* in hom. 12. ad Corinth. *& alii apud Martin. Roman.* lib. 1. Sing. c. 2. & lib. 2. c. 23.

14. *Venetiis quædam mulieres innuptę, quando lauant ſibi caput, & proiiciunt in viam communem aquam, qua ſuum caput lauerunt, obſeruant quiſnam primus tranſeat ſuper illam aquam, & dicunt illum futurum eſſe ſuum ſponſum.*

15. *In Apulia, et Lucania Prouinciis Regni Neapolitani, et fortaſsè in toto illo regno hæc viget ſuperſtitio. Ad ſanandum à morbo vermis, vulgo dicto* mal del verme. *Accipiunt vermiculum viuum, et ponunt in manu infantis recenter nati priuſquam baptizetur, et clauſa manu, ac faſciis conſtricta dum baptizatur, moritur vermis in manu infantis. Statimac verò eſt baptizatus, ex manu eius parentes vermem iam mortuum auferunt, et in terram proiiciunt. Poſtquam verò puer factus eſt adultus, dicunt, hanc habere virtutem, et auctoritatem, vt omnes morbos vermis affectos ſanare queat, ſignando ſigno crucis ſuper partem læſam his verbis admurmuratis:* In nomine Patris, &c. Occidi vermem cum eram, &c. nunc occido, quòd &c. hinc aufero &c. *deindè in terram expuat.*

Sic narrauit mihi quidam Religioſus Sacerdos Prouinciæ Apuliæ, qui plures dicto morbo affectos ſe ſanaſſe aſſeruit; quia à parentibus ſuis admonitus fuit, ſe, dum baptizatus fuit, vermiculum in manu occidiſſe.

In hac autem actione, ſi quis attentè illam conſideret, inueniet in ea fieri exceſſum in cultu Dei: Colitur enim Deus in Sacramento Baptiſmatis, cæremonijs, ac medijs indebitis, ac modo inconuenienti. Nam ex verme mortuo in manu pueri, dum baptizatus eſt, credunt, virtutem accepiſſe ſanandi omnes tali morbo affectos. Sed hæc mera ſunt commenta diaboli. Quis enim huiuſmodi inſtituit ordinationem? Quis talem tribuit virtutem? Non alius vtiquè quàm diabolus, qui ex pacto expreſsè inito cum primo mago, ad poſitionem talis vermis, & ad huiuſmodi actionem accurrit, & remedia intrinſecùs applicat, quibus morbum tollat: cui operationi dęmoniacæ tacitè conſentit, qui tales actiones operatur.

16. *Hùc referendi ſunt Clauicularij, qui per clauiculam dictam Salomonis varias nouerunt exercere actiones; quibus vel expreſsè, vel implicitè ſaltem ſe pactum cum dæmone habere, demonſtrãt. Iſti enim abſquè claui, & ſtrepitu, vt dicunt aperiunt carceres, ſoluunt reos, eorum cuſtodes graui ligant ſomno, ſeras domus, apothecæ, arcæ, arculæ, &c. iactant, ſe aperire, & claudere, nullo apparente ſigno aperitionis; ſimiliter mulieres ad ſui amorem pellicere, ſolo intuitu, aut verbis in eis corruptionem excitare, & alia id generis perpetrare poſſe, aſſeuerant, omniaquè ex Salomonis clauicula didiciſſe aſtruunt.*

Quæ clauicula dicitur à claui tanquam diminutiuum ipſius: dicitur Salomonis: quia ipſius profeſſores teſtantur, à Sapientiſſimo Salomone adinuentam fuiſſe; & propterea ab ipſius nomine tanquam ab Auctore ſumpſiſſe denominationem. Diciturque clauicula, quia velut clauis aperit carceres, ſoluit reos, & aliàs huiuſmodi actiones operari docet, vt iactant dicti clauicularij.

At falſiſſimum eſt, Salomonem hanc inueniſſe clauiculam; ſed illius adinuentor eſt diabolus, qui figmentum hoc vocari iuſſit clauiculam Salomonis: vt vel ſic ipſius turpitudo ſub nomine doctiſſimi Auctoris deliteat, & faciliùs ad ſuiipſius ſequelam homines alliciat: ſicut etiam ſupra diximus *tom. 1. pag. 218. num. 633. de Arte Paulina, Spirituum, & Angelica:* vt benè tradit Baptiſta Signa *de vero ſtudio chriſtiani cap. 7.* Dum enim Salomon verus Dei amicus fuit; & eius præceptis obediens, quis audeat aſſerere, huiuſmodi vacaſſe arti ſuperſtitioſæ, ac prorſus diabolicę? Si verò illum conſideres poſtquàm per peccatum à Deo fuit auerſus, ipſe non indigebat incũbere huic arti: quia omnibus delicijs affluebat. Falſiſſimum etiam eſt, quòd carceres aperiant, & reos ſoluant; nam praxis contrarium docet: videlicet, poſtquam carceribus ſunt mancipati omnem vim diabolicam euaneſcere: vt ſupra diximus *tom. 1. pag. 190. num. 551.* Nec poſſunt mulieres inuitas ad ſui cogere amorem: quia voluntas ſemper libera manet in actu ſuo: vt ſatis fusè demonſtratum eſt ſupra *tom. 1. pag. 191. num. 555.* De his legendus Lupus noſter *3. par. Edicti S. Inquiſ. lib. 15. diſt. 1. art. 4. difſic. 3.*

17. Prædictis actionibus abſimiles non ſunt illę, quibus nonnulli vacant, dum maleficium amoris tollere volunt.

Vtuntur enim maleficio odij, certo ritu ver. gr. conſecrantes, vel potiùs execrantes columbam nigram, & diuiſam per medium dant comedendam amantibus. Item vt odij maleficium tollant, vtuntur amoris maleficio, ver. gr. Euchariſtiam Sacram in ore habentes oſculantur eam, quam volunt in amorem inducere: vel labiis chriſmate inunctis id faciunt cum certis cæremoniis.

18. *Vt ſterilitatis agrorum maleficium tollant, hoſtiam ſacram comminuunt, & tritam in puluerem ſpargunt per hortum: vel agrum; quæ non tantùm ſunt ſuperſtitioſæ; ſed manifeſtè impiæ, ſacrilegæ, & hæreticales, & tamen hæc facta aliquando legitur:*

Primum antecedenti numero refert Hollenus *in Præceptorio de Chriſmate.* Alterum Grillandus. Cætera de Euchariſtia Cæſarius Eiſterbacenſis *lib. 9.*

§. II.

IDem prorſus fatendum de cęteris actionibus pręfatis, in quibus, quando interuenit abuſus Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel Sacrarum rerum, aut verborum ſacræ ſcripturæ, Orationis Dominicalis, Symboli apoſtolici, vel alterius orationis, non tantùm ſuperſtitioſæ nuncupandæ; ſed etiam ſacrilegæ, & hæreticales cenſendæ: vt teſtatur Pegna *ad Director. Inquiſ. par. 2. comment. 67.* Farinac. *de Hæreſi quæſt. 181. num. 2. & ſequent.* Scaccia *de Iudic. Ciuil. Criminalibus, & hæreticalibus lib. 1. c. 12.* 216

Aliæ actiones ſuperſtitioſæ recenſentur, in quibus interuenit.

Delrius

Abuſus Sacramentorũ Sacramẽtalium, Rerũ ſacrarum Verborũ S.Script. Symboli Apoſt. & ſimilium

Delrius *diſquiſ. magic. lib.5. ſect.15.* & Carena *de Off. S.Inquiſit. par.2. de ſortilegijs tit.12. §.4.n.23.* An verò illa actio, in qua interuenit abuſus hoſtiæ non conſecratæ, cenſenda ſit tantummodo ſuperſtitioſa; vel etiam hæreticalis: Circa hanc difficultatem nonnulli, quos citat Carena *loco citato num.52.* dixerunt, non eſſe hæreticalem. Veruntamen ſententia verior eſt, talem actionem eſſe hæreticalem. Ratio fauet primò: quia in quacumquè hoſtia repe-ritur Crux Chriſti, quæ vbicumquè, & in quacumquè materia reperiatur, ſemper eſt adoranda Adoratione latriæ: vti docuerunt communiter Theologi *in 3.ſent. diſt.9. & in 3.par. ſummæ D.Thomæ quæſt.25. art.4.* Secundò ſæpè non rem; ſed ſignificatum inſpicimus. At Hoſtia quæcumquè ſiuè conſecrata, ſiuè non, ſemper repræſentat ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium; vndè eam ſpernere, conſequenter eſt ſpernere Sacramentum Altaris. Sicut enim forma Sacramenti Euchariſtiæ adhibita in ſortilegio, in omnium ſententia, reddit illud qualificatum; idem dicendum de alia parte integrante eiuſdem Sacramenti, ideſt, de Hoſtia non conſecrata, quæ adeò eſt materia Sacramenti, quòd moraliter pro Euchariſtia tantummodo eſt deſtinata; & non eſt ſicut aqua, & oleum reſpectu Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis, quæ de ſe ſunt materiæ communes tam ad Sacra, quàm ad Profana. Ita etiam Diana *4.par. tract.7. de pænis reſolut.10.*

Et ſi dicatur, quòd vtimur Hoſtia non conſecrata aliquandò ad literas claudendas: Reſpondetur, hoc eſſe merè per accidens: nec tollere, quin Hoſtia moraliter tantummodo pro Sacramento Euchariſtiæ ſit deſtinata. Ita ſentiunt Zanardus *in Summa diuin. Præcept.par.2.cap.64. verſ. Imò teneo, quòd vti.* Scaccia *de Iudic.Ciuil. Criminalibus, & Hæreticalibus lib.1.cap.12.num.34. verſ. ſortilegus igitur,* & Cæſar Carena *de Officio Sanctæ Inquiſ. loco citato numero 54. & ſequentibus.*

ARTICVLVS II.

Motionibus.

§. I.

Varij mẽbrorum corporis motus in curatione hac interueniũt, qui omnes ſunt ſuperſtitioſi. Exẽplis comprobantur.

217 VArias etiam motiones in hac curatione exerceri, experientia docet: nempè, leues manuum, pedum, aliorumquè corporis membrorum motus, qui per ſe non ſunt actiui circa alios, ad quorũ commodum ordinariè fiunt. Hoc exemplo comprobari poteſt relato à Remigio *lib.3.dæmonol.cap.4.* ex Suetonio, Tacito, Sabellico, alijſquè non infimæ claſſis Scriptoribus.

Veſpeſianum pro tribunali ſedentem Alexandriæ, vbi ſtatos æſtiuis flatibus dies operiebatur, quo ex plebe viri adierunt, opem ſibi orantes à Serapide demonſtratam: Hic oculis, vt cæco dies illuceſceret, ſi ipſius oculos ſputo Veſpeſianus inunxiſſet. Alterquè firmior fieret, ſi calce contingeretur. Cum vix fides rei eſſet; nec ea vllo modo ſucceſſura crederetur, ne experiri quidèm à principio Veſpeſianus auſus eſt. Cæterum amicis hortantibus, quòd dicerent peracti remedij gloriam penes Cæſarem: irriti verò ludibrium penes miſeros fore: vtrumquè pro concione tentauit. Nec defuit euentus. Nam alteri manus ad vſum ſtatim verſa eſt: Alteri clara reluxit dies.

At quis non videt huiuſmodi motiones nullam vim prorſus habuiſſe naturalem? Sed ſi effectum intentum produxerunt, non à tali motu; ſed à dæmone ortum habuiſſe. Verebatur enim dæmon ille, quem ſub Serapidis nomine colebat Ægyptus errorum mater, nè piorum Eccleſia recens ibi conſtituta ex vetuſto illo ſe exturbaret domicilio; præuiditquè futurum, vt duo ægri vterquè ſua eſſet defuncturus clade; ac proindè ambos impulit à Veſpeſiano opem implorare, vt cum euentus ſecutus fuiſſet, eius fauore, qui erat rerum potiturus, oraculi Maieſtas augeretur; nec ex eo imperij faſtigio ad veræ lucis fulgorem animum intenderet.

Sic de Pyrrho narrant, ſplene ſcilicet, laborantibus mederi ſolitum fuiſſe, poſtquam reſupinos dextro pede tetigiſſet.

§. II.

Similes motiones multi exercent hoc noſtro æuo. Quarum aliquæ deſcribuntur.

SImiles motiones ſuperſtitioſas vulgo exercent hoc noſtro æuo plures viri, ac mulieres tum ad morbos tollendos; tum ad infortunia auertenda, quarum aliquæ hic deſcribuntur. 218

1. *Ad ægritudinem pellendam: Ducere ægrotum ante ſolis ortum verſus orientem; & eò expanſis ad ſolem manibus in crucifixi morem ſtantem dicere:* Hodie dies illa eſt, qua Dominus Deus ad crucem acceſſit, &c. *Deindè recitare quaſdam orationes.*

2. *Contra venenum. Statimac venerit nuncius, ſeù patiens, ponere pedem dextrum ſuper ſiniſtrum ipſius, & præbere ei poculum aquæ, aut vini, certam recitando orationem.*

3. *Sic Anno* 1648. *Vt quædam uetula ſanaret ab ægritudine oculorum illum, de quo ſupra* in hac diſput. n.9. *præcepit, ut bis in die iret ad tria transfreta mane ante ſolis ortũ, & ſero poſt ſolis occaſum, & ad ripam aliquantiſper deambularet.*

4. *Ad ſeruandum equum illæſum, cum in itinere ſoleæ ferreæ euelluntur, ponere digitos groſſiores in modum crucis ad ſummitatem pedis; & dicere quædam uerba.*

5. *Ad eundem effectum. Genuflectere ante pedem abſquè ſolea ferrea exiſtentem, & recitare Pater noſter; & eleuando dictum pedem cælum verſus, ad illa verba* ſicut in cælo, & in terra, *tunc ponere pedem ſuper terram, &c.*

6. *Ad equum coactum. Eruere clauum, & in terram figere genuflectendo dicendo Pater noſter & ad illa verba,* & in terra *malleo, vel ſaxo percutere terram additis certis verbis, & obſeruantijs.*

Prædictis addam vnicum factum, de quo anno Domini 1664. Venetijs à probatiſſimo Viro D.Frãciſco Sala meo familiari conſultus fui: quod poſtquam Bergomum fui regreſſus per litteras ſequentes, ſed idiomate eius materno iterum mihi repræſentauit dicens.

Admodum R. P. mi in Domino obſeruantiſsime.

EX litteris veſtris mihi gratiſſimis audio id, quod Paternitas veſtra Reu. præparat ad typis edendum, & quod deſiderat pro informatione illius caſus, de quo Frater meus D.Bartholomæus

fuit

fuit inſtructus; & id quod ſecutum eſt coram me, ſed ego nolui, quod exequeretur, niſi priùs conſulerem Paternitatem veſtram. Et fuit ſub hac forma: Quidam homo diœceſis Taruiſinæ nos docuit, quòd ad impediendum, ne paſſeres damnum inferrent grano tam in campis ſeminato, quàm etiam in ſpica contento, debere mane ante ſolis ortum egredi ad campos, quærere vnam ranam, eamque ponere in vnam ollam nouam, quæ cooperiatur carta, vel tela, qua manibus accepta circumiremus illos agros, & ſegetes, quos deſideramus tueri à paſſeribus damnificantibus cum hoc tamen pacto, quòd iter debeamus initiari ab ortu ſolis, & proſequi, ſicut facit ſol ſuum circulum, & cum peruenerimus ad locum, vbi incæpimus iter, tunc ingrediamur ſegetem vſque ad medium campi, & ibi fodiamus terram, & ſepeliamus ollam, in qua incluſa eſt rana, poſtquam autem fuerint ſegetes maturæ, diſſepeliamus ollam cum quibuſdam obſeruantijs circa tempus, et modum, et progrediamur eodem itinere, quo prius, quando iuimus ad ſepeliendum ollam; ſed vice verſa, non enim verſus oriens, ſed verſus occidens, donec circulum finierimus. Hoc autem eſſe faciendum vel ſtatim ac ſeminauerint granum, vel antequam floreat granum cum quibuſdam alijs obſeruantijs, &c.

Nos prædictam inſtructionem exequi, & adimplere noluimus, niſi prius cum Paternitate veſtra loqueremur, qui mihi dixit, dictam operationem eſſe ſuperſtitioſam, & ideò ab ea nos abſtinere deberemus; ſed nos docuit ponere ſub protectione Sanctiſſimi Nominis Ieſu, ac Sanctorum Angelorum Cuſtodum noſtras ſegetes, agros, campos, vineas, domus, ac cætera omnia ad nos ſpectantia & à Paternitate veſtra nobis fuit tradita quædam breuis oratio ab ipſo compoſita. Et ita à nobis omnia ad nos pertinentia commendata fuerunt protectioni Sanctiſſimi Nominis Ieſu, ac Sanctorum Angelorum, cuius protectionis effectus experimentaliter conſecuti ſumus ob Diuinam pietatem ac miſericordiam. Qua his meis characteribus finem impono affectuosè ſalutans Paternitatem veſtram: idem præſtat D. Maria vxor mea, ac D. Cattarina fratria mea, cum abſit eius Maritus Frater meus D.Bartholomæus, qui eſt in Villa. Mihi gratum erit ſcire, ſi id, quod ſupra ſcripſi ſufficiat pro eo, quod deſiderat. Circa verò alia particularia, pro informatione procurabo veſtram Paternitatem fieri certiorem. Deus piiſſimus præſeruent eam ab omni malo.

Videas infra n. 647.

Venetijs die 6. Decembris 1664.

Paternitatis veſtræ admodum Reuerendę.
Affectuoſiſſimus,& Obligatiſs. Seruus.
Franciſcus Sala.

A tergo.

Adm.Reuer. Patri mihi in Domino Obſeruantiſſimo P. F. Candido Brognolo Theologo, ac Vicario Sanctæ Inquiſitionis.

Bergomum

Ad Conuentum S. Marię Gratiarum.

Quis autem erit ita ignarus, vt dictam operationem approbare velit. Quam enim vim ad effugandas paſſeres habere poterat illa rana clauſa in illa olla? quænam virtus ineſſe poterat in illis circulationibus, & motionibus? Quis talem tribuit vim? non alius vtique quàm dæmon, qui ex pacto expreſsè inito cum primo mago, vt ſupra dixi artic. præced. ad poſitionem illius ollulæ cum rana incluſa, ac illis circulationibus, ac motionibus promiſit accurrere, ac paſſeres in fugam vertere, cui operationi dæmoniacæ tacitè conſentit, qui tales actiones operatur.

A prædicto D.Franciſco Sala alię operationes mihi fuerunt patefactæ: (ſic enim ei colligere commiſeram, ſuadente Reuerendiſſimo Padre Inquiſitore.)

Quidam paruulus epilepſia laborabat, cuius matri fuit perſuaſum, vt paruulum poneret ſuper Altare S.Valentini, ac diceret: O Sancte benedicte tibi dono iſtum meum filium, &c. illumque derelinqueret ſuper Altare, donec ipſe à planctu ceſſaret, & aliqua alia mulier illum acciperet, ac reſtitueret matri ſuę:& ſic impoſterum epilepſia non laboraret. Eidem mulieri fuit perſuaſum, vt quando cadebat filius, acciperet tres clauos, & extenderet in modum Crucis brachia filij, & pedes poneret vnum ſuper alium, & clauos poneret vnum ad pedes, & vnum ad ſingulas manus: cum quibuſdam alijs, &c. & ſic non amplius caderet.

Inſuper ſi adhuc dicto morbo affectus caderet, tunc ipſe apprehenderetur ab aliqua muliere, quæ dictum ægrotum non agnoſceret, & deorſum illum verteret, videlicet vbi erat caput, poneret eius pedes,& vbi erant pedes, poneret caput, dicunt, quod ſanaretur.

Sed omnia prædicta cum ſint prorſus vana, & inutilia nonniſi à dęmone tradita eſſe, nemini eſt ambigendum.

§. III.

QVampluribus alijs id generis motionibus, ac geſticulationibus vtuntur ruſtici, & alij huiuſmodi medentes, quas omnes ſuperſtitioſas eſſe iuremeritò eſt fatendum. Si enim eas conſideremus in ordine ad eos, ad quorum commodum, & vtilitatem fiunt, quis eis vim vllam naturalem ſanandi tribuere audeat: cum prorſus ſint vanę, inutiles, & ridiculę? Si verò, in eo, qui mouetur, poſſunt quidem cauſare hoc, vel illud vbi, & per accidens calorem aliquem, ſi motus ſit ad illum ſufficiens. Sed in præſenti nec ſolet eſſe talis, nec ob eam cauſam fieri, nemini eſt ignotum; ſed eſſe tantùm ſigna à diabolo inſtituta, & primo mago tradita, qui eas docuit homines exercendas, qui nimis creduli, & optatum conſequantur effectus, vtuntur; pactoque ſaltem tacito, & implicito dęmoni conſentiunt. In quibus motionibus, vt dixi de Actionibus, ſi abuſus interueniat vel ſacramentorum, vel alterius rei ſacræ: ſicut fit in prędictis, in quibus vel ſigno crucis, vel oratione dominicali abutuntur, non tantùm ſunt ſuperſtitioſę; ſed ſacrilegę, & hęreticales huiuſmodi curationes. 219

Alijs huiuſmodi vtuntur ruſtici, quę ſuperſtitioſę oſtenduntur.

Imò etiã hereticales, ſi interueniat abuſus ſacramentorum,&c. vt dictũ eſt.

Quare omnes iſti ritus, actiones, cęremoniæ, ac geſtus, quos Eccleſia non recipit; nec verbum Dei ſcriptum, vel non ſcriptum approbat: cum tantùm in ratione ſignorum adhibeantur, quę à Deo nullo modo ſunt tradita, meritò cenſentur vanę obſeruantię ſpecies: & propterea ex pacto dęmonis habita tanquam ſuperſtitioſa ſunt fugienda.

SECTIO III.

Obſeruatiuum.

Dæmon, vt ſe ſapientem prodat, varia tradit præcepta ſecũdùm modũ obſeruatiuum Tẽporis, Ominum

220 ANtiquus ille dierum noſter aduerſarius diuinarum nimis actionum æmulator cernens principium noſtræ reparationis Chriſtum Dominum, Verbum incarnatum, clementiſſimum, & ſapientiſſimum: vt clementiſſimum non permiſiſſe morbum peccati currere ſine remedio, quod inſtituit in verbis, & elementis, quæ dum per ſacerdotum Eccleſiæ miniſtrorum operationem inſimul accedũt, fiunt ſacramenta animas noſtras à peccatorum morbis purgantia, gratiam augentia, & in virtutibus corroborantia: vt ſapientiſſimum iuxta diſpoſitionem ſuæ immutabilis ſapientiæ cuncta ordinatiſſimè gubernare, varia adhibendo ſpiritualia pharmaca ſecundùm varietatem temporum: nec non diuerſa tradendo præcepta; ex quorum obſeruatione: vel tranſgreſſione bona, vel mala euentura coniecturaliter prænunciari ſolent. Eum imitari ſtudens hæc Dei ſimia, vt ſe continuè oſtendat clementiſſimum varia ſuis tradidit mancipijs remedia exercenda ad tollendos morbos, malaquè auertenda ſecundùm modum verbalem, ac operatiuum, quorum primus in verbis tàm ſignificatiuis, quàm non ſignificatiuis: Alter in operibus ſiuè actionibus, ſiuè motionibus conſiſtit: vt duabus ſectionibus præcedentibus demonſtratum eſt. Vt verò ſe prodat quoquè ſapientiſsimum, ſuos edocet aſſeclas varia ſeruare præcepta ad mala præſentia auertenda: ac futura præcauenda ſecundùm modum obſeruatiuum Temporis, & Ominum: vt duobus articulis notum fiet.

ARTICVLVS I.

Temporis.

Non eſt ſuperſtitio tempora obſeruare, quibus Herbæ ſunt colligendæ, Ligna ſuccidẽda. Mare nauigandũ

221 VTiliſsimum quidem, nec ſuperſtitioni aſcribendum, tempora obſeruare, quibus herbæ ſint colligendæ, ligna ſuccidenda, agri ſeminandi, mare nauigandum, ſi id faciant permoti naturali obſeruatione motus, & influentiæ cæleſtis, nemini eſt ambigendum. Quod enim Medicus herbas colligat potiùs in Maio, vel Aprili; quàm in Auguſto; aut hyeme, id non ſuperſtitionis; ſed medicinæ eſt: quia tam ratio naturalis, quàm medicina dictat certis anni temporibus virtutem in herbis eſſe efficaciorem ad naturales effectus, ligna quoquè minus obnoxia corruptioni, aptioraquè ad vſum.

§. I.

Quando ſuperſtitio ſit, dies obſeruare Declarat ius canonicum.

222 AT ſuperſtitio, eſt dicenda, cum certus obſeruatur vnus hebdomadę vel mẽſis dies tantùm; vel certa hora diei, qua talis hora, vel dies eſt: vel circumſtantiæ adduntur inutiles, vel ocioſæ; aut non approbatæ orationes. Quorum ſuperſtitionis modi hic nonnulli oculis ſubijcientur.

Primo venit ritus eorum, qui Calendas Ianuarias, & brumam more paganorum colunt: de quibus habetur *in cap. Si quis Calendas 26.q.7.* vbi Zacharia Papa *in Concilio Romano cap.9.* eos anathematis mucronè ferit: dicens, *magnam eſſe iniquitatem coram Deo aliquid plus noui facere propter nouum annum. Ideò talia facere præſumens anathema ſit.* Quem dierum ritum obſeruare conſueuerũt Ægyptij; à quibus dicti ſunt dies ægyptiaci, de quibus fit mentio apud D. Auguſtinum *lib.2. de doctrina chriſt.cap.20. & in Enchiridio cap. 79.* & habetur *in cap. Non obſeruetis eadem cauſ. & quæſt.* vbi Gloſſa Canonica vult, Ægyptios docuiſſe, qui dies toto anno infauſti forent ad opus inchoandum; & hos Eccleſiam olim in Kaledarijs ſuis ſignaſſe; quorum poſterius nihil dubito, quin falſum ſit. Numquam enim hæc Eccleſia recepit, Apoſtolicæ prohibitionis memor, vbi ad Galat.4. ait: *Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos, nè fruſtra laborauerim in vobis.* Prius autem recipi poteſt: vt etiam recenſetur *in c. Non obſeruetis.* Aſtrologorum enim iſta commenta fuere, & Ægyptus inuentrix Aſtrologiæ.

§. II.

PRopterea Petrus Breslayus *libro primo Notabilium cap.53.* huiuſmodi dicit eſſe Ianuarij primo, & 25. Februarij 4. & 26. Martij 1. & 28. Aprilis 10. & 20. Maij tertio, & vltimo. Iunij decimo, & 17. Iulij decimotertio, & 21. Auguſti primo, & 24. Septembris tertio, & 21. Octobris tertio, & 22. Nouembris 5. & 28. Decembris ſeptimo, & 22. Alexander verò ab Alexandro *lib.4. genialium dierum cap.20.* vnum hebdomadæ diem alicui nationi, alium alteri fuiſſe infauſtum memorat, dicens: apud Rabinos diem lunæ fuiſſe infauſtum: quia in eo putabant natum fuiſſe Caim: apud Athenienſes diem Martis: apud Medos diem Mercurij: apud Friggios diem Iouis: apud Troyanos diem Veneris: apud Perſas diem Saturni. Apud verò Ægyptios infauſtum fuiſſe diem Martis, fauſtum verò diem Iouis, habetur in Sacerdotali Romano *par.3.tract.2.cap.4.* & teſtatur Gulielmus Durandus *tract. de Computo cap.4.* Vnde Ægyptis certis diebus non inchoabant opus aliquod, ne haberent malum introitum, progreſſum, aut exitum. 223 *Adducũtur exẽpla.*

At cum nullus dies ex natura ſua ſit fauſtus; ſed omninò ſit accidentale, quòd aliquis dies ſit fauſtus, vel infauſtus, meritò huiuſmodi dierum obſeruatio deteſtatur è ſacris Canonibus *c. Non licet, c. Si quis, c. Non obſeruetis 26. q.7. & c. Quis æſtimaret. ead. cauſ. & quæſt.* magnum peccatum iudicatur. Idcircò in dicto canone ſubditur: *Intelligat Lector, ad tantum periculum animæ pertinere ſuperſtitioſas temporum obſeruationes, vt huic loco ſubiecerit Apoſtolus, Timeo vos, nè fortè ſine cauſa laborauerim in vobis.*

§. III.

EX hac dierum infauſtorum ſuperſtitione ad negotia peragenda emanarunt dies cretionum, ſeu critici, qui idem ſunt, ac iudiciales, ſeù iudiciarij, & iudicatiui. Ideò olim Iudices, ſeù Cenſores alienorum operum Critici dicebantur: vt tradit Calepinus *ver.Criticus*: Critici verò vocantur ſecundùm Medicos dies illi, in quibus de morbi ratione iudicium ferri poteſt. Sunt autem impares, & potiſsimùm quintus, & ſeptimus. Quorum obſeruatio, vt reſpicit corporum infirmitatem, non eſt ſuperſtitioſa aut vana: quòd patet tum ex communi conſenſu Phyſicorum: tum ex praxi: nam huiuſmodi obſeruantia pendent à re naturali, nimirum à natura humorum. Si enim in his diebus natura cofortatur, fit iudicium de futura ſanitate: & è conuersò ſi deterioratur, futuræ proximæ mor- 224 *Ex dicta dierũ ſuperſtioione emanarunt dies critici Quid ſint.*

tis

tis propemodum certum habetur indicium,

Quando ſint ſuperſtitioſi. Si verò dies critici, ſeù iudiciales dicantur illi, quibus ſolum antiquitùs hæreditas adiri poterat: vt teſtantur Odofred. *in L.Cretionum. C.de iure deliberandi:* Bellapertica inſignis Doctor *in d.L.contra Baldum eod.loc.* eorum obſeruatio vtiquè eſt ſuperſtitioſa; Ideoquè vt talis penitùs ſublata eſt ab Imperatore *in L.Cretionum. C.de iure deliberandi.* Vndè nunc temporis tàm die critica, quàm non critica: ver.gr. ſexta, & octaua, & hæreditas adiri poteſt: vt habetur *L.fin.C.eod.* cui adſtipulantur Hogodnell. Herman.Vul.Iur. prudent. Rom. *lib.*1. *cap.*72.*num.*28. Petrus Gregorius *Syntagmate iuris vniuerſi lib.*46.*cap.*2.*num.*5. *& ſequentibus*, & alij plures apud Carenam *de off. Sanctæ Inquiſit. par.*2. *de.ſortileg.tit.*12.*num.*136.

§. IV.

225 *Sunt aliæ obſeruationes populares, nempè Diei S.Pauli. S.Vincētij. S.Vrbani.*

PRædictas obſeruationes aliæ ſequuntur populares, quæ communiter apud vulgum ſunt in vſu.

Quidam obſeruant aliquos dies certos: vt conuerſionis S.Pauli, S.Vincentij, S.Vrbani, vel aliorum, quibus ſi pluat; vel cælum ſerenum ſit, ſibi ſpondent ſerenitatem, fertilitatem, ſterilitatem, vini copiam, vel inopiam, aut continuatam per tot dies pluuiam. Ex quo fecerunt illos verſus.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni.
Si nix, aut pluuia &c.

Quam obſeruantiam non eſſe ſuperſtitioſam defendit noſter Lupus *lib.*15. *Edicti S.Inquiſit. diſt.*6. *art.*1.*diffic.*1. & per conſequens nec verſus illos ſuperſtitioſos eſſe contra Binsf. *de Confeſſionib. malefic. vbi de cauſis ad maleficia diſponentibus cauſa* 3. & Delrium *Diſquiſ.magic.lib.*3.*par.*2. *quæſt.*4. *ſect.*6. Sed potiùs vanos eſſe, nulloquè niti fulcro. At mihi videtur cum diſtinctione procedendum. Si enim ex pluuia, vel ſerenitate illius diei feſti quis credat infallibiliter futuram vel fertilitatē, vel ſterilitatem, nec aliter poſſe euenire: huiuſmodi obſeruatio proculdio ſuperſtitioſa eſt: quia vt ipſe Lupus ait, nititur falſo fundamento: Si enim dies conſideratur ratione Sancti, qui colitur illa die: ſuperſtitioſum eſt credere: quod à tali ſancto prouenire debeat vel ſterilitas, aut fertilitas: pluuia, aut ſerenitas, quia ſic tali Sancto bonum vel malum totius anni poſſet attribui, quod eſt abſurdum: Si verò dies ille conſideretur qua naturalis ex cælorum curſu, ſtellarumque occurſu, & concurſu: tunc cum quotidiè habeatur aliquis curſus, occurſus, & concurſus, non eſſet magis prognoſticus totius anni vnus dies, quàm alius. Si ergo vni tantùm diei totius euentum attribui debere iudicant contra communem Aſtrologorum placitum; & credunt indubitanter, non aliter fore euenturum, quàm dies ille prognoſticauit; hoc non poteſt attribui alteri, quàm dæmoni, qui talia hominum idiotarum mentibus inſeruit, vt eos in aliquos errores diuinæ Prouidentiæ repugnantes paulatim valeat pertrahere. Si autem ex ſerenitate, vel pluuia illius diei tantùm opinatur, futuram ſterilitatem, vel fertilitatem non neceſſariò; ſed contingenter ſępiùs euenturam, puta ſi valdè ſenex ſit, & ex longa annorum obſeruatione prognoſticet contingenter, quid futurum: tunc dictam dierum obſeruationem, & per conſequens verſus illos omni carere ſuperſtitione puto.

Idem prorſus fatendum de illis, qui aſſerunt, prognoſticari poſſe, quemlibet anni menſem iuxta qualitatem primorum dierum duodecim menſis Ianuarij, volentes primum primo menſi reſpondere; ſecundum ſecundo, ſcilicet: Februario: tertium tertio, nempè Martio; & ſic de ſingulis. *Primorū 12 dierum mēſis Ianuarij.*

§. V.

ALij colligunt herbas in die S. Ioannis Baptiſtæ ad certos quoſdam effectus, puta ſanitatem obtinendam. 226 *S.Ioan. Baptiſtæ*

Quos, ſi credunt eo die ratione feſti illius Sancti vim habere naturalem efficaciorem ad talem effectum conſequendum, ſuperſtitione non carere, certum eſt: quia feſtiuitates Sanctorum non ad huiuſmodi effectus producendos; ſed ad Sanctos colendos, & honorandos ſunt ab Eccleſia ordinatæ. Si verò directè ſancti meritis, Deoquè ſanctos ſuos honoranti huiuſmodi tribuerent effectum, non auderem eos damnare ſuperſtitionis: quia viderentur & ipſi ſanctos illos honorare. Si tandem credunt herbas potiorem vim habere collectas eo die: quia ſol tunc eſt reductus ad ſtationem ſuam, hoc eſt ad perfectum ſitum reſpectu noſtri, nempè zenit, vbi magis diametraliter, quàm vſquam fuerit anno illo, nobis (quatenus eſt ex parte ipſius præcisè) fortiùs benefacit, & ſalubriùs rorificat: tum nullam ibi adeſſe ſuperſtitionem, apertum eſt. Vndè etiam quædam plantulæ ante ſolis ortum collectæ redduntur virtuoſiores: ſicut è contra aliæ reperiuntur meliores, ſi colligantur orto iam ſole pro herbarum, plantarumuè qualitate diuerſa: quod potiſſimùm die, qua ſol eſt in Solſtitio accidere poteſt.

Alij minuunt ſanguinem equorum in Feſto S. Stephani, vel S.Ioannis Baptiſtæ, vel inſerunt arbores ipſo die Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, & ſimilia peragere ſolent. 227 *S.Stephani: Annunciationis B. Virginis.*

De quibus idem iudicium eſt faciendum, ſicut de præcedentibus: *Nam vbi eſt eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet. L. Illud ff. ad Legem Aquiliam cum ſimil.*

Alij Venetijs, (ſic mihi enarrauit Reuerendiſs. P. Agapitus de Vgonis Venetiarum Inquiſitor Generalis S. Officij.)

Quòd vigilia S.Ioannis Baptiſtæ ad veſperas eunt ad Ciſternam dicētes quandam orationem, replent phialem aqua, & intus ponunt albumen, ideſt clarum oui, recitantes aliam orationem, ac ponunt illam phialam noctu ad rorem, mane verò ſequenti ex figura, quę intus eſt formata diuinant res futuras etiam ex libero arbitrio dependentes.

Nocte eiuſdem feſti ſeminant in vas pugnum frumenti recitantes quandam orationem, deinde claudunt illud vas in capſam, quam non aperiunt vſque ad diem octauæ S.Ioannis, & tunc, ſi eſt viride, vel flauum, vel album, vel longum, vel curtum, vel craſſum, coniectant res futuras etiam contingentes, & à libero arbitrio dependentes.

Adoleſcentulæ nubendæ ſumunt tria grana fabæ, vnum ſine cortice, alterum cum cortice, aliud cum medio cortice, ponunt ea ſub ceruical, mane verò diei ſequentis, ſcilicet S.Ioannis Baptiſtæ, ſumunt vnum ex illis, quod caſu ſibi ad manus venit, & ex eo coniectant, ac diuinant, an benè, vel malè ſint nubendæ.

Inſuper nocte eiuſdem feſti plantant granum

pha-

phaſioli, & obſeruant quot dies moretur ad naſcendum, & dicunt, quòd tot annos ipſæ manebunt ad nubendum.

*Tandem vigilia eiuſdem Feſti ad veſperas ceram liquefaciunt recitantes quandam orationem, ac proijciunt illam in catinum plenum aqua, & ex figura, quæ formatur, coniectant, ac diuinant res futuras. Idipſum agunt cum plumbo liquefacto; vt ſup.n.*181.

Aliæ huiuſmodi ſuperſtitiones Venetijs exercentur, prout mihi teſtatus eſt probatiſſimus Vir D. Franciſcus Sala, cui eas colligere hoc onus impoſui ſuadente Reuerendiſsimo P.Inquiſitore ſupradicto.

1. *Illa Adoleſcentula, quæ ſcire deſiderat, quā artem exercebit ſuus futurus ſponſus, nocte Sancti Ioannis Baptiſtæ die* 24. *Iunij ad ſonum Campanæ mediæ noctis debet ire ad ponendam manum in aquam canalis, & primam rem, quæ occurret manui ſuæ, illam retineat, & conſideret qualis ſit, puta, ſi ſit lignum, vel tabula, vel corda, vel hirundo, vel piſcis, vel panis, vel quid aliud, (dicunt iſti ſuperſtitioſi) talem artem exercebit futurus eius maritus.*

2. *Similiter eadem nocte S. Ioannis Baptiſtæ illa Adoleſcentula, quæ ſcire cupit, an bonum, vel malum experietur cum futuro marito, qui ſibi à caſu contingent; ſeminat grana frumenti in aliquo vaſe, & ponit illud in loco ſecreto vſque ad diem Viſitationis Sanctæ Mariæ Eliſabet; deinde illud prodit in lucem, & tunc ſi fortè ſit aliqua frumenti planta rubea, tunc diuinat, quòd vel maritus, vel ipſamet vxor breui morietur, quia (dicunt iſti diuinatores) ille color indicat candelas, quæ ad funeralia accenduntur: Sic etiam ad dictam frumenti plantam ſi fuerint coniunctæ quædam guttæ aquæ, dicunt; lachrymas indicare. Pariter ſi planta frumenti fuerit pulchra, & recta, talis, aiunt, erit futurus maritus: ſi verò fuerit deformis, & obliqua, talis dicunt erit futurus maritus.*

3. *Aliæ eadem nocte aurora naſcente aperiunt feneſtram, & dicunt quædam verba, & quieſcunt, & obſeruant primum verbum, quod audiunt proferri à tranſeuntibus, ac dicunt, quòd tale erit nomen ſui futuri mariti, vel audiet de moribus loqui, & tales, aiunt, erunt futuri mariti mores.*

At quis non agnoſcat huiuſmodi obſeruationes eſſe ſuperſtitioſas, & à dæmone adinuentas ad infirmandam Diuinam Prouidentiam, quæ omnia ſuauiter gubernat, prout Creaturæ maximè vſu rationis præditæ ſeſe illi ſubijciunt, & ab ea omnia ſua bona recognoſcunt. Nec non ad tollendam arbitrij libertatem, ita vt operationes, quæ liberæ ſunt, & à libertate arbitrij dependent, volunt iſti ſuperſtitioſi ad poſitionem rei prorſus vanæ caſualem neceſſariò, & infallibiliter euenire; quo quid peius.

§. VI.

Qvidam oua gallinæ, quæ naſcuntur in die Paraſceue ſpecialem vim habere credunt ad eſtinguenda incendia, ſi in ignem inijciantur, ideò illa toto aſſeruant anno. 228 *Paraſceuè.*

At quæro, vis hæc naturalis ſit, nec ne? Si naturalis: vnde habetur? à die, vel à matre? quis hoc aſſerat? nam quid abſurdius? Nulla enim gallinæ prærogatiua tunc præcipua competit: cum dies illa ſit mobilis, ideſt, variabilis; ipſa verò natura inuariabilis, ad vnumquè determinata. Nec à parte diei, qua naturalis; quia nec orbes, nec ſydera aliquid ſingulare influunt. At fortaſſe vis illa ſupernaturalis erit, nempè à die, qua ſanctus eſt? Sed ſi vis aliqua ſanctitati diei aſcribenda eſt, eadem quoquè attribuenda erit ouis gallinæ ortis diebus Natalis Domini, Reſurrectionis, Penthecoſtes, Aſſumptionis Deiparæ; quia hæc quoquè ratione myſteriorum forent ſancta, & ſic pro varietate myſterij ſanctioris, & minus ſancti; variaretur virtus ouorum gallinarum, quod toto cælo eſt negandum. Speciali, inquient, priuilegio. Dic quæſo, vndè noſti? cui, & quando conceſſum? Conſtat experientia, dicent. Sed illa fallax, & vndè certus es, non ex pacto effectum naſci? Deuotio perſuaſit: dicet alius. Sed non bona deuotio, quæ cum ſcandalo coniuncta, quæ merito ſuſpecta, quæ anilis, quæ ſingularis, quæ nullo Eccleſiæ, vel traditionis munita ſuffragio, vt benè diſcurrit Delrius *Diſquiſ. magic. lib.3.par.2.q.4.ſect.6.* Quamuis deuotio, & bona fides agentis excuſet in foro conſcientiæ à peccato; non tamen efficit, vt habeat vim, quam de ſe non habet. Sic teſtatur etiam Ignatius Lupus *3.p.Edicti S.Inquiſit.lib.15.diſt.3.art.1.diffic.2.*

§. VII.

Alij obſeruant quoſdam dies, puta, diem Beatæ Magdalenæ, diem lunæ &c. vt infauſtos, vel vt fauſtos ad iter, aut rem aliquam inchoandam. Item cum manè ſurgunt, primò induerint calceum, vel femorale dextrum, an ſcæuum, aut quo pede primùm tangant terram, vel domo egrediantur; & quæ huiuſmodi nugatoria, quos proculdubio, conſtat, peccare hoc genere ſuperſtitionis, vt habetur *ex cap. quis æſtimaret.* 26. *quæſt.7.* 229 *S.Maria Magdalenæ. Diei Lunæ.*

Huc referendi ſunt, qui certis diebus olera ſcopis tangunt nè ſciniphes, erucæ, campe, vel alia inſecta noceant.

Qui nolunt vngues præſcindere, die Veneris, vel nere die Sabbathi, cum interea non abſtineant in honorem Deiparæ à cæteris operibus ſeruilibus.

Qui credunt, maiorem virtutem ineſſe aquæ benedictæ Dominicis ſequentibus quatuor tempora, quàm alijs ad ſpeciales quoſdam effectus conſequendos.

Sanctus verò Auguſtinus epiſt.119. cap.7. *eos inculpat, qui dicunt: Non proficiſcar, quia poſterus dies eſt, aut quia luna ſic fertur. Vel proficiſcar, vt proſperè cedat, quia ita ſe habet poſitio ſyderum. Non agam hoc menſe commercium: quia illa ſtella mihi agit menſem. Vel agam, quia ſuſcepit menſem. Non plantabo hoc anno vineam, quia biſextus.*

§. VIII.

230 *Has vanas obſeruantias, vt ſuperſtitioſas deteſtatur*

AT quis non videat, huiuſmodi obſeruantias eſſe meras nugas magicas à dęmone inuentas, vt rudes decipiat, ſuperſtitioſos illaqueet; & à recto cultu omnes diuertat? Sed quæſo, ſi quis dies infortunatus, vnde? Ex aſtrorum, reſpondent, influxu, & poſitura. Verùm hæc eſt alia, atquè alia ſingulis annis: nec eadem illo eodem die. Fusè hoc phyſicis rationibus refellit Ciruelus *p.3.c.6.* qui poteſt conſuli. Hos ſuperſtitioſos iuremeritò deteſtatur, arguit, & increpat D. Paulus ad Galat. 4. dicens: *Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo, vos, nè fruſtra laborauerim in vobis.* Quæ verba explicans D. Ambroſius ait:

D. Paul.

Dies obſeruant, qui dicunt vt puta, craſtino proficiſcendum non eſt: poſt craſtinum enim non debet aliquid inchoari, & ſic ſolent magìs decipi. Hi autem colunt menſes, qui curſum Lunæ perſcrutantur, dicentes, v.g. Septima luna inſtrumenta confici non debent: Nona luna ſeruum emptum, ver. gr. domum ducere non oportet, & per hæc faciliùs ſolent aduerſa prouenire. Tempora verò ſic obſeruant, cum dicunt: Hodiè veris initium eſt, feſtiuitas eſt; poſt cras Vulcanalia ſunt. Et talia iter aiuntum. Poſterum eſt, domum egredi non licet. Poſterum ſignificat aduerſum, & præpoſterum, quaſi elapſa commoditate ſerum. Annos ſic colunt, cum dicunt: Kalendas Ianuarij nouus eſt annus (vt dictum eſt ſupra de Aegyptijs, & paganis) quaſi non quotidiè anni impleantur; Sed vt Iani illius memoriam recolant bifrontis, hac ſuperſtitione vtuntur, quæ longè debet eſſe à ſeruis Dei. Si enim Deus ex toto corde diligatur ipſo propitio, nulla debet eſſe formido, nequè ſuſpicio harum rerum. Proſperè enim poteſt cedere, quicquid ſimpliciter ſub Dei deuotione fit. Hæc Ambr.

231 *Theologi omnes.*

Hos item fatentur, & improbant D. Th. 22. *q.95. art.3. in corp.* Martin. Delrius *Diſquiſit. magic. lib.3. par.2. q.4. ſect.6* Suarez *de Religione tom.1. lib.2. c.2.* Torreblanca *de magia lib.1. cap.27.* Sanchez *in ſumma lib.2. cap.4. n.15. & 16.* Ioan. Ægydius Trullench *in Expoſit. Decalogi lib.1. cap.10. num.14.* Ioan. Nider *in decem Præcepta, Præcept.2. num.48.* Raphael de la Torre *diſp.3.* & nuper Ignatius Lupus *par.3. Edicti S. Inquiſit. lib.15. diſt.6. ar.1. diff.3. & 4.* poſt Carenam *de off. S. Inquiſ. p.2. tit.12. §.13.*

§. IX.

232 *Aliæ dierum vanæ obſeruantiæ ad ſanitatem cõſequẽdã*

HVc referri poſſunt, qui ad ſanandum ægrotum, ducunt eum feria ſexta, idq. continuis tribus diebus ante ſolis ortum verſus orientem, & expanſis ad ſolem brachijs quædã proferunt verba.

Contra dolorem dentium: Tempore miſſæ tangunt dentes, & quendam in Euangelio paſſionis verſiculum dicunt.

Contra dolores: Nocte S. Thomæ præcipiunt, filum torqueri à puella virgine; & ex eo funes ſubtiles perficere; & manè valdè diluculò occidunt ſuem, & in vulnere intus ponunt illos funes. Deindè audiunt miſſam S. Thomæ cum pluribus alijs obſeruantijs vanis, & ridiculis.

Ad ſanandos pueros ab hernia: Nocte Sancti Ioannis Baptiſtæ diuidunt, ſeù potiùs aperiunt arbuſculum tenellum nuceum; idquè cuneis apertum tenent, dum per ipſum tranſire faciunt puerum: interim admurmuratis certis verbis.

Ad ſanandos equos à lumbricis. Die Veneris, aut Dominico ponunt equum contra ſolem dicentes certo numero Pater noſter, & Aue Maria cum quibuſdam ſignis, eiquè porrigunt fruſtum panis cũ certis verbis in eo ſcriptis.

Ad cognoſcendos fures.

Ad inueniendum furem. Ante ſolis ortum die Sabbati ramum auellanum abſcindunt dicentes: Ego te ramum huius æſtatis reſeco, &c. *in menſa ſternitur tegumentum additis, & aliquot vicibus repetitis dictis verbis cum certis alijs obſeruantijs.*

Quas omnes dierum obſeruationes vanas eſſe ridiculas, ſuperſtitioſas, & à dæmone inuentas, nemo eſt, qui ambigat.

§. X.

INter has autem ſuperſtitioſas temporis obſeruãtias non eſt connumerandum vllo modo id, quod communiter fertur de anno climactarico, quem homini lethalem eſſe dicunt; ac de octimeſtre partu, quem minimè vitalem eſſe ferunt. 233

Inter has non eſt connumeranda obſeruãtia Partus octimeſtris

Quòd enim partus octimeſtris nequeat viuere, contingit, quia ſemen humanũ multiplex eſt. Quoddam enim perficit fętum ſeptimo menſe; & tunc fętus poſt ſextum menſem conatur exire; quòd ſi non reperit magnam reſiſtentiam, tunc validus exit, & robuſtus. Si verò reperit; continua illa menſis pugna debilitatur, & octauo menſe debilis, atquè inualidus admodum prodit in lucem.

Ratio huiuſmodi redditur.

Aliud ſemen perficit fætum nono tãtùm menſe; & tunc fætus ante hunc menſem non conatur exire; ſoletq. adeò robuſtus eſſe, vt impedimenta cuncta contraria vel ei non reſiſtant: vel per reſiſtentiam, quando mater vterum fert diutiùs, non admodum debilitetur, ſic teſtatur Hippocrates *l. de Octimeſtri,* quem ſequuntur Fabius Paulinus *l.6. Hebdomad. c.4.* Andreas Laurent. *l.8. hiſt. Anat. c.9. & q.30.* & alij.

Quod verò aſtruitur de annis Climactericis, quis audeat ſuperſtitionis incuſare? Eadem enim de his ſicut de cricitis diebus ratio militat. Nam ſicut ad ferendum iudicium de infirmitate natura dies conſtituit criticos, ſeù iudiciarios, ita ad iudicandum de protractione vitę ordinauit annos climactericos, ſi in ipſis alicuius ſpecialis vigorationis, vel deſtitutionis detur. Quorum ratio à priori hæc eſt. Dierum criticorum, vt tradit Andreas Laurent *lib.3. hiſt. Anat. c.13.* duę ſunt cauſæ: Materialis vna: Efficiens altera. Materialis eſt quilibet humor noxius quantitate, vel qualitate peccans. Efficiens duplex, vniuerſalis, & particularis. Vniuerſalis, & remota eſt cęlum, cuius vires ferè omnes excipit, & nobis communicat. Particularis, & propinqua eſt ipſa natura, quam Hippocrates vocat calorem inſitum. Galenus facultatem corpus diſpenſantem: Alij temperiem, ſiuè ſpiritum vocant, quæ ſic motiones ſuas ſtatis circuitibus perficit, quaſi ratione vteretur. Quòd ſi aliquando errat, id à materiæ vitio procedit, eam contumacia ſua vincentis. 234

Anni climacterici.

Ratio huius redditur.

Itaquè quòd tardior, vel celerior ſit criſis, id partim materiali, partim efficienti cauſę tribuendum. Si enim humor ſit temperamento calidus, ſubſtantia tenuis, & qualitate benignus, faciliùs à natura domari, celeriùs coqui, & excerni. Si craſſus, frigidus, & contumax, difficiliùs. Item à validiore natura citiùs, à debiliore tardiùs coqui.

Quòd autem nunc pari, nunc impari die contingat criſis, id à ſola materiali cauſa prouenire,

nempè

nempè peculiari humoris cuiuſquè motu; bilem tertiò quoquè die moueri; pituitam quotidiè: melamcholicum humorem quarto die: Ergo biliosi morbi omnes debent imparibus iudicari diebus: cęteri verò ex paribus, quia iiſdem diebus morbi iudicandi, quibus mouentur.

Quemadmodū ergo dies critici intrinſecè à cauſa efficiente particulari, nempè natura, niſi impediatur ab aliqua cauſa, inſitam habet vim immutandi, ſeù alterandi corpus humanum, & morbum indicandi: Itá anni climacterici eandem à natura virtutem conſequuntur; qui ſi non indicant, id ex eorum natura non prouenit; ſed per accidens, puta, à materiæ vitio ſua contumacia naturam peruertentis.

§. XI.

235 PRæterea ſicut dies critici quamuis à die morbi incipiant, & in quolibet die natura aliquam faciat mutationem in corpore humano: interdum ad meliorem ſtatum: interdum ad deteriorem; nihilominùs ſeptenarijs tantùm perfectæ, & ſalutares criſes perficiuntur: quia natura, quæ cauſa eſt efficiens, definitum ſibi elegit tempus, quo motus ſuos, & criſes perficit; vt inquit dictus Andr. Laur. Tempus verò illud ſola experientia docet, ſeptimo die, decimoquarto, vigeſimo perfectas, & ſalutares criſes ſemper contingere, eo modo, quem tradit Galenus *lib. 3. de diebus Decretorijs, ſeù criticis, cap. 9.* Itá anni Climacterici, quamuis incipiant à primo ſeptenario ſexto expleto, & climacterici ſint ſinguli ſeptenarij: quia natura in quolibet facit mutationem aliquam in corpore humano, interdum ad meliorem, interdum ad deteriorem, potiùs tamen ad deteriorem, pro ratione cuiuſquè temperamenti. Nihilominus inter hos ſeptenarios tres ſunt præcipuè climacterici, videlicet, quadrageſimus nonus, quinquageſimus ſextus, & potiſſimùm ſexageſimus tertius; qui reſpectu aliorum à Medicis, Philoſophis, & Aſtrologis climactericus nuncupatur, quia magis periculoſus eſt. Nam climactericus apud Græcos idem importat, quòd periculoſus. Vndè anni climacterici ſunt periculoſi; ſed maximè ſexageſimus tertius, ſi infirmus viribus deſtituatur: Sicut etiam dies critici, ſi in illis ægrotus mutetur in deterius. Magis, magiſquè augetur periculum, ſi concurrant etiam cauſæ efficientes vniuerſales, nempè Planetæ malefici. E contrà verò ſicut dies criticus dicitur bonus, quando infirmus in illo reaſumit vires, ita cognoſcitur bonus annus climactericus, ſi homo climactericus benè ſe habeat (illo anno exiſtente) & à fortiori ſi vigoretur, vt benè teſtatur Codroncus *de annis climactericis lib. 1. cap. 11.*

Cur autem ſeptenarium potiùs, quàm alium numerum ſibi pro delicijs elegerit natura, fatetur præfatus Andreas Laur. id altioris eſſe contemplationis; & theologicam reddit rationem: *Hoc ideò factum* ait: *quia rerum omnium Parens, & Creator Deus eam Naturæ legem impoſuit. Nam & diei ſeptimo benedixit Deus, & cum filijs Iſrael tanquam celebratiſſimum commendauit; & ſeptimo die poſt abſolutam Vniuerſi iſtius, quod oculis cernimus, creationem, quieuit ab operibus ſuis.*

Quare ſicut non eſt ſuperſtitioni aſcribenda obſeruantia dierum criticorum; vt ſupra diximus, cum hæc à natura habeatur: itá nec annorum climactericorum, quia ſpecialis mutatio, quæ tunc contingit, eſt abſolutè naturalis; quod præcipuè de anno ſexageſimo tertio probant Arithmetici, Aſtrologi, Medici, & Experientia ipſa: vt ex eo, quid de alijs climactericis ſit ſentiendum comprehendatur, vt latè oſtendit Lupus *part. 3. Edicti S. Inquiſit. lib. 15. diſt. 6. artic. 2. diffic. 1.*

ARTICVLVS II.

Ominum.

§. I.

QVamuis Ominoſæ obſeruantiæ ad ſcientiam euentuum obſeruatricem ſpectare videantur, de qua egimus *diſp. 3. to. 1. n. 202.* quæ non differt à Diuinatione; niſi quòd in hac homo ſigna, vndè diuinet, & notitiam futurorum quærat de induſtria, & quaſi ex inſtituto: In illa verò nequaquam; ſed ea ſumat ex ijs, quæ fortuitò accidunt. Attamen, quia ibi de obſeruantijs agitur præcipuè prout concernunt cognitionem, & dirigunt quaſcumquè in genere operationes, neceſſarium duxi, de ijs hic articulum texere, prout ad ſuperſtitioſas curationes ſpectant nempè ad morbos tollendos, auertenda infortunia, & mala futura præcauenda: de quibus, noſtrum inſtitutum eſt, differere in hac diſputatione. Omē ergo *eſt auguriū, quod fit ore, quaſi oremen*, teſte Feſto, & Varrone, *quo quis obſeruatis, & notatis hominum dictis, vel factis ob alium finem, & cauſam fortuitos eorum caſus lætos, aut triſtes: infauſtos, aut proſperos certò diuinat.* 236

In omine homo futurorum ſigna ſumit ex his, quę fortuitò accidunt

Quid ſit omen.

§. II.

QVorum ominum alia dicuntur ex nomine: hinc dictum illud, quod narrat Glycas *Annal. p. 3.* de Auguſto, eum Nicopolim vocaſſe, quam extruxerat vrbem, & ibi hominis, ac aſini ſtatuas æneas locaſſe, eò quòd ea nocte, quæ Actiacam pugnam præceſſit, in hominem inciderat, qui aſinum agebat, cumquè illius de nomine ſciſcitatus fuiſſet: *Mihi quidem*, reſpondit ille, *nomen eſt Eutyches (hoc eſt felix) aſino verò Nicon (hoc eſt victor.)* 237

Omen ex Nomine.

Sic L. Paulus Conſul, cum bellum gereret cum Perſio Rege, & domum è curia regreſſus, filiolam ſuam nomine Tertiam oſculatus eſt, & cum eam triſtem animaduerteret, interrogauit; quòd itá eo vultu eſſet; quæ reſpondit: *Perſium perijſſe.* Deceſſerat autem catellus, quem puella in delicijs habuerat, nomine Perſius. Arripuit igitur omen Paulus: & eo fortuitò dicto, quaſi certam ſpem clariſſimi triumphi præſumpſit: itá refert Cicero *lib. 1. de diuinatione*, & Valerius Maximus *lib. 1. cap. 5.*

Non abſimile omen narrant de Petilio quoq. Conſule, qui in Liguria bellum gerens, cum montem, cui lethum cognomen erat, oppugnaret, inter adhortationes militum dixit: *Hodie ego lethum capiam*, qui inconſideratiùs præliando fortuitum iactum vocis letho ſuo confirmauit.

Ab his antiquis ominatoribus non longè diuerſi ſunt multi noſtri temporis ſuperſtitioſi, qui ex varijs nominibus, ac vocibus tùm hominum, tùm animalium ominare prę́ſumunt.

Quidam fauſtas, aut infauſtas nuptias futuras præſagiunt ex prima, aliqua voce humana audita.

Aliæ futurorum maritorum nomina diuinant: puta, ſi prima quæ audiatur vox: Lælius *dicatur, virum ſibi futurum Lælium nomine certò credunt. Idem què de cæteris nominibus credere ſolent.*

Quidam cum audiunt picam vociferantem circa ædes alicuius, mortem prædicunt breui imminere.

Alij, quia canem audiunt vlulantem, peſtem præſagiunt, vel etiam mortem alicuius illius domus. Vel ſi coruus tecto inſidens crocitauit.

§. III.

238 A*lia omina ducuntur ex ijs, quæ fortuitò domi accidunt. Vndè alij omnia ſibi ſiniſtra euentura prænunciant, ſi pedem ſiniſtrum priùs caſu domo extulerint. Ideò Auguſtus Cæſar teſte Plinio* lib.2.cap.6. *læuum ſibi calceum præpoſterè indutum prodidit, qua die ſeditione militari propè afflictus eſt.*

Ex his, quæ fortuitò domi accidunt.

Non ſunt ſilentio prætereunda illa omina, quibus ſolent mulierculæ apparente die ſacro Ioannis Baptiſtæ lecto ſurgere, feneſtras occupare, & primam vocem tranſeuntis hominis attentis auribus expectare; & ſi lætum aliquod verbum audierint, læta omnia eo anno; ſi triſte, triſtia omnia ſibi futura certò coniectant.

Quidam omina ducunt: ſi introiuit in ædes ater alienus canis: vel anguis per impluuium decidit de tegulis, vel vt hodiè multi peccant, ſi ſalinum euerſum; vinum effuſum, ſi crebriùs, vel rariùs in menſa ſternutatum, ſi ad menſam conuiuæ ſunt numero tredecim; ideò herus præcipit, vnum ſurgere, ne prænunciet manens alterum Iudam traditorem: Si quod in conuiuio verbum triſtrius pronunciatum: Si quis crus cruri impoſuerit.

Nonnulli ex oſcitatione, ac ſternutatione omina deſumunt. Vndè alij conſueuerunt ad lectum redire, ſi dum calceos pedibus amouent, oſcitauerint, aut ſternutauerint.

Hùc referenda ſunt ſternutamenta, quæ apud Gentiles aliquando fauſti, aliquando infauſti ominis erant. Hinc Themiſtocle ad aras ſacrificante, refert Plutarcus in vita ipſius, *à dextera ſternutans homo augurium fecit, quo præcipui captiui immolarentur. Et Xenophonte ad milites concionante, vt ipſe teſtatur* in lib.6. *ſternutans quidam omen fecit feliciſſimum; ita vt totius dux militiæ crearetur. Hinc apud veteres, ait Plinius* lib.28. c.2. *religio fuit in ſternutamentis bonum omen, & ſalutem precari. Vnde mos initium ſumpſit, vt tradit Leonardus Vairus* de Faſcino lib. 2. c.31. *vt ſternutatio bonæ valetudinis index habita ſit; & ſternutantes paſſim ſalutentur, prætermiſſo eo, quod peſtilentiæ tempore accidiſſe fertur, quòd ſimul atquè aliquis ſternutabat, illicò mortuus concidebat.*

Simili etiam pacto oſcitantes ex religione quadam ſibi timere conſtat; quòd oſcitatio ex ſomno; vel tedio ſequi conſpiciatur; indè fit, vt oſcitantes illicò ſigno crucis os muniamus. De quibus multa refert exempla Valerius Max. lib.1.c.4.

§. IV.

239 Alia ducuntur omina ex his, quæ extra domum, ſeù in vna via euenire ſolent. *Quidam domo egreſſi ſolent, ſi pannoſum aliquem pauperem, aut ſi religioſum hominem primo curſu, aut ſummo mane offenderint, certo diuinare, nihil eo die euenturum.*

Ex his, quæ extra domum eueniunt.

Alij, vt refert D.Chryſoſt. homil. 21. ad Populum Antiochenum, *omnibus ſequentibus vacare ſolent: Sæpè domum quis ſuam egreſſus hominem videt monoculum, vel claudicantem, & ominatus eſt. Et poſtea ſi virgini occurreris, ſterilis dies erit; ſi verò meretrici dextera, & plena, & multa mercatione plena.* Mox, vt par erat, in hanc dementiam iauehitur: Nam quid eo abſurdius?

Alij domum redeunt, ſi cum ſummo mane egrediuntur, crucis ſignum, aut funus, vel aliquid ſimile inſpexerint. Vel ſi veſtem ſorices tetigerint, aut polluerint mures. Vnde illud eleganter dictum eſt Catonis, qui cum eſſet conſultus à quodam, qui ſibi eroſas eſſe caligas diceret à ſoricibus; reſpondit, non eſſe illud monſtrum; ſed verè monſtrum horrendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur.

Alij domum reuertuntur, ſi cum primo mane exeuntes puerum obuiam habuerint, aut pedem in limine offenderint. Vndè hoc de marito Laudomia ſcribit:

Cum foribus velles ad Troiam exire paternis
Pes tuus offenſo limine ſigna dedit.
Vt vidi ingemui, tacitoquè in pectore dixi,
Signa reuerſuri, ſint, precor, iſta viri.

Nonnè etiam de ſeipſo Tibullus cecinit?

O quoties ingreſſus iter mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem.

Quidam ſonitum ſpontaneum auris dextræ, vel ſiniſtræ obſeruant; vt ſi hæc tintinet, inimicum ſi illa, amicum noſtri, putent, memoriam tum recolere. De quo Ariſtenetus in epiſtola amatoria *ait:* Nonnè auris tibi reſonabat, quando tui lachrymans recordabar? *Alicui hùc pertinere videtur illud Lesbiæ Vatis à Veronenſi conuerſum.* 240

Ex ſonitu auris.

Sonitu ſuoptè Tintinant aures.

Et apertiùs incertus quidam, ſed antiquus, inter Catalect. Virg.

Garrula, quid totis reſonas mihi noctibus auris?
Neſcio quem dicis, nunc meminiſſe mei.

Quod referri ad amantium ſympathiam, aiunt, ſed nimis longè petitum.

§. V.

N*onnulli ex actionibus: ut de Cæcilia Metelli narrat Cicero* lib.1. de Diuinatione. *Cum enim ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare uellet; & ominis captandi gratia in ſacellum quoddam ſeceſſiſſet, nequè cum aliquandiù perſediſſet, aliqua uox audita fuiſſet, quæ propoſito deſeruiret; puellaquè interim longa ſtandi mora defatigata, rogaſſet materteram, ut in eius ſella paulùlum requieſceret, illaquè dixiſſet:* Ego tibi meas ſedes libenter concedo, *omen res ſecuta eſt; Nam ipſa breui mortua, uirginem in uxorem Metellus duxit.* 241

Ex actionibus varijs.

Nonnulli, quia obuiam venit lepus iter tranſuerſo ſaltu velut dirimens; mali aliquid inſtare ominantur. Vel lupum, capram, aut aliud animal in via viderunt.

Suntquè aliæ id generis innumeræ obſeruationes inaniſſimæ: de quibus latè tractant D Auguſt. *lib.1. de doctr. chriſt. c.* 20. D.Chriſoſt. *hom.* 11. *ad Populum*

lum Antiochen. Petrus Bleſenſis *epiſt.65.* Franciſcus Picus Mirand. *lib.6. de pr𝔞notion.c.5.* Michael Medin. *de recta in Deum fide lib.* 1.*c.*2. Benedictus Pererius *in c.24. Geneſ.diſput.6.* Iulius Sirenius *lib.9. de Fato c.21. & 22.* & Delrius *Diſquiſit. magic. lib.3.q.4.ſect.4.*

§. VI.

242 QVas ominoſas obſeruantias prorſus vanas, inutiles, ac ſuperſtitioſas eſſe, nemini ambigendum; idcircò damnatas eſſe *in c.illud. 26. quæſt.2.*

Prædictæ obſeruantiæ damnantur iure canonico.

Ratio præcipua eſt: quia cum omina certam nullam cauſam habeant; ſed à caſu planè dependeant, in contrarios ferè ſemper euentus rapi poſſunt. Exẽplo ſit illud Anchiſæ apud Virgilium, qui, *viſos equos ſpem pacis*, ait, *facere, & bellum minari.* Huiuſmodi enim ſigna vana non à natura ſunt procreata: vt fumus ſignans ignem: nequè à Deo, conſtat, inſtituta, nequè ab hominibus; cum futura contingentia nequeant præſcire, quorum euentus dependet à voluntate hominum, quæ ſemper mutabilis, atquè variabilis; ergo à dæmone procedit, qui talia perſuadet, vt mentem hominum implicet, & à diuinæ Prouidentiæ diſpoſitione auertat. Ideòquè in hac vana obſeruantia idem eſt genus peccati, quod in augurio; ac ſubindè ex ſuo genere eandem habet grauitatem; licèt ex ignorantia poſſit eſſe veniale.

Fieri etiam poteſt, vt aliquis non præbeat definitum aſſenſum de futuro effectu ominato; ſed ſolùm quòd ex vano quodam timore concepto: vel alia ſimili leui voluntate ceſſet ab actione: vel aliam inchoet, &c. At ſi quis definitè credat, futurum triſtem euentum, quem præſagit ſolùm propter vanam obſeruationem, non poſſumus peccatum illud à malitia graui excuſarę: vt rectè docet Suarez *de Religione lib.2. de ſuperſtit.c.10.* niſi maxima ſit ignorantia, & ruditas perſonæ. Hoc enim vitium prohibetur, vt docet Caietanus 2.2.*q.95.a.2.* quia malum, & non è conuerſo; & ſi prohibetur, quia malum, apertè ſequitur, eſſe intrinſecè malum: quia non aliundè, quàm ex propria materia, & conditione deformitatem habet.

§. VII.

243 NOn denegamus tamen, aliquando dicta, vel facta hominum talia fuiſſe, vt diuino impulſu, & afflatu futuros rerum euentus præſignificarent: *vt Geneſis 24.* accidit in ſeruo Abrahæ 1.*Regum* 14. In Ionatha. *Iudicum* 7. in Gedeone. *Ioannis* 11. in Caipha Pontifice. De quibus latè D. Th. 2.2.*q 95.art.7. ad 3.* & Suarez *loco citato n.7.* Nec ſolùm hominum dicta, vel facta; ſed etiam ipſorummet irrationalium actiones diuina diſponente Prouidentia futuros euentus præmonſtrare ſolent. Quod probat exemplum relatum à Leonardo Vairo *lib.2. de Faſcino c.14.* de Cænobio S. Mauritij, quod in confinibus Burgundiæ propè fluuium Rhodanum ſitum eſt, in quo viuarium eſt: vbi iuxta numerum Monachorum, piſces ponuntur, ex quibus Monachis, cum aliquis ægrotauerit, piſciculus quoquè ſemiuiuus ſupernatare in viuario cernitur, quòd ſi Monachus è vita migraturus ſit, paucis ante diebus piſcis moritur, & hoc à teſtibus fide dignis ſe accepiſſe affirmat.

Aliquando tamẽ Vel Dicta, Vel Facta diuino impulſu aliquid ſignificant

Quinimmo per ipſa inſenſibilia vult Deus quandoquè pro hominum vtilitate futura prænunciare. Narrat idem Vairus *loco citato* in Regnis Hiſpaniæ in oppido Vililla nuncupato Cæſarauguſtanæ diæceſis campanam quandam eſſe, quam miraculorum appellant; quæ per aliquot menſes antequam aliquid aduerſi in Chriſtiana Reipublica contingat, ex ſeipſa nemine impellente pulſatur. Cuius rei teſtimonium per publicos tabeliones teſtibus pluribus adhibitis proprijs oculis fatetur ſeipſum legiſſe præter fidem, quam de eadem re illius Regni Proreges ſuis literis faciebant.

Sic quandoq. ſunt actiones etiam irrationalium.

§. VIII.

QVid dicam de comato ſidere, quod fantur mortis Principum eſſe omen. Siquidem eiuſmodi comatorum ſiderum ortus nihil aliud eſt, quàm calida, & ſicca impreſſio in tertia aeris regione genita propè ſphæram ignis ex calido, & ſicco vapore ſolis virtute eleuata: globus verò illius vaporis ſic vnitus ſtellę corpus videtur: partes autem illius vaporis diſcontinuatæ circa globum illum, & in longum protenſę in ſuis extremitatibus illi globo coniunctæ quaſi eius comæ ſunt. 244

Sic comatũ ſidus. Quid ſit Quomodo formetur.

An autem huiuſmodi comatum ſidus mortem Regum ominetur diuino iuſſu: an virtute naturali quis definiat?

Si enim virtutem conſideremus naturalem: Dicimus: quod vehemens, & inordinata ſiccitas, & caliditas comati ſideris ortum comitari conſueuit. Et quia, vt plurimum Reges, Principes, diuites, ac magnates calidis, & ſiccis cibis aluntur, nihil niſi cum pipere, Zinzibere, croco, cinnamono, & alijs aromatum ſpeciebus veſcendo. Hinc vſu venire ſolet, vt plurimi ex illis eo tempore intereant. Ariſtoteles autem *in lib.Meteor.* ventos validiſſimos, ac terræmotus futuros ex comati ſideris ortu præmonſtrari aſſerit. Cuius rei ratio reddi poteſt. Nam cum eiuſmodi comatum ſidus generatur, accidit, vt aliqua illius exhalationis pars in interiori terræ parte commota obductis poris terræ ob internum frigus concludatur, & intercipiatur; & ex ea incluſa materia, & ex vi ſua in multitudinem redacta per anthipariſtaſim terræmotus fiat. 245

Quid prænunciet Naturaliter

Eadem ratione maris inundationem prænunciat. At ſi interdum fructuum egeſtatem, legum mutationes, Regnorum translationes, lites, rixas, iurgia, & contentiones comata ſidera prenunciare ſolent: vel fieri poteſt, quia ob ſiccarum, & calidarum exhalationum eleuationem homines furioſi, & non ſanæ mentis à cholerico humore prædominantur: uel quia dæmones Deo ſic permittente ad maleficorum preces, ac uota ob hominum peccata punienda eiuſmodi agere, ac procurare conſueuerunt.

§. IX.

AT ſi diuinę Prouidentiæ contemplemur diſpoſitionem, non immeritò fatetur, comata ſidera ità Regum, ſicut ruſticorum interitum portendere. Deus namquè immortalis, cum aliquid diri, uel aduerſi ob mortalium ſcelera punienda in mundum eſt immiſſurus, id portentis, & prodigiis futurum oſtendere, uenturaſquè calamitates ſignis, miniſquè cæleſtibus præmonſtrare conſueuit: ut qui legendis hiſtoriis uel mediocriter exercitatus ſit, iudicare poteſt. Hinc Dauid: *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus. Dediſti ſignificationem*, ideſt, ſignum, ſeù omen prænuncians futuras punitiones, ut per pænitentiam *fugiant* 246

Supernaturaliter

giant

giant à facie arcus, à diuinæ, nempè, iuſtitiæ ſeueritate, ad ſinum diuinæ confugientes miſericordiæ. Et D. Cyprianus: *Hortamur planè quantum poſſumus, vt quoniam Prouidentia Domini monentis inſtruimur, appropinquare iam certaminis, & agonis noſtri diem ieiunijs, vigilijs, orationibus inſiſtere cum omni plebe non deſinamus, incumbamus gemitibus aſſiduis, & deprecationibus crebris*. Hæc ſunt enim arma cæleſtia, quæ ſtare, & perſeuerare fortiter faciunt. Et ſubdit. *Nos, quod fidei, & charitati, & ſolicitudini congruebat, quæ erant in conſcientia noſtra, protulimus, diem certaminis appropinquaſſe; hoſtem violentum contra nos exurgere; pugnam non talis, qualis fuit, ſed grauiorem multò, & acriorem venire; hoc nobis diuinitùs frequenter oſtenditur: de hoc nos prouidentia, & miſericordia Domini ſæpiùs admonere dignatur*. Hæc ille.

§. X.

247 SEd quoniam ex Regum interitu Regnorum perturbationes oriri ſolent; & ex eo plurium vtilitates, vel detrimenta accidere poſſunt; atquè Deus præcipuam Regum curam gerit: hinc fit, vt de illis Angeli magis quàm de reliquis ſolliciti ſint eorumquè miniſterio comata ſidera Dei iuſſu aliquando gigni piè credere poſſumus, quò de venturis calamitatibus, ac perturbationibus præmoneantur: vt benè docet etiam Vairus *lib. 2. de Faſcino c. 14*.

His ergo omnibus iuſſu Dei peractis, quemadmodum cuilibet ſanè vtiliſſimum eſt rectè, ac prudenter vti ad ſe non tam à flagellis corporeis, cæteriſquè malis imminentibus protegendum, quàm à præſentibus animi infirmitatibus per contritionem, ac ſalutarem pænitentiam eripiendum, atquè ſanandum: Ita prędicatis, pernicioſiſſimum, fidem aliquam adhibere: cum nullam habeant cauſam ad tollendos morbos ſiuè præſentes: ſiuè imminentes: vel mala euitanda, infortuniaquè arcenda; ſed à caſu planè dependeant, & in contrarios ferè ſemper euentus trahi poſſint.

Quarè huiuſmodi cunctę vanæ obſeruantiæ, ſeù curationes ſiuè ſpectentur ſecundùm modum verbalem tàm ſignificatiuum, quàm non ſignificatiuum: ſiuè ſecundùm operatiuum tàm in actionibus, quàm in motionibus: ſiuè ſecundùm obſeruatiuum tàm temporis, quàm ominis: cum manifeſtè ſint inutiles, noxiæ, nugatoriæ, & ſuperſtitioſæ ex quadam peſtifera hominum, ac dæmonum ſocietate, quaſi pacta ſaltem implicita infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt Chriſtiano repudianda, ac fugienda.

CAPVT III.

Quoad Effectum.

248 QVamuis ſecundùm ordinem originis cauſæ natura notiores, ac priores ſint effectibus: cum à cauſis dependeant effectus; & ab effectibus naturaliter cauſæ ſupponantur. Nobis tamen ſecundùm eundem ordinem notiores, ac priores ſunt effectus: cum ſint ſenſibiliores ipſis cauſis, & à nobis priùs cognoſcibiles: Sicut & natura ſecundùm ordinem perfectionis ſunt priores, ac notiores: cum perfectiores ſint in entitate ipſis cauſis. Vndè faciliùs, & perfectiùs cognoſcimus, cuius ſpeciei ſint plantæ ex fructibus earum, puta tempore veris, æſtatis, & autumni; cum primùm flores, folia, & vberes edunt fructus iuxta illud *Matthæi 12.* in omnium catholicorum ore: *Ex fructu arbor agnoſcitur*; quàm tempore hyemis, cum frondibus, folijs, ac fructibus expertes quaſi ſiccæ, aridæ, ac mortuæ inſepultę iacent.

Cum effectus nobis notiores ſint, ac priores, ipſis cauſis, faciliùs deuenitur in cognitionem ſuperſtitioſæ curationis,

Magnam equidem notitiam hauſimus ſuperſtitioſæ curationis ex cognitione cauſæ, & modi. At vis, habeamus de hac re ſtatum, ac cognitionis complementum? A fructibus ipſius cognoſcemus eam. Intueamur effectum, quem producit, eius fætum contemplemur, & ſtatim cauſæ, ac matris qualitatem agnoſcimus. Clarum eſt enim, effectum ſiuè Phyſicum: ſiuè Hyperphyſicum qualitatem cauſę arguere: vt duæ ſequentes ſectiones declarabunt.

Si ipſius contemplemur Effectum Siuè Phyſicum. Siuè Hyperphyſicum.

SECTIO I.

Phyſicum.

NEmini rectè philoſophanti eſt ignotum, effectum illum phyſicum nuncupari, qui vires, ſeù actiuitatem cauſarum creatarum non excedit, quæ quidem cauſæ huiuſmodi phyſicum, ſeù naturalem effectum nequeunt producere, niſi mediante phyſica operatione, quæ requirit. 249

Effectus phyſicus eſt ille, qui non excedit cauſarũ creatarũ vires.

Primò, quòd agens maioris ſit efficaciæ, quàm patiens, ideſt, ſit fortius virtute reſiſtitiua paſſi; alioquin non ſequeretur operatio.

Secundò quòd patiens ſit tale in potentia, quale eſt agens in actu, dummodo agens ſit vniuocum, ens naturale, & corporeum.

Tertiò, quòd patiens magìs, vel minus patiatur ſecundùm quòd magìs, vel minus eſt diſpoſitum.

Conditiones ad phyſicã actionem requiſitæ.

Quartò. quòd patiens ſit approximatum ſuo agenti. Agens enim, & paſſum etiamſi ponantur in eſſe, non poteſt ſequi actio, ac paſſio, niſi approximentur, & ſe tangant ſaltem per medium; ità, quòd ſit ei immediatum immediatione ſuppoſiti, aut virtutis: vt latiùs explicatur *infra diſput. ſequenti num. 370. vbi de phyſica actione*.

Effectus ergo, qui per actionem huiuſmodi munitam conditionibus prodit in lucem, iuremeritò phyſicus appellari poteſt; nec de vlla valet damnari ſuperſtitione: cum à cauſa naturali naturaliter operante, merè procedat. 250

At quia experientia rerum magiſtra docet, dęmonem, qui non alio fungitur officio, non alij curæ, alijuè negotio intentus, nulli operi dies, noctesquè peruigil incumbit, niſi vt homines laqueis, retibuſquè ſuis implicet, ſæpè ac ſępiùs his phyſicis effectibus ad morborum curationes præcipuè ſpectantibus quædam vana, & inutilia admiſcere, quæ nullam ad eiuſmodi curationes obtinendas habent efficaciam: quinimmo ipſummet verſipellem mediantibus cauſis naturalibus phyſicos perſępè effectus operari. Ideo huiuſmodi curationem quandoquę ſuperſtitioſam etiam quoad effectum phyſicum ſiuè procedat à Cauſa naturali: ſiuè à Cauſa ſupernaturali dæmone: vt duobus articulis explicabitur.

Quia ſæpius dæmon operatur per cauſas naturales. Ideò curatio quandoque ſuperſtitioſa eſt quoad effectum phyſicum Siuè procedat à cauſa Naturali. Siuè Supernaturali.

AR-

ARTICVLVS I.

A Cauſa naturali.

§. I.

251 QVi phyſicos effectus à cauſa merè naturali prodeuntes condemnare vellet, totam medicinæ artem argueret, & inficeret. Sed quid abſurdius, ac pernicioſius? Quia tamen experientia edocti paſſim videmus, ab aliquibus præſertim in conferenda ſanitate, morbiſquè pellendis multa fieri cum corporum vtilitate, ac fructu; ſed per media, quæ de ſe non videntur totaliter efficacia; ideò nobis datur ſuſpicandi locus: an huiuſmodi effectus ſint merè phyſici, ac naturales à cauſa naturali prodeuntes: vel aliquid dæmoniaci operis habeant permixtum;

In phyſicis effectibus multa ſæpiùs admiſcētur, quæ illos ſuperſtitioſos reddunt.

Quare cum vnica non poſſit dari generalis reſponſio, quæ omnes iſtos curatores comprehendat. De ijs diſtinctim diſſeramus; quiduè vnuſquiſquè eorum recti, ac boni: quiduè ſuperſtitioſi contineat, explicemus.

252 Quidam enim ſunt, qui aliquibus herbis vtuntur medicinalibus habentibus re vera virtutem ad illos effectus, ad quos applicantur; & adeò ſunt efficaces, vt citiſsimè, & regulariter operentur: multum autem occultè, & inuſitatè. Et indè prouenit, vt curationes illæ vulgo exiſtimentur mirabiles. Et tunc clarum eſt, non interuenire peccatum per ſe loquendo: quia illa curatio non pertinet ad ſuperſtitioſam magiam; ſed naturalem.

Alij vtūtur remedijs occultis citiſſimè operantibus, licèt naturalibus.

Solent autem interdum hi homines tam occultè, & artificioſè his remedijs vti naturalibus, vt fine illis operari appareant; vt hoc modo in maiori æſtimatione, & admiratione habeantur; Et tunc quidem poteſt eſſe peccatum vanitatis: vel etiam auaritiæ: non tamen erit mortale, vt docet Suarez *de Religione lib. 2. de ſuperſtit. c. 15. num. 24.* niſi vel in iniuſtitiam tranſeat; vel ſcandalum graue indè generetur, inducendo homines, vt iudicent, illud fieri opera dæmonis: vel ſub illa ſpecie maiora promittendo, quæ ſupra virtutem ſint naturalium cauſarum, & parando viam ad opera ſuperſtitioſæ magiæ introducenda.

Quomodo peccēt.

§. II.

253 AT quis non videt, in his hominibus ſemper peccandi morale eſſe periculum; ideòquè non eſſe publicè permittendos; niſi clarè oſtendant Magiſtratibus Reipublicæ, & Inquiſitoribus: quibus herbis vtantur: & probabili aliqua via oſtendant, tales herbas talem habere virtutem.

An ſint à Magiſtratibus permittendi.

Poteſt autem contingere, vt virtus talis herbæ caſu cognita ſit: vel traditione accepta à peritiſsimis Medicis: Vel certè aliquando etiam poteſt eſſe à dæmone manifeſtata, non quidem illi, qui nunc ea vtitur; ſed alijs, qui præceſſerunt, & poſtea experimento cognitum ſit, dæmonem verum dixiſſe. Et tunc nullum erit peccatum, tali herba vti; quia ille vſus iam non fundatur in ſocietate dæmonis; ſed in virtute à Deo data, iamquè experimento cognita. Quòd autem illa cognitio occaſionem, vel originem ſumpſerit ex dæmonis doctrina, per accidens eſt. Ita rectè docet Victoria *Relect. 12. de Magia num. 15.* & Suarez *loco citato*.

Aliqui etiam credunt, interdum has virtutes reuelatas eſſe diuinitùs, vel apertè: vel per inſomnia: vt ex Plinio 2. *lib. 25. Natural. hiſtor.* Leonicus *in proemio ad lib. Ariſtot. de Præſentione per ſomnium*. Vndecumquè ergo talis cognitio traxerit originem, vſus virtutis cognitę per ſe licitus eſt, & non ſuperſtitioſus; niſi per accidens ratione alicuius circumſtantiæ adiunctæ: vt ſupra diximus.

Alij ſolo contactu ſanant morbos, ac præcipuè certis morborum generibus medentur. De quorum numero fuerunt Pſylli, & Marſi. Plinius enim ſcribit *lib. 28. Hiſtor. Natur. c. 3.* fuiſſe in Africa Pſyllos, ex quorum familijs qui ducebant originem, tales fuiſſe, quorum corpora tactu ipſo, ſuctuquè modico leuabant percuſſos à ſerpentibus; & quendam in dolium ſerpentium coniectum experimenti cauſa, circummulcentibus linguis illæſum penitus extitiſſe. Alios item, quorum ſudor medebatur multis morbis.

Alij ſolo contactu curant morbos.

Nec ſilentio prætereundum id, quod de Marſis narrat in Italia exiſtentibus, in quibus ineſt eadem vis; quòd ictu ſaliuæ, vt feruentis aquæ contactu ſerpentes fugant, ab eorumquè ictibus ſanant. Quòd ſi in fauces ſaliua penetrauerit, etiam mori coguntur, idquè maximè hominis ieiunioris. Idem refert *lib. 6. c. 2.* de aliquibus humanis corporibus, quorum aliquando partes aliquę naſcebātur ad aliqua mirabiles: ſicut, inquit, Pyrrhi Regis pollex in dextro pede tactus linoſis medebatur. Alia poſſent referri ex eodem Plinio, Solino, & Cardano.

§. III.

AT quæres: iſtæ curationes ſintnè effectus phyſici, & naturales: an ſupernaturales, ſeù hyperphyſici? Quis naturales dicat? Tactus enim quatenus tactus homini datus eſt ad proprię vitæ conſeruationem: nec vim habet aliam, niſi tangendi. Si verò vim aliquam habet huiuſmodi mira perpetrandi, vis illa, oportet, ſalutaris ſit natura ſua, vel noxia. Si ſalutaris, ſuo priùs corpori ſalutem afferret. Si noxia, priùs necaret eum cui ineſt. Horum tamen nihil cernimus contingere. Deindè in omnes æqualiter ageret, quos tangeret, ſanaretquè, vel læderet etiam quos nollet. Nulliſquè deniquè foret opus alijs obſeruationibus, ac ritibus, quæ cuncta videmus aliter ſe habere. 254

Tales curationes non eſſe naturales, probatur.

Sed dices, torpedinem ſariſſa ictam tenentis manum, corpuſquè totum torpefacere: Hyenæ vmbra canes obmuteſcere: Serpentem quernis contactam frondibus emori: Eandem Ibidis penna ſiſti: Viperam arundinis, vel faginæ virgulæ percuſſiones obſtupeſcere. Veſpertiliones folijs platani abigi; Eryngium capræ ſumptum ore greges totos ſiſtere. Cæteraſquè pennas aquilæ pennis mixtas contactu abſumi: Lepore marino viſo, vel tacto necari nonnullos. Lupinas fides ſi iungas agninis, iſtas diſsilire? 255

Obijcitur de quibuſdam mirabilibus.

At quis non videt cuncta hæc procedere ex vi maxima effuſionis occultarum qualitatum, & latentis in rebus naturalibus conſenſus, & diſſenſus, quem ſympathiam, & antipathiam dicunt, ex quo ſequitur, has conſumere illas, vel ſaltem effectum in eas aliquem producere ob qualitates contrarias in ipſis repertas? vt benè docet Hieronymus Fracaſtorius *lib. de Sympathia, & antipathia à c. 5. vſquè ad 11.* & nos docuimus *ſupra tom. 1. diſp. 4. num. 13.* Nec valet conſequentia, ſi indè ad hominis contactum, quo tangit alium hominem, argumenteris. Nam homo homini ſpecie ſimilis eſt, nec

Reſpōdetur obiectionibus.

nata-

naturalis antipathia in eadem ſpecie locum habet. At illa ſpecie differunt ab ijs, quibus nocent.

Dicendum ergo, prædictos effectus non eſſe naturales, ita vt ex temperamento ſequantur; ſed pertinere potiùs ad occultas proprietates diuinitùs inſitas: Vel dona, quæ dicuntur gratis data; & referri aliquo modo poſſunt ad gratiam ſanitatum in commodum hominum conceſſam quibuſdam locis, maximè vbi id erat neceſſarium, vt de Pſyllis ſcribitur, quorum regio ſerpentibus abundat. Veruntamen cenſet Delrius ex Plutarcho, Plinio, & Alchimo Auito *libro* 2. eos, ſicut & Marſos ſanaſſe dæmonis potiùs pacto, & incantationibus fretos, quàm diuino auxilio ſuffultos, & munitos.

§. IV.

Poteſt tamen Deus concedere, vt aliqui ſanent morbos aliquos Odore, Tactu, Halitu. Vt cõſtat De maſculo ſeptimo loco nato.

256 NOn eſt tamen dubitandum, quin poſſit Deus quibuſdam hominibus, vel familijs eam vim concedere, vt ſuo tactu, vel halitu, vel odore poſſint aliquos curare morbos; ſanguinem ſiſtere ſpiritus euaneſcentes cohibere: partem læſam corrobare, venena extrahere, & ſimilia: vt teſtatur D. Paulus 1. *Cor.* 12. *Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu; alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum*, &c. Sic quidam gratiam habent curandi ſtrumas, quam paſſim habere putatur maſculus, qui ſeptimo loco continuato ordine naſcitur: vt refert Bonghus *de num. Septenario*.

De Regibus Galliæ.

Quæ gratia ſanitatum licèt plenè alicui fuerit conceſſa, ſicut collata fuit Apoſtolis, & alijs miraculorum patratoribus, nec ſit alligata iſtis externis actibus; attamen collata ſolùm ex parte: vel ad certum morbum poteſt eſſe alligata externis actibus tanquam inſtrumentis neceſſarijs. Sic Reges Galliæ non curant ſtrumas niſi contactu loci affecti: & Marſi, & Pſylli, (ſi tamen, horum erat gratia gratis data, & non dæmoniacum opus) niſi contactu curabant.

Quod tamen eſſe donum à Deo gratis datum incomperto eſt. Ratioquè ipſamet dictat præcipuè de Regibus Galliæ hoc beneficium illis quondam Deo gratis conceſſum fuiſſe, vt contactu ſtrumas, ſeu ſcrufolas ſanarent. Si enim ea vis naturalis fuiſſet, per traducem hereditariam regni non tranſiſſet in Regem ſolùm, excluſis cæteris fratribus, quorum ſæpè temperies, & complexio patri ſimilior, quàm Regis ipſius. Conditio quoquè ſceptri, ſeu coronæ, cui comes illa facultas media nihil tale poterat naturaliter largiri. De huiuſmodi dono gratis dato Franciæ Regibus res non Annalium modò, ſed Medicorum publicis ſcriptis, vt Guidonis *in Chirurg. Magnæ tract.* 2. *doct.* 2. & 3. & Ioannis Tagautij *lib.* 1. *inſtitut. chirurgic.* & quotidiana, certaquè experientia eſt conteſtata. Quòd verò Hieronymus Cardanus *lib. contradition. Medic.* ſcripſerit, Reges Francorum ex longo vſu aromatum hanc vim habere, ſanè ridiculum, vanum, & dignum eſt ſcutica Ioannis Brodæi *lib.* 8. *Miſcellan. cap.* 10.

§. V.

Quod de Rege Pyrrho contactu morbos ſanante.

257 DE Pyrrhi verò Regis digito contactu morbos ſanante vt diximus, iure optimo Antonius Mirandulanus cenſuit hoc mendacijs incredibilibus adnumerandum; vel vt putat Delrius *lib.* 1. *Diſquiſit. magic. cap.* 3. *q.* 4. dæmoniaco potius operi ad ſcribendum: quia non eſt, cur in ſanitatibus à Gentilibus, alijſq. hæreticis, & hominibus impijs collatis recognoſcas manum Dei; ſed diaboli: cum infidelium opera huiuſmodi actu, & facto impurorum ſpirituum, vt plurimùm fiant.

Quid de ſalutatoribus, ſeù Enſalmadoribus.

Huc referendum illud genus hominũ in Hiſpania, 258
quod ſalutatores, & Enſalmadores vocãt, eo diſcrimine, quòd iſti dicant ſe ſanare vi orationum, quas conceptis verbis dicunt: Illi vi ſaliuæ, & halitus, quem ægro inſpirant. De his aſſerimus nec poſſe diſtrictè, & in vniuerſum damnari: nec etiam in vniuerſum approbari. Etenim poteſt fieri, vt aliquando nonnulli habeant donum ſanitatis. Sic Victoria *Relect. de magia*. Vera crux *lib.* 2. *de Anima ſpeculat.* 2. Sic etiam admittenda quæ Nauarrus ſcripſit *in Manual. cap.* 11. *num.* 36. Margarita Confeſſorum *quæſt. Moral.* Sed quia multi ex illis ſuperſtitionibus vtuntur; immò, vt ait Delrius *loco citato*, rarò licitè eo vtuntur miniſterio: nec credendum, tot hominibus peſſimis eam vim à Deo traditam eſſe; Ideò concludimus, hos Salutatores, ſiuè Enſalmadores diligenter examinandos eſſe ab ordinarijs, priuſquam munus hoc obire permittantur; vt videant: an naturalibus remediis: an per gratiam gratis datam: an per pactum cum dæmone operentur; quę ſunt ex circunſtantiis cognoſcenda: vt conſtabit ex Regulis in fine diſputationis ponendis: De quibus legendi ſunt Delrius *loco citato* Ciruelus *de Superſtit. par.* 3. *cap.* 3. & 7. Leonardus Leſſius *de iuſtitia, & iure lib.* 2. *c.* 43. *dubit.* 10. Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de Superſtit. cap.* 15. *num.* 25. & Sanchez *lib.* 2. *in præcepta Decalogi cap.* 40. *num.* 45. *& ſequentibus*.

§. VI.

Alij vtuntur remedijs externis, certis, ac definitis.

ALii ad ſananda vulnera, plagaſquè curandas 259
quibuſdam vtuntur remediis externis certis, ac definitis, de quibus cum euidens non ſit, poſſe eſſe cauſas naturales ſufficientes, & efficaces ad huiuſmodi preſtandos effectus, ſubindè videntur eſſe ſigna. Et dicuntur eſſe talia, vt à quocumquè addiſcantur, & proferantur talia verba, & applicentur fruſta panniculi linei, vel alterius materię cum tali benedictione, & ſimilia, effectus infallibiliter fiat.

Quarum curationum varii ſunt modi, puncta, perorationes quædam.

Harum autem curationum varii ſunt modi:

Quidam prius recitant ſequentem orationem: *O Deus æterne, & Creator cæli, & terræ, tu qui redemiſti humanam naturam, & poſuiſti ſuper dorſum tuum lignum ſanctæ crucis, vt ſaluares nos peccatores, & natus es inquantum homo, inuolutus fuiſti tela candida, ſepultus quatenus homo, & tertia die reſurrexiſti tuæ ſanctæ Matri ſanus, & ſaluus ab omnibus plagis punctionibus, & fracturis. Domine mi ſanctiſſimè te quæſo mihi concedere velis, &c.*

Fruſta panniculi linei aqua intincta.

Dictam autem orationem recitant italico idiomate. Deindè fruſta panniculi linei ſubtilis, & candidiſsimi certo numero intingunt aqua frigida: poſtea ab eis aquam fortiter extrudunt, torundamquè, ſeu linamentum ex filis non madefactum in vlcus immittunt. Suppoſitis tandèm fruſtis lineis dicunt infirmo; vt ignoſcat ei, à quo fuit offenſus. Si verò vulnera eſſent, vbi ſunt muſculi, aut nerui poſſent vnctionem perficere ex lumbricis in oleo refereuefactis, quibus vngatur plaga, vel vulnus, & ſanabitur.

Alii

§. VII.

260 ALij alijs vtuntur medijs, ac cæremonijs. Si vulneratus eſt homo, ſumunt fruſta induſij maſculorum: ſi fæmina, fæminarum, quæ intingunt in ſanguinem, qui primò ex vulnere eſt egreſſus; poſtea vulnus cooperiunt, ſeù aſpergunt puluere calcanti, ſeù vitrioli, quod radijs ſolaribus fuerit expoſitum toto tempore caniculæ. Dehinc ſuper imponunt huiuſmodi panniculos ſubuculæ ſanguine medafactos, & recitatis quinque Pater noſter, & totidem Aue Maria ſanitatem conferunt.

Fruſta induſij ſanguine madefacta.

Nonnulli tandem ſumunt puluerem aluminis aduſti, & ſal, quę prima vice ſuper vulnus ſpargunt, prius in vulnere poſito linamento ex filis; poſtea duo fruſta panniculi linei in modum crucis ſuper imponunt admurmuratis quibuſdam precibus, & pręcipiunt infirmo, vt benè manducet, & bibat, nec ſe abſtineat à quocumquè genere cibi, aut potus.

Puluerē aluminis aduſti.

Alij alios id generis ſeruant modos, ac ritus, quibus potiſſimùm dicuntur aliqui hoc noſtro æuo ſimiles curationes efficere, & publicè tolerari. De quibus maximè oritur difficultas: an effectus ab iſtis curatoribus per hæc media producti ſint phyſici, & naturales, à cauſa merè naturali prodeuntes: an verò ab aliqua cauſa proueniant ſupernaturali?

Alia id generis.

§. VIII.

261 SPectemus indicationes vulnerum, & infirmitatum, & ſtatim agnoſcemus, ſi huiuſmodi remedia ſint ſufficientes cauſæ ad tales phyſicos effectus producendos. Aſſeuerant Medici, in quocumquè vulnere graui proprias elici indicationes, prout morbi indicant. Pro materia fluente vti diuerſis diuerſorijs: pro iam fluxa, præparatorijs, digeſtiuis, nempè, & expurgantibus: deindè incarnantibus: poſtea cicatricantibus. Interdum corroborandam eſſe partem læſam, ne humores recipiat, quę ſunt in fluxu. At quis mediocriter arte medica peritus iſtas indicationes abſolui poſſe, fateatur, per panniculos lineos aqua frigida, vel ſanguine madefactos, ſiuè non madefactos? Quam enim vim habere poſſunt huiuſmodi panniculi certo numero, nec plures, nec pauciores ad humores diuertendum, digerendum, expurgandum, ad incarnandum, & cicatrizandum? Quomodo poſſunt partes corroborare, ne humores fluentes in ſe recipiant? Non ergo huiuſmodi panniculi ſic madefacti, vel non madefacti videntur cauſę ſufficientes dictorum effectuum phyſicorum, ſanitatis, nempè, conferendæ.

Quæ non videntur ſufficientes cauſæ naturales ad cō ferēdam ſanitatē.

§. IX.

262 NOn denegamus tamen in primo remedio quin valida ſit illa vnctio ex lumbricis in oleo re feruefactis; quibus vngatur plaga, vbi ſunt muſculi: aut nerui: ſimiliter naturaliter iuuare linamentum ex filis ad vulnus purgandum, & incarnandum: ſicut aliquo modo etiam panniculi linei.

Similiter in ſecundo remedio non damnamus vſum pulueris vitrioli ad corrodendum, & in tertio ſal, & puluerem aluminis aduſti ad deficcandum. Exindè tamen non infertur, in quocumquè vulnere ſufficiens eſſe remedium, vt aſſeuerant iſti Curatores. Sicut de panniculis iſto, vel illo modo diſpoſitis, putà in cruce poſitis: vel in tot numero applicatis dicimus, ſi hoc fiat ex deuotione, excuſari poſſe. Sed ſi credant neceſſariùm ad effectum producendum eſſe tali modo diſpoſitos, & ſub tali numero, nec plures, nec pauciores, ſuperſtitione non carere in comperto eſt. Illa enim diſpoſitione, vel numerus nihil naturaliter confert ad effectum, niſi quatenus ſunt ſigna pacti alicuius ſaltem impliciti cum dęmone.

In quolibet tamē modo eſt aliquid, quod naturaliter aliquantulum iuuare poteſt.

§. X.

QVid autem dicemus de illis formulis verborum, quæ in hiſcè curationibus proferuntur. 263
Si primam examinandam aſſumimus: quid mali, aut ſuperſtitioſi continere poteſt, ſicut, & formulæ ſecundi, & tertij modi; quæ non niſi in recitandis tot numero Pater noſter, & Aue Maria conſiſtunt? Quis audeat huiuſmodi condemnare orationes: cum nullam contineant falſitatem, nec dæmonis inuocationem; & alioqui ſint verba ſacra, & apta ad orandum; vel colendum Deum per eorum prolationem: vt eſt oratio Dominica, & Angelica: nomen Ieſu, & ſimilia?

Formula verborū adhibita.

Sed eſto ſint bonæ, & ſanctæ, & nulla poſſit iudicari in hac parte ſuperſtitio, ſi adhibeantur per modum deprecationis. 264
Eſſe tamen poteſt ex intentione, ſi adhibeantur ab iſtis Curatoribos tanquam formulæ neceſſariæ, & vt ſigna infallibilia talis effectus, ſanitatis nempè, conſequendæ. Quia, cum tale ſignum non ſit à Deo, nequè ab Eccleſia inſtitutum: nequè à ſacris literis; aut eccleſiaſtico vſu approbatum: à dæmone datum eſſe conuincitur: qui ſub prætextu ſacrorum verborum homines decipere ſatagit; ſimulquè vult profanare ſacra verba, dum illis ad ſuperſtitioſas curationes vti iubet. Et propterea quandò in verbis ipſis non ſtatim apparet ſuperſtitio, aliæ obſeruantiæ, quæ ſimul adhibentur, & neceſſariæ reputantur, conſiderandæ ſunt: vt rectè docent Delrius *Diſquiſ. magic. lib. 1. cap. 4. quæſt. 3.* & Suarez *de Religione libro 2. de Superſtitione cap. 15. ſa. num. 11.*

Per modum deprecationis ſunt licita. Adhibita autem Vt formula neceſſaria, vt ſigna infallibilia talis effectus ſunt ſuperſtitioſa.

§. XI.

QVarè cum in dictis remedijs, alijſq; id generis plura inueniantur vana, & ſuperflua, quę ex ſe naturaliter cauſæ efficaces nequeunt eſſe ſanationis: vt neceſſitas talium orationum: panniculi, ſic diſpoſitis: vel talis perſonæ, &c. 265
aut tot numero fruſta linea, quis apertè non agnoſcat huiuſmodi curationes quoad effectus, qui merè phyſici non ſunt, ſuperſtitioſas eſſe. Ideòquè quoad forum conſcientiæ, & ſimpliciter cenſeo, non eſſe ità tolerandos, vt Confeſſarij illam eis concedant facultatem, eoſquè abſoluant, niſi ab huiuſmodi remedijs adhibendis ſe abſtinere promittant. Nam licèt pro aliquo tempore aliqua ex parte ob ignorantiam excuſari potuerint: quia nimirum per ſolam aliorum traditionem id acceperant, qui ità experti fuerant ſine aliquo conſortio cum dæmone expreſſo; & ipſi etiam poſteà ſine mali ſuſpicione ſunt experti: Nihilominus re ipſa, & ſecundùm ſe non erat licitum; ità vt vix potuerit ignorantia fuiſſe omninò inculpabilis: quia non habent probabilem rationem ad præſumendum, Diuinam virtutem eſſe infallibiliter aſſiſtentem

Prædicta ergo remedia ſunt ſuperſtitioſa, quia continēt Plura, Vana, Inutilia, Superflua.

illis verbis, ſignis, aut actionibus: vt ſæpiùs dictum eſt. In foro autem exteriori fortaſsè interdum conniuentur, quia non probantur ſufficientia indicia ad pactum tacitum præſumendum: præcipuè, ſi poſtquam à ſapientioribus ſunt admoniti, id quod ſuſpicioni eſt obnoxium, prætermittant.

ARTICVLVS II.

A Cauſa libera, nempè, dęmone.

§. I.

266 *Dæmon etſi præſtigijs aliquãdo homines fallat. Aliquãdo tamen veros producit effectus.*

TEnebris ignorantiæ offundatur, oportet, mens illius, qui vel aſſerat, omnes effectus eſſe præſtigiatorios: vel credat, omnes veros. Sæpiùs dæmon fallit: quia mendacij pater eſt. Ideò ſæpè præſtringit oculos: aut ſenſibus alijs illudit.

Quando tamen & Deus permittit, & dęmon vult verum producere effectum, ſi is vires ipſius non ſuperet, nihil profectò prohibet, quominùs verum producat effectum. Vndè cum cauſæ naturales verum gignant effectum, vtitur quandoquè illis diabolus, & actiua paſſiuis applicando remedia efficaciſſima conficit, quibus ad vulnera, vel alias infirmitates auferendas applicatis, citiſſimè verus ſequatur effectus. Cum enim, teſte Dionyſio Areopagita *cap.4 de diuin.nominibus*, donorum naturalium peccando nullum amiſerit, cur mirum, ſi verè effectum, quem cupit, commodiſſimè dare poſſit? Videt enim naturalium rerum omnium ſubſtantias, & proprietates ſingularum peculiares perſpectas habet: commoda nouit applicandi tempora: ſolertiæ, & artificij vix eſt quicquam, quod ignoret. Quid enim adeò diuturna, & aſſidua experientia, atquè obſeruatione non ſit aſſecutus; præſertim cum norit cuncta naturaliter, quæ boni Angeli à mundi exordio publicè patrarunt, & quæ homines longa exercitatione perfecerunt? Quis tam peritus Medicus vmquam poterit inueniri? Claudicat Hippocratis ſciẽtia medica; nulla eſt medicina Galeni; infirma eſt, ac debilis cunctorum ſimul medicorum peritia dæmoniacæ ſcientiæ medicæ comparata. Quid ergo mireris, ſi ſæpènumero multa pharmaca à dæmone efficiuntur, quibus ab ægris ſumptis, ſanitas citiſſimè eis reſtituitur, quam naturæ ſolius operatio, vel medicorum ars numquam præſtitiſſet, niſi dęmon naturam artificioſa applicatione iuuiſſet? Hæc tamen beneficia dæmon homini præſtat, non vt illi benefaciat, cum eum ſummo proſequatur odio; ſed vt per huiuſmodi fauores apparentes eum ad ſui pertrahat ſequelam, ac totaliter à Deo auerſum tandem in infernum detrudat.

§. II.

267 *Qui dicuntur Prodigio ſi prout reſpiciũt cauſam artificialem dæ-*

AT quæres: Sanitas per huiuſmodi pharmaca reſtituta ſitnè dicenda effectus phyſicus, & naturalis, an hyperphyſicus, & præternaturalis?

Si cauſam artificialem dæmonem dicta medicamina præparantem, ac perficientem attendamus: cum ipſe agentia naturalia vt inſtrumenta ſumat, inſtrumenti verò conditio ſit, effectum producere non tantùm naturali ſuæ virtuti æqualem; ſed longè etiã excellentiorem; agentiſquè principalis, à quo mouetur, facultati aliqualiter reſpondentem: quis effectum ſic ab eo prodeuntem artificioſum, ac prodigioſum non appellet: Nonnè vides ſecurim ex ſe duntaxat virtutem habere ſecandi; ſed quatenus eſt inſtrumentum periti fabri, poſſe menſam, vel ſtatuã facere? Nonnè apertum eſt, calorem natiuum in humano ſemine, quà calor eſt, poſſe calefacere, rarefacere, ſegregare, ac condenſare; ſed quà inſtrumentum eſt animæ, poſſe oſſa, neruos, & carnem generare? Quidni cauſę huiuſmodi naturales, puta herbę, pulueres, radices, ſemina, aliaq. id generis à dęmonibus compoſita, & applicata ſuis ipſarum proprijs viribus quodãmodo pręſtantiora effecta dare queãt? Nam quę ſecundùm communem ſuum curſum numquam produxiſſent, ſi à dęmone non fuiſſent applicata: ea nunc vt à dęmonibus mota inſtrumenta, quoad ſubſtantiam, modum, vel celeritatem admiranda producunt: teſte Aug.l.2. de Gen. ad lit.c.17. & Delrius l.2.q.8. diſq.mag.

monem agentia naturalia præparantẽ

§. III.

SIc potio illa Iuriſconſulto Sabinenſi diuturna ægritudine detento exhibita à quodam magno, & ſolemni magiſtro, qui vocabatur magiſter magnæ experientiæ, qui in veritate erat ſolemnis Magus, & Maleficus, de quo *ſupra n.20.* cum eſſet dæmonis artificio perfecta, nullo negotio, imò citiſſimè ſanitatem contulit ægroto, cui nihil proderant multæ à medicis exhibitæ medicinæ. Idem fatendum de illo pyro varijs qualitatibus efficaciſſimis cõfecto, quem præbuit mulier malefica comedendũ Stephano Noacho Madrenſi, de quo ſupra n.*169.* quo manducato alijs obſeruantijs peractis ſtatim optatam conſecutus eſt ſanitatem, de qua totaliter erat deſperatus. Harum tamen ægritudinum, cum eſſent maleficio inductæ, præcipua euaſio fuit: quia dæmon ceſſauit malefacere. 268 *probatur exemplo.*

Dicendum ergo iuremerito, ſi huiuſmodi pharmaca artificio dęmonis adiuta non fuiſſent, nequaquam tam citò ſanitatem conferre potuiſſent. Ideòquè ſanitas ſic collata effectus artificioſus, ſeu prodigioſus vtiquè nuncupandus.

§. IV.

SI verò cauſas ipſas naturales à dęmone applicatas intueamur in ordine ad effectum, quem producunt, numquam hæc opera naturæ cancellos effugiunt, eò quòd vim naturalem cauſæ principalis non excedunt. Inſunt enim reuera hi effectus virtualiter in ipſis naturalibus agentibus eo modo applicatis: puta, herbis, pulueribus, ſeminibus, metallis, & id generis, quibus agentibus diabolus nihil confert applicando, præter conditionem, ſine qua iſte effectus non produceretur. Vndè licèt dæmon operetur ipſe potiſſimùm per modum artificioſum: quia tamen vtitur rerum applicatarum vi naturali, effectus productus, puta, ſanitas collata dicitur effectus phyſicus, & naturalis, & non hyperphyſicus, ac pręternaturalis. Sicut coquus, cum ſuaue edulium concinnat mediante arte per ignem id excoquit, quod licet ſolus ignis, niſi tali eſſet arte applicatus, numquam effeciſſet: quia tamen ignis naturaliter operatur, effectus naturalis, & phyſicus vocitari debet. Quid enim coquus igni confert, niſi modum, & conditionem, ſine qua non? Si ergo vim igni nullam influit, quæ cauſæ phyſicæ nomen mereatur, quidni effectus vocatur naturalis, & phyſicus? 269 *Phyſici prout reſpiciunt cauſas naturales naturaliter operantes.*

Hoc

§. V.

270 *Probatur in dæmoniacis.* HOc perſpectum habetur in dæmoniacis, & energumenis. Vides dæmoniacum quandoquè furijs agitatum in terram volutari: ſaltitare, velociſſimè currere, ac ſe tanta vi, & impetu dimoueri, quòd vix detineri poſſit à tribus, vel quatuor robuſtis hominibus. Vndè tanta vis, ac robur? Dices, à dæmone. Sed vtiturne dæmon ſuis proprijs viribus, ac potentia ad mouendum talem hominem? Non vtiquè. Si enim dæmon propria vteretur potentia, ac virtute ad mouendum, nec decem, nec viginti, aut plures validiſſimi, ac fortiſſimi etſi gigantes poſſent detinere eum: cum tanta ſit potentia dæmonis, quòd nulla ſuper terram valeat comparari ei, Iob. 41. Vndè ergo tanta vis in illo dæmoniaco? Nonniſi à proprio calore naturali, ac ſpiritibus vitalibus ipſius dæmoniaci à dæmone excitatis, ac motis, quibus arte dęmoniaca nerui, muſculi, cęteraq. organa, ac membra, ex quibus motus procedit, confortata, ac roborata, tam validè, fortiter, ac velociter corpus dimouetur: ità quòd dæmon nihil addit viribus humanis, niſi modum, & conditionem, ſine qua non tàm velociter, ac validè operaretur. Illa tamen operatio naturæ cancellos non effugit, idcircò naturalis appellanda.

At quis apertè non agnoſcat, idem prorſus fatendum de potionibus, ac pharmacis per naturalia agentia ope dæmonis paratis, quibus citiſſimè ſanitas obtinetur? cum dęmon in eiuſmodi pharmacis rerum applicatarum vi naturali vtatur. Quid confert pharmacis, niſi modum, & conditionem, ſine qua tam citò ſanitas non ſequeretur? Vim verò, quæ cauſæ phyſicæ nomen mereatur, illis nullam præſtat. Idcircò effectus, qui ſequitur, merè naturalis, ac phyſicus nuncupari debet; vt optimè docet etiam D. Thomas 1. *par. quæſt.* 110. *art.* 2. *ad* 3. *&* *lib.* 3. *aduerſ. Gent. cap.* 103.

§. VI.

271 *At quia illicitum eſt, à dæmone petere auxilium, dicti effectus ope dæmoniaca producti ſunt ſuperſtitioſi.* AT quia huiuſmodi effectus licèt phyſici, ac naturales eo modo non poſſunt euenire niſi opitulante dæmone; à quo non licet auxilium petere, iuremeritò curationem quoad huiuſmodi effectus, vt ſuperſtitioſam reprobamus, & condemnamus. Nulla enim ratione licitum eſt, rogare dæmones, vt nobis aliquod obſequium qualiſcumquè generis ſit illud; aut qualecumquè beneficium præſtent: quia hoc facere eſt culpa mortalis grauiſsima: vt docent D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 90. *articul.* 2. & ibi Caietan. *articul.* 1. D. Anton. 2. *par. tit.* 10. *cap.* 8. Syluest. *verb. Adiuratio quæſt.* 7. & ibi Angelus *num.* 2. Tabiena *num.* 6. Sotus *lib.* 8. *de iuſt. quæſt.* 3. *articul.* 2. Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 4. *de Adiuratione cap.* 2. *num.* 8. *&* 9. Leonard. Leſsius *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 42. *diſt.* 13. *num.* 71. Non enim eſt aliud, quàm dæmoni tanquam Domino ſe ſubijcere: aut illius fauorem expetere: aut beneuolentiam erga illum gerere: quod eſt quędam pacti, & ſocietatis cum ipſo inchoatio.

§. VII.

272 *Quid circa hoc obſeruandum.* QVare diligentiſsimè obſeruandum tam Magiſtratibus, quàm Ordinarijs, & Inquiſitoribus, cum ſibi occurrunt huiuſmodi Curatores, vel circulatores dicta pharmaca circumferĕtes, quibus citiſsimè à grauiſſimis curant infirmitatibus: vel alia præſtant mirabilia contra ordinarium curationum modum naturalium, non tantùm ſi effectus huiuſmodi ſint naturales à cauſis merè naturalibus procedentes, verùm etiam ſi illis actionibus, & operationibus ſint admixtæ, & coniunctæ aliquæ circunſtantię parergæ tanquam neceſſarię, quia: omnis circumſtantia inutilis, ſi tanquam neceſſaria adhibeatur, facit, vt opus ſit ſuperſtitioſum: quia cũ illa non iuuet vt cauſa, neceſſe eſt, vt adhibeatur inſtar ſigni; quod, cum non ſit à Deo; conſequens eſt, vt ad pacta occulta cum dæmone pertineat. Similiter ſi illę cauſę naturales quibus ſanitas exhibetur, & mira perficiuntur, à cauſa ſupernaturali nempè dæmone ſint adiutę: quod ex eo cognoſcitur, ſi ſecundùm communem ſuum curſum naturaliter applicatę quoad ſubſtantiam, modum, vel celeritatem talia effecta admiranda numquam produxiſſent, ſignum eſt, ea producere, vt inſtrumenta mota, & applicata à dęmone, qui quicquid ſua ſpontè in nos confert, id omne ab hoſtili eius animo in nos, & in ipſummet Deum proficiſcitur. Semper enim eò ſpectat, vt Dei gloria obſcuretur; & nos ipſum offendentes æternam incurramus damnationem. *A Magiſtratibus Ordinarijs locorum, Inquiſitoribus, cum huiuſmodi curatores ſibi occurrũt.*

§. VIII.

273 *An inter hos effectus ſit connumerandus ſanguinis fluxus ex cadaueribus occiſorũ coram Reo.* INter hos phyſicos, ſed ſuperſtitioſos effectus non videtur connumerandos ille ſanguinis fluxus ex cadaueribus occiſorum ad præſentiam Reorum ſoliti emanare; cuius cauſam aſſignantes Doctores inter ſe non conueniunt.

Alij namque id attribuunt antipathię naturali, qualitati, ac motui cuidam ab interfectore impreſſo interfecto ex vi imaginationis, & furiæ: ita cenſet Ariſtoteles *in problem. ſect.* 7. *problem.* 6. *verſ. aut quia ex vulnere*, quem ſequitur Faber Fauent. *aduerſ. Athæos diſput.* 1. *q.* 9.

Alij recurrunt ad occultum Dei iudicium allegantes illud *pſ.* 78. *Vt innoteſcat coram oculis noſtris vltio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt.* Sic ſentit Petrus Binsfeld. *tract. de Confeſs. Maleficorum, & Sagarum prælud.* 12. *dubio* 4. *concluſ.* 8. Quam opinionem veriſſimam eſſe arbitratur Carena *tract. de off. S. Inquiſitionis par.* 2. *titulo* 12. *§.* 22. *num.* 187.

Ratio eſt; quia vt habetur ex Theſauro Senat. deciſ. Pedemon. 163. *num.* 4. & Papon. Areſt. Francię *lib.* 24. *titul.* 9. *de Quæſt. Areſto quinto* huiuſmodi ſanguis ſolet è cadaueribus manare etiam ad pręſentiam mandantium, & aliquando etiam poſt dies octo à die mortis, in quibus caſibus illa ſanguinis emanatio non poteſt eſſe naturalis; Ideò prima poſitio non videtur poſſe ſtare. Non enim naturale agens agere poteſt in diſtans: nec poſſibile eſt, poſt octo dies è cadauere ſanguinem naturaliter exire.

§. IX.

274 *Vtrum poſſit eſſe indicium ad torturam.* HAnc ſanguinis emanationem poſſe eſſe ſufficiens indicium ad torturam affimant nonnulli Auctores, quos citat Carena *loco citato*.

Verùm indicium hoc incertiſſimum eſſe, ac leuiſſimum arbitratur ipſe Carena, ſicut & Theſaurus deciſ. 173. *num.* 2. ait, ſe audiuiſſe à Magiſtratibus Patrię ſuę, qui cauſas criminales agunt, experientiam hanc fallacem repertam fuiſſe, & non exiſſe ſanguinem à cadaueribus occiſorum ad præſentiam eorum, qui poſtea Rei, & homicidę reperti ſunt: ſicut etiam Ant. Gomez *var. reſol. t.* 3. *c.* 13.

*num.*15. Ideò ex hoc indicio ad torturam non eſſe deueniendum: vt præter præfatos DD. fatentur Delrius *lib.*5. *Diſquiſit. magic. q.*5. *ſect.*4. *num.*20. Ioan. Zanger *de indicÿs, & tortura cap.* 2. *n.* 160. Ludouicus Gilhauſen, Godefrid. Abauo Præſes Senatus Sabaudiæ, Matthæus Steph. *in ſuis quatuor centuriis*, & alij relati à Carena. Dummodo non ſint alia indicia vrgentia, quia tunc poteſt Iudex contra reum deuenire ad torturam; imò etiam quandoq. ad condemnationem pro modo, & qualitate indiciorum. De his omninò videndus eſt Carena *loco cit.*

§. X.

275 *Conſultius erit Iudicib. ſe abſtinere ab huiuſmodi indiciis.*

VEruntamen Iudicibus conſultius erit, omninò ſe abſtinere ab huiuſmodi incertis indicijs; nec ex ijs quemquam iudicare reum: aut innocentem. Nam ſi talis emanatio naturalis eſt, poteſt etiã à dæmone cauſari: tum vt detegatur occultus delinquens ſcandalumquè oriatur: tum vt innocenti hac ſanguinis emiſſione imputetur delictum. Vel è conuersò poteſt dęmon illam impedire, vt reus, & homicida, qui fortaſſe ab ipſo dæmone auxilium petijt, vti innocens habeatur. Si verò illa ſanguinis emanatio ſupernaturalis eſt, prouenieus ex iudicio Dei occulto; cum actiones Dei ad extra ſint liberæ; nec nobis conſtet aliundè, quòd ſe alligauerit Deus ad hoc peragendum; vt ex ſcripturis conſtat ſe alligaſſe ſacramentis, ex eo quòd ſanguis de facto nõ exierit, non poteſt colligi innocentia Rei. Et graue ſatis eſt, vt in re dubia certa detur ſententia. *cap. Graue.* 11. *quæſt.* 3. ſic etiam nuper conſulit Ignatius Lupus *part.* 3. *Edicti Sanctæ Inquiſ. lib.* 15. *diſt.* 4. *artic.* 2. *diffic.* 2.

§. XI.

276 *Examinatur quidam effectus à formicis in territorio Bergomenſi.*

HVc tandem examinandus venit quidam effectus formicarum, quem ab immemorabili tempore, vt mox dicam, ſingulis annis euenire in territorio Bergomenſi in comperto eſt. In ſupercilio cuiuſdam montis Vallis Calepinæ eſt Eccleſia antiqua, quæ vulgo dicitur *S. Giouanni delle Formiche*, propè Calepium oppidum in Cenomanis circiter duo milliaria: ac totidem propè Credarium, vbi meum fuit natale: ac tria diſtans à Sarnico, vbi educatus fui. Ad prædictum montem ſingulis annis veluti exercitus formicarum quatuor alas habentium per aerem volitantium à quatuor mundi plagis veniunt; ſed non in eadem ſemper quantitate. Modò enim plures, modò pauciores ſecundùm varias temporum mutationes, incipientes à die Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, quæ celebratur die 15. Auguſti, deindè ſingulis diebus veluti nubes vndequaquè confluere non deſinunt vſquè ad Natiuitatem eiuſdem B. Virginis, quæ celebratur die 8. Septembris: maior tamen earum numerus accedit die 29. Auguſti, qua celebratur decollatio S. Io. Baptiſtę: necnon die præcedenti, ac ſubſequẽti. Poſtquam autem ad montem peruenerunt, earum plures Eccleſiã ingrediuntur, quarum aliæ ſeipſas ſuper ſolum deponentes ibi manent, donec animam efflant: Aliæ ad Altare euolantes aliquæ ſuper ipſum, & aliquæ circa ipſum tandem pereunt: Plures ſuper quoddam Altare paruum, vbi reſidet capitis Præcurſoris ſimulacrum ligneum à populis magna deuotione cultum duobus, aut tribus diebus ibi circumuolitantes, & alas concutientes paulatim ſemimortuæ decidunt, nec amplius ſe eleuant, donec moriantur. Plures etiam volitant ſuper illius ædiculæ tecta, quarum ibi aliæ moriuntur: Aliæ circa muros Eccleſiæ cadunt vſquè ad imum, ibiquè intereunt: Aliæ volitant ſuper turrim dictæ Eccleſiæ contiguam, vbi plures moriuntur: plures verò è turri ſe demittũt, ac conglobatim per foramina, vbi funis cãpanę deducitur, vſq. ad imum turris ſe deponunt: vbi cum tria ſint oſtia: vnum quo in atrium Conuentus, ſeù eremitorii octo, vel decem cubitis diſtantis: alterum, quo in ſacrarium, & alterum quo in Eccleſiam pergitur, relicto primo etſi aperto, aliquæ Eccleſiam ingrediuntur, aliquæ ſacrarium Eccleſiæ contiguum, & ibi moriuntur. Et quod mirum eſt, nulla earum vnquam viſa eſt, ſuper domus tecta aſcendere: aut illam ingredi, vbi Religioſi habitant, etſi ab Eccleſia diſtet tantùm octo, aut decem cubitis. Cuius rei vt notitiam certam haberem per teſtes oculatos, & iuratos; etiamſi egomet fuerim teſtis oculatus anno Domini 1630. & omnia prædicta in fine menſis Auguſti attentè conſiderauerim; nihilominus à me rogatus anno ſalutis noſtræ 1649. menſ. Iul. conſultò illùc profectus eſt R. P. Hieronymus de Cometis à Bergomo tunc Secretarius Prouinciæ noſtræ reformatæ Brixienſis, qui omnium prædictorum notitiam certam accepit à R. P. Mariano à Montecchio ordinis Seruorum Sacerdote Confeſſario annos nato 67. qui viginti annos in præfato Conuentu, ſeù Eremitorio moratus eſt. Hic namq. cum iuramento omnia prædicta depoſuit, manu propria ſcripſit die 7. Iulii, ac pluribus firmauit teſtibus nedũ viuentibus octogenariis, ac nonagenariis; ac centenariis, & amplius; ſed ex antiquis etiam ſcripturis eorum, qui iam ad mortuos euolarunt, deſumptis ab anno vſque 1379. aſſerentibus omnibus cum iuramento ſe ſingulis annis ſic vidiſſe, & ab antiquis ſuis patribus quotannis ſic viſum audiuiſſe.

Idipſum tanquam teſtis oculatus teſtatur, ac cum ſuo iuramento affirmat P. F. Albertus à Foreſto Sacerdos, Prouinciæ noſtræ Reformatæ Brixię alumnus annos natus 31. filius D. Nicolini de Pineſſis à Foreſto, in cuius vicinia ædificata eſt prædicta Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ, ſubter quam in valle proxima extat domus, & habitatio prædicti Nicolini: Quod teſtatum voluit Venetiis in Conuentu Sancti Bonauenturæ anno Domini 1667. die 30. Maii, dum à me aſſumptus in ſocium ibi moraremur pro huiuſce operis editione.

Ego F. Albertus à Foreſto prædictus atteſtor, ac cum meo iuramento confirmo à tempore, quo cæpi habere vſum rationis vſque ad præſentem annum me vidiſſe, & à meis maioribus audiſſe illos ſemper vidiſſe quotannis prædictas formicas alatas rubeas accedere, ac conuenire ad prædictam S. Ioannis ædiculam prout retulerunt etiã varÿ teſtes. Quod teſtatum volui Venetÿs die 30. *Maÿ* 1667.

§. XII.

AN ergo huiuſmodi effectus naturalis: vel ſupernaturalis, puta, à Deo, vel dæmone prouenire cenſendus erit? 277 *Qui non naturalis eſſe probatur*

Verè difficile eſt, aliquam huiuſce rei occultæ eſſentialem adducere rationem, & aliquid certi determinare velle. Nihilominus ratio philoſophica, qua quidam Modernus Auctor probare nititur, huiuſmodi effectum eſſe naturalem, valdè eſt ſubtilis; & etiam admodum eſſet conueniens, ſi fundamentum, cui adhæret, eſſet verum. Supponit enim, imò affirmat, ſed ſine vllo teſte oculato, prædictas formicas in die Natiuitatis Præcurſoris, quæ celebratur

bratur die 24. Iunij, ad illum confluere montem ad quærendam refrigerationem. Sed, cum ex pręallegatis teſtibus iuratis, & oculatis conſtet, non illa die, ſed circum feſtum decollationis eiuſdem, vt dictũ eſt, accidere: prædictã rationẽ philoſophicam pro dicto euentu nullius eſſe momenti, nemini eſt ambigendum: tunc enim non eſt amplius ſol in eadem ſtatione, qua erat die 24. Iunij: eò magis cum formicæ veniant, etiamſi calor aereus quandoque per lungas pluuias, & imbres iam receſſerit. Inſuper cum formicæ veluti nubes montem illum verſus volitantes priùs alios montes, & æqualis, & maioris, & minoris altitudinis, ab eo ad quatuor, vel quinque aut plures lapides diſtantes, vbi ſunt aliæ Eccleſiæ Beatiſſimæ Virgini, Apoſtolis, & aliis ſanctis dicatę prętervolent, potiùs ad earum turres confluerent; & modò ad hanc: modò ad illam ædiculam, vt refrigerarentur, ſe reciperent. Quod tamen euenire non videtur: vt egomet anno prædicto 1630. in fine menſis Auguſti exiſtens in ſupercilio alterius montis ad duo milliaria proximi vnà cum præfato P. Hieronimo, eiuſque Genitore eiuſdem nominis Viro morum grauitate, ac vitæ probitate perilluſtri propriis oculis vidi. Dum enim poſt meridiem ſub arborum vmbra quietis capeſcendæ gratia moraremur, prædictus Vir mihi quandam indigitauit nubeculam aduerſus nos volitantem, dicens: *Videas illam nubeculam venientem ab occidente: illæ ſunt formicæ alas quatuor habentes, quæ ad montem S. Ioannis aduolant morituræ*; ſed ecce vidimus eas quieſcentes ſuper illas arbores, ſub quarum vmbra morabamur; deinde poſt puſillum temporis ſe eleuantes, ac ſuum proſequẽtes iter, ad montem S. Ioannis acceſſerunt. Cur autem ibi non deſcenderunt vſquè ad terram, vt refrigerarentur, ſi frigiditatem quærebant? Illud namquè frigus, quod nobis tunc proderat, poterat, & illis prodeſſe: vel tandem obeſſe, vt aſtruit prædictus Auctor.

§. XIII.

278 CVm ergo difficillimum ſit, huiuſce effectus naturalem aliquam velle aſſignare rationem, ſurſum corda eleuemus, & videamus, ſi ab aliqua cauſa ſupernaturali prouenire dignoſcamus. Non vtiquè à dæmone illud adduci, eſt aſſerendum; Quid enim dæmon poſſet prætendere ex huiuſmodi formicarum euectione? Nulli ſunt nocumento; etſi aliquæ moriantur quandoque ſuper Altare, vbi Miſſa celebratur; non tamen Sacerdotem miſſæ ſacrificium offerentem impediunt, aut perturbant: non enim in calicem, vel ſuper patenam, aut corporale cadunt.

Nequè ſupernaturalis à dæmone.

Si ergo nequè ab inſtinctu naturali: nequè à dæmone illuc adduci videntur, piè vtiquè credendum eſt, hoc à diuina Prouidentia prouenire. Nec huiuſce rei aliam noui rationem adducere congruentem: niſi vt per huiuſmodi formicarum mortem, & actiones, actiones, & mortem Præcurſoris Chriſti, vt figuræ ſuæ figuratum quodammodo manifeſtent. (Parcat Lector, ſi hic videor aliqualiter digredi à meo inſtituto, & ordine: quia hæc in honorem S. Ioannis, qui à meis conterraneis in dicta Eccleſia colitur, latè deſcribere, & explicare ducor.)

Ergo à Deo eſſe conuincitur

Ratio cõgruentiæ adducitur.

Quis enim non videat formicas in ſuis actionibus magni Præcurſoris vitam aptiſsimè præſignare poſſe?

Quia aptiſſimè videtur præſignare actiones Præcurſoris.

Illæ, teſte Plinio *lib. 11. natural. hiſtor. cap. 30.* vix natæ ratione, memoria, ac ſapientia quaſi præditæ videntur: Hic adhuc ventris obſtruſo recubans cubili tam perfectam à Deo obtinuit rationis capacitatem, vt ſenſerit Regem thalamo manentem. Illæ granum, nè germinet, obrodunt: Hic, ne corporis ſui granum germinaret peccata, per pęnitentiam rodit: vndè Eccleſia de eo benè cantat:

Antra deſerti teneris ſub annis
Ciuium turmas fugiens, petiſti,
Ne leui poſſes maculare vitam
Crimine linguæ.

Illæ magna grana, vt caueas ſubintrent, diuidunt, ac minuunt: Hic per humilitatem diuiſit ſe ſuperbiam, ac ſe minuit, nedum in anima; ſed & in corpore, dum caput ſibi abſcindi pro tuenda veritate placuit: vndè loquens de Chriſto, & de ſeipſo dixit *Ioan. 3. Illum oportet creſcere, me autem minui.*

Illæ humida grana deſiccant: Hic per abſtinentiam, ac mortificationem ſe deſiccauit, dum

Præbuit durum tegumen Camelus
Artubus ſacris, ſtrophium bidentes
Cui latex hauſtum, ſociata paſtum
Mella locuſtis.

Illæ ſuper ſemitas tritas, & certas ambulant: Hic per ſemitas certas, & rectas, ſcilicet, per viam Paradiſi, per quam omnes Sãcti ambulauerunt, ſemper inceſſit; alioſquè incedere, edocuit. Vndè iuremeritò ab Eccleſia de eo cantatur:

Nunc potens noſtri meritis opimis
Pectoris duros lapides reuelle
Aſperum planans iter, & reflexos
Dirige calles.

Illę de futuro cogitant, ac ſibi neceſſaria prouident: Hic ad futurum ſemper oculos mentis dirigebat; cæteroſquè vt nouiſſima prouiderent, hortabatur, dicens *Matthæi 3. Pænitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.*

Illæ ſimul viuunt, & grana contra hyemem congregant: vndè ſapiens benè conſulit, dicens *Prouerb. 6. Vade ad formicam ò piger, & conſidera viam eius, & diſce ſapientiam:* Hic diſcipulos ſecum collegit; operaquè bona impiger contra mortis tempus congregare non ceſſauit.

Illæ ſolæ præter hominem ſocias mortuas ſepeliunt: Hic toto conatu ſtudebat, vt peccatores peccata ſub ſigillo ſepulcri pænitentiæ ſepelirent: vt de eis poſſent dici illa verba *pſalmi 31. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

Illæ ſunt ſtrictæ circa ventrem: Hic erat ita parcus in manducando, ac bibendo: vt de eo loquens Chritus *Matthæi 11.* dixerit: *Venit Ioannes nequè manducans, nequè bibens, & dicunt: dæmonum habet.*

Illæ tandem quando ſeneſcunt, creſcunt eis alæ, & ex terreſtribus cęleſtes factæ, ſicut aues volitant per aerem: Hic licèt in terra habitaret; tamen eius continua conuerſatio in cælis erat: vndè iuremeritò de eo S. Baſilius *homil. 2. in pſal. 28.* dixerit; *Vox Domini eſt Ioannes, Angelus à Deo miſſus ante faciem Domini, vt pararet Domino plebem perfectam.* Et Imperfectus *homil. 27. Ioannes ſpecie homo, gratia Angelus: quia nihil carnis erat in eo.* Hac de cauſa ait Euſebius, Euangeliſtam Ioannem illum vocaſſe hominem dicens: *Fuit homo miſſus à Deo*, vt errorem à mente quorundam auferret, qui eum non hominem, ſed Angelum exiſtibant.

Cum ergo formicæ præcipuè alatæ Ioannnem Baptiſtam maximopere præſigurent; nec vlla appareat ratio, ob quam illa actio à cauſa naturali; aut diabolica prouenire cenſeatur, ſanè non mirandum; imò piè conſiderandum, ac credendum, Deum ita diſponere, vt illa animalcula, quæ rectè Præcurſoris ſymbola dici poſſunt, ad montem illum ſe tranſ-

Qui colitur in loco, vbi tales effectus operantur.

transferant, ac ducantur angelica ope, circa feſtum Decollationis ipſius, quo animam Deo reddidit, in eo fano, vbi præcipuè prædictum Præcurſoris ſimulacrum capitis veneratur, & animas deuotas ad cõpaſſionem, compunctionem, ac deuotionem erga Præcurſorem excitat, vt figuræ ſuo figurato ſeſe quaſi ſacrificio dicantes, ſuo modo morte ſua mortem Præcurſoris deplorent.

SECTIO II.

Hiperphyſicum.

279 *Effectus hyperphyſici dicuntur omnia opera à Deo operata. Tum in Veteri. Tum in Nouo teſtamento*

DVm mentis oculis extollor in contemplatione effectuum hyperphyſicorum, viléſcunt animo omnia, quæ naturæ finibus coarctantur; compelſorquè miſericordias Domini in æternum cantare in generationem, & generationem annunciando veritatem eius in ore meo; ſimulquè omnes creatnras inuitando ad confitendum nomini Domini, qui facit mirabilia ſolus, quoniam in æternum miſericordia eius.

Quid enim ſunt omnia ſigna, & prodigia operata in medio Ægypti in omnibus finibus Chanaan, & in toto terrarum orbe, niſi effectus hyperphyſici? Quid tot opera à Verbo incarnato non tantùm in Capharnao; ſed & in omnibus Iſraelis, totiuſquè orientis finibus patrata: nonnè effectus hyperphyſici? Videas hos miros effectus: Eriguntur claudi, cæci vident, muti loquuntur, ſurdi audiunt, paralitici ſanantur, reſurgunt mortui, & ægri ad vitam ab ipſo mortis limine reuocantur, qui omnes ſimul vna voce poſſunt confiteri Domino, quoniam bonus, & annuntiare inter gentes opera eius, eiquè cantando narrare omnia mirabilia eius.

280 *Multi effectus hyperphyſici ſunt à dæmone. Ideò curatio poteſt eſſe ſuperſtitioſa quo ad illos ſiuè procedant. A Dęmone: ſiuè A Malefico.*

At quia non omnes effectus hyperphyſici à Deo, emanare probantur; ſed quamplures, etiam à dæmone, licèt à primis valdè diuerſi, vt diſputatum eſt ſupra *tomo 1. diſp. 3. num. 639. & ſequentibus*, prouenire videmus; Ideò curationem ſuperſtitioſam adhuc iudicare compellor quoad effectus hyperphyſicos ſiuè procedant à Dæmone dæmoniaca virtute operante: Siuè à malefico agente eiuſdem dęmonis virtute: vt duobus articulis notum fiet.

ARTICVLVS I.

A Dæmone dęmoniaca virtute operante.

§. I.

281 *Dæmon ſeipſo multos præſtat effectus qui humanas ſuperant vires. Quorum vnus prouenit ex remedij applicatione facta in loco diſtanti.*

NOn ſolùm antiquus aduerſarius noſter diabolus vana operatur mediantibus naturalibus agentibus in liberandis hominibus à varijs morbis, diuerſiſquè infortunijs auertendis. Verùm etiam ſeipſo, ac ſua propria virtute præſtat effectus, qui aliquo modo humanam ſuperant virtutem, omnemquè cauſarum creatarum efficaciam ſupereminent; vt ſic homines magis, magiſquè à Deo auertat, ad ſuiquè ipſius cultum, ac venerationem adducat. Horum effectuum inprimis vnus occurrit, qui ſequitur ex curatione, qua quidam exiſtentes in loco diſtanti; lethalia hominum, vel animalium vulnera breuiſſimo temporis ſpatio curant, applicato quodam vnguenti genere, aut puluere vittis, ſiuè petijs lineis: aut gladio, ſiuè enſi; aut ligno ſanguine vulneratorum madefactis.

At quis in phyſicis mediocriter verſatus hunc medendi modum approbare audeat? Nonnè apertè ſe ipſum exhibet ſuperſtitioſum? Quodnam agens naturale interrupta ſphęra ſuæ actiuitatis poterit ſuum producere effectum? Interponatur paries inter magnetem, & ferrum, non poteſt ampliùs magnes attrahere ferrum. Ponantur corpora denſa inter ſolem, & lunam, nec poterit ſol ampliùs in ea producere effectus, quos producit. Pari modo ſi demus ſphæram actiuitatis huius remedij applicati panno lineo, enſi, aut cuilibet alteri rei ſe protendere vſquè ad infirmum diſtantem, quis non videat adhuc fatendum, huiuſmodi ſpheram, & contactum virtualem interrumpi per multa obiecta interpoſita; vt per multos parietes, in quibus clauſi detinentur panni linei: vel enſes, quibus remedium applicatur? Ideòquè aſſerendum huiuſmodi effectum viribus naturæ fieri non poſſe. Et ſi non eſt à cauſis naturalibus, nequè à Deo eſſe dici poteſt: quia quando non conſtat ex ſcriptura: vel Eccleſiæ traditione, aliquem effectum eſſe à Deo: vel à bono Angelo, non debemus illum ipſis attribuere: vt inquit Delrius *li6. 3. quæſt. 4. ſect. 1.* & Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 40. num. 44.* Veroſimile enim non eſt, Deum, vel bonos Angelos hæc paſſim præſtare per quoſcumquè homines, niſi maxima operantis ſanctitas: vel alia vrgentiſſima indicia id ſuadeant. Idcircò cenſendum potiùs huiuſmodi effectum eſſe à malo ſpiritu ex pacto tacito cum ipſo. 282 *Eius ſuperſtitio oſtenditur rationibus.*

Vrget nos alia ratio. Si enim hoc remedium applicatum panno lineo, vel enſi, aut ligno ſanguine intincto ad vulnera ſanãda in tanta diſtãtia iuuaret; ſequeretur etiam venenum: vel quid ſimile noxium, & lethiferum eidem lineo applicatum panno nocere vulneri: cum par videatur vtriuſquè ratio iuxta axioma philoſophicum 4. *Topic. tract. 2. Sicut propoſitum eſt cauſa propoſiti, ita oppoſitum eſt cauſa oppoſiti.* Cum autem conſequens ſit falſum: quia venenum nocere nequit, niſi infra ſphęram ſuæ actiuitatis: idem de remedio eſt concludendum.

§. II.

AT dices, huiuſmodi effectum naturaliter produci ab hoc remedio maximè, quia eſt aliqua ſympathia, & conformitas inter remedium, & effectum; ſed id nullius eſt momenti. Nam effectus ſanitatis data quauis ſympathia nonnè eſt effectus realis? Si realis: neceſſariò vtiquè fieri debet per aliquam actionem; quæ cum non poſſit dari naturaliter in tanta diſtantia, eo quia non interceda contactus ſaltem virtualis, & impediatur ſphæra actiuitatis, impediatur, oportet, etiam effectus ſanitatis, nè eueniat per vim dicti remedij; ſed ſi euenit, hoc fiat opitulante dæmone, qui ex pacto tacito, & implicito concurrit cum huiuſmodi curatore. 283 *Obijcitur de ſympathia. Satisfit obiectioni.*

Hinc dictam curationem ſimplex eſſe ſortilegiũ cenſet Bonacina *de legibus diſput. 3. quæſt. 5. punct. 4. num. 18. & ſequent.* Vbi ait, ita fuiſſe concluſum in Pęnitentiaria Mediolani. *Et num. 19.* addit, hoſcè ſic medentes debere denunciari S. Officio. Et ità ait Cæſar Carena *par. 2. de ſortileg. tit. 12. §. 4. num. 29.* etiam in S. Off. Cremon. huiuſmodi ſic, vel ſimilibus modis medentes puniri grauiſſimè. Idem ſuſtinet Bordonus *cap. 18. de ſortilegijs q. 12.*

Inter

§. III.

284 INter hos hyperphyſicos effectus connumerandæ ſunt illæ expulſiones nubium, & inſectorum à certis locis, quę non fiunt, niſi auxilio dæmonis.

Alter eſt expulſio nubium facta à certis hominibus certo ritu. Eorum iactātia conuincitur dupliciter.

Quoad nubium coniuratores quidam iactitant, ſe vim habere, nubes à certis locis expellendi, repellendiquè, quorum iactantia facilè conuincitur à Delrio *lib.6. Diſquiſ. magic. Anacephalæoſi. Monitione XI. his* rationibus:

Primò ſi interrogentur: an nubes illæ ſint naturalibus ex cauſis ortæ: an ex maleficio, & opera dæmonis? Si dicant, ex naturalibus cauſis, ergo exorciſmus fertur contra Naturæ auctorem Deum: quod blaſphemum, & ſacrilegum eſt, & vim habeat naturalem contra nubes, neceſſe eſt, aut ſupernaturalem. Supernaturalem non accepit à Deo, qui ſibi contrarius non eſt, nec à bonis Angelis, qui Dei voluntati non aduerſantur; ergò à dæmonis ope vis illa prouenit. Si nubem dicant ex maleficio ortam, & moueri à dæmone: vndè ſciunt, niſi ex pacto.

Secundò interrogentur, ſi notitiam habent, & potentiam pellendi malas nubes, cur non etiam norunt, & poſſunt adducere, & euocare tempore ſqualoris, & ſiccitatis in agros nubes bonas, & ſalutatores? Cur non etiam fulmina, & ignem de cælo cadentem, ac incendijs domus abſumentem valeant arcere, ac extinguere? Cur non etiam ſciant coniurare ventorum turbines, & aquarum eluuiones, quibus ſata, & domus, & arbores quandoquè à malis Angelis ſternuntur, & abripiuntur? Cur igitur ſi ad hominum commune bonum hæc ars, aut poteſtas à Deo illis tributa, beneficentia Dei ad vnum hoc ab illis reſtringitur? Vndè apparet, illos hæc ex pacto cum dæmone ſaltem implicito operari. Hæc Delrius.

§. IV.

285 ALij ſunt, qui vindicant ſibi artem quandam, aut poteſtatem peculiarem, vt à Deo conceſſam expellendi, necandiquè campi brucos, locuſtas, cantaros, & alia inſecta, atquè vermina, quę fructus, radices, & ſemina depaſcuntur, & ſpem agricolarum deludunt; & tales multis in locis ſolent à ruſticis quotannis magno pretio accerſiri.

Similis effectus eſt destructio inſectorum quadam arte facta Praxis eorum explicatur.

Praxis eſſe ſolet huiuſmodi. Impoſtor iſte ſe iudicem conſtituit: comparent coram eo duo procuratores: Vnus cauſam populi agens fungitur vice accuſatoris. Alius à Vicario Epiſcopi, vel Regio officiato loci conſtitutus vicem ſubit Rei pro locuſtis, vel alijs inſectis; Litem conteſtantur, & ſeruantur proceſſus ordinarij omnes tricæ, ac moræ, ac dilatorij termini. Tandem in cauſa concluditur, & bellus Iudex fert ſentētiam, qua inſecta illa, iubet, intra certum dierum ſpatium terminis illius territorij excedere ſub pæna excommunicationis latæ ſententię, &c.

Vt ſuperſtitioſa condemnatur.

Quis autem tam ignarus, qui dictam artem non iudicet prorſus ſuperſtitioſam? Apertior enim eſt hic ſuperſtitio, quàm vt queat tegi. Quarè iuremeritò ab omnibus Doctoribus ſanctis condemnatur: eò quod lis inſtituatur cum creatura irrationali, quæ quid agatur nec ſcit, nec ſentit, nec poteſt intelligere. Et cum illa inſecta naturaliter naſcatur, quis non agnoſcat, iniuſtam eſſe excommunicationem latam in eas creaturas, quæ nec mortaliter, nec venialiter peccare poſſunt? Blaſphemum inſuper eſt hanc ſacram Eccleſiæ cenſuram ſic riſui, & ludibrio habere: non ſecus ac ſi quis ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ iubere canibus, nè latrarent, & lupis, ne vlularent: aut vulpem abſolueret à rapinis gallinarum, &c.

Quod idem fermè dicendum etiam de his, qui dæmoni præcipiunt ſub excommunicatione ſententiæ, vt è corporibus, vel locis exeat: qua excommunicatione ſæpiùs vtitur Menghus in ſuis Exorciſmarijs Zacharia Vicecomes, Florianus Canalis, & plures alij antiqui Exorciſtæ. Quarè prędictam artem eruditè improbat Ciruelus *de Superſtit.3.par.cap.*10. Delrius *Diſquiſit.magic.lib.3.q.4.ſect.9. & in Anacephalæoſi monit.*11. Sanchez *lib.2. in Decalogi præcept.cap.42.num.39.* Sotus *lib.5. de iuſtit.quæſt.12.art.2. & lib.8. quæſt.3.art.3.* & Nauarrus *lib.5. Conſil.tit. de ſententia excommunic. in 1. editione* & Valent. *2.2.diſp.6.quæſt.8.punct.2.* Si ergo effectus ſequitur ex huiuſmodi adiuratione, puta, inſectorum expulſio, fatendum eſt, prouenire, non à Deo, qui tales formulas non inſtituit: neque ab Eccleſiæ conſuetudine, cum eas non approbet: ergo à dæmone ex pacto explicito, vel implicito inito cum eorum impoſtore, vel coniuratore.

§. V.

APrædicta litis conteſtatione non differt illa, qua aliqui vt dæmonem expellant ab aliquo loco: vel ab eius iuriſdictione aliquem magum, vel maleficum volentem ſe ad Deum conuertere, eripiant, conſtituunt Iudicem, & duos Aduocatos eodem modo, quo ſupra num.285. litem conteſtantur, proceſſus ſeruantur ordinarij, & cætera acta iudiciaria perficiuntur: vt hoc noſtro æuo, quoſdam etiam Lectores Theologos in varijs Italiæ Ciuitatibus feciſſe mihi à fide dignis relatum eſt, de quibus fusè infra *num.*700. 286

Talis eſt litis conteſtatio inter dæmonē, & maleficū ſe ad Deum conuertere volentem.

§. VI.

SEd qua poteſtate, ac vi præſumunt, dictum pęnitentem è faucibus infernalis eripere Draconis? Humana, an diuina, vel eccleſiaſtica? Si humana: Inſtituant litem, vt lubet: quòd tandem oleum, & operam perdent, cum non ſit poteſtas ſuper terram, quæ dæmoniacæ poteſtati æquiparari valeat. Si diuina; & eccleſiaſtica: cur ſub lite ponere quod Deus per ſe, ac per ſuos eccleſiaſticos miniſtros liberè exequitur, non obſtantibus quibuſcumquè dæmonis inſultibus, & apparentibus rationibus, & argumentis, qui tandem confuſus recedere compellitur. 287

Quare huiuſmodi litis conteſtatio, ac proceſſus inſtitutio, cum grauiter Deum offendat, maximè diuinam eius omnipotentiam, qua dęmonis potentiam deprimit: Sapientiam perfectiſſimam, qua technas eius diſſoluit, ac Bonitatem ſummam, qua malitiam illius confundit; & noui pænitentis miſeriam ſubleuat, & imbecillitatem roborat: Nec non Eccleſiaſticam vituperet poteſtatem, vtiquè à Chriſtifidelibus vt ſuperſtitioſa, & à verſipelli dæmone adinuenta prorſus eſt deteſtanda, & abominanda. Et cum aliquem, euenit, quandoquè à diaboli caſtris aufugere, & ad ouile Chriſti, & Eccleſiæ

cleſiæ ſe recipere, Theologi Exorciſtæ periti curæ ſe committat, qui per aſſiduas in Chriſti fidem inſtructiones, peccatorum, ac pactorum deteſtationes, abrenunciationes, ſacramentalem confeſſionem, per iteratos actus confidentiæ in diuina bonitate, ac clementia, ac in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu, eiuſquè validiſſima, tutiſſimaquè protectione confirmare ſtudeat; dæmoniſquè impetus præceptis eccleſiaſticis diuino Nomine Ieſu interpoſito continuò cohibere ſatagat. Quòd certè ſine lite, ſed cum ſecuritate victoriam aſſequetur, vt conſtat de Sancto Cypriano priùs mago, ſed poſteà ſancto ſupra tom. 1. pag. 33. num. 123. relato.

§. VII.

Huc referuntur effectus immunitatis à varijs periculis.

288 HVc referendi ſunt illi effectus, qui à quibuſdam rebus naturalibus putà, verbis, herbis, plantis, metallis, lapidibus, particulis corporis humani, vel bruti animantis, vel alijs id generis prouenire dicuntur, quæ planè non poſſunt eſſe cauſæ ex ſe habentes virtutem ad tales effectus producendos, cum illis virtute ſint longè ſuperiores.

Inprimis venit effectus ille immunitatis (vt ita dicam) ab omnibus effectibus contingentibus aduerſis, & à quocumquè hominum lęſione. Promittunt cuicumquè, qui ſecum defert chartam virginem baptizatam, ideſt, cuticulam, qua infantis caput naſcentis eſt inuolutum, quam priùs poſuerint ſub mappas altaris, dum ſacerdos celebrat: promittunt, inquam, ipſum ſecurum ab inimicorum offenſionibus, à gladio, igne, morte violenta, & alijs huiuſmodi periculis. Vide ſupra num. 170. & in fine *tom. 1. num.* 154. Pariformiter cuicumquè ſecum deferenti nomina hæc: *pion per* ✠ *donna* ✠ *&c.* cum quibuſdam alijs verbis ſacris, crucibus, ac nominibus incognitis nihil planè ſignificantibus quæ dicunt à Sancto Alexandro miſſa Ruperto Regi; pollicentur immunitatem ab omnibus periculis. Dicunt, quòd non poterit à miniſtris iuſtitiæ è medio tolli: nõ poterit ferro occidi, aqua ſubmergi igne comburi: ſi vxoratus non diligitur ab vxore; vel vxor à marito, ſtatim ab inuicem ſe diligent: mulier parturiens abſquè dolore pariet: non poterit mori abſquè confeſſione: ſi ſanguis è naribus, vel vulnere emanare non ceſſat: illicò per dictam epiſtolam ſiſti comprobatur.

Sed præcipuè hæc promittuntur illi, qui apud ſe defert ſcriptam ſequentem epiſtolam: *Crux Chriſti &c. Crux Chriſti veniat &c.* cum nominibus triũ Magorum, quæ ſunt *Gaſpar*, *Melchior*, *Baltaſar*: quatuor Euangeliſtarum, & alijs: cum quibuſdam crucibus interpoſitis.

Sunt aliæ ſimiles formulæ, in quibus varij interponuntur characteres, ac literæ cum varijs punctis ac ſignis: dicentes: valere ad hoc, vt quis à ſuo domino diligatur.

Huc ſpectat quod fertur de Alicorno, quem geſtantes apud ſe, antiqui dicebant: vel bibentes in ſcifis ex illo cornu factis, eo die præſeruari à quacumquè ſpecie ægritudinis; eiquè non poſſe nocere ignem, ferrum, venenum, nec aliquod aduerſum.

§. VIII.

Quæ omnia vt ſuperſtitioſa demõſtrãtur Varijs rationibus.

289 SEd hæc omnia merè eſſe ſuperſtitioſa, & à dæmone per ſuos magos, ac maleficos diffamata, quis ibit inficias?

Superſtitio enim ibi eſt in falſo cultu, qui tribuitur illis verbis, characteribus, ac ſignis: & ab eis expectatur, quod à ſolo Deo prouenire poteſt. Quis enim poteſt nos à cunctis præſeruare periculis, putà à ferro, igne, aquarum ſubmerſione, cæteriſquè infortunijs, niſi ſolus Deus? Quis poteſt impedire, ne quis repentè moriatur; ſed tempus habeat, ſe ad pænitentiam diſponendi; illumquè excitare, vt ſua deteſtetur peccata, niſi ſolus Deus: qui gratia ſua peccatorem præuenit, & excitat, vt per liberum arbitrium actus eliciat doloris peccatorum ſuorum: vt habetur ex Concilio Trident. *ſeſſ. 6. cap. 6. Si quis dixerit peccatorem ſine præueniente ſpiritus ſancti gratia pænitere poſſe, anathema ſit.* Videas ergo, quomodo in hiſce periaptis attribuitur creaturæ, quod ſoli creatori conuenit: dum geſtans tales characteres dicitur præſeruari & fieri immunis ab omnibus periculis, & euadere impaſſibilis. Similiter mori non poſſe ſine confeſſione; quo quid abſurdius?

Præterea libertas arbitrii tollitur. Nam huiuſmodi effectus pendent ex libero arbitrio. Si enim loquimur de immunitate ab offenſis, & impaſſibilitate, hæc dependet ex libero vſu vtriuſquè hominis, ſcilicet, percutientis, & percuſſi; circa quem vſum nihil poſſunt cauſæ naturales; & præterea ſæpè per accidens pendet ex cauſali occurſu, vel occaſione. Quòd ſi intelligatur immunitas eſſe ex parte corporis percuſſi: vt ſcilicet, taliter ſit effectum, quòd licèt vulneretur, vel fortiter pungatur, lædi non poſſit, etiamſi nulla arma defenſiua habeat præter geſtationem, ver. gr. chartæ virginis, amuleti; vel alterius ſimilis inuolucri: vel certæ ſcripturæ, vel characterum, &c. Tunc etiam euidens eſt, nec in his rebus, nec in vlla cauſa naturali poſſe eſſe virtutem ad talem immunitatem præſtandã. Eſto bibentes in ſcifis ex cornu illo Alicorni pręſeruentur ab aliqua ægritudine propter aliquam inſitam virtutem oppoſitam illi ægritudini: non tamen vim habet præſeruandi ab omnibus: & eò minùs à periculis fortuitis, & à malis ab extrinſeco venientibus: ita Andr. Baccius Med. diſc. Alicorno de p. 3.

Adhuc tollitur libertas arbitrij, dum dicitur, quòd talia geſtans periapta non poteſt mori ſine confeſſione: Quòd enim quis confiteatur peccata, hoc liberè facit, & poteſt etiam non confiteri; ſi autem ſic verum eſſet: tunc neceſſariò & coactè confiteretur, ſic confeſſio non eſſet libera, & voluntaria; ac liberum arbitrium non eſſet liberum: ſed coactum, quod implicat contradictionem.

Cum ergo prædicta periapta nullam ex ſe virtutem habeant tales producendi effectus. Si quandoquè aliquem producunt, quod non ſemper euenit, nec omnia, quæ promittuntur, adimplentur; oportet adhibeantur vt ſigna, ad quorum præſentiam aliquis alius operetur: non Deus: quia ipſe talia ſigna non inſtituit: nec in eis aliquid eſt, quod Deũ deceat; nec quod pietatem promoueat; nec Angelus ſanctus: quia Angeli ſancti non ſe immiſcent his vanis, ac prorſus rebus inutilibus. Dęmon ergo, qui ex pacto concurrit ad tales aliquando præſtandos effectus licèt imperfectè, vt tandem eos decipiat, & ad interitum pertrahat, vt dictum eſt ſupra *n. 282. huius diſputationis.*

§. IX.

Ita ſunt effectus illi, qui

SImili ſuperſtitione vitiantur illi effectus, qui ex 290
quibuſdam rebus naturalibus dicuntur euenire, licet falsò, cum ad tales effectus nullam vim habeant naturalem.

Horum exempla congerit Annæus Robertus *l. 1. rer.*

dicuntur euenire ex rebus naturalibus, quę tamen non habent vim ad illos producẽdos.

rer. iudic. cap. 5. Chartam ſeruilij contra lippitudinem *apud Plinium lib.* 28. Periapton Periclis *Plutarc. in Pericle*. Annulum ferreum Tralliani contra colicam *lib. 9. in fine*. Alia id generis ab alijs recenſentur. Radicem Bryonię ſiccatam, & collo appenſam: & palmam Chriſti à maleficis, & veneficis hominibus ſecuros reddere cenſet Federicus Iametius Medicus. Nec minus eſſe ad id efficax argentũ viuũ appenſum, vel geſtatum: vel puluinari ſubiectum idem teſtatur. Artemiſiã manu contractam nocentes feras, ac dæmones fugare, docet Fernelius. Pendactis ſolis ortu luna creſcente euulſam ad faſcinationes, & dæmonia valere teſtatur Meſues. Buphtalmum collectum creſcente luna dęmones, mala medicamenta, ac faſcinationes demoliri, tradit Auerroes. Peoniam collectam antequam ſol oriatur, & ſuſpenſam medicamentis malis, & faſcinationibus eſſe aduerſam, ac dæmonis nocturnos incurſus expellere, affirmat Auicenna. Mandragoram ad id conducere, contendit Plinius. Ciphi ſuffitu malum ſpiritum abigere, lunaticos reſtituere, ſi cũ ſpuma tauri ab ortu ſolis vſq. ad ortum lunę diebus triginta adhibeatur, recolit Nicolaus Myrepſius *ſect. 2. ant. 298*. Ramnũ, ſi illius rami valuis, feneſtriſuè imponantur, veneficia arcere, ait Dioſcorides *lib. 2. ex vulgi opinione*. Roſtrum lupi, ſeu pellem è ceruice ſolidam veneficijs reſiſtere villarũ portis pręfixã, teſtatur Plinius.

Quæ omnia nullam habere virtutem phyſicam ad dæmones pellendos, vel maleficia deſtruenda latè demonſtratur infra *diſp. 2. p. 2.* Ideò ſi aliquem quandoquè producunt huiuſmodi effectum, fieri à dęmone concurrente ex pacto implicito vt ſic homines, Exorciſtatus à remedijs auertat eccleſiaſticis, & fidem ſuam collocent in hiſce rebus vanis, & inutilibus.

§. X.

291 *Errant Medici, & Exorciſtæ, qui talia aſſerunt.*

NEc miror, quòd prædicti Medici prędictis rebus corporeis vim huiuſmodi aduerſus dæmones, ac veneficia tribuerint: Illi enim rebus naturalibus tantùm addicti, nullam ferè, aut paucam rerum ſpiritualium cognitionem habuerunt; idcircò in his, quæ ad Deum ſpectant, & animæ concernunt, infinitis propemodum erroribus fuerunt implicati. Sed mirandum ſanè quòd multi Exorciſtæ in ſuis Exorciſmarijs, & præcipuè R. Florianus Canalis libro, cuius titulus eſt: *Del modo di conoſcere, & ſanare i maleficiati trattato primo parte 3. loquens de remedijs corporalibus ad depellenda veneficia cap. 10.* ponit omnia prædicta, & plura alia tamquam efficaciſſima ad dæmones arcendos, & maleficia depellenda: nec aduertit, prædicta remedia omnia eſſe ſuperſtitioſa: quia res ſenſibiles nullam vim phyſicam contra dæmones, qui ſunt ſpirituales ſubſtantiæ habere poſſunt: vt fusè explicatur *diſput. ſequenti par. 2.* Ideò effectus ab hiſce rebus prodeuntes, cum non ſint naturales, neque à Deo, neque ab Angelis bonis, vt ſæpiùs demonſtratum eſt, à dæmone eſſe conuincuntur; & per conſequens non phyſici, ſed hyperphyſici ſuperſtitioſi nuncupandi,

§. XI.

292 *An Galli cantus diſſipet*

TAndem huc referri poteſt id, quod refert Delrius *lib. 6. diſquiſ. mag. c. 2. ſect. 1. q. 1. num. 7. de Galli cantu*, quem ferunt vim habere quædam diſſipandi maleficia: Quod probat auctoritate Nicolai Remigij nonnulla exempla referentis, quibus oſtendit, ad galli cantum dæmonem ſtriges, quas vectabat, deieciſſe, conuentuſquè ipſarum ſtrigum hoc canore fuiſſe diſſipatos. An ergo iſte effectus phyſicus ſit, vel hyperphyſicus attendamus. *ſtrigarũ conuentus.*

Si Philoſophi circa hoc ſuam aperirent mentem, dicerent, effectum eſſe phyſicum: quia confugerent ad diſſidium naturale gallinacei cum leone, & ſerpente: ſed fruſtra: quia diabolus duntaxat metaphoricus eſt ſerpens, ac leo: nec maiorem vim habet cantus oſcinis huius, quàm cuculi, vel corui, aut alterius auis. Ideò ſuperſtitioſum eſt, credere, dæmones galli cantu ſub aurora vinci ex vi illius cantus naturali: cum virtus dæmonis maior ſit quacumquè virtute naturali ſuper terram.

§. XII.

QVare ſi quid veritatis huic experimento ſubeſt, 293 *Qua de cauſa poſſint dęmones odiſſe galli cantum.*
crediderim potiùs Cum Delrio, quem ſequitur Ignatius Lupus *p. 3. Edicti S. Inq. l. 15. diſt. 3. art. 1. diff. 1.* tenebriones iſtos galli cantum odiſſe propter myſterium aliquod ipſis odioſum. Videlicet vel quia diei prænuncius ales ad Dei laudem homines excitat, ac tunc Religioſi ſurgunt ad horas canonicas recitandas Deum laudandum, & glorificandum, multaque peccatorum genera, quę obſcuro ſuo peplo nox obtexerat, ſolari lampade diſpelluntur. Vel quia Dominica reſurrectione commeminit ſe triumphatum, & colliſum, quæ poſt noctis medium contigit. Vel quia meminit pænitentiæ Petri Apoſtoli ad galli cantum, inchoactæ, in quo cæpit amarè flere, & electiſſimi ſibi boli ſic erepti. Hæc cenſeo digna conſideratione videntur Eccleſiæ, quæ cum B. Ambroſio concinit de Gallicinio in laudibus diei Dominicæ:

Præco diei iam ſonat
Iuburquè ſolis euocat
Hoc excitatus Lucifer
Soluit polum caligine
Hoc omnis erronum cohors
Viam nocendi deſerit
(en vnam cauſam)
Hoc ipſa petra Eccleſia
Canente culpam diluit
Gallus iacentes excitat
Et ſomnolentos increpat
Gallus negantes arguit
Gallo canente ſpes redit
Ægris ſalus refunditur
Mucro latronis conditur
Lapſis fides reuertitur
En alias cauſas prædictas.

ARTICVLVS II.

A Malefico agente eiuſdem dęmonis virtute.

294 *Dæmon vt ſuos honoret aſſeclas, multa præſtat per ipſos quæ effectus hyperphyſici appellantur.*

§. I.

SOlet quidem dęmon propria virtute ſeipſo multa ſiue in perniciem: ſiuè in commodum hominum operari, quorum operum effectus hyperphyſici nuncupantur. Sed cum innumeros habeat aſſeclas, quos optat ab hominibus honorari, vt ſic facilius alios pertrahat in naſſam ſuam; ideò perſæpè ipſis mediantibus multa præſtat, vt etiam

ſupra dixi, *vbi de cauſa externa, & remota ſuperſtitioſa curationis*: quæ cum rerum naturalium vires ſuperent, & excedant, effectus hyperphyſici ſunt appellandi: quatenus à maleficio per eiuſdem dęmonis virtutem operantis ſiuè ex pacto expreſſo, ſiuè tacito, & implicito cum ipſo inito prouenire dignoſcuntur.

Vt ſunt effectus ab imaginibus aſtronomicis prouenientes

Horum effectuum præter eos, de quibus varijs locis ſupra in proceſſu totius diſputationis ſub alijs titulis actum eſt: nonnullos in hoc vltimo articulo adducam procedentes ex imaginibus, & figuris dictis aſtronomicis. Solent enim quidam magi, vel eorum ſectatores quaſdam fabricare imagines ex auro, vel argento, vel alio metallo, vel cera, aut altera materia ad certas conſtellationes; vel certo charactere: aut in forma imaginis alicuius aſtri: quas dicunt miram habere efficaciam ad morbos auferendos; alioſquè miros præſtandos effectus, vt oſtendimus *ſupra tom. 1. diſp. 1. num. 21. & diſput. 4. eiuſd. tom. n. 781. & ſequent.*

De quibus quidam aſtruunt, quòd licèt ex materia ſola, ſeù forma naturali non habeant hanc virtutem; tamen ſi fabricentur peculiari modo per artem cum talibus figuris, ſeù characteribus, & ſub tali conſtellatione cæleſti indè accipere poſſe virtutem intrinſecam ad tales effectus; ideòquè non poſſe colligi pactum cum dæmone.

§. II.

Quia de his ſentiat Caietanus.

295 QVam euaſionem approbat Caietanus *2. 2. q. 69. artic. 2.* defendendo imagines aſtronomicas, quando ſine alijs characteribus, vel numeris, aut certis punctis fiunt; ſed ſolùm cum imagine alicuius ſigni cæleſtis: vt Leonis, Virginis, & in certa conſtellatione. Et ſolùm dicitur talis imago eſſe vtilis contra aliquem morbum; vt contra dolores renum: vel contra melancholiam: vel ad alium ſimilem effectum non eſſe ſuperſtitioſas.

Eius poſitionis fũdamẽtũ.

Baſis, cui innitur Caietanus eſt: quia ille effectus non eſt ſupernaturalis; ſed fieri poteſt per artem medicinæ, & herbas medicinales. Non ergo ſuperſtitioſum eſt, credere, imaginem auream, vel argenteam, ver. gr. fabricatam in tali conſtellatione, & cum illa forma ſigni Leonis talem habere virtutem medicinalem ex impreſſione cæleſti, quam aurum, vel argentum ſine illa imagine non haberet, quia illa figura per conformitatem ad aſtra poteſt eſſe diſpoſitio ad recipiendam ab aſtris talem influentiam, & virtutem, quas aliàs non reciperet. Nam figura ſecundùm ſe poteſt aliquo modo ad actionem conferre, vt patet in inſtrumentis artis, & in rotis, & organis mathematicis, & in motu grauium, in quibus figura iuuat naturam, & in viuentibus figura eſt magna pars organizationis. Ac deniquè cõformitas ad aſtrum in tali figura poteſt etiam conferre ad ſuſcipiendam influentiam eius.

Cum ergo influentiæ cæleſtes ſint nobis occultæ, nõ videntur tales imagines aſtronomicę ſi ſimplices ſint, damnandæ. Secùs autem (inquit) eſt, ſi addantur alij characteres, quia illi ſunt impertinentes, & nihil conferre poſſunt ad actionem. Et ideò ſolùm poſſunt adhiberi, vt ſigna indicantia pactum cum dęmone.

§. III.

296 AT quis ex probis Theologis hanc velit admittere euaſionem? Nonnè reuera ſuperſtitioſa, & nulla probabili ratione fundata? Et vt omittam alias imagines, quæ cum ſuperſtitioſis cæremonijs, & characteribus varijs modis formantur: de quibus *ſupra tom. 1. num. 781. & ſeq. & 786. & ſequentibus*: etiam in ſimplicibus nullam mihi videtur habere probabilitatem opinio Caietani.

Quod vt ſuperſtitioſum.

Primò fuit condemnatũ à D. Th.

Et primò illam ſimpliciter prius condemnauit D. Thom. *2. 2. q. 96. a. 2. ad 2.* vbi optima ratione ſic diſcurrit: Forma artificialis non poteſt habere virtutem agendi ab artifice: quia ſolùm procedit ab idea, ſeù conceptione mentis, quę non eſt actiua (actione, ſcilicet, & alteratione naturali) nec etiam ex ſua natura talem habet vim, quia ſolùm conſurgit ex compoſitione, ordine, & figura, quę nec ſunt principia agendi, nec diſponunt ad recipiendum virtutem agendi ex influentia cæleſti. Ideòquè falſum eſt, quod Porphirio videbatur, vt teſtatur Auguſtinus 10. *de Ciuit. Dei cap. 9. & 11.* Herbis, & lapidibus, & animantibus, & ſonis certis quibuſdam, ac vocibus, ac figurationibus, atquè figmentis, quibuſdam etiam obſeruatis in cęli conuerſionibus, motibus ſyderum fabricari in terra ab hominibus poteſtates idoneas ſyderum varijs effectibus exequendis, quaſi effectus magicarum artium ex virtute cæleſtium corporum prouenirent. Subditquè Auguſtinus; *Totum hoc ad dæmonis pertinet, ludificationes animarum ſibi ſubditarum. Vndè etiam imagines, quas aſtronomicas vocant, ex operatione dæmonum habent effectum.* Sed cum Auguſtinus ibi indiſtinctè loquatur de figuris, & alijs vanis cæremonijs, & obſeruantijs, ſinamus, huic ſententiæ ſe ſubſcribat D. Ioan. Chryſoſtomus, qui *homil. 8. in Epiſt. ad Coloſ.* optimè ſcribit contra eaſdem imagines atronomicas.

§. IV.

AT ſi maiori ſtudio Caietani rationes perpendamus, nullius eſſe momenti inueniemus. Figura enim numquam eſt actiua, nec proprium principium agendi; ſolùmquè ad motum localem confert; & ad actionem inſtrumentorum, vel agentium, quæ per motum localem applicantur ad agendum. Et tunc etiam figura ſolùm diſponit, vt agens, vel inſtrumentum poſſit faciliùs, vel commodiùs applicari huic, vel illi loco prout ad actionem intentam expedit. Et quoad hoc meritò vtilem eſſe non negamus; quia per motum localem tenditur ad Vbi: ipſa autem figura ſeruat proportionem cum Vbi; illiquè naturaliter commodatur; ideòquè ad localem applicationem deſeruit. Ad alterationem verò, vel ad naturales effectus, & virtutes, qui per alterationem fiunt, per ſe nihil confert. 297

Eius rationes nullius eſſe momenti oſtenduntur.

Nec poteſt intelligi, quid figura ſolis in metallo, lapide, aut ligno deſcripta ad hanc, vel illam cęli influentiam recipiendam conducat. Nec enim lignum meliùs comburitur eò quod ſit huius figurę, vel illius, niſi deſeruiat, vt meliùs applicetur. Superſtitioſum autem eſſet, imaginem ignis in lapide depingere, vt actionem ignis melius reciperet.

Diſtinctio autem illa Caietani de figura, vt figura eſt: vel vt eſt forma artificialis, planè friuola eſt: Nam illa denominatio formæ nihil prorſus addit, niſi vel habitudinem ad artem: vel ad ſubiectum, quod informat. Vel certè forma illa phyſicè ſpectata poteſt concludere alias qualitates, quę ordinariè actiuæ non ſunt; ſed colores aliqui, qui ad recipiendam virtutem agendi non diſponunt; nec in his imaginibus aſtronomicis ſolent conſiderari: vt erudite probat etiam Benedictus Pererius *lib. 1. de magia c. 9.*

Quid

§. V.

298 QVid dicam tandem de illa conſonantia, quæ à Caietano ſpectatur inter imaginem, & aſtrũ, ſeu ſignum cæli, nonnè eſt tantùm quædam relatio, vel extrinſeca denominatio? Quid igitur conferre poteſt ad influentiam? Eò magis, quòd hæc conformitas non eſt vera, & naturalis: nec enim in cælo eſt vera facies Leonis, aut externa forma Scorpionis, Tauri, & ſimilia; ſed ex varijs diſpoſitionibus aſtrorum variæ figuræ, vel imagines ſunt ab Aſtrologis excogitatæ, & accommodatæ ad diſtinguendas partes Zodiaci: vel explicandas virtutes, & numerum ſtellarum, quarum habent maiorem obſeruationem: vt diximus ſupra *tom. 1. diſp. 4. num. 783.* Potuiſſent autem alijs figuris, & modis illas depingere, vel explicare. Quid ergo talis pictura, quæ ex ſola humana accommodatione, & inuentione pendet, poteſt ad influentiam deſeruire?

Con formitas figuræ ad aſtrum nihil conferre probatur. Pluribus rationibus.

Hinc ergo concluditur, non poſſe, certam virtutem ratione illius imaginis tali rei quaſi infundi: quia per illam figuram non repræſentatur vnum ſimplex aſtrum; ſed congeries multorum, ex quibus videtur in cælo conſurgere talis figura. Et licèt inter illa aſtra fortaſſe aliquod ſit præcipuum; tamen alia ſimul influunt, & habent diuerſas, vel contrarias virtutes; immò etiam aliæ vicinæ ſtellæ, vel planetæ tunc occurrentes influere poſſunt, & ſuam virtutem dare; ergo vanum eſt, putare, certam aliqnam influentiam, & virtutem vnius aſtri peculiariter imprimi.

Et præterea eſto, poſſet hoc fieri, non poteſt ab hominibus cognoſci; vel ſaltem difficillimè; Sunt enim occultiſſimæ huiuſmodi influentiæ præter impreſſionem lucis, & quatuor ſimplicium qualitatum vix aliæ influentiæ ſingularum virtutum cognoſci poſſunt, præter eas quæ ad formas ſubſtantiales per naturalem generationem conſequuntur, quas meliùs recipiunt herbæ, lapides, & metalla, quàm imagines arte factæ.

Ac deniquè licèt aliquid aſtra influerent in tales imagines, incredibile eſt, ità immobiliter imprimi, vt poſtea ſemper duret.

§. VI.

299 EST ergo vſus talium imaginum ſuperſtitioſus: quia non poſſunt re vera exhiberi vt cauſæ; ſed vt mera ſigna pacti ſiuè expreſſi: ſiuè taciti cum dęmone initi. Vndè D. Bonauentura *in Hexameron. & 1. part. centil.* ait: *Hanc obſeruationem eſſe à Deo maledictam, & ab Eccleſia interdictam; Et quæ per aſtra procurantur, dæmonum illuſiones, atquè deceptionem eſſe.* Ideòquè iuremerito curatio per huiuſmodi imagines à dictis magicis curatoribus exhibita quoad huiuſmodi effectus hyperphyſicos diiudicanda vana, illicita, ac ſuperſtitioſa.

Quare vſus taliũ imaginum vt ſuperſtitioſus condemnatur.

Quam prohibent Summi Pontifices Sixtus V. *Cõſtit. cæli, & terræ Creator.* & Vrbanus VIII. prædictam Sixti conſtit. alia roborans: quæ incipit: *Inſcrutabilis. & c. Non liceat. 26. q. 5.* Quod confirmant Patres, Theologi, Canoniſtæ, Iuriſperiti, & Medici, quos citatos videre licet *ſupra tom. 1. diſp. 4. n. 785.*

A Pontificibus, Canonibus, Patrib. Theologis, Canoniſtis, Iuriſperitis.

Ex quo patet falſam eſſe, ac ſuperſtitioſam opinionem Mercurij Trimegiſti, Marſilij Ficini, & Victoriæ, ſupra allegatam *tom. 1. diſp. 1. n 21.*

Eſtò, quòd adhibitis certis ſeminibus ſub certo aſtrorum ſitu, & concurſu ſtellarum breui tempore opus aliquod exurgere poſſit, quod aliàs longioris temporis moram plurium cauſarum concurſu requireret, vt Mercurius Trimegiſtus loco cit. oſtendit: Attamen quia difficillimum eſt, cognoſcere, quando fiat huiuſmodi curſus, vel poſitio ſiderum: & qualis materia ſit adaptabilis, & quomodo adaptetur; ideò vt plurimùm, qui talia operantur, de conſortio dęmonis ſunt ſuſpecti.

§. VII.

HIſcè effectibus hyperphyſicis non abſimile eſt 300
quod vulgò fertur: dęmonem, nempè, ab homine aliqua arte in annulis, phialis, pixidibus vaſculis, imaginibus &c. alligari, & ad danda reſponſa cogi poſſe.

De annulis idem aſſeritur quib. dicitur dæmon alligari

Si enim Magos audire velimus, iactant ſe hanc poteſtatem recipere à ſcientia magica. Quod etiam aſſeuerabat magus ille Iuriſperitus de quo ſupra *tom. 1. diſp. 3. num. 546.* qui dicebat mihi, omnes magos, qui ſcientia magica, ac necromantica pollẽt, ſicut ſe pollere fatebatur, ex vi huiuſmodi ſcientiæ, ac per liberum arbitrium facultatem habere dęmones compellendi, euocandi, cogendi, eoſquè annulis, phialis, cęteriſquè rebus alligandi: prætere a eos decipere poſſe, & illudere; nec tamen ab eis poſſe decipi, aut illudi: Cuius ſtultitiam ſæpiùs arguens, argumentis ad hominem ex ipſiuſmet magicæ artis operationibus, circulis, inuocationibus, adorationibus, in quibus magi non dęmonum dominos, ac patronos; ſed ſeruos, ac captiuos ſeipſos exhibent; ideòquè nec illos decipere aut compelli; ſed ab eis decipi, & captiuos detineri: de errore ſuo conuincebam. Nam certum eſt, & indubitatum, dęmonem ab homine nullo modo ad aliquid naturaliter compelli poſſe: quia dęmon omni virtute humana ſuperior eſt; homoquè in naturalibus quocumquè dęmone natura, ac poteſtate longè inferior eſt. Quomodo ergo poterit inferior ſuperiorem compellere? Quam virtutem habere poſſunt illa verba magica, illi characteres, circuli, & inſtrumenta corporea, & ſenſibilia ad ſpiritum poteſtate liberum incorporeum natura quacumquè re creata nobiliorem, ac potentiorem compellendum, & inuitum cogendum, vt alligatus maneat rei corporali, & reſponſa ad magi, aut alterius diaboli aſſeclæ libitum edat? Quis tribuit iſtis rebus, ac verbis talem facultatem? Non Deus: quia ars magica à diuina ſapientia non procedit, vt latè probatum eſt ſupra *tom. 1. diſput. 1. num. 23.* Neque ab Angelis ſanctis: vt dictum *eod. loco num. 27.* Ergo non niſi à dæmone, qui ſimulat ſe decipi, vt decipiat, fingit ſe cogi, vt ad interitum hominem ducat. Cum enim dæmones certis locis, aut rebus includuntur, vel alligantur: hoc fit vel imperio aliorum dęmonum ſuperiorum, cum quibus pactum à mago eſt initum, vt inferiores includant, & alligent: Vel ipſi dæmones ſpontè ſeipſos includunt, & alligant pacto cum eis inito expreſsè, vel occultè, vt id faciant; cum primùm certa verba, & carmina audiuerint, aut incantamenta, & veneficia mentis intelligentia perſenſerint. Finguntquè ſe compelli, & cogi, vt homines ſic deceptos, & captiuos in ſui ſeruitutem teneant: vt teſtatur etiam Ioan. Azorius *Inſtitut. moral. lib. 9. c. 26.* Ioſeph Angles *in 2. q. vnica de Arte magica,* & alij *de ſuperſtit.*

Quod ſuperſtitioſum eſſe oſtenditur.

§. VIII.

301 TAndem huc reduci poteſt motus ille annuli ad prolationem ſacrorum verborum, quo motu pulſantur horæ, & tot percuſſionibus annuli ſuper craterem: Quem effectum hyperphyſicum eſſe, ac ſuperſtitioſum teſtantur Sanchez *tom.* 1. *Decal. c.*40. *nu.* 39. Nider *de decem præceptis Decalogi Præcept.* 1. *cap.* 11. *num.* 25. Synodus Priula Bergomi celebrata, vbi *de Arte Magica titul.* 2. & nuper noſter Ignatius Lupus *par.* 3. *Edicti S. Inquiſit. lib.* 15. *diſt. vnica artic.* 3. *diffic.* 1. Ratio eorum eſt: tum quia virtus naturalis non præſumitur, niſi oſtendatur: tum quia diuina virtus inutilia non operatur.

Sic ille motus annuli, quo pulſatur horæ, vt ſuperſtitioſus reprobatur

Nec alimento ſuſcepto aſcribi poteſt horarum augmentum: quia æquè reperitur quota diei hora, ieiuno ſtomacho; ac roborata manu ex cibi ſumptione; cum tamen augeri, ac diminui deberet iuxta augmentum, aut defectum virtutis naturalis. Nec eſt dicendum, hoc contingere ob acceſſum, vel receſſum Solis; quia ſic quando Sol eſt nobis magis vicinus, tunc multiplicaretur horarũ numerus, quod non contingit.

Nec audiendi ſunt, qui dicunt, hoc cauſari à motu pulſus: quia ſi ab eo motus annuli cauſaretur, tunc annulus percuteret craterem non ad certum numerum horarum; ſed donec pulſus moueretur in digitis. Cum ergo moueatur nonniſi ad certum numerum horarum, prout in horologio benè ordinato pulſantur, manifeſtum ſignum eſt, annulum moueri ab mouente per intentionem, nempè, dæmone, qui implicitè inuocatus concurrit ad motum illum præſtandum; per conſequens talem effectum non eſſe naturalem, ſed hyperphyſicum, ideſt præternaturalem, ac prorſus ſuperſtitioſum concludendum eſt.

Concluſio Diſputationis primæ.

302 APeri benignè Lector mentis oculos, & ex prædictis vide, quàm abominanda, ac deteſtanda ſit curatio dæmoniaca, & ab omnibus Chriſti fidelibus ſollicitè fugienda, in qua tot crimina, ac ſcelera nefanda perpetrantur in Dei contemptum, Beatiſſimæ Virginis Deiparæ contumeliam, Sanctorum ignominiam, Sacramentorum, ſacramentaliumquè abuſum, ac totius Chriſtianæ Reipublicæ dedecus, perniciem, detrimentum, ruinam, ac perditionem: tuquè Dei amore, ac timore præuentus, ac munitus dijudica: ad quem ſpectet exercere huiuſmodi magicam, ac ſuperſtitioſam curationem: Ad Medicos: an ad Theologos Exorciſtas.

Concluditur, curationẽ dæmoniacam eſſe abominãdam, ac deteſtãdam, ſollicitèquè fugiendã

§. I.

303 SI ad Medicos pertinere fateris: ſcio, quod huic ſententiæ ſe ſubſcriberent nonnulli ex Medicis à pietate, ac religione alieni, ſuperſtitione verò aç peruerſitate admodum referti: Q. Serenus *lib. de remedijs* Ætius *lib.* 8. *cap.* 5. Octauianus *in Euporiſtis.* Marcellus Empyricus *in lib. eius Medico*, Alexander Trallianus paſſim, Aurelianus *lib. chronic. cap.* 1. Nicolaus Myrepſus *ſect.* 2. *antid.* 298. & 406. & *ſect.* 12. Columella, alijquè antiqui. Ex recentioribus verò Marſilius Ficinus, Ludouicus Dulcis *l.* 3. *de gemmis*, Antonius Mizaldus *in opuſc. memorab. centur.* & Pomponatius *in lib. de incantationibus*, aſſerentes, verbis, characteribus, annulis, ſigillis, imaginibus, & incantationibus ad varios curandos morbos, aut mirifica opera perficienda vim ineſſe; Quod ſupra tanquam ſuperſtitioſum, ac diabolicum improbauimus.

Nec ſperare ad Medicos Quicquid aſſerant aliqui, qui pro naturalibus multa ſuperſtitioſa receperunt

Hoc autem aſtruunt, eò quia ſolis adhærent experimentis; & quæ fieri vident, leuiter nimis illis ipſis, quæ cernunt adhiberi, medijs aſcribunt de ijs, quæ non vident nihil cogitantes: ſicut & Platonici multi, & nonnulli etiam eorum ſectatores noſtri temporis phyſiologiæ minus addicti, magicis verò nugis nimis creduli facilè pro naturalibus ſuperſtitioſa multa receperunt.

§. II.

SEd quis horum pernicioſiſſimum non iudicat Philippum Aureolum aliàs, Bombaſtum Paracelſum, qui varijs eius operibus plura intexuit ſuperſtitione, ac impietate plena? Ex quibus quiuis facilè intelligere poteſt, nihil in hoc homine pietatis, aut ſanæ mentis fuiſſe. 304

Præcipuè Paracelſus, qui varia ſuperſtitioſa tradit

Primò docet *lib. de cæleſti Medicina*, & *lib. de occulta philoſophia*, curationes morborum tàm naturalium, quàm ſupernaturalium à dæmonibus per applicationem ſigillorum, imaginum, characterum, figurarum in deſignata cæli conſtitutione, & certis metallis inciſorum, & ægrè parti appenſorum petendas eſſe. Nihilquè referre, vt diximus ſupra *num.* 4. *huius diſput.* An Deus, vel Angelus, vel diabolus, mundus ſpiritus, vel immundus ægro opem ferat, modò curetur æger.

Videas, quàm deuotus diaboli orator, qui ſpreto diuino auxilio ad dæmonem hortatur confugiendum? Poteratnè magis ſe prodere diaboli fautorem, quàm ſtudere illius partes augere, eiquè plures ſeruos, ac milites addicere?

Secundò agens de morbis hyperphyſicis *lib. de morbo caduco* tum Medicos, tum ægrotos ad magicas operationes recurrere, docet. Nam Medicum inſtituens, vt in arte ſua perfectus ſit, & edisſerens, quo pacto morbis magico artificio inflictis ſuccurrendum ſit, non erubeſcit aſſerere Medicum quandoquè accedere debere ad vetulas, ſagas, zigenepos ruſticos, & circumforaneos, & ex ipſis artem ſuam addiſcere, qui plus ſciunt de iſtis rebus, quàm omnes Academiæ profeſſores. *Sic ægrotum edoceas*, ait, *ſi quiſpiam ſupernaturali morbo, vel dolore per incantationem detineatur, illi nullum naturale remedium proderit; ſed magicum remedium eſſe, oportet, quo morbus tollatur, quali, & introductus.*

§. III.

ECce quàm bellem Medicorum ſe præbet inſtructorem, qui Medicos ſcientia phyſica imbutos vult accedere ad vetulas ignaras, & graueolentes, ad ruſticos ſimplices, & idiotas, vt artem medendi valeant expiſcari? Cur non dixiſti, potiùs accedere ad dæmonem, (ſicut aliàs conſuluiſti,) qui ipſis vetulis, ac ruſticis magiſter fuiſſet doctior, atque eruditior? Metuebas forſan irriſum, ac fore à Medicis deſpectum? Sed maiori irriſione, ac contemptu dignum te exhibuiſti, dum Medicos vis edoceri à vetulis, & ruſticis, qui ſunt aſſeclæ, ac dæmonis diſcipuli. Nonnè decentius ac nobilius inſtrui à magiſtro, quàm à diſcipulis. Quicquid enim ſciunt, & operantur ſagæ, ac ruſtici magi, ac malefici, hoc faciunt dæmone edocente, & cooperante. Velle igitur Medicos edoceri à ſagis, ac male- 305

Eius errores refellũtur.

maleficis, nil aliud eſt, quàm velle inſtrui à dæmone mediantibus eius diſcipulis, & ſectatoribus, quo quid vilius, abſurdius, ac pernicioſius, quàm pro magiſtro habere dæmonem, vel ſectatores dæmonis?

Et licèt morbis maleficis nullis proſit per ſe remedium naturale, quandiù maleficium durat: vt dictum eſt *ſupra n.14. huius diſput.* & latè diſputatur *infra diſput. ſequenti par.2.* illicitum tamen eſt, & peccatum grauiſſimum in Dei Maieſtatem magicis vti remedijs, (vt ſuadet Paracelſus) cum eorum agens primarium ſit dæmon, à quo quicquid peragitur, licèt quandoquè in ſalutem hominum cedere videatur; in eorum tamen damnum, ac perniciem tendere conſpicitur: Agens verò ſecundarium maleficus, qui domini ſui mores æmulando, quicquid præſtat, non niſi mediante dæmonis ope, ac potentia præſtat. Cum medium, quo huiuſmodi magica remedia perficiuntur, ſit ſacrilegum quoad perſonas, loca, cæteraquè cultui diuino dicata, ac ſacrata: ſuperſtitioſum, vanum, mendax, inutile, ac pernicioſum: Finis verò quem dæmon intendit, & ad quem huiuſmodi curationes tendunt, impius, noxius, ac ſcandaloſus. Quis ergo ex Medicis aſſerere audeat ad Medicos ſpectare, dæmoniaca vti curatione ad tollendos morbos ſiuè naturales, ſiuè ſupernaturales, vt temerariè ſuadere præſumit Paracelſus? Nemo vtiquè, ſi doctus, ſi pius, ſi catholicus, ſi verus Dei amicus; ſed huiuſmodi magicam curationem toto cælo abominabitur, ac deteſtabitur.

§. IV.

306 *Nec ad Exorciſtas ſpectat vllo modo licèt fortaſſe hoc aſſereret quidam Felix Malleolus. Qui varijs vtebatur formulis ſuperſtitioſis. Quæ erronea eſſe oſtenduntur.*

SI ad Theologos Exorciſtas ſpectare aſſeueres. Tibi fortaſſe fauere videtur quidam Canoniſta, qui vixit anno 1454. nomine Felix Malleolos, & fuit Canonicus Tigurinus; ſed de hæreſi tantùm non damnatus. Hic Malleolus *integro libello duorum tractatuum de Exorciſmis* ſe patronum præbet huiuſmodi precationum, & medicamentorum. Plurima huius opuſcula aliàs circumferebantur; ſed in pleriſquè ſunt multa temeraria erronea, & ſcandaloſa; quarè maturo, & ſapienti conſilio Eccleſia Romana eius nomen inter primæ claſſis prohibitos ſcriptores, quorum cuncta ſcripta ſunt vetita, retulit. Iſte varijs vtebatur formulis verborum, quæ ſuo proprio penu confícta, ſuoquè idiomate, ac quodam rythmo pronunciabat, ad morbos tollendos; quas dicebat etiam proficere, mutatis mutandis contra lumbrices, & vermes, qui animalium viſcera corrodunt. Aſſerebat etiam quandoquè licere dæmonum vti miniſterio, eoſquè ad hoc inuocare; aliaquè aſtruebat. Sed omnia erronea, abſurda, & ab omni pietate, ac chriſtiana religione aliena; quæ omnia doctiſſimè, & acutiſſimè refelluntur à Delrio *lib.3. Diſquiſit. magic. par.2. q.4. ſect.8.* & à nobis ſatis ſufficienter ex dictis huiuſce diſputationis remanent improbata.

§. V.

307 *Multi ei ſimiles ſunt hoc noſtro æuo, qui à dæmone ſæpiùs decipiuntur.*

SEd vtinam in eius paleſtra non erudiantur etiam quamplures hoc noſtro æuo non tantùm ex illis, qui ne quidèm à limine ſalutarunt ſacra eloquia, & ſanctorum Patrum monumenta, ex quibus cognitio diabolicas fraudes diſcernendi hauritur; ſed ex iis quoquè, qui licèt doctores non ſint, doctoratus tamen titulo gloriantur. Experientia enim docet indies: Si quandoquè aliquo afficiuntur morbo ſiuè naturali: ſiuè ſupernaturali, nullum ponere diſcrimen: An curatio habeatur per media licita, vel illicita, dummodo optatã conſequantur ſanitatem. Idcircò alij certas adhibent formulas, putà verba ignota, falſa, & apocrypha, nihil cohærentia, & abſurda: aut ſacra, ſed detorta ad alienos ſenſus. Alii vtuntur certis characteribus, imaginibus, figuris, & ſigillis. Alii quaſdem exercent actiones, vel motiones, quæ omnia nullam ex ſe virtutem habent naturalem ad huiuſmodi effectus producendos; ſed mera ſunt ſigna pacti tacitè, vel expreſsè cum dæmone initi.

Mittò illos, qui Exorciſtæ munere fungentes ſolo nomine contenti, quæ ſint partes ſui muneris prorſus ignorantes, opera arti ſuæ debita prætermittunt, nec in nomine Ieſu, vt ipſemet docuit *Marci vlt.* dicens *Signa autem eos qui crediderint: hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient;* nec poteſtate ſibi ab Eccleſia tradita in ordine Exorciſtatus dæmones eijciendi: fræti quibuſdam ritibus, ac verbis, dæmones expellere contendunt: vel à diabolo inſtructi varijs vtuntur herbis, lapidibus, mineralibus, quorum catalogus texitur à Floriano Canali *in ſuo lib. del modo di conoſcere, e ſanare i maleficiati tract.1. par.3. cap.10.* aliiſquè id generis ad talem effectum producendum prorſus vanis inutilibus, ac ſuperſtitioſis, quæ dæmon mendacij pater de veritate dicenda ab Exorciſta coniuratus, depromit, maximamquè habere efficaciam ad dæmones expellendos, ac maleficia deſtruenda aſſeuerat, vt ſic Exorciſtam à veris, ac ſacris à Chriſto, & ab Eccleſia inſtitutis remedijs auertat ad huiuſmodi vana, inutilia, & ſuperſtitioſa. Quod vt faciliùs credat ignarus Exorciſta, fingit verſipellis maximam vim pati, ideòquè differt huiuſmodi ſecreta manifeſtare pharmaca, interim clamoribus, & vlulatibus replens domum, & tecta; proteſtanſquè ſe coactum, & inuitum tale depromere remedium.

§. VI.

QVid autem huius rei ſit in cauſa: Si Theologus Exorciſta maturiùs, & attentiùs illas interrogationes dæmoni faciendas ab Exorciſta traditas à Hieronymo Mengho à Viadana in ſuo Flagello, ac in Fuſti dæmonum, ſæpè, ac ſæpiùs repetitas in omnibus ſuis operibus: nec non etiam à pluribus alijs Exorciſtis mentis oculis conſiderabit: nempè, quòd *Exorciſta dæmones interroget, vt dicant: Per quam perſonam ſint expellendi: Per quem ſanctum: Quibus verbis magis crucientur; Si ſint aliquo pacto, vel maleficis ligati; quomodo illud maleficium poſſit diſſolui,* vtiquè adinueniet, per huiuſmodi interrogationes non tantùm Exorciſtam coram dæmone ſe prorſus ignarum in arte exorciſtica fateri; ſed etiam latam ianuam, & viam aperiri ad innumeras ſuperſtitioſas curationes; quod à nemine, quos hucuſquè legerim, credo, fuiſſe obſeruatum. 308

Quod prouenit ex interrogationibus, quæ dæmoni faciendæ in antiquis Exorciſmarijs præſcribuntur.

Quibus Exorciſta ſe ignarum prodit.

Seipſum, inquam, Exorciſta per tales interrogationes ignarum profitetur. Nam dum quærit: *Per quam perſonam ſint expellendi,* oſtendit quòd non credit, vel neſcit ſe habere poteſtatem à Chriſto, & ab Eccleſia ſibi traditam dæmones expellendi: nec confidit ſe eos expulſurum. Dum interrogat: *Per quem Sanctum:* fatetur ſe ignorare, quòd dæmones è corporibus obſeſſis expellũtur ab Exorciſtis, vt Miniſtris, quibus ab Eccleſia data eſt huiuſmodi poteſtas contra dæmones; ignoratquè ſe eſſe miniſtrum ratione ordinis Exorciſtatus ad tale munus obeundum ſpecialiter deputatum. Dum

quærit.

quærit. *Quibus verbis magis crucientur*: manifeſtat apertè ſe neſcire: quænam verba à Chriſto ſint inſtituta ad dæmones eiiciendos, videlicet *In nomine Ieſu*.

Ac diaboli diſcipulum cõſtituit. Sic per huiuſmodi interrogationes Exorciſta oſtẽdit ſe apertè diaboli conſtituere diſcipulum;& dum tali fungitur munere ſecundùm regulas prædictas, nil aliud agere, quàm quotidiè à diabolo magiſtro ſuo (quem tamen ſubditum putat) per præcepta, & coniurationes aliquod expiſcari ſecretum: quo quid abſurdiùs, ac deteſtabilius? vt fuſiùs infra *diſp.4.num.*681. Dum tandem quærit: Si aliquo pacto, vel maleficio ſint ligati; & quomodo illud maleficium poſſit deſtrui: oſtendit, ſe credere, quòd illa ſigna,& inſtrumenta maleficij vel ſemper ſint cauſa phyſica, & moralis; vel quòd poteſtas Dei, & Eccleſiæ dependeat à dæmonis voluntate, & malefici talia ſigna inſtituentis,& ponentis: quaſi non poſſit maleficium deſtrui ſine ſignorum deſtructione. Idcircò dæmon prædicta optimè agnoſcens varia Exorciſtæ tradit remedia, modò hoc, modò illud; ſed omnia ſuperſtitioſa; & quando talia adhibentur, ipſe occultè accurrit, & ſæpiùs curationes operatur; vt ſic Exorciſta his vanis, ac ſuperſtitioſis maneat implicatus: vt latiùs infra *diſp.4.num.686*.

§. VII.

309 *Prædicta ergo curationes vt illicita,ac ſuperſtitioſa reprobantur.* QVare omnes prædictas curationes illicitas eſſe,ac ſuperſtitioſas, nemini eſt ambigendum, ſiuè conſiderentur ex parte cauſæ tam intrinſecæ, & proximæ, quàm extrinſecæ, & remotæ: ſiuè ex parte modi tùm verbalis: tùm operatiui: tùm obſeruatiui: ſiuè ex parte effectus tàm phyſici, quàm hyperphyſici. Non enim probabilem habent rationem ad præſumendum diuinam virtutem eſſe infallibiliter aſſiſtentem illis formulis, characteribus, figuris, actionibus, motionibus,herbis, lapidibus, aliiſquè id generis vanis, & inutilibus: quia hoc eſt proprium ſacramentorum, & ſacramentalium: vt talibus verbis, ac tali materia vtatur. Aliquid autem ſimile introducere ſine Eccleſiæ auctoritate ſuperſtitioſum eſt, & in fide periculoſum. Quid enim ſi quis crederet, ſe habere propria quædam verba, quibus infallibiliter ſanctificetur anima ex promiſſione diuina? Nonnè hæreticus reputaretur? Ergo perindè ferè reijciendus eſt, qui ſimile quidquam dixerit de quocumquè ſupernaturali effectu prouenientè à re, quę neque ex natura, nequè à Deo, nequè ab Eccleſia, nequè à bonis Angelis ad talem effectum producendum eſt ordinata. Relinquitur ergo, vt qui hoc modo illis verbis, vel rebus, aut vanis obſeruantiis vtuntur, velint,nolint, oportet, ſi non expreſſa, tacita ſaltem dæmonis ſocietate vtantur, & in illa confidant; vel ſaltem eius morali periculo ſe exponant.

§. VIII.

310 *Ideò à Medicis, Exorciſtis, ac Quibuſcumquè Fugienda, & Abominanda.* QVare concludimus tàm Medicis, quàm Exorciſtis, & quibuſcumquè aliis ſiuè eccleſiaſticis,ſiuè laicis diligentiſſimè obſeruandum: vt pænitus ab huiuſmodi curatione dęmoniaca ſe abſtineant, ab eaquè funditus abhorreant; attendentes, quòd ſalus animæ ſemper corporeę ſanitati pręferatur: ne, dum pro valetudine corporea obtinenda laborant, ſanitati animæ officiant; eamquè criminibus obnoxiam reddant; per quę amittitur vita æterna, ac pęna æterna incurritur, ac ſempiternus horror inhabitatur. Quinimmo prę oculis habeant: quòd non tantùm punientur huiuſmodi homines vani, ac ſuperſtitioſi poſt mortem; ſed quoquè in hac vita pęnis à legibus tùm canonicis, tùm ciuilibus huiuſmodi criminatoribus indictis reos ſe conſtituunt ſiuè Exercentes tàm viri, quàm mulieres: ſiuè Addiſcentes tàm publicè, quàm priuatè: ſiuè Fauentes tàm directè, quàm indirectè: ſiuè Requirentes tam immediatè, quàm mediatè. Ideòquè tàm Medicis, quàm Exorciſtis conſultius erit, ſi quę ſuę ſunt partes in curationibus morborum ſiuè naturalium, ſiuè ſupernaturalium, vterquè diligenter exequatur.

Ad quod vtilliimum erit, ſi regulas ſequentes ſæpiùs præ oculis habuerint. *Ad cognoſcenda opera ſuperſtitioſa. Regulæ pro Medicis.*

REGVLÆ PRO MEDICIS.

Regula prima.

PRimò ergo Midici attendere debent ad pharmacum, quo vtuntur: nempè ad medicinam,quam 311
applicare volunt, conſiderando: an habeat vim naturalem ad talem curandum morbum, & ſanitatem impertiendam. Si enim poſitiuè concludatur, rem adhibitam non habere vim ſufficientem ad hũc effectum: effectumquè ſuperare exigentiam, vim, & actiuitatem cauſarum naturalium; nec etiam rationabilem cauſam ſuppeditare per Eccleſiæ definitionem, ſacram ſcripturam, aut laudabilem conſuetudinem, cur Deo, vel Angelis boni aſcribatur, ad dæmoniacam magiam pertinere, cenſendum eſt. Ita eruditè docet Valentia *diſput.6.q.13.punct.2.* Sanchez *in ſumma lib.2.cap.40.num.43*.

Regula ſecunda.

SEcundò quandocumquè homo facit,vel dicit aliquid cauſa cuiuſcumquè boni conſequendi: vel 312
mali vitandi, quod nullam vim nequè naturalem, nequè ſupernaturalem obtinet ad effectum intentũ, vt ſi applicat remedium in loco tam diſtanti, vt ex principijs philoſophiæ concludatur, illum effectum non poſſe naturaliter prouenire à cauſa tam diſtanti, vt ſuperſtioſum dubio procul tale remedium eſt exiſtimandum. Ita Valent. *loco cit.* Suarez *tom.1. de Religione lib. 2.de Superſt.c.15. num.*14. Leſſius *lib.2.c.43. dub.*10.*num.62.* Clauis Regia *lib.4.c.6.* Toletus *lib.4.c.14.* Bonacin.*de Legib.diſput.3.q.5. punct.4.num.*18. & alij communiter.

Regula tertia.

SVperſtitioſum eſt expectare effectum ex numero alicuius rei; & non ex ſubſtantia rei ſub tanto 313
numero contenta: puta,ſi vnum folium herbæ Pentaphylli ephimeram, tria tertianam, quatuor quartanam ſanare putet. Item quòd heliotropotij grana tria tertianæ, quatuor quartanæ proſint. Item alia huiuſmodi in medicinis per ligamenta ſeruari malo exemplo ſolitis.

Tale quoquè fuerit, arbitrari, pilulas, vel catapuția impari numero plus prodeſſe, quàm pari, licèt æquali præbeantur quantitate. Ita Delrio *Diſquiſit.magic.lib.1.c.4.q.2.*

Regulæ

Regulæ pro Exorciſtis.

Regula pro Exorciſtis.

EXorciſtæ verò, imò quilibet alius Chriſtifidelis ſiuè eccleſiaſticus, ſiuè laicus in remedijs applicandis ad ſanitatem conſequendam: vel infortunia auertenda ſequentes regulas præ oculis ſemper habere debent.

Regula prima.

314 SI adhibeantur verba ignota, falſa, apocrypha, abſurda, nihil coherentia, aut aliquid contra fidem, vel apertè falſum continentia. Aut ſacra, ſed detorta ad ſenſus alienos: aut ad quem non ſunt ordinata, & inſtituta. Vel ſi aliqua nomina Dei incognitæ ſignificationis: vel etiam bonorum Angelorum ignota. Vel malorum Angelorum nomina inſerantur, quæ non nouit Eccleſia. Vel alia prolata, vel ſcripta in lingua peregrina, quæ non intelligitur, nec eſt in vſu, & conſuetudine Eccleſiæ. Vel ſi verba ſint prorſus inutilia: quia non continent deprecationem, nec inuocationem, aut laudem Dei, eſſe vana ſigna dæmoniaca conuincuntur. Ita D.Thom. 2.2.*q.*96.*art.*4. Raphael de Turre ibi, Guilhelmus Pariſienſ. *ſumm. de vniuerſo cap. vlt.* Souſa *in Aphor. Inquiſit. lib.*1. *cap.*56. *num.*18. & 20.

Regula ſecunda.

315 SI adhibeantur res naturales: vel artificiales, vt ſigna. Vel characteres ignoti, imagines, aut aliæ figuræ præter ſignum crucis. Vel ipſa crux non, vt oportet, locata, formataquè: vel vbi non oportet, poſita: vel ſuperfluè certis locis, ac numero iterata, ſiue in cartha, ſiue in alia materia picta, vel quouis modo formata ad productionem effectuum ſupernaturalium: vel liberum arbitrium flectendum: vel diuinandum: aut efficiendum ſpirituales effectus tàm in nobis, quàm in alijs; niſi fiat ſecundùm ſacram ſcripturam, Eccleſiæ definitionem; aut approbatam conſuetudinem: vt in ſacramentis, & ſacramentalibus. Vel quid aliud apponatur nihil pertinens ad effectum, qui tali operatione intenditur: ſuperſtitio cenſenda eſt. Ita D.Thom. ibi, & Souſa *vbi ſupra num.*22.

Regula tertia.

316 QVando efficacitas operis tribuitur certis ritibus, atquè obſeruantijs quibuſdam peculiaribus, & ad hoc deſignatis, verbi gratia: vt id fiat certis diebus; vel horis ad certum ſtellarum ſitum: ſub certo numero crucium, vel candelarum tali, vel tanta longitudine: certa corporis poſitura in tali cartha, talis coloris, & figuræ: nequè fit ex deuotione alicuius myſterij tali numero, vel figura deſignati. Vel fiant ligaturæ certo modo: aut figurę: aut ex certa materia certi generis factę: nec non alia huiuſmodi obſeruationum genera: puta ſi ligentur ad collum, vel ad brachium dextrum, aut ſiniſtrum tales characteres in lamine argentea, vel aurea, vel alterius generis ſculptos ad ſe tuendum à peſte, vel à quouis alio malo; huiuſmodi actio eſt ſuperſtitioſa.

Regula quarta.

QVando vis collocatur in obſeruantijs alijs planè ſuperfluis, & indifferentibus ver.gr. vt ad expellendum dæmonem radantur pili: vt quis induatur tela numquam lota: operetur vno pede nudo, diſcinctus, & id generis: tale opus planè eſt ſuperſtitioſum. Ita D.Thom. vbi ſupra. Raphael de Turre, ibi & Souſa *loco citato num.*21. 317

Regula quinta.

QVando quis reliquias ſacras: vel ſchedulas ſacris verbis, aut ſigno crucis inſcriptas ſecum geſtat cum certa, ſecura, & infallibili perſuaſione, & credulitate, ſe propterea non poſſe vllo modo lædi ab hoſtibus: vel ab igne comburi: vel aquis præfocari: aut mori ſine confeſſione; & mulierem prægnantem ſine vllo dolore parituram in fine vitę ſuæ viſurum Beatiſſimam Virginem, cunctas purgatorij pęnas euaſurum, & ad cęlos illicò euolaturam: licèt exteriùs in tali ſchedula, vel oratione nihil ſuperſtitionis admiſceatur; tamen illis rebus ſuperſtitioſè vtitur, nempè ad effectum, quem nequè natura ſua, nequè ordinatione diuina habent, ſcilicet, ad certam, & infallibilem animi, & corporis ſalutem. 318

Regula ſexta.

TAndem ſi per orationem à Deo petatur, vel expectetur aliquod iniuſtum: & quouis modo peccatum, etiamſi verba, vel ſcriptura ſint ſancta, dubitari non poteſt, interuenire aliquod pactum cum dæmone. Souſa *loco citato num.*19. 319

Non nego tamen, quin ſit bonum, ſecum deferre Reliquias, orationes, & alia huiuſmodi cum debita intentione, & conformitate diuinę voluntati: ſicut & in infirmitatibus pręcipuè procedentibus à dęmone confugiendum eſſe, non ad curatores magicos, & diabolicos: quia *Dominus odit obſeruantes vanitates ſuperuacuè.* Sed ad diuinum auxilium & ad Theologos Exorciſtas Dei miniſtros, quia *Beatus vir, cuius eſt Dominus ſpes eius: & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas*: vt latè dicitur *diſput.*4. In naturalibus verò ægritudinibus præter diuinum adiutorium, quod ſemper in omnibus, & ante omnia eſt inuocandum, & perquirendum, ad Medicos etiam peritos eſſe confugiendum, ad quos ſpectat, infirmis naturalia adhibere pharmaca: vt latè explicatur diſputatione ſequenti. 320

DISPVTATIONIS SECVNDÆ
DE CVRATIONE NATVRALI.
DIVISIO.

	Partes.	Capita.	Sectiones.	Articuli.
Curatio naturalis.	1. Quomodo perficiatur rebus naturalibus.	1. Externis.	1. Simplicibus.	Permanentibus 1.
				Tranſeuntibus 2.
			2. Compoſitis.	Solidis 1.
				Liquidis 2.
		2. Internis.	1. Præparantibus.	Lenientibus 1.
				Congregantibus 2.
			2. Euacuantibus.	Per Vomitum 1.
				Per Purgationes 2.
			3. Roborantibus.	Per Potum 1.
				Per Bolos 2.
	Quid operetur.	1. In Dæmonibus.	1. Phyſica actione.	Directè 1.
				Indirectè 2.
			2. Intentionali actione.	Senſibili 1.
				Phantaſtica 2.
				Intelligibili 3.
		2. In Homine.	1. Ad morbum tollendum.	Naturalem 1.
				Supernaturalem 2.
			2. Ad morbum mitigandum.	In Anima 1.
				In Corpore 2.

DISPV-

DISPVTATIONIS SECVNDÆ
DE CVRATIONE NATVRALI.

SVMMARIA.

Curationem naturalem maleficiorum quia multi admittunt, eò quòd rebus naturalibus aliquam vim ineſſe ad dæmones expellendos aſſeuerant, ideò examinandum duabus partibus. 321. & ſeq.

Quomodò perficiatur.

Quid operetur.

Pars I. Quomodo perficiatur rebus naturalibus.

Quidam Philoſophi vocant naturā Matrem Brutorum, & Nouercam Hominis: quia Bruta naſcuntur prædita donis, quibus ſe tuentur, ac neceſſaria quærunt. Homo naſcitur nudus, ignarus, & imbecillis.

Vnum tamen dedit homini omnium donorum excellentiſſimum, ingenium, nempe, quo noxia, & contraria vitat: proficua, & neceſſaria comparat, ac rebus naturalibus morbos curat. 323.

Quarum rerum aliæ ſunt Externæ, aliæ Internæ, vt ſequentia capita demonſtrabunt. 324.

Caput I. Externis.

Frequentiſſimè morborum internæ cauſæ tolluntur remedijs Externis vel Simplicibus, vel Compoſitis, vt duabus ſectionibus patefiet. 325.

Sectio I. Simplicibus.

Res externæ ſimplices medicinales ſunt innumeræ; ſed omnes dici poſſunt aut Permanentes, aut Tranſeuntes: vt duobus articulis manifeſtabitur. 326.

Articulus I. Permanentibus.

Permanentia medicamina ſunt, quæ deferri debent aut continuè: aut longo tempore, vt ſunt 327. & ſeq.

Herba: *Verbenaca*, *Paris ſemen*, *Artemiſia*, *Ruta*, *Betonica*, *Athirrinum*, *Palma Chriſti*, *Abrotonum*, *Mithridation*, *Pæonia*, *Saluia*, *Ariſtolochia*.

Lapides: *Adamas*, *Gagates*, *Topazius*, *Beryllus*, *Corallium*, *Smaragdus*, *Camphora*, *Sardonyx*, *Actytes*, *Iaſpis*, *Onyx*, *Chryſolytus*.

Oſſa: *Rubetæ oſſiculum*, *Lupi roſtrum, ac pellis*.

Articulus II. Tranſeuntibus.

Tranſeuntes vocamus, quæ operantur citò, vt ſuffumigationes, quarum compoſitiones variæ ſunt; quæ vtiles ſunt ad membra corroboranda humores craſſos extenuandos, & plures alios effectus producendos. 331.

His ſuffumigijs vtuntur noſtri Exorciſtæ odorata fætidis miſcentes; ſed multoties cum ægrotantium detrimento. 332. & ſeq.

Fumus iecoris piſcis Tobiaci videtur extricaſſe dæmonem.

Sed expulſus oſtenditur non à fumo; ſed ab Angelo. 334.

Sectio II. Compoſitis.

Perſæpè Medici, & Exorciſtæ ad morbos tollendos, dæmoneſque fugandos vtuntur rebus com-

compoſitis, quæ ſunt vel Solidæ, vel Liquidæ, vt ſequentes articuli patefacient. 335.

Articulus I. Solidis.

Solidæ reducuntur vel in puluerem, vel in maſſam, quæ reduci poſſunt ad Cerata, Emplaſtra, & Vnguenta. 336.
Quid ſit vnumquodquè. Et quomodo conficiantur.
Quandoque à dæmone cauſantur alterationes, inflammationes, corruptiones.
Ad quas tollendas valere iudicantur Cerata, Emplaſtra, & Vnguenta. 337.
Quę tamen nihil proficiunt, ſi dęmon non ceſſet producere tales morbos.

Articulus II. Liquidis.

Liquida exteriora ad duo vſitatiora reducuntur ſcilicet balnea, & lenimenta. 339. & ſeq.
Balneum quomodo paretur.
Nè balnei vſus ſit noxius ægroto quędam obſeruanda.
Alia adimplenda poſtquam ęger egreſſus eſt è balneo.
Quę omnia vt plurimùm ignota ſunt Exorciſtę.
Lenimentum quid ſit. Et quotuplex. 346.
In eius vſu quid obſeruandum, quid cauendum.

Caput II. Internis.

Dęmon crebrò morbos excitat internos; qui expelluntur remedijs internis Prę parantibus, Euacuantibus, ac Roborantibus, vt tribus ſectionibus palam fiet. 349.

Sectio I. Præparantibus.

Medicamina, quę primò ſumenda maleficiato exhibentur prę parantia nuncupantur; quę ſunt vel Lenientia, vel Humores congregantia, vt ſequentes articuli patefacient. 350.

Articulus I. Lenientibus.

Medicamina lenientia varia ſunt pro diuerſitate ætatum, virium, & conſtitutionum. Alia pro Cholericis: alia pro Phlegmaticis, alia pro Melancholicis cõſtitutionibus ſunt paranda. 351

Articulus II. Congregantibus humores.

Congregantia humores reſiduos varia ſunt, ſicut & lenientia,
Nam alia parantur pro Cholericis, alia pro Phlegmaticis, alia pro Melancholicis. Quorum aliqua deſcribuntur. 352.

Sectio II. Euacuantibus.

Præparatis humoribus totum corpus purgatur medicamentis euacuantibus; quę fiunt vel per Vomitum, vel per Purgationem, vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 353.

Articulus I. Per Vomitum.

Euacuatio per vomitum facta perſepè multos rebelles morbos profligat; affectibus opitulatur, qui à prę cordiorum ſympathia contracti ſunt, & alijs, qui in reliquo corpore ex viſcerum impuritate gignuntur. 354.
Vomitoria non omnibus conueniunt. Quando ſint vitanda.
In vomitu quænam ſint obſeruanda. 356.
Vomitoria alia ſunt leuia: alia mediocra: alia vehementia. 357.
Quomodo perficiantur. Horum omnium aliqua deſcribuntur.
Quænam ſeruanda in eorum vſu. 360.

Articulus II. Per Purgationes.

Purgatur corpus præcipuè per ſudores, vrinam, poros, aperturas corporis, ſeceſſum. 361.
Medicamina purgantia corpus per ſeceſſum varia ſunt. quædam eorum deſcribuntur pro Conſtitutionibus Cholericis, Phlegmaticis, Melancholicis.
Quædam alia afferuntur ex mente aliorum particularibus infeſtationibus neceſſaria. 362.

Sectio III. Roborantibus.

Homo, quia eſt compoſitus ex pluribus elementis, varijs indiget medicamentis, non tantùm purgantibus; ſed & roborantibus, quorum alia ſumuntur per Potum, alia per Bolos vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 364.

Articulus I. Per Potum.

Varia ſolent propinari medicamina roborantia; ſed præcipuè Electuarium, Theriaca, Aquæ artificiales, & Vina condita. 365.

Articulus II. Per Bolos.

Vt plurimùm hoc modo ſolent Medici conualeſcentes roborare Conſeruis, Morſellis conditis, Pillulis, & Confectionibus. 366.

Pars II. Quid operetur.

Materijs medicamẽtariis tota terra referta eſt. 367.

Iis

Iis vtuntur Medici, & Exorciſtæ contra veneficos morbos.

Quę medicamina cum ſint corporea, cauſa verò morborum veneficorum incorporea, puta, dæmon, videndum, quid operentur in dæmonibus, & in Hominibus in duobus ſequentibus capitibus.

Caput I. In Demonibus.

Magna eſt differentia inter res ſenſibiles, ac dæmones, quæ impedit actionem earum in dæmones. 368.

Quia verò res, præter eſſe reale habent etiam eſſe intentionale, videndum, quomodo agere poſſint in dæmones actione Phyſica, vel Intentionali in duabus ſequentibus Sectionibus.

Sectio I. Phyſica actione.

Actio ſiuè formaliter: ſiuè materialiter conſideretur, vt phyſica dicatur, quid requirat. 369.

Si res naturales agerent in dæmones phyſica actione, hoc vel eſſet Directè: vel Indirectè: vt ſequentes articuli patefaciunt.

Articulus I. Directè.

Res ſenſibiles nullam vim naturalem directè habent in dæmonem. 370.

Conditiones ad phyſicam actionem neceſſariæ. Quibus conditionibus cum careant dæmones, pati non poſſunt à rebus corporeis.

Probatur auctoritate Toſtati: ac fumi tobiaci piſcis. 372.

Angeli Raphaelis operatio recta oſtenditur. Videtur ibi fuiſſe mendacium. Nullum tamen fuiſſe probatur.

Obijcitur de radice herbæ Eleazari. Refellitur huiuſmodi obiectio.

Prædicta veritas probatur à ſimili ex anima rationali. 375.

Articulus II. Indirectè.

Plures rebus naturalibus vim naturalem indirectè tribuunt in dæmones: quia dicunt, dæmonem vt plurimùm vexare homines per præuiam diſpoſitionem cauſatam in corpore imò aliqui Medici dicunt, non vt plurimùm, ſed ſemper. 378.

Hanc poſitionem probant auctoritate Auicennæ, Martini Rulandi, & Pauli Burgenſis, ratione ſumpta ex humore melancholico. 379.

At dictam opinionem falſam eſſe docet Liranus: Ratio dictat: Et experientia oſtendit. 380.

Vndè nihil valet auctoritas Auicennæ. Nullius roboris exemplum Martini Rulandi. Ac vana eſt poſitio Pauli Burgenſis. 382.

Nec requiritur in obſeſſo præuia diſpoſitio, vt ipſe vult, ac dicunt Medici. 384.

Hoc experti ſunt hoc noſtro æuo plures obſeſſi, ac maleficiati, quorum aliqua exempla referuntur. 386.

Obiectio ſit digna ſcitu. Quæ declaratur, ac refellitur. 387.

Concluditur, dæmones à rebus naturalibus pati non poſſe ſiuè directè, ſiuè indirectè.

Sectio II. Intentionali actione.

Sicut res naturales duplex habent eſſe, nempè reale, & intentionale: ita agit in ſubiectum duplici actione, ſcilicet, phyſica, & intentionali vel ſenſibili; vel phantaſtica: vel intelligibili. 390.

Quid ſit actio intentionalis ſiuè materialiter, ſiuè formaliter.

Si ergo res naturales non agunt in dæmones actione phyſica, videndum in tribus articulis, ſi in illos operentur actione Intentionali, vel Senſibili, vel Phantaſtica, vel Intelligibili. 391.

Articulus I. Senſibili.

Duplex ſenſibile. Aliud dicit aptitudinem ad ſentire. Aliud ad ſentiri. 392.

Agitur de ſenſibili ſecundo modo, quod eſt ens ſpectans ad compoſitionem integrantem aut ſubſtantiæ, aut quantitatis, pendens à materia ſubiectiuè proximè, aptum natum mouere ſenſus.

Quid requirat, vt ſentiatur.

Hoc ſenſibile concurrit ad actionem intentionalem ſenſibilem, quatenus ex ſe emittit ſpeciem ſenſibilem. 393.

Probatur auctoritate Ariſtotelis 2. de Anima, & Experientia de ſpecie coloris, & ſoni; quæ ſpecies requiritur ad producendam ſenſationem.

Ad actionem ſenſibilem intentionalem concurrunt — *Potentia. Obiectum. Organum. Medium. Species ſenſibilis.* 395.

Quibus cum careant dæmones, à rebus naturalibus pati nequeunt actione ſenſibili intentionali.

Poſſunt tamen dæmones aſſumere corpora, in eiſque exercere operationes ſpectantes ad motum localem. 397.

Veritas practicatur quoad ſenſum odoratus, viſus, auditus, guſtus, & tactus.

Obijcitur de Raphaele Archangelo: ac de Angelo Cuſtode corpora aſſumentibus, & varias in eis operationes exercentibus. 399.

Articulus II. Phantaſtica.

Rebus naturalibus non videtur deneganda actio intentionalis phantaſtica in dæmones. 404.

Probatur ex D. Dionyſio, qui dæmonibus tribuit phantaſiam proteruam.

Hoc falſum eſſe demonſtratur ex natura actionis phantaſticæ. 405.

Deſcribitur actio phantaſtica ſiuè formaliter, ſiuè materialiter accepta.

Ad cuius functiones aſſignantur à Doctoribus variæ potentiæ; quarum organum remotum eſt cor: propinquum eſt cerebrum. 406.

Quæ cum in dæmonibus non reperiantur, nec in eos res naturales actione phantaſtica intentionali agere poſſunt. 408.

Explicatur auctoritas D. Dionyſij. 409.

Articulus III. Intelligibili.

Res naturales agere valent in dæmones actione intentionali intelligibili. 410.

Probatur ex parte actionis intentionalis intelligibilis: ac potentiæ intellectiuæ terminantis talem actionem.

Deſcribitur reſpectu potentiæ ſiuè vnitæ corpori: ſiuè à corpore ſeparatæ. 411.

Oſtenditur ſub qua ratione res naturales agant in dæmonis intellectum, ac voluntatem. 413.

Circa quòd quidam aiunt, eas vt inſtrumenta diuinæ iuſtitiæ operari in illos.

Sed hoc non probatur.

A ij prout præſentantur diſconuenientes intellectui, contriſtari voluntatem, & fugere ab eis. 414.

Sed hic modus ſubſiſtere non videtur.

Rationabilior modus proponitur; & probatur à Scoto ratione, ac congruentia. 415.

Concluditur, res ſenſibiles potiùs energumenos, quàm dæmones torquere. Ideò ſatiùs relinquendæ, ac ſpiritualibus remedijs incumbendum. 416.

Caput II. In Hominibus.

Licèt res naturales phyſica actione non agant in dæmones, quia ſunt incorporei; in homines tamen, qui ſunt corporei, agere poſſe videntur, ac proindè eos à maleficijs liberare poſſe. Ideo videndum, quid operentur in eis vel Ad morbum tollendum: vel Ad morbum mitigandum, quod præſtabitur in duabus ſectionibus. 417.

Sectio I. Ad Morbum tollendum.

Rebus naturalibus morbi videntur poſſe ſanari dupliciter, prout immediatè ſunt excitati aut Naturaliter: aut Supernaturaliter: vt duobus articulis manifeſtabitur. 418.

Articulus I. Naturalem.

Licèt dæmon poſſit lædere homines ſeipſo ſine rebus naturalibus; ijs tamen ſæpiùs vtitur nedum vt cauſis moralibus; ſed etiam vt cauſis naturalibus. Ac ſeligit quas nouit aptas ad malum inferendum. 419.

Præcipuè ad humorem melancholicum excitandum: quia difficilè curatur: ac varias generat infirmitates incurabiles. 420.

Quæ tamen à Medico curari poſſunt per medicinas corporales, ſi ipſe perfectè nouerit haſce cauſas naturales: ac dæmon ceſſauerit à malefaciendo. 421.

Practicatur de humore melancholico, de paralyſi, ac delethargo. 422.

Probatur experientia, & exemplis. 424.

Concluditur, Exorciſtas ægrotis conſulere debere, vt Medicos aduocent, cum dubitant, ægritudinem à cauſa procedere naturali. 425.

Aliquando tamen non ſufficit ars Medicorum.

Articulus II. Supernaturalem.

Sicut morbus naturalis per remedia naturalia auferri poteſt: ita morbus ſupernaturalis per remedia ſupernaturalia tolli debet. 427.

Probatur auctoritate Medicorum, ratione, & experientia. 429. & ſeq.

Practicatur de aliquibus maleficiatis ſanatis per remedia ſpiritualia.

Sectio II. Ad Morbum mitigandum.

Licèt per res ſenſibiles morbus maleficus tolli non poſſit; poteſt tamen mitigari aut in Anima: aut in Corpore: vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 432.

Articulus I. In Anima.

Rerum ſenſibilium operatio in Animam probatur à Philoſophis, Ariſtotele, Pithagora, Cicerone, Boetio.

Poetis, Homero, & Thaleto. 433.

Sanctis, Auguſtino 10. Confeſs. & alijs.

Scriptura ſacra de Dauide, qui harmonia citharæ Saulem vexatum refocillabat.

Quomodo melodia citharæ ageret in Saulem explicatur.

Hæc veritas demonſtratur in Animæ potentijs, & earum obiectis. 437. & ſeq.

Practicatur in his, qui extaſim patiuntur.

Quomodo intelligantur illa verba ſacræ ſcripturæ: ſpallente Dauid, recedebat à Saule. 440.

Articulus II. In Corpore.

Tot medicamina naturalia vana eſſent, niſi ſaltem vim haberent mitigandi in corpore morbos maleficos. 441.

Probatur ratione: quia per medicamina ablata diſpoſitione ad dolorem, non ita ſentitur dolor.

Confirmatur à ſimili de morbo proueniente à cauſa naturali abditiſſima.

Roboratur exemplo de Lunatico Matt. 17. & auctoritate Patrum, Theologorum, ac Canoniſtarum. 443.

Concluditur, nullam rem naturalem naturaliter actione vel phyſica ſiuè directè, ſiuè indirectè: vel intentionali aut ſenſibili: aut phantaſtica agere poſſe ſiuè in dæmones ad eos expellendos, vel

vel reprimendos: ſiuè in dæmoniacum ad tollendum morbum: licèt agere poſſit in dæmonem actione intelligibili, & in dæmoniacum ad mitigandum dolorem in Anima, & in Corpore. 444.

Concluſio Diſputationis.

Determinatur, ad Exorciſtam nullo modo ſpectare, medicinas corporeas maleficiatis exhibere; eò quòd Medicæ artis regulas ignorat. Caret enim notitia eorum, quæ attendenda ſunt in perſonis, infirmitatibus, medicinis, herbis medicinalibus, & diuerſis curis. 445.

Ideò dum vult mittere falcem in alienam meſſem fit cæcus, & dux cæcorum. 446.

Vt cæcus cadit in foueam lethalis culpæ. Quare cadat.

Quando excuſetur. 447.

Non tamen excuſatur: quia adinuenerit remedia deſcripta apud Valerium Polidorum, qui etiam docet ex accidentibus cognoſcere humorem peccantem. Vel apud Zachariam Vicecomitem, vel Maximilianum ab Eynathen, vel Florianum Canalem: vel Hieronymum Menghum. Nam iſti omnes admonent, talia remedia non ab Exorciſtis; ſed à Medicis eſſe exhibenda. 448. *& ſeq.*

Vndè Exorciſtæ huiuſmodi pharmaca tradentes, nedum ignorantes, ſed auaritiæ ſtudentes ſe produnt. 452.

Aegroti verò cadunt in foueam mortis temporalis. 453.

Probatur exemplis relatis à Cornelio Gemma, Zacharia Vicecomite, & Alexandro Albertino.

Tandem hoc munus medicinas exhibendi corporales Exorciſtis prohibetur à lege, ac Rituali Romano. 454.

Concluditur, ad Medicum ſpectare ægrotis medicinas exhibere coporales, qui rectè ſe gerere debet attendendo, quæ ſequuntur. 455. *& ſeq.*

Primò tradat, ſi poteſt, medicinam certam, relicta probabili, & dubia.

Secundò ſi non adeſt medicamentum certum, probabile adhibeat.

Tertiò non licet facere experientiam de medicamentis.

Quartò non licet tradere medicamentum, de quo dubius eſt, an nociturum, vel profuturum.

Quintò poteſt tradere medicinam, quæ directè eſt cauſa ſanitatis vnius, & indirectè mortis alterius.

Sextò poteſt tradere medicamentum probabile, licèt aliud ſit probabilius de mente aliorum, poteſt etiam ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. Quid ſit opinio probabilis.

Septimò magìs ſequatur longum experimentum, quàm opinionem probabilem.

Octauò ſit diligens in ſtudendo, viſitando infirmum & adimplendo ad ſuum munus ſpectantia.

Nonò non ſibi licet dare medicinã corporalem contra ſalutem animæ.

Decimò debet medicare pauperes charitatis ergo: ac diuites nolentes ſoluere.

In ſpiritualibus verò tenetur. 471.

Primò admonere per ſe, vel per alios ægrotos, vt confiteantur peccata ſua iuxta Decretum Innocentij III. & Pij V. Quomodo, & quando.

Secundò ſi mortem futuram præuiderit, tenetur ex præcepto id nuntiare infirmo, vel per ſe: vel per alios.

Si hæc obſeruauerit Medicus dignus erit, qui non tantùm honoretur propter neceſſitatem; ſed ob ſuam virtutem, & excellentiam, idcòquè nomine excellentiſſimo vocitetur.

DISPVTATIO II.

DE CVRATIONE NATVRALI.

Curationem maleficiorũ naturalem multi admittunt.

321 HIS abſolutis diuina fauente Spiritus ſancti aura, quæ ad diabolicam curationem ab omnibus rectè ſentientibus ablegatam ſpectare dignouimus; ad ea, quæ naturalem concernunt, mentis oculos dirigimus, quam multi admittunt; eò quòd rebus naturalibus ad dæmones expellendos vim ineſſe phyſici diſſertatores aſſeuerent; quod vtiquè abſquè dubio fatendum eſſet, ſi vera iudicaretur poſitio Platonicorum. Iſti enim ponebant, naturam dæmonum eſſe mediam inter Intelligentias, quæ ſunt ſubſtantiæ purè ſpirituales, & homines habentes corpora ex quatuor elementis conſtituta. Vndè Apulæus Platonicus ex auctoritate Platonis, teſte D. Auguſtino *lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 16.* aſſerebat: *Dęmones eſſe animalia corpore aerea, mente rationalia, tempore æterna, animo paſſiua*. Si autem haberent corpora paſſibilia, nonnè etiam conſequenter à rebus naturalibus pati poſſent? Quia quodcumquè corpus, quod elementum eſt, vel elementatum pati poteſt, ac qualitates ſuſcipere contrarias; quinimo inter corpora elementaria nullum eſt tàm diſpoſitum ad ſuſcipiendum omnem impreſſionem, ſicut aereum. Quis ergo ad mentem eorum, res naturales in dęmones habere vim agendi non aſſeueret?

Præcipuè Platonici.

Quorum opinio eſt erronea.

322 Sed hæc Platonicorum opinio eſt erronea, ac fidei catholicæ totaliter contraria. Nullus enim, niſi ſacrarum ignarus literarum, ignorare poteſt, dęmones eſſe puros ſpiritus: cum ab Angelis nihil diſtent, niſi quòd illi in ſanitate perſtiterunt: iſti verò in malum conuerſi ſunt: vt quamplura diuinæ ſcripturæ teſtantur loca: *Pſal. 77. Immiſſiones per Angelos malos. Iſaiæ 14. Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris, corruiſti in terram, qui vulnerabas gentem? 1. Regum 16. Et exagitabat eum ſpiritus nequam*. Et alibi pluribus locis noui, ac veteris teſtamenti.

At quia experiẽtia illã approbat videndũ quomodo perficiatur, quid operetur.

Si ergo dœmones iuxta diuinæ ſcripturæ proloquia, fidei catholicæ, Patrum, ac Theologorum aſſerta ſunt incorporei, ac puri, quomodo res naturales in eos agere poſſunt? At quia multa exempla, earum applicationem ad infirmitates maleficas ſanandas prodeſſe, demonſtrant; Ideò tota hac diſputatione examinandum: Quomodo naturalis illa curatio perficiatur: & Quid operetur. Quod toridem partibus breuiter præſtabitur: vt tandem, ad quem ſpectet, Medicum, an Exorciſtam, concludatur.

PARS PRIMA.

Quomodo perficiatur rebus naturalibus.

§. I.

Cur natura dicatur Mater brutorum.

QVamquam Philoſophi nonnulli naturam brutorum animalium matrem; hominis verò nouercam dixerint: quoniam cætera animalia veſtita, & cooperta hæc pilis, & pelli- 323

pellibus, illa plumis naſcantur: Hominem verò quaſi rem vilem, nudum, flentem, omniumque rerum egentem ſimul pepererit, & expoſuerit. Illa natura duce herbas, ac reliqua ſaluti neceſſaria cognoſcant. Hic ignarus, ac ſimplex tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, vt ait Ariſtoteles 3. *de Anima*, per tot annos omnis actionis ſit expers. Illa numquam, aut rarò ægrotent. Hic verò ſalutem integram numquam habeat, & nunc à quauis re naturali: modò à ſupernaturali dæmone, nempè, per opera malefica offendatur, & interimatur. Vnum tamen homini ſuper bruta omnium donorum naturalium contulit excellentiſsimum, ingenium, nempè, & rationem, quo omnia ſibi noxia, & contraria euitanda: quo vtilia, proficua, ac neceſſaria comparanda: quo pharmaca, ac remedia naturalia non tantùm ad morbos curandos naturales, ſed & maleficio inductos exhibenda, curationemquè naturalem perficiendam, per ſtudium, & exercitium agnoſcere valeat. Quę quidem curatio naturalis naturalibus remedijs naturali virtute operantibus præſtari debet; alioquin naturalis dicenda non eſſet.

Et nouerca hominis

Deus dedit ei intellectũ, quo Noxia vitat Proficua quærit, Morbos curat Rebus naturalib. Quarum

§. II.

324 Et ne videar in meſſem alienam velle falcem mittere: quicquid in hac prima huiuſce diſputationis parte medicinæ practicæ inſtituto deſeruiens explicatur, ſciat meus Lector, quòd non meo penu, ſed partim ex Medicorum probatiſſimorum placitis: partim ex varijs Exorciſmariorum libris huc collegi: Non vt Medicos inſtruam, cum mihi non tantum tribuam, vt Delphinum natare, Aquilam volare edocere præſumam; ſed vt faciliùs ea maleficiatis applicandæ, cum opus fuerit, præ manibus habere valeant: Et Exorciſtæ curioſi, qui partes Medicorum ſibi audent aſſumere, quæ alibi effuſa, hic collecta facillimè inueniant. At licèt aliquorum pharmacorum poſterim doſem, eam tamen relinquere intendo prudentiæ Medicorum terminandam, moderandam, ac ſtatuendam, qui addant, minuant, mutent iuxta artis ſuæ regulas, ac præcepta, cum eorum ſit cognoſcere, ac conſiderare varias complexiones corporum, diſpoſitiones humorum, mutationes temporum, diſcretiones ſexuum, varietates ætatum, cæteraquè ad id neceſſaria: vt latè dicetur in concluſione huiuſce diſputationis. Quæ medicamina, ſeù res naturales. Aliæ ſunt exteriùs applicandæ: Aliæ interiùs ſumendę, vt duobus capitibus notum fiet.

Aliæ Externæ, Aliæ Internæ.

CAPVT I.

Externis.

Nihil frequentius in medicina practica, quàm externis remedijs internas morborum cauſas auferre. Ideò qui à maleficio vexantur, curantur naturaliter, vt volunt Medici quidam, rebus naturalibus ſic applicatis, vt corpus contingant, vel Simplicibus, vel Compoſitis, vt duabus ſectionibus videbitur. 325

Sæpiùs morbi interni tolluntur remedijs Externis Simplicibus, Compoſitis.

SECTIO I.

Simplicibus.

Res Simplices, quas aſſerunt, concurrere ad morbos maleficos curandos, ſunt innumeræ; ſed illæ omnes ſecũdùm diuerſum applicandi modum, qui fit ab iſtis Curatoribus, poſſunt dici vel Permanentes, vel Tranſeuntes, prout vel longo, vel modico tempore adhibentur, vt duo articuli ſequentes declarabunt. 326

Res externæ ſimplices dici poſſũt Aliæ Permanẽtes Aliæ Trãſeuntes.

ARTICVLVS I.

Permanentibus.

Medicamenta Externa, Simplicia, Permanentia, quæ veneficijs aduerſari ab ignaris creduntur ſunt illa, quæ continuò deferri debent, aut longo tempore, vt ſuum valeant operari effectum: vt ſunt herbæ, lapides, oſſa, quorum facultatem explicare operepretium duxi, vt habita medicamentorum ſylua, vnuſquiſquè faciliùs pro varietate morborum, ac ægrotantium, diuerſa etiam ſeligere medicamina poſſit, ſi quæ in eis ad tales producendos effectus uirtus eſſe dignoſcitur, quod apertè, ac clarè explicabitur in ſecunda parte huius diſputationis. 327

Permanẽtia medicamina ſunt ea, quæ Aut Continuè, Aut Longo tempore Vt

§. I.

Et vt à Ruta incipiamus: Huic peculiarem ineſſe facultatem ad depellenda veneficia, exiſtimat *Ariſtoteles* in Problematibus 20. Problem. 34. vbi huius rei cauſam quærit. *Nec non Plinius ad eadem præcauenda eius ſucco perunctis, vel eam habentibus plurimùm valere credidit. Domeſticam rutam tertio exceſſu calefacere, ſcribit Galenus* lib. 8. Simplic. medicam. *Ex quo vim habent incidendi, digerendi, prouocandi, & flatus potenter expellendi. Et teſte Dioſcoride aduerſus venena valet.* 328

Herbæ.

Inter hypericon, perforatam vulgò dictam, ac dæmones tanta videtur antipathia, vt eius ſuffitu frequenter recedant. Quare noſtri fugam dæmonum appellant, cuius facultas manifeſta eſt, calefacere, & ſiccare cum tenuitate partium, de qua *Dioſcorides* lib. 4. cap. 56.

Verbenacam, ſeù verbenam, & berbenam dictã ab antiquioribus herbam ſacram nuncupatam fuiſſe,

DISPVTATIO II.

DE CVRATIONE NATVRALI.

321 *Curationem maleficiorũ naturalem multi admittunt.* HIS abſolutis diuina fauente Spiritus ſancti aura, quæ ad diabolicam curationem ab omnibus rectè ſentientibus ablegatam ſpectare dignouimus; ad ea, quæ naturalem concernunt, mentis oculos dirigimus, quam multi admittunt; eò quòd rebus naturalibus ad dæmones expellendos vim ineſſe phyſici diſſertatores aſſeuerent; quod vtiquè abſquè dubio fatendum eſſet, ſi vera iudicaretur poſitio Platonicorum. *Præcipuè Platonici.* Iſti enim ponebant, naturam dæmonum eſſe mediam inter Intelligentias, quæ ſunt ſubſtantiæ purè ſpirituales, & homines habentes corpora ex quatuor elementis conſtituta. Vndè Apulæus Platonicus ex auctoritate Platonis, teſte D. Auguſtino *lib.* 8. *de Ciuit. Dei cap.* 16. aſſerebat: *Dæmones eſſe animalia corpore aerea, mente rationalia, tempore æterna, animo paſſiua*. Si autem haberent corpora paſſibilia, nonnè etiam conſequenter à rebus naturalibus pati poſſent? Quia quodcumquè corpus, quod elementum eſt, vel elementatum pati poteſt, ac qualitates ſuſcipere contrarias; quinimo inter corpora elementaria nullum eſt tam diſpoſitum ad ſuſcipiendum omnem impreſſionem, ſicut aereum. Quis ergo ad mentem eorum, res naturales in dæmones habere vim agendi non aſſeueret?

322 *Quorum opinio eſt erronea.* Sed hæc Platonicorum opinio eſt erronea, ac fidei catholicæ totaliter contraria. Nullus enim, niſi ſacrarum ignarus literarum, ignorare poteſt, dæmones eſſe puros ſpiritus: cum ab Angelis nihil diſtent, niſi quòd illi in ſanitate perſtiterunt: iſti verò in malum conuerſi ſunt: vt quamplura diuinæ ſcripturæ teſtantur loca: *Pſal.* 77. *Immiſſiones per Angelos malos*. *Iſaiæ* 14. *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris, corruiſti in terram, qui vulnerabas gentem?* 1. *Regum* 16. *Et exagitabat eum ſpiritus nequam*. Et alibi pluribus locis noui, ac veteris teſtamenti.

Si ergo dæmones iuxta diuinæ ſcripturæ proloquia, fidei catholicæ, Patrum, ac Theologorum aſſerta ſunt incorporei, ac puri, quomodo res naturales in eos agere poſſunt? At quia multa exempla, earum applicationem ad infirmitates maleficas ſanandas prodeſſe, demonſtrant; Ideò tota hac diſputatione examinandum: Quomodo naturalis illa curatio perficiatur: & Quid operetur. Quod tandem partibus breuiter præſtabitur: vt tandem, ad quem ſpectet, Medicum, an Exorciſtam, concludatur. *At quia experiētia illā approbat videndū quomodo perficiatur, quid operetur.*

PARS PRIMA.

Quomodo perficiatur rebus naturalibus.

§. I.

QVamquam Philoſophi nonnulli naturam brutorum animalium matrem; hominis verò nouercam dixerint: quoniam cætera animalia veſtita, & cooperta hæc pilis, & pelli- 323 *Cur natura dicatur Mater brutorum.*

pellibus , illa plumis naſcantur: Hominem verò quaſi rem vilem, nudum , flentem , omniumque rerum egentem ſimul pepererit, & expoſuerit . Illa natura duce herbas, ac reliqua ſaluti neceſſaria cognoſcant. Hic ignarus, ac ſimplex tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, vt ait Ariſtoteles 3. *de Anima*, per tot annos omnis actionis ſit expers. Illa numquam , aut rarò ægrotent. Hic verò ſalutem integram numquam habeat, & nunc à quauis re naturali: modò à ſupernaturali dæmone, nempè, per opera malefica offendatur, & interimatur. Vnum tamen homini ſuper bruta omnium donorum naturalium contulit excellentiſsimum , ingenium, nempè, & rationem, quo omnia ſibi noxia , & contraria euitanda: quo vtilia, proficua , ac neceſſaria comparanda : quo pharmaca , ac remedia naturalia non tantùm ad morbos curandos naturales, ſed & maleficio inductos exhibenda, curationemquè naturalem perficiendam, per ſtudium, & exercitium agnoſcere valeat. Quę quidem curatio naturalis naturalibus remedijs naturali virtute operantibus præſtari debet; alioquin naturalis dicenda non eſſet.

Et noner ca hominis

Deus dedit ei intellectũ, quo Noxia vitat Proficua quærit, Morbos curat Rebus naturalib. Quarum

§. II.

324 ET ne videar in meſſem alienam velle falcem mittere: quicquid in hac prima huiuſce diſputationis parte medicinæ practicæ inſtituto deſeruiens explicatur, ſciat meus Lector, quòd non meo penu, ſed partim ex Medicorum probatiſſimorum placitis: partim ex varijs Exorciſmariorum libris huc collegi: Non vt Medicos inſtruam, cum mihi non tantum tribuam, vt Delphinum natare, Aquilam volare edocere præſumam; ſed vt faciliùs ea maleficiatis applicandæ, cum opus fuerit, præ manibus habere valeant: Et Exorciſtæ curioſi, qui partes Medicorum ſibi audent aſſumere, quæ alibi effuſa, hìc collecta facillimè inueniant. At licèt aliquorum pharmacorum poſuerim doſem, eam tamen relinquere intendo prudentiæ Medicorum terminandam, moderandam, ac ſtatuendam, qui addant, minuant, mutent iuxta artis ſuæ regulas, ac præcepta, cum eorum ſit cognoſcere, ac conſiderare varias complexiones corporum, diſpoſitiones humorum , mutationes temporum, diſcretiones ſexuum, varietates ætatum, cæteraquè ad id neceſſaria: vt latè dicetur in concluſione huiuſce diſputationis. Quæ medicamina, ſeu res naturales. Aliæ ſunt exteriùs applicandæ: Aliæ interiùs ſumendę, vt duobus capitibus notum fiet.

Aliæ Externæ, Aliæ Internæ.

CAPVT I.

Externis.

NIhil frequentius in medicina practica, quàm externis remedijs internas morborum cauſas auferre. Ideò qui à maleficio vexantur, curantur naturaliter, vt volunt Medici quidam, rebus naturalibus ſic applicatis, vt corpus contingant, vel Simplicibus, vel Compoſitis, vt duabus ſectionibus videbitur. 325

Sæpius morbi interni tolluntur remedijs Externis Simplicibus, Compoſitis.

SECTIO I.

Simplicibus.

RES Simplices, quas aſſerunt, concurrere ad morbos maleficos curandos, ſunt innumeræ; ſed illæ omnes ſecũdùm diuerſum applicandi modum, qui fit ab iſtis Curatoribus, poſſunt dici vel Permanentes, vel Tranſeuntes, prout vel longo, vel modico tempore adhibentur, vt duo articuli ſequentes declarabunt. 326

Res externæ ſimplices dici poſſũt Aliæ Permanẽtes Aliæ Trãſeuntes.

ARTICVLVS I.

Permanentibus.

MEdicamenta Externa, Simplicia, Permanentia, quæ veneficijs aduerſari ab ignaris creduntur ſunt illa, quæ continuò deferri debent, aut longo tempore, vt ſuum valeant operari effectum: vt ſunt herbæ, lapides, oſſa, quorum facultatem explicare operepretium duxi, vt habita medicamentorum ſylua, vnuſquiſquè faciliùs pro varietate morborum, ac ægrotantium, diuerſa etiam ſeligere medicamina poſſit, ſi quæ in eis ad tales producendos effectus uirtus eſſe dignoſcitur, quod apertè, ac clarè explicabitur in ſecunda parte huius diſputationis. 327

Permanẽtia medicamina ſunt ea, quæ Aut Continuè, Aut Longo tempore Vt

§. I.

ET vt à Ruta incipiamus: Huic peculiarem ineſſe facultatem ad depellenda veneficia, exiſtimat Ariſtoteles in Problematibus 20. Problem.34. vbi huius rei cauſam quærit. *Nec non Plinius ad eadem præcauenda eius ſucco perunctis, vel eam habentibus plurimùm valere credidit. Domeſticam rutam tertio exceſſu calefacere, ſcribit Galenus* lib.8. Simplic. medicam. *Ex quo vim habent incidendi, digerendi, prouocandi, & flatus potenter expellendi. Et teſte Dioſcoride aduerſus venena valet.* 328

Herba.

Inter hypericon, perforatam vulgò dictam, ac dæmones tanta videtur antipathia, vt eius ſuffitu frequenter recedant. Quare noſtri fugam dæmonum appellant, cuius facultas manifeſta eſt, calefacere, & ſiccare cum tenuitate partium, de qua Dioſcorides lib.4.cap.56.

Verbenacam, ſeu verbenam, & berbenam dictã ab antiquioribus herbam ſacram nuncupatam fuiſſe,

fuiſſe, teſtatur Dioſcorides; eò quòd multum ad amuleta, expiationeſquè commendaretur. Hanc valenter deſiccare, ac diſcutere, & perfectè corroborare, ait Galenus lib. 8. ſimpl. medicam. *Ideò Archigenes, referente Aetio, ipſam capillos fluentes ſiſtere, radicis decoctum dentium dolorem ſedare, colicis, epilepticis, quotidianarijs, ac quartanarijs podagræ, ac iſchiæ, arbitratus eſt.*

Herbæ paridis ſemen contra veneficia præſtantiſſimum eſſe medicamentum, aſſerit Pandectarius; ita vt quidam ſemi ſtulti facti hoc ſemine ad vigeſimum vſquè die in puluere hauſto drachmæ pondere priſtinæ ſanitati fuerint reſtituti.

Antirrhinum, vel lychniſagriam, ſeù anorochinum dictum, ſi quis appenſum geſtet, nullo malo medicamento, aut veneno lædi poſſe tradunt Dioſcorides lib.4. c.129. *ac Plinius* lib.28. c.10. *Eam adeò infenſam ſcorpionibus recenſet Matthiolus, vt ipſa viſa torpeſcant.*

Artemiſiam ſecū habentibus mala medicamenta nocere non poſse ſcribit Auctor libri ſimplicium, qui inter ſpurios Galeni relatus eſt. Ex cuius ſententia etiam vteri affectibus mirum in modum prodeſt. Manu verò contracta nocentes feras, ac dæmones fugare, docet Fernelius.

Abrotonum etiam eſse efficaciſſimam herbam aduerſus omnia veneficia, quibus coitus inhibeatur, teſtatur Plinius lib. 21. cap. 2. *Quam quidem excalefacere, ac ſiccare exceſſu tertio ſentiūt græci Auctores, quamuis minorem caliditatem, ac ſiccitatem Auicenna illi aſcribat.*

His, qui quotidiè Betonicā guſtant, nulla nocitura mala medicamenta ex aliorum ſententia refert Plinius lib.25. cap.10.

Molym, dictam Rutam ſylueſtrem à Galeno l.7. ſimpl. *contra ſumma veneficia ab Homero demōſtratam eſse, idem Plinius* lib.25. cap. 4. *quæ quidem eſt tenuuium partium, ac calida exceſsu tertio.*

Scyllam in limine ianuæ ſuſpenſam mali medicamenti noxam arcere memoriæ prodidit Pythagoras, teſte Plinio loc. cit. & Dioſcorides lib.2. c.168. *Præterea Mithridation, Scorditem, Centaureum Lentopodij radicem, & complures alias herbas aduerſus magicas artes pollere, auctor eſt Plinius* loco citato, *ac Dioſcorid.*

Multa alia laudantur à recentioribus pro curandis veneficijs, depellendiſquè ſpiritibus malis, teſte Codronco lib.4. de morbis venef. cap. 8. *vt Sabina, Palma Chriſti, Ariſtolochia, Aſteratticus, Tuſſilago, Peonia, Saluia, Anethum, Marrubium, Chamæpitys, Cyclamen, Allium, Sclaræa, Fæniculum, Laurus, Galega, & Cupreſſus, licèt omnia incaſſum; vt ſecunda par. patefiet.*

Sabina calefacit, & ſiccat ordine tertio cum partium tenuitate.

Palmæ Chriſti radices ex Matthiolo maniacis datæ, magno ſunt iuuamento; & ſeminis drachmam vnam in vino propinatam neruorum affectibus auxiliari, addit Nicolaus Florentinus. Radicis decoctum etiam epilepſiam, & multò magis quartanam curare.

Ariſtolochiam, quam Galenus 6. Simpl. *calidam, & ſiccam ſtatuit, venenis, & veneficijs reſiſtere Dioſcorides, & Federicus Iametius, & contra ſerpentes valere Plinius: Comitialibns, & conuulſis, & alijs huiuſmodi prodeſse Galenus tradiderunt.*

Aſteraticus bubonion, & inguinalis dicta mixtæ facultatis eſt; vt roſa; refrigerat etiam pauliſper, digerit, & exſiccat: & hac non ſolùm illita; ſed & ſuſpenſa bubones ſanare, & aduerſus ſerpentes valere creditur.

Tuſſilaginis, farfaræ nuncupatæ folia virentia refrigerare, & humectare: ſicca verò calefacere: tuſses, ac orthopnocas, abſceſſumquè thoracis ruptionem iuuare, non eſt dubitandum, vt Medici teſtantur.

Peoniæ vniuerſum temperamentū eſse tenuuiū partium, & exſiccatorium, & in caliditate aut ſymmetrium: aut paulo calidius, nec non etiam alligatam puerorum epilepſiam curare aſserit Galenus loc. cit. eiuſquè grana quindecim in aqua mulſa: aut vino pota ſuppreſſionibus nocturnis, vuluæ ſtrangulationibus auxiliari, auctor eſt Dioſcorides lib.3. cap.40.

Saluia manifeſtè calefacit, & leuiter aſtringit, & aduerſus ſcorpiones, ac ſerpentes efficax eſt: nec non ad omnes frigidos capitis affectus, vt omnes praxim excercentes ſciunt.

Anethum calidum, & ſiccum temperamentum habet, vrinam prouocat, ac doloribus internis ex frigore ſuccurrit.

Marrubium, ſeù Praſſium excalefacit exceſſu ſecundo, & deſiccat tertio, & ijs, qui venena hauſerunt: aut à ſerpentibus demorſi ſunt, præter alia auxiliatur.

Chamæpitys, quæ Iua dicitur, caſdem primas poſſidet qualitates, & ad iecoris, ac cerebri affectus frigidos efficax eſt.

Cyclamen calefacit, & ſiccat ordine tertio.

Allium eaſdem qualitates habet exceſſu quarto.

Fæniculum maius calefacit; minus verò exſiccat.

Lauri folia, & fructus deſiccant, ac calefaciunt vehementer; plus etiam fructus, quàm folia.

Galegæ, Rutæ caprariæ dictæ vis maxima ineſt aduerſus peſtilentiam, ac lethalia medicamenta, comitialem morbum, ac lumbricos enecandos.

Cupreſſus verò refrigerat, & aſtringit, ac ſiccandi vim habet: vt tradunt Dioſcorides lib.1. cap.86. *& Galenus* lib.6. Simpl. medic.

Has ergo omnes herbas ad veneficia, ac maleficia curanda, & repellenda, ſpirituſquè malos abigendos valere putant præcitati Medici. Quod an verum ſit, & quomodo intelligi debeat, explicabitur in ſecunda parte huius diſputationis.

§. II.

SEd nec herbæ tantùm: verùm & lapides quam- 329 *Lapides.*
plures ad huiuſmodi effectus producendos efficaces à pluribus exiſtimantur.

Mardobæus Gallus in Dactilothica multa de lapidibus diſſerens inter cætera de Adamante cecinit:

Et noctis lemures, & ſomnia vana repellit.

Eandem virtutem Thetel Iudæus libro de ſculpturis

ris tribuit Chryſolito mulieris figura naturaliter formato. Sed & Mardobæus de eodem:

Eſſe phylacterium fixus perhibetur in auro
Contra nocturnos fortis tutela timores.
Pertuſus ſetis ſi traijciatur aſelli,
Dæmones exterret, & eos agitare putatur.
Traiectum leuo decet hunc geſtare lacerto.

Hic lapis teſte Dioſcoride de lapillis pretioſis, *confortat organum, quo vtitur intellectus pro ſtatu iſto.*

Quid Corallium? Idem Mardobæus:

Vmbras dęmoniacas, & Theſſala monſtra repellit.

Item odia domeſtica, & diſſidia aiunt componere, veneuatis poculis mederi, incantamenta, diraſque deprecationes amouere. Cuius rei teſtis eſt locupletiſſimus ſiuè Orphæus, ſiuè quis alius auctor eſt libelli de lapidibus, qui ſub ipſius nomine circumfertur: vt tradit Federicus Iametius Medicus in ſuis quibuſdam theorematibus.

Quid Gagates? Hunc contra maleficos omnes morbos prodeſſe tradunt Dioſcor. lib.5.c.103. *Plinius* lib.25. cap.10. *Meſue ad hoc laudat oleum quoddam ex Gagate, quod* ſacrum *vocant. Eius ſuffitum, ac nidorem ſerpentes abigere teſtatur Nicander. Hinc Mardobæo fortaſſis occaſio data eſt ſcribendi, Gagatem dæmonibus contrarium eſſe: quoniam cacodæmon humani generis hoſtis infeſtus ſerpens etiam in ſacris litteris nuncupatur. Vndè de eo ſic ait:*

Idem dęmonibus contrarius eſſe putatur,
Vincit præſtigias, & carmina dira reſoluit.

Quid Iaſpis? Idem Mardobæus:

Et ſicut perhibent, phãtaſmata noxia pellit.

Qui etiam oculos purgat, viſum acuit, & confortat; & ſecundùm Dioſcoridem valet contra maleficia, & incantationes.

Quid onix?

In ſomnes lemures, triſtia cuncta repellit.

Sic vulgò legitur; ſed ſenſum membranæ contrarium exhibent:

In ſomno lemures, & triſtia cuncta figurat.

Et ſanè maleficam eius vim ipſemet Mardobęus c. de Sardio, *indicat, cum ſcribit, præſente Sardio onycem nocere non poſſe. Sardius enim ex natura ſua gaudium accendit, & expellit timorem.*

Smaragdum, qui valet contra morbum caducum, & vigorat ad locutionem; etiam valere contra illuſiones dæmonum, aſſerunt Dioſcorides, & Codroncus.

Aquilæ lapidem, quem Aetitem vocant incluſum annulo, & geſtatum maleficia tollere, ait Federicus Iametius.

Berillum, qui inclinat ad mititatem, & benignitatem, ſimiliter, & Magnetem vxorem, & virum inter ſe conciliare, aſſerit idem Iametius.

329 *Lapides.* *Camphoram, Calcedonium contra dæmonum illuſiones. Topazion contra phreneſiam iram, & lunaticam paſſionem, quæ per dæmones quandoquè excitatur, & augmentatur: Adamantem valere contra incubos, contra inſaniam, & contra ſomnia vana, tradunt Ariſtoteles* lib. de lapidibus, *Plinius* l.37. *D. Iſidorus* l. Ethymolog. *Beda* de natura rerum. *Solinus* l.3.c.2. *Dioſcorides, Lepidarius, Ambroſius* in Hexameron, *Baſilius, Gregorius, & Auguſtinus.*

Quid tandem dicam de quodam lapillo in Nili flumine inuento, quem, ſcribit Stobæus ex Thraſyllo, quòm primum energumeni naribus apponitur, dæmonem extrahere?

Hinc in lege canonica c. dæmonium 26. q.7. *conceditur dæmonium ſuſtinenti, petras, vel herbas habere ſine incantatione. Quod ſuſtinent etiam Polycar.* l.6. t.12. *Burcardus* l.10. c.50. *S. Iuo* p.11. c.75. *& eſt ſententia D. Hieronymi.*

§. III.

330 *Oſſa ac membra animalium.* IDem prorſus dicendum de quibuſdam animalium oſſibus, neruis, aliiſque membris exſiccatis, & appenſis, vel ſecum delatis:

Sanguinem canis nigri parietibus illitum pellere maleficium, ait Federicus Iametius. Idem efficere cor leporis pelli inuolutum, & geſtatum, & lupi dextrum oculum, ait idem Auctor. Pellem capitis lupini affixam villæ valuis, vel lupi roſtrũ contra dæmones valere ait Plinius lib.10.cap.9.

Et alia plura paſſim apud Philoſophos, & Medicos inueniuntur, quę dicunt, vim habere ad maleficia deſtruenda, dęmoneſque fugandos, quę cum in ſpiritus nullam poſſint habere naturalem actionem, vt latè explicabitur parte ſecunda, niſi dicamus, ea aliqualiter ægrotum iuuare, prout phyſicè applicantur: vt plurimum ſuperſtitioſa eſſe fatendum eſt, vt fusè ſupra demonſtratum eſt diſput. pręcedenti.

ARTICVLVS II.

Tranſeuntibus.

§. I.

331 *Tranſeũtes ſunt quæ operantur citò vt ſuffumigationes.* NEc tantùm res naturales ſimplices permanentes; ſed & tranſeuntes ad morbos maleficos curandos, dęmoneſq. pellendos valere fatentur multi. Tranſeuntes vocamus, quę operantur ſtatim: vt ſuffitus, ſeù ſuffumigationes. Has quis non videt apud antiquiores Medicos habuiſſe locum: vt Hippocratis teſtimonio conſtat, qui iubet Phymiamata ad fugandam peſtilentiam ex rebus odoratis paranda eſſe? Hinc illa apud Priſcos emanarunt *pro fumigij alimẽto laurus, iuniperus, roſmarinus, ſaluia, thus, myrrha, maſtix therebentina, myrtus, roſa, ſandali, camphora, cortices pomorum, cupreſſus, cedrus, lignum aloe aqua roſacea, acecum, vinum odoratum, atq. alia ſexcenta.* Hinc innumeræ reperiuntur ſuffituum cõpoſitiones; & pręſertim apud Ætium *in fine ſerm. ſerm. 16.c.122.* Suffumigatio equidem ad multa eſt vtilis. *Quarum compoſitiones variæ Vtilitates earũ recenſentur.* Mẽbra enim pręcipua, ac cor potiſſimum, ſi ex aromatibus ſit parata, corroborat: humores craſſos, ac frigidos thoracis extenuat, atq. ad expulſionem aptos reddit, ſi ex cõuenienti materia paretur, eoſquè paratos purgat, & educit. Ideò Antyllus Medicus, referente Oribaſio *l.8.col.c.12.* pro anheloſis, & erecta ceruice ſpirantibus; & Poſteriores in antiqua tuſſi, quę alijs remedijs non cedit: in vlceribus faucium, gargareonis, ſeù gurgulionis: ac palati: in empyemate: in rebelli, ac firmata lue venerea, potiſſimùm ſi ex maligniori materia paretur, in diſcutiendis pituitoſis articulorũ tumoribus, ac in roborandis muſculis, ac neruis pituita imbutis, & laxioribus factis, ac in multis alijs affectibus commendant.

§. II.

332 HVjuſmodi affectus cum in corporibus humanis à dæmonibus quoquè cauſari poſſint: hinc noſtri Exorciſtæ ad maleficia deſtruenda, dęmoneſque è corporibus obſeſſis expellendos hanc ſuffumigationem vt plurimũ experiuntur, odorata fætidis miſcentes, *thus, myrrham, ſtyracem, laudanum garyophilos, muſcum, & galbanum* accipiunt. Quidam ingrati odoris duntaxat, *galbanum, ſulphur, aſam fætidam, ariſtolochiam, hypericonem, & rutam* vſurpant. Hac ſecunda vtebatur Hieronymus Menghus *in ſuo flagello dæmonum*: vbi agit de remedijs efficaciſſimis in malignos ſpiritus expellendos.

His vtuntur quidã Exorciſtæ ad dęmones pellendos

Duas alias ponam ex Complemento Artis exorciſticæ Zacharię vicecomitis *par. 1. de rebus corporalibus*: quarum altera eſt.

Recipe	Styracis calam.	drac. 1. cum dimidia.	
	Belgiuuini.	drac. 1.	
	Nucis muſcatæ	ana dr. 1. cũ dimidia.	
	Gariophilorum		
	Ligni aloes.		ſcrup. 1.
	Ambræ griſæ.		gran. 1.
	Muſci electi.		gran. 2.
	Laudani ping.		drac. 2.

Pulverizentur pulverizanda S. A. & cum modico draganti infuſi, & molliti in aqua roſarum fiat maſſa; & formentur ad formam trociſci; & benedicantur. Et ex dicta fumigatione fumigetur maleficiatus pluries in die, ueſtimentaquè, & domus &c.

Altera, dicta:

Suffumigium ad torquendos dæmones.

Recipe	Carnis, uel limaturę ungulę aſini.		unc. 1
	Stercoris canis.		unc. 2.
	Stercoris diaboli.		unc. 1.
	Sulphuris.	ana unc. 3.	
	Hypericonis.		
	Rutæ.		
	Miſce, & fiat ſuffumigium.		

§. III.

333 HÆc, & ſimilia ſuffimenta adhibent antiqui Exorciſtæ, nullam habentes morborum, ætatum, ſexuum, complexionum, ac temporum diſtinctionem: quę an nuncupari debeant ſuffimenta ad torquendos dæmones: vel dæmoniacos, diſcutietur in ſecunda parte huius diſputationis. Cum enim omnia hæc ſint calida, & calidi natura ſit aſcendere, propterea ad caput aſcendunt, & ſecum alios vapores adducunt, qui ſimul caput implentes, ipſius gravitatem faciunt: vt docet Codroncus *l. 4. de morbis venef. c. 6.* Ideò multoties his ſuffumigijs vtuntur non niſi cum maximo ægrotantium detrimento. Præterquàm quòd & ſua caliditate inflammationem progignere, & humores frigidos fundendo epilepſiam, apoplexiam, conuulſionem, & alios graues morbos excitare poſſent. Niſi enim corpus, & caput prius purgatum fuerit, tutò ipſa adhiberi non poſſunt. Tempus verò vtendi erit de mane, cum ventriculus à cibo erit vacuus. Quæ omnia, cum ſint de Medici conſideratione, cuius eſt cognoſcere morborum, conſtitutionum corporum, ætatum, ac temporum diuerſitatem: nec non medicamentorum qualitates: Exorciſtis conſultius erit, ſi poſthabitis his remedijs corporalibus, magis, magiſquè ſpiritualibus incumbant: relinquentes ea Medicis adhibenda, cum eis videbitur opportunum.

Cũ ægrotorum detrimẽto.

§. IV.

VErùm quid dicemus de fumo proueniente ex iecore piſcis à Tobia poſito ſuper carbones. 334
Quod ſuffimentum anſam præbuit Exorciſtis ad dęmones effugandos, ſimilibus vti remedijs. Nonnè extricabat omne genus dæmoniorum à viro, & à muliere, ità vt vltra ad eos non accederet, teſte Angelo Raphaele *Tobiæ 6.*? Quis ergo neget ſuffumigationes ad morbos maleficos tollendos, dæmoneſquè ab energumenis pellendos proficuas eſſe, ac neceſſarias?

Fumus iecoris piſcis Tobiaci videtur extricaſſe dæmonẽ.

Sed eſto pro euaſione aſſerant aliqui, in Canone ſacrarum ſcripturarum Tobiæ librum, vndè iſtud argumentum eſt deſumptum non reperiri; licèt recipiatur in Eccleſia ad legendum pro edificatione: quia ſunt ibi multa incitatiua ad bonum, teſte D. Hieronymo *in Prologo galeato*. At ſufficit nobis, eum cõtineri in Canone Concilij Tridentini *ſeſ. 4. de canonicis ſcripturis*; ideòquè tantam eſſe libri Tobiæ auctoritatem, quantam reliquorum. Si ergo ille fumus omne genus dæmoniorum extricabat, cur & aliæ ſuffumigationes præſertim fætidæ, & graueolentes eundem non præſtabunt effectum? Verum tutiùs dici poteſt, fumum illum tobiaci piſcis nihil profeciſſe ad excludendum dęmonem à viro, ac muliere; ſed ab Angelo Tobiæ precibus id factum fuiſſe, vt latè explicatur infra *parte ſecunda huius diſput. num. 373.*

Sed dæmonem expulsũ, non à fumo, ſed ab Angelo, oſtenditur.

SECTIO II.

Compoſitis.

NOn ſat eſt Medicis, vel Exorciſtis rebus externis ſimplicibus tàm permanentibus, quàm tranſeuntibus vti, licèt incaſſum, ad morbos veneficos tollendos, dęmoneſquè ab obſeſſis corporibus expellendos. Sed perſępè etiam adhibent compoſitas: quæ vel Solidę ſunt: vt redactæ in puluerem, aut maſſam: vel Liquidæ, vt in liquorè. Et his omnibus modis ad maleficiorum curationem applicantur; vt ſequentes articuli demonſtrabunt. 335

Perſæpè Exorciſtæ vtuntur rebus compoſitis. Quæ sũt. Vel Solidæ. Vel Liquidæ.

ARTICVLVS I.

Solidis.

§. I.

SOlida medicamenta externa compoſita, licèt ſint varia, poſſunt tamen reduci ad tria, nempè *Emplaſtra, Ceratum, & Vnguentum*, quæ ſolida dicuntur ad differentiam liquidorum. Vndè *Ceratum eſt medicamentum conſiſtens quodammodo medium inter vnguentum, & emplaſtrum: hoc quidem non ità ſolidum: eò verò non ità molle.* Nã ceratum, quod dicitur à cera, eò quòd ceram admittat, cõficitur ex oleo communi, & cera, magiſquè de cera admittit, quàm vnguentum; & minus emplaſtro. Sunt tamen multa cerata, quę pręter oleum, & cerã alia multa recipiunt: cuiuſmodi *ceratum ſantalinum, ſtomachicum, pleraq. alia*: ſicut etiam emplaſtra pręter oleũ commune, & ceram alia admittunt, puta *lithargyriũ* inter- 336

Solidę reducuntur. Ad Cerata. Emplaſtra. & Vnguẽta. Quid ſit Ceratũ. Quid em plaſtrum

interdum *reſinam*, quandoquè *medullas*, *adipes*, *axungias*, *mineralia*, *metalla*, *plantas*, *radices*, *ſurculos*, *ligna*, *flores*, *ſemina*, aliaquè id generis, quæ ſi arida ſunt, pulueriżantur, maioreque, aut minore doſe in emplaſtri veniunt confectionem, de quibus Renodæus Medicus Pariſ. *lib. 3. Inſtitutionum pharmaceutricarum cap. 3. & Antidot. lib. 5. ſect. 2.* latè Iacobus Vuecheriūs *Antidot. lib. 2. ſect. 31.* Alijque Medici *in ſuis pharmacopæis, & practicis medicinis*.

Quid vnguentum

Idem prorſus fatendum eſt de vnguento, in cuius compoſitione plurima concurrere ſimplicia, patet ex infraſcriptis formulis.

§. II.

Quandoquè à dæmone cauſantur Alterationes, Inflammationes Corruptiones.

337 QVæ ſolida pharmaca morbis à veneficio inductis proficere, videtur colligi poſſe ex morborum diuerſitate, qui à dęmone quandoquè inducuntur. Dęmon enim cum ſit ſubſtantia ſpiritualis, quæ inſtrumentis corporeis non impeditur, ex ſua inſita vi in corpora inuiſibiliter inſinuare ſe poteſt, eorum humores alterando, ſanguinem inflammando, ac corrumpendo. Ex quo phlegmonæ, exuſtiones, variæquè intemperaturæ calidæ, ſeu frigidæ: eryſipelata, herpetæ, carbunculi, phygethla, duriquè tumores in hepate, in liene, vtero, neruis, articulis, alijſquè partibus generantur, quibus dolores grauiſſimi, cruciatuſquè acerbiſſimi excitari queant.

Ad has tollēdas valent

At nemini mediocriter practicæ medicinæ non ignaro eſt ignotum ad huiuſmodi tollendas infirmitates quamplurimùm valere cerata, emplaſtra, & vnguenta iuxta conditionem morbi applicata.

Cerata.

Nonne Ceratum refrigerans Galeni efficaciſſimè compeſcit phlegmonas, eryſipelata, herpetas, carbunculos, phygethla, omnemquè calidam intemperiem? Nonnè idem efficit ceratum Santalinum Meſue, præcipuè contra ventriculi, & hepatis intemperaturas, aliarumquè partium exuſtiones? Vbi admonet Augerius Ferrerius practicę medicinæ c. 10. *Si ſolida ſiccitate, niſi parciùs adhibeatur, partes illas contrahit, indurat, & in ſcirrhum ideſt tumorem durum deducit? Nonnè ceratum œſypatum Galeno tributum vim habet emolliendi, reſoluendi, digerendi, & dolores ſedandi: proindè duris tumoribus hepatis, lienis, vteri, neruorū, articulorum, aliorumquè partium conducit, vt teſtatur* Rondeletius Medicus apud Renodæum loco citato?

Emplaſtra

Quid de Emplaſtris? Nonnè Diachylon ſimplex, vel ireatum, cuius inuentorem tota myropolarum familia Meſuem agnoſcit, (licèt ante eum Serapio, & Auicennas illius deſcriptionem dederint) optimum iudicatur ad hepatis, lienis, ventriculi, aliarumquè partium duros tumores emoliendos, & humores coquendos? Eadem Diachylon magnum, & gummatum præſtat, quæ ſuperiùs, ſed efficaciùs. Magìs enim duritiem quamlibet mollit, coquit, & digerit. Gummatum potenter attrahit, emollit, & reſoluit. Idem fatendum de emplaſtro de mucaginibus ex Fernelio; de Meliloto ex Meſue, de Oxycrocreo à Myrepſo inuento, de Emplaſtro de ianua, cuius auctor eſt Præpoſitus: de Diuino, alijſquè id generis, de quibus plura diſſerunt Medici in ſuis Antidotarijs, & Pharmacopæis.

Vnguēta

Si verò vnguenta attendamus, varia traduntur nedum à Medicis; ſed ab ipſiſmet Exorciſtis pro morbis maleficis curandis.

Ex Valerij Polidori Diſperſione dęmonum p. 2. habetur ſequens.

Recipe	Succi radicum ebulorum. Butyris,	ana lib. 1. ſe.

Et hæc duo igne ferueant uſquè ad conſumptionem ferè ſucci.

Quibus diſpoſitis.

Recipe	Olei camomillæ. Olei Roſati, Olei hypericonis,	ana unc. 1.

Et hæc prædictis addantur, atquè ad ignem ſecundùm artem ad formam unguenti redigantur, quo uexata perſona eo repente à collo excluſiuè uſquè ad pedes per menſem ſemel in die inungatur.

Ex Zachariæ Vicecomitis Complemento Artis Exorciſticæ.

Vnguentum pro ſtomacho.

Recipe	Gariofilorum. Cinamomi electi. Nucis muſcatæ. Zedouariæ. Ligni aloes.	ana ſcrup. 1.
	Maſticis.	ſcrup. 11.
	Olei gariofilorum.	Vnc. med.

Et puluerizatis puluerizandis, & cum modico ceræ fiat unguentum ſ. a. & per horam ſaltem ante prandium, & cænam unge os ſtomachi ſuperpoſito panno calido.

Aliud ab Auctore compoſitum & probatum.

Recipe	Oleum	Gariofilorum. Spici nardi. Nucis muſcatæ Maſticorum.	ana drac. 2.
	Adipis.	Ochæ. Gallinæ.	ana drac. 2.
	Succi florum tabacci, ideſt herbæ reginæ, uel pulueris tabacci hiſpani drac. 1.		

Miſceantur ſec. artem cum modico ceræ, & fiat unguentum, quo ungatur os ſtomachi ſero per horam ante cęnam, & ſuperpoſita carta, uel folio tabacci, ſeu herbæ reginæ, ac ſuper eam panno calido, faſcia cingatur, & probabit effectum. Valet enim ad ſtomachum corroborandum, ac tollendas cruditates, ad pituitam purgandam, diſtillationes deſiccandas, ac ſanitatem conſeruandam.

Contra maleficia cordis.

Recipe	Specierum cordial. montagn.	dr. med.
	Olei ſcorpionum Matthioli.	ſcrup. 1.
	Vnguenti Roſati Meſue.	Vnc. med.

Et fiat unguentum, quo inungatur regio cordis.

Vel aliud.

Recipe	Olei neufanni.	Vnc. 1.
	Ceræ albæ.	drac. 2.
	Sandalotum rub. Citrinorum. Ligni aloes. Semen acetoſæ. Corallorum rubeorum.	ana ſcr. med.
	Margaritarum.	gran. 6.
	Camphoræ. Croci.	ana. gran. 3.

Miſceantur ſec. artem, & fiat unguentum.

Quis non aſſerat, ſi efficacia huiuſmodi remediorum ad morbos maleficos curandos conſiſtit in virtute ingredientium talia pharmaca, plurimum valeret; cum quodlibet eorum maximam vim poſſideat?

§. III.

338 *Quæ tamen nihil proficiunt, ſi dæmon non ceſſat cauſare tales morbos.*

VEruntamen eorum vires irritæ euadunt, niſi etiam cauſa remota huiuſmodi humores intrinſecè excitans, & tumores; ſiuè quoſcumquè morbos efficiens, auferatur. Non enim ſufficit in morbis veneficis, immediatam compeſcere cauſam, nempè humorem peccantem; ſed opus eſt etiam aliam cauſam tollere ſupernaturalem, nempè dæmonem intrinſecè huiuſmodi humores commouentem, tumoreſquè, & alias intemperaturas, ſiuè calidas, ſiuè frigidas efficientem. Nam poterunt quidem Cerata, Emplaſtra, & Vnguenta ſuas exercere vires. At dæmon iterum, & iterum nouos commouebit humores, nouos producet tumores: & ecce medicaminum vires omnes irritæ erunt, ac vanæ: Ideòquè neceſſarium eſt tollere non ſolùm cauſam ægritudinis proximam, & immediatam; ſed etiam alteram remotam, & mediatam, à qua morbus producitur, & conſeruatur.

ARTICVLVS II.

Liquidis.

§. I.

339 *Liquida exteriora ad duo vſitatiora reducuntur: Balnea. Lenimenta. Balneũ quomodo paretur.*

VErè quandoquè maleficiatis applicari ſolent ſolida medicamina; ſed ſæpiùs liquida adhibentur; quæ, cum varia ſint: ad duo tantùm pro nunc vſitatiora reducam: Balnea, nempè, & Lenimenta.

Balneum inprimis quoddam ad morbos veneficos abolendos ſolent quandoquè proponere Exorciſtæ ex lixiuio cum cinere oliuarum, & aqua fluminis paratum, in quo ebulierint ruta, ſabina, hypericon, artemiſia, verbena, palma Chriſti, & ariſtolochia rotunda, in quo balneo iubent totum corpus ægrotantis immergi, & ablui. Quod quidem remedium potiùs omittendum eſſe ſuaderem; cum balnei vſus iuxta Medicorum placita tot expoſcat conditiones tùm ex parte morbi, & ægrotantis: tùm ex parte balnei, & miniſtrorum, vt difficillimum ſit, omnes ſimul conuenire.

Ne eius vſus ſit noxius ægroto, varia ſunt obſeruanda.

Si tamen placeat ipſum experiri, vt innoxius ſit illius vſus, nonnulla ſunt animaduertenda ex Codronco *de morbis venef. lib. 4. cap. 5.* Qualis, nempe ſit morbus: quales partes ſint affectæ: qualis ægrotantis conſtitutio: quænam ætas: qui ſexus, qui mores, & an præcepta Medicorum ægrotantes ſeruaturi ſint, morbi tempora tum vniuerſalia, tum particularia ſunt conſideranda. Et antequam ingrediatur balneum æger, cogitandum de totius corporis purgatione. Qua peracta cognoſcere modum, & tempus ingrediendi, & inſidendi in ipſo; quotquè diebus vſurpandum ſit. Poſt cuius vſum nonnulli ſunt executioni demandanda.

340 *Quænam poſt eius vſum adimplẽda.*

Si itaq. morbus ſit calidus, à cauſiſquè calidis ortum ducat, vt febris tertiana, febris ſynoca; vel ardens viſceris alicuius inflammatio; febris hætica, vel inſignes adſint obſtructiones, non conuenit huiuſmodi balneum, cum egregiam vim excalefaciendi, & exſiccandi habeat. Paratur enim ex lixiuio, & ſimplicibus ſtrenuè calefacientibus, & ſiccantibus. In quolibet enim grauiſſimo, & acutiſſimo morbo non ſine diſcrimine ægrotantium balneum quodcumquè etiam ex aqua ſimplici adhibetur, cum vires imbecilles reddantur, & cibo pauciſſimi nutrimenti veſci cogantur; præſertim verò ſi ægrotans calidum, & ſiccum iecur habeat: Vel cum eo etiam totum temperamentum, vel melancholici, ac gracilis ſit habitus: aut viſcus aliquod vt iecur, ventriculum, pulmonem, renes, meſenterium habeat imbecille, balnei vſus erit noxius; ſua enim caliditate, & ſiccitate augeret intemperiem calidam, & membra languidiora redderet.

§. II.

341 INſuper qui in primis venis crudorum humorum copiam habent non ſunt ad balneum admittendi; ſua enim caliditate, ac digerente facultate humores funderet, ac intra venas traheret: Ex quo obſtructiones, & alia mala emanarent. Qui verò imbecilles, ac languidas habent vires, qui cibum faſtidiunt, & malam habent in ventriculo affectionem nauſea affecti, bilioſa eructantes: ſi è naribus ſanguis copioſè fluat, ſi alui fluuore torqueantur, vel aluum nimis aſtrictum habeant, balneum eſt vitandum.

Infantes autem, & pueri, deindè mulieres; poſtea qui delicatam temperiem ſunt ſortiti vim huius balnei difficilè perferre poterunt. Difficillimè verò omnium ſenes ob humorum paucitatem, & multam ſpirituum reſolutionem.

§. III.

342 NEc quolibet tempore balnei vſus eſt idoneus. Vbi enim aer peſtilenti aliqua qualitate eſt affectus, maximè nocet balneum; in vehementioribus frigoribus, & anni tempore æſtiuo æquè fugiendum eſt. Nam hyeme diſſoluti, qui antea quieſcebant humores, dum inter digerendum à contrario anni temporis impetu in incautos validiùs irruit; inuaditquè frigus, neceſſariò in aliquam impelluntur partem, ac morbum procreantes grauiter homines offendunt. Æſtate verò media, cum iam ardor viget, & calor ad externa propenſus fertur, balnei vſu reliquum, quod eſt caloris diſſipatur, internæquè facultates debiliores fiunt.

Nequè balneum aſſumendum eſt poſt aſſumptum cibum; vel adhuc non concoctum. Corpus enim crudis humoribus repletur. Nec poſt longiorem inediam: quia vires nimis diminuerentur. Minuſquè imperandum, niſi prius corpus expurgatum pharmaco exactè fuerit; cum balneum ſubtiliores tantùm euacuet: craſſiores verò eliquet, & fundat per vniuerſum corpus, vel obduret.

§. IV.

343 SEd procertò ſciant, quòd licèt ad balnei vſum ſuperenarratæ reperiantur conditiones, non ſe ipſos in balneum præcipitare debent; ſed ſenſim, ac ſenſim deſcendere: vt priùs inferant pedes, mox crura, poſtea paulatim corpus totum vſquè ad ceruicem; obſeruando, vt caput tectum habeant, ne à balnei vaporibus repleantur: vt aqua pariter quieſcat; cumquè in ipſo fuerit æger, conſiſtat. Cum enim mouetur æger, & aqua agitatur, magis mordicando

dicando horrores fiunt, ad quos ſequuntur contractio ipſius cutis, & meatuum coanguſtatio, & capitis dolor ex copia vaporum, qui ſurſum eleuantur. Aqua verò ſit calida actu; non tamen vſquè adeò, vt ſudorem prouocet copioſum: vel rigorem inducat, vel animi defectum: quæ caliditas moderanda erit habita ratione temporis, morbi, ætatis, & corporis temperamenti.

344 Mora autem in balneo eſſe debet longa, vel breuis iuxta Medici iudicium habita ſuperiori animaduerſione ad aquæ facultatem, ad morbum, ætatem, habitum, vires, & ſimilia. Iam verò ſi in balneo aliquod ſuperueniat accidens; vt ſudor copioſus, animi defectus, dolor capitis, vigiliæ immoderatæ, ac ſimilia, omittendum erit balneum, & ſymptomata curanda.

345 Tandem è balneo egreſſus æger per miniſtros abſtergatur; & ad cubiculum benè tectus accedat. Et ſi ſudor emanet, abſtergatur leni linteolo: Et ſi laſſitudinem percipiat, poſt aliquam moram dormiat, nec cibum ſtatim poſt balneum ſumat; ſed cum balnei calor ceſſauerit; & per totum corpus quietem percipiat: Vel vt dicit Galenus *lib.* 1. *acut.* Sedata quæ eſt à balneo perturbatione. Cibus enim vel potus, qui protinus ſumitur, caput replet, ſuperfluitat, ad vſquè ventriculi aſcendit, nec non crudus ad circumferentiam,& totũ corpus trahitur.

Conſideret modò Exorciſta, cum regulariter prædictarum obſeruationum ſit ignarus, ſi tuta conſciẽtia intromittere ſe poteſt ad balnea veneficio affectis præparanda. *Quæ omnia vt plurimũ Exorciſtis ſunt ignota.*

§. V.

346 QVid dicemus de lenimentis, quibus Exorciſtæ ægrotorum frontem, oculos, pulſus, aures, pectus, cor, ac cæteras ſæpiùs corporis partes inungere conſueuerunt. *Quid ſit Lenimentum, & quotuplex.*

Verè hoc remedium non eſt à nobis contemnendum, cum apud varios Exorciſtas doctiſſimos, & pijſſimos eo vti, mos inualuerit. Vndè aliud ſimplex, aliud compoſitum. Simplex parari ſolet ex ſimplici oleo oliuarum: ac benedicitur.

Compoſitum (quod & vnguentum nuncupari poteſt) fit ex oleo oliuarum, ex ruta, ſaluia, anetho, ſclaræa, verbena, ariſtolochia rotunda, ellebori albi radice, alijſquè ſimilibus: cuius duas formulas hic ſubijciam.

Alteram ex Zachariæ Vicecomitis Complem. Art. Exor. part. 1.

Recipe

Rutæ caprariæ.	Ana pug. 1.
Rutæ domeſticæ.	
Herbæ paris.	
Hypericonis.	
Saluiæ.	
Maioranæ.	
Abſynthij.	
Foliorum perſici.	
Sabinæ.	
Abrotani.	
Formiculariæ.	
Anethi.	
Meu.	
Artemiſiæ.	
Appij.	
Celidoniæ.	
Iuniperi.	
Foliorum papaueris.	
Sinapis.	

Recipe

Baccarum Lauri.	vnc. 1.
Nucum cupreſſi.	num. 12.
Radicum eſculæ. Mori.	ana vnc. 1.
Cardamomi. Ditami.	ana man. 1.
Thuris. Sandrachæ. Mirrhæ.	ana vnc. 1.
Sandalorum alborum. Citrinorum.	ana vnc. ſemis.

Incidantur incidenda, & contundantur contundenda, & bulliant in libr. 10. olei antiqui, & tum

Accipe: Gariofilorum. Cinamomi. Nucis muſcatæ.	ana vnc. 1.

Et in tela linea prius contuſa ligentur, & in ipſo oleo ponantur, vt ſic omnia bulliant vſquè ad conſummationem humiditatis: poſtea exprimantur, & addantur olei de ſpica odoriferi drac. 3. & cum frigidum fuerit, adde grana 14. Muſci electi, & in vaſe vitreo collocato in fimo ponatur in putrefactione per dies quadraginta. Ex dicto oleo quotidie Exorciſta vngat pulſus capitis, manuum, ac pedum, nec non oculos, aures, nares, labia, ac partes cruciatas maleficiati (dũ honeſtè fieri poſſit) abſoluens maleficium prout in fine benedictionis ipſius olei ponitur.

Altera ex Flagello dæmonum Hieronymi Menghi part. 2.

Recipe

Rutarum. Saluiæ. Anethi.	cimas tres.
Cineris oliuarum. Aqua benedicta.	ana q. ſufficit.

Omnia ſimul facias bullire in oleo: deinde ipſum benedicas.

§. VI.

QVæ lenimenta, vt ſine ægroti detrimento adhibeantur eſt animaduertendum, ſi oleum ſit ſimplex: an ſit ex oliuis maturis, an acerbis confectum: an nouum ſit, vel vetus: qualiſquè ſit morbus, pro cuius abolitione adhibetur. 347 *In eorũ vſu quid obſeruandum.*
Nam ſi morbus eſſet ſummè calidus, vitandum eſſet oleum vetus, & multò magis compoſitum; ſua enim caliditate,& ex frequenti vſu augere affectum poſſet; ideò loco ipſius recens, quàm dulciſſimum adhibere, conſultius eſſet; & etiam lotum, ſi expediret; ità enim exueret omnem acrimoniam, teſte Codroncho *loco citato cap.* 7. Quòd ſi affectus ſit frigidus, vel à cauſa frigida ortus, tutius erit vti oleo antiquiori, & clariori. Oleum enim ex oliuis immaturis omphacinum appellatum niſi in ſudoribus diaphoreticis, & cardiaca paſſione conueniens. In alijs verò affectibus ob ſuam aſtrictionem vitari debet. Si verò ſit compoſitum nedum oleum; ſed omnia ſimplicia ingredientia ſunt conſideranda & iuxta eorum qualitatum gradus adhibendum.

Nec ſolùm pro lenimento oleum commendant; verùm etiam pro potu. Quem quidem in aliquibus caſibus proficuum eſſe; & in pluribus tutò adhiberi poſſe arbitramur ex mente Medicorum habita ſuperiori diſtinctione. Vndè & Galenus *6. Epidem. com. 6.* 348

com.6. In dolore ventris oleum ſimplex; vel aqua temperatum bibendum hortabatur. Et ſi opus eſſet non ſolùm vomitum irritare; ſed & ventrem molliorem facere pro his oleum commendat *lib. de remedijs aſſec.dig.cap.6.* Sed de his agitur ſequenti capite.

CAPVT II.

Internis.

349 *Dæmon præter morbos externos etiam excitat internos.*

MAgnum equidem corpori ægroto exhibent leuamen medicamina externa ad phlegmonas herpetas, carbunculos, duros tumores, aliaſquè hepatis, lienis, ac ventriculis intemperaturas calidas, ſiuè frigidas ſi quæ in corpore cauſentur, emolliendas, reſoluendas, digerendas: doloreſquè ab hiſce cauſatos ſedandos, ac mitigandos. At quia dæmon non tantùm haſce intemperaturas; ſed & alios quamplures morbos internos; puta febres varias, languores ſummos, epilepſiam, apoplexiam, ſtuporem, membrorum conuulſiones, obſtructiones, aliaſquè propè infinitas intemperaturas: vt ſupra demonſtrauimus *tom. 1.diſp.2.à n.302. & ſequent. num.308. & ſequent. & diſp.3. vbi de ſcientia practica malefica,* excitare conſueuit. Ideòquè quando hæc euenire conſpiciuntur, ad medicamina interna eſt confugiendum:quorũ Altera ſunt Præparantia: Altera Euacuantia: Altera Roborantia: vt tribus ſectionibus explicabitur.

Qui expellũtur remedijs internis Præparãtibus, Euacuãtibus, Roborantibus.

SECTIO I.

Præparantibus.

350 *Medicamina præparantia ſunt Vel Lenietia Vel humores congregãtia*

VIx vllum medicamentum datur ſolitariæ facultatis; ſed quod vel præparat: vel purgat: vel roborat, ac ſimul alterat. A prępollente tamen, ac præcipua ſua facultate denominatio ſumitur. Ideò quæ prima medicamina ſumenda maleficiato exhibentur, præparantia nuncupantur quæ ſunt Vel Lenientia: Vel reſiduos humores Congregantia: vt ſequentibus articulis demonſtrabitur.

ARTICVLVS I.

Lenientibus.

351 *Medicamina lenientia exhibentur Alia Cholericis.*

MEdicamina humorem peccantem lenientia, ac diminuentia varia ſunt pro ætatum, virium, ac conſtitutionum corporearum diuerſitate. Alia enim Cholericis: Alia Phlegmaticis: Alia Melancholicis conſtitutionibus ſunt paranda.

Pro Cholericis.

Recipe	Electuarij Lenitiui.	vnc. 1.
	Syrupi Roſati ſolutiui.	vnc. 3.
	Decoctionis florum, & fructuum cordialium in aqua endiuiæ.	q. ſufficit.

Miſce, & fiat potio ſumenda in aurora.

Si infirmus faciliùs medicinam ſumat per bolos, ſeù morſellos, fiat modo ſequenti:

Recipe	Floris caſſiæ nou.extr.	ana drac. 5. id eſt quinque.
	Electuarij Lenitiui.	
	Pulueris ſennæ citra.	drac. ſemis.

M. & f.boli cum Saccharo.

Pro Flegmaticis.

Phlegmaticis.

Recipe	Mellis Roſati ſolutiui.	vnc. 4.
	Electuarij lenitiui.	drac. 7.
	Cum aqua betonicæ.	f. inf.

Si ſumatur per bolos, ſeù morſellos.

Recipe	Electuarij lenitiui.	ana drac. 6.
	De Hiera cum agar.	
	Miſce cum ſaccharo, & f.bolus.	

Pro Melancholicis.

Melancholicis.

Recipe	Syrup. de Polipodio merc.	vnc. 3.
	Diacatholici.	drac. 6.
	Infuſionis ſennæ.	vnc. 4.
	Miſce, & fiat potio.	

Si ſumatur per bolos.

Recipe	Diacathol.	drac. 10.
	Pulueris ſennæ.	drac. 1. ſemis
	Semin. aniſorum.	ſcrup. 1.
	Miſce cum ſaccharo. f.boli.	

Conſtitutioni ſanguineæ poteſt exhiberi medicamen ſicut cholericæ.

ARTICVLVS II.

Congregantes humores reſiduos.

MEdicamina congregantia humores reſiduos peccantes varia ſunt, ſicut & diminuentia. 352

Congregantia humores reſiduos dantur Alia Cholericis.

Pro Cholericis.

Recipe	Syrupi de ſucco endiu.	vnc. 1.
	De ſucro boraginis.	vnc. ſemis.
	Aquarum endiuiæ.	vnc. 2.
	Aquarum boraginis.	vnc. 1.
	Miſce vt pro vno, ſic pro 7.	

Pro Phlegmaticis.

Phlegmaticis.

Recipe	Syrupi de betonica.	ana vnc. ſemis.
	Mellis roſati colati.	
	Syrupi de pomis.	vnc. ſemis.
	Aquarum betonicæ.	vnc. 2.
	Aquarum boraginis.	vnc. 1.
	Miſce pro vno, ſic pro 7.	

Pro

Melancholicis.

Pro Melancholicis.

Recipe
- Syrupi de fumo terræ.
- De lupulis. ana vnc. ſemis.
- De boragine.
- Aquarum fumoterræ.
- Boraginis. ana vnc. 1.
- Meliſſæ.
- Miſce pro vno, ſic & pro 7.

Dum patiens ſyrupos ſumit, poſſunt etiam ei varijs modis mittere ſanguinem, ſi vires, diſpoſitio corporis, aliæquæ conditiones neceſſariæ huic operi ſic requirant iuxta docti, ac prudentis Medici iudicium.

SECTIO II.

Euacuantibus.

353 HAbita humorum præparatione ſufficienti ſeptem, vel pluribus diebus, miſſoquè ſanguine, ſi ita expediens fuerit dijudicatum, deueniendum ad totius corporis purgationem aliquo medicamine ipſius patientis conſtitutioni, ætati, viribus, ac naturæ accommodato. Medicamenta autem euacuantia vel fiunt per Vomitum: vel per Purgationem: vt ſequentes articuli notum facient.

Euacuātia medicamenta ſiunt Alia per Vomitum Alia per Purgationem.

ARTICVLVS I.

Per Vomitum.

§. I.

354 NOn eſt negandum euacuationem per vomitum factam multos rebelles, contumaces, ac diuturnos morbos, & quo nec alia remedia ſuperare poſſunt, ſæpiùs profligare, vt docet Codroncus *lib. 4. de morbis veneſ. cap.* 4. Experientia enim comprobatum eſt, eos morbos potiſſimùm, qui ſedem ſuam, & cauſam habent in ventriculo, venis meſeraicis, meſenterio, ac in cauis iecoris, ac lienis purgatione per vomitum facta ſanari. Superuacaneos enim omnis generis humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit, & euacuat, quos plerumquè neque hiera, neque aliud vehementiſſimum medicamentum ad inferiorem ventrem ducere poteſt. Idcircò omnibus opitulatur affectibus, qui à præcordiorum ſympathia contracti ſunt; nec non ijs etiam, qui in reliquo corpore ex eorundem viſcerum vitio, & effuſa impuritate gignuntur. Nihilominus noſtra ætate cum validis illis antiquorum vomitorijs medicamentis cautè eſt agendum: tum quia inconſueta ſunt, & ſine graui moleſtia à laborantibus perferri non poſſunt: tum etiam quòd robuſtiores natura requirit vomitio decoctione ipſa: & multa alia ſint animaduertenda, quibus neglectis vomitoria medicamenta periculis plena ſunt.

Euacuatio per Vomitum ſæpius multum prodeſt.

§. II.

355 VOmitoria namquè omnibus non conueniunt. Iis enim (vt Galenus *lib. quos purg.* & Oribaſius *lib.* 8. *Collect. cap.* 21. Scribunt) qui violenter, vel difficulter vomunt, non mediocre imminet periculum, ne vas aliquod reſpirationi deſeruiens, vel vena aliqua frangatur; viſus lædatur; vel aliquod aliud incommodum ſequatur. Ideo Galenus 2. *Aphor. com.* 1. memoriæ prodidit, eos, qui anguſtum habent thoracem, & idcircò compreſſum pulmonem ad euomendum eſſe ineptiſſimos.

Sed non omnibus

quando ſint vitanda vomitoria.

Nec minori periculo ſe exponunt habentes partes ad abdomen attinentes graciles: Abdomen enim ſunt duo muſculi recti, & carnoſi, qui à pectore ad ipſa pubis oſſa perueniunt, qui ſibi cohærent, coaleſcuntquè: vt docet Bartholomæus Caſtellus Meſſanenſis *in ſuo Lexic. Medic. littera A.* Vndè quod conflatum eſt ex ipſis Græci Epigaſtrion: ideſt, abdomen nominarunt, quod & Hypogaſtrion vocant. *Eſtquè commune omnium viſcerum operimentum*, quod abdomen his tribus partibus conſtat, hypochundrijs, locis ad vmbilicum attinentibus, & imo ventre 2. *Aphor.* 35. quæ partes cum ſunt nimis macræ, æger à vomitorijs omninò abſtineri debet. Similiter cum ventriculus infirmus eſt, & totiùs corporis in ſe excipit redundantias, vomitus eſt vitandus. In ſanguinis reiectione, vteri ſtrangulationibus, nauſeabundis naturis, & ijs, qui ſuffucatione vexantur; & qui ex qualibet occaſione capitis dolore affliguntur, qui ſuffuſionem ſuſpectam habent, & omnibus oculorum affectibus, nec non ijs, qui in primis uenis copiam crudorum humorum habent, uomitus ſunt noxij, ac contrarij.

Hippocrates etiam in purgationibus uentris ſuperioris excipit tabidos non actu tamen tabidos, ut exponit Galenus *lib.* 4. *Aphor.* 8. *& 9.* Sed pronos natura ad tabem ipſam, eximit & melancholicos: quoniam humor melancholicus ob ſui grauitatem faciliùs per uentrem inferiorem educitur.

§. III.

IN uomitu etiam conſiderandum eſſe tempus opportunum, docuit Hippocrates: cum purgationes æſtate magis per ſuperiora, hyeme uerò per inferiores uentris partes faciendas eſſe, dixit *in Aphor.* 4. *lib.* 4. Et quamuis à ſeipſo diſſentire uideatur cum *lib. de Salubri diata*, ſex brumalibus menſibus per uomitiones purgandum præcipiat, cui & Celſus *comment.* 15. aſſentitur, uomitum hyeme utiliorem eſſe, quàm æſtate aſſerens; nulla tamen in dictis ipſius apparentem contradictionem eſſe Galenus ita explicat: Quod quando hyeme in uentriculo generatur pituita, ipſa uomitibus expurgari, & bilis æſtate innatans deorſum trahi debeat. At ſi uniuerſum corpus ſit euacuandum, æſtate per ſuperiorem ventrem, hyeme per inferiorem purgare conueniat, habita ratione regionum, & locorum, ad quæ natura humores vergunt, & inclinant. Quòd ſi nimis fluant ad aliquam partem, & opus ſit eam tueri: ad oppoſita euellere conducit. 356

In vomitu quænam ſint obſeruāda.

Præter tempus, regiones etiam calore, frigorequè diſtinctè ad anni tempora æſtimare debent. Et idem de ætatibus ſentiendum eſſe animaduertit Galenus *lib. quos purg.*

§. IV.

AT cum medicamenta, quæ ciendi vomitum vim habent, multiplicia ſint, varijſquè rationibus vomitum excitent; ideòquè omnibus ægrotantibus, ac morbis æqualiter non conueniant, eorum differentias, ac proprietates, quantitatemquè con- 357

Vomitoriorum Alia ſūt

conuenientem exhibendam ignorare non debemus.

Medicamenta igitur, quæ vomitum excitandi facultatem habent, quædam ſunt leuia, ac clementia: alia vehementia: & nonnulla mediocra.

Leuia.

Inter leuia vomitoria alia laxant, & molle reddunt os ventriculi, & ad vomitum proſunt: aliqua verò humores aptos reddunt, vt per eos reijciantur. Et hæc primæ claſſis vomitoria nulla, aut minima naturæ moleſtia vomitum concitare incomperto eſt.

Vehemētia.

Vehementia, ac mediocra vomitum cientia ſunt ea, quæ excrementa ad ventriculum attrahendo ad ſuperiorem partem mouent, & propriè vomitoria dicuntur. Quæ ſi validiora exiſtant, naturæ ipſi vim magnam inferunt, vt vomitu vacuent. Mediocra verò non ita validè naturæ negotium faceſcunt; ſed mitiùs agunt.

Mediocra.

§. V.

Leuia quænam ſint.

SI deſideremus leuia agnoſcere vomitoria, quæ os ventriculi laxant, ac molle reddunt, hęc ſunt: quæcumquè pingua, & oleagina conſtat ſubſtantia: vt oleum oliuarum, ius pulli, aqua lactis, vinum dulce hordei, aqua ſtillatitia, camomelli, hordei cremor, & ſimilia.

Leuia vero, quæ humores parant, vt vomitu faciliùs reijci poſſint, opportuna inueniuntur acetum, ſyrupus acetoſus ſimplex, oximel ſimplex, oximel compoſitum, oximel, ſcillinum, vel ſquilliticum acetum ſylliticum, mel roſaceum, mulſa, quæ quandoquè cum prioribus miſceri, inualuit conſuetudo.

Recipe	Aquæ hordei.	lib. 1.
	Syrupi acetoſi. Vel oximel.	unc. 3.

Hippocrates *lib. 7. epidem.* docet, vti aqua, aceto, ſale.

Galenus 2. *de antidot. cap. 7.* hydreleon proponit. Nec non aquam calidam, & acetum mulſum. *In ſecundo ad glauc.* in billioſis febribus exquiſitis, & ſimplicibus commendat hydreleon. Nam præterquam quòd vomitum ciet, obtundit acrimoniam humorum; qui os ventriculi vellicare poſſent. In tertianis verò nothis, quotidianis, & quartanis magìs probat aquam cum aceto, vel oximellite.

Horum autem medicamentorum ad vomitum concitandum quantitas debet eſſe multa, libra vna videlicet ad libras duas, & tres; & pro vncijs nouem aquæ ſimplicis, vel aquæ hordei, & ſimilium, poſſumus accipere vncias tres aceti, vel oximellis ſtyllitici, etiam binæ vnciæ ſatis erunt.

§. VI.

358 SI verò mentis oculos ad media vomitoria, quæ mediocriter vomitum exitare dignoſcuntur, dirigamus, ſtatim multa nobis proponuntur, nempè flores, & ſemen anethi, ſemen, & radix atriplicis, ſemen erucæ, ſemen rapi, radix raphani, radix peponis, ſemen naſturtij, ſemen dauci, radix betonicæ, cnicus carthanius dictus, quæ decoquuntur, modò aqua ſola: modò in aqua, & oleo ſimul, ac propinantur ad menſuram ſaltem vnius libræ, accipiendo partem vnam horum medicamentorum, & partes decem aquæ ſimplicis: vel cum oleo mixtæ; & decoquendo quouſquè quinta, vel ſexta pars abſumatur; quibus interdum additur oximel, vel aliud ſimile.

Media quænam ſint.

Horum autem nonnulla hic ſubijcientur, præcipuè eorum, quæ magis hiſcè temporibus, ac regionibus vſu veniunt.

1.

Recipe	Decoctionis anethi.	lib. 1.
	Oleum amigdal. dulcium.	vnc. 2.
	Butyri ancidi.	vnc. 1.
	Miſce, & fiat potio.	

2.

Recipe	Aquæ hordei. Vel iuris pinguis.	lib. 1.
	Succi raphani. vnc. 2. vel 3. pro ætate, & viribus. Miſce, & f. potio.	

3.

Recipe	Decoctionis raphani.	lib. 1.
	Oximel ſcyllitici.	vnc. 2.
	Miſce, & fiat potio.	

4.

Recipe	Radicis inciſæ raphani.	vnc. 2.
	Effundatur mulſa, & ſuccus exprimatur ab ægroto potandus.	

5.

Recipe	Seminis raphani.	drac. 3.
	Terantur, & cum mulſa, vel ſero lactis; vel aqua hordei præbeantur.	

6.

Recipe	Radicis peponis.	drac. 1.
	Fiat puluis, & propinetur cum mulſa.	

7.

Recipe	Seminis napi puluer.	drac. 1.
	Oximellis ſtyllit.	vnc. 2.
	Decoctionis raphani.	vnc. 8.
	Miſce, & f. potio.	

8.

Recipe	Radicis betonicæ, vel peponis, vel atriplicis, vel flornm anethi.	vnc. 15.
	Aquæ communis.	lib. 1. ſem.
	Miſce f. d. vſquè ad conſummationem quintæ, vel ſextæ partis, & colatura prębeatur cum vnc. 2. ſucci raphani, & vnc. 1. olei amigd. dulc. vel oliuarum.	

In hoc genere vomitum cientium recenſentur etiam nitrum, ſal gemmæ, & ſal indum; Ideo Galenus *3. de med. fac. par. c. 76.* proponit vomitorium ex aphronito albo in aqua tepida coniecto cum modico olei ad myſtri menſura exhibitum. Ex raphani verò radicibus conciſis ad vncias duas acceptis, affuſa mulſa, vel oximelle ſuccus exprimitur, tepidus offerendus. Huius etiam ſeminis, quòd efficacius ſit ſemiunica; vel dracmæ tres ſi terantur, & mulſum, vel ſerum, vel aqua hordei addatur, erit aptum medicamentum.

Dioſcorides autem *lib. 4. cap. 8.* ad pituoſam vomitionem excitandam betonicæ radices ex hydromellite laudat.

Tandem

§. VII.

359 *Vehementia quæ ſint.* TAndem ſi vomitoria vehementia proponere quandoquè neceſſitas poſcit, inter vehementiora media vomitum cientia recenſentur.

Elleborum album ſtruthium, quæ radicula, & herba lunaria dicitur, thymeleon, balanus, myrepſia minor, quæ & glans vnguentaria à Dioſcoride appellatur lathyris, & à recentioribus cataputia minor appellata; ricinus, ſiuè granum regium thapſia: rutha aggreſtis, ſiuè ſylueſtris; radix cæpæ: naſturtij ſemen: cyclaminis radix, & ſuccus: eupatorium Meſue, ſeù gratiola dicta: agaricus; narciſi bulbus; bulbus vomitorius; geniſtæ flores, & ſemen: vrticæ ſemen: aſſari folia, & radices: cortices iuglandis: arboris ſuccus madeſcentis arefactus, ac tritus: ſparthum maius: hydragyrum, & ſtibium præparatum, anthimonium vulgò dictum, quod fortaſſe inter mediocra poſſet numerari.

Horum autem hic nonnullas formulas ſubijciam.

1.

Recipe
Aſſari non exquiſite triti. dr. 2. vel 3.
Infundatur in ſufficienti quantitate ſeri lactis, vel iuris pulli, vel hydromellis, & bulliant, & facta forti expreſſione, & colat. patienti exhibeatur.

2.

Recipe
Antimonij electi præparati gran. 2. 3. 4. 5. 6. pro ætate, & viribus.
Sacchari roſati. drac. 2. vel 3.
Vel bugloſſati. & fiat bolus.

3.

Recipe
Antimonij electi præparati gran. 4. 5. 6. pro ætate, & viribus.
Vini albi vncias tres. Infundatur per noctem; & facta colatura ſolum vinum exhibeatur.

4.

Recipe
Seminis vrticæ puluer. drac. 1.
Aquæ mulſæ, vel iuris pinguis. vn. 10.
Sacchari. vnc. 1. ſem.
Miſce, fiat potio.

5.

Recipe
Fol. virid. aſſari. num. 8.
Contundantur, & affuſa mulſa, vel ſero lactis, vel iure pingui fiat expreſſio, quæ bibatur.

6.

Recipe
Puluer. radic. aſſari. drac. 1. ſem.
Seri lactis.
Miſce f. potio.

7.

Recipe
Pulu. florum geniſtæ. drac. 2. vel 3. pro æt. & vir.
Semin. fœniculi. ſcrup. 1.
Cinamomi. gran. 5.
Sacchari albi. vnc. 5.
Aquæ mulſæ. vnc. 8.
Miſce f. potio.

8.

Recipe
Corticum medianorum anagyridis minor. vnc. ſem.
Ruthæ, penthaphylli. ana m. ſem.
Radicis peoniæ. drac. 2.
Cinamomi. ſcrup. 1.
Miſce f. infuſio per noctem in vino albo benedicto, & facta leui ebullitione colatura bibatur.

9.

Recipe
Pulpæ glandis vnguent. vnc. 1.
Contunduntur, & miſceatur cum dr. 1. ſem. ſemin. fæniculi, & ſcrup. 2. Cinamomi. Hæc mixtura inuoluatur papyro, & paſta, deindè coquatur; & exempta detur à drac. 5. ad dr. 1. vel ad drac. 1. & 5.

10.

Recipe
Ellebori albi. dr. 1. cum dim. in fruſta inciſi, & poſito in pomo decoquatur ſub cineribus; & eiectis fruſtis pomum ſolum exhibeatur ad manducandum.

11.

Recipe
Corticum radicum Ellebori albi drac. ſem. vſque ad 1.
Vini albi dulcis, vel iuris ping. vnc. 6.
Aniſorum. ſcrup. 1.
Cinamomi. ſcrup. 5.
Fiat inf. per ho. 10. deinde colatura ſine expreſſione bibatur cum ſaccharo.

12.

Recipe
Corticum radic. Ellebori albi vn. 1. ſ.
Vini albi lib. 1.
Fiat inf. per hor. 10. & coletur ſine expreſſione, cui adde
Mellis lib. 1.
Fiat ſyrup. ſec. artem de quo præbeatur vnc. 1. pro vna vice.

Præter dicta vomitoria alia parari ſolent valdè ad vomitum concitantia.

Tithymallorum ſuccum, binis obulis in poſca ſumptis, & cum aqua mulſa vomitiones mouere, tradunt Dioſc. lib. 4. c. 169. & Plinius lib. 26. c. 8.

Spartij flores, & ſemina, quinis obulis in aqua mulſa pota purgare per ſuperiora vehementer, ellebori vice, ait Idem Dioſcorides lib. 4. c. 152.

Seminis lathyris decem, vel duodecim grana à putaminibus delibrata, tuſaquè, & ouo ſorbili deuorata potenter vomitum cient; ideò vtiliter exhiberi ijs, ſuadet Petrus Andr. Matthiolus, qui philtra deuorarunt, vel alia veneficia: quoniam ea efficaciter expellunt.

§. VIII.

360 *Quanam in eorum vſu ſint ſeruãda.* NE autem in dictis vomitorijs fiat error cum inſigni ægrotantium detrimento, ſeruanda ſunt quantum fieri poteſt peritorum Medicorum præcepta; præcipuè Dioclis, qui referente Oribaſio *lib.* 8. *collect. c.* 22. ait: *Quæ medicamenti vim habent, quæquè efficacia ſunt, non propinentur; ſed familiaribus, & præſertim quæ conſuetæ victus rationis ſunt, vtamur.* Quare leuioribus, vel medio in facultate prędictis crebriùs vtendum eſſe, ſuadet Codroncus. Tuta enim, commoda, ac citra noxam ſuccedet euacuatio, pennis, ac digitis ventriculum irritando, donec euomatur. Vel, vt conſulit Hippocrates *l. de morb. mul.* ventriculum antea fomentis præparando. In morbis verò, qui ſuas actiones habent in ipſis acceſſionibus vomitoria dari non debent; tunc enim ſua ſponte ſurſum eleuantur humores. In alijs verò quandocumquè contigerit.

Cum autem Elleborum album inter ea, quæ vomitum concitant, maximam vim, & efficaciam habeat; violentiſſimum enim excitat vomitum, & ſuffocationem nonnumquã facere conſueuerit, & conuulſionem, quam Hippocrates *lib. quos purgare*, lethalem inducat, non eſt itã paſſim, & ſine diſcrimine, vt nonnulli faciunt, in quolibet morbo, & ægrotante exhibendum; ſed ſi ægrotantis natura ſit valida, morbus ſit diuturnus, contumax, ac penè indomitus, tẽpus adſit opportunum; & remedia leuiora nihil profuerint, poteſt Elleborum exhiberi; ſi tamen præcedat (ſicut & in vſu cuiuſcumquè medicamenti vehementer vomitum cientis obſeruari debet) humorum præparatio, ſicut docet Galenus 2. *aphor. com.* 6. vt craſſi attenuentur: tenaces diſſecentur: ac viæ aperiantur. Vis enim medicamenti, quæ diuellit, cum humores affectis membris altiùs inhærentes excutiat: attenuatis humoribus faciliùs opus ſuum abſoluit; quod qui negligunt, moleſtas obeunt purgationes.

Quare tutius erit, vt de illius, qui Elleborum eſt ſumpturus, natura experimentum capiatur: quomodo ſe habeat ad ſupernas purgationes, quę mediocriter prouocant, exhibendo. Qui enim hoc pacto non purgabitur, niſi præparatus ad Elleborum non eſt cogendus. Præparatur autem vomitu ſępiùs facto. Idcircò Plinius præcipit *lib.* 25. *c.* 50. vt antequam detur Elleborus, ſeptem diebus ante præparetur cibis acribus, abſtinentia vini, tertio, & quarto die vomitionibus, & pridiè cænæ abſtinentia. Qui etiam prohibet, dari pueris, ſenibus, mollis, ac fæminei corporis, animiuè exilibus, & fęminis minus, quàm viris, cauſarijs, vel latere, vel faucibus.

ARTICVLVS II.

Per purgationem.

§. I.

361 *Purgatur corpus varijs modis* QVamuis varijs modis à prauis humoribus corpus expurgari queat, nempè, per vomitum, ſudores, vrinam, omnes corporis poros, & aperturas; communior tamen, & vſitatior purgatio fit per ventrem inferiorem, per ſeceſſum nempè ad quam efficiendam inter multa medicamina, ſequentia tantùm adducentur, vt vſitatiora.

Pro Conſtitutionibus cholericis, & ſanguineis.

Medicamina purgantia dantur Alia Cholericis.

Recipe

Rhabarbari inciſi.	drac. 2.
Decoct. flor. & fruct. cordial.	drac. 3.
Sennæ.	drac. 3.
Semin. citri	q. ſuff.

fiat inf. per hor. 10. Deinde colaturæ factæ cum expreſſione, adde ſyrup. roſat. ſol. vnc. 4. miſce, & f. p.

Vel ſic.

Recipe

Rhaubarbari electi. drac. 1. ſem.
Infundatur cum ſuis correctiuis per noctem in aqua boraginis ſ. a. & factà diligenti expreſſione, & colat. adde
Syrup. de pomis compoſiti. vnc. 4.
Confect. hamech. drac. 3.
Miſce f. potus.

Per bolos, ſeù morſellos.

Recipe

Flor. Caſſiæ nou. extract.	drac. 5.
Ellect. de ſucco roſarum	drac. 2.
Pr. Rhaubarbari	drac. ſem.
Sennæ or.	drac. 1.
Semin. citri	ſcrup. 1.

Miſce cum ſaccharo, fiant boli.

Pro Flegmaticis.

Alia Phlegmaticis.

Recipe

Agarici troc.	drac. 2.
Sennæ orient.	drac. 3.
Aniſorum.	drac. 1.

Decoctionis paſſularum betonicæ, & cort. citri q. ſ. fiat inf. per hor. 12. & colaturæ adde.

Mellis roſati ſolut.	vnc. 3.
Diaphinici.	drac. 3.

M. f. p.

Per bolos, ſeù morſellos.

Recipe

Diaphinici.	vnc. ſem.
Diacatholici.	drac. 6.

Miſce cum ſacchano, f. boli.

Pro melancholicis.

Alia Melancholicis.

Recipe

Cortic. radic. Ellebori nigri.	drac. 2.
Sennæ orientalis.	drac. 3.
Polipodij rec.	vnc. ſem.
Aniſorum, dauci.	ana drac. 1.
Flor. boraginis:	pug. 1.
Paſſularum.	drac. 2.
Prunorum damaſch.	num. 3.

Fiat decoct. ſec. art. & cum colatura diſſolue

Syrup. de polipod. mercurial.	vnc. 2.
Confect. hamech.	drac. 4.

Miſce, fiat potio.

Per

Per bolos.

Recipe
- Confect. hamech. | ana drac. 5.
- Diacatholici.
- Miſce cum ſaccharo f. boli.

§. II.

362 QVædam alia adduntur particularibus maleficiorum infeſtationibus neceſſaria: vt aiunt quidam.

Pro Paralyſi ex maleficio præcipuè illata.

Pro prima medicina.

Medicamina pro Paralyſi

Recipe
- Diafiniconis. drac. 3.
- Syrupi roſati ſolut. vnc. 4.
- Cum aqua iue q. ſuff.
- f. potio.

Recipe
- Syrup. de Betonica. | ana vnc. med.
- Sticados.
- Matricariæ.
- Tomariæ. | ana vnc. 1.
- Boraginis.
- Miſce pro ſyrupo.

Pro ſecunda medicina.

Alia phlegmaticis.

Recipe
- Syrupi roſati ſolut. vnc. 4.
- Diafiniconis. drac. 3.
- Cum decoct. cord. q. ſ. f. p.

Alia per pillulas.

Recipe
- Extracti Ellebori. ſcrup. 2.
- Fiant pillulæ tres, & exhibeantur infirmo, quando petit ire ſtratum.

Contra maleficia cordis.

Contra maleficia cordis.

Recipe
- Ellectuarij lætificant. raſis. drac. 1.
- Et exhibeatur patienti per vices interpellatas.

Vel

Alia Melancholicis.

Recipe
- Theriacæ, vel mitridati. drac. 1.
- Cum ſpecierum cord. calido ſcrup. 1. & formentur pillulæ n. 5. & aureentur.

Contra dolorem capitis.

Contra dolorem capitis.

Recipe
- Spec. Hierę ſimpl. Galeni. dr. 1. cũ dim.
- Trociſci mirabolanorum citr. drac. 2.
- Arabicarum. ſcrup. 4.
- Rhaubarbari. ſcrup. 4.
- Roſarum rubearum. drac. med.
- Miſce, & cum ſyrupo violato fiat maſſa pro pillulis.

Contra dolorem colicum, & inflationem ventris.

Contra dolorem colicum & inflationem, ventris.

Recipe
- Specierum Eleſchoph. ſcrup. 4.
- Et exhibeatur cum iure pulli.

Contra impotentiam conſummationis matrimonij ex maleficio prouenientem.

Contra maleficium ligaminis.

Recipe
- Stinchi marini. num. 4.
- Piſtacharum inciſarum. | ana vn. 1. ſ.
- Penearum eodẽ modo.
- Semin. vrticæ. | ana drac. 2.
- Baſiliconis.
- Muſci electi. | gran. 5.
- Ambræ.
- Sacchari fini diſſoluti in aqua roſ. vn. 3.
- Et ſec. art. f. morſelli octo, quorum mane ante prandium ſumat vnum, & alterum poſt cęnam antequam eat cubitum per horam.

Aliud remedium pro eodem.

Recipe
- Olei recent. nucum pinarum. vnc. 2.
- Semin. erucæ. ſcrup. ſem.
- Muſci electi. gran. 4.
- Vinum maluaticum. vnc. 3.

Potio vtilis ad omne maleficium (vt aiunt) indifferenter ſoluendum.

Recipe
- Semin. herbæ paris. drac.
- Decoctionis boraginis. q. ſ.
- Miſce fiat potio mane capienda iteratis vicibus ſecundum ordinem.

§. III.

PRæter medicamina prædicta alia diuerſa à diuerſis contra maleficia proponuntur. Euonymus *in Theſauro Medico c. de ſolidis quibuſdam*, docet, confectionem Ellectuarij ex argenti viui pulueribus confecti faſcino aduerſari. Marcellus Empir. *lib. de Medicina c. 20.* potionem præſcribit contra cuncta in cibo, & potu ſumpta maleficia, quæ ab illo peti poteſt. Multa alia inueniuntur cuiuslibet conſtitutioni accommodata, quæ ſecundùm quòd neceſſitas poſcit, componuntur. Comprobantur præcipuè pillulæ aureæ, cochię, ſimplices, & eręparatę, indę, arabicæ, de nitro, de lapide lazuli, de lapide armeno fætidę: Hiera Pachij, Ellectuarium indicum tàm maius, quàm minus, Extractum Sennæ, & Ellebori nigri. Ideò his, aliiſque quampluribus omiſſis, quę Medicorum curæ, ac miniſterio relinquuntur: nonnulla adhuc ſubijciam ad interna medicamina ſpectantia, quibus ſępiſſimè infirmitatem naturæ humanæ indigere experientia docet. 363

Alia adducũtur contra maleficia.

Contra effectum phreneſis per maleficium, & opus diabolicum inductæ.

In prima die inchoationis medicaminis.

Pro Cliſtere.

Recipe	Aquæ fluminis.	ana q. ſufficit.
	Furfuris triticei.	
	Olei communis.	
	Salis communis.	

Secunda die pro Cliſtere parando.

Recipe	Aquæ fluminis.	ana q. ſufficit.
	Maluæ.	
	Marcorellæ.	
	Parietariæ.	
	Matrum violarum	
	Olei communis.	
	Salis.	

Tertia die pro Cliſtere parando.

Recipe	Aquæ fluminis.	ana q. ſufficit.
	Olei communis.	
	Salis.	
	Sapæ.	
	Mellis.	

Cliſterium ad dolores colicos, & inflationem ventris.

Recipe	Florum camomillæ.	ana manip. 1.
	Meliloti.	
	Anethi.	
	Pulegij.	
	Calamenti.	
	Seminis lini.	ana drac. 3.
	Aniſorum.	
	Fœni græci.	
	Fœniculi.	
	Miſce, & bulliant ad conſumationem tertiæ partis.	
	De quo recipe libram vnam, & Adde	
	Hieræ logodionis.	ana drac. 2.
	Benedictæ.	
	Olei rutacij.	vnc. 4.
	Salis communis.	vnc. 1. cum dimid.

Aliud Cliſterium pro eiſdem doloribus, & inflatione.

Recipe	Roſmarini.	ana manip. 1.
	Saluiæ.	
	Fœniculi.	
	Mentæ.	

Bulliant leui bullitione in aqua fœniculi, & facta eſpreſſione adde

Olei camomillæ.	ana vnc. 2.
Spicei.	
Olei aniſorum.	drac. 1.
Sacchari rubei.	ana vnc. 2.
Mellis roſacei.	
Salis gemmæ.	drac. 3.
Miſce cum cliſterio	

SECTIO III.

Roborantibus.

REctè Galenus *lib. 1. de Elem.* ex Hippocrate ſcripſit: quòd homo numquam doleret; aut vnico egeret medicamento, ſi vnico conſtaret elemento. Eſſet enim vniuſcuiuſquè vnica natura, vnicus effectus; ratio redeundi ad naturalem ſtatum vnica. At quia ex pluribus elementis eſt compoſitus, plures in ſe oppoſitas habet qualitates, ex quibus morborum plures proueniunt ſpecies: Aliæ ex humorum ſuperfluitate, quibus ſanandis valent medicamina purgantia, & euacuantia ſupra poſita: Aliæ ex virium debilitate, ac imbecillitate, quibus applicari ſolent medicamina roborantia ſumenda Vel per potum: Vdl per bolos, ſeù pillulas: vt duobus articulis notum fiet. 364 *Roborantia medicamina.* *Alia ſumuntur Per Potum, vel Bolos.*

ARTICVLVS I.

Per Potum.

MEdicamina, quæ per potiones partes ex purgatione ſiuè per ventrem ſuperiorem, ſiuè interiorem debiles, ac feſſas vim habent roborandi: vt plurimum mos eſt, ſequentia exhibere. 365 *Per potũ ſolent vt plurimũ ſequẽtia exhiberi medicamina.*

Recipe	Aquarũ chelidoniæ maioris.	ana vn. 3.
	Artemiſiæ.	
	Ruthæ.	
	Fœniculi.	
	Aquæ ardẽtis infuſionis ligni aloe.	v. 4.
	Sacchari albi.	vnc. 8.
	Fiat iuleb, ſiuè iulebum ſ. ar. aromatizatum cum drac. 2. ſpec. arom. roſati.	
	Doſis vnc. 2.	

Aliud.

Recipe	Semin. ruthæ caprariæ.	ana drac. 6.
	Ruthæ domeſticæ.	
	Hypericonis.	
	Sp. pliris arcot.	ana drac. 1. ſem.
	Margaritarum.	
	Miſce fiat potio in viginti partes æquales pro totidem diebus continuis per horas quatuor ante prandium cum aqua ruthæ, vel peoniæ, vel cum iure carnis.	

Aliud.

Recipe	Semin. peoniæ.	ana ſcr. 1.
	Corallorum rub. præpar.	
	Sp. diamuſci dulcis.	
	Miſce pro vna vice, & ſic pro alijs vſque ad viginti.	

Elle-

Ellectuarium efficax.

Recipe
Succi hyperici clarificati. lib. 1.
Sacchari albi. vnc. 8.
Miſce, & fiat ſyrupus ſec. artem in fine addendo
Pulu. ſemin. hyperici. | Semin. herbæ paridis. | ana unc. 1.
Semin. ocymi. | Ruthæ. | ana unc. ſem.
Miſce, & fiat iulebum ſec. art. de quo cape un. 5. ſingulariter mane per hora 4. ante cibum.

Laudatur Theriaca vſquè ad quantit. dracmæ pro qualibet vice continuando per menſem.

Aqua efficax ad roborandum.

Recipe
Theriacæ finæ. unc. 3.
Ligni aloes. unc. ſem.
Nucis muſchatæ. | Gariofilorum. | Cinamomi. | ana drac. 2.
Vini maluatici. lib. 3.
Miſce fiat infuſio per dies tres; deindè diſtillentur in B. M. ponendo ad naſum alembici parum muſci ligati in petia. Doſis huius aquę eſt drac. 2. cum aquæ peoniæ unc. duabus. Continuetur mane 40. diebus.

ARTICVLVS II.

Per Bolos, ac Pillulas.

366 Varia ſunt medicamina roborantia, quæ per bolos, morſellos, ac pillulas ægrotis exhibentur iuxta Medicorum arbitrium, & ægrotorum appetitum; quorum hic pauca ſubijciam.

Per bolos aut pillulas varia traduntur vt ſequentia.

Conſerua corroboratiua ventriculi à maleficialium inſtrumentorum materialium vomitione feſſi.

Recipe
Foliorum boraginis. | Foliorum roſmarini. | Betonicæ. | Abſynthij. | Sacchari roſat. ant. | ana drac. 1.

Alia conſerua roboratiua.

Recipe
Florum ruthæ caprariæ. | Hyperici. | Palmæ Chriſti. | ana unc. 4.
Sacchari. lib. 3.
Fiat conſer. ſecund. art. Doſis unc. ſem. uſque ad unc. 1.

Morſelli.

Recipe
Sp. pliris arcot. drac. 1.
Diamuſci dulcis aromatici roſ. | Diatrion piperein. | an. d. 5.
Sacchari albi unc. ſemis cum aqua peoniæ fiant morſelli unc. ſemis pro ſingulis.

Pillulæ.

Recipe
Ligni aloes. | Cortic. citri. | Semin. ocymi. | Semin. peoniæ. | Nucis muſch. | ana drac. 2.
Galliæ muſchatæ ſcrup. 5. cum ſyrupo de cort. citri fiat maſſa pro pillulis. Doſis eſt drac. 5.

Huic parti alia plurima potuiſſent addi medicamina maleficiatis pro temporis, ætatis, corporis conſtitutionis, virium, ac ſexuum diuerſitate neceſſariò tradenda. At quia meum inſtitutum non fuit de hac materia exactè, ac cōpletè pertractare, cum meæ partes prorſus ab arte medica ſint alienæ; ſed tantùm prædicta pauca pro morbis veneficis ex varijs Medicorum placitis annuere. Ideòquè cætera peritis, ac prudentibus Medicis ſecundū ægrotorum neceſſitatem paranda, & exhibenda relinquens, pro ingenij mei imbecillitate, ac paruitate animum intendam in conſiderando, quid huiuſmodi medicamina corporalia operentur in dæmones, ac maleficio affectos, quod à nullis, huiuſque quos legerim, ità exactè, diſtinctè, ac methodicè fuerit examinatum, quod præſtabitur parte ſecunda.

PARS SECVNDA.

Quid operetur.

Ampliſſima equidem materiæ medicamentariæ ſeges, qua & terræ viſcera grauidata turgent, & tota ipſius facies luxuriat; nihilquè in aere volitat, aut voluitur, aut in aqua natat, vel naſcitur, quod non trahi queat in hominis ſolatium. *Nam ex angue, teſte Galeno l. 11. ſimpl. cap. 1. ſæpè ſanitas, ex luto leuamen, ex fimo morborum profligatio. Ex medicamentis alimenta lib. 3. ſimpl. cap. 17. Ex alimentis teſte Hippocrate lib. de alimentis, medicamenta ſæpè depromuntur.* Eſt enim pharmacia encomio multò celebranda, quæ medicinæ inſtrumenta, nempè, ſuggerit, & miniſtrat. Vtramquè enim à mundi primordio non ſolùm extitiſſe; ſed ab Altiſſimo ortam ſacræ paginæ teſtantur *Eccleſ. 28. Honora Medicum propter neceſſitatem; etenim illum creauit Altiſſimus. A Deo enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis; & vnctiones conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera eius.* 367

Pharmacia, & medicina à Deo orta eſt.

Pro-

Medici, & Exorciſtæ plures medicaminibus vtuntur contra maleficia.

Propterea non mirandum, ſi complures ex Medicis tàm priſcis, quàm recentioribus, ac ferè omnes Exorciſtæ aſſeuerent, nonnulla extare medicamina tum externa vel ſimplicia, vel compoſita: tum interna vel præparantia, vel purgantia, vel roborantia, quæ non ſolùm morbis veneficis mederi; verùm etiam ſpiritus diabolicos repellere apta iudicantur.

Quæ cũ ſint corporea, videndum quid operentur.

At cum omnia huiuſmodi medicamina ſint res naturales ſenſibiles, ac corporeæ, dæmones verò puri ſpiritus, & incorporei, morbiquè venefici ſint ab agente non phyſico: nec naturaliter res corporeæ in ſpiritum agere queant, meritò dubitari poteſt (vt aliàs etiam à doctiſſimis viris fuit dubitatum:) qua ratione res iſtæ naturales, ac ſenſibiles vim habere poſſint in dæmones; Ideò ad iſtam ſoluendam dubitationem quandoquidèm morbus maleficus per actionem dæmoniacam inducitur in hominem, videndum: quid res illæ naturales operentur in Dæmonibus: In Hominibus. Quod duobus capitibus declarabitur.

In Dæmonibus. In Hominibus.

CAPVT I.

In Dęmonibus.

368 *Maxima differentia inter res ſenſibiles, & dæmones*

Magnum diſcrimen à quolibet non mediocriter ſciente inuenitur inter rem ſenſibilem, ac ſpiritum. Illa eſt corporea, iſte incorporeus. Illa componitur ex partibus integrantibus; Iſte compoſitione caret. Illa extenſa in ordine ad locum, ità quòd quælibet pars ſenſibilis correſpondet partibus loci, à quibus circumſcribitur: Iſte licèt ſit in loco definitiuè, non tamen circumſcribitur à loco, nec ad locum extenditur niſi quoad ſuas operationes; ſed totus eſt in toto, & totus in qualibet parte loci. Illa corruptibilis: Iſte incorruptibilis. Illa agens naturale: Iſte voluntarium, Illa poteſt pati non tantùm ab agente intellectuali; ſed etiam à quocumquè naturali, ſi illud ſit maioris actiuitatis: Iſte cum careat partibus corporeis integrantibus, nec poteſt tangi, aut pati à quocumquè agente naturali. Si autem nulla eſt ibi in genere ſymboleitas, aut conuenientia quis fateatur, rem ſenſibilem agere poſſe in ſpiritum; cum agens, & paſſum ſimilia, oportet, ſint in genere, & diſſimilia in ſpecie?

Non poſſunt dæmones pati à rebus corporeis.

Attamen cum res ſenſibiles duplex habeant eſſe, reale vnum, intentionale alterum: Reale, vbi realiter inhærent: Intentionale, vbi ſunt eorum ſpecies, puta, in medio, vel organo, aut potentia ſiuè ſenſitiua, ſiuè intellectiua, examinandum, quomodo in iſtis curationibus mouere poſſint potentiam dæmonum intellectiuam, aut volitiuam, in ipſaſquè agere aut Phyſica actione: aut Intentionali; vt ſequentes ſectiones dęmonſtrabunt.

An res agant in dæmones actione: Phyſica. Vel Intentionali.

SECTIO I.

Phyſica actione.

369 Actionem quoquomodo cõtemplemur Vel formaliter, vt reſpectum extrinſecum agentis ad paſſum, quo agens dicitur formaliter agens: Vel materialiter; vt formam, quæ producitur ab agente in paſſum, nequaquam phyſicam nuncupare debemus, niſi per eam agens naturale, teſte Ariſtotele *de Gene rat. & Corrupt.* producat directè, vel indirectè in paſſo. Vel ens aliquod naturale vt qualitates primas, videlicet, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, aut ſiccitatem. Vel ſecundas; vt colores, odores, ſapores, aliaſquè huiuſmodi, quæ ſequuntur primas. Vel motum localem, ſiuè naturalem, ſiuè violentum, ſiuè medium: Rectum, aut reflexum: Velocem, vel tardum: Regularem, aut irregularem. At ſi res naturales in dæmones agunt, eoſquè expellunt, (vt dicunt) è corporibus maleficiatis phyſica operatione per qualitates ſibi inditas, hoc fieri debet aut Directè: aut Indirectè: Ideòquè vtrunquè ponderandum duobus articulis.

Actio ſiuè formaliter: ſiuè materialiter vt phyſica dicatur quid requirat

Si res naturales agunt in dæmones phyſica actione, hoc eſt: Aut Directè. Aut Indirectè.

ARTICVLVS I.

Directè.

§. I.

Hallucinari eos iuremeritò fatendum, qui directam vim naturalem rebus corporeis in dęmones concedunt. Quis enim in phyſicis mediocriter verſatus non agnoſcit, agens naturale adhoc, quòd phyſica actione directè in paſſum operetur, oportere, ſequentibus muniri conditionibus? 370

Res ſenſibiles nullam vim naturalẽ directè habẽt in dæmones

Primò, quòd ſemper agens ſit maiori efficacia ipſo paſſo, ideſt, fortius, ac validius virtute reſiſtiua paſſi.

Secundò, quòd patiens tale ſit in potentia, quale agens in actu, dummodo agens ſit vniuocum, ens naturale, & corporeum. Tolle enim ab aqua potentiam ad calorem, quomodo poterit ab igne calefieri? Tolle ab igne caliditatem, quam habet actu, numquid poterit aquam, vel quid aliud calefacere? Tribue aquæ potentiam ad calorem, poterit vtiquè ab igne, vel à ſole calefieri. Da igni caliditatem in actu, poterit vtiquè paſſum calefacere. Quia *quicquid agit*, teſte Ariſtotele 9. *Metaph. agit in quantum eſt tale actu*.

Conditiones ad phyſicã actionem neceſſaria.

Tertiò patiens magis, vel minùs patiatur ſecundùm quòd magis, vel minùs eſt diſpoſitum. *Actus enim actiuorum 2. de Anima, eſt in patiente prædiſpoſito.* Ideòquè modus paſſionis eſt ſecundùm modum diſpoſitionis ipſius paſſi: ſicut & modus actionis eſt ſecundùm modum virtutis, & potentiæ ipſius agentis. Quis enim non videat, quò agens vigoroſius, ac robuſtius, eò validiùs, & efficaciùs in patiente operari?

Quartò quicquid ab agente naturali patitur, diuiſibile ſit, non quidem actu, ſed potentia; ità quòd aptum ſit ab agente aliquid recipere primò ſecundùm vnam partem, dehinc ſecundùm aliam. Nihil enim indiuiſibile, & incorporeum ab agente naturali pati poteſt; ſed quod patitur à tali agente, oportet ſit corporeum ſub modo quantitatiuo, ideſt extenſum per quantitatem çorpoream; ità quòd habeat partes extenſas non ſolùm in ordinem ad totum, ſed etiam in ordine ad locum. Defectu cuius corpus Chriſti in ſacramento Euchariſtię, licèt manducetur; non tamen frangitur, diuiditur, patitur, aut tangitur à quocumquè agente naturali.

Quintò agens, & patiens proximentur. Licèt enim agens, & paſſum ponantur in eſſe; numquam

tamen ſequi poteſt actio, & paſſio, niſi approximentur; ſimulquè mutuò ſe tangant. Quæ quidem proximatio per medium ſaltem fieri oportet. Itâ quòd agens ſit immediatum paſſo, vel immediatione ſuppoſiti: vel immediatione virtutis. Quomodo enim aſtra cæli agerent in hæc inferiora, niſi prius agerêt in media elementa, per quę nobis communicatur eorum virtus, & influxus?

Sextò tandem nihil patiatur ab omninò ſibi ſimile; vel prorſus ſibi diſſimile: Non primum: quia idem ageret in ſe, & à ſe pateretur: cum non eſſet diuerſa actio agendi, & patiendi, quod in rebus corporeis eſt impoſſibile. Non ſecundùm: quia quod patitur, pati debet à ſuo contrario. Contraria autem debent eſſe in genere conuenientia; Ideòquè agens, & patiens, oportet, ſint ſimilia genere, & diſſimilia ſpecie, aliter nulla poteſt eſſe ibi actio phyſica, & realis: nec agens vllam vim directam naturalem habere poteſt in paſſum.

§. II.

371 *Quia dæmones carent dictis conditionib. pati non poſſunt à rebus corporeis.*

Dirigamus modò mentis oculos ad ſpiritus apoſtaticos, & qui à flammis gehennalibus intolerabiles patientur cruciatus in æternitate, vt patientes in tempore à rebus naturalibus contemplemur. Quis audeat aſſerere virtutem rerum naturalium maioris eſſe efficaciæ, ac potentiæ virtute reſiſtitiua huiuſmodi ſpirituum, de quibus dicitur *Iob* 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur eis?* Para ſuffimenta ex galbano, ſulphure, aſa fætida, ariſtolochia, hypericone, & ruta: Appone odorata fætidis thus, myrram, ſtyracem, laudanum, garyophilos, & muſcum: quid tandem virtus horum omnium contra dæmones, quibus quælibet terrena poteſtas comparata infirma eſt, ac debilis? Adhuc in obſeſſo ijdem cruciatus, eadem afflictio, eadem infirmitas. Repete bis, ter, quater, ac pluries huiuſmodi ſuffumigationes, & fac ſuper ignem, & ſulphur dæmoniacum (velit, nolit) fumigari donec dæmon de omnibus, quæ tibi placuerit, dixerit veritatem: vt docet, ac ſæpiùs inculcat Menghus *in ſuo flagello, ac fuſte dæmonum*, quem ſequuntur ferè omnes poſteriores Exorciſtæ. Quid indè: (Heù miſeri illi energumeni, qui ad manus huiuſmodi Exorciſtarum deueniunt?) Renuet dæmon dicere veritatem, vt ſic ſuum faciliùs intentum conſequatur, quod eſt, vt dum ignarus Exorciſta putat hiſce corporeis rebus dæmonem torquere fictè clamante, ac ſimulatè vlulantem torqueat, & acriter miſerum excruciet energumenum verè dolentem, ac de Exorciſta iuſtè conquerentem, qui ex miniſtro Eccleſiaſtico dirus tortor, ac crudelis carnifex euadit.

Quid enim poſſunt pati dæmones hiſce naturalibus rebus, ſi dæmones non ſunt tales in potentia, quales ſunt res naturales in actu? Vbi in dæmonibus potentia ad recipiendum in ſe qualitates primas, vel ſecundas, vel alias huiuſmodi mutationes, ſi carent quantitate molis, quæ huiuſmodi mutationum eſt ſubiectum? Quænam diſpoſitio ad patiendum à rebus corporeis inueniri poteſt in his, qui ſunt omninò incorporei, ſimplices, indiuiſibiles, inextenſi non tantùm in ordine ad locum, ſed & in ordine ad totum? qui non poſſunt ab eis tangi tactu phyſico, aut mathematico immediatione ſuppoſiti, aut virtutis naturalis? qui tandem cum eis diſconueniunt non ſpecie tantùm; ſed & genere ſubalterno?

§. III.

Scio, quod Ioannes de Rupeſciſſa *lib. 2. de quinta eſſ. cap* 9. aſſerere voluit, Deum concreaſſe in ſpiritibus, Angelis, & Spiritu humano quandam potentiam ſenſitiuam, non carnalem; ſed ſpiritualem, per quam ſubijciantur paſſionibus rerum corporalium.

At licèt de Anima humana, vt potè, quę eſt forma ſui corporis, hoc concedi poſſet. Attamen de Angelis hoc nondum probatum eſt. Quinimmò totaliter contrarium ratio dictat.

De his fides adhibeatur Alphonſo Toſtato Epiſcopo Abulenſi, qui *quæſt.* 42. *ſuper* 1. *Regum c.* 16. ſic eruditè diſcurrit: *De rebus naturalibus dicendum quòd nulla res habeat efficaciã ad excludendũ dæmonẽ ſiuè ſit animal, ſiuè res animata, herba, vel arbor, vel fumus alicuius rei, vel odor bonus, vel malus: quia in omnibus rebus naturalibus virtus agendi eſt ipſa qualitas, ſiuè ſit de primis; vt calor, vel humiditas &c. ſiuè de ſecundis; vt quæcumq. aliæ qualitates ortæ ex quatuor primis. Iſtæ enim qualitates ſunt accidentia corporum, nec quidem omnium; ſed ſolùm elementatorum; ideòquè non poſſunt agere res per iſtas qualitates niſi in elementata.* Non ergo dæmones ab eis pati poſſunt, qui non ſunt corpora, nec corpus habent. *Nonnè vides* (ſubdit) *corpora cæleſtia quamquàm corpora ſint: quia tamen non habent conditionem elementarem non poſſe pati ab aliquo agente naturali: quomodo ergo dæmones, qui incorporei ſunt, poterunt pati ab huiuſmodi corporeis qualitatibus?* 372 *Probatur auctoritate Toſtati*

Quare errant tum Medici, tum Exorciſtæ qui putant, ac dicunt, dæmones à corporibus expelli poſſe per lapides, herbas, plantas, fumum, ſuffimenta, & alia huiuſmodi, de quibus ſupra *tota prima parte*; quia omnia iſta ſunt entia naturalia, quæ in ſpiritus vllam vim directè habere nequeunt.

§. IV.

Sed dicent, fumum Tobiaci piſcis omne dæmoniorum extricaſſe genus; vt ipſemet Angelus Raphael Tobiæ dixit: *c.* 6. *Tob.* cur ergo & aliæ res naturales, vel ſaltem ſuffumigationes idem non præſtabunt? 373 *Fumi tobiaci piſcis.*

Ad hæc præter ea, quæ ſupra dicta ſunt *n.* 334. *huius diſp.* reſpondemus fumum illum Tobiaci piſcis nihil naturaliter profeciſſe ad excludendum dæmonem à viro, vel muliere; ſed id ab Angelo factum fuiſſe precibus Tobiæ, qui vnà cum Sara vxore ſua tribus diebus nullam dantes operam libidini toto affectu, ac puro corde orationi ſemper erant intenti; ideòquè miſericors Deus illos exaudiuit, nec eis permiſit dæmonem nocere: quinimmo fecit eum per Raphaelem Angelum apprehendi, & in Superioris Ægypti deſerto religari: vt habetur *Tobiæ* 8.

Nec fuit ſuperſtitio cremare iecur piſcis ad excludendum dæmonem; Hoc enim fecit Raphael, vt ſe occultaret. Nam cum eſſet Angelus, & in forma viri ſe repræſentaret, nolletquè ſe manifeſtare vſquequò omnia completa eſſent; tacuit ſe velle religare dæmonem in deſerto, ne ſe Angelum patefaceret, & dixit, fumum iecoris illius piſcis dæmones effugare; ſic Tobiæ præſtitit ſecuritatem, quòd non ſuffocaretur à dæmone, ſi eam ſibi acciperet in vxorem; Sciebat enim Tobias, dæmonem omnes Saræ viros ſuffocare: ſicquè non cognouit eum Tobias. *Angeli operatio recta oſtéditur.*

At

§. V.

374 *Videtur ibi fuiſſe mendacium.* AT quis non videt in huiuſmodi angelica operatione mendacium reprehendi? Si fumus nullam habebat virtutem ad expellendum dæmonem, quomodo veraciter potuit Angelus dicere: *Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, ſiuè à viro, ſiuè à muliere; ità vt vltra non accedat ad eos?* Nonnè apertum mendacium? Sed nullum fuit mendacium; *Nullum tamen fuiſſe probatur.* Angelus enim non intellexit abſolutè, quòd iecur piſcis combuſtum dæmones extricaret; ſed locutus eſt ſpiritualiter in Tobia dicens: *Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponis, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum ſiuè à viro, ſiuè à muliere*, ideſt, quando pones cor piſcis ſuper carbones, dæmon effugabitur; non tamen virtute carbonum, vel fumi cordis; ſed orationum Tobiæ, & Saræ, & Angeli dæmonium religantis. Vndè quemadmodum neceſſe non eſt, lotionem meam eſſe cauſam eclipſis lunæ, eò quòd dum ego lauo, hæc accidit: ita neceſſe non eſt, dicere, fumum cauſam eſſe, quæ diabolum pellat, quamuis dum fumus fit, diabolus pellatur. Docet Angelus, quid fiat, non cauſam reddit, cur hoc fiat. Sic ergo Raphael mendacium hic non expreſſit; veritatem tamen ſubticuit. Quę poſtea manifeſtari videtur *Tobiæ* 8. vbi dicitur, non fumum dæmonem profligaſſe; ſed Raphaelem Angelum. *Protulit Tobias de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitquè ſuper carbones viuos. Tunc* (ſubiungitur) *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto Superioris Ægypti.* Quid igitur eſt, quod dæmonium profligauit? Fumus? Non. Sed Raphael Angelus. Quomodo verò? An ob excitatum fumum? Nequaquam. Veruntamen quando excitatus eſt fumus, profligatus eſt dæmon. Sed præter operam Angeli fuerunt eius merita, atquè orationes Tobiæ, & Saræ: vt apertè, ac dilucidè teſtantur Nicolaus de Lira, & Abulenſis *ſuper.* 1.*Reg.c.*16. Azorius *lib.*9. *Inſtit. Moral.c.*26. Petrus Thyreæus *par.*3.*diſput. de dæmoniacis c.*48.*à.n.*20. *vſquè ad* 25. Alexius Porrò *in Antidotario.*

§. VI.

375 *Obijcitur de radice herbę Eleazari.* NEc minoris eſt efficaciæ ad Exorciſtis, Mediciſquè ſuadendum, ſuffumigijs, odoribus, herbis, lapidibus, cæteriſquè id generis rebus ſenſibilibus tranſeuntibus, vel permanentibus vim ineſſe naturalem ad morbos maleficos curandos, dæmoneſquè expellendos id, quod narrat Ioſeph Hebræus *lib.* 8. *Antiquit. loquens de bello Iudaico*, de radice cuiuſdam herbæ, quam aſſerit, dæmones expellere de corporibus obſeſſorum. Fateturquè ſe huius rei teſtem eſſe oculatum, dum quidam Eleazarus hebræus pręſente Veſpeſiano, & eius filijs, & Tribunis eos curabat, qui à dæmonio vexabantur, eorum naribus inferens annulum habentem ſubter ſignaculum radicem à Salomone monſtratam, qua dęmonem per nares odorantis abſtrahebat; præcipiebatquè, ne ad eos denuò remearet.

376 *Refellitur huiuſmodi obiectio.* Sed quàm falſum ſit, radicem illam, ſicut, & quamlibet aliam rem naturalem vim habere ad dæmones expellendos, ratio ſupra relata dictat. Licèt enim Eleazarus ille dæmonem expulerit; non tamen per vim illius herbæ. Impoſſibile enim eſt, quòd herba illa; vel odor cuiuſcumquè rei in dæmonem agere valeat: cum dæmon ſit purus ſpiritus, in quem nulla res naturalis agere poteſt; cum actio fiat per contactum iuxta Ariſtotelis doctrinam, vt patet ex præallegatis conditionibus ad actionem phyſicam requiſitis. Si ergo dæmon exierat, hoc pręſtabat: quia Eleazarus ille forſan erat magus: vt dubitant Liranus, & Abulenſis *ſuper* 1. *Regum cap.* 16. qui omnia hæc faciebat arte magica per pacta cum dæmonibus inita tacita, vel expreſſa, quibus dæmones fingunt ſe expelli, vt ſic homines in errore teneant, & ſuæ ſeruituti addicti maneant.

Quarè errant illi, qui dicunt, dęmones à corporibus obſeſſis expelli poſſe per fumum, herbas, lapides, medicinas, & alias huiuſmodi res corporeas. Sicut, & illi, qui credunt, aliquem eſſe dæmoniacum, ſi per triginta dies non poteſt continuare æſum carnis hædinę: quod ſignum eſſe dæmoniacæ pręſentiæ ponit Menghus *in ſuo Fuſte dęmonum.* Et qui talia credunt, ſuperſtitione non carent: quia omnia iſta, cum ſint entia naturalia corporea in dęmones, qui ſubſtantię ſpirituales ſunt & incorporeæ nullam vim directè habere queunt. Et ſi quandoquè vim aliquam manifeſtant in dæmones, id ex ſuperſtitione prouenire iuremerito ſuſpicari poteſt: vt benè aduertit Angelus *verb. ſuperſtitio num.*6.

§. VII.

HOc tandem comprobari poteſt ex Anima rationali corpori vnita. Hæc, quia purus eſt ſpiritus, quamuis in corpore ſit, nihilominus non mouetur à calido, aut frigido, vel ab alijs corporeis qualitatibus: quantò magis dæmones, qui ſpiritus ſunt corporibus non vniti immunes erunt, & liberi ab huiuſmodi paſſionibus corporeis? Non ergo res naturales directam vllam vim in dæmones habere poſſunt. 377 *Eadem veritas probatur à ſimili ex anima rationali.*

Quam veritatem ſuſtinent Nicolaus de Lira *ſuper* 1.*Reg. cap.*16. Paulus Burgenſis *ibidem in Additionibus*, Ioan. à Turrecrem. *diſt.*1. *can. Voluiſſent.* §. *denìquè.* Guilhelmus Pariſien. 2. *Par. par.*2. *de Vniuerſo cap.*20. Angles *quæſt. de Arte magica diffic.*8. S. Albertus *ſuper Lucam* 9. Pelbartus *in Roſario aureo Theologiæ, verb. Dæmones &* §.83. Nauar. *Summ. cap.*11. *num.*38. Petrus Thyræus *de dæmoniacis toto cap.*48. Azorius *tom.* 1. *lib.*9. *Inſtit. Moral. cap.*26. *quæſt.*2. Delrius *lib.*2. *Diſquiſ. magic. quęſt.* 30. *& lib.*6. *cap.*2. *quęſt.*3. *ſect.*2. Et Suarez 3.*tom. in* 3. *par. quęſt.*65. *art.*4. *diſput.* 15. *ſect.*4. quid id optimè probans ait: *Ridiculum eſſe oppoſitum.*

ARTICVLVS II.

Indirectè.

§. I.

QVamuis rebus corporeis directam vim naturalem in dæmones pauci concedant, quamplures tamen ſecundariam, & indirectam tribuere non ambigunt; inter quos numerantur Guilhelmus Pariſienſ. *lib. de Vniuerſo*, Dionyſius Carthuſ. *in Tob. cap.*8. Franc. Victor. *Relect. de mag. quęſt.*6. Zacharia Vicecom. *compend. artis exorciſt. p.*1.*tract. de remed. corporalibus* Hieronymus Menghus *in Flagello dæmon. par.* 1. *c.*3. Florianus Canal. *tract.* 1. *de modo agnoſcendi, & ſanandi maleficiatos part.*3.*in fine*, & nuper Ignatius Lupus 3.*par.* 378 *Plures rebus naturalib. vim naturalem indirectè tribuunt in dæmones.*

com-

commentar. Edicti Sanctæ Inquiſitionis lib.22.diſt.2. artic.2.diffic.2. Medici plures Lullus *lib.2.de quinta eſſentia*, Leuinus Lemnius *lib. 2. de occultis naturæ miraculis*, Franciſcus Valeſius *cap.28.ſacræ philoſophiæ*, Codroncus, Cæſalpinus, Dioſcorides, Plinius, Homerus *in odiſſe x.* & ibi Didymus, Ariſtoteles, Pandectarium, Matthiolus, Balduinus, Ronſæus, Q.Sammonicus Serenus *medicinæ cap.58.* Euonymus *in Theſauro Medico c. de ſolidis quibuſdam*, Mardobæus Gallus, alijquè ſupra relati varijs locis primæ par. Nec videntur procedere ſine ratione. Sic enim arguere conantur.

379 Dæmon vt plurimùm homines vexare conſueuit priùs per aliquam rem ſenſibilem cauſando diſpoſitionem in corpore humano, per quam fit aptum ad ſuſcipiendam dęmonis actionem, ver. gr. Detur mania, quæ eſt ira permanens ſecundùm Damaſcenum, dicta à Philoſopho 4.*Ethicor.* amaritudo, quæ eſt maximè diſpoſitiua ad alienationem mentis ſecundùm ſententiam Medicorum. Hanc quis non videt valdè diſpoſitiuam ad ſuſcipiendam dæmoniacam vexationem? Modò huic diſpoſitioni applicet Medicus ſua alexipharmaca, nonnè poterit per ea directè ab homine auferri, ac totaliter curari? Quis neget? Si autem poteſt tolli huiuſmodi diſpoſitio, ſaltem indirectè auferetur & dęmonis vexatio, ac totaliter ceſſabit qualibet eius operatio.

Quia dicunt, dęmonem vt plurimum vexare homines per præuiam diſpoſitionem cauſatam in corpore.

§. II.

Hanc poſitionem probant. Ratione ſumpta ex humore melancholico.

EXcitetur à dæmone in homine humor melancholicus, quo maleficiatus, vel obſeſſus affligatur, ac continuis teneatur anguſtijs, vt ſæpiſſimè euenire ſolet; propter quod melancholia dicitur balneum diaboli: Nonnè poterit Medicus ſuis pharmacijs talem compeſcere humorem? In confeſſo enim eſt apud Medicos, quòd melancholiam abigunt vinum, flores bugloſſi, flores boraginis, ocymum, ſtæchas, granati, ſardæ, hyacinthi, topazius, lapis lazuli, aurum, lapis bezoar, ſyrupus regis Saboris, conſerua bugloſſi, conſerua boraginis, confectio alkermes, confectio de hyacintho, antidotum aſyncritum, confectio hamech, electuarium ſennatum, hiera diacolocynthidos, electuarium de gemmis, ſpecies diacinnamomum. Ad quid autem huiuſmodi congerere remedia, niſi ſint ſufficientia ad huiuſmodi humorem melancholicum auferendum?

Authoritate.

Quòd ſi rationi conſentaneum eſt, hiſce medicaminibus hanc tribuere virtutem, ablata cauſa, per quam afflictio cauſatur, fugabitur dæmon, qui per talem humorem afflictionem inducit: Recedente enim paſſiua diſpoſitione in obſeſſo, penitus recedat, oportet, afflictio dæmonis actiua. Vndè Auicenna *prima tertij fen. 1. tract. 4. cap.18.* ſic ſcribit: *Quibuſdam Medicis viſum eſt, quod melancholia contingat à dæmonio ſed nos non curamus, cum phyſicam docemus, ſi illud contingat à dæmonio; aut non contingat; poſtquam dicimus, ſi contingat à dæmonio, ſufficit nobis, vt conuertat complexionem ad choleram nigram, & ſit cauſa eius proxima ipſa cholera; deindè ſit cauſa illius choleræ dæmonium, aut non dæmonium, non curamus.* Hæc ille. Quaſi inferre velit, ſi tollatur ab ægro illa cholera nigra per medicamina, ceſſabit & dæmonis vexatio, qui non niſi mediante tali diſpoſitione afflictionem inducere conſueuit.

Auicenna.

§. III.

ID confirmare videtur exemplum relatum in obſeruationibus Martini Rulandi, vt narrat Daniel Sennertus *lib. 6. practic. Medic. part. 9. cap. 9.* de quadam fœmina dæmoniaca, & melancholica, quæ pijs precibus, & medicamentis humorem melancholicum euacuantibus à diabolo liberata eſt.

Martini Rulandi

Cui ſententiæ quilibet poſſet ſe libenter ſubſcribere, ſi vera eſſet poſitio Pauli Burgenſis, qui *in Additionibus ſuper 1.Regum cap. 16. apud Lyranum* videns eum aſſerentem, dæmones non poſſe materiam corporalem ſecundùm ſuam voluntatem tranſmutare; ſed id facere mediantibus actiuis corporalibus, exindè locum ſumpſit probandi, quòd afflicti à dęmonibus per ſenſibilia aliqua poſſint totaliter liberari ſic arguendo.

Pauli Burgēſis

Quemadmodum dæmones non poſſunt materiam corporalem ſecundùm ſuam voluntatem tranſmutare (vt ait Lyranus) ità nec paſſionare, niſi mediantibus actiuis corporalibus, quæ diſponunt materiam ad ſuſcipiendam actionem afflictiuam in corporibus ab eis obſeſſis. Si autem per aliquam rem ſenſibilem cauſari poteſt contraria diſpoſitio in corpore humano, per quam non fit aptum ad ſuſcipiendam dæmonis actionem, nonnè videtur manifeſtum, per res ſenſibiles ſaltem indirectè à dæmonibus afflictos totaliter liberari poſſe?

§. IV.

AT quia huiuſmodi ratio Burgenſis falſa eſt, falſum eſt etiam, quòd res ſenſibiles à maleficiatis, vel obſeſſis indirectè: vel directè phyſica actione dæmonem expellere queant. 380

At dictā opinionē falſam eſſe. Docet Liranus.

Hanc veritatem comprobat Lyranus loco citato dicens: *Oportet dicere, quòd cum dæmones ſint omninò ſpirituales ſubſtantiæ, nulla res ſenſibilis, aut virtus corporalis poteſt in dæmones aliquid agere directè, vel indirectè, per quod poſſint ab obſeſſis corporibus expelli.*

Ratione autem facillimè probari poteſt. Nam licèt aliqui à dæmone vexentur quandoquè per præuias diſpoſitiones ab eo in corpore inductas; exindè tamen non ſequitur, quòd per medicamina purgato tali humore ceſſet dæmon vexare hominem obſeſſum, vel maleficiatum. Nam cum dæmon ſit cauſa libera non naturalis, à corpore humano non dependens, qui ſe occultè in illud poteſt intromittere, adhuc iterum, & iterum poteſt illicò nouos excitare humores, nouaſquè diſpoſitiones inducere & fouere, quibus continuos cauſet dolores; immò ſine huiuſmodi præuijs diſpoſitionibus acerbiſſimas valet excitare torſiones: vt mox dicam. Vndè licèt aliqui morbi inducantur per humorem melancholicum, & energumeni vexentur per melancholiam, vt ait Auicenna, non ſequitur, quod euacuata cholera nigra tollatur morbus maleficus: vel ab obſeſſo expellatur dęmon. Non enim ſatis firma eſt ratio: quia morbi iſti à naturalibus cauſis prouenire poſſunt, diabolus nihil cum ijs habeat commercij. Etenim licèt cauſa proxima talis vexationis ſit humor naturalis, tamen & ea vt morbum faceret, non ſuaptè natura excitata eſt, ſed diabolo mouente: & proindè eius ablatione

Ratio dictat.

morbus non curatur, niſi etiam cauſa externa, & primaria intrinſecè humorem illum vel generans, vel mouens auferatur, puta, dæmon. Ideòque paret Medicus pharmaca ad tollendam maniam à dæmone cauſatam; exhibeat infirmo Topazium, elleborum nigrum, ſyrup. de boragine, de ſucco bugloſſ, antidotum anſycritum, vnguentum roſatum Meſue, confectionem hamech, Electuarium Sennæ, Hieram Pachij, oleum ex pomis Mandragoræ, aliaque antidota huic ægritudini expellendæ perutilia. Quid indè poſt tot medicamina exhibita, Aſinum tondunt; caluum vellunt. Adhuc eadem mania, eadem inſania, eadem tormenta, eædem afflictiones, ac torſiones: quia adhuc manet cauſa cauſæ, nempè dæmon cauſa principalis huiuſmodi indiſpoſitionis, ideòquè nec mirum, ſi redeat, vel maneat idem cauſatum.

Quis non fateatur, ſi quis dolore capitis, vel febri ex mora ſub ſole corripiatur, non ſufficere, ſi intemperiei illi à Sole generatæ remedia apponantur; ſed neceſſarium eſſe, vt æger ex Sole in vmbram, & frigidiorem locum ſe conferat, & requieſcat. Nam manente cauſa cauſæ manet cauſatum iuxta illud Ariſtotel. in antepr. cap. 3. *Quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati:* Manente in corpore dęmone, qui eſt cauſa alterationis humorum, ſemper manet dolor, & cruciatus à tali cauſa actualiter procedens: quia continuò humores illi à dæmone alterantur.

§. V.

381 *Experiẽtia oſtendit.* HOc ſuo nimio malo probant indies à dęmone obſeſſi, ac maleficio affecti, quorum plures ad me acceſſerunt Romæ, Venetijs, Bergomi, & alijs locis, qui iam plures annos habentes in ſuis ægritudinibus, plura pharmaca adhibuerant, medicinas præparantes, lenientes, purgantes, euacuantes, ac roborantes: Alij vt ſe eximerent à quadam ſtomachi grauedine, ac ſuffocatione; Alij vt oculorum doloribus, ac puncturis ſanarentur: Alij vt ab alijs afflictionibus eriperentur, quibus diù affecti fuerant: nec tamen poſt medicamina, pharmaca, ſanguinis miſſionem aliquod ſentiebant leuamen: ſed adhuc ijdem cruciatus, eadem ſtomachi grauedo, eædem torſiones, & afflictiones. Quæ omnia tamen vt dicti obſeſſi, ac maleficiati in Dei bonitate mihi ab Eccleſia tradita in ordine Exorciſtatus de ſua à dæmone liberatione actus fidei elicuerunt, illicò facto dæmoni præcepto in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu, vt exiret ab illis, & omne tolleret maleficium, ſtatim priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt. Non ergo per ablationem diſpoſitionis corporeæ tollitur dæmon: vel aufertur maleficium; ſed per fidem, ac confidentiam in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu, & poteſtate Exorciſtæ ſibi ab Eccleſia tradita in ordine Exorciſtatus.

§. VI.

382 *Vndè nil obſtat dictum Rulandi.* QVid autem contra hoc auctoritatis, vel roboris præſtare valet exemplum illud à Sennerto relatum ex obſeruationibus Rulandi de illa fæmina à dæmone liberata: cum apertè aſſerat, ab illo humore melancholico, & à diabolo pijs precibus, & medicamentis liberatam? Non ergo ſimpliciter per medicamina corporalia; ſed principaliter per ſpiritualia, quibus cauſa principalis dæmon profligatus eſt, & à corpore illius fęminæ eiectus.

Hinc facilè ſe prodit vanitas poſitionis Pauli 383 *Vana oſtẽditur poſitio Burgẽſis.* Burgenſis, qui falſis innititur imaginibus. Imaginatur enim primò, quòd nullus ſit obſeſſus, niſi ad hoc fuerint præuiæ naturales diſpoſitiones, vel paſſionales, quod falſum videtur in Saul, qui cum eſſet in naturalibus optimè diſpoſitus præ cunctis fratribus, & coetaneis ſuis, vt diuina teſtatur ſcriptura 1. *Regum cap.* 9. dicitur tamen de eo *cap.* 16. *Spiritus Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino*, videlicet, tribuente Deo, vel permittente dæmoni poteſtatem illum exagitandi, vt ait Gloſſa, quæ eſt B. Gregorij. Et ecce quàm vana prima Pauli Burgenſis imaginatio: vt clariùs numero ſequenti.

Nec ſecunda minùs falſa eſt, qua ſibi perſuadet, dæmonem recedere, quando obſeſſum actualiter non affligit; cuius imaginationis falſitatem ſuperfluum eſt, demonſtrare; cum ſit luce clarior, ſæpè recedere dæmonem per operationem, qua circumſcriptiuè eſt in corpore quatenus deſinit aliquandiù affligere obſeſſum; non tamen recedere realiter, ac per ſuam eſſentiam, ac præſentiam qua eſt in corpore definitiuè. Hoc teſtantur Maximilianus ab Eynaten Exorciſta expertus *in Manuali Exorciſmorum par.* 1. *inſtruct.* 9. dicens: *Solere aliquando dæmones remanere in corpore, & latere aliquo tempore abſquè vlla vexatione, vt ſic decipiant Miniſtros Dei.* Idem docet Hieronymus Menghus *Fuſte dæmonum cap.* 7. *Dæmones*, ait *poſtquam ingreſſi ſunt corpora humana, vt plurimùm ſe celant, ne ibi deprehendantur adeſſe; eum ſciant, Exorciſtas ſe inſectaturos, quoties nouerit, ipſos obſidere illa corpora: etiam quia multa mala poſſunt ibi peragere, quæ ſibi non imputabuntur; nequè quis poterit ſcire, vndè talia prouenant mala, & quis illa fecerit.* De quo etiam admonet Exorciſtas *cap.* 15. *eiuſdem libri*, dæmones perſæpè non tantùm latere in aliqua parte corporis, vt in pede, vel digito, vel vngue, nè deprehendantur, & obſeſſi ſibi perſuadeant, ſe eſſe totaliter à dæmone liberatos; ſed etiam in exitu ſuo in capillis patientis ſe abſcondere, vbi obſeſſis ab omni interiori, exterioriquè vexatione exemptis diù latent, nullum dolorem interiorem, vel exteriorem illis immittendo.

Ex quibus clarè innoteſcit, non ſemper dæmonem obſeſſum vexare; ſed quandoquè manere in corpore abſconditum, nec vllam maleficiato per aliquot tempus afferre ſenſibilem moleſtiam. Quod experientia demonſtrat indies. Videmus enim multos energumenos per aliquot dies, vel ſaltem horas abſquè vlla afflictione quietos permanere, qui tamen à dæmonis obſeſſione, ac poſſeſſione non ſunt liberi: quod egomet in pluribus à dæmone obſeſſis, quos longum eſſet recenſere, expertus ſum. Et hoc facilè agnoſcit Exorciſta, ſi priùs inſtructo obſeſſo, vt credat in poteſtate ordinis Exorciſtatus vt infra explicatur *diſput.* 4. *vbi de ordine Exorciſtico*, præcipit dæmoni in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu, vt coram ſe cauſet illas moleſtias, quas ſolitus eſt cauſare eo abſente. Tunc enim dæmon illicò ſe prodit. Quod non facit, quando à dæmone totaliter ſunt exempti.

§. VII.

384 *Nec requiritur vt ipſe vult, in obſeſſo praua diſpoſitio.*

IMaginatur tandem Burgenſis, obſeſſos à dæmone non affligi, niſi in eis ſit naturalis diſpoſitio paſſiua huic afflictioni correſpondens, quod eſt, vt ſupra dixi, baſis primaria contrariæ poſitionis.

Sed quàm hoc ſit falſum, rectè docet poſt alios Matthias Toringus *in Replicis ad Addition. Lyrani ſuper* 1. *Regum cap.* 16. Obſeſſio enim, ſicut & afflictio eſt ſæpè ex ſola Dei permiſſione, ſupple, præcedente obſeſſi, vel eius parentum diffidentia de Dei protectione: vel aliquo demerito: vt vult Gloſſa præallegata. Vndè dæmon abſquè vlla in corpore præuia diſpoſitione poteſt ſine vlla difficultate, ſi ſibi à Deo permittatur, corpus vexare, humores commouendo, venas obſtruendo, partem à parte ſeparando, aliaſquè huiuſmodi afflictiones in corpora ſubita violentia efficiendo.

385 *Hoc teſtantur plures obſeſſi, ac maleficiati hoc noſtro æuo.*

Hanc veritatem fateantur illi obſeſſi, vel maleficiati, qui perſæpè nimio ſuo malo repentè horribiles in corpore dolores, & in animo viſiones turpes abſquè vlla præuia diſpoſitione, cum timore, & tremore patiuntur; vel ſentiunt, maximè coram Sacerdote anhelationes, palpitationes, ſyncopas, vomitus, frequentem membrorum titillationem, ſicut ventum frigidiſſimum, aut calidiſsimum, & quoſdam motus inſtar formicarum, & ranarum per humeros, & renes diſcurrentium: Vel cruciantur in aliquo corporis membro doloribus, qui ſtatim ad crucis ſignum amouentur, & currentes per artus locum mutant. Arguant de ſuo errore Burgenſem, eiuſque fautores ij, qui cum benè ſe habeant, nullis peccantibus humoribus in cauſa exiſtentibus repentinis morbis cum grauiſſimis ſymptomatibus corripiuntur, puta mentis ſtupiditate quadam, varijs delirijs melancholicis, motibus quibuſdam conuulſiuis, qui epileptici videntur; repentinis corporis paſſionibus, & oppreſſionibus, quas ipſi explicare neſciunt.

§. VIII.

386 *Quorum exempla aliqua referuntur.*

HAnc veritatem ex pluribus exemplis, quibus comprobare poſſem eorum, qui à dæmone obſeſsi, vel maleficio affecti coram me fuerunt adducti, hęc pauca ſequentia referam.

Anno Domini 1648. *Quædam adoleſcentula à Caſtrofranco Oppido Diæceſis Taruiſinæ cum ſanitate perfecta ditata eſſet, corporis robore munita, ac membrorum diſpoſitione, lineamentis, ac colore benè ornata, repentè quadam nocte poſt tertiam horam cum atrium domus pertranſiret à dæmone ſub forma Leonis fuit arrepta, ità quòd cæpit phreneſi, ac mania laborare, dentibus fremere, ferrum, acus, cæteraquè dura frangere, furijs agitari, varias in corde, ſtomacho, ac renibus perpeti torſiones, nec tamen vlla præceſſerat in corpore humorum mala diſpoſitio; quod clarè innotuit. Nam antea tunc temporis hilaris, & alacris cum matre, ac fratre ſuo ludebat. Poſt etiam, cum ſtatuiſſet Pater, eam coram me adducere, qui à Caſtrofranco diſtabam milliaria circiter* 30. *tunc dæmon exclamare cæpit dicens: Se non poſſe ampliùs in ea manere; ideòquè potiùs ex eius corpore voluntariè exire volebat, quàm expectare, quòd à me hoc ſibi eſſet imperatum. Propterea finxit, ſe eſſe egreſſum, ex quo in itinere adoleſcentula ſemper ſe bene habuit, nec aliquam paſſa eſt à dæmone moleſtiam. Cum autem fuit in proſpectu meo quæſiui ab ea: quomodo ſe haberet; quæ dixit, benè. Ego tamen ex oculis, & faciei motibus agnoſcens eam non eſſe liberam à dæmonis oppreſſione; priùs ab ea actu fidei elicito in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu, & poteſtate exorciſtica mihi ab Eccleſia tradita, facto dæmoni præcepto in Nomine Ieſu, illicò ſe prodidit, eamquè cæpit torquere more ſolito in corde, ſtomacho, gutture, &c. ſed ſtatim coactus fuit ab ea exire, ac totaliter recedere.*

Sic eodem anno alia adoleſcentula eiuſdem Oppidi coram me fuit adducta, quæ varijs à dæmone torſionibus afficiebatur in corde, ſtomacho, in capite, & alijs membris, quæ virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu totaliter à Dæmonis vexatione abſque vllo medicamine corporali libera permanſit.

Nec ſilentio ſunt prætereundæ paſſiones innumeræ, quibus diù affecta fuit quædam Monialis Anno enim Domini 1664. *menſe Decembris Bergomi rogatus fui, vt prædictam Monialem exorcizarem, quæ iam à pluribus Exorciſtis fuerat exorcizata, ſed numquam à Dęmone liberata, qui pluries faſſus eſt per os ipſius, ſe in eius corpus fuiſſe ingreſſum, dum illa adhuc eſſet infans trium annorum, ideoque cum tempore, quo cæpi illi auxilium præſtare annum ageret trigeſimum, conſequenter* 27. *annis Dæmon illam poſſederat, eam torquendo multifariam, multiſque modis, nunc die, noctuque clamando, nunc in ſtomacho, alijſque corporis membris affligendo, nunc cibum euomendo, ſed in maiori quantitate, quam ſumpſerat: nunc in choro omnes moniales clamoribus perturbando, modò eas percutiendo, modò Conuentus ſuppellectilem ſubuertendo, vel frangendo.*

Cum autem cæperim illam inſtructionibus, ac benedictionibus meis iuxta doctrinam à me traditam infra Diſputatione 4. *munire, Dæmon ceſſauit clamores emittere, vomitum non amplius excitauit, nec alias Moniales perturbauit, nec ſacramenta ſumere impediuit, vt priùs faciebat; mihique in his, quæ ad Deum vt ſuum Creatorem, & Dominum recognoſcendum, & me vt miniſtrum Chriſti, & Eccleſiæ reuerendum ſpectabant, promptam exhibebat obedientiam, dum pluries in Eccleſia Monialium de licentia Illuſtriſs. D. D. Nuncij Apoſtolici extra Monaſterium ductam exorcizaui; Sed in his, quæ ad eius liberationem ſpectabant, parum proficiebam, Dæmonque ſe nolle exire affirmabat; Quare illi inſinuaui, vt confeſſionem generalem peccatorum ſuorum maximè eorum, quæ fortaſſe Dæmonis perſuaſione, vel inductione patrauerat perageret, quod per quatriduum præſtitit, ſumpto etiam ſepiùs Euchariſtiæ Sacramento, tandem die* 3. *Februarij anni* 1665. *præſentibus RR. PP. ſuo Superiore, ac Confeſſario in Eccleſiam ducta, priùs à me in fide rectè inſtructa, ac roborata ſine vllo impedimento pluribus ab ipſa fidei actibus elicitis genuflexa ante Altare in Nomine Ieſu præcepi Dæmoni, vt exiret: ipſe autem reſpondit:* Vis ergo quòd exeam: *Ego autem reſpondi, non ego ſolùm, ſed & Deus vult, quòd exeas ſi hoc ipſa credit. Cæpit ergo ipſam affligere in gutture, ac capite; & cum exire tardaret, ei præcepi, vt caput Monialis, in quo ipſe tunc aſſiſtebat, pedibus meis ſubmitteret, quod ſi-*

ne mora præſtitit, & tandem ſine ſtrepitu exijt. Seruatis ergo quæ infra diſp.4. part.3. c.4. art.5. *habentur: Hymno à nobis recitato,* Te Deum laudamus &c. *Monialis Deo gratias agens, læta Monaſterium petijt, nullo præuio corporali medicamine adhibito.*

In eodem Monaſterio alia Monialis annum agẽs circiter 32. à die ſuæ profeſſionis, qui fuit ſextuſdecimus vſque ad trigeſimum ſecundum continuis fuerat ægritudinibus affecta ita varijs (prout ipſa mihi per litteras manifeſtauit) quòd ſentiebat nunc caput ſuum in duas veluti ſecari partes; nunc cerebri medullas euelli, nunc ita conſtringi, quòd ſpiritum exhalare putabat; modò viſcera ità torqueri, quòd non poterat à magnis clamoribus contineri; modò neruos à muſculis à carne, & oſſibus ſeparari; ſæpè cor, & hepar vehementiſſimè aduri; ſæpiùs omnes iũcturas acerbiſſimis torſionibus cruciari; ſæpiſſimè ventrem inflari, ac tantis, totque afflictionibus, doloribus, ac tormentis in omnibus corporis membris affligi, quòd ſibi impoſſibile videbatur ea verbis explicare poſſe. Quid non fecerunt Medici ſpatio quindecim annorum? qualia pharmaca non adhibuerunt? maximè cum Monialis parentes eſſent valdè diuites, ideoque prompti ad ſoluendum pro expenſis. Videas nunc medicinas applicare per potum, nunc per bolos, plures ſanguinis emiſſionem repetere, ſuffimenta, vnctiones, balnea, emplaſtra, cliteres, aliaque huiuſmodi adhibere, omnia voluere antidotaria, vt à tantis malis ægrotam ſubleuare poſſent; ſed omnia incaſſum præſtare, oleumque & operam perdere. Tandem eius Confeſſarius Regularis, an huiuſmodi tam diuturna ægritudo fortaſſe à dæmone cauſaretur, probare decreuit, præceptum contra dęmonem formando, quo facto, cæpit indicium aliquod habere, in Moniali dæmonem exiſtere talia cauſantem. Quare ſtatim me inuiſit in Conuentu S. Mariæ Gratiarum; omniaque diſtinctè enarrans me rogauit etiam nomine Prioriſſæ illius Monaſterij, vt ad illam exorcizandam me transferrem. Propterea à Superioribus, ad quos ſpectabat, habita licentia, Prioriſſa illius Conuentus aduocata, ei impoſui, vt in Nomine Ieſu dæmoni præciperet, nè dictam Monialem impediret, quin ſtatim ſine vllo dolore, ac è lecto ſurgeret, ac veſtibus induta ad ianuam Monaſterij perueniret. Quod ſine mora actũ eſt. Quę cum fuerit coram me præſentibus aliquibus Monialium maioribus, eiuſque Confeſſario, dæmon ſe patefecit totius mali auctorem; ſed cum Monialis fuerit in fide, ac fiducia in Deum benè à me inſtructa, repetitis aliquot dies inſtructionibus, factiſque probationibus ad liberationem neceſſarijs, quæ habentur infra diſputatione 4.part.3. huius operis, præceptis à me factis dæmoni in Nomine Ieſu de egreſſu, tandem ſine medicamine corporali ita ſanitati perfectæ reſtituta eſt, quòd ſequenti Aduentu, qui proximus erat, cæpit ieiunium exercere, Chorum die, noctuque frequentare, orationi intendere, ac cætera Monaſterij munia à ſuis Maioribus ſibi impoſita adimplere.

Aliæ plures pluribus locis diuerſæ ætatis, conditionis, ac ſexus ſic fuerunt à dæmone varijs, ac repentinis moleſtijs affecti, & etiam totaliter ab ipſius tyrannide erepti, quos referre nimis tædioſum eſſet; Qui omnes nec ante, nec poſt liberationem aliqua ſumpſerunt medicamina corporalia, vt ab illis pręuijs humorum diſpoſitionibus purgarentur; ſed illicò perfectam aſſecuti ſunt ſanitatem.

Si autem dæmon eos vexaſſet mediantibus præuijs humorum diſpoſitionibus, vt putat Burgenſis, neceſſarium fuiſſet, vel ante, vel immediatè poſt liberationem per medicinas corporeas præparantes, lenientes, purgantes, & euacuantes huiuſmodi prauos humores euacuare, & purgare. Aliter numquam potuiſſent perfectam obtinere ſanitatem. Sed experientia contrarium docet. Non ergo in obſeſſo, ac maleficiato neceſſaria eſt paſſiua naturalis diſpoſitio, vt dæmon eum valeat affligere, ac vexare. Nec vllam habet firmitatem Burgenſis lapis fundamentalis ex monte aureo Lyranenſis doctrinæ deprompti. Quod enim Lyranus dixerit, non poſſe dæmonem materiam corporalem ſecundùm ſuam voluntatem tranſmutare, niſi mediantibus actiuis corporalibus, quis non videat ipſum loqui de tranſmutatione ſecundùm formas corporales naturales, ſicquè verum dicit: quia tunc dęmon non poteſt rebus naturales inducere formas, rem ab vna ad aliam naturalem tranſmutando formam, niſi actiua paſſiuis applicando. Negari tamen non poteſt, quin poſſit dæmon rem tranſmutare corporalem per motum localem: vel per aliquam alterationem: vel in corpore aliquod intromittendo durum, quod immediatè cauſet dolorem abſquè vlla præuia in corpore facta diſpoſitione: vt latè proſecuti ſumus *tom. 1. diſp.2. & diſp. 4. in fine.*

§. X.

SEd fortaſſe dicent prędicti aſſertores pro ſuę po- 387 *Obiectio ſit digna ſcitu.*
ſitionis firmitate, ac robore. Si dæmones poſſunt agere in ſenſibilia, ea tranſmutando ſiuè per motum localem: ſiuè per alterationem applicando actiua paſſiuis: vel aliquo alio modo, quidni, & res ſenſibiles valeant ſaltem indirectè agere in dæmones? Nonnè axioma illud Ariſtotelis 1. *de Generat. & corrupt:* eſt apud omnes vulgatiſſimum: *quod agens in agendo repatitur?* Si ergo dæmones agunt in ſenſibilia, cur & ab illis ſaltem indirectè pati nequeunt?

At vide, quàm infirma ſit, ac debilis iſtorum ra- 388 *Declaratur, ac refellitur.*
tio. Vbi enim inueniuntur in dicta actione conditiones requiſitæ, vt agens in agendo patiatur? Si enim illud axioma attentè, ac medullitus conſiderare volumus, ſtatim agnoſcimus, ad eius veritatem requiri: Primò, quòd agens, & patiens communicent in materia, defectu cuius licèt Deus agat in iſta inferiora; ab eis neutiquam pati poteſt; & licèt ea moueat, ab eis moueri nequit. Secundò, quòd virtus actiua paſſi ſit fortior reſiſtitiua agentis; ideòquè ignis quandoquè agit in aquam, & ipſe non patitur ab aqua. Tertiò, quòd vtrumquè ſit intra ſpheram actiuitatis alterius, videlicet, quòd vtrumquè habeat virtutem attingendi alterum in debita diſtantia. Idcircò cælum licèt agat in iſta inferiora, nullo modo tamen ab eis pati poteſt.

Modò quis rebus naturalibus vim agendi in dæmones ſiuè directè, ſiuè indirectè tribuere audeat? Quomodo ab eis pati poteſt, ſi cum eis non communicat in materia: cum ipſe ſit ſubſtantia incorporea, illæ materiæ corporeæ ſubiectæ? Si virtus actiua rerũ corporearum non eſt fortior virtute reſiſtitiua dæmonũ, quinimmò virtus, ac poteſtas dæmonum maior eſt cuiuſcumquè rei corporeæ virtute, ac fortitudine: cum nõ ſit poteſtas ſuper terram, quę comparetur eis? Si tandem non ſunt infra ſpheram

ram

ram actiuitatis rerum ſenſibilium: cum dæmones non ſint extenſi in ordine ad locum; nec poſſint tangi à rebus ſenſibilibus?

§. XI.

PRedictam falſam opinionem inſinuauerat dęmon cuidam Parocho, qui anno Domini 1665. Menſe Martij dum tempore quadregeſimali concionabar in Oppido Cocalei Diæceſis Brixieſis ad me confugit ſecum ducens quandam mulierem innuptam annum agentem circiter trigeſimum à dęmone obſeſſam, quam priùs ipſe diù exorcizauerat, mihi enarrans, quòd ſibi interroganti Dęmonem, quando eſſet egreſſurus, & quibus medijs, reſpondit dęmon, quòd opus erat, priùs corpus illius medicinis corporeis benè purgare iuxta regulas, quas ipſemet ipſi Exorciſtę traderet: quibus auditis Exorciſta libenter remedia corporalia per ſcripturam accepit à dęmone, de quibus vt ſecurus eſſet, ea Medico oſtendit, à quo fuerunt laudata, & approbata, qua de re prędictus Parochus maiori gaudio quotidiè ad dęmonem exorcizandum accedebat, à quo per exorciſmos quotidianam lectionem, & inſtructionem accipiebat, ſic ex Parocho, & Exorciſta diaboli diſcipulus euaſerat. Tandem poſt lōgos, & iteratos exorciſmos dęmon illū admonuit, quòd ipſe non poterat egredi ex corpore illius mulieris niſi exorciſmi pronunciarentur à nouem Exorciſtis, idcircò iam ad aliquos vnà cum Energumena acceſſerat; ſed dæmon addidit, oportere quòd illi nouem Exorciſtæ ſimul eodem tēpore ſuper Energumenam exorciſmos pronunciarent. His à me auditis Presbyterum increpaui de ſua nimia ignorantia, ac credulitate admonique illum, ne impoſterum diaboli directioni ſe committeret.

389 *Concluditur, dæmones ſiue directè, ſiuè indirectè à rebus naturalibus pati nō poſſe.*

Quare iure meritò dicimus dęmones: quia incorporei, ſimplices, indiuiſibiles, inextenſi, ſubſtantiæ purè ſpirituales, totaliter à rebus ſenſibilibus diuerſæ, poteſtate, ac virtute cunctis rebus materialibus pręſtantiores, nullam in obſeſſis, vel maleficiatis cruciandis, & affligendis præuiam requirentes diſpoſitionem, à rebus naturalibus nullo modo ſiuè directè, ſiuè indirectè pati poſſe phyſica actione, licèt ab eis affligi poſſint actione intentionali modo, quo ſequenti ſectione demonſtrabitur.

SECTIO II.

Intentionali actione.

390 *Sicut res naturalis duplex habet eſſe, Reale, & Intentionale. Ità agit in ſubiectum duplici actione*

CVm hæc materia implicatior ſit, quàm vno verbo queat enodari, ante omnia ingenij acies maximoperè illi explicandę eſt intendenda, nec parcendum labori, vt eius veritas diſtinctè, & apertè eluceſcat.

Quemadmodum ergo res ſenſibiles duplex habent eſſe: Reale vnum: Intentionale alterum. Reale, vbi res realiter inhærent: vt lux in corpore lucido, & albedo in pariete. Intentionale, vbi ſunt earum ſpecies ſiuè ſenſibiles, ſiuè phantaſticæ, ſiuè intelligibiles. Ità duplici actione, oportet, agant in ſubiectum: Phyſica vna per qualitates ſibi inditas; vel per motum localem, de qua ſupra Intentionali altera, qua agens producit qualitatem in potentia, quæ ſi ſenſitiua exterior eſt, ſenſibilis dicitur: Si ſenſitiua interior, phantaſtica appellatur: Si intellectiua, intelligibilis nuncupatur. *Phyſica, Intentionali, Sēſibili, Phantaſtica, Intelligibili.*

Non eſt tamen hęc actio intentionalis (quod diligentiſſimè obſeruandum) ipſa ſenſatio ſiuè externa, ſiuè interna; nec ipſa intellectio producta ex ſpecie intelligibili, & ab intellectu agente: quia hę omnes ſunt actiones immanentes, quibus non poſſunt agere res ſenſibiles, de quibus loquimur modò; cum non habeant animam, vel potentias, in quibus poſſint manere tanquam in ſubiecto perficiendo. Sed eſt actio tranſiens, cuius terminus eſt aliquid pręter actionem: videlicet, Formaliter *eſt relatio obiecti ad potentiam*: Materialiter *eſt ipſa ſpecies vel ſenſibilis: vel phantaſtica: vel intelligibilis*, quatenus procedit ab ipſa re ſenſibili. 391 *Qua actio intētionalis eſt actio trāſiens.*

Cum ergo res naturales nec directè, nec indirectè agere poſſint in dęmones actione phyſica. Reſtat, ſi aliquid in eis operantur, dum curantur maleficia, & dęmones expelluntur earum virtute, id fiat actione intentionali aut Senſibili: aut Phantaſtica: aut Intelligibili. Ideò videndum, quarum ex eis tribus id fiat. Quod tribus ſequentibus articulis pręſtabitur. *Videndū ergo ſi agant vel Senſibili Vel Phātaſtica, vel Intelligibili.*

ARTICVLVS I.

Senſibili.

§. I.

392 *Senſibile hìc ſumitur paſſiuè pro eo quod aptum natum eſt ſentiri.*

NOn poteſt exacta, ac perfecta actionis ſenſibilis, qua ſenſibilia agere in dæmones ſuſpicantur, haberi notitia, niſi agnoſcatur priùs, de quibus ſenſibilibus tractetur in pręſenti diſputatione. Cum enim detur ſenſibile tum prout dicit aptitudinem ad agendum, ſcilicet, ad ſentire: vt eſt animal: tum vt importat aptitudinem ad ſentiri: ſicuti eſt res apprehenſa à ſenſu, quæ ſenſibilis dicitur: quia apta nata eſt ſentiri, ſeù percipi à ſenſibus, nemini proculdubio eſt ambigendum, nos loqui de ſenſibili non primo; ſed ſecundo modo, *quod eſt ens ſpectans ad compoſitionem integrantem ſubſtantiæ, aut quantitatis, pendens à materia ſubiectiuè proximè (vt eſt forma ſubſtantialis:) aut remotè, (vt ſunt omnia accidentia ipſi formæ inhærentia,) aptum natum mouere ſenſus.* *Quid ſit huiuſmodi ſenſibile.*

Quos quidèm ſenſus mouere nequit niſi ſit *Aliquid ſingulare:* Cum ſenſus ſit tantùm ſingularium, ſicut ſcientia eſt vniuerſalium, *Corporeum:* quia ſenſus, qui eſt facultas corporea, non poteſt ferri in aliquod incorporeum, & ſpirituale. *Extenſum non tantùm in ordine ad ſe; ſed quoquè ad locum. Præſens, & in debita diſtantia collocatum, per debitumquè medium ſenſui præſentatum*, vt ſic aptè, commodequè per ſpeciem cum ipſo ſenſu coniungatur. *Quid requirat, vt ſentiatur.*

393 *Hoc ſenſibile concurrit ad actionem intentionalē per ſpeciem ſenſibilē.*

Hoc autem ſenſibile, ſeù res ſenſibilis ſic accepta prout dicit aptitudinē ad ſentiri, ſiuè ſentiatur per ſe, vt accidentia: ſiuè per accidens, vt ſubſtantię: ſiuè propriè, puta ab vno ſenſu tantùm: ſiuè communiter, vt à pluribus ſenſibus externis, quomodo ſumatur, ad actionem intentionalem ſenſibilem habet concurrere prout ex ſe emittit ſpeciem ſenſibilem, quæ eſt imago, & ſimilitudo ipſam rem ſenſibilem repręſentans, quę per aliquod medium corporeū defertur ad ſenſum, vt rectè docet Ariſt. 2. *de Anima tex.* 122. dicens: *oportet autem vniuerſaliter de omni ſenſu accipere, quòd ſenſus eſt id, quod eſt ſuſceptiuum formarum ſine materia*, vt cera

fine

ſine ferro, & auro annuli, ſeù ſigilli recipit ſignum. Vbi intelligit, quòd ſenſus recipit ſuum obiectum, non quoad ſuum eſſe materiale, & naturale; ſed benè quoad ſuum eſſe purum, & intentionale, ideſt ſecundùm ſuam ſpeciem intentionalem ſenſibilem; ex qua ſpecie intentionali, & ex potentia ſenſitiua producitur ſenſatio, ver.gr. Albedo, quæ eſt res ſenſibilis habens eſſe reale in pariete, in quo ſubiectatur, emittit ſpeciem ſui, quę eſt imago, & ſimilitudo albedinis, quę ſimilitudo defertur per aerem medium ad oculum ſibi pręſentem; ex qua ſimilitudine albedinis, & potentia viſiua paritur ſenſatio, ſcilicet, viſio albedinis. Sic ſonus, qui dicitur habere eſſe reale in aere velociter moto, & fracto virtute percutientis,& percuſſi; poſtmodum in aere circumſtante orbiculariter ſuam generat, & multiplicat ſpeciem, quæ eſt repræſentatiua ipſius, quæ non eſt ſonus; ſicut & ſpecies coloris non eſt color; ideòquè ſicut non videtur ſpecies coloris; ſed ipſe color; ſic non auditur ſpecies ſoni, ſed ſonus per ſuam ſpeciem venientem ad auditum. Ex qua ſpecie, & potentia auditiua paritur ſenſatio, nempè, auditio ſoni. Obiectum enim eſt cauſa ſenſationis, quatenus vnitur potentiæ ſenſitiuæ per ſuam ſpeciem: quia per ſe non poteſt vniri potentiæ, nec eam tangere; aliter nullam faceret ſenſationem, teſte Ariſtotele *eodem lib.2.de Anima tex.75.* dicente: *Nullum ſenſibile poſitum ſuper ſenſum facit ſenſationem*.

§. II.

394 *Quę ſpecies requiritur ad producendam ſenſationem.*

QVare requiritur ſpecies intentionalis ſenſibilis qua recepta in ſenſu producatur ſenſatio, quę eſt actio immanens perficiens ſubiectum in quo eſt, quæ ideò non poteſt nuncupari actio intentionalis ſenſibilis, cum hæc ſit actio traſiens, cuius terminus eſt aliquid præter actionem. Quid ergo erit huiuſmodi actio intentionalis ſenſibilis? Si formaliter ſumatur, nil aliud vtiquè, quàm *relatio obiecti mouentis ad potentiam motam*: Materialiter verò *eſt ipſamet ſpecies ſenſibilis, quæ eſt imago, & ſimilitudo ipſius rei ſenſibilis*, qua mediante dicitur res ſenſibilis agere in potentiam: quia defertur per medium ad potentiam, eamquè mouet ad producendam ſenſationem: vt ſpecies, ſeù ſimilitudo rubedinis emiſſa à rubedine per aerem defertur ad viſiuam potentiam, eamquè mouet ad producendam rubedinis viſionem.

395 *Vndè ad actionem intentionalẽ ſenſibilem cõcurrũt Potentia Obiectũ.*

Ex quibus omnibus facilè colligitur, ad actionem intentionalem ſenſibilem quinquè concurrere, ſcilicet, Potentia, Obiectum, Organum, Medium, & Species ipſa ſenſibilis.

Potentia: vt viſus, vel auditus, vel odoratus, vel guſtus, vel tactus.

Obiectum: videlicet, res ſenſibilis benè diſpoſita, & in debita diſtantia collocata: vt color, vel ſonus, vel odor, vel ſapor, vel alia huiuſmodi ſenſibilia vel per ſe vel per accidens, propria, vel communia. Vel dicamus viſibile, vel audibile, vel odorabile, vel guſtabile, vel tangibile.

Organũ. Medium Species.

Organum: vt oculus, vel aures, vel nares, vel lingua, vel neruus tactiuus. Medium: vt aer, vel caro, per quos tranſit ſpecies obiecti ad potentiã, & Species ſenſibilis, quæ eſt imago, & ſimilitudo obiecti, à quo emittitur, & defertur per medium ad organum potentiæ; ſic poſtea ex potentia, & obiecto mediante ſpecie ſenſibili, à qua denominatur actio ſenſibilis intentionalis producitur ſenſatio.

§. III.

HIs clarè perſpectis, ac conſideratis, quis audeat enunciare, & affirmare, res naturales in dęmones actione intentionali ſenſibili agere poſſe? Quomodo mouere poſſunt per ſuas ſpecies ſenſibiles dęmonum potentias exteriores ſenſitiuas, ſi in dæmonibus non ſunt huiuſmodi potentiæ? 396

Quibus cum careant dæmones, à rebus naturalib. pati nequeunt actione intentionali ſenſibili. Poſſunt tamen dæmones aſſumere corpora, & in eis exercere actiones ſpectantes ad motum localem.

Licèt enim dæmones poſſint in corpore aſſumpto operationes exercere, quę conſequuntur animam, prout eſt corporis motrix: vt mouere membra exteriora, manus, pedes, palpebras oculorum, genas ad ridendum, os, & linguam ad loquendum, maxillas ad manducandum,& alias huiuſmodi operationes exercere ad motum localem pertinentes; Non tamen exercere poſſunt operationes, quę conſequuntur animam, inquantum eſt perfectio,& forma corporis. Non enim dęmon vnitur corpori vt forma informans, ſiuè vt perfectio eius: vt eruditè docet D.Bonauent. *in 2. diſt.8. art.3. q.2.* Idcircò mouent oculos, ſed non vident; aures, ſed non audiunt; nares ſed non odorant; genas mouent ad ridendum, ſed in eis non eſt exhilaratio cordis; maxillis, ac dentibus cibum comedere videntur, ac recipere in ſtomachum; ſed non conuertunt in ſubſtantiam aliti; nec ibi eſt deperditi reſtauratio: quia corpus ab eis aſſumptum non eſt organizatum nec animatum: quia in eo non ſunt cor, & cerebrum, nec alia organa, quę in ſentiendo dominantur: nec calor naturalis, ſeù animalis, qui inſtrumentum eſt potentiæ ſenſitiuę: nec ex tali corpore, & dæmone fit vnum per eſſentiam; ideò nec illa vera ſunt organa, ſed tantùm aerea, & apparentia, cum non ſint formata ab Angelo, vel dęmone, vt per illa ſentiat; ſed vt per illa propietates intellectuales attendat. Mouendo ergo linguam format verba, quibus videtur loqui; ſed vt per hæc alijs ſuos exprimat conceptus. Auribus videtur percipere voces loquentium; ſed vt intelligat ſermones eorum, quos etiam ſine auribus intelligit. Idem eſt dicendum in corporibus energumenorum, in quibus non exiſtit, ac operatur vt forma informans; ſed tantùm vt mouens eo modo, quo dixi. Non ergo huiuſmodi dæmonum operationes ſunt ſenſitiuæ; ſed omnes intellectiuæ cognitiones.

§. IV.

QVarè pertentent Exorciſtæ quantum poſſunt, res varias obſeſſis adhibere naturales, & corporeas, quibus actione intentionali ſenſibili dæmones torquere opinantur; oleum, & operam perdent. Studeant toto ſuo conatu quantum velint, & ſciant, recipere galbanum, ſulphur, aſamfætidam, ariſtolochiam, hypericonem, rutham, carnem, vel limaturam vngulæ aſini, canis, ac diaboli ſtercora; ex eiſquè facto fætido ſuffumigio maleficiati, vel obſeſſi nares fumigare, vt dæmon tali perculſus fętore in fugam verſus totaliter ab obſeſſo recedat. Quid indè? In cælum iaculantur; arenam, ac litora arant, lapideſque elixant. Ipſi enim dęmones de nulla re magis delectantur, quàm de rebus fętidis. Hinc ſi aſſumunt corpora, vel sũt cadauera fętida,& graueolentia: vel ex aere fætido, & graueolenti formata. Si in corporibus humanis habitant, excitant humores prauos, & putidos, in iiſquè reſident, ac commorantur. Si exeunt è corporibus, in ſuo diſceſſu energumeni guttur, & os odore ſulphureo plenum relinquunt. 397

Veritas practicatur quoad ſenſũ Odoratus

Si

Si apparent alicui; cum recedunt, aerem circumſtantem vndequaquè fætoribus intolerabilibus, ac putoribus graueolentibus replent,& inficiunt. Quid ergo valebunt contra dæmones huiuſmodi fætores? Perſentiet quidem obſeſſus talium ſuffimentorum odorem, quæ cum calida ſint,& calidi natura aſcendere, ad eius caput aſcendent, ſecumquè alios vapores adducent; qui ſimul implentes, in eo grauitatem efficient: diabolus verò ſubſannabit Exorciſtam oſtendens, ſe magna affici moleſtia, vt ille ignarus diaboli aſtutiam non præcauens iterum, & iterum replicet ſuffimenta, donec cum maximo obſeſsi detrimento ſua caliditate inflammationem progignere, & humores frigidos fundendo epilepſiam, apoplexiam, conuulſionem, & alios graues morbos excitare habeant.

§. V.

398 *Viſus.* Contendant deformes in charta pingere diaboli effigies, eaſquè ante ipſius ponere oculos, vt harum ſpecies ſenſibiles delatæ ad eos moueant ad iram. Quid indè? In aquam ſcribunt, cæco oſtendunt colores. Oculos habent,& non videbunt.

Auditus Perſtrepent in auribus verbis contumelioſis, conuicijs irritent, prouocent, laceſſant. Quid indè? Mortuo verba faciunt, litori, ac vento loquuntur, ſurdo canunt, & appetunt, hylam inclamant, ſi putant dæmonis aures faſtidire.

Guſtus. Componant cibos abſinthio, & ruta, aliaquè amara edulia. Vel potiones acres obſeſſis ſumendas exhibeant, vt dæmones talem amaritudinem, & acrimoniam non ſuſtinentes, feſtinatò auolent à corporibus, quæ obſident. Quid indè? Inaniter aquam conſumunt: Cotem alunt, milium terebrant, in frigidum furnum panes immittunt.

Tactus. Percutiant pugnis, & calcibus miſerum obſeſſum; colaphis cædant, flagellis, funibus, bacillis, aliiſquè id generis inſtrumentis impetant. Faciem eorum fætidis, ac ſqualidis ſputis deturpent. Quid indè? Si hiſcè putant dæmones ſenſibiliter affligere, eoſquè abigere: Ignem diſſecant, aerem, & nebulas verberant, hydram ſecant, mortuos flagellant cum non mediocri viuentium cruciatu, ac detrimento, dum intus à dæmone torquentur, & exterius ab Exorciſta malè habentur.

Parent balnea ex lixiuio cum cinere oliuarum, & aqua fluminis, in quibus ebulliant ruta ſabina, hypericon, artemiſia, verbena, palma Chriſti, & ariſtolochia rotunda: Si dum iubentes in hæc totum obſeſſi corpus immergi, & ablui, dæmones fugari putent, æthyopem dealbant, vtrem mergunt vento plenum, & laterem lauant: cum nulla res naturalis actione intentionali ſenſibili in dæmones agere queat: eò quia non habent potentias, aut organa, quæ poſſint moueri à ſpecie ſenſibili, eamquè ad producendam ſenſationem in ſe recipere.

§. VI.

399 *Obijcitur De Raphaele Archan. De Angelo Cuſtode corpora aſſumentibus, & varias in eis operationes exercentibus*

At dices fortaſſe: Cum dæmones Angelis bonis in naturalibus æquiparari valeant, quæ in eis integra remanſerunt. Si illi, quos fingere non decet, in corpore aſſumpto quandoquè, imò ſæpius apparuerunt habentes oculos, aures, os, nares, manus, pedes, ac cætera organa corporea: ſicut notum eſt omnibus credentibus de Angelo Raphaele: qui apertè loquebatur Tobiæ iuniori; cum eo ſimul comedebat, bibebat, & ambulabat; dixitquè ei, quòd eſſet ex filijs Iſrael: & ſeniori, quòd eſſet Ananias Ananiæ magni filius: Idem prorſus fatendum de Angelo Cuſtode, qui ſub forma Paſtoris familiariter morabatur, ac conuerſabatur cum Herma diſcipulo Pauli Apoſtoli: vt habetur *tomo 1. Bibliotheca Veter. Patrum*; ac de alijs Angelis alijs ſeruis Dei apparentibus; cur ergo, & dæmones idem præſtare non poterunt? An quia eorum operationes ſunt fallaces? Nonnè & illæ Angelis Raphaelis videntur eiuſdem notæ?

Verùm ſi attentè, & exactè Raphaelis, aliorumquè bonorum Angelorum actiones contemplemur, 400 non fallaces; ſed veraces, myſterijſquè refertas inueniemus. *Satisfit obiectioni & myſterium declaratur multipliciter* Quamuis enim Angeli corpora aſſumant humana tantum apparenter, puta aerea, in quibus non vera opera vitæ operantur; non tamen fictio, ſed myſterium dici debet. *Fictio enim eſt ſignum falſi:* vt quando aliquid adhibetur ad ſignificandum aliquid; vel aliqualiter, quod, vel qualiter non eſt. Sed quandocumquè eſt correſpondentia ſignati ad ſignum; ità quòd res ſignificatæ ità ſe habent, ſicut ſignificantur, non eſt fictio, licèt ſignum ſit alterius naturæ, quàm ſignificatum. Nam etiam vocibus, quæ accidentia ſunt, ſignificamus ſubſtantiam, quæ alterius naturæ eſt, quàm accidentia. Vndè quemadmodum, cum aliquis geſtu corporis ſignificat qualitatem mentis alterius, cuius perſonam induit, quamuis in eo non ſint qualitates mentis, quas figurat; non tamen ibi eſt fictio, ſed myſterium: quia per rem ſenſibilem, ac viſibilem repræſentatur res ſpiritualis, ac inuiſibilis. Sic intelligibilia ſub figuris ſenſibilibus propter ſimilitudinem quandam ſine fictione ſignificamus, licèt intelligibilia non ſint ſenſibilia.

Hanc veritatem probat Auguſtinus *libro contra mendacium cap. 10. tom. 4.* vbi loquens de Iacob, qui coram Iſaac finxit, ſe eſſe Eſau, ait: *Iacob, quod matre fecit auctore, vt patrem fallere videretur, ſi diligenter, ac fideliter attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium. Quæ ſi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ, ac figuræ ſignificandarum quarumcumquè rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ ſunt; ſed in eis aliud ex alio eſt intelligendum, dicentur eſſe mendacia, quod abſit omninò. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus poteſt hanc importare calumniam; ità vt hæc ipſa, quæ appellatur metaphora, hoc eſt, de re propria ad rem non propriam verbi alicuius vſurpata translatio poſſit iſta ratione mendacium nuncupari. Quæ ſignificantur enim vtiquè ipſa dicuntur: putantur autem mendacia, quoniam non ea, quæ verè ſignificantur, dicta intelliguntur; ſed ea, quæ falſa ſunt, dicta eſſe creduntur.* Hæc Auguſt.

§. VII.

Sed nonnè hoc in ſeipſo oſtendit ille ſpiritus veritatis, de quo Veritas increata *Ioan. 15.* ait: 401
Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritus veritatis, qui à Patre procedit &c. apparuit ſub columbæ ſpecie, atquè ſub forma ignis? Quis autem audeat aſſerere, ſpiritum ſanctum habere formam ignis, vel columbæ? An dicenda ibi fictio? Auertat Deus hoc à nobis; ſpiritus enim veritatis fingere non poteſt. Quid ergo? Myſterium. Columba enim, ſicut & ignis erant tantùm ſigna ſignatum referentia: Columba gratiæ plenitudinem in Chriſto, vt in alios redundaret, quos redimeret. Ignis ardorem charitatis in Apoſtolis, quos repleuerat. Sic teſtantur Theologi D. Bonau. D. Thom. Guilhel. Richar. & alij *in primo ſent. d. 4.*

Nec

Nec illa columba fuit verum animal habens animã ſenſitiuam: nec ille ignis verus ignis ardens, quamuis fuerint res veræ corporales miniſterio Angelorum, vt ait Auguſt. 4. *de Trinit.* ex æthere puriſſimo formatæ, in quem expleto officio etiam mox reſolutæ fuere. Non tamen ibi fictio; ſed myſterium: quia ibi veritas erat in ſignificando: cum propterea illa ſimilitudo offerebatur ſenſui, vt ſignificaretur, quòd ibi erat ſpiritus ſanctus: vt eruditè docet D. Bonau. *in* 1. *diſt.* 16. *q.* 4. & poſt ipſum Pelbartus *in aureo ſacræ Theol. Roſario tom.* 1. *verſ. Miſſio.* §. 38.

402 Hoc ergo idem iuremerito fatendum de angelicis ſpiritibus. Non enim repugnat veritati Sanctorum Angelorum, quòd corpora aſſumpta appareant viuentia, quamuis non ſint: quandoquidem non aſſumuntur ad repræſentandum vitam corporalem; ſed Angelorum præſentiam, qui verè viuunt. Sic Angelus Raphael Tobiæ loquebatur, apparenter comedit, & bibit, vt per hoc ſe exhiberet congruum itineris ſocium, & ductorem, ac diuinam miſericordiam illi impenſam manifeſtaret, in multiſquè inſtrueret, quæ ei forè neceſſaria æſtimabantur: vt ipſemet *Thobię* 12. faſſus eſt: *Cum eſſem vobiſcum videbar quidem manducare, & bibere; ſed ego potu inuiſibili, & cibo vtor.*

Nec ibi fuit, vt fatetur D. Bonauent. *in* 2. *ſent. d.* 8. *art.* 3. *q.* 2. deceptio, aut illuſio quantum eſt ex parte Angelorum, licèt aliquis ignorans naturam ipſorum poſſet ex hoc opinandi falſum, locum ſumere. Nam, vt etiam ait Auguſt. *loco citato contra mendacium: Verax ſignificatio nullo modo mendacium rectè dici poteſt.*

Quod verò Raphael Angelus dixerit Thobiæ iuniori ex filijs Iſrael: & ſeniori eſſe Ananiam Ananiæ magni filium, myſticè eſt intelligendum. Oſtendere enim voluit, ſe eſſe ex filijs Iſrael, ideſt, ex his, qui ſpeculantur in amore Dei. Vir enim ſpeculans in amore Dei Iſrael dici poteſt. Filiumquè magni Ananię ſe nuncupauit: quia Ananias tantùm valet, ſicut adiutor: vel ſicut gloria Dei, inquit Gloſſa marginalis, quę eſt Venerabilis Bedę: ſic Raphael erat adiutor promotionis gloriæ Dei. Quo modo vtitur etiam Apoſtolus 1. *Corinth. cap* 3. *de ſeipſo alijſquè Prædicatoribus* dicens: *Dei adiutores ſumus.* Non ergo Raphaelis vlla fuit deceptio, licèt corpus aſſumpſerit humanum tantùm apparenter, nec in eo opera veræ vitæ fuerit operatus.

403 *Concluditur nõ poſſe dæmones pati à reb. corporeis paſſione intentionali ſenſibili.* Quare ſicut Angeli boni corpora vera humana non aſſumunt; nec veros habent oculos, aures, nares, manus, pedes, cæteraquè organa, & inſtrumenta ad vitam corporalem neceſſaria; ideòquè nec moueri poſſunt, aut pati à rebus naturalibus per ſpecies intentionales ab eis emiſſas: ità & dæmones, cum ſint incorporei, nec vera aſſumant corpora; ſed tantùm apparentia, nullo modo à rebus naturalibus huiuſmodi actione intentionali ſenſibili pati queunt. Nequè in corporibus energumenorum, aut maleficiatorum; quia ibi non ſunt dæmones, vt forma informans: nec in his corporibus exercens operationes, quæ conſequuntur animam in quantum eſt perfectio, & forma corporis; ſed tantùm prout eſt motrix; idcircò res naturales in dęmones nullatenus actione intentionali ſenſibili agere valent.

ARTICVLVS II.

Phantaſtica.

§. I.

Qvamquam res naturales actione intentionali ſenſibili in dæmones agere nequeant, nihilominus non videtur eis actio phantaſtica deneganda. Nam D. Dionyſius *lib.* 4. *de diuin. nomin.* ait: *In dæmonibus eſſe furorem irrationalem, amentem concupiſcentiam, & phantaſiam, proteruam.* Si ergo in dæmonibus eſt phantaſia, quid prohibet, res ſenſibles agere in eam, illam mouendo per ſpeciem phantaſticam, cum ſuaptè natura ex ſe emittendi talem ſpeciem, ſi detur potentia aliqua apta ad talem in ſe ſpeciem ſuſpiciendam, vim obtineant? 404 *An res naturales actione intentionali phãtaſtica poſſint agere in dæmones*

At ſi naturam, & quidditatem phantaſticæ actionis attendamus, id ſtatim falſum nobis aperitur. Quid enim eſt actio phantaſtica intentionalis? Nil aliud profectò, ſi formaliter accipiatur, quàm *Relatio obiecti mouentis ad potentiam ſenſitiuam internam motam*, puta, *ad imaginatiuam, ſeù phantaſiam ſpeciem ſenſitiuam à ſe emiſſam.* Materialiter verò ſumpta nil aliud eſt, quàm *ſpecies ipſa, ſeù imago obiecti prout mouet potentiam interiorem, & in eo recipitur.* Quæ hoc modo actio phantaſtica appellatur; ſicut ſenſibilis dicitur prout ſenſui exteriori repræſentatur, illum mouet, in eoquè recipitur. 405 *Hoc falſum eſſe demonſtratur ex natura actionis phantaſticę.*

Poſtquam enim ſpecies ſenſibilis, quæ eſt imago, & ſimilitudo obiecti, recepta eſt in organo ſenſus exterioris, puta in oculo, vel aure; nihil aliud requiritur, niſi potentia interior ſenſitiua, quæ ſit benè diſpoſita, & recipiat à ſenſibus exterioribus ſpecies huiuſmodi ſenſatas. Vel ipſamet potentia ex his, quæ à ſenſibus accepit exterioribus, eliciat ſpecies non ſenſatas, ex quibus ſpeciebus phantaſticis, ſeù phantaſmatibus, & ex ipſa potentia ſenſitiua interiori tali ſpecie, ſeù phantaſmate informata producitur notitia ſenſitiua interior, quæ eſt actio immanens ipſam potentiam interiorem perficiens. Hæc tamen notitia non eſt ipſa actio phantaſtica: quia illa non eſt immanens; ſed tranſiens.

§. II.

Vndè ad huiuſmodi functiones obeundas Doctores aſſignant potentias ſenſitiuas interiores. Alij vnam tantùm. Alij duas. Alij tres. Alij quatuor. Alij quinquè. 406 *Ad cuius functiones aſſignantur à Doctoribus varia potentia.*

Vna tantùm aſſignatur à Petro Tatareto, qui putat ſecundùm mentem Ariſt. 3. *de Anima* dari tantùm vnum ſenſum communem, qui vocatur phantaſia, æſtimatiua, & imaginatiua.

Duæ à Fonſeca *lib.* 5. *Metaph.* ſcilicet, ſenſus communis, & phantaſia. Hunc ſequuntur Conimbricenſes.

Tres à Toleto, & Græcis omnibus: nempè ſenſus communis, phantaſia, & memoria. Iſti enim nullam ponunt differentiam inter phantaſiam, imaginatiuam, & æſtimatiuam.

Quatuor à D. Thoma, Caietano, Auerroe, & communiter tàm à veteribus, quàm à recentioribus Philoſophis, videlicet, ſenſus communis, imaginatiua, æſtimatiua, ſeù cogitatiua, & memoria.

Nam

Nam ſecundùm iſtos imaginatiua idem eſt, quòd phantaſia.

Quinquè tandem ab Auicenna, Algazello, Alberto, & quibuſdam alijs, præcipuè Medicis, nempè ſenſus communis, imaginatiua, æſtimatiua, ſiuè cogitatiua, phantaſia, & memoria.

407 *Quorum organum remotum eſt cor propinquum eſt cerebrũ.*

Harum autem potentiarum organum remotum eſt cor, vt ait Ariſtoteles: quia hoc eſt primum viuens, à quo deriuantur ſpiritus vitales ad cerebrum. Propinquum verò eſt cerebrum, in quo, teſte Galeno, immediatè reſidet ſenſus internus; & à quo manant ſpiritus animales, qui neceſſarij ſunt ad functiones ſenſuum ſiuè exteriorum, ſiuè interiorum; & per neruos ab ipſo cerebro oriundos ad ſenſus exteriores profluunt, vt artis anatomicæ profeſſores conſtantiſſimè docent. Exiſtunt verò iſti ſenſus interni, ſeù internæ potentiæ in medulla: quia mollitudo aquea medullæ cerebri plurimùm accommodata eſt internorum ſenſuum functionibus, quæ medulla in tot cerebri cellulis iuxta numerum potentiarum à Doctoribus aſſignatarum continetur.

§. III.

408 *Quibus cum dæmones careant, in eos res naturales agere nõ poſſunt actione intentionali phantaſtica.*

CVm autem organum internarum potentiarum ſenſitiuarum, ad quas terminatur actio phantaſtica intentionalis, ſit corporeum, quis affirmare præſumat, res naturales agere poſſe in dæmones actione intentionali phantaſtica? Vbi enim in dęmonibus cor, quod eſt primum viuens, & fons omnium vitalium operationum? Vbi cerebrum, in quo immediatè reſident ſenſus interni, ſi dæmones ſunt ſubſtantiæ purè ſpirituales incorporeæ? Vbi medulla, in qua exiſtunt huiuſmodi potentiæ? Vbi cellulæ, in quibus contineatur illa medulla, ſi ſunt totaliter immateriales, & ab omni materia defæcati? Quomodo poterunt res ſenſibiles actione phantaſtica mouere potentias dæmonum ſenſitiuas interiores, ſi huiuſmodi potentiarum ſunt expertes?

409 *Explicatur prę allegata B. Dionyſij auctoritas.*

At quis ignorat, ſi medullitus B. Dionyſij mentem attendunt, quòd ipſe dæmonibus aſcribit *Phantaſiam proteruam:* quia totam intentionem, & cunctas operationes ad homines decipiendos, & vexandos proteruè, ideſt, ſuperba ferocitate, & crudelitate dirigere ſtudioſè conantur? Non autem, quia habeant potentiam corporali organo alligatam. *Concupiſcibilem amentem:* non quia cognitionis ſint expertes; ſed quia vehementiſſimè tanquam amentes ſine fræno, & retinaculo rationis, quaſi vehementi curſu concitati ad quælibet nociua ſeipſos præcipitare ſolent? *Iraſcibilem furioſam:* quia contra omnia bona impetuoſè iraſcuntur: non ex ignorantia; ſed ex peruerſiſſimo prauæ voluntaris appetitu?

Cum ergo dæmones potentiarum ſenſitiuarum, ſiuè externarum, ſiuè internarum ſint expertes, vt potè incorporei, ſimplices, ab omni materia alieni, ac ſeparati, quibus res ſenſibiles ſeipſas per ſpecies ſenſibiles, ac phantaſticas repræſentare nequeunt, eaſquè mouere ad producendas ſenſationes: vel internas notitias ſenſitiuas; nobis indubitanter aſſerendum, res ſenſibiles in dæmones actione intentionali tàm ſenſibili, quàm phantaſtica nullatenus agere poſſe.

ARTICVLVS III.

Intelligibili.

§. I.

CVm res ſenſibiles in dæmones ſiuè actione phyſica: ſiuè intentionali ſenſibili, & phantaſtica agere non valeant, Si in eos aliqua rerum ſenſibilium poteſt aſſignari actio, eam nonniſi intelligibilem eſſe, neceſſe eſt. Quod facilè probari poteſt tum ex parte ipſius actionis intentionalis intelligibilis, tum ex parte potentiæ intellectiuæ, quæ eſt terminus huiuſmodi actionis intelligibilis. 410 *Res naturales agere valent in dæmones actione intentionali intelligibili. Probatur ex parte Actionis intẽtion. intelligibilis.*

Si enim actionem attendas intentionalem intelligibilem formaliter acceptam, inuenies, *eſſe reſpectũ, ſeu relationem obiecti mouentis ad potentiam intellectiuam motam per ſpeciem intelligibilem ab obiecto, ſeù à re ſenſibili emiſſam; & in ipſa potentia intellectiua receptam.* Si verò materialiter conſideratam; nihil aliud reperies, quàm *ſpeciem intelligibilem quæ eſt imago, & ſimilitudo rei ſenſibilis; ſed per intellectum agentem abſtracta ab ipſa re ſenſibili; vel à phantaſmate, & recepta in intellectu poſſibili:* ex qua ſpecie intelligibili, & intellectu poſſibili producitur intellectio. Sic res ſenſibilis dicitur agere in intellectum humanum; vel angelicum prout per ſpeciem intelligibilem illum mouet, in eo recipitur, & habet eſſe; ſed alio modo, quàm in ſe habeat. In ſeipſa enim habet eſſe materiale, & naturale; In intellectu verò hominis, vel Angeli ſpirituale, & intentionale.

Si autem potentiam conſideres intellectiuam, agnoſces *illam actionis intelligibilis eſſe terminum*, ſiuè vnita ſit corpori; vt intellectus hominis viatoris; ſiuè ſeparata à corpore, vt intellectus Angeli, vel dæmonis, vel animæ ſeparatæ. *Potentia intellectiuę terminãtis talem actionem.*

§. II.

VIs illam contemplari vnitam corpori? Vides in ea requiri Primò ſpeciem phantaſticam, ſeù phantaſma iam receptum in ſenſu interiori, quia pro ſtatu iſto *nihil recipitur in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*; puta in ſe, vel in ſuo ſimile, teſte Ariſtotele *lib. de ſenſu, & ſenſib.* Secundò intellectum agentem, qui in lumine ſuo ſpeciem phantaſticam, ſeù phantaſma, quod eſt materiale, & ſub conditionibus indiuiduantibus, illuſtrans, & depurans, eleuat, & tráſfert de ordine ſenſibilium, & materialium ad ordinem intelligibilium, & ſpiritualium, producendo ſpeciem intelligibilem, in qua communis natura repræſentatur exuta differentijs indiuidualibus; manetq; à ſolo intellectu perceptibilis. Tertiò intellectum poſſibilem, qui non eſt potentia diſtincta realiter, vel formaliter ab intellectu agente, vt eruditè docet Seraphicus Doctor S. Bonauentura *in 2. ſent. d. 24. art. 2. q. 4.* Sed dicit tantùm quandam differentiam ratione ſuæ operationis; conuenit tamen inſeparabiliter cum intellectu agente in vnam completam operationem, & actum intelligendi. Idcircò intellectus, dum recipit in ſe ſpeciem intelligibilem, dicitur paſſibilis; quia quodam modo à tali ſpecie patitur; & per conſequens illa agere dicitur in intellectum, dum illum mouet; in eoquè recipitur. 411 *Siuè potentia ſit vnita corpori.*

§. III.

Siuè à corpore ſeparata.

412 Vis illam à corpore conſiderare ſeparatam? Loquendo de cognitione veſpertina, qua res cognoſcit in ſuo proprio genere, nonnè vides, oportere, rem ſenſibilem præſentem eſſe in debita diſtantia intellectui, qui ſpecies ſingularium per intellectum agentem abſtractas, in ſe acquirat, & in intellectu potentiali recipiat; ſicquè cauſetur cognitio ſingularium, & actualis eorum exiſtentiæ: & accidentium, quæ exiſtentiam conſequuntur? Loquendo tamen præciſè de intellectu angelico, qui habet quidditates vniuerſales omnium rerum, cognoſcit ſingularia, & contingentia Vel per acquiſitionem ſpecierum illa repræſentantium: vt docet Scotus *in 2. diſt. 3. q. 11.* Vel per applicationem ſpecierum vniuerſalium, quas illi appropriant: vt ſentit D. Bonauent. *in 2. d. ead. part. 2. art. 2. q. 1.* De quibus latè ſupra *tom. 1. diſp. 2. n. 188.*

Oſtenditur, ſub qua ratione res naturales agant in dæmonis Intellectum, ac Voluntatem.

413 Sed vtut agnoſcant Angeli, ſiuè boni, ſiuè mali ſingularia contingentia, neceſſe eſt, huiuſmodi ſingularia, ſeù res ſenſibiles agere in intellectum angelicum per ſpeciem intelligibilem, dum per eam ipſum mouent, & in eo recipiuntur; quæ quidem actio nonniſi intentionalis intelligibilis nuncupatur.

At quid nobis proderit noſſe, quomodo res naturales actione intentionali intelligibili agant in dœmonis intellectum, ſi ignorauerimus, ſub qua ratione moueant eius voluntatem ad odium, iram, fugam, & triſtitiam; ità quòd ab obſeſſo diſcedere cogatur, vertaturquè in fugam, quod eſt præcipuum, ac primarium in hac ſecunda parte huius diſputationis nobis propoſitum?

§. IV.

Quidam aiunt, vt inſtrumẽta diuinæ iuſtitiæ operari in illos.

Dicunt ergo plures Doctores tum ex antiquis, tum ex recentioribus, imò ferè omnes in hoc conueniunt, quòd ſi illæ res ſenſibiles, puta, ſulphur, ruta, ignis, & cætera huiuſmodi piè, ac deuotè adhibeantur, tanquam inſtrumenta diuinę Iuſtitiæ agere in dęmones, cunctaquè veneficij opera deſtruere.

Sed hoc non probatur.

Verùm hoc probari deberet, videlicet, quòd Deus talibus rebus, vt inſtrumentis vti velit; & quòd vnquam promiſerit, per res naturales eos ſe editurum effectus, qui rerum excellunt naturalium vires. Non enim ſunt ſacramenta, aut ſacramentalia: idcircò non tenemur credere, Deum rebus huiuſmodi virtutem hanc dediſſe ſupernaturalem.

§. V.

Alij dicunt, prout præsẽtãtur in intellectui diſconuenientes, contriſtari voluntatẽ, & fugere ab eis.

414 Alij fortaſſe Theologi de his ſenſibilibus ſtatuerent ſicut *in 4. ſent. d. 44.* de igne infernali cruciante, & affligente animas, concludunt.

Quemadmodum, nèmpè, ſpiritus cruciantur in ignem, ex hoc, quod apprehendunt ignem eſſe ſibi ipſi diſconuenientem; ità quòd ex tali aqprehenſione, qua apprehendunt ſic ignem ſibi diſconuenientem, cauſatur triſtitia in eis. Eodem modo etiam illæ res ſenſibiles, vt ſulphur, herbæ amaræ, & alia id generis præſentantur dęmonum intellectui tanquam res diſconuenientes; aguntquè in ipſos actione intẽtionali, quatenus ſua ſpecie intelligibili mouent intellectum dęmonum, qui eas apprehendit, vt ſibi diſconuenientes; & vt tales voluntati ab intellectu oſtenduntur, quę idcircò dolet, ac triſtatur, donec dęmones ad fugandã triſtitiã, recedũt à tali obſeſſo.

At iſte modus non ſubſiſtit.

Sed hic modus ſubſiſtere non videtur, eò quia nulla res mundi corporea datur, quæ ſit diſconueniens voluntati, vel ſpiritui; Nam omnis res corporea eſt conueniens voluntati, ac ſpiritui, ſi placeat ipſi. Nemini autem ſcienti eſt ignotum, eſſe in poteſtate volũtatis, ac ſpiritus, vt quælibet res ſibi placeat, vel diſpliceat, ac per conſequens ſibi ſit cõueniens, vel diſconueniens, conueniens quidem, ſi voluntas amet; & diſconueniens ſi voluntas eam nolit, ac odio habeat. Nonnè vides aliquos ſeruos Dei tanta humilitate creſcere, quòd abhorrent, ac odio habent diuitias, dignitàtes, ac honores tanquam ſibi diſconuenientes; quos ſuperbi, ambitioſi, & elati arroganter tanquam ſibi conuenientes concupiſcunt, ambiunt, atquè perquirunt? E conuerſo iſti afflictiones, moleſtias, indigentias, iniurias, atquè calumnias fugiunt, abhorrent, ac deteſtantur, vt ſibi diſconuenientes; quas veri ſerui Dei, & imitatores Ieſu Chriſti amant, concupiſcunt, & requirunt; de eiſquè vt ſibi conuenientibus gaudent, & gloriatur, vt notum eſt de Paulo Ap. qui 2. ad Cor. 12. dicebat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Nec ipſe ſolus; ſed cuncti *Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu Concilij,* vt habetur *Act. c. 5. quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Nulla ergo res ſenſibilis ex natura ſua videri poteſt dęmoni diſconueniens; ideòquè ab illa affligi nequit, eò quòd illam tanquam ſibi diſconuenientem apprehendat.

§. VI.

Modus rationabilior proponitur, & probatur à Scoto Ratione, ac Conguentia.

Rationabilius ergo videtur exiſtimandum cum Scoto noſtro *in 4. ſent. d. 44. q. 3.* quòd illæ res 415
ſenſibiles non ſint diabolico intellectui ex natura ſua diſcõuenientes; ſed quatenus à dęmone ſunt notitæ. Malignus enim ſpiritus illas res corporeas, puta ſulphur, herbas amaras, aliaquè id generis ſenſibilia apprehendit tanquam inſtrumenta, quibus vtitur Exorciſta in dęmonis deſpectum, & ludibrium; non quòd ſint inſtrumenta diuinæ iuſtitiæ, vt ſupra improbatum eſt, ſed prout Exorciſta illis vtitur tanquã inſtrumentis irriſiuis, & afflictiuis. Ideò cum inter vniuerſos filios ſuperbiæ dęmon ſit ſuperbiſſimus, ſuperbia illum mouet, incitat, & prouocat ad nolendum id, quod apprehendit fieri in ſui ludibrium, & deſpectum. Propter enim ſuperbiam ab ortu natiuitatis ſuæ malignus ſpiritus ſe tanti æſtimauit, quòd æqualis voluit eſſe Deo. Cũ autem agnoſcat, ſe contemni, ac ludibrio haberi; proquè maiori contemptu res corporeas, ac fętidas energumenis applicari, nõ vult tales iniurias, ac ludibria; in qua nolitione in ipſo ſequitur triſtitia, quæ ſecundùm D. Auguſt. *lib. 14. de Ciu. c. 15. eſt diſſenſio in his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.* Quæ pręcipuè inſurgit, dum illi proponuntur ea, quę afflictionem ferendarum in inferno memoriam ſuggerunt, vt ſulphur, ignis, ac rutæ fumus, Sulphur enim cum igne, & fumo monumentũ eſt carceris infernalis, vt habetur *Apoc. 9. De ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur. Et c. 14. Qui adorauerit beſtiam, & imaginẽ eius, cruciabitur igne, & ſulphure. & c. 20. Deſcendit diabolus, qui ſeducebat eos, & miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, & beſtia, & pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte.* præcipuè dicendo illa verba *pſ. 10. Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Ruta etiam rememoratiua eſt amari cruciatus Chriſti, ac ſanctæ Crucis, cuius formam in omni ſua parte repreſentat: Sicut etiam thus, ſeù incenſum in igne orationes ex charitate prodeuntes, vt dicitur *pſ. 140. Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in* con-

conſpectu tuo. Quæ omnia cum dæmones valdè abhorreſcant, deteſtentur, ac nolint; ex hac nolitione, ac deteſtatione in eis exoritur triſtitia, quam vt à ſe excutiant, poteſt eſſe, vt quandoquè in fugam ſe vertant, ac obſeſſos totaliter derelinquant.

§. VII.

416 Veruntamen cum huiuſmodi ſenſibilia tàm phyſica actione directè, ac indirectè; quàm ſenſibili, ac phantaſtica in dæmones nequeant agere; eò quòd dæmones ſunt ſubſtantiæ incorporeæ ſimplices, & inextenſæ non ſolùm in ordine ad locum; ſed etiam in ordine ad totum, cuiuslibet paſſionis ſenſitiuæ externæ, & internæ expertes, potiùs energumenos, quàm dæmones torquere, & affligere, incomperto eſt: vt latè oſtenſum eſt ſupra *huius diſput. num.* 371. Et licèt aliquo modo actione intentionali intelligibili in dæmonibus poſſint cauſare triſtitiam per ſpeciem intelligibilem primò mouendo intellectum, deindè voluntatem, prout ab intellectu ei, vt in contemptum, ac ludidrium ipſorum exhibita, obijciuntur. Attamen non ità facilè eſt credendum, per rutam, ſulphur, & id generis ſenſibilia, eò quòd paſſionis Chriſti: vel pænæ gehennalis ſunt rememoratiua, dæmones velle ab obſeſſis corporibus exire. Nam qui non timent figuratum, quomodo figuram pertimeſcent? Praxis enim docet in dies, etſi Exorciſtæ dæmonibus obijciant Chriſti Crucem, ſanguinem effuſum, mortem ipſius, ac reſurrectionem, cæteraquè myſteria paſſionis eius, quibus dæmones profligauit, ſuperbiam eorum deiecit, caputquè draconis confregit infernalis: Etſi inferni pænas minentur, ac proteſtentur, quòd ibunt in profundum inferni, in loca pænarum magnarum; nihilò tamen exhorreſcunt. Quid ergo pauebunt rutam, ac ſulphur ratione ſignificati, ſi ſignificatum, ac myſterium ipſum paruipendunt? Satius ergò, & conſultius erit, ſi poſthabitis his ſenſibilibus, toto conatu remedijs ſpiritualibus incumbant; vt latiſſimè infra *diſp.*4.

Cõcluditur, res ſenſibiles potiùs energumenos, quã dæmones torquere.

Ideò ſatius eas relinquere, & remedijs ſpiritualibus incumbere.

CAPVT II.

In Hominibus.

417 Nemini ſanè mirandum, res naturales directè, vel indirectè phyſica actione, & intentionali ſenſibili, ac phantaſtica in dæmones agere non poſſe: cum ibi tanta ſit diuerſitas naturæ, ſubſtantiæ, modi, ſitus, ſtatus, virtutis, & operationis. At hæc, cum inter eas, & homines, qui corporei ſunt, non inueniatur; facillimè in eos ſenſibilior, & efficacior illarum erit operatio; quarum auxilio ægroti ſicut in cæteris morbis naturaliter immiſſis iuuari quotidiè ſolent; ità videtur etiam curari poſſe in infirmitatibus, quæ ſupernaturaliter ope dæmoniaca excitantur. Quare videndum, quid operentur in hominibus maleficio affectis vel ad morbum tollendum: vel ad mitigandum. quod duabus ſectionibus declarabitur.

Res naturales eũ phyſica actione in homines agere poſſint, videndum, quid operentur in Ad morbum tollendũ & ad morbum mitigandũ.

SECTIO I.

Ad morbum tollendum.

Innumera equidem, & mira ſunt naturalia medicamina, ſeù res naturales tam ſimplices, quàm compoſitæ, quibus per os ſumptis, vel exteriùs tantùm adhibitis cæca vi, ac ſpecifica proprietate morbi perfectè ſanari, ac tolli dupliciter poſſe videntur, prout ſunt immediatè excitati: Aut Naturaliter: Aut Supernaturaliter, vt duobus articulis explicabitur. 418

Rebus naturalib. morbi videntur poſſe ſanari dupliciter Naturaliter, Supernaturaliter.

ARTICVLVS I.

Naturalem.

§. I.

Qvamuis ſine medijs naturalibus dæmon vt plurimùm ſola ſua potentia, ac virtute homines & animalia, & plantas, &c. lædere ſoleat, nempè, cum ſagæ, metu ne deprehendantur, rem aggredi nolunt: vel ſe eam expedire non poſſe pro voto putant; totam executionem ipſi committunt. Ea nihilominus aliquandò adhibere conſueuit, dum malefaciendo operatur; vt ſic omnes creaturæ ſuperæ, mediæ, infimæ, videlicet, dæmones, malefici, res naturales in maleficijs concinnandis vnanimi conſpiratione cooperari videantur. 419

Rebus naturalib. dæmon vtitur ſæpiſſimè.

Has autem res naturales aliquando dęmon vult adhiberi à maleficis non tantum vt cauſas morales ſed etiam vt naturales, quæ nocendi vim inditam habent à natura; & naturaliter agunt in corpora; quibus vel ingeruntur interiùs, vel applicantur exteriùs, vt latiſſimè ſupra *tom.* 1. *diſputat.* 4. Nouit enim rerum omnium, quæ vniuerſa mundi machina, & ambitu continentur, vires, ſympathias, antipathias omnibus ignotas, ipſi notiſſimas. Ideòquè illas ſeligere ſolet, quæ optatum effectum producere poſſunt. Si perturbationes in animo excitandæ, & morbi in corpus immittendi, ſcit, quæ res naturales phantaſma commouere, turbare imaginatiuam; inſanias, & deliria cauſare valent: quæ humores vitioſos agitare, inquinare ſpiritus animales, detrudere neruos, & generare paralyſim, epilepſiam, apoplexiam, lethargum, ſpaſmum, ſiuè conuulſionẽ, catarrhum, febres phreneticas, cæteraſquè infirmitates. Nouit, quomodo aptè applicari debent; cum optimè ſciat, quid vniuſcuiuſque valetudini noxiũ: aut commodum ſit: quo loco, tempore, circumſtantijs, debeant adhiberi: qua arte corporibus vel ſecundùm totam ſubſtantiam, vel ſecundùm ipſarum partem ſpirituoſam; & maximè efficacem clam ingerendę ſint; quęnam morbum, & dolorem in aliqua corporis parte determinata alijs læſis, alijs illæſis excitent, cum multa ſint venena, quæ à tota ſubſtantia lędendi habet facultatẽ, vt Medici eſt manifeſtũ. Idcircò, experientia teſte, præcipuè immittere ſolet in corpus, quæ apta ſunt ad humorem melacholicũ hypochondriacum excitandum. Congregat enim bilem retorridã, ſeù atram, & ſiccam, quæ ſenſim circum præcordia cumulatur; quam & natura nec per aluũ, nec per vomitionem tẽpeſtiuè expurgare valet quæ ventriculi concoctionem ſic offendit, vt eorum, quæ aſſumuntur, partem maximã vertat in flatus, qui & ructu, & diſtenſione plurimùm fatigant; ſed ex eo

Nedum vt cauſis moralib. ſed etiã vt cauſis naturalibus.

Ac ſeligit quas nouit aptas ad malũ inferendũ.

420 *Præcipuè ad humorẽ melancholicum excitandum.*

humore aduſto, ac retorrido vapor nebulæ ſimilis crebrò ſurſum irrepens in cerebrum, metum, mæſtitiam, variaquè terriculamenta, & viſorum oſtenta parit. vt benè docet Ioannes Fernelius Medicus Pariſienſis *lib. medicinalium conſil. de melancholia hypocondriaca. conſil.* 44.

§. II.

Quia Difficilè curatur. Varias generat infirmitates incurabiles.

HVnc autem humorem melancholicum dæmon præcipuè excitat, non tantùm quia difficiliter eradicatur; cum ex ſui natura inobediens, & rebellis dicatur euacuantibus; maximè ſi ab aliqua cauſa ſiuè intrinſeca: ſiuè extrinſeca ſuſtentetur. Verùm etiam, quia hic humor aptior eſt ad generandas diuerſas infirmitates, & incurabiles. Nam ſi ſupra modum ſit exuſtus, & verſetur circa ſubſtantiam, & membranas cerebri, furorem parit. Si circa ventriculos, apoplexiam. Si circa originem neruorum, conuulſionem. Si circa oculos, cæcitatem. Vndè Galenus *3. de locis affectis c.7.* ait: *Vbi in ipſo cerebri corpore melancholicus ſuccus abundat, eam inſaniæ ſpeciem, quam Græci vocant melancholiam, efficit; quo fit, vt neque ſubitò: neque affatim ſoluatur.* Nam totius ſubſtantiæ cerebri temperies mutatur; generatquè rabiem lupinam, & caninam, phreneſimquè, & amorem inſanum cum diuerſis affectibus. Occupat inſuper melancholia potentias principales, & nobiliores: vt mentem confundit; obſcurat intellectum, & memoriā: turbat rationem, & iudicium. Vndè Auicenna *lib.3.Fen.1.tract.4.c.18. Melancholia, ait, eſt mutatio exiſtimationum, & cognitionum à curſu naturali ad corruptionem, & timorem, & ad malitiam propter complexionem melancholicam facientem pauidum, & triſtem cerebri ſpiritum interiùs propter tenebras ipſius.*

421 At ſi huiuſmodi infirmitates à dæmone inductæ per res naturales, puta, venena: aut venenatas potiones, vel id generis in corpora immiſſa, à perito Medico agnoſcantur; nec dæmon amplius malefaciendo aſſiſtat; ſed ſpontè, vel coactè per exorciſmos, præcepta eccleſiaſtica, vel alia remedia ſpiritualia, de quibus infra *diſp.* 4. ab ægroto totaliter receſſerit; quis non fateatur, poſſe vtiquè Medicum remedijs naturalibus hoſce curare morbos? Quæ enim mediantibus cauſis naturalibus proueniunt, mediantibus contrarijs eiuſdem ordinis tolli poſſunt.

Quæ à Medico per medicinas tolli poſſũt, ſi eas nouerit, ſi dæmon nocere ceſſauerit. Practicatur In humore melancholico.

Detur igitur aliquis affectus humore melancholico hypochondriaco à dæmone excitato; ceſſet dæmon ſpontè, vel coactè talem cauſare, & excitare morbum; & cauſæ naturales huiuſmodi melancholiam efficientes ſua duntaxat naturali virtute operentur; accedat Medicus peritus, qui talem ægritudinem conſideret; nonnè per indicationes curatiuas à morbo, à cauſis morbificis, à viribus totius, & partis poterit agnoſcere: quomodo ventriculus calefaciendus, & exſiccandus cum capite, & vtero: hepar refrigerandum, & humectandum cum appropriatis: materia pituitoſa prædominans calefacienda, & exſiccanda prout peccat ſecundùm primas qualitates: humor melancholicus ſubdominans præparandus cum calefacientibus, & humectantibus, bilioſus poſtea ſubdominans refrigerandus, & humectandus: materia craſſa, & viſcida, tum pituitoſa, tum melancholica incidenda, attenuanda, & abſtergenda: materia bilioſa tenuis incraſſanda, & alia id generis adimplenda, quæ ad humores præparandos, purgandos, & euacuandos, parteſquè læſas roborandas maximè conducunt, de quibus late, & eruditè Ferdinandus Salandus Medicus, & Philoſophus ciuis Bergomenſis *tract. de Melancholia;* & Ioannes Fernelius *lib. Medicinalium conſilior. conſilio 43. & 44. de Melancholia hypochondriaca.* Nonnè poterit per medicamina huiuſmodi præparantia, euacuantia, ac corroborantia ægroto priſtinam reſtituere ſanitatem?

§. III.

ÆGrotet quis paralyſi ex maleficio per cauſas naturales inducta; deſinat dæmon maleface- 422 *Paralyſi*
re; ita vt illæ naturales cauſæ paralyſim efficientes non amplius à dæmone excitentur; ſed ſua tantùm vi propria operentur: Nonnè Medicus in ſuis pharmacopæis, vel medicis inſtitutionibus inueniet: quòd paralyſim corrigunt radix chinæ, pyrethrum, decoctum radicis helenij potum, primula veris, bitumen, ſyrupus de ſtæchade, ſyrupus anthos, conſerua meliſſæ, & ſaluiæ, oleum vitrioli, balſamum D.Euonymi, balſamum Meſuæ, balſamum Hollerij, balſamum Florentinorum, balſamum Mirabile, vnguentum Martiatum, aqua theriacalis, clareta, hiera diacolocynthidos, pilulæ de nitro, oleum Keirinum, oleum de caſtorio. Quid ergo, ſi clarè, ac ritè ægritudinis cauſam perſpectam habuerit, eum prohibet, ea ex his ſeligere medicamina ſiuè intrinſecè, ſiuè extrinſecè exhibenda, quæ magis apta ſunt tollere talem morbum iuxta varietatem temporum, ætatum, ſexuum, virium, & corporis diſpoſitionum? Nonnè per huiuſmodi alexipharmaca, ſeù res naturales conſultiſſimè adhibitas ægrotus à paralyſi liberari poterit? quis ibit inficias?

§. IV.

LAboret quis lethargo ex maleficio per cauſas 423 *Lethargo.*
naturales inducto; ceſſet dæmon penitus huiuſmodi naturales excitare cauſas. In confeſſo eſt apud Medicos, teſte Renodæo *lib. Inſtit. pharmaceutr. in indice morbor. & remedior.* quòd lethargum curant Embroche, ſacculus, ſerpillum, caſtorium, mel anthoſatum, aqua theriacalis, clareta, hiera picra cum agarico, hiera Pachij, hiera diacolocynthidos, pilulæ de agarico, oleum de Euphorbio. Sic contra alios morbos ſua deſcribuntur remedia naturalia talibus morbis contraria, quibus ſi ritè, ac conſultè applicentur à perito Medico, vtiquè poterunt tales morbos curare, ac perfectam ægroto reſtituere ſanitatem: dummodo dæmon totaliter deſierit ægrotum vexare, & ægritudinis quaslibet excitare rationes.

Sic intelligendum id, quod ait Ricardus de Mediauilla *quodlib.3.q.8. Si moleſtia, quæ à dæmone infertur, ſit parua, ac leuis, eam per res naturales exteriores penitus auferri poſſe, non in dæmonem agendo; ſed in dæmoniacum; cum ex rebus illis adhibitis introducatur diſpoſitio oppoſita illi, quam immiſit, vel expetit. Et ſic contingere poſſe aliquando, quòd diabolo non permittatur, hominem vexare niſi vexatione ita parua, ac debili, quæ per aliquam fortè diſpoſitionem ad contrarium totaliter tolleretur: verbi gratia, diabolus quandoquè poſſet hominem vexare paſſione triſtitiæ ita debiliter, quòd per aliquas herbas vel harmonias cauſantes dilatationem cordis, & ſpirituum diffuſionem, qui ſunt motus contrarij triſtitiæ totaliter amoueretur illa triſtitia.* Hæc Ricardus.

Verum ergo dicit Ricardus, quòd ſi introducatur diſpoſitio oppoſita illi, quam dæmon immiſit; ægro-

ægrotus priſtinam poterit conſequi ſanitatem, dummodo dæmon penitus ceſſauerit vexare ægrotum;& in eo vllam morbi excitare diſpoſitionem. Similiter ſi vexatio diabolica ſit valdè debilis, per contrariam diſpoſitionem impediri poteſt, nè ſentiatur vexatio, quandiù durat actu contraria diſpoſitio. Veruntamen contraria diſpoſitione euaneſcente, iterum priſtina ſentietur, ac percipietur vexatio: quia manente cauſa primaria morbi, nempè, dæmone, qui diſpoſitionem excitat, ſemper manet vexatio. Remota verò cauſa primaria, qui diſpoſitionem excitat, poterit illa diſpoſitio vt naturalis per naturales medicinas penitus auferri.

§. V.

Probatur Experientia

424 EXperientia hoc docet in dies in multis ægrotis, quorum ægritudines partim ſunt naturales; & partim præternaturales. Naturales prout proximè, & immediatè à cauſa proxima naturali, à rebus, nempè, naturalibus prouenire dignoſcuntur. Præternaturales prout remotè, & mediatè à dæmone originantur, qui per ſe, vel per maleficos venena, vel alia huiuſmodi noxia interiùs, vel exteriùs adhibendo varias in corpore excitat infirmitates. Vndè ſi infirmi præter exorciſmos, præcepta eccleſiaſtica, aliaquè id generis remedia ſpiritualia à perito Exorciſta adhibita ad cauſam tollendam præternaturalem, confugiant quoquè ad Medicos, qui ſuis pharmacis vitioſos compeſcere humores, cauſas morbi auferri naturales contendant, facillimè optatum conſequuntur ſanitatem.

Exẽplis.

Quod egomet aliquoties ſum expertus in aliquibus ægrotis, qui, vt per remedia ſpiritualia ſanitatem obtinerent ad me acceſſerunt. Præcipuè hoc probaui in territoriò Bergomenſi Anno 1645.

Adoleſcentula quædam cæpit in ſtomacho, & in capite maximum ſuſtinere dolorem cum cordis, ac oris ſtomachalis conſtrictione, ſibiquè bolum ſuper ſtomachum ad guttur vſquè aſcendentem, ac deſcendentem habere videbatur: cibi appetitus ab ea totaliter receſſerat; ventriculum ità malè affectum habebat, vt niſi cum maxima difficultate cibum valeret aſſumere; idcircò in eius corpore creſcebat quotidiè quædam extenuatio, macies, virium imbecillitas, ac melancholia. Pluries adhibui remedia ſpiritualia; & quoties ſuper eam inuocaueram nomen Ieſu cum ſigno crucis, ac præcepto dæmoni facto, ne illam perturbaret, ceſſabat dolor capitis, ac ſtomachi; ac ſana, hilariſquè indè recedebat. Sed iterum ſequenti die iiſdem afficiebatur afflictionibus; quinimmò acceſſit quædam febris lenta; ideòquè iteratis benedictionibus immediatè à dolore ſtomachi, ac capitis libera permanebat; ſed non à febre; nequè poterat adhuc cibos appetere. Quare eius conſului parentibus, vt Medicum acccerſerent; quo peracto, adhibitis nonnullis alexipharmacis cum ſanguinis miſſione, diuino opitulante Numine, priſtinæ reſtituta fuit ſanitati.

Eodem anno, ac territorio idem cuidam Iuueni ruſtico, qui dum cuidam graui oneri humera ſupponeret, ſentijt in dorſo quendam punctorium dolorem; ſed nocte ſequenti nedum in dorſo; ſed circumquaquè magno afficiebatur dolore, ac ſibi videbatur particulas corporis veluti nexibus habere ligatas: ad me acceſſit, cui adhibitis benedictionibus ſacris, factoquè ſigno crucis, ſtatim liber euaſit ab omni dolore, eo excepto, quo à principio fuit affectus in dorſo, ſed iterum poſt tertiam horam noctis iiſdem doloribus, & nexibus corripi, ac ligari ſentijt, ſuper quem ſacris iteratis benedictionibus, denuò dolores receſſerunt, & nexus, excepto illo primo. Idcircò illi conſului Medicum adire, quo facto, ſumptoquè pharmaco à me priùs benedicto, optatam obtinuit ſanitatem.

Alij ſimiles euentus tum in territorio Bergomenſi, tum Venetijs, tum in Diœceſi Cenetenſi, & alijs locis experimento comprobaui; ex quibus facilè comperi, dæmonem ſub naturalibus infirmitatibus quandoquè virus ſuum occultare, vt Exorciſta non cognita eius aſtutia, à corporum obſeſſione, ac vexatione nequeat deturbari.

§. VI.

QVare, cum dæmon, vt creaturas Dei in odium 425
traducat; ipſequè faciliùs lateat, morbis ſe quandoquè miſceat naturalibus: vel morbos excitet per res naturales, puta, per venena intrinſecus, vel extrinſecus adhibita, Exorciſtæ diligentiſſimè eſt animaduertendum; nè feſtinanter, ac præcipitanter ſuo iudicio: vel ipſorum afflictorum dictis acquieſcat; qui ne pecunias impendant in ſoluenda Medico mercede, libentiùs, ac faciliùs ad Exorciſtas confugiunt: quos ſciunt ſuum gratis præſtare auxilium: Sed circumſpiciat cautè, ac prudenter ſingula perpendat; ac præter ſigna, de quibus infra diſput. 4. etiam de cauſis naturalis ægritudinis interroget, de quibus in fine huius diſputationis agitur: & ſi fortaſsè malum deprehendat ab humoribus peccantibus cauſari: & omninò eſſe naturale: vel à dæmone per cauſas immiſſum naturales, ſuadeat ægrotis, ad Medicos peritos ſuum habere recurſum.

Concluditur, Exorciſtas ægrotis conſulere debere, vt Medicos aduccent cum dubitãt ægritudinẽ à cauſa naturali procedere.

Sæpè tamen ex accidenti, & adiunctis circum- 426
ſtantijs contingere poteſt; quòd ars Medicorum non ſufficiat, vt potè ſi venenum fuerit validiſſimum; ità vt ſtatim totius corporis diſpoſitionem inuaſerit: Aut ſi nimis diù expectatum fuerit ante quam Medicorum cura ſit adhibita, iuxta illud Ouidij *lib. 1. de remedio amoris:*

Aliquando tamẽ non ſufficit ars medicorum.

Principijs obſta ſerò medicina paratur
Quàm mala per longas inualuere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas.

Aut ſi ſubiectum veneficijs infectum ità ſit debilis complexionis, quòd medicinas vſquè ad debitam operationem retinere nequeat ſecundùm illud eiuſdem Ouidij 1. *Pont.* 4.

Non eſt in Medico ſemper releuetur vt æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

Atquè hoc etiam perpendẽdum, quòd noſtri malefici, & ſagæ frequentiſsimè vtuntur venenis mirificè à dæmone præparatis, & porrectis, quæ ſine dubio efficacioris ſunt operationis, quàm ea, quæ præparantur arte, & induſtria humana. Quæ venena ſolet dæmon non raro in congregatione finita chorea diſtribuere; vt ex multorum confeſſione didiciſſe fatetur Binsfeldius *Comment. in Tit. C. de malef. & math. q. 6. concl. 2.*

ARTICVLVS II.

Præternaturalem.

§. I.

Morbus ſupernaturalis per ſuper naturalia remedia tolli poteſt.

427 CVm admodum vulgata ſit apud Iuriſperitos *ff. de Regulis iuris L. nihil.* ſententia illa: *Nihil eſt tàm naturale, quàm eodem genere quicquam diſſolui, quo colligatum eſſe reperitur*: quemadmodum morbi per naturales cauſas inducti, nec à ſupernaturali cauſa excitati, etiam per naturalia pharmaca poſſunt auferri, ſi Medicus huiuſmodi cauſas agnoſcat; ac medicamina ad talem morbum tollendum apta non ignoret: ſitquè ità diſpoſitum ſubiectum, quòd medicinas vſquè ad debitam operationem retinere queat. Ità ſi morbus ſit præternaturalis, puta, à dæmone excitatus, nonniſi per remedia præternaturalia, aut ſupernaturalia tolli poſſe, nemo eſt qui ambigat.

Probatur. Auctoritate Codronchi.

Hanc veritatem apprimè commendat Baptiſta Codroncus Medicus doctus, ac pius *lib. 4. de morb. venef. cap. 2.* ſic diſcurrens: *Experimur, remedia naturalia his morbis nihil prodeſſe; & Medicos fruſtra laborare in huiuſmodi affectibus curandis. Quamuis enim ipſi intemperies adimere, & obſtructiones aperire, noxios humores educere, & alia munia obire ſtudeant; dæmones tamen omnes Medicorum conatus irritos reddunt; cum non ſinant medicamenta effectus ſuos ſortiri. Vel morbos continuè foueant, & cauſas eorum adaugeant. Homines etenim, cum ſint inferiores virtute, eorum operationes duntaxat virtute naturali impedire; vel deſtruere non poſſunt. Præterea cum Medici cognoſcere debeant morbum, & morbi ſpeciem, robur facultatis, temperiem naturalem, & ætatem, conſuetudinem, ſeù mores, & partis affectæ actionem, dignitate, ſitum, magnitudinem, figuram, ſenſum, & proprietatem. Externa etiam omnia, à quibus homo neceſſariò afficitur: vt tempus anni, & regionem, & conſtitutionem, ſeù morbos, qui tunc graſſantur. Et cum multa ſint, quę in curatione indicationem habent, & nihil eorum contemni debeat, ſi curatio exacta futura ſit: quin vel minimum quid eorum curationi adijci, vel detrahi: exactaquè curatio exurgat omnium indicationum maiorum, & minorum: ſimilium, & contrariorum concurſione, conſtat, nullum Medicorum poſſe exactè, & adamuſſim curationem perfectam inſtituere: quia tam multarum rerum neceſſe eſt alicuius ignorare naturam, vel intenſionem, magnitudinemuè. Cum itaque multa Medicos lateant morbos naturales curantes, vt curatio nonniſi imperfecta poſſit haberi: quanto magis imperfecta, manca, ac debilis erit curatio veneficorum morborum, quorum eſſentia, cauſa, & multa alia, vt plurimùm ab ipſis Medicis ignorantur? Quibus ignoratis, aut impoſſibile eſt, morbos curari: aut perperam curantur, & cum diſcrimine ægrotantium? Quinimmò ſi Medici rerum omnium naturalium eſſent gnari, vt angeli, ac dæmones, & adamuſſim mederentur, nihilominus maleficio affectos nequaquam per ſeipſos ſanitati reſtituere poſſent, niſi virtus ſuperior dęmonibus maleficium efficientibus à Deo ipſis Medicis impartita eſſet.* Hæc Codroncus.

Sennerti Huic libentiſſimè ſe ſubſcribit in hac parte alius Medicus Daniel Sennertus *lib. de morbis à veneficio inductis cap. 10.* ſcribens ſic: *Quibuſcumquè remedijs naturalibus in morbis à veneficio inductis nemo certè ſanitatem ſibi polliceri poteſt: quia diabolus non ſolùm diſpoſitionibus Medicis vulgò notis vtitur; ſed & ignotis introducere poteſt. Et cum Medico ignotum ſit, quibus modis diabolus ad nocendum vſus ſit, talia remedia aliquid iuuare, morbum verò planè tollere non poſſunt.*

§. II.

RAtio fauet. Nulla enim virtus naturæ; nullauè phyſicorum ſcientia per ſeipſas habiles 428 *Ratione.*
redduntur ad incurabiles, & internos morbos maleficos curandos: quia, vt ait Ioannes Baptiſta Belhauerius *in præfat. libri, qui nuncupatur: Centum compendioſi ſermones: eſſet abſurdum, ſuperiora ab inferioribus regi, ac gubernari.* Quis enim ignoret, dæmonem excitatorem criminum naturæ præſtantia, ac doctrinæ acumine cunctas vniuerſi antecellere creaturas? Quis ſæpiùs non audiat, non eſſe potentiam ſuper terram, quæ comparetur ei; idcircò cum aliquem in homine excitat morbum, poſſe etiam illum fouere, ac cunctorum medicamentorum naturalium irritas reddere vires? Si inſuper ex Ariſtotele 2. *Topicor. & 5. Metaphiſ. Contrariorum contraria ſunt cauſæ;* & abolitio cauſarum morbos facientium oportet, fiat à contrarijs: quia contrariorum contraria ſunt medicamina: & pro diuerſis morborum cauſis, eorum variantur medicationes: quanam ratione morbi malefici cauſa dæmoniaca ſuppoſita à Medicis ipſis poterit depelli? quęnam ſanguinis emiſſio? quæ concoquentia, quæ purgantia pharmaca? quæ victus ratio; vel alia huiuſmodi remedia medica erunt dæmoniaco eius morbo contraria: cum dęmones ſint ſubſtantiæ: *ſubſtantiæ verò nihil ſit contrarium* ex Ariſtotele *in Poſtprædicamentis?* Nulla dubio procul erit medicina, per quam tales morbi præternaturales à Medicis per res naturales auferri poſſint. Sed ſicut morbi naturales à cauſis naturalibus procedentes per medicamina naturalia ſunt curandi: ità morbi pręternaturales à cauſa pręternaturali prodeuntes, per præternaturalia, aut ſupernaturalia remedia ſunt tollendi: quia morbi eodem genere habent diſſolui, quo colligati eſſe reperiuntur.

§. III.

TAndem experientia ipſa rerum magiſtra comprobari cernimus. Inter alios maleficiatos, qui 429 *Experientia.*
anno 1645. ad me acceſſerunt in territorio Bergomenſi, tres tantum referam, qui gratia ſanitatis conſequendæ à Medicis priùs varia ſumpſerant medicamina, ſed incaſſum; qui ſtatimac ſacris benedictionibus; ac præcipuè per inuocationem Sanctiſſimi Nominis Ieſu, excitata in eis priùs fiducia in immenſa Dei bonitate, ac clementia, ac poteſtate ab Eccleſia tradita Exorciſtę, ſanitatem perfectam conſecuti ſunt.

Inprimis quædam Adoleſcentula Vallis Calepinæ iam tres annos ita malè affecta fuerat, quòd ſibi videbatur omnia corporis membra ligata, & conſtricta habere; ſed præcipuè bolum in orificio ſtomachi modò ad guttur aſcendentem: modò deſcendentem faciem flauo, ſiuè cinereo colore ſuffuſam, cum dolore, ac grauedine capitis; iam ſæpiùs à Medico varia ſumpſerat pharmaca; ſed nihil profecerant, quin adhuc eodem afficeretur cruciatu; tandem ad me acceſſit, quam maleficio eſſe affectam, ex varijs indicationib. nedũ probabilibus;

libus; ſed certis, & euidentibus cognoui, cui adhibitis ſacris benedictionibus, abſquè vllo medicamine corporali priſtinam conſecuta eſt ſanitatem.

430 *Idipſum accidit cuidam viro eodem anno. Hic cum aliquot menſes habuiſſet veluti bolum in ſtomachi orificio, dolore renum cruciaretur: circa ventrem inferiorem torſiones acerbiſſimas, & ſæpè flatum quendam frigidiſſimum per ventrem permeantem, & citò redeuntem perſentiret, præcipuè dum orandi gratia in Eccleſia moraretur, ex continuo, ac prolixo languore impatiens factus remedium popoſcit à quodam leui corde, ac imprudenti pſeudomedico, qui ſtatim ei gratiolam præſtitit; ſed hac nihil operante, ſequenti die catapuptiam exhibuit ita inconuenienti, & immoderata doſe, quòd non tantùm prauos, ac noxios, verùm etiam vtiles, ac ſalubres per ſeceſſum expulit humores, immò ſanguinem ipſum, & adipem extraxit triduo continuo, ita vt fermè, & indubitanter iamiam ſe mortuum reputaret. Attamen quia vir erat corporis conſtitutione validus, ac conſtans, poſt aliquot tempus vires reſumpſit priſtinas, ſed adhuc eodem in ſtomacho afficiebatur morbo, eaſdem in ventre patiebatur torſiones.* Qualis autem naturalis humor peccans tam efficacibus purgationibus non fuiſſet correctus? Quis illum morbum non fateatur ſupernaturalem? *Tandem, cum ſacris benedictionibus, ac ſigno ſanctæ crucis à me fuiſſet munitus, ſtatim ille bolus in ſtromacho exiſtens, ac illi vapores à ſigno crucis fugere cæperunt, modò ad hãc: modò ad illam corporis partem diſcurrentes: nunc ad ventrem, vbi torſiones præſtabant: nunc ad renes, quas lacerare videbantur: nunc ad humeros, quos diuexabant: ſed tandem iteratis benedictionibus, & ab ægroto frequentatis ſanctiſs. Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramentis optatam obtinuit ſanitatem.*

§. IV.

431 HOc idem comprobaui in quodam Iuuene, *qui iam diebus quindecim graui dolore capitis afficiebatur, ſibi videbatur, corporis particulas veluti nexibus habere ligatas, leue corripiebatur febre, in toto corpore talem laſſitudinem ſentiebat vt vix incedere valeret: ferè quotidiè ſanguinem mittebat è naribus. Medicum accerſit, à quo varia ſumpſit pharmaca, ſed nihil adhuc remittebatur dolor, nec ſanguis ſiſtebatur, quin quotidiè flueret: nec vllo modo vires reſumere poterat. Ad illum acceſſi rogatus, quem vix intuitus tum ex colore, tum ex aliis varijs indicationibus infirmitatem eſſe ex maleficio comperi. Quare in nomine Ieſu facto dæmoni præcepto, ne illum impediret, quin ſurgeret è lecto, & ad Conuentum noſtrum proximum S. Franciſci ſe quamprimum transferret, vix illum cæpi ſacris munire benedictionibus, quòd ſe apertè prodidit maleficiatum, idcircò inſtructo illo ad actus fiduciæ in Deo eliciẽdos, ac implorato diuino auxilio, inuocataque Deiparæ, Seraphici S. Franciſci, ac D. Antonij à Padua interceſſione, mox vt ſuper caput eius meas impoſui manus, ac dæmoni præcepto facto in nomine Ieſu, vt ſtatim recederet ab eo, illico ex aure dextera quaſi ventum ſibilantem egredi perſentit, dolorquè tam capitis, quàm reliqui corporis penitus ceſſauit, perfectamquè valetudinem eſt aſſecutus.*

Ex quibus clarè conſtat, ad morbos tollendos ſupernaturales, quales ſunt qui à dæmone ſunt excitati, effecti, ac conſeruati, nihil remedia prodeſſe naturalia; nec res naturales contra eos vllam vim habere; ſed ad remedia diuina confugiendum: vt latè *diſput.*4. infra explicatur.

SECTIO II.

Ad morbum mitigandum.

SI nullam in dæmoniacos: aut morbos veneficos res naturales prorsùs vim obtinerent naturalem incaſſum ſuſtinenti dæmonium herbas, vel lapides ſine incantatione habere, lex concederet *c. dæmonium 26. q.7.* cui aſtipulantur eius interpretes Polycar. Burchar. & S. Iuo. Totaquè de fumo eſſet hæc noſtra diſputatio. Idcircò quamuis per res ſenſibiles morbus maleficus tolli nequeat, vt diximus; attamen notum eſt, & ab omnibus conceſſum, poſſe ſaltem mitigari; quæ mitigatio, cum fieri poſſit Aut in Anima: Aut in Corpore: videndum; quid in vtroquè operetur: Cui ſequentes articuli ſatisfacient. 432 *Per res ſẽſibiles morbus mitigari poteſt. Aut in Anima: Aut in Corpore.*

ARTICVLVS I.

In Anima.

§. I.

RErum ſenſibilium in animam operatio, & efficacia apertè demonſtratur ab Ariſtotele 8. *Politic.* vbi inſtituere volens iuuenum mores, dixit: *Ad hoc multum facere ſonus harmoniarum: quia diuerſæ harmoniæ diuerſas prouocare habent in homine paſſiones, ſcilicet, amorem, vel dolorem: triſtitiam: vel ſollicitudines, & leuitatem, & laſciuiam, & grauitatem morum.* Vndè harmonia non tantùm laborum eſt quies opportuniſſima; verùm & quod contrarium huic eſt, ad labores, armaquè capeſſenda: vel quemuis ſummum laborem ſubeundum inſtrumentum eſt. Nonnè claſſici in bello conſonant, & tympana remugiunt; quæ omnia ſunt ad pugnam incitamenta, & hortamenta iampridem vtiliſſimè opportuniſſimèque inuenta? Sic & nautæ; ſic vinitores: ſic viatores: ſic deniquè alicui labori alligati omnes cantum vnicum animi ſolamen inuenerunt. Infantes quoquè pueri hanc ſuauitatem non aſpernuntur; nutriciſquè cantu à fletu ceſſant, atquè conticeſcunt. Hac de cauſa ſonitu aliquo experrectos ſtatim è cubili exſurgentes ad aliquod ſubeundum manus Pythagoras iubet accendi. Senſus namquè ita vegetiores, viridioreſquè fieri, & conſopitam mentem exacuiri morum quoquè exẽpla mala vt ſuſcitare, ità refringi arte muſica poſſe, nos priſcæ docuerunt hiſtoriæ, ipſo ita nos docente cum reliquis Cicerone; quorum vnum tantùm referam, quod narrat Ricardus de Mediauilla *quodlib.3. quæſt.8* de quodam Iuuene, qui cum eſſet incitatus quaſi ad furorem concupiſcentiæ, ad auditum cuiuſdam harmoniæ, quam mulier cum quodam inſtrumento faciebat, ad temperamentum 433 *Rerũ ſenſibilium operatio in animã probatur à Philoſophis.*

iterum

iterum reductus eſt per harmoniam contrariam. Hinc chromaticum creditur repudiatum pridem fuiſſe genus, quòd adoleſcentum remoleſcerent eo genere animi: Lacedemoneſquè improbaſſe feruntur. Vndè & Ambroſius Calepinus ver. *Chromata*
434 *Poetis.* ait: *Chromaticum melos ab antiquis dicebatur vna ex tribus Muſicæ partibus, quæ ob nimiam mollitiem infamiæ nota non caruit.* An non Homerus quoquè nos docuit, Muſicam, quam à Chirone acceperat, atquè didicerat, iram Achillis concoxiſſe? *Inuenerunt enim*, inquit, *mentem demulceri ſuaui, varioquè cithara cantu; Hac namquè ad animum pacandum, vt medicina ad corporis ſubleuandum laborem vſi ſunt Antiqui. Hoc torpentes ad bellum animos ſuſcitarunt: Hac curas ex animo excuſſerunt. Hac iuſtitiam docuerunt. Hac inſignes virtutibus, meritis, laudibus proſecuti ſunt; corporis ægritudines, & conſolati ſunt, & abſterſerunt.* Quod etiam fatentur Boetius *in ſua Muſica lib.* 1. *c.* 1. & Auctor de ortu ſcientiarum, qui loquens de vtilitate muſicæ dicit, quòd valet ad curandas infirmitates aliquas: vel ſaltem alleuiandas. Vndè Hieronym. Phaletus Sauonenſis de laude Muſicæ cantat:

Muſica turbatas animas, ægrumquè dolorem
Sola leuat meritò diuumquè, hominumq. voluptas.
Qua ſine nil iucundũ animis, nec amabile quicquã
Ad cuius numeros ſuperi vertuntur, & orbis
Et Cælo radiant ignes, quibus emicat ingens.
Signifer & leges, præſcriptaquè tempora ſeruant.
Hac Phœbus, Phœbiquè ſoror duce, & aurea cæli
Aſtra ſuos agitant conſtanti fœdere motus.

435 *Sanctis.* Hoc idem annuere voluit Auguſtinus 10. *Confeſſ.* dicens; *Omnes affectus ſpiritus noſtri habere proprios modos in cantu, quorum occulta familiaritate excitatur; ideòquè & melodia, quæ virtute naturali paſſiones animæ mutat, poſſe mutare diſpoſitionem animæ; in ea què minuere afflictiones.*

Diuina ſcriptura. Sed dimittamus, quæ ad ſenſum patent, & ſurſum corda eleuemus ad ea, in cuius obſequium captiuatur intellectus noſter, nempè, diuinæ ſcripturæ verba. Nonnè apertè habetur 1. *Regum* 16. Saulem vexatum à ſpiritu immundo refocillari, ac leuiùs haberi per melodiam, ac harmoniam citharæ, quam Dauid coram eo percutiebat? *Recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Recedebat, inquam, per vexationem, quatenus deſinebat eum in corpore vexare. Quidni ergo res naturales ad mitigandum morbum in animam agere valeant?

§. II.

436 *Obiectio Medicorum.* AN dicent Medici, ſpiritum malum corripientem Saulem non fuiſſe dæmonem; ſed atræ bilis ſpiritum, & humorem melancholicum hypochondriacum, qui ſi magnus eſt, vexat, & cruciat homines; præſertim ſi opera, & miniſterio dæmonis excreſcat, qui muſici inſtrumenti melodia naturaliter poteſt ſedari, & comprimi. Læta enim, & iucunda exhilarant animum; leniunt, ac mitigant animi dolorem, & triſtitiam excutiunt.

Satisfit obiectioni. Sed D. Auguſtinus *lib.* 2. *ad Simplicianum q.* 1. D. Gregor. *lib.* 2. *Moral. c.* 6. D. Theodoretus *q.* 38. 39. & 54. Nicolaus de Lyra, & alij catholicè ſentientes cum Gloſſa ordin. 1. *Regum c.* 16. per ſpiritum malum communiter interpretantur dæmonem, qui vtiquè non vi muſici inſtrumenti per ſe proximè pellebatur; ſed immediatè poteſtate, & virtute Dei id volentis efficere per Dauidem citharam pulſantem: vel mediantibus Angelis ſanctis ex merito Dauid, qui laudes diuinas in cithara canebat pro ſalute Saulis; ſicut & per orationes Sanctorum frequenter leguntur dæmones expulſi à corporibus obſeſſis. Melodia etiam ad hoc valebat aliqualiter, non in dæmonem agendo; ſed in quantum deuotionem Dauid excitabat; ità vt mens eius magis eleuaretur in Deum; ſicquè eius laudes ad expulſionem dæmonum magis apud Deum efficaces euaderent. Sic etiam Hæliſæus 4. *Regum c.* 3. fecit adduci pſaltem, vt mens eius in Deum eleuaretur, fieretq. aptior ad diuinam inſpirationem recipiendam.

§. III.

VErùm ſi rem attentè perpendamus, ac literæ 437 ſenſum proprium enucleare contendamus, *Quid melodia citharę Dauidis ageret in Saulem à dæmone vexatum.* nonnè apertè agnoſcimus harmoniæ dauidici inſtrumenti vim aliquam inhæſiſſe naturalem, non ad expellendum dæmonem; ſed ad mitigandum, & molliendum vexationem à dæmone excitaram? Mox enim vt à ſpiritu Domini malo, nempè, dæmone Saul propter mala, quæ egerat, exagitari cæpit, conatus eſt à Medicis quærere remedium, (vt refert Ioſeph *lib.* 6. *Antiquit.*) qui eius conſiderantes ægritudinem, reſponderunt, hoc arti Medicorum eſſe impoſſibile; ſed dederunt quandam alleuationem, ſcilicet, vt quæreret aliquem pſalentem coram eo, & ſic leuiùs toleraret. *Ecce ſpiritus Domini malus exagitat te.* Hoc dixerunt ſerui Saulis, qui erant Medici ſecundùm Ioſephum, *Iam tu vides, ò Rex, quòd iſta ægritudo non eſt aliquis morbus naturalis, de quo arte Medicorum ſanari queas; ſed ſpiritus Domini malus vexat te ideò non poſſumus dare ſanitatem, ſed alleuationem. Iubeat ergo Dominus noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt quærent hominem ſcientem excellenter pſallere cithara, vt quando arripuerit te ſpiritus Dei malus, pſallat manu ſua, citharam percutiendo manu, & tunc alleuabitur, ac mitigabitur dolor tuus.* Quis autem planè non videat huiuſmodi Saulis ſeruos non aſpexiſſe ad ſanctitatem illius, qui debebat pſallere coram Saule, quia neſciebant: an futurus eſſet vir bonus: vel malus. Sed reſpexiſſe ad vires harmoniæ: eò quia exiſtimabant, habere efficaciam, ſi non ad expellendos dæmones: cum expelli nequeant niſi per virtutem ſibi ſuperiorem; ſaltem ad mitigandum dolorem, ac vexationem à dæmone excitatã alleuandam. De quibus latè Abulenſis 1. *Regum c.* 16. *quæſt.* 39. 40. 41.

§. IV.

VIs autem ſcire, quomodo vim habeat ad mitigandos dolores, alleuandaſquè vexationes 438 harmonia? Conſidera doloris, ac delectationis quidditatem. *Hæc veritas demonſtratur in animæ potentijs, & earum obiectis.* *Dolor enim eſt coniunctio diſconuenientis cum diſconueniente cum perceptione eiuſdem*, ideſt, coniunctio nocumenti cum potentia, quatenus ab ea percipitur; qui ſi ineſt animæ primò ex carne ſecundùm partem ſenſitiuam, propriè eſt paſſio. Si verò ineſt animæ ſecundùm ſe, & ſecundùm partem intellectiuam, tunc dicitur triſtitia, ſeù afflictio, *quæ ſecundùm Auguſtinum eſt diſſenſio animi in his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. Delectatio verò eſt coniunctio conuenientis cum conueniente cum perceptione eiuſdem* 1. *Ethic. c.* 8., ideſt, coniunctio obiecti conuenientis cum potentia, cui conuenit ſecundùm aliquam proportionem. Quemadmodum autem potentiæ perceptiuę, etſi aſſiſtat nocumentum, ſi non percipit illud, non ſequitur

tur dolor, ſeù triſtitia: ita quamuis ei aſſiſtat obiectum conueniens, ſi non percipit illud, non ſequitur delectatio.

Cum tamen alicui potentiæ perceptiuæ adeſt aliquod nocumentum, neceſſariò illud percipit, cauſaturquè dolor, vel triſtitia, niſi ſit aliquid, quod impediat perceptionem. Tunc autem impeditur potentia perceptiua à perceptione nocumenti ſi aſſiſtat ei aliquod delectabile, quod præponderet ad nocumentum; & ſic quando ſunt coram nobis duo, ſcilicet, delectabile vnum; & aliud triſtabile; ſi delectabile ſit valdè excellens ſuper triſtabile, faciet, quòd non ſentiatur aliqua triſtitia: vel ſaltem quòd non ſit ita grauis.

Quis autem non experiatur, niſi ſit cordis infimi, vires harmoniarum ad ſe mentis attentionem ità attrahere, quòd à quocumquè alio faciliter retrahere valent? Sic poſſunt alleuare afflictionem ſiuè à dæmone, ſiuè à quocumquè alio in homine cauſatam; quatenus ad ſe attrahere poſſunt attentionem, & ab afflictionis retrahere perceptione. Sic etiam cum cruciatus, quem Sauli dæmon infligebat, eſſet durus; melodia verò naturaliter cauſatiua delectationis, præſente illa, diſtrahebatur aliqualiter potentia à nocumenti perceptione; & ſic leuior fiebat dolor, & afflictio. Non quòd melodia aliquam dolores à dæmone inflictos mitigandi ſpecialem vim haberet: quia tunc directè proficeret contra dæmones: quod ſupra improbatum eſt; ſed quia in quocumquè dolore harmonia hoc efficere habet, nempè, vt non ſentiatur dolor, ſicut ſentiretur, ſi non adeſſet harmonia. Hoc tamen potuiſſet efficere etiam quæcumquè alia delectatio: quia quando delectabile, & triſtabile ſimul coniunguntur potentiæ perceptiuæ, neceſſe eſt, quodlibet illorum minus ſentiri: nam pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.

§. V.

439 *Cõſtat in his, qui extaſim patiũtur*

HOc apertiſſimè in his elucescit, qui extaſim patiuntur: Quia ea, quę illis reuelantur, ſunt tam ardua, quòd mens, ſi alicui alteri operationi ſit intenta, ea intelligere non valet; ideò tunc in extaſi ab omnibus exterioribus actibus rationalibus ceſſat Anima, ſcilicet, à locutione, & communicatione cum hominibus. Ceſſat etiam ab actibus animalibus, ſcilicet, ſenſitiuis operationibus: quia ſic rapti non vident; nec audiunt; nec odorantur; nec aliam habent ſenſationem. Ceſſat quoquè totaliter ab operibus naturalibus, nempè, à digeſtione, & appetitu, & expulſione, & alijs operibus virtutis nutritiuæ, & augmentatiuæ; ideòquè ſi tunc homines occiderentur, non ſentirent, ſiuè igne vrerentur, ſiuè gladio ſecarentur: ita quòd neſciunt, an viuant, an ſit anima in corpore: vel extra: Cuius veritatis teſtis probatus eſt Paulus Apoſtolus, cuius anima eleuata fuit ad videndum ſecreta altiſſima, quæ non licet homini loqui; & neſciebat, an anima ſua eſſet in corpore, vel extra; vt ipſe fatetur 2.Cor.12. *Neſcio, an in corpore, vel extra corpus, Deus ſcit.* Et tunc, vt communiter teſtantur Patres, vidit diuinam eſſentiam: quæ erat obiectum infinitè, & ſuperexcellenter delectabile, quod à perceptione cuiuſcunquè alterius obiecti, & à cuiuslibet potentiæ operatione impediebat.

§. VI.

HOc quis non videat euenire cuicumquè potentiæ perceptiuæ? Quò enim illi præſentatur obiectum delectabile intenſius, & excellentius, eò potentia magis impeditur à perceptione cuiuſcumquè alterius obiecti ſiuè triſtabilis: ſiuè non triſtabilis. Hoc idem euenire poterit in Saule, ſi quodcumquè aliud delectabile percepiſſet, quando à dæmone vexabatur, minus dolorem percepiſſet: ſic aliqualiter alleuata, ac mitigata fuiſſet eius afflictio. Serui tamen eius elegerunt harmoniam tanquam remedium magìs opportunum.

440 *Quomodo intelligantur illa verba: Pſallẽte Dauid recedebat à Saule ſpiritus malus.*

Cum autem dicitur, quòd pſallente Dauid, recedebat à Saule ſpiritus malus, dicendum; quòd vel deſinebat vexare illum in corpore, vt interim magìs cruciaret in mente, illum excitando ad Dauidem aggreſti, ac nouercali odio proſequendum, ac conandum, vt è medio tolleret; quòd efferatæ ingratitudinis erat nota. Quod ſæpè ſolet pręſtare dæmon in obſeſſis. Ceſſat enim quandoquè à qualibet vexatione corporali: ita vt ſe liberos reputent; ſed interim eos tentant ad aliquod malum perpetrandum: puta vel ad proximos ſuos odio habendũ: vel ad ſibiipſis per deſperationem necem inferendam. Vel recedebat à Saule ſpiritus malus, non viribus harmoniæ; cum nulla res ſenſibilis dęmones expellẽdi vim poſſideat: licèt poſſit mitigare, & alleuare dolores, & afflictiones in anima excitatos: vt probatum eſt. Sed quia Deus ſic voluit, vt pſallente Dauide coram Saule ſpiritus malus, qui eum exagitabat, ab eo recederet; ideò quieſceret à vexatione propter merita Dauidis, vt ſic illius probitas, ac ſanctitas vniuerſo terrarum orbi magìs pateſieret. Hoc teſtantur Nicol. de Lyra, & Toſt. *in 1.Reg.c.16.* Azor. *l.9.Mor.c.16.* Io.Nid. *in ſuo Præcept. præcept.2. c.5.* & Binsf. *de Conf. malefic. dub.3. concluſ.12.*

ARTICVLVS II.

In Corpore.

§. I.

441 *Medicamina naturalia vim habere ſaltem mitigandi in corpore morbos maleficos probatur.*

PArum quidem eſſet, ſi res naturales morbos mitigandi in anima duntaxat vim haberent; niſi etiam afflictiones in corpore alleuarent. Ad quid tot congerere medicamina præparantia, purgantia, euacuantia, roborantia? Ad quid tot vomitoria, lenimenta, ſuffimenta, olea, vnguenta, ceronea, emplaſtra, clyſteres, aliaquè innumera alexiteria contra morbos maleficos, ſi cuncta nihil proficerent? Fatendum ergo, artem medicam, eiuſquè alexipharmaca, etſi ad tollendos morbos veneficos nihil valeant, ad eos ſaltem in corpore mitigandos aliquid valere.

Ratione. Ratio fauet. Nã omnis cauſa limitatæ virtutis poteſt intenſiorem producere effectum in materiã magis diſpoſitam, iuxta Philoſophi effatũ 2.*de Anima: Actus actiuorum ſunt in patiente prædiſpoſito*. Quis autem ignoret, dęmonem eſſe agentem limitatæ virtutis; ideòq. in homine magis diſpoſito ad vexationem, quam intendit adducere, quàm habente contrariam diſpoſitionẽ, poſſe intenſiorẽ pręſtare vexationẽ? Demus hunc hoſtẽ generis humani infenſiſſimum paſſione melancholica aliquẽ vexantẽ, nemo eſt qui ambigat, intentiorẽ, ac maiorẽ in eo eſſe vexationẽ, ſi diſpoſitione ad melancholiã erit affectus, quàm ſi

huiuſce diſpoſitionis fuerit expers. Si remedia adhibeantur oppoſitam melancholiæ in corpore diſpoſitionem inducentis, nempè purgationes, ſyrupi, conſeruæ, electuaria, pulueres, confectiones, cerata, ſuffumigia, quibus ſanguis purgetur, & cerebrum confortetur, quis dubitat, ſi hæc non poterunt humorem tollere melancholicum, pro modico ſaltem tempore mitigabitur, & alleuabitur aliqualiter dolor ab eo cauſatus? Nam quemadmodum morbus
442 *A ſimili.* quandocumquè preuenit à cauſa naturali efficaciſſima, & abditiſſima, Medicus peritus, & expertus, ſi non poteſt ipſum auferre, ſaltem poteſt illum aliqualiter mitigare, ac dolorem reddere leuiorem; poteſt enim per pharmaca humores aliqualiter cõpeſcere; & quod putridum eſt, educere. Sic in morbis veneficis, quorum cauſa eſt efficaciſſima, ac Medicis abditiſſima, nempè dæmon, qui cum non informet corpus, quod obſidet, ac vexat, non eſt totus in toto, & totus in qualibet parte corporis, ſicut eſt anima rationalis; ſed eſt in determinata parte corporis: nunc in collo, quod grauiſſimè torquet: nunc in venis, quas motione ſpirituum, & humorum extendit: nunc in cerebro, quod aut debilitat ſpiritibus viam intercludẽdo ſubtilitate ſuæ potentiæ: aut planè perturbat, phantaſiam immutando. Si ergo corpori afflicto remedia ex Medicorum arte præſcripta adhibeantur, licèt non expellatur cauſa principalis dæmon totius mali auctor; nec ceſſet vexatio ex parte dæmonis vexantis; cum non ſit modus in eum agendi naturalis, mitigabitur tamen dolor pro modico tempore, & alleuabitur afflictio aliqualiter ex parte diſpoſitionis ſubiecti.

§. II.

443 *Exemplo* ADducatur in medium ad hanc probandam veritatem vnus ex lunaticis à Chriſto ſanatus *Matthei* 17. Fateretur vtiquè ſe ex diuina permiſſione à dæmone affligi magis, vel minus ſecundùm variam diſpoſitionem Lunæ; quæ cum dominium habeat ſuper humida; cerebrum verò hominis inter partes corporis magis ſit humidum; magis quoquè eſt aptum ad dæmonis actionem ſuſcipiendam vno tempore, quàm alio ſecundùm varium motum lunę. Quidam enim tempore creſcentis lunæ magis vexantur: alij decreſcente luna: quia dæmon obſeruat opportunam vexandi occaſionem, nempè lunaria tempora, vt Dei creaturam, teſte D. Hieronymo *in Matt.* 4. ac D. Chryſoſtomo *hom.* 56. *in Matth.* 17. infamare queat; & in Creatorem blaſphemiæ redundare valeant. Hic Lunaticus diceret dubio procul à nemine ſanari potuiſſe, niſi ab eo, qui non venit animas perdere; ſed ſaluare: cum nec ab ipſis Apoſtolis propter incredulitatem eorum potuerit liberari: ſicut eis Saluator exprobrauit. Potuiſſet nihilominus conqueri de patre ſuo; quòd priuſquam à Chriſto ſanaretur, ſaltem ſibi ab eo adhibita non fuiſſent remedia corporalia; puta ſuffumigia, herbæ, lapides. aliaquè id generis alexipharmaca, quibus ex aliqua proprietate naturali, facilè potuiſſet ſaltem pro modico tempore corrigi diſpoſitio cerebri ex motu lunæ cauſata; vt non eſſet tam aptum ad ſuſcipiendam dæmonis actionem; ſicquè eius vexatio aliqualiter fuiſſet mitigata; nec forſan tàm ſæpè in ignem, & tàm crebro in aquam cecidiſſet, donec à Redemptore perfectam fuiſſet conſecutus ſanitatem. Cum veriſſimum ſit, multa reperiri corporalia medicamina, quibus in corpus induci poteſt talis diſpoſitio, quòd afflictio à dæmone cauſata aliqualiter molliatur, & alleuetur: Quam virtutem fortaſſe habuit fumus iecoris Tobiaci piſcis poſitus ſuper carbones: ſic melodia cantus, ac muſici inſtrumenti: ſic lapides, petræ, herbæ, quos licet ſine incantatione habere dæmonium ſuſtinenti. Ita teſtantur Nicolaus de Lyra, & Toſtatus *in* 1. *Regum cap.* 16. & Paulus Burgenſis ibi *in Additionibus.* Turrecremata. *d.* 1. *can. Voluiſſent,* §. *deniquè.* Guilhelmus Pariſ. *in* 2. *Part. part.* 2. *Princip. de Vniuerſo. cap.* 20. Ioſeph Angles *in quæſt. de Arte magica. diffic.* 8. Albertus *ſuper Lucam.* 9. Pelbartus *in Roſario aureo, verb. dęmones,* §. 83. Angelus, *verb. Superſtitio. num.* 6. Nauar. *ſum. cap.* 11. *num.* 38. Petrus Thyræus *de dæmoniacis toto cap.* 48. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *Inſtitut. moral, cap.* 26. *quęſt.* 2. Delrius *lib.* 2. *Diſquiſ. magic, quęſt.* 30. *& lib.* 6. *cap.* 2, *quæſt.* 3. *ſect.* 2. Suarez 3. *tom. in* 3. *part. quęſt.* 65. *artic.* 4. *diſput.* 15. *ſect.* 4. & Codroncus *lib.* 4. *de morbis veneficis c.* 2.

Auctoritate Patrum, Theologorum, Canoniſtarum.

§. III.

EX quibus omnibus planè conſtat, res naturales ſiuè à Medicis; ſiuè ab Exorciſtis vel exteriùs 444
applicatas: vel interiùs ſumptas: tum ſimplices, quàm compoſitas: tam permanentes, quàm tranſeuntes; ſolidas, ſiuè liquidas. Vel præparantes tàm lenientes, quàm congregantes. Vel euacuantes per vomitum, per poros, vrinam, ſudorem, ac ſeceſſum. Vel roborantes ſiuè per potum, ſiuè per bolos, aut morſellos in dæmonibus nihil operari phyſica actione ſiuè directè; ſiuè indirectè: nequè actione intentionali ſenſibili, vel phantaſtica; licèt agere valeant in eos actione intentionali intelligibili, mouendo potentiam, vt diximus ad varias paſſiones. Nec aliquid operari ad tollendum morbum in hominibus, ſi morbus procedat à cauſa libera, nempè, dæmone: cum dæmon facillimè impedire poſſit illa medicamina, ne ſuos valeant producere effectus: & quantum quotidiè Medicus de morbo, & morbifica cauſa tollit, tantum ille morbi iterum, & cauſæ morbificæ producere; & ità omnes Medicorum conatus irritos reddere. Si tamen morbus à dæmone procedat per cauſas naturales; tunc ſi ab illarum cauſarum productione, & excitatione ceſſauerit dæmon: Medicuſquè huiuſmodi ægritudinis cauſas perfectè agnouerit; ægrotuſquè non ſit ità debilis conſtitutionis, ac viribus deſtitutus, quòd medicinas vſquè ad debitam operationem retinere nequeat, talis vtiquè morbus per res naturales auferri poterit, ſicut & per eaſdem mitigari in anima, & in corpore.

Concluſio Diſputationis ſecundæ.

EN habes candide Lector breue, ac compendio- 445
ſum pro morbis veneficis antidotarium, cuius quam ſit in dæmones ars inualida, potentia impotens, vis imbecillis, virtus indocta, & efficacia inefficax, accepiſti. Quidquè operari valeat in hominibus vel ad morbos tollendos, ſi naturales ſint: vel mitigandos, ſi ſupernaturales, pro viribus digeſſimus. Modò à quo huiuſmodi antidota, & alexiteria ægrotis ſint præſtanda, & exhibenda, an ab Exorciſtis: vel à Medicis, aperiamus.

Determinatur, ad Exorciſtã nullo modo ſpectare medicinas corporales maleficiatis exhibere

Pepo

§. I.

Quia ignorant, quę attendēda ſunt In

PEpo ſit, & non homo; vel aſini caput habet, lęuam in cælum porrigens, & aſtra indice notans, qui aſſerat, vel credat, onus remedia corporalia maleficio affectis præparandi Exorciſtis incumbere. Quis enim mediocriter ſciens ignoret, neminem licitè poſſe, ac ſine peccato artem exercere medicam, niſi in ea ſit peritus; ac communiter illius facultatis reputetur idoneus? Qui ſic reputari dicitur, ſi non ſecundùm propriam voluntatem; ſed iuxta artis medicinæ ſcientiam regulatur attentè, ac diligenter conſiderando, & obſeruando.

Perſonis

Primò in perſonis complexiones corporum, diſpoſitiones humorum, varietates temporum, diſcretiones ſexuum, & varietates ætatum: quia alia medicina danda eſt debili, alia forti propter conſtitutionem corporum. Alia cholerico, alia flegmatico: Alia ſanguineo, alia melancholico propter diuerſas diſpoſitiones humorum. Alia in hyeme, alia in æſtate; alia in vere, alia in autumno propter varietatem temporum. Alia viro, alia mulieri propter diuerſitatem ſexuum. Alia tandem iuueni, alia ſeni propter varietates ætatum.

Infirmitatibus.

Secundò in infirmitatibus Diuturnitates: quia quantò morbus eſt diuturnior, ac prolixior, eò fortiori, ac validiori indiget medicina. Diuerſitates: nam ſimplex morbus medicina ſimplici, & per contraria eſt curandus. Contrarietates: contra enim cauſam infirmitatum calidam frigida debet eſſe medicina; & è conuerſo: ità quòd ſemper contraria contrarijs curentur. Quantitates: quia ſecundùm quantitatem morbi debet eſſe quantitas medicinæ. Qualitates deniquè: nam quando morbus cauſatur ex repletione, cura debet eſſe per euacuationem; & è contra quando infirmitas cauſatur ex inanitione, tunc cura debet eſſe in reſtauratione.

Medicinis.

Tertiò in medicinis varietatem, nempè quæ medicina ſit morbi corporalis ad exteriùs attractiua: quæ immutatiua: quę digeſtiua: quæ laxatiua: quæ conſtrictiua: quæ curatiua: quæ aperitiua: & quæ ſanitatis conſeruatiua.

Herbis medicinalibus.

Quartò in herbis medicinalibus vires: eorum qualitatem, ac graduum diuerſitatem, videlicet, quæ medicinalis ſit calida: quæ frigida: quæ humida: quæ ſicca. & quanto gradu habeat iſta: an in primo; vel in ſecundo; vel in tertio; aut in quarto.

Curis diuerſis.

Quintò deniquè in curis qualitates, & varietates. Nam regulariter, vel ſaltem vt plurimùm obſeruare debet: Primò, vt cura priùs fiat per dulcia, & lenia, quàm per aſpera, & amara. Si verò dulcia non proſint, apponantur amara, & aſpera. Secundò quòd medicina amara ſemper admiſceatur dulcibus, vt faciliùs ſumi poſſit. Tertiò cum plus noceant vulnera intrinſeca, quàm extrinſeca, priùs adhibenda eſt medicina ad infirmitatem occultam, quàm ad patentem. Quartò debet ægroto diæta imponi conueniens, à cibis, & à potibus ſuperfluis refrænando, vt ſic optatam valeat conſequi ſanitatem. Quintò tandem poſt medicinam purgatiuam, ac poſt ſanitatem conſecutam, medicina exhibeatur præſeruatiua, vel per balnea: aut electuaria; ac moderata exercitia.

Quorum omnium perfectam debet habere notitiam, qui prætendit licitè, ac tuta conſcientia ægrotis medicinas exhibere corporeas.

§. II.

EN modò mi curioſe Exorciſta, qui in alienam meſſem falcem mittere præſumis: ediſſere 446
mihi; quis te docuit, agnoſcere, corporum conſtitutiones, diſpoſitiones humorum, temporum varietates, & id generis in perſonis neceſſariò attendenda? Cuius Doctoris præceptis fuiſti imbutus ad diſcernendum infirmitatum diuturnitates, diuerſitates, contrarietates, quantitates, & qualitates? In qua paleſtra ſecernere didiciſti medicinas attractiuas ab immutatiuis: digeſtiuas à curatiuis: laxatiuas à cōſtrictiuis: aperitiuas à conſeruatiuis? Quas pharmaceuticas inſtitutiones, pharmacopæas, ſiuè antidotaria peruoluiſti, vt herbarum medicinalium vires, qualitatem, ac graduum diuerſitatem probares? Quanto tempore ægrotorum curis operam nauaſti, vt de eorum qualitatibus, ac varietatibus periculum faceres; ægrotiſquè neceſſaria ad ſanitatem conſequendam, ac conſeruandam præcepta traderes? A quo Collegio, vel Vniuerſitate conceſſa eſt tibi medendi facultas? Quid reſpondes ad hæc? Reddis Harpocratem. Nonnè vides dum ſecundum tuam propriam voluntatem, non ſequendo artis medicinæ regulas ægrotis medicamina exhibere præſumis, cęcus es, & dux cęcorum? Cęcus, inquam, quia operaris ſine lumine rationis: nec artis medicę ſcientiā, ac præcepta calles. Et licèt videaris in cęlum læuam porrigere; aſtraquè indice notare, dum cæleſtium influxuum, ac rerum medicinalium exploratorem, expertumquè te iactitas, te prodis caput aſini habentem: quia non capit mens tua res humanas: nec ſenſus res diuinas; abuteriſquè ratione ad intelligendum; atquè ipſo corpore ad operandum. Fis dux cæcorum: Nam ægroti dum ad te confugiunt exiſtimantes proprijs conſulere morbis, cęci ſunt, ac palpitantur in tenebris, fiuntquè Corebo ſtultiores; Nullum enim diſcrimen ponunt inter album, & nigrum, inter lyncem, & talpam, inter luſciniam, & vpupam. Hinc ſequitur: *Dum cæcus cęco ducatum præſtat, ambo in foueam cadunt*: vt Ieſus ſeruator noſter admonet *Mattth.* 15. Exorciſta in foueam lethalis culpæ: Ægroti næcis corporeæ.

Ideò dū vult falcem mittere in alienam meſſem

Fit cęcus & dux cęcorum.

§. III.

EXorciſta in foueam tunc cadit lethalis culpæ: cum ex notabili ignorantia, vel imperitia in 447
ſua cura nocet infirmo. Facit enim contra illud: *Non occides de pan.d.1.c.homicidium*, vbi teſte D. Auguſt. *lib.19. contra Fauſtum c.23. Aperuit Dominus foueam omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari*. Et ſecundùm Ricardum tenetur infirmo ad æquiualens, ex quo non poteſt reſarcire principale; immò etiāſi ſanitas ſequatur, peccat mortaliter: quia expoſuit ſe periculo peccati mortalis, ideſt, operi, vndè ſequi poteſt notabile damnum proximo. Ita docet Syluester. Nec eum excuſat ignorantia: vt vellet Ouidius *Epid.9.*

Vt cęcus cadit in foueam lethalis culpę. Quare cadat.

Prateritę veniam dabit ignorantia culpa.

Nequè inuoluntarium detrimentum: quia licèt hoc non intendat, nec velit directè; Voluntariè tamen exponit ſe ad illud, vndè hoc natum eſt ſequi, vt habetur 15.q.1. *cap. Merito. &* §. *obijcitur de Lamech*: quia non ſequitur traditiones artis: vt notat Petrus *in auth. Sed hodiè. C. de Iudicijs*, ideò eius imperitia, & ignorantia culpæ annumeratur. *L. ſi quis fundum.*§.*Celſus ff. loc. & L. imperitia. ff. de reg. iur.* Hoc tamen Panormit. *in cap. ad aures de ætat.*

Quando excuſetur.

& qualit. limitat, quando aſſumit officium voluntariè. Secus, ſi ex neceſſitate bona fide fecit, quod potuit deficientibus Medicis. Ita ſentiunt etiam ſylueſt. *verb. Medicus q.* 1. & Iacobus de Graffijs *lib.* 2. *Deciſion. aurearum cap.* 61. *num.* 57.

448 *Nõ excuſatur, eò quia talia adinuenerit remedia deſcripta*

Nec ipſum iuuat alia excuſatio; niſi quòd medicinæ in libris ſic ordinatæ inueniuntur. Sed & in hoc ſuam ipſemet Exorciſta prodit ignorantiam, dum medicinas legens in libris ſic ordinatas, documenta præpoſita pro talium medicamentorum vſu neceſſaria prætermittit; legitquè antecedens ſine conſequente; vel conſequens ſine antecedcnte. Vel neſcit connectere antecedens cum conſequenti. Vel non nouit diſtinguere inter propoſitiones de poſſibili, & de facto: inter vniuerſales, ac particulares: inter indefinitas, & ſingulares; ideò in penè innumeros incidit errores: ac tam imprudenter circa hoc ſe gerit, quòd ſine aliqua cognitione: an talis perſona ſit maleficiata: vel aliqua naturali laboret ægritudine, prædictas medicinas, quas deſcriptas in libris reperit, illis præbet; & quot videt infirmos, tot maleficiatos eſſe iudicat.

§. IV.

449 *Apud Valeriũ Polidorum.*

AN fortaſſe mi Exorciſta talia præbes ægrotis medicamina: quia apud Valerium Polidorum *par.* 2. *Diſperſ. dæmonum*, varia remedia corporalia maleficiatis applicabilia inueniſti? Sed cur non legiſti præfationem, vbi *cap.* 9. inueniſſes: *Vnicuiquè experto in ſua arte credendum eſſe; & ex Dialecticis omnes approbant ſapientes: Idcircò Sacerdotes, & Exorciſtas ægrotis conſulere debere, apta à Medicis ſuſcipere remedia, vt ab ægritudine releuentur: quia ſecundùm complexiones diuerſas, diuerſa quoquè vel diuerſimodè ſaltem remedia ſunt applicanda: Sacerdotum autem non eſt, nequè Exorciſtarum ſuper complexiones diuerſas iudicium ferre. Non enim talium munus eſt, noſſe: an frequens dolor capitis, ſiccitas oris, & linguæ ex paucitate ſaliuæ, aſperitas gulę, amaritudo guſtus, ſitis, appetentia ciborum torpens, amaritudo vomitus, caro attenuata, vigilia longa, dormitio breuis, & vrina ignea, citrina, tenuis, & clara arguant choleram in patiente. Siuè ſi oculi ſæpè lachrymas fundant; præcipuè mane; atquè ſomnolentia graues ſint, os madidum ſaliua refertum: lingua cum gula humida, appetitus ciborum, vt præcipuè potus defectus, digeſtio tarda, nares ſuperfluis abundantes, caro mollis, vrinaquè alba flegmatum inundantiam indicent. Vel forſitan ſi ardor ventriculi, frigiditas carnis, mordicitas ciborum canino more voratorum, hebetudo operis, ſuſpicioſitas cordis, frigiditas pedum præcipua, ſolitudo, triſtitia, tenacitas, & ira mentis; atquè vrina nigredo aliquantulum ruffa ad viriditatem, vel palliditatem tendens melancholiam præſeferant. Aut ſi rubra facies, dulcedo ſaporis ex ore profluens, veſicula oris, & labiorum, pectoris ardores, gratitudo comeſtibilium, brachiorum præcipuè pruritus, optima digeſtio, pinguitudo corporis; atquè vrina rubea, & paulùlum craſſa teſtimonia ſint dominij ſanguinis. Quemadmodum nec partium corporis temperamenta diſcernere, vt potiſſimùm cerebri, cordis, epatis, pulmonis, & ventriculi; ſed nec generaliter diſpoſitionem contemplari: vel indiſpoſitionem corporum, & eorum ſanitatem, vel ægritudinem: cùm, inquam, talia minimè Sacerdotum ſint, ſiuè Exorciſtarum.* Hæc ille.

Qui etiã docet ex accidẽtibus cognoſcere humorẽ peccantem.

§. V.

450 *Apud Zachariam Vicecom.*

AN facilè huiuſmodi remedia præſtare conſueueris: quia in Complemento artis Exorciſticæ Zachariæ Vicecomitis varia reperiſti diſpoſita alexipharmaca corporalia tàm generalia, quàm particularia diuerſis maleficiorum infeſtationibus neceſſaria? Nonnè & ipſe *part.* 1. *eiuſdem libri doctrina vndecima* priùs admonet. *Cum non ſit ponenda manus in meſſe aliena, Exorciſtæ omninò obſeruent, ne dicta, aut alia medicamina corporalia alicui tribuãt inconſulto Phyſico, cuius proprium eſt, cognoſcere morbum, & eius ſpeciem, robur debilitatem, temperiem naturalem, ætatem, mores, ſitum, magnitudinem, ſenſuumque proprietatem; & externa omnia, quæ hominem affligunt: vt tempus, regionem, medicamentorum diuerſitatem, ac cætera huiuſmodi?*

451 *Maximilianũ ab Eynaten Florianũ Canalẽ.*

Idipſum animaduertunt Maximilianus ab Eynaten. *in Manuale Exorciſmorum p.* 1. *inſtruct.* 3. Florianus Canalis *par.* 3. *cap.* 2. *Modi cognoſcendi, & ſanandi maleficiatos.* Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Præcepta Decalogi cap.* 42. *num.* 31. cæteriquè omnes, qui de remedijs corporalibus tractant, admonent etiam, non eſſe munus Exorciſtæ, remedia exhibere corporalia; ſed hoc peritis debere Medicis committi.

Hieron. Menghũ. Sed hi docẽt, talia remedia non ab Exorciſtis, ſed à Medicis exhibenda.

Vndè de huiuſmodi Exorciſtis valdè conqueritur Hieronymus Menghus Vitellianenſis Exorciſta, qui *in ſuo Fuga dæmonum cap.* 10. ſic ait: *Inimicus ille humani generis procurat ipſam adiurationem infamare, & deſtruere nititur mediante miniſterio aliquorum eius miniſtrorum, qui nomen Exorciſtæ iniquè, & impiè ſibi vſurpant, illos inſtigando ad faciendum quædam, quæ nec alicui chriſtiano ſimpliciter conuenire poſſunt. Ab ipſis enim dæmonibus, vel à nimia ſua præſumptione ducti, & impulſi ſine conſenſu Medicorum medicinas, pharmaca ordinare, & infirmis præbere non verentur. Et hoc faciunt: quia ſic ordinatum in libris huius artis inueniunt, quibus ſæpè multa ſcandala, corporibuſquè noxia eueniunt; in quo ſuam omnibus patefaciunt ignorantiam, ac imperitiam.*

452 *Vndè Exorciſtę huiuſmodi pharmaca tradẽtes nedũ ignorantes; ſed auaritiæ ſtudentes ſe produnt.*

Nec tantùm ignorantes; ſed & pecuniæ ſeruientes, & auaritiæ ſtudentes ſe oſtendunt. Nam inſtar circulatorum aquas, oleum, & pulueres, alioſquè liquores vendunt Maleficiatis ad ipſorum maleficiales curandas infirmitates; nihilquè honorem Dei, & clericalem dignitatem exiſtimantes, de Exorciſtis, qui deberent eſſe, euadunt ſimpliciſtæ, pſeudomedici, & circulatores, hanc, vel illam herbam contra dæmones quærentes, medicinas, pulueres, & hæc ſimilia maleficiatis, ac vexatis abſquè aliquo conſilio Medicorum præbentes etiam contra præcepta, regulas, & ordines in libris huius præſcriptas temerariè ſibi officium Medicorum vſurpant: ſic mundum ſcandalizant: hoc ſacrum exercitium deturpant, & reputationem, honoremquè à veris Exorciſtis auferunt; ideò iuremeritò dici poſſunt in foueam cadere lethalis culpæ, præter irregularitatem, quam incurrunt, dum cum ipſis ſpiritibus immundis quandoquè etiam animas quorundam ex ipſis corporibus excutiunt.

§. VI.

HInc & ægroti incidunt in foueam næcis corporeæ. Experientia enim rerum magiſtra docet indies, eorum, qui ab hiſce Exorciſtis, Religioſis, mulierculis, alijſquè id generis pſeudomedi- 453

Ægroti vero cadunt in foueam mortis corporea. Hoc teſtātur Cornelius Gēma. medicis alexipharmaca ſumpſerunt, puta, antimonium præparatum, catapotiam, ſcammonium, elleborum, colicynthidem, ac cætera huiuſmodi medicamina pro ſanitate conſequenda: plures feſtinanter viam vniuerſæ carnis eſſe ingreſſos. Comprobatur exemplo relato à Cornelio Gemma *lib. de diu. natur. charact.* Quidam Medicus Anglus ex Paracelciſtico genere alioqui in arte chymica valdè inſignis febre quadam detentus vnà cum vxore tum huic, tum ſibi ipſi porrexit antimonium præparatum, vt vocant. Illa quidem celeriter in maniam fortiſſimam verſa vitam cum morte commutauit. Hic autem primò conqueſtus inſomnia, vigiliaſquè continuas à deiectione non pauca ante ſeptimum diem in delirium venit: à delirio ſtatim factus eſt epilepticus: ex epilepſia in coma lethargicum incidit, cui quid apoplecticum miſceretur. Eo ſopore detentus triduum rurſus ad inſaniam redijt, horrendoquè furore agitatus non multò poſt expirauit, & à communi lecto communem vxori tumulum eſt ingreſſus.

Zacch. Vicec. Hac de re fatetur etiam Zacharia Vicecomes *in Complem. art. exorciſt. loco citato* ſe vidiſſe aliquos Exorciſtas ſine conſilio Phyſicorum medicamina ægrotis exhibentes, eos occidiſſe. Vndè etiam *Alexan. Albert.* Alexander Albertus *in ſuo Malleo dæmonum in epiſt. nuncupata: Documentum ad vexatum* ſic eum admonet: *Te hortor, ſi quis Religioſus tibi vellet corpoream aliquam propinare medicinam, quòd eam omnino reſpuas; nec vllo modo ſumas: quia ego proprijs oculis vidi nonnullos iuuenes veſpere à quodam Religioſo aliqua ſumpſiſſe medicamina, qui poſt ſex, vel ſeptem horas vltimum obiere diem, quod mihi maximum fuit ſcandalum.* Hoc idem eueniſſe in territorio Bergomenſi ẽgomet audiui. Qaare cum maleficio additur morbus naturalis ſiuè à cauſa naturali, ſiuè à dæmone excitatus, infirmus ſe committat Medico, qui diſponat ſicut expediens iudicauerit, Et licèt varij Auctores ſuis Exorciſmarijs varia corporalia appoſuerint medicamina; multas tamen circunſtantias addiderunt: quæ nec obſeruantur, nec intelliguntur à multis.

§. VII.

454 *Tandem Exorciſtis hoc munus prohibetur.* SEd eſtò Exorciſta plenam, ac perfectam habeat artis medicæ notitiam, adhuc ſibi onus medicinas corporeas exhibendi non incumbere, nemo eſt qui ambigat. Clericis enim, qui ſunt in ſacris: vel etiam in minoribus conſtitutis, dum tamen ſint ſufficienter beneficiati ſecundùm Raynutium non licet operari in medicina phyſica, niſi gratis pro miſerabilibus perſonis, vel conſanguineis; nec tunc vbi poſſet eſſe periculum. Quod etiam in clauſtralibus diſtrictiùs eſt obſeruandum: vt habetur *in titulo: Ne Clerici, vol Monachi ſæcularibus negotijs ſe immiſceant.* Præcipuè autem officium *A lege canonica.* Chirurgi, quod inciſionem, vel aduſtionem requirit, ſecundùm eundem eſt clericis interdictum *c. ſententiam. Ne Clerici, vel monachi, & c. tua noſ. de homicidio volunt.* In quibus capitulis licèt non videatur dici niſi de exiſtentibus in ſacris; tamen idem poteſt intelligi de exiſtentibus in minoribus beneficiatis ſecundùm Panormit. *in d. c. ſententiam arg. c. 1. depoſtulando.* Et contrahit talis clericus irregularitatem, quam non contraheret laicus: vt ait Syluest. *verb. Medicus q. 2.* quia dat operam rei illicitæ: ſi moritur æger eius cauſa.

Ab Eccle . . ritib. Hoc idem in Rituali Romano, vbi de forma exorcizandi obſeſſos, Exorciſtis cauetur his verbis: *Caueat proindè Exorciſta, ne vllam vmquam medicinam infirmo, vel obſeſſo præbeat: aut ſuadeat; ſed hanc curam Medicis relinquat.* De his vide infra diſp. 4. num. 707. & ſequentibus.

Cum ergo in medicam artem exercente tot rerum poſtuletur cognitio; Clericique huiuſmodi exercere munus inhibeantur. Quiſnam Exorciſtarum hanc ſibi audeat aſſumere prouinciam? Nemo ſanè, niſi inſanæ mentis ignorantiæ tenebris obrutus, & obcæcatus, auaritiæquè ſtimulis agitatus, & excitatus.

§. VIII.

QVarè ſi Exorciſtarum non eſt, huic incumbere oneri, illud ſubire Medicorum eſſe, indubitanter aſſerimus; qui rectè ſe gerere debet in remedijs aſſignandis tàm corporalibus, quàm ſpiritualibus. 455 *Concluditur, ad Medicū ſpectare*

In corporalibus remedijs cenſebitur Medicus perfectè ſuas implere partes, debitoquè perfungi officio, ſi practicè ſequentia obſeruabit monita.

Primum. Sciat, ſe teneri ægroto adhibere, ſi poteſt, medicinam certam, relicta probabili, & dubia: quia tenetur ratione ſui officij, & charitatis ægrotantis ſaluti proſpicere, & nullo modo eum periculo exponere; meritòque infirmus conquereretur de Medico potente ſecurum medicamentum adhibere, ſi adhibet ſolùm probabile. Ita ſentiunt Bonac. *diſput. de legib. q. 4. punct. 9.* Ferdinandus à Caſtro *diſput. 2. de conſcient. opin.* Alijquè Apud Bonac. *loco citato* 456 *Qui tradere debet ſi poteſt medicinā certam relicta probabili, & dubia.*

Secundum. Quando nullum eſt medicamentum certum, probabile debet adhibere. Et quando nullum adeſt probabile, dubium tenetur adhibere: dummodo ſit certus, medicamentum minimè nociturum: quia tunc nulli periculo infirmum exponit. Et ex alia parte poteſt illo remedio adhibito ab ægritudine liberari. Quam veritatem fatetur Thomas Sanchez *lib. 1. in precept. Decalogi cap. 9. num. 42.* cum Valentia *2. 2. diſp. 3. queſt. 10. punct. col. 665.* 457 *Si no adeſt medicamentū certum, probabile adhibeat*

Tertium. Illicitum eſſe ſciat, experientiam facere de medicamentis: An ſint ſalutaria, vel noxia, etiam in ægrotis deſperatis, tum quia nemini licet, morte proximi ſcientiam conſequi, tum etiam quia ſic operans dubius eſt: an mortem acceleraturus ſit medicamento; idcircò quantum ex ſe accelerationem intendit, & conſequenter peccat. Sic docent Azor *lib. 2. Inſtitut. Moral. cap. 17. quaſt. 11.* Cordub. *lib. 3. queſt. 5.* Anton. Perez *certam. 10.* Scholiaſt. *n. 87.* Villalobos *tom. 1. ſumm. tract. 1. difficult. 16. num. 1. & 4.* Vaſquez *1. 2. diſput. 64. c. 4.* Salas *ibidem tract. 8. diſput. vnica. ſect. 14. num. 136.* Sanchez *loco cit. num. 38.* Ferdinandus de Caſtro *loco citato.* 458 *Non licet facere experimentū de medicamētis.*

Quartum. Illicitum eſſe nouerit, medicamentum applicare, de quo dubius eſt omninò, an nociturum, vel profuturum ſit; ſed neceſſariò requiri: vel quòd certus ſit, non obfuturum; vel quòd probabile ſit, profuturum, licèt de ſalute ægri deſperetur. Ratio dictat: quia applicans medicamentum, de quo nullam probabilitatem habet, eſſe profuturum: ſed potiùs dubitat, an nociturum; quantum eſt ex ſe applicat cauſam efficacem mortis; ideòquè illicita eſt talis applicatio. In dubijs enim tutior ſequenda eſt via; cuiuſmodi eſt relinquere infirmum naturæ, & Creatori, quàm Medicinæ exponere, de qua neſcit. Ita *de homicid. cap. petitio. & cap. iuuenis de ſponſalibus.* Idem eſt enim, quòd de medicamentis facere experientiam in ægrotis deſperatis, quod ſupra illicitum eſſe, demonſtratum eſt. Huic poſitioni ſe ſubſcribunt 459 *Non licet tradere medicamentum de quo dubius eſt, an nociturum, vel profuturum.*

bunt Abbas *in c. tua nos. de homic.* §. *ad vltim. n.* 4. Innoc. *ibi. num.* 1. Ant. de Butrio *num.* 15. Syluest. *ver. Medicus quæſt.* 4. *dict.* 1. Angelus *num.* 2. Sayrus *in Claui regia lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 6. 9. 10. & 11. Salas, Azorius, Perez, Villalobos, & Corduba *loco citato* contra Sanchez, Valentiam, & Bonacinam *loco citato*.

Verùm vtcumquè Medico probabile ſit, remedium profuturum, poterit illo vti: vt ferè omnes Doctores ſupra relati tenent, quia tunc non morali periculo mortis infirmum exponit; ſed probabili ſpei ſalutis.

460 *Poteſt tradere medicinā quæ directè eſt cauſa ſalutis vnius, & indirectè mortis alterius.*

Quintum. Sibi licitum eſſe non ambigat, medicinam alicui propinare, quæ directè eſt cauſa ſalutis, ac vitæ vnius, licèt indirectè ſequatur mors alterius. Quamuis enim contrarium ſentiant Syluest. *verb. Medicus q.* 4. Nauar. *cap.* 25. *num.* 62. & Archidiaconus; & videatur communior ſententia. Attamen mihi non arridet. Nam licèt non poſſit propinare pharmacum, puta prægnanti, per quod directè excludatur: aut occidatur fætus: quia eſt intrinſecè malum, vbi occiſio eſt innocentis. Eſt tamen licitum, & ab omni ſcrupulo liberum, agere ad ſalutem matris pro ſe, & directè, etiam ſi indè ſciatur futura fœtus ſuffocatio, & mors: quia mater non poteſt aliter vitam ſeruare.

Ratio fauet à ſimili. Primò, quia ſi matri prægnanti occurrat taurus, aut aliqua fera licet illi currere velociter, etiamſi euidenter ſciret, ſtatim ſecuturum abortum; quòd ſi licet fugere, potuit etiam ſumere pharmacum; & Medicus illud porrigere. Secundò certum eſt, licere innocentes etiam cognitos occidere, cum immixti ſunt nocentibus ad victoriam conſequendam; ergo multò magis licebit ad ſeruandam vitam, pharmacum prægnanti propinare; quia vtrumquè eſt per accidens.

Huic ſententiæ calculum album addunt Bannes 2. 2. *q.* 44. *art.* 1. *dub.* 11. *in medio. quæſt.* 64. *art.* 2. *de homicid. ſub finem.* Petrus de Aragonia 2. 2. *q* 64. *art.* 7. Lopez *cap.* 17. *caſu vltimo.* Et Lazarus de Lancellottis *in nouis addition. ad Syluestrum Prieratem verb. Medicus.*

Ad rationem verò, quæ ex D. Paulo Roman. 3. afferri ſolet. *Quod non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.* Dicimus, quòd non licet facere malum, vt eueniat bonum. Licitum tamen eſt, facere bonum, quamuis ſequatur malum: vt hoc caſu fit.

461 *Poteſt tradere medicamē, quod exiſtimat probabile, licèt probabilius tātùm de mente aliorum.*

Sextum. Licitum eſſe non ignoret, applicare infirmo medicamentum, quod exiſtimat probabile; ſed in aliorum opinione probabilius, & ſecurius, quàm in ſua propria. Poteſt enim deponere propriam opinionem, & aliorum ſententiæ adhærere: vt ſentiunt Aragonius 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *dub. penult.* Azor. & Salas *loco cit.* cum Sanchez *lib.* 1. *in præcepta Decalogi cap.* 9. *n.* 42. & Nauarro *c. Si quis autem de penit. diſt.* 7. *num.* 74. & 75. *in ſolut. ad* 3.

Simpliciter autem loquēdo Medicus in adhibendis, & applicandis remedijs, ac medicinis non poteſt ſequi opinionem probabilem, relicta opinione, quæ vel ſibi: vel ſaltem alijs videtur probabilior, & tutior; ſed hanc tenetur ſequi, relicta minus probabili. Ità ſentiunt Bonacina *de Legib. diſput.* 2. *q.* 4. *punct.* 9. *num.* 22. Becanus, Suarez, & Sanchez ab ipſo Bonacina relati. Abſolutè autem illum peccaturum docet *Sotus lib.* 3. *de iuſtitia q.* 6. *art.* 5. *ad* 4. Michael Salonius 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *controuerſ.* 2. *ad.* 2. & Vaſquez 1. 2. *diſput.* 64. *c.* 4. Ratio eorum eſt, quia imprudenter agere videretur in re tam graui ſalutem proximi in diſcrimen adducendo relicta probabiliori, & tutiori ſententia. Tum quia tenetur ritè fungi proprio officio quantum poteſt cum minimo proximi damno, & periculo. Quis enim ignorat, quemlibet teneri ex iuſtitia: aut ſaltem ex charitate curare ne damnum alteri ex ſua opinione ſequatur?

462 *Imò videtur poſſe opinionē minus probabilem ſequi relicta probabiliori.*

Verùm non inconueniens videtur oppoſitum ſentiri, nempè poſſe Medicum quoad medicamētorum applicationem relicta opinione probabiliori, minus probabilem ſequi. Fauet ratio. Eſt enim in confeſſo apud omnes D. D. mox citandos: Quotieſcumquè fit comparatio inter opinionem, & opinionem poſſe in adminiſtratione ſacramentorum, relicta opinione probabiliore, operari iuxta opinionem minus probabilem. Docent Mercado *lib.* 2. *de contractibus cap.* 1. Medina 1. 2. *q.* 18. *art.* 6. Vaſquez *d.* 62. *cap.* 4. *num.* 14. Valentia 1. 2. *diſput.* 2. *q.* 12. *punct.* 5. & 2. 2. *diſput.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. Gutierres *quæſt. canon. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 23. Suarez *de Cenſuris diſput.* 40. *ſect.* 5. *num.* 6. & *tom. de pænit. diſput.* 22. *ſect.* 8. *n.* 6. Henriquez *lib.* 14. *de irregular. cap.* 3. *num.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 16. *q.* 2. 3. & 4. & *cap.* 17. *q.* 7. Bannes 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *dub.* 3. *in obiectione contra* 4. *concluſionem.* Nauarrus *lib.* 3. *de reſtitut. in noua editione cap.* 1. *dub. penult.* & ibi Michael Salon. *controu.* 2. *concluſ.* 4. Lopez 1. *par. inſtructorij cap.* 120. & 287. Ledeſma 2. *tom. ſummæ tract.* 8. *cap.* 22. Salàs 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *diſp. vnica ſect.* 6. *n.* 65. Sayrus *claui regia lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. & *de Cenſuris c.* 155. *num.* 4. & 8. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtitia, & iure c.* 29. *dub.* 8. *num.* 68. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *diſput.* 41. *num.* 30. *lib.* 3. *diſp.* 20. *num.* 4. *lib.* 8. *diſput.* 6. *n.* 18. & *in ſumma lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 14. Baſilius de Leon *de Matrim. lib.* 10. *cap.* 15. 2. *tom. de Beneficijs p.* 11. *num.* 361. & Granado 1. 2. *diſput.* 4. *ſect.* 3. *num.* 23. *tract.* 12.

463 *Patet à ſimili de Sacramētorum adminiſtratione*

Quemadmodum ergo in adminiſtratione ſacramentorum, vbi agitur non tantùm de reuerentia ſacramenti; verùm etiam de ſalute animæ, miniſter poteſt relicta opinione probabiliori ſequi opinionem minus probabilem, idem proculdubio fatendum in medicamentorum applicatione, vbi agitur de ſanitate corporis. Nam quod alijs fas eſt, Medicis denegari non debet. Huic poſitioni fauent Azorius *p.* 1. *Inſtitut. Moral. lib.* 2. *c.* 17. *quæſito* 11. Aragonius 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *dub. penult.* Ioannes Sanchez Abulenſis *diſput. pract. diſput.* 44. *num.* 36.

Ad rationes eorum dici poteſt: Medicum ſalutem proximi in deſcrimen non adducere; nec operari contra iuſtitiam; vel contra charitatem, cum iuxta ſuam conſcientiam applicet id, quod ſalutiferum fore probabiliter arbitratur. Quod autem ex probabili ratione, & cauſa fit imprudentia, & temeritate vacat; proindè Medicus nullum in ea re admittit peccatum. Nec maius damnum, aut periculum ægroto infertur, ſequendo opinionem probabilem relicta probabiliore: quia nulla habetur certitudo de operatione Medicinæ; ſed eius vis conſiſtit in diſputatione. Si enim medicamentum eſſet certum; tunc Medicum teneri ex charitate, & iuſtitia illum applicare relicto probabili, & nos indubitanter aſſerimus, quia certum eſt tenendum, & dimittendum incertum ex Regulis iuris. At cum Medicus nullam habet certitudinem de medicamento, ſufficit, quòd habeat aliquam rationem probabilem, illud profuturum.

464 *Quid ſit opinio probabilis.*

Vndè *ratio, ſeù opinio probabilis eſt illa, iuxta quam operans nec temeritatis, nec imprudentiæ notam incurrit.* Ideò quemadmodum in ſpeculatiuis illa eſt opinio probabilis, quam abſquè deceptionis, & erroris periculo amplecti licet; ità in moralibus opinio probabilis eſt, quam abſquè peccandi periculo ſequi licet, quippè nullus ad melius, atquè perfectius amplectendum aſtringi debet: quia cum omnimoda aliquando de rebus certitudo haberi

haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligauit; ſed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Namquè intolerabile onus, ac multis ſcrupulis expoſitum eſſet, ſi opiniones probabiliores inueſtigare teneremur.

465 *Magis ſe qui debet longam experientiã quàm opinionẽ probabilẽ*

Septimum. Quamuis inter opiniones medicorum ſecundùm ratione ſpeculatiuam opinio aliqua appareat probabilis, ſi tamen oppoſitum ex longa experientia, & obſeruatione colligi poſſit; in eo euentu opinionem probabilem ſpeculatiuam contra experientiam ſequi non licet; etiamſi aliud remedium non ſit. Id, quod ſingulare eſt in arte medicinæ; ſiquidem experientia longa opinionem oppoſitam omninò improbabilem reddit. Vndè ſi quis ea vteretur contra experientiam, reus eſſet homicidij propter periculum, cui ſe exponit; ideòquè in tali caſu ægrotus relinquendus eſt diuinæ prouidentiæ. E contra verò ſi aliquis Medicus longa experientia certus ſit de aliquo remedio quamuis ſpeculatiuè conuictus ſit ad partem oppoſitam, quæ plurimorum iudicio comprobatur, temeritatis arguendus non eſt, ſi propria experientia ducatur, quæ certior eſt quacumquè ratione. Ità etiam ſentit Sayrus *claui regia lib. 1. cap. 10. n. 12.*

466 *Sit diligens in ſtudẽdo*

Octauum. Meminerit Medicus, non ſufficere, quòd debita, & competenti ſcientia ſit preditus, puta naturali philoſophia; & ſi poſſibile eſt, (vt admonet Homobonus *de humana vita ſtatibus par. 2. cap. 8. num. 2. ex Hippocrate, & Galeno*) Aſtrologia probè inſtructus, vt generatim populi ingenitos mores notos habeat: quandoquidem ex varijs cæli locis, aſpectibuſuè diuerſæ corporum, morumquè contemperationes ingenerantur. Verum etiam debet eſſe diligens in reuidendo libros, in viſitando infirmum, in qualitatem rerum medicinalium, & huiuſmodi agnoſcendo: quia ſi ex eius negligentia, vel imperitia ſequatur mors, eſt irregularis, & peccat mortaliter. Similiter peccat ſi ſequatur magna aggrauatio infirmitatis ſine morte. Debet què habere intentionem iuſtificatam, vt non intendat lucrari cum alterius iactura: vt habetur *cap. nemo de Regulis iuris in 6.* Vndè curatio quàm citiſſimè poteſt, debet terminari. Et ſi curam extendit, & prolungat ad lucrum, peccat mortaliter; & illud plus reſtituere tenetur. Sicut etiam ſi permittat aromatarium ponere in confectione medicinæ ſpecies non ſufficientes propter vetuſtatem: vel alium defectum, vt ipſe plus lucretur, peccat grauiter; & tenetur vterquè infirmo reſtituere pro dãno illato. Si tamen medicinam ſecundùm artem dedit, & omnem debitam diligentiam adhibuit, non imputatur ei, ſi ex defectu ſpecierum: vel admixtione alia ſit nociua.

Viſitãdo infirmũ, aliaquè ſuo muneri ſpectãtia adimplendo.

Sic etiam ſi Chirurgus ſit peritus, & diligentiam adhibeat, non eſt in culpa, ſi infirmus propter inconſuetam diſpoſitionem venarum: vel inſolitum timorem, aut tremorem moriatur; vt colligitur *ex cap. ex litteris de frigidis, & maleficiatis.*

Quia autem perſæpè ſolet dæmon medicinis miſcere aliquid virtutem medicinæ impediens nemine videntem, & aduertente, quod facit oppoſitum producere effectum; vt exemplis à pluribus comprobatur; ideò, ne Medicus decipiatur, & infirmus periclitetur, vtile: ac proficuum erit, vt antequam applicentur; vel ſumantur, prius benedicantur ab Exorciſta, vel alio Sacerdote iuxta illud Sancti Alexandri Papæ huius nominis primi. *Elementa quoquè diuinis apta vſibus, & humanis neceſſaria infirmitatibus ſacrate, infirmos curate, & cætera, quæ ad vos pertinent, diligenter perficite.*

Nonum. Numquam licet Medico dare medicinam corporalem contra ſalutem animæ: quia præpoſterus ordo eſt, corpus animæ præferre. Et ne faciat, præcipitur ei ſub pæna excommunicationis *c. cum infirmitas de pœnitent. & remiſſionibus.* Vndè eſt mortale peccatum conſulere fornicationem: vel ebrietatem ſecundùm Archiepiſcopum. Et huiuſmodi. idem ſecundùm Ioannem Andream ſi dicat: *Non conſulo tibi; tamen ſi accederes ad aliquam muliertm ſanareris;* quod intellige, ſi hoc dicit in fraudem legis, ideſt ea intentione, vt hoc faciat: quia reuera hoc eſt conſulere, ideſt, oſtendere, quid ſit faciendum. 467

Non licet dare medicinam corporalẽ contra ſalutem animę.

Similiter ſi hoc dicit, non in fraudem; ſed tamen ex imprudentia hoc dicit illi, de quo debuit veriſimiliter cogitare, quòd eum exponebat periculo ſic faciendi: quia hoc eſt ſcandalizare puſillum. Tales enim ſunt illi Medici, qui ſine cauſa abſtinẽtias carnium, vel Eccleſiæ ieiunia diſſuadent: aut diſpenſant in talibus ex aliquo vano reſpectu, vel mentis diſſolutione, qua talia negligunt, aut quod peſſimum, fortè contemnunt. Secus ſi id faciant ex cauſa rationali credita, vel ſaltem dubitata. Ita ſentiunt Syluester *verb. Medicus q. 4.* Graſſius *lib. 3. Deciſion. aurearum cap. 14.* Buſæus *in lib. de ſtatib. hominum*. Sayrus *Claui regia lib. 1. cap. 10. num. 21.*

Decimum tandem. Semper ante oculos mentis habeat Medicus illud principium generale legis naturæ: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris*. Nec non Seruatoris noſtri, & Iudicis ſupremi verba *Matthæi 25.* quibus in die Iudicij reprobis, ac damnatis inhumanitatem in pauperes exprobrabit dicens; *Infirmus eram, & non viſitaſtis me*, quod tunc *mihi non feciſtis, quandiù vni de his minoribus*, ideſt pauperibus *non feciſtis*. Ideò procertò ſciat Medicus, teneri, pauperibus non valentibus ſoluere, gratis mederi; imò etiam ſoluere medicinas, ſi ipſe poteſt, & ipſi ſunt impotentes ſecundùm Gloſſam *diſt. 83. §. 1.* quia plus debet valere apud Medicum vita illius pauperis, quàm propria pecunia, vt habetur *c. non ſatis d. 86.* Ita Nauarrus *c. 25. n. 60.* Filiucius *tract. 28. par. 2. c. 10. q. 6.* Ægidius Trullench *expoſit. Decal. lib. 4. c. 1. d. 11. n. 6.* Sed intellige quando nec per ſe, nec per alios magis coniunctos, nec per eos, qui magis poſſent, valent curari. 468

Tenetur medicare pauperes charitatis ergo: cum ſoluere nõ valet

Quando ad id teneant.

Non tamen tenetur Medicus, eos quærere; ſed ſufficit, ſi occurrentibus, aut ſe vocantibus ſubueniat, quia remiſſio ſalarij, & medicinarum impenſa eleemoſyna quædam eſt, in qua attendẽda ſunt fides, cauſa, locus, tempus, modus, neceſſitudo, ætas, debilitas, & conditio.

Sed quid, ſi infirmus diues eſt; ſed tamen ex auaritia nihil vult ſoluere Medico? Numquid gratis tenetur eum curare? Videtur, quòd non, cum nemo de ſuo cogatur facere beneficium *cap. precariè 10. q. 2.* Medicuſquè licite poſſit recipere mercedem. *c. non ſanè 14. q. 5.* 469

Diuites nolentes ſoluere

Verùm fatendum eſt, Medicum teneri, eum curare ſuis impenſis; ſi alius ei non medetur, ſecundùm Gloſſam ibidem. Sed tamen poterit repetere expenſas, ſi conualuerit, quia vtiliter geſſit negotium eius *L. Pomponius ff. de negotijs geſtis*. Imò etiam ſi moriatur æger, repetet impenſas ab hæredibus, quia ſufficit, ſi vtiliter cæpit gerere, licèt effectus non ſit ſecutus *ff. eodem. L. an vltrò, & ff. de officio preſid. L. illicitas §. Sicuti.* Nec poteſt illi obijci, quòd cauſa pietatis fecerit ſumptus illos *ff. de negotijs geſtis L. alimenta*, niſi eſſet propinquus infirmo, vt *C. eodem L. alimenta*: quia oporteret proteſtari tunc, quòd non intendit gratis mederi: aut exponere; alias non repeteret. Coram enim Deo non poteſt repetere, ſi intendebat gratis

Poterit tamen repetere expẽſas

hæc

hæc facere, nec coram hominibus, ſi de illa intentione conſtaret.

470 *Quid ſi medicus ægrotum inuitum curet.*

Quid deniquè ſi infirmus prohibeat, ne aliquæ medicinæ ſibi dentur; Medicuſquè inuitum illum curet. Similiter Chirurgus habentem putrefactum pedem multa impenſa curauit; quod niſi feciſſet, pedem oportebat abſcindi; ſed deindè expetente mercedem, eam negat curatus, dicens, ſe maluiſſe abſciſſionem pedis, quàm huiuſmodi ſolutionem. Sicut primus dicit, magis voluiſſe mortem, quàm ſoluere medico mercedem?

Reſp. quòd licèt quidam dicant, Medicum, vel Chirurgum nullam habere actionem: vt *C. de neg. geſt. L. vlt.* Attamen conſultiùs fatendum, quòd cum inuitum poteſt curare, ſicut inuitum poſſet extrahere de domo ruitura *c. ipſa pietas. 23. q. 4.* Inuito enim poteſt conferri beneficium *c. & qui emendat. diſt. 45.* vbi Auguſtinus dicit, *quòd multa bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati; quia ſibi ipſi inueniuntur inimici.* Et Gloſs. *notab. in cap. 1. diſt. 79.* idipſum confirmat. Imò præſumi poteſt, ipſum furioſum, cum illa verba dixit in ægritudine: vt *ff. de conditionibus inſtitutionum. L. quidam.* Et extra *de ſucceſs. ab inteſta. cap. final.* Ideòquè ſoluere tenetur: vt notat Bartolus *in L. Stichus. ff. de pec. leg.* pro omni eo, quod tangit perſonam: vel libertatem: vel vitam: vel ciuilitatem ille, pro quo ſoluitur, non poteſt dicere, non eſſe vtiliter geſtum. Vndè ſi amicus animo repetendi ſoluit pro condemnato ad ſoluendum certam ſummam: aut ad pedis abſciſſionem: vel aliud faciendum in perſonam id nolentem ſoluere; non poſſet ille dicere, quòd reddere nolit, quia maluiſſet pedis abſciſſionem. Idem dicendum, ſi quis ſit condemnatus in centum, quæ niſi ſoluerit ſit bannitus, & aliquis ſoluit pro eo; dicere non poteſt, non expediuiſſe ſolutionem, eò quòd potiùs expediebat eſſe bannitum. Sic ægrotus à Medico, vel à Chirurgo inuitè ſanatus non poteſt denegare ſolutionem, quia vtiliter eius geſſerunt negotium. Ità Bartolus *in d. L. Stichus.* & ibi Gloſs. Quibus ſe ſubſcribit Sylueſter *ver. Medicus quæſt. 5.*

Si hæc ſeruauerit Medicus in corporalibus remedijs exhibendis, fidere poterit, ſuum perſoluiſſe penſum. Qui Ideò morbos non curat, vt dæmones expellat: vel prout à dæmone ſunt inducti; ſed prout per cauſas eueniunt naturales.

§. IX.

471 *Medicus in ſpiritualibus medicinis trádendis tenetur ad duo.*

IN ſpiritualibus autem licèt videatur ſe ingerere non debere: quia nihil per ſe conſiderare valet præter humanum corpus ex parte vndè ſanatur: vel à ſanitate remouetur; & hoc ſecundùm cauſas planè ſenſibiles, atquè corporeas. Attamen quia ex ingraueſcente morbo, qui eſt præcurſor mortis, tempus innoteſcit, quo maximè homo ſuæ animæ ſaluti conſulere debet, Medicus aliquem inuiſens morbo affectum corporali, vt à morbo ſpirituali liberus vltimum omnium terribilium conſtanter, ac feliciter valeat ſubire, duas tenetur ſequentes ei ſpirituales præſtare medicinas.

Primò tenetur admonere ægrotos vt cõfiteantur peccata ſua iuxta decretum Innocentij III. Pij V.

Prima. Medici vocati ad ægrotos, eos tenentur admonere, vt idoneo Confeſſario omnia peccata iuxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ confiteantur. Sic decretum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 22. relato in *c. cum infirmitas de pænit. & remiſs.* vbi Medicis præcipit, vt cum ad ægrotos vocari contingerit, ipſos ante omnia moneant, vt animarum Medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ægritudine conſtitutio ſuadetur, in deſperationis articulum incidant. Quod ſalutare præceptum, ne vlla vnquam temporis præſcriptione aboleretur; ſed ſemper obſeruetur, Pius V. felic. recordat. præfatam Conſtitutionem innouauit Conſtitutione, quæ incipit: *Super Gregem dominicum*, edita anno Domini 1566. qua ſtatuit, quòd Medici, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, vt idoneo Confeſſario omnia peccata ſua iuxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ confiteantur; nequè tertio die vlterius eos viſitent, niſi longus tempus infirmo Confeſſarius ab aliquam rationalem cauſam conceſſerit. Tranſgreſſores præter pænas in Conſtitutione Innocentj contentas, quas incurrere declarat; vult, quòd perpetuò ſint infames, & gradu medicinæ, quo inſigniti erant, omninò priuentur; & à Collegio, ſeu Vniuerſitate Medicorum eiiciantur, ac pæna etiam pecuniaria arbitrio ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur. Quæ omnia, vt inuiolabiliter obſeruentur præcipit, vt nullus vbiquè locorum medicina doctoretur: aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio, & Vniuerſitate concedatur; niſi omnia in prædicta Conſtitut. contenta medio eorum iuramento coram publico Notario, & teſtibus in eorum manibus, vel ordinarii obſeruare iurauerint; & de huiuſmodi iuramentis in priuilegio, ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat.

Circa quam Conſtitutionem, quia ſecundùm diuerſas regiones, ac temporum, perſonarumquè 472 varietatem varii poſſunt euenire caſus, quibus eam obſeruare Medici non teneantur, in gratiam piorum Medicorum nonnullos eorum hìc ſubiiciam, ex quorum intelligentia planè conſtabit, vbi, quando, & reſpectu quorum debeat talis obſeruari Conſtitutio.

In quib. caſibus Medici prædictã Conſtitutionem obſeruare.

1. Violantes dictam Conſtitutionem, vbi recepta eſt, peccant mortaliter peccato periurii; faciunt enim contra iuramentum emiſſum. At vbi vſu recepta non eſt, Medici non ſeruantes non peccant: quia iuramentum cenſetur factum de ſeruando decreto, quatenus obligat. Vbi autem non eſt receptum, non obligat. Ita Bonacina *de leg. diſput. 4. q. 1. punct. 16. num. 9.*

Vel Teneantur Vel Non teneãtur

2. Prædictum decretum obligat ſolùm Medicos, dum ſperatur, admonitionem profuturam; Propterea ſi conſtet, admonitionem non eſſe profuturam, non tenentur admonere. Sicut nullus tenetur ad faciendam correctionem fraternam, niſi ſperatur profutura; quia ad opus inutile nemo tenetur. Sic docent Dominicus Bannes 2. 2. *q. 33. dub. 4. art. 3.* Reginaldus *lib. 4. c. 25. n. 237.* Valent. *tom. 3. diſp. 3. q. 10. punct. 2.* A fortiori, ſi dubitatur admonitionem non ſolùm non profuturam; verùm etiam obfuturam, ſeu allaturam damnum ſpirituale, non tenetur admonere. Et mens Pontificis debet iudicari talis: ver. gr. Si rationabiliter dubitetur, & veroſimiliter credatur, peccatorem prolapſurum eſſe in aliquam blaſphemiam: vel commiſſurum aliud peccatum. Ratio eſt, quia admonitio dirigitur ad emendationem, & vtilitatem; non ad deſtructionem & ruinam.

3. Quandocumquè dubitatur; an admonitio ſit profutura; vel non, tunc tenetur Medicus admonere; quia in dubijs tutior pars eſt eligenda. Quod licèt verum non ſit in dubio iuris; veriſſimum tamen eſt in dubio facti; præcipuè in foro conſcientiæ: & vbi agitur de ſalute animæ propriæ, vel alterius: vt tenent Ioan. Andreas, Cardinalis, & Ananias *cap. ad Audientiam de homicidio num. 46.* & Panormitan. *ibi. num. 2.* Felinus *num. 17.* In hoc autem caſu non eſt dubium iuris: quia clarum eſt ius; ſed

ſed eſt dubium facti reſpectu huius, vel illius infirmi: vel reſpectu temporis, quo facienda eſt admonitio. Ideoquè in dubio tenentur Medici eligere partem tutiorem admonendo infirmum iuxta Decreti præceptum, vt confiteatur peccata ſua.

4. Prædicta Conſtitutio obligat Medicos, dum morbus eſt grauis: vel dum periculum eſt, vt morbus fiat grauis. Ratio eſt, quia durum videtur, obligare Medicos, dum infirmitas non eſt grauis: vel non eſt periculum, vt fiat grauis. Tum etiam quia infirmus dum graui non laborat infirmitate, non tenetur confiteri, ergo nec Medicus tenetur illum admonere, nequè abſtinere ab infirmi cura, antequam infirmus confiteatur. Morbus autem regulariter cenſetur grauis, quoties eſt talis, vt cogat infirmum iacere in lecto: vt patet ex Decretis prędictorum Pontificum loquentibus de infirmo iacente in lecto. Ita ſentiunt Nauar. *in Manuali cap.* 25. *num.* 61. Graffius 1. *par. lib.* 3. *Deciſion. cap.* 14. *n.* 7. Rodriquez 1. *par. cap.* 246. *num.* 1. *concluſ.* 2.

5. Sufficit, vt admonitio per alios fiat. Nam finis Decreti eſt, vt infirmus recipiat ſacramenta. Si ergo finis obtineatur alio admonente, non eſt cur Medicus per ſeipſum admonere obligetur. Hic faciunt, quæ de correctione fraterna ſupra dicta ſunt, *diſput.* 1. *huius tomi num.* 111. & 112.

6. Tandem hoc Decretum non adeò ſtrictè obligat, vt Medici teneantur deſerere infirmum; dum eo derelicto morbus fieret grauior, & infirmus graue pateretur damnum, ſi deſereretur. Nam præceptum humanum non obligat ad faciendum contra charitatem. Charitas perſcribit, vt ſubueniatur ægro. Ità Archidiac. Nauar. *cap.* 25. *num.* 61. Suarez *tom.* 4. *diſput.* 35. *ſect.* 3. *num.* 4. Graffius 1. *p. Deoiſ. aurear. lib.* 2. *cap.* 14. Sanchez *in ſumma l.* 3. *cap.* 16. Rodriquez *cap.* 246. 1. *par.* & alij plures apud Suarez *loco citato*.

Ex his omnibus patet, quibus ægrotis, vbi, & quando à Medicis exhibenda ſit prima Medicina ſpiritualis, quæ eſt admonitio ad confitendum idoneo Confeſſario iuxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ, omnia peccata ſua.

473 *Si mortem futuram præuiderit, tenetur ex præcepto nuntiare infirmo Vel Per ſe. Vel Per alios.*

Secunda. Si Medicus mortem futuram infirmi præuiderit, tenetur ex præcepto per ſe; vel per alium hoc nuntiare infirmo ſecundùm Ioannem de Neapol. *in* 11. *Quodlib.* ſi probabiliter credit, quòd hæc annuntiatio multùm proderit illi: puta quia eſt in peccato mortali, & confitebitur: vel ordinabit de rebus ſuis; & compeſcet futuras lites: quia tacendo damnificaret indirectè, dum non obuiaret futuro damno, cum poſſit, & debeat. Ad quod tenetur etiam, ſi dubitat: an hæc nuntiatio vtilis ſit, nec ne: quia in dubio tenetur homo vitare notabile damnum proximi, ſi poteſt. Vno tamen ex habentibus curam infirmi nuntiante, alii liberantur. Si verò Medicus hoc non credit, nec dubitat; ſed credit oppoſitum, ſcilicet, quòd parum, aut nihil proderit nuntiatio iſta. Et per oppoſitum parum, aut nihil oberit taciturnitas: vt quia putat eum eſſe in bono ſtatu; & ſua ordinaſſe, non tenetur nuntiare: quia probabile eſt, eum ex ſcientia mortis futuræ diſponendum. Quod ſentiendum etiam, ſi eum ità malè diſpoſitum videtur, quòd audita morte non proficiſcitur in melius; ſed fortè in deterius, eadem nempè ratione non tenetur.

Galeno autem dicenti, quòd ſemper Medicus etiã de ſalute deſperans ſanitatem ſpondere debet infirmo, ſecundùm Ioannem de Neapol. non eſt ſtandum, Vel ſecundùm Archidiaconum eſt verum, quando nuntiatio multum noceret, & taciturnitas parum obeſſet. Vel dicendum, quòd loquitur tanquam ignorans ſpiritualem ſanitatem, & vitam.

§. X.

Hæc igitur omnia ſupradicta ſi exactè Medicus præſtiterit, dignus iuremeritò erit exiſtimandus, qui non tantùm honoretur propter neceſſitatem; verùm & à ſapientibus, ac prudentibus ob ſuas excellentes virtutes, ob animi præclaras dotes, ſapientiam, prudentiam, liberalitatem, pietatem, clementiam, charitatem, ac ſollicitudinem inſignibus laudibus efferatur, vocis præconiis exornetur: illuſtribus encomiis extollatur, ac vbiquè terrarum prędicetur, ac celebretur. De quo poterunt cantari illi verſus Eboani Poetæ: 474

474 Hæc ſi obſeruauerit Medicus, dignus erit qui non non tantùm honoretur ob neceſſitatem. Sed propter ſuã virtutẽ, & excellentiam.

Vir medicus ſiquidem multis virtutibus vnus.
Præualet ante alios multos, ſeù tela ſagace
Corporibus defixa manu trahit, intima ſcrutans
Mitia, ſeù docta miſcet medicamina dextra.

Nec non illi Ouidii *de Ponto lib.* 2. *eleg.* 9.

Regia (crede mihi) res eſt ſuccurrere lapſis
Conuenit & tanto, quantus es ipſe, viro.

Et verè, vt potè qui remediis corporeis ſalutem ægris impertitur corporalem; De ſalute verò corporea deſperatis ſpiritualibus auxiliatur medicinis; *vt eorum mors iuxta effatum D. Bernardi de tranſitu Malachiæ, ſit pretioſa tanquam finis laborum, tanquam victoria conſecutio, tanquam vitæ ianua, tanquam imperfectæ ſecuritatis ingreſſio.*

Si verò poſt omnem adhibitam diligentiam Medicus à ruſticis, idiotis, vilibuſquè plebæis non laudetur; ſed potiùs contemnatur, meminerit illorum verſuum Periſauli Fauſtini Poetæ ad Medicum loquentis.

Omnia aperta tibi quicquid medicina recondit
Intima naturæ, vel rerum pondera noris
Hippocrates fias, ſiaſquè Machaone maior
Quas & Phyllirides: vel quas Epidaurius herbas
Noueris, & quicquid præſagus nouit Apollo.
Siſquè ſalus orbi, fas ſit tibi ducere ab orco
Extinctos homines, iterumquè animare ſepultos:
Nomen, opes, famam cumules hac arte perennem

Paulò poſt ſubdit:

Feceris & poſtquam quicquid iubet ipſa medendi
Norma, niſi valeat, ſubitòquè reuixerit æger,
Murmurat inſipiens vulgus, linguaquè loquaci
Et loquitur de te conuitia talia iactans:
Heù mihi? Quàm ſtultum eſt Medicorum credere nugis
Quàm ſæpè hos videas morbo laborare moleſto
Pallere aſſiduè, vultuquè referre cadauer.
Nec ſibimet proprias alijs prodeſſe nec artes:
Quare nulla ſuis ſuccis adhibenda fides eſt.
Quam rarò proſint, latè què abſtruſa ſub his mors.

DISPVTATIONIS TERTIÆ
DE CVRATIONE MORALI.

SVMMARIA.

§.1. *CVratio moralis deſcribitur.* 475.
Dæmon in ſuis maleficijs quærit ſe Deum videri. ibi.
Dæmon quædam inſtituit inſtrumenta vt ſigna, quibus aſſiſtere promittit. ibi.
§.2. *Illa inſtrumenta ſunt ſigna falſa, & deceptoria.* 476.
§.3. *Quid de curatione morali ad mentem aliorum ſentiendum.* 477.
§.4. *Documentum Ritualis Romani de ſignis maleficij deſtruendis.* 478.
Praxis, & monitum Ritualis non ſunt neceſſario adimplenda. 479.
Exponuntur ab Auctore verba Ritualis Rom. 480.
§.5. *Curatio moralis vt probabilis admittitur à Theologis, Canoniſtis, Iuriſtis.* 481.
§.6. *Opinio Auctoris contraria proponitur.* 482.
Probatur ex ipſius Cauſa. { *Efficienti principali. Miniſteriali. Finali. Materiali. Formali.*
§.7. *Roboratur ex longa praxi, ac contentionibus habitis ab Auctore cum dæmonibus.* 485.
§.8. *Exemplo luculento comprobatur.* 486.
§.9. *Confirmatur praxi Sanctorum, qui arti exorciſticæ incubuerunt.* 487.
§. 10. *Error multorum* { *Theologorum. Canoniſtarum. Iuriſtarum. Exorciſtarum.* } *adducitur.* 488.
Quid ſit maleficium temporale, ac perpetuum ad mentem aliorum. 489.
Quid ſit ad mentem Auctoris. 490.

DISPV-

DISPVTATIO III.

DE CVRATIONE MORALI.

§. I.

475 *Curatio moralis deſcribitur.*

ENVCLEAVIMVS hucuſque, Deo auſpice, quæ de dæmoniaca, ac naturali curatione neceſſaria duximus: modò examinanda venit diſputatio de Curatione Morali, quæ nil aliud eſt, quàm deſtructio ſignorum maleficij, quibus poſitis Dæmon ex pacto inito cum malefico, vel ſaga damnum infert: ijſque ſublatis ceſſat à malo inferendo: quæ ideò moralis nuncupatur, quòd pertineat ad mores Dæmonis, hominiſquè induſtriam.

Dæmon in ſuis maleficijs quærit ſe Deum reputari.

Dæmon enim in ſuis maleficijs quandam diuinorum operum continuè affectat imitationem, & quærit ſe Deum reputari. Vnde quemadmodum omnipotens Deus propria ductus bonitate quædam in Eccleſia ſigna ſacra (Sacramenta vocamus) ad ſalutem humani generis inſtituere dignatus eſt, quæ ſecundum Scotum *in 4. ſent. diſt. 1. q. 4.* & ego docui *in Speculo Clericorum tract. 6. c. 2.* ſunt veræ, & propriæ cauſæ inſtrumentales morales gratiæ non phyſicæ, ideſt non ex ſua vi naturali; ſed ex virtute principalis agentis, ſeù ex diuina inſtitutione, quibus ità aſſiſtit, vt quoties adminiſtrantur, toties gratiam dignè ſuſcipientibus infundat, illoſquè ſpiritualibus donis ſanctificet iuxta propriam cuiuſquè inſtitutionem. Ita Dæmon eius æmulus coniuratus, qui nihil impenſiùs appetit, quàm in pretio haberi, & Deo æqualis videri, pro ſua multiplici nequitia vult ad hominum exitium promouendum, ſalutemquè euertendam quædam ſenſibilia inſtituere ſigna, quibus ita ſemper aſſiſtere promittit, vt quoties à malefico, vel malefica adhibeantur, toties peragat maleficium, de quo ambo ex pacto conuenerunt. Solet enim Dæmon cum illo pactum inire, vt quamdiù ligatura, ver. gr. ſic alligata fuerit: vel quid tale defoſſum ſub limine, vel in lectulo abſconditum, aut talis imago igni applicata, tamdiù talis perſona ſit maleficiata: aut qui tali porta domum intrauerit, vel exierit, tali dolore corripiatur: non quia illa ſigna vim habeant ex natura ſua, & per ſe producendi, & attingendi noxios illos effectus; ſed quòd ex pacto dæmonem ad illos producendos inuitant, & alliciunt.

Dæmon quædam inſtituit inſtrumenta vt ſigna, quibus aſſiſtere promittit.

§. II.

ILla autem inſtrumenta non ſunt ſigna certa, & infallibilia, qualia ſunt ſacramenta, ſed falſa, & deceptoria: quia inuocatus dæmon non ſemper adeſt; & ſæpiùs maleficum irridet, nec vult ad votum illum audire, vel quia non poteſt, vel quia non permittitur, vel quia ſic lubet; nihilominus apponi vult, cum aliquid ab eo eius Miniſter poſtulat, vt ex vna parte per illud ſignum ſenſibile externum Maleficus internum ſui animi actum, & ad malum patrandum conſenſum proteſtetur: & ex altera parte ſicut Deus in Sacramentis colitur, ita ipſe dæmon in maleficijs honoretur. Quare ſicut poſitis huiuſmodi ſignis dæmon, ſi poteſt, ſi lubet, ſi ei permittitur, aſſiſtit damnum inferendo: ità eis ſublatis ceſſat à malo inferendo, non vt fidelitatem ſeruet, (mendax enim eſt, & pater mendacij) ſed vt illo modo ſecuriùs homines decipiat, dum fidenter cum illo audent paciſci; ſic ipſo ceſſante à malo inferendo, ægroti quandoquè priſtinæ reſtituuntur ſanitati. 476

Illa inſtrumenta ſunt ſigna falſa & deceptoria.

§. III.

477 *Quid de Curatione morali iuxta mentem aliorum ſit ſentiẽdum.* QVam moralem curationem iamdiù, cum tantùm aliorum Doctorum ſequebar opinionem, multis probaueram licitam, & rectam ex parte actus ſiuè interni, nempè deſiderij, opinionis, ac ſpei ſanitatis: ſiuè externi, videlicet verbi, & operis; necnon ex remotione cauſæ phyſicæ, & moralis, & intentione finis intrinſeci, & extrinſeci: Veruntamen cum longa experientia viginti annorum, quibus in varijs Ciuitatibus, & Oppidis arti exorciſticæ operam nauaui, ac perenni ſtudio in veritate huius artis addiſcenda elaboraui, indubitanter agnoui varias inſurgere difficultates in quærendis huiuſmodi maleficiorum ſignis, necnon varias decipulas, ac technas à dæmone paratas, ac minimam vtilitatem in eis inueniendis, ac comburendis: eò quòd huiuſmodi ſigna ex mera dæmonis voluntate pendeant, qui illis poſitis poteſt, ſi Deus permittat, ad ſuum libitum nocere, & non nocere; illiſq; ſublatis adhuc poteſt nocere, & non nocere, ideoque ſtatui melius eſſe, non quærere huiuſmodi ſigna, ea paruipendere, ac nihilifacere, nec de eis curare; nam hæc praxis quærendi ſigna maleficij eſt à dæmone valdè deſiderata, & efficaciter quæſita: quia per eam tam obſeſſos, ac maleficiatos, quàm Exorciſtas ignaros ſæpiùs ad aliquod opus inducit ſuperſtitioſum. Quare obſeſſis, ac maleficiatis ſatiùs ſuadendum, vt ad Deum confugiant, ſuam in eo collocent fiduciam, vt latè manifeſtatur tota diſputatione ſequenti.

§. IV.

478 *Documẽtum Ritualis Romani de ſignis maleficij deſtruẽdis.* VIdebatur etiam mihi prædicta ſignorum maleficiorum deſtructio laudabilis, eò quòd in Rituali Romano à Paulo V. approbato habeantur ſequentia verba: *Iubeat Exorciſta dæmonem dicere. An detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta, quæ ſi obſeſſus ore ſumpſerit, euomat, vel ſi alibi extra corpus fuerint, ea reuelet, & inuenta comburantur.* Vndè praxis ab antiquis Exorciſtis obſeruata, vt docet Antonius Hyquæus *in Comm. Scoti in 4. ſent. diſt. 33.* talis erat.

Primò extorquenda confeſſio, & cauſa vexationis. Secundò quærendum, ſi interueniat pactum, & cui ſigno adhæret. Deinde extorqueatur per coniurationem ipſum ſignum integrè antequam procedatur ad expulſionem Dæmonis, ne durante ſigno, ei maneat aliquod ius in maleficiatum. Vltimò tandem expellitur, & deſtruitur, comburiturque ipſum ſignum eius, cui adhæret pactum, & quo remoto Dæmon nullum habet ius vexandi maleficiatum.

479 *Praxis & monitum Ritualis nõ ſunt neceſſariò adimplẽda.* Veruntamen hæc praxis ſicut & monitum Ritualis non ſunt neceſſariò adimplenda, imò ſatiùs derelinquenda. Neque enim ex diuina ſcriptura, neque ex aliquo Concilio generali, vel Canone Pontificio, neque ex aliqua Conſtitutione Apoſtolica, neque ex Sanctorum Patrum conſuetudine antiqua habetur, quòd illa ſigna ſint quærenda, & inuenta comburenda. Nam quæ in Rituali Romano continentur non omnia cadunt ſub præcepto obſeruanda; ſed tantùm ea, quæ ad Eccleſiæ Dei ſacramentorum pertinent admiſtrationem: Conſtat ex verbis Conſtitutionis Pauli V. quæ incipit *Apoſtolicæ Sedi &c.* poſitæ in principio Ritualis Romani, nempè: *Præcipuè verò quæ pertinent ad Eccleſiæ Dei Sacramentorum adminiſtrationem, in qua religiosè obſeruari apoſtolicis traditionibus, & Sanctorum Patrum decretis conſtitutos ritus, & ceremonias pro noſtri officij debito curare omninò tenemur.* Quæ verò ad viſitationem, & curam infirmorum, animæ commendationem, obſeſſorum, ac maleficiatorum exorcizationem, aerearumquè tempeſtatum, quæ à Dęmonibus per ſe, vel ad nutum cuiuſuis diabolici miniſtri excitantur, non præcipit Pontifex, ſed obſeruare conſulit, & hortatur, ad arbitrium prudentis, & docti miniſtri eccleſiaſtici, relinquens alias etiam formulas orationum adhibere: vel illis ex parte, vel in toto vti, vel omittere, vel augere, vel minuere, prout expediens iudicauerit. Quod planè conſtat ex Rubrica prima *tract. de viſitatione, & cura infirmorum*, vbi ſic habetur: *Sequentes preces omnes vel ex parte, prout tempus, & ægrotorum conditio feret: arbitrio Sacerdotis dici, vel omitti poſſunt:* folio mihi 100. & ex alia paulò infra folio 101. *Qui ſequuntur pſalmi, & Euangelia cum precibus pro temporis etiam opportunitate, & ægrotantium pio deſiderio, ſacerdotis arbitrio dici poſſunt.* Deinde in fine folio 111. concluditur: *Quæ omnia etiam poterunt arbitrio Sacerdotis breuiora fieri.*

Hoc idem prorſus fatendum de exorcizatione obſeſſorum. Nam vbi eſt eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet. *L. illud. ff. ad leg. Aquiliam, cum ſimilibus.* Sicut enim in viſitatione, & cura infirmorum ponuntur duntaxat, ac colliguntur variæ orationes pro opportunitate temporis, ac prudentis Sacerdotis arbitrio recitandæ, quæ poſſunt minui, augeri, mutari, & omitti, prout Sacerdos prudens, & doctus expediens iudicauerit: Sic in exorcizatione obſeſſorum, ac maleficiatorum nulla in Rituali Romano ponitur forma determinata, neque ex aliqua Apoſtolica traditione, neque ex aliquo Concilio generali, vel Canone Pontificio, aut Conſtitutione Apoſtolica; ſed tantùm ibi colliguntur quædam præcepta, nonnulli exorciſmi, & pſalmi aliqui, qui magìs videbantur apti ad reprimendam ſuperbiam diabolicam, ac dæmones à corporibus obſeſſis expellendos. Et hoc pro vſu, & commoditate Parochorum, & Exorciſtarum, eorum præcipuè, qui neſciunt alio modo vti: conſequenter arbitrio Sacerdotis relinquitur, prædictos exorciſmos, & orationes augere, minuere, mutare, & omittere. Propterea illud monitum de ſignis maleficialibus quærendis, & inuentis comburendis in Rituali Romano poſitum non eſt neceſſariò, ſed pro libito Sacerdotis obſeruandum; imò ſatiùs, ac conſultius omittendum, vt mox dicam in fine ſequentis paragraphi. 480 *Exponuntur ab Auctore verba Ritualis Rom.*

§. V.

TAndem prædicta moralis curatio, nempe ſignorum maleficiorum deſtructio, vt probabilis admittitur ferè ab omnibus Doctoribus Theologis, Canoniſtis, & Iuriſtis. 481 *Curatio moralis, vt probabilis admittitur à Theologis, Canoniſtis, & Iuriſtis.*

Inter Theologos veniunt Ioannes Duns Scotus ſubtiliſſimus *in 4. ſent. diſt. 34. q. vnica*. Ioann. de Baſſolis *ibidem quæſt. 1.* Ant. Andr. ibi *in fine.* Guilhelmus Vorillonus ibi *art. 3.* Nicolaus de Orbellis *ibidem.* Guido Brianſonus *in 4. d. ead. q. 13.* Ioſeph Angles *quæſt. de Arte mag. art. 6. diff. 2.* Alphonſus à Caſtro *lib. 1. de iuſta hæretic. punit. c. 15.* Pelbartus Temeſuar *Roſarij par. 4. verſ. matrimonium 5. S. 38.* Alphonſus Toſt. *in cap. 19. Matthæi q. 90.* Thomas de Argent. *diſt. 34.* Henricus Gandenſis Archidiaconus Tornacenſis *quodlib. 4. q. 33.* Thomiſtæ communi-

muniter, vt Caietanus *tract.* 12. *tom.* 2. Dominicus à Soto *in* 4. *diſt.* 34. *q.* 1. *art.* 3. Bartolomæus Ledeſmus *de Sacramento matrimonij diffic.* 49. item Petrus Ledeſm. *in* 3. *part. q.* 58. *art.* 2. *d.* 2. Henricus Henriquez *lib.* 12. *de matrim. c.* 8. *num.* 3. Conſentiunt Nominales Cabriel *in* 2. *diſt.* 8. *q.* 2. *art.* 4. & Aureolus *in* 4. *diſt.* 34. quibus lubenter ſe ſubſcribunt omnes Summiſtæ: Sylueſter verb. *maleficium quaſt.* 7. *&* 8. Tabiena verb. *impedimentum* 12 *verſ.* 9. Fumus ver. *maleficium num.* 2. Angelus verb. *Superſtitio* §. 13. Roſella verb. *impedimentum verſ.* 13. Caietanus verb. *maleficium.* Iacobus de Graffijs *in deciſ. aur. c. de mal.* Leſſius *de iuſt. & iure lib.* 2. *cap.* 44. Nauar. *in ſumma cap.* 11. Bannes 2. 2. *q.* 78. *artic.* 4. *dub.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in præcept. Decalogi cap.* 41. *& lib.* 7. *de matrim. diſp.* 96. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de Superſtitione cap.* 18. Sayrus *in Claui regia lib.* 4. *cap.* 17. Delrius *lib.* 6. *Diſquiſ. magic. ſect.* 1. *quaſt.* 3. Bonacina *de legibus diſ.* 3. *q.* 5. *punct.* 5. *prop.* 4. Zacharia Vicecomes *p.* 1. *in Complemento artis exorciſt.* & communiter omnes, qui de maleficijs tractant. Nouiſſimè autem noſter Ignatius Lupus *Noua luce in Edict. S. Inquiſ. par* 3. *lib* 20. *diſt.* 7. Idipſum teſtantur Iuriſperiti Hoſtienſis *in ſumma*, Azo *in ſumma*, Petrus Ærodius *lib. rerum iudicatarum* 8. *tit.* 7. *cap.* 6. Bartolus, Salycetus, Godefridus, Binſfeldius, & alij *in L. Eorum C. de maleficis*, *& Mathem.* Triolus Maluetius *de Sortibus*, Grillandus *de ſortilegijs*, Remigius, Petrus Gregorius, Godelmanus, & alij communiter. Inquiſitores quoque Germani Sprenger *in Malleo*, & Nider *in Formicario*, Ioanneſquè Cappeauille Vicarius, & Inquiſitor Leodienſis *in tract. de caſibus reſeruatis*. Vnde patet hanc eſſe ſententiam planè communem, Hiſpanorum, Germanorum, Italorum, Gallorum, Britannorum, Theologorum quidem Scolaſticorum omnium, Nominalium, Scotiſtarum, Thomiſtarum qui omnes eruditione, ac pietate fuerunt conſpicui, ideoque probabilem eſſe dicendam, cum nullum contineat errorem, nec ſit abolita, & antiquata, totque habeat Auctores ſcientia, prudentia, ac timorata conſcientia maximè præditos, in ſcholiſque vniuerſaliter approbatos. Quis ergo prædictam opinionem à tot illuſtribus, ac præclaris ſcientificis commendatam probabilem non pronunciet?

§. VI.

482 *Opinio Auctoris contraria proponitur.* VErùm ſi mihi minimo inter Minores, Neophito inter tot magiſtros veluti Veſpertilioni coram tot oculatis, & pennatis Aquilis ingenii mei alas expandere liceat, loquendo dicam, meam ſententiam prædictorum Doctorum opinioni oppoſitam, videlicet, (ſatius, conſultius, ac ſalubrius eſſe non quærere prædicta maleficiorum ſigna, ſed nihili ea facere, ac de eis non curare) eſſe præcedenti probabiliorem, ideoque ſequendam, & amplectendam. Parcat Lector, ſi nimis audacter loquor, quia me cogit veritas.

Probatur Ratio potiſſima eſt, quia illa opinio eſt probabilior, quæ magis eſt rationi rectæ, ac veritati euangelicæ conſentanea, ſed mea opinio eſt huiuſmodi, quia eſt magis ab erroribus aliena, ergo eſt præcedenti probabilior. Maior eſt manifeſta: Minor probatur ex cauſis prædictæ moralis curationis.

Ex ipſius cauſa efficienti principali. Si enim conſideremus cauſas prædictæ curationis, quæ eſt deſtructio ſignorum maleficii, facilè agnoſcemus, quàm ſit periculoſa dicta opinio. Quis enim inuentor fuit, & cauſa principalis dictæ moralis curationis, niſi diabolus, qui cũ diuinorũ operũ quandam affectet imitationem, ac ſe Deum reputari quærat, vt dixi §. 1. vt obſeſſos, ac maleficio affectos è curatione diuina procuranda, qua ad Deum confugere erudirentur, reuocet, & abducat, ſuis Mancipiis ſagis, & maleficis varia tradit ſigna veluti ſacramenta, quibus poſitis promittit ſe malum illaturum ad libitum eorum, ac ipſis amotis ſe à malo ceſſaturum. Sed quia eſt mendax, ac pater mendacii in his ſe gerit prout ſibi lubet, vel poteſt. Idcirco ipſe eſt cauſa principalis tam poſitionis, quàm deſtructionis ſignorum prædictorum: Saga vero, vel maleficus eſt cauſa miniſterialis, quia ipſe eſt miniſter dæmonis, qui colligit, ac connectit varia inſtrumenta cuiuslibet generis, de quibus latiſſimè pertractatur *tota diſput.* 4. *tomi primi*. Dæmon verò dictas quiſquilias, ſeù maleficii inſtrumenta defert, & collocat vel in lectis, vel ſub limine oſtii, vel ſub tecto, vel proiicit in fundum putei, vel foueæ, vel alibi abſcondit: propterea non ceſſat vrgere ſagas, ac maleficos, vt pro malo perpetrando huiuſmodi ſigna colligant, vt ipſe ponat, vbi ſibi libuerit, & cum agnoſcit aliquem morbo affectum velle Exorciſtam pro conſequenda ſanitate aduocare, ſtatim admonet Sagas, vel Maleficos, vt ipſi impediant, ſi poſſunt, vel ſi non poſſunt, ipſi præueniant, & offerant ei opus ſuum, qui per ſe, vel per aliquem amicum, & familiarem infirmi promittunt ei ſanitatem, ſi obſeruauerit omnia, quæ ei præcipiunt, quorum infirmorum plures ſe eorum curæ committunt, adimplentes omnia ſiuè licita, ſiuè illicita, quæ ab eis præcipiuntur. *Ex cauſa miniſteriali.*

Finis autem principalis prædictæ moralis curationis à dæmone intentus eſt, vt ipſe adoretur vt Deus. Minus verò principalis per ſe eſt honor, & vtilitas ſagæ, vel malefici: per accidens verò eſt ſanitas infirmi. Nam cum Saga, vel Maleficus per ſe, vel per alium perſuaſit infirmo, vel ipſius parentibus, vt ſigna quærant maleficii, & inuenta tradant Exorciſtæ, ipſa Saga, vel Maleficus adiuuat parentes ad quærenda ſigna, quæ inuenta dum comburuntur, dæmon magis magiſque infirmum torquet, ac deinde iubet Sagæ, vel malefico, vt ipſe alias colligat quiſquilias, vt iterum maleficium renouetur, quæ inſtrumenta maleficii à dæmone accepta abſcondit in aliquo loco ſecreto, quem nemo penetrare poteſt, niſi ſpiritus: vnde tunc ab aliis Doctoribus dicitur maleficium perpetuum, cum inſtrumentum non eſt in poteſtate ſagæ, vel malefici, nec poteſt induſtria humana auferri: ſicut dicitur temporale, quando inſtrumentum maleficii eſt in poteſtate Sagæ, vel malefici, ac poteſt induſtria humana auferri. Cum ergo quærunt inſtrumenta maleficii, nec illa inuenire poſſunt, tunc parentes infirmi iterum, & iterum ad Sagam, vel Maleficum confugiunt, vt ipſe tollat maleficium, blandis verbis alloquuntur, ſuppliciter rogant, laudibus efferunt, honorant, ei munera tradunt; & ſi adhuc non aufert maleficium, minis, ac verberibus afficiunt, qui tandem admonet, non eſſe in ſua poteſtate maleficium tollere, ſed ſibi opus eſſe, ad dæmonem confugere, qui non vult tradere maleficii ſignum, niſi ei ſacrificium offeratur, & vt Deus omnipotens adoretur: vt accidit Bergomi illi, de quo *ſupra diſp.* 1. *huius tomi num.* 164. 483 *Ex cauſa finali*

Cauſa autem materialis huius curationis moralis eſt dæmon ceſſaturus à malo inferendo, qui fingit ſe ligatum per huiuſmodi ſigna à Saga, vel Malefico poſita, inuitumque recedere, licet hoc præſtet voluntariè, vt Sagæ, ac Malefico perſuadeant, talia inſtrumenta vim habere illum alligandi, alioſquè in errores ducat deteſtabiles. 484 *Ex cauſa materiali.*

Formalis tandem cauſa dictæ curationis eſt deſtructio ſignorum maleficii facta à parentibus, vel amicis

amicis perſonæ maleficiatæ, aut à malefico, quæ deſtructio licèt poſſit eſſe bona, & ab omni ſuperſtitione remota, prout probant Auctores citati *paragrapho* 5. nihilominus ſæpè, ac ſæpiùs eſt periculoſa, ne tam infirmi, quàm parentes in aliquid ſuperſtitioſum opus inducantur.

§. VII.

485 *Roboratur ex lõga praxi, ac contẽtionibus habitis ab Auctore cum Dæmonibus.*

HAc de re ex multis cum dæmonibus à me habitis contentionibus in pluribus locis, obſeruaui, quòd dæmon mecum conquærebatur, eò quòd nollem ritus antiquorum Exorciſtarum in exorcizando ſequi; & maximè quòd nollem quærere ſigna maleficij, quibus ſe ligatum eſſe affirmabat. Cui pluriès ego reſpondi: *quis te ligare potuit, cum ſis ſpiritus*. Qui reſpondit: *Ego ligatus maneo à Saga per ſigna maleficij, nec poſſum ſolui, niſi ipſa maleficia tollat*. Ego verò ei exprobrando dixi: *Si à Saga nempe vetula miſerrima, & impotenti, ligatus manes, ergo tu es ſagarum miſerabilium miſerabilior, & impotentior, earumque captiuus deteſtabilis, cur ergo te omnipotentem iactas? quo iure prætendere audes te ab eis vt Deum adorari, ſi tu es ſeruus, & captiuus dictarum fæminarum iniquarum? Numquid ſeruus adorari debet à Domina ſua? Etſi ligatus manes à tua Domina, per quod membrum ligaris? Si corpus haberes vti te depingunt, quærerem à te, an ligatus maneas per cornua, vel per caudam; ſed quia tu es ſpiritus incorporeus, à nulla re corporali ligari potes*; Inſuper addidi: *Si ligatus manes, prout dicis; vel hoc à te fit voluntariè, vel coactè: ſi voluntariè, cur dicis, & clamas te non poſſe exire, quia ligatus manes, ſi ibi voluntariè manes? Si coactè, ais, mendacium dicis tuo more, quia tu ipſe docuiſti Sagã colligere tales quiſquilias tanquam inſtrumenta maleficij, quibus à te poſitis dixiſti, te malum illaturum, donec in tali loco permanerent; immo tuipſe ipſa inſtrumenta detuliſti, & abſcondiſti, ergo iſta tua ligatio eſt ficta, & voluntaria, ſic iſti tui clamores, ac querelæ non ſunt niſi fictiones à te inuentæ, vt homines decipias, & ad tui ſequelam trahas, & ad perditionem ducas*.

§. VIII.

486 *Exemplo luculẽto comprobatur.*

HVius veritatis luculentum exemplum mihi ſe præbuit anno Domini 1649. Venetijs, cum iuſſu Illuſtriſsimi, ac Reuerẽdiſsimi D.D. Nuncij Apoſtolici ad exorcizandam quandam mulierem nobilem aduenam acceſsiſſem de qua ſupra *tom.* 1. *diſp.* 2. *num.* 280. In primis eam interrogaui, quid à me peteret, quæ mihi dixit. *Dæmon quidam iam annis* 18. *me moleſtijs afficit, abutiturque corpore meo prout ſibi lubet; mihi tamen confidenter, ac ſecretò modum manifeſtauit, quem tenere debes, vt me de eius poſſeſſione liberare valeas. In primis, ait, tibi opus eſſe, vt ei præcipias tibi indicare maleficij ſigna, quæ facta ſunt in quodam cranio ab ipſo dæmone abſcondito, deinde quæras iecur illius piſcis, quem occidit Tobias, & extractum poſuit ſuper carbones accenſos, cuius fumus extricat omne genus dæmoniorum. Si hæc obſeruaueris, facilè intentum obtinebis*. Ego autem reſpondi ei: *Loquela tua manifeſtam te facit eſſe dæmonis amicam, & familiarem: Si autem dæmon eſt tuus amicus, & familiaris, cur ab eo non petis diuortium fieri. Credis ne, quòd mihi opus ſit fieri diſcipulum diaboli, vt ab eo inſtruar de modo, quo à te eſſet expellendus? Si maleficium ipſe poſuit in cranio ad ſuum libitum, ipſe etiam auferat illud, prout ſibi lubet, quia ego de hiſce vanis ſignis nihil curo. Si iecur piſcis Tobiaci eſt neceſſarium ad tuam liberationem, vt ipſe ais: tu, quæ cum ipſo dæmone amicitiam habes, præcipe ei, qui eſt ſpiritus, vt perluſtret maria, donec talem piſcem inueniat, & deferat ad forum Venetum, vbi piſces venduntur, & ego poſtea ſi mihi bonum viſum fuerit, pergam, & accipiam iecur, ac de eo faciam quicquid in Domino magis expediens iudicauerim: Inter ea tu, quæ captiua es diaboli, ſi vis ipſius pœnas euitare, ac miſericordiam Dei impetrare, dum tempus habes, implora Dei auxilium, pænitentiam age de peccatis tuis, & remoue à te iugum iſtud duriſsimum diaboli*.

Hæc & alia monita ei tradidi, & inſinuaui bis, ſed tertia vice, qua eam inuiſi, cum illam in malo obſtinatam inueniſſem, eam accerrimè increpaui, ac demiſſo eius capite ſuper terram illud pede conculcaui, opprobrijs eam affeci, ac paruipendi, nec ad ipſam amplius, licèt vocatus, ire volui.

Ex hoc caſu facile eſt agnoſcere, quàm grata ſit diabolo illa curatio moralis, videlicet deſtructio ſignorum maleficij, cum ipſe ſummoperè aueat illam ab Exorciſtis exerceri, & in praxim duci, ſciès per illam facilè poſſe illos ad ſuperſtitioſa perducere, & in naſſam perditionis trahere; idcircò ſatius, conſultius, ac ſalubrius eſt prædictam relinquere curationem, ea nihili facere, ac de ea nullo modo curare.

§. IX.

HAnc meam ſententiam probat praxis omnium Sanctorum, eorum maximè, qui huic arti exorciſticæ operam nauarunt. Legant docti, ac pij Exorciſtæ acta Apoſtolorum, vitas Sanctorum Patrum, & inuenient, quòd ipſi numquam tali curatione morali, nempe ſignorum maleficii deſtructione vſi ſunt, ſed benè maleficiatis, & obſeſſis inſinuabant confidere in Deo, ac in eo ſuam fiduciam collocare, dæmoneſque expellebant ab obſeſſis in nomine Ieſu, prout Chriſtus docuit, & tradidit omnibus ſuis Fidelibus Marci cap. 16. Quod manifeſtè, ac practicè docuit S. Hilarion Abbas, vt refert D. Hieronymus in vita eius, cum quædam puella à dæmone obſeſſa liberanda ad eum delata eſſet. Cum enim dæmon reſpondiſſet Hilarioni: *Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor: non exeo, niſi me Adoleſcens, qui me tenet, dimiſerit*: ablatis vtiquè maleficii ſignis. *Noluit ſanctus Abbas*, antequam purgaret Virginem, ſigna iubere perquiri, *Ne*, inquit, S. Hieronymus, *aut ſolitis incantationibus receſſiſſe dæmon videretur, aut ipſe ſermoni eius accommodaſſe fidem*. Ex qua actione Sancti Hilarionis, ac verbis Sancti Hieronymi facillimè colligitur, quàm ſatius, conſultius, ac ſalubrius ſit derelinquere talem curationem moralem, ſignorum nempe, maleficii deſtructionem, & doctrinam adimplere euangelicam à Chriſto traditam, ab Apoſtolis, 487

Comprobatur praxi Sãctorum, qui arti exorciſticæ incubuere.

ſtolis, ac Chriſti Diſcipulis exercitatam, & à Sanctis Patribus approbatam, & obſeruatam; de qua latiſſimè in ſequenti diſputatione pertractatur.

§. X.

488 HInc apertè conſtat, quàm hallucinentur multi nedum ex antiquis, verùm etiam ex recentioribus Theologis, Canoniſtis, Iuriſtis, & Exorciſtis exiſtimantes, quòd ſtante, ac perſeuerante maleficio materiali, ideſt ſigno materiali maleficii in loco, vbi poſitum fuerat, ſemper perſeueret maleficium formale, ſcilicet afflictio facta à dæmone in corpore obſeſſi: nam vnum ſine altero non auferri,

Error multorũ adducitur.

489 aiunt; vnde dicunt, vt ſupra tetigi §.*6.num.9.* Maleficium eſſe temporale, quando inſtrumentum maleficii eſt in poteſtate ſagæ, vel malefici, ita vt induſtria humana auferri poteſt: perpetuum verò eſſe, quando ſignum non eſt in poteſtate ſagæ, vel malefici, ſed ſolius dæmonis, ita quòd induſtria humana auferri nequit.

Quid ſit maleficium tẽporale, ac perpetuũ admentẽ aliorum.

Sed conſidera eorum errorem: Si enim vera eſſet huiuſmodi poſitio, vana eſſet Eccleſiæ poteſtas ad Dæmones expellendos, ſi non poſſent expelli abſquè ſignorum deſtructione: quaſi quòd etiam virtus diuina, qua dæmones expelluntur, à dæmone per ſua inſtrumenta, vel machinamenta impediri poſſet, vel retardare? quod eſſet *hæreſis*. Eſt

igitur maleficium temporale nuncupandum, quando per poteſtatem Eccleſiaſticam, de qua agitur *in ſequenti diſputatione*, auferri poteſt: perpetuum verò dicendum, quando ſolummodo à Deo per miraculum, ſcilicet, per potentiam ſuam abſolutam auferri poteſt. ver.gr. Si à Diabolo in corpore obſeſſi, vel maleficiati corruptum ſit aliquod organum, vel membrum aliquod ita debilitatum, quod viribus naturæ non poſſit amplius reſarciri, ita vt per ſolam Dei potentiam abſolutam ſanari poſſit. 490

Quid ſit ad mentem Auctoris.

Relinquamus ergo hanc curationem moralem, quæ valdè eſt periculoſa, ſicut & diſputationem de ea, quæ eſt infructuoſa, & ad curationem diuinam, quæ à me potiſſimùm eſt intenta, & à Chriſtifidelibus aſſequenda, attendenda, & exercenda, accedamus.

DISPVTATIONIS QVARTÆ
DE CVRATIONE DIVINA.
DIVISIO.

Partes. — Capita. — Articuli.

Curatio Diuina.

- 1. Ex parte Exorciſtæ.
  - 1. Poteſtate donati.
    - Ordinis Exorciſtatus. 1.
    - Ordinis Sacerdotalis. 2.
    - Iuriſdictionis ordinariæ. 3.
    - Iuriſdictionis delegatæ. 4.
  - 2. Scientia præditi.
    - In ordine ad Dæmonem. 1.
    - In ordine ad Maleficos. 2.
    - In ordine ad res naturales.
    - In ordine ad Deum. 4.
    - In cognoſcendis maleficijs. 5.
  - 3. Virtutibus ornati.
    - Fide Theologica. 1.
    - Spe, ſeù Fiducia in Deũ. 2.
    - Charitate in Deum, & proximum. 3.
    - Fortitudine.
    - Prudentia in erroribus vitandis. 4.
    - Prudentia in ſemitis rectis eligendis. 5.
- 2. Ex parte Ægroti.
  - 1. Orantis Deum.
    - Contemplando diuinam Prouid. 1.
    - Meditando Dei Bonitatẽ. 2
    - Conſiderando Dei Veritatem. 3.
    - Seruando condit. ad impetrationem requiſitas. 4.
    - Attendendo ſigna diuinæ voluntatis. 5.
  - 2. Orantis Dominos Cæli, & terræ.
    - Ieſum Chriſtum D.N. 1.
    - B. Virgin. Dei Genitricem Mariam. 2.
  - 2. Orantis Mediatores Hominum.
    - Angelicos ſpiritus. 1.
    - Beatos in cælo regnãtes. 2.
  - 4. Ieiunantis.
    - Ad Deum placandum. 1.
    - Ad proficiendum in bono. 2.
    - Ad ſeipſum ſanandum. 3.
    - Ad Hoſtes expellendos. 4.
  - 1. Generalium Sacramentorum.
    - Baptiſmi. 1.
    - Confirmationis. 2.
    - Pœnitentiæ. 3.
    - Euchariſtiæ. 4.
    - Ordinis. 5.
    - Matrimonij. 6.
    - Extremæ vnctionis. 7.

Ex

- Ex parte Remediorum.
  - 2. Generalium Sacramentalium,
    - Crucis. 1.
    - Sancti Euangelij. 2.
    - Cerearum formarum. 3.
    - Reliquiarum Sanctorum. 4.
    - Imaginum eorum. 5.
    - Aquæ benedictæ. 6.
    - Panis, & olei benedicti. 7.
  - 3. Particularium Ægrotum preparantium.
    - Modo cognoſcendi vexatum. 1.
    - Inſtructione pro vexato. 2.
    - Probatione vexati. 3.
  - 4. Particularium pro Dæmone coercendo.
    - Obiurgatione, & præcepto. 1.
    - Obſidente, vel ingrediente. 2.
    - Poſſidente corpus vexati. 3.
    - Obſiſtente, ſeù renitente. 4.
    - Fugiente, ſeù exeunte. 5.
    - Tentãte ſuum regreſſum. 6.
    - Repetente, ſeù redeunte. 7.
    - Infeſtante, quæ ſunt Hominis. 8.
    - Modo, & ordine Exorcizandi. 9.
  - Pro afflictis.
    - Subleuandis in infirmitatibus naturalibus. 1.
    - Tuendis ab inimicis. 2

DISPVTATIONIS QVARTÆ
DE CVRATIONE DIVINA.

SVMMARIA.

Omnium Partium, Capitum, Articulorum, Quæſtionumque, quæ in ea continentur.

Pars I. DE *Exorciſta.* *num.*491.
Cap.I. *Poteſtate donato.* 492.
Art.I. *Ordinis Exorciſtatus.* 493.
Art.II. *Ordinis Sacerdotalis.* 509.
Ar.III. *Iuriſdictionis ordinariæ.* 513.
Art.IV. *Iuriſdictionis delegatæ.* 523.
Cap.II. *De Exorciſta ſcientia prędito.* 526.
Artic.I. *De dęmone, vt maleficiorum, & obſeſſionum cauſa efficiente.* 527.
Quęſt.1. *Pro quibus poteſtas dęmonis ſit ligata.* 530
Quæſt.2. *Cur dæmon maximos peccatores omnes in corpore non poſſideat.* 534.
Quæſt.3. *Quas moleſtias dæmon ſoleat hominibus inferre exiſtens extra corpora.* 535.
Quæſt.4. *Quomodo dæmones humana corpora ingrediantur.* 543.
Quæſt.5. *Quomodo dæmones exiſtant in corpore humano.* 549.
Quæſt.6. *Quid dæmones operentur in corpore, quod poſſident.* 550.
Art.II. *De Maleficis, vt cauſa maleficiorum.* 555.
Quæſt.1. *Quibus modis Malefici concinnent ſua maleficia.* 557.
Artic.III. *De rebus naturalibus, vt ſunt cauſa maleficiorum.* 564.
Quæſt.1. *Quęnam ſint cauſę naturales maleficiorum.* 564.
Quęſt.2. *Quęnã ſint cauſę morales maleficiorũ.* 566
Quęſt.3. *An ad Medicum, vel Exorciſtam ſpectet iudicare de rebus naturalibus in maleficijs adhibitis.* 567.
Artic.IV. *De Deo, vt cauſa maleficiorum permiſſiua.* 579.
Quęſt.1. *An maleficia ſint à Deo volente, vel tantum permittente.* 581.
Quæſt.2. *Quare Deus permittat maleficia, & obſeſſiones.* 483.
Quæſt.3. *Quomodo Deus maleficia, & obſeſſiones impediat.* 593.
Artic.5. *De ſignis, quibus maleficia, & obſeſſiones cognoſcuntur.* 598.
Quæſt.1. *Quænam ſigna ſumantur ex potentijs animæ.* *ibi.*
Quæſt.2. *Quænam ſigna ſumantur ex diſpoſitione corporis.* 603.
Cap.III. *De Exorciſta virtutibus ornato.* 605.
Artic.I. *De Fide.* 606.
Quæſt.1. *Quid nomine fidei intelligatur in hoc articulo.* 607.
Quæſt.2. *Quodnã ſit obiectum fidei Theologicæ.* 609
Quæſt.3. *Quinam ſit actus fidei.* 615.
Qu.4. *Quomodo fides Theologica definiri poſſit.* 616
Quæſt. *Quomodo fides Theologica diuidatur.* 617.
Quæſt.6. *An fides miraculorum, ac promiſsionum ſit eadem cum fide Catholica.* 618.
Quæſt.7. *Quomodo fides Theologica poſsit eſſe maior in vno, quàm in alio.* 621.
Quæſt.8. *An fides Theologica differat à fide gratia gratis data, & à cœteris gratijs gratis datis.* 624.
Quæſt.9. *Quomodo fides neceſſaria ſit Exorciſtæ ad dæmones expellendos.* 626.
Artic.II. *De Spe, ſeù Fiducia in Deum.* 629.
Qu.1. *Quomodo huiuſmodi fiducia augeatur.* 630.
Quæſt.2. *Quomodo fiducia tollat hæſitationem.* 631
Quæſt.3. *Quos effectus producere ſoleat huiuſmodi fiducia in ſuis poſſeſſoribus.* 632.
Qu.4. *Quomodo hæc fiducia facilè aquiri poſſit.* 661
Ar.III. *De Charitate erga Deũ, & proximũ.* 662.
Artic.IV. *De Fortitudine.* 667.
Art.5. *De prudentia in erroribus vitandis.* 670.
Qu.1. *An licitum ſit aliquem euorcizare, nullo habito ſigno euidenti, vel probabili ipſius obſeſsionis.* 671.
Quæſt. 2. *An vtile ſit interrogare dæmonem, quo nomine vocetur.* 672.
Quæſt. 3. *An conueniens ſit interrogare dęmones an ſint multi, vel pauci: vnus, vel plures in eodem corpore.* 675.
Quæſt. 4. *An licitum ſit quærere à dæmone cauſam ingreſſus.* 677.
Quæſt. 5. *An licitum ſit quærere à dæmone: per quam perſonam, & per quem Sanctum ſit ab abſeſſo expellendus.* 678.
Quæſt. 6. *An licitum ſit quærere à dæmone: vt dicat: quinam ſint ſui inimici in cælo, & qui in inferno.* 680.
Quæſt. 7. *An licitum ſit quærere à dæmone: quibus*

bus verbis magis crucietur. 681.

Quæſt. 8. *An licitum ſit quærere à dæmone: qua die, vel hora ſit egreſſurus.* 682.

Quæſt. 9. *An licitum ſit quærere à dæmone, in quo loco ſit egreſſurus.* 685.

Quæſt. 10. *An licitum ſit quærere à dæmone: ſi aliquo pacto, vel maleficio ſit alligatus: & quomodo huiuſmodi maleficium poſſit deſtrui.* 686.

Quæſt. 11. *An licitum ſit quærere à dæmone, vt dicat, quis ſit eorum princeps in illo corpore.* 688.

Quæſt. 12. *An licitum ſit quærere à dæmone, vt dicat, an talis perſona, quam poſſidet, ſit energumena.* 689.

Quæſt. 13. *An licitum ſit Exorciſtæ præcipere dæmoni ſuperioris ordinis, ver.gr. Lucifero, vt dæmones ſibi inobedientes excruciet in inferno. Item ſpiritui principali in corpore obſeſſo, vt ſecum educat totam ſocietatem ſuam.* 690.

Quæſt. 14. *An licitum ſit Exorciſtæ dæmonem in locis deſertis alligare.* 693.

Quæſt. 15. *An Exorciſta poteſtatem habeat dæmones mittendi in infernum.* 695.

Quæſt. 16. *An peccatum ſit graue, de vanis, & inutilibus, & forte nociuis, & ijs, quæ ad expulſionem non conducunt, dæmonem interrogare.* 697.

Quæſt. 17. *An licitum ſit Exorciſtæ, præcipere dæmoni ſub pœna excõmunicationis, vt energumenum amplius nõ diuexet.* 699.

Quæſt. 18. *An licitum ſit Exorciſtæ, dæmoni præcipere, vel irrationabilibus per terminos iudiciarios.* 700.

Quæſt. 19. *An licitũ ſit Exorciſtæ, medicinas corporales obſeſſis, ac maleficiatis applicare.* 702.

Quæſt. 20. *An licitum ſit Exorciſtæ, cum ægrotis obſeſſis, vel maleficiatis Chirurgi munere fungi.* 708.

Quæſt. 21. *An licitum ſit Exorciſtæ energumenum vexare flagellis, & dehoneſtare opprobrijs, aliaue ſimilia facere.* 711.

Quæſt. 22. *An Exorciſta poſſit fictionibus vti, ad probandum: an aliquis verè, vel fictè, aut imaginariè ſit obſeſſus.* 712.

Quæſt. 23. *An obſeſſi, ſeu energumeni, ac maleficiati per ſolum diſſenſum voluntatis poſſint ſeipſos à quacunque dæmoniaca vexatione totaliter liberare.* 713.

Quæſt. 24. *An ſit neceſſe in exitu dæmonis à corpore ei præcipere, vt iuret, ſe exiturum, nec ampliùs regreſſurum.* 714.

Quæſt. 25. *An licitum ſit, annuere dæmoni offerenti egreſſum ex homine, ſi ei permittatur in alium ingredi.* 716.

Quæſt. 26. *An ſecluſis quatuor illis concluſionibus à Sanchez adductis, adhuc liceat petitioni ſupradictæ conniuere.* 727.

Artic. VI. De Prouidentia in rectis ſemitis eligendis circa adiurationem. 728.

Quæſt. 1. *Quomodo Deus à nobis rectè adiurari poſſit.* 729.

Quæſt. 2. *An Beati, & Sancti Angeli adiurari poſſint ab hominibus.* 730.

Quæſt. 3. *An dæmones ſanctè, & licitè adiurari poſſint ab hominibus.* 731.

Qu. 4. *An creaturæ irrationales, vt locuſtę, nubes, ſal, aqua, &c. licitè à nobis adiurari poſſint.* 734.

Quæſt. 5. *An adiuratio debeat fieri per Deum ſolum: an etiam per creaturas.* 735.

Qu. 6. *Quænã cautelę ſint ſeruãdę ab Exorciſta, vt adiuratio ſuum habeat effectum.* 740.

Pars II. *De Aegroto.* 754.

Cap. I. *Orante Deum.* 756.

Art. I. Contemplando Diuinã Prouidentiam. 757.

Art. II. Meditando infinitã Dei Bonitatem. 761.

Quæſt. 1. *Cum Deus piiſſimus ſit, ac ſummè bonus, cur tot homines de eius diuino auxilio diffidant.* 765.

Quæſt. 2. *Cur plures iuſti etiam docti, & pij perfecta fiducia in Deũ ſæpè careant.* 767.

Art. III. Conſiderando Dei veritatem, ac fidelitatem in ſuis promiſſis. 770.

Quæſt. 1. *An oporteat diſtinctè habere notitiam huius promiſsionis, & ex fide illius petere, vt oratio habeat conditionẽ requiſitam ad imperandũ infallibiliter.* 772.

Art. IV. De Conditionibus ad impetrationem infallibilem requiſitis. 773.

Conditio prima quæ. 774.

Quæſt. 1. *An ſpiritualia bona indiſtinctè, & abſolutè à Deo peti poſſint.* 785.

Quæſt. 2. *An bona temporalia abſolutè à Deo peti poſſint.* 787.

Quæſt. 3. *An poſtulare à Deo peculiarem protectionem, & curam in præſtando nobis hæc bona, ſit tentare ipſum.* 794.

Quæſt. 4. *An temporalia mala in oratione peti poſſint.* 795.

Quæſt. 5. *An liceat in oratione petere, vt malum pœnæ proximo eueniat.* 796.

Quæſt. 6. *An omniũ prædictorũ malorum, vel bonorũ petitiones infallibilẽ habeãt impetrationẽ ex vi diuinæ promiſsionis.* 801.

Conditio ſecunda ad impetrationem infallibilem requiſita. 809.

Conditio tertia ad impetrationem infallibilem requiſita. 812.

Quæſt. 7. *Cur plures, etſi dicant, ſe habere fidem aliquid à Deo obtinendi, non tamen in eo poſtulando perſeuerant.* 815.

Quæſt. 8. *Quanto tẽpore perſeuerãdum ſit in oratione, ac petitione, vt, quod petitur, obtineri poſſit.* 816.

Quæſt. 9. *An diù perſeuerãdũ in petitione.* 817.

Conditio quarta ad impetratione infallibilem requiſita. 818.

Quæſt. 10. *An aliquis pro ſe, vel pro alio poſſit abſolutè petere aliquod bonũ tẽporale, & credere, ſe illud infallibiliter obtenturum.* 821.

Art. V. De ſignis, quibus in rebus omnibus cognoſci poteſt Dei voluntas. 832.

Cap. II. *De Aegroto orante Dominos cæli, & terræ.* 833.

Art. I. Ieſum Chriſtum D. N. 334.

Art. II. B. Virginem Dei Genetricem Mariã. 845.

Cap. III. *De Aegroto orante hominum mediatores.* 849.

Artic. I. *Angelicos ſpiritus.* 850.

Qu. vnic. *Cur tot homines iuſti vexentur, & quandoque à dæmonibus ſuperentur, ſi ab Angelis proteguntur.* 856.

Art. II. *Beatos in cœlo regnantes.* 857.

Quæſt. I. *An Sancti tam homines, quàm Angeli licitè à nobis ſint orandi.* 858.

Quæſt. I. *Cur Deus velit nos ad Sanctos orare, ſi ipſe promptiſſimus eſt ad dandum id, quod petimus.* 861.

Quæſt. 3. *An licitè à nobis ſint orandi Iuſti Viatores.* 862.

Cap. III. *De Ægroto ieiunante.* 863.

Artic. I. *Ad Deum placandum.* 864.

Art. II. *Ad proficiendum in bono.* 867.

Qu. vnica. *An vexationes diabolicæ, quæ hominibus eueniunt tantùm ad probationem, & exercitium virtutis, ſint à Deo volente, & iubente: vel tantùm permittente, & non impediente.* 869.

Artic. III. *Ad ſe ipſum ſanandum, & roborandum.* 871.

Artic. IV. *Ad hoſtes viſibiles, & inuiſibiles expellendos, & profligandos.* 877.

Pars III. *De Remedijs.* 880.

Cap. I. *Generalibus Sacramentorum.* 881.

Artic. I. *De Baptiſmo.* 882.

Artic. II. *De Confirmatione.* 884.

Artic. III. *De Pœnitentia.* 886.

Artic. IV. *De Euchariſtia.* 888.

Artic. V. *De Ordine.* 890.

Artic. VI. *De Matrimonio.* 892.

Art. VII. *De Extrema vnctione.* 893.

Cap. II. *De Remedijs generalibus Sacramentalium.* 894.

Artic. I. *De Cruce.* 895.

Artic. II. *De S. Euangelio.* 899.

Artic. III. *De Cereis formis, ſeu Agno ceræ impreſſo.* 907.

Artic. IV. *De Reliquijs Sanctorum.* 908.

Artic. V. *De Imaginibus Sanctorum.* 910.

Artic. VI. *De Aqua benedicta.* 912.

Artic. VII. *De Pane, & Oleo benedicto.* 914.

Cap. III. *De Remedijs particularibus ægrotum præparantibus.* 916.

Art. I. *De modo certitudinaliter cognoſcendi, an quis verè ſit maleficio affectus, vel à dæmone poſſeſſus.* 917.

Artic. II. *De Inſtructione pro Vexato ad liberationem præparando.* 920.

Quæſt. 1. *Quomodo, & de quibus Vexatus inſtruendus ſit erga Deum.* 921.

Quæſt. 2. *Quomodo inſtruendus ſit Vexatus erga Exorciſtam.* 922.

Quęſt. 3. *Quomodo Vexatus inſtruendus ſit aduerſus dæmones.* 923.

Queſt. 4. *Quomodo Vexatus inſtruendus ſit erga ſeipſum.* 924.

Artic. III. *De Probatione Vexati ante liberationem requiſita.* 925.

Quæſt. 1. *Quomodo Vexatus probandus ſit erga Deum.* 926.

Quæſt. 2. *Quomodo Vexatus probandus ſit erga Exorciſtam.* 928.

Quæſt. 3. *Quomodo Vexatus probandus ſit aduerſus dæmonem.* 929.

Quæſt. 4. *Quomodo Vexatus probandus ſit erga ſeipſum.* 930.

Cap. IV. *De Remedijs particularibus pro dæmone coercendo.* num. 934.

Artic. I. *De Obiurgatione, & præcepto.* 935.

Artic. II. *De dæmone obſidente, aut ingrediente.* 944.

Quæſt. 1. *Quomodo impetus dæmonis obſidentis ſint à Vexato repellendi.* 945.

Quæſt. 2. *Quomodo ſint coercendi dæmones Striges obſidentes, & impedientes, ne Iudicibus veritatem fateantur.* 952.

Quæſt. 3. *Quomodo ſe habere debeat Exorciſta, vel Parochus cum Magis, & Sagis habentibus pactum cum dæmone, ſed pœnitentibus.* 954.

Art. III. *De dæmone poſſidente, ſeu exiſtente in corpore Vexati.* 957.

Quæſt. 1. *Quomodo vexationes à dæmone poſſidente effectæ per ipſos Vexatos ſint reprimendæ, aut auferendæ.* 958.

Quæſt. 2. *Quomodo maleficium in matrimonio factum ſit auferendũ, ac deſtruendũ.* 959.

Quæſt. 3. *Quomodo ſint deſtruenda maleficia infantium, & puerorum.* 963.

Quæſt. 4. *Quomodo paruuli præſeruandi ſint à maleficijs.* 967.

Artic. IV. *De dæmone obſiſtente, ſeu renitente.* 968.

Quæſt. 1. *An dæmonum reſiſtentia præceptis eccleſiaſticis facta proueniat ex vi, & potentia dæmonum: vel ex parte Dei, vel Exorciſtæ, vel energumeni.* 969.

Queſt. 2. *Quęnam ſint genera Energumenorum, ad quorum liberationem Deus difficillimè concurrit.* 972.

Quæſt. 3. *Quomodo huiuſmodi repugnantia diabolica ſit auferenda.* 979.

Quæſt. 4. *Quænam ſint remedia particularia pro primi generis obſeſſis.* 980.

Queſt. 5. *Quænam ſint remedia particularia pro obſeſſis ſecundi generis.* 981.

Quæſt. 6. *Quænam ſint remedia particularia pro obſeſſis tertij generis.* 982.

Quæſt. 7. *Quęnam ſint remedia particularia pro obſeſſis quarti generis.* 983.

Queſt. 8. *Quęnam ſint remedia particularia pro obſeſſis quinti generis.* 986.

Artic. V. *De dæmone fugiente, ſeu exeunte.* 987.

Queſt. 1. *Quomodo ſe habere debeat Exorciſta erga obſeſſum in actu liberationis.* 990.

Queſt. 2. *Quęnam ſint ſuggeſtiones ſpeciales, quibus dęmon Energumenum inuadere ſolet tempore liberationis.* 991.

Art. VI. *De dæmone tẽtante ſuũ regreſsũ.* 1001.

Quæſt. 1. *Quænam ſint communiores ſuggeſtiones, quibus dæmon quærit iterum in corpus liberati ſuum regreſſum.* 1002.

Quæſt. 2. *Vnde ſumat dæmon tentandi occaſionem.* 1003.

Quæſt. 3. *Quibus remedijs præſeruatiuis diabolicæ ſuggeſtiones in hominibus à dæmone liberatis euaneſcant.* 1004.

Art. VII. *De dæmone repetente, ſeu redeunte.* 1006.

Quæſt. 1. *Quænam ſit cauſa regreſſus.* ibi.

Quæſt. 2. *Quomodo ſe habere debeat Exorciſta cum eo, qui poſt liberationem iterum à dæmone poſſidetur.* 1008.

Art. VIII. *De dæmone infeſtante ea, quæ ad hominem ſpectant.* 1011.

Quæſt. 1. *Quibus modis animalia bruta à dæmonibus vexentur.* 1012.

Quæſt. 2. *Quomodo ſit eis ſubueniendum.* 1013.

Quæſt. 3. *Quibus infeſtationibus à dæmonibus domus ſoleant moleſtari.* 1016.

Quæſt. 4. *Quomodo domus à ſpiritibus malignis ſint purgandæ.* 1017.

Quæſt. 5. *Quid agendum ab Exorciſta, & domus habitatoribus in actu liberationis.* 1018.

Quæſt. 6. *Quomodo domus à moleſtijs dæmonum ſint præſeruandæ.* 1023.

Quæſt. 7. *Quomodo aues, vermes, mores, locuſtæ, vel alia animalia terram, vel fructus vaſtantia ſint deſtruenda.* 1024.

Art. IX. *De modo, & ordine exorcizandi.* 1028.

Cap. IV. *De Remedijs pro afflictis, & tribulatis.* 1031.

Artic. I. *De afflictis, & tribulatis ſubleuandis in infirmitatibus naturalibus.* 1032.

Artic. II. *De afflictis, & tribulatis tuendis ab inimicis, ac perſecutoribus.* 1054.

DISPV-

DISPVTATIO IV.

DE CVRATIONE DIVINA.

QVAMVIS hæc Diſputatio iamdiù ante alias diſputationes huius operis ferè per vniuerſas Mundi partes, vbi fides catholica viget, ſub nomine Manualis Exorciſtarum, ac Parochorum fuerit diuulgata, ac publicata, iamque à Theologis prius diligenti, ac rigoroſo examine perluſtrata, approbata, ac commendata; nec non à cunctis ſuperioribus, ad quos ſpectat, admiſſa, permiſſa, atque conceſſa. Veruntamen cum in fine præfationis Manualis prædicti iam promiſerim maiora me impoſterum, Diuino fauente Numine, daturum, inremeritò nunc vnà cum toto hoc opere completo, quod *Alexicacon* nuncupatur, iterum apparet, & vltimo loco tanquam à me principaliter intenta, ad quam omnia præcedentia ordinantur, ac referuntur, collocata, in publicum prodit; & quæ de Deo, de Dæmone, de Maleficis, ac Rebus naturalibus *cap. 2. 1. par.* in Manuali breuiſſimè concluſerat, nunc in toto primo tomo huius operis latiſſimè præmittit, ac diſtinctè explanat; & vt Exorciſta faciliùs prædicta ad manus habeat, iterum eodem loco ea compendioſè repetit vt prius adiunctis quibuſdam paucis, doctrinamque ſanè catholicam, & euangelicam ab Euangelij medulla hactenus (neſcio cuius incuria) obrutam hæc Diſputatio erutam facit. Quinimmo poſt curationis magicæ, ac ſuperſtitioſæ falſam doctrinam reprobatam, poſt plures, graueſque errores Medicorum in ægrotis medendis apertè detectos poſt varios, ac notabiles abuſus periculis, ac puſillorum ſcandalis obnoxios ab imperitis Exorciſtis in miniſterio exorciſtico inuectos clarè patefactos, dilucidèquè ex ſancti Euangelij, Sacræque Theologiæ fontibus confutatos, verus, purus, planus, & Euangelicus modus expellendi Dæmones ab ipſo Chriſto Domino noſtro nobis traditus in hac Diſputatione mira facilitate, ac puritate eniteſcit, explicatur, & ad praxim ducitur: quo nempè modo exploſis ſcandalorum periculis efficaciter, perfectè, ac breui tempore Dæmones expellantur, Energumeni liberentur, ac maleficiati à maleficijs curentur, & ad ſanitatem perfectam reuocentur. Tres autem in partes ſecatur, quarum prima de ſpirituali Medico, Exorciſta nempè loquitur. Secunda de Ægroto obſeſſo, vel maleficio infecto ſeipſum per orationes, ac ieiunia ad liberationem rectè diſponente peragit. Tertia demum de Remedijs tum genericis, tum particularibus ad Dæmonis coercendam, deprimendamque ſuperbiam, necnon ad afflictorum animos ſubleuandos requiſitis pertractat. Quæ in alijs minutioribus partibus diuiſæ ſub Apocalypticæ viſionis typo proponuntur: vt in ſequentibus palam fiet.

PARS

PARS PRIMA.

Ex parte Exorciſtæ.

VIDI, ait Ioannes Apoc. 1. *in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, præcinctum ad mamillas zona aurea: caput eius, & capilli candidi erant, tanquam lana alba, & tanquam nix: oculi eius tanquam flamma ignis, pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti: & vox illius tanquam vox aquarum multarum, &c. & facies eius, ſicut Sol lucet in virtute ſua.*

491 Quo apparatu Exorciſta, Græca voce ſic dictus, Latinè dæmonem adiurans, ſiuè increpans vocatur, *c. Cleros. verſ. Exorciſtę* 21. *diſt.* iuremeritò non homo, ſed ſimilis filio hominis dicitur, eò quòd conditionem humanam ſuperantem, æquantem angelicam, & diuinam attingentem ſortitus ſit.

Exorciſta, dictus dæmonem adiurãs per ſimilem filio hominis figuratur

Quia dignitatẽ humanã ſuperat.

Verè pluſquam homo eſt cenſendus, qui diabolum expellere poteſt. Quæ etenim vires alicui ex hominibus ſuppetunt, vt talem, & tantum inimicum glorioſè expugnare valeat; cum illo nihil debilius, iſto nihil fortius in orbe reperiatur? *Nihil aliud eſt homo*, ait D. Bernardus lib. Meditat. cap. 3. *quàm ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, cibus vermium. Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor, & horror. Sic in non hominem vertitur omnis homo. Quid ſuperbis puluis, & cinis: cuius conceptus culpa, naſci miſeria, viuere pœna, mori anguſtia? Vnde ſuperbit homo, cuius conceptio culpa: naſci pœna: labor vita: neceſſe mori?* Dæmon nihil horum patitur; ſed intellectu ſubtilis, ſcientia illuſtris, motu velox, potentia inſignis, eſſentia ſpiritualis, ſtatu perpetuus perſeuerat in æternum. Quomodo tam debilis dæmonem tam fortem poſſet è ſedibus ſuis nolentem expellere, profligare reluctantem, niſi conditione cæteris hominibus ſupereminerct?

Angelicã exæquat.

Vndè ſupra homines eleuatus Angelorum fortes exæquat. Nam ſi Spirituum beatorum dignitatem attendas, videbis ipſos ſpiritibus malignis dominari, & dæmones ſuo ſubiectos imperio quaquauerſum agere, agitare, exagitare, vt docent Alexander Alenſ. *p. 2. q. 100. mem. 2. art. 6.* Rupertus Abbas *ſuper Iudicum cap. 5.* B. Laurentius Iuſtinianus *de ſpirituali animę reſurrect.* Iacobus Aluarez *lib. 1. de victoria tentant. par. 3. cap. 7.* D. Baſilius *in Pſal. 33.* & alij infra citandi *articulo de Angelis n. 850.* Qua poteſtate cum Exorciſta virtutes aduerſas cohibeat, iuremeritò vt Angelus cenſendus eſt, & ſimilis filio hominis, qui Angelorum ore in forma iuuenis ſplendidi, & ingenui apparentium miniſterium contra dæmones exercet, vt ſcripturæ, ac Patres indicant, qui toties Angelorum titulo Eccleſiæ Miniſtros cohoneſtant.

Diuinã attingit.

Immò diuinam aliquo modo attingit conditionem. Quis enim eſt ille filius hominis, cui ſimilis eſſe, aſſeritur à Ioanne, niſi Chriſtus Dominus, vt teſtantur S. Irenæus *lib. 4. c. 37.* Luiſius Legionenſis *de Nominibus Chriſti* Aretas, Abbas Ioachim, Ribera, Haymo, Anſelmus, Alcazar, & alij relati à Cornelio à Lapide *in Apocalypſim*, qui ſeipſum tali nomine vocans Matthæi 25. huiuſmodi poteſtatem expulſiuam dæmoniorum ipſemet ſæpiſſimè exercuit, & ſuis Apoſtolis tradidit: neque illis ſolùm, ſed etiam ſucceſſoribus? Quã ſpiritualiter æmulantur omnes Exorciſtæ, cũ ſpiritus malignos cogunt in fugam prorumpere: aut maleficia ſoluunt, morboſquè veneficos ſanant. Et ideò iuremeritò ſimiles filio hominis eſſe dicuntur, eò quòd ſi non æqualem, ſaltem ſimilem poteſtatem adepti ſunt. Quare Exorciſta, qui conditione ſic eminet, multis qualitatibus fulgere debet, quæ illum ad tale munus efficaciter obeundum aptè diſponant; ſed præcipuè debet eſſe Poteſtate donatus, Scientia præditus, Virtutibus ornatus: vt tribus capitibus explicabitur.

Ideo debet eſſe Poteſtate donatus. Virtutib. ornatus.

CAPVT I.

Poteſtate donati.

ECcleſiaſticam poteſtatem omnibus Eccleſiæ Miniſtris neceſſariã eſſe nemo ambigit. Quantumuis enim aliquis ſit abundantioribus chariſmatum donis præ cæteris ſuperfuſus, ſi tamen hac poteſtate careat, non poteſt ritè ſuum exercere miniſterium; ideo Exorciſta huiuſmodi poteſtate donatus eſſe debet, vt aptè ſit præparatus in ijs, quæ ad officium exorciſticum pertinent. 492

Eccleſiaſtica poteſtas Exorciſtæ neceſſaria ad debitam officij exercitationem.

Quod typicè videtur in ſimili filio hominis apparenti in medio candelabrorum aureorum, qui veſtitus erat podere, tunica, ſcilicet, byſſina, ſiuè linea interula, quæ (vt explicant Nicolaus Lyranus in poſtilla, & Alcazar ſuper Apocalypſim) erat veſtis Sacerdotalis deſcendens à collo, & humeris vſque ad talos, ideoque dicta (Podiris) ideſt, talaris; & tam arctè corpori adhærens, vt nulla ferè in ea eſſet ruga: cum eſſet ſtricta admodum, & manicas haberet ſtrictas. Nam quid deſignat ſacerdotium illud indumentum, niſi poteſtatem Eccleſiaſticam, *quæ à Chriſto ſupernaturaliter, & ſpecialiter Apoſtolis, Diſcipulis, & eorum ſucceſſoribus legitimis vſque in finem ſæculi ad ædificationem Eccleſiæ militantis ſecundùm leges Euangelicas pro conſecutione fœlicitatis æternę collata eſt?* Ita colligitur ex Soto *in 4. ſent. d. 20. q. 1. art. 1.* Suarez *de Legibus, & Legiſlat. lib. 4. cap. 2. num. 10. & cap. 3. per tot.* & Barboſa *de Epiſcopalis officij inſtit. c. 1.* & latiſs. *de Iure Eccleſiaſt. vniuerſo lib. 1. cap. 1. & 2.*

In qua deſcriptione quadruplex illius cauſa indicatur, ſecundùm quam ab alia qualibet poteſtate diſtinguitur: Efficiens, cum dicitur: *à Chriſto ſupernaturaliter collata.* Nam cum Eccleſia ſit regnum eius monarchicum, placuit aliquos ex hominibus aſſumere, quibus tanquam Officiarijs, & Magiſtratibus ſuam tribueret facultatem. Subiectiua, cum dicitur: *Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus.* Nam hæc poteſtas Apoſtolis primitus collata, ab ijs tranſijt ad Apoſtolicos viros; & ab illis in eorum ſucceſſores transfunditur vſquè ad conſummationem ſæculi: *can. In nouo teſtamento diſt. 21. & Concil. Tridentin. ſeſſ. 23. de Sacram. Ordinis cap. 1. & can. 1.* Formalis cum

Eius quatuor cauſæ explicantur.

cum dicitur *ſecundum leges Euangelicas*, quæ dant formam vtendi: cum non ſit in libertate Eccleſiaſtici, ea poteſtate ad libitum vti; ſed ad legis Euangelicæ, & Eccleſiaſticæ præceptum, quæ vnicuique definiunt, quid facto opus ſit; alias vſus eſſet abuſus. Finalis cum dicitur, *ad ædificationem Eccleſiæ*: eò quòd omnia eius miniſteria ad malum remouendum, & bonum promouendum occupentur; vt fideles à malis liberi, & in bono cōfirmati faciliùs ſuum finem aſſequantur.

Duplex eſt. Ordinis Exorciſtatus, Sacerdotalis. Iuriſdictionis Ordinariæ. Delegatæ.

Hæc autem, vt miniſterium reſpicit exorciſticum, ſecernitur in poteſtatem Ordinis exorciſtatus, & ſacerdotalis, ac poteſtatem Iuriſdictionis ordinariæ, & delegatæ, quæ ambæ poteſtates Exorciſtæ ſunt neceſſariæ modo, quo ſequentib. art. explicabitur.

ARTICVLVS I.

Ordinis Exorciſtatus.

493 *Quid ſit Ordo generice ſūptus. In Eccleſia ſunt plures Ordines.*

CVM *Ordo ſit concentus operationum ad inuicem communionis proportio, viciſſitudinis in omnibus cauſa, & contemperatio ad perficiendum idonea*, vt ait Speuſippus *in platonicis diffinitionibus*; & æquum ſit iuxta apoſtolicum præceptum 1. Cor. 14. *omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fieri*, in Eccleſia dari oportuit Sacrum Ordinem plures graduum, ac dignitatum Ordines in ſe continentem, in quibus ſingularis gratia, & ſpiritualis poteſtas, atque officium traditur Ordinatis, vt munus ſuum in Eccleſia ex profeſſo gerant, vt docent Magiſter *in 2. d. 14. §. ſi autem*, D. Thom. *ibi q. 1. art. 1.* Viguerius *in ſumma cap. 16. §. 6.* & Barboſa *Iuris eccleſiaſt. vniuer. lib. 1. de Ordine, & qualit. Ordinan. cap. 32. num. 2.* vt ſic ex ordinata illa poteſtate admirabilis officiorum harmonia conſurgeret, propter quam tot ordinum varietate circundata non immeritò caſtrorum aciei ordinatæ aſſimilatur. Cantic. 6.

Definitur Ordo Exorciſtatus.

Inter hos graduū ordines numeratur Ordo Exorciſtatus, *qui eſt ſpiritualis poteſtas, qua Ordinatus poteſt dæmones increpare, illoſque ab hominibus, & è rebus ad homines ſpectantibus expellere.* Qua poteſtate nemo vti valet ad dæmones expellendos, ac diſſoluenda opera diabolica, qui non fuerit ſaltem huiuſmodi Exorciſtatus Ordine inſignitus, *c. Non oportet diſt. 69. ex Concilio Laodicenſi cap. 26.* Alcuinus *de diuin. offic. cap. 35.*

Iure ordinario ab hoc munere excludūtur Laici.

Quapropter iure ordinario ab huiuſmodi miniſterio Laici repelluntur, nec poſſunt ſine pacti dæmoniaci ſuſpicione hoc ſibi munus de iure vindicare. Nam ſi hoc ſibi ex officio deberi aſſeuerant, palam conuincuntur ſacrilegij. Si verò gratiam ad hoc ſpecialiter datam, puta, per fidem in Chriſti nomine, prætendunt, tenentur huius iuris extraordinarij documenta præbere Eccleſiæ Sanctæ Prælatis. Nam etſi dæmonum expulſio, & ſolutio maleficiorū per fidē in Chriſti nomine inter gratuita Dei dona ab aliquibus connumerentur, quæ in aliorum vtilitatem bonis, & malis, Clericis, & Laicis tribuuntur, vt docet Paulus 1. Cor. 12. dicens: *Alij datur operatio virtutum*, qua fideles per fidem poſſunt dæmones expellere, vt Chriſtus dixit Marci vlt. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient.* Nihilominus huiuſmodi gratiæ ab Eccleſia ſunt examinandæ, ſine cuius iudicio, & auctoritate nemini licet ſaltem publicè, vel miniſterialiter virtute peculiari, exorcizare.

Clerici ſimplices

Simili ratione excluduntur ab eo numero ſimplices Clerici, qui licèt aſciti ſint in ſortem Domini, & veniant nomine perſonarum eccleſiaſticarum; non tamen poſſunt hoc munus miniſterialiter obire, niſi Exorciſtatus Ordine ſint inſigniti. Ideò tota poteſtas penes illos manet, qui ſaltem in Exorciſtarum numero cooptantur.

§. I.

HVnc autem ordinem vnum eſſe ex iis, quos minores vocant, omnes ſciunt quicumque eccleſiaſticam diſciplinam nouerunt, cuius vmbra præceſſit in lege veteri apud Iudæos, inter quos adiurandis dæmonibus aliquos vacaſſe, probat illud Domini dictum Lucæ 11. & Matthæi 12. *Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Ideò ipſi iudices veſtri erunt.* Vbi Toſtatus loquens in perſona Chriſti *quæſt. 64. ſuper illa Chriſti verba relata*, ait: *Non eſt veriſimile, quòd dicatis, ſcilicet, me eijcere dæmonia in Beelzebub: quia ego, & filij veſtri eijcimus dæmonia in eadem poteſtate; & tamen non conceditis, quòd filij veſtri eijciant illa in Beelzebub: nec ergo debetis aſſerere, quòd ego eijciam in Beelzebub; ſed in virtute Dei, ſicut filij veſtri: cum non appareat aliqua ratio differentiæ, quare illos in virtute Dei, & me in Beelzebub dæmonia eijcire dicatis.* Deinde ſubdit: *Quod autem dicitur (Filij veſtri) accipitur de Exorciſtis. Nam apud Iudæos erant Exorciſtæ, qui inſtructi à Salomone dæmones eijciebant; & manſerunt ſemper in gente illa vſquè ad tempora Chriſti, & etiam poſt. Aſſerit enim Ioſephus lib. 8. Antiquit. c. 2. quòd tempore belli Romani, Iudæus quidam de gente Iudæorum coram Veſpeſiano Cæſare dæmonem de obſeſſo corpore expulit: in cuius rei notitiam fecit, vt dæmon de corpore egreſſus vas aquæ coram poſitum videntibus cunctis euerteret. Sicque de iſtis Exorciſtis Chriſtus loquebatur, qui erant filij Iudæorum, ideſt, de gente illa.* Quod confirmant Chryſoſtomus *ſuper eadem verba Matthæi*, & Amalarius Fortunatus Epiſcopus Treuiren. *lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis cap. 9. de Exorciſtis*: vt habetur *tom. 9. par. 1. Bibliothecæ Veterum PP.* & Beda *tract. ſuper Actus Apoſtolorum* ab eo allegatus. 494

Ordo Exorciſtatus eſt vnus ex minorib. Figuratus in lege veteri

§. II.

IN lege verò noua veritas ſubſecuta eſt, cum ipſemet Chriſtus Ordinem hunc inſtituit; non, vt aiunt quidam, videlicet, quando Chriſtus tetigit aures ſurdi, & muti dicens: *Ephpheta, quod eſt adaperire*: Marci 7. Et quando Maria Magdalena à ſeptem dæmonis ab eo fuit liberata. Matthæi 26. quia ſequeretur, quòd bis inſtituiſſet Ordinem Exorciſtatus, quod videtur abſurdum; Sed in vltima cæna; cum totum Ordinis Sacramentum inſtituit. Et licet Auguſtinus Barboſa *de iure Eccleſiaſt. vniu. cap. 33. de Ordine, & qualit. Ordin. n. 5. in fine*, videatur aſſerere, ſolùm Sacerdotium inſtitutum eſſe à Chriſto in vltima cæna, cæteros verò Ordines ab Apoſtolis, & ab eorum primis ſucceſſoribus introductos eſſe: omneſquè dici à Chriſto inſtitutos: quia ille omnium Ordinum officia in ſeipſo quodammodo geſſiſſe probatur; Nihilominus cum ex ſententia Doctorum melioris notæ, nempè D. Thomæ *par. 3. q. 94. art. 3.* Caietani ibi, D. Bon. *in 4. diſt. 24. q. 1. & 4.* Richardi *q. 3. art. 3.* & aliorum infra citandorum, omnes Ordines ſint Sacramenta, dubio procul eſt aſſerendum, Ordinem Exorciſtatus à Chriſto Domino inſtitutum fuiſſe in vltima cæna ſimul cum toto Ordine; Vel dicendum eſt, 495

Inſtitutus à Chriſto in lege noua. Et quando.

eſt, Ieſum inſtituiſſe Ordinem Exorciſtatus, cum Matthæi *cap.*10. *Marci* 3. *& Lucæ* 9. *Conuocatis duodecim Diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Iuxta enim fidem omnia Sacramẽta inſtituta ſunt à Chriſto Domino: ita expreſsè definitur in Concilio Tridentino, *ſeſſ.*7. *de Sacr. in genere can.*1. cuius verba ſunt: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtituta, anathema ſit.*

*Verſ.*1. *Verſ.*15. *Verſ.*1.

Seruatus ab initio Eccleſiæ Vt teſtãtur Patres.

Quem ordinem ſeruatum fuiſſe ab initio naſcentis Eccleſiæ probant Doctores teſtimonio Sanctorum Patrum, vt Ignatij, qui in epiſtola ad Antiochenſes ſalutat Subdiaconos, Lectores, Cantores, Hoſtiarios, Exorciſtas: Cypriani Epiſcopi, & Martyris, qui *lib.*4. *epiſt.*7. ſcribit, per Exorciſtas voce humana, & poteſtate diuina dæmones flagellari, vri, torqueri: Cyrilli Hieroſolymitani *in præfat. Catheche ſ.* aſſerentis, Exorciſtas per Spiritum Sanctum dęmones effugare: Optati Mileuet. *lib.*4. docentis, per Exorciſtas ſpiritus immundos depelli, & in deſertum fugari: Clementis Romani Papæ *epiſtola ad Iacobum fratrem Domini*: Cornelij Papæ, & Martyris *epiſt. ad Flauianum*, quam Euſebius conſeruauit: Caij Papæ, & Martyris *epiſt. ad Felicem Epiſcopum*: Auguſtini *lib.*2. *de Nuptijs, & concupiſc. cap.*19. *&* 29. Quibus adde Concilia, Roman. ſub Syluestro *can.*3. Antioch. *can.*10. Carthag.4. *can.*4. cui interfuit, & ſubſcripſit idem Auguſtin. Laodic. *cap.*26. & alia moderniora, quæ cum antiquis æqualis ſunt auctoritatis, & fidei.

Concilia

§. III.

496 HVnc Ordinem, aſſerunt nonnulli cum Durando relati à Ioſeph Angles *in* 4. *ſent. quæſt. de Sacram. Ordin. artic.*1. *diff.*3. eſſe tantùm ſacramentale; Attamen Sacramentum eſſe, ſicut & cæteros Ordines, tuentur, præter D. Thomam, & alios ſupra relatos num.7. Paludanus *in* 4. *diſt.*24. *quæſt.*1. Albertus Magnus, Almaynus, Maior ibi. Franciſcus à Victoria *Summa Sacram. quæſt.*6. *de Ordine*. Coninchus *diſput.*28. *dub.*6. Nugnus *quæſt.*27. *artic.*2. *concluſ.*1. & Bonacina *de Sacram. diſp.*8. plures citans Doctores. Quare cum Ordo Exorciſtatus ſit Sacramentum, eum ſuum producere effectum non ſolùm ex opere operantis; ſed etiam ex opere operato, videlicet ex virtute Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, nempe, ex ſe, & ex vi talis Ordinis abſolutè, & infallibiliter ſecundum Dei legem ordinariam dęmones ab obſeſſis corporibus expellere, ſi adſint omnia requiſita, vt mox dicetur *numer.*17. *& ſequentibus*, fatemur indubitanter cum Toſtato *p.*2. *in* 1. *Regum cap.* 16. *quæſt.* 41. Alphonſo à Caſtro *lib.* 6. *aduerſus hæreſes verb. Exorciſmus*, Sanchez *lib.*2. *in præcepta Decalogi cap.*42. *numer.*16. Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. D. Thomæ q.*65. *artic.*4. *diſput.*15. *ſect.*4. Valentia 2.2. *diſput.*6. *q.*8. *punct.*2. Philiberto Marchino *tract.* 2. *de Sacramento Ordinis part.*4. *cap.*10. Virtus enim huius Ordinis, quæ eſt expulſio Dęmonis ab obſeſſis corporibus per ſe pendet ex inſtitutione diuina, & poteſtate tradita à Chriſto Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, & ab Eccleſia ſuis Eccleſiaſticis Miniſtris, nempè, Exorciſtis. Sed neceſſe eſt, vt Exorciſtæ in ſuis præceptis nomen Dei, videlicet, vel Sanctiſſimæ Trinitatis, vel Domini noſtri Ieſu Chriſti interponant.

Quæ eſſe Sacramẽtum, ſuſtinent plures Theologi

Probatur ex inſtitutione Chriſti.

Vndè per ſola verba, quæ proferunt Exorciſtæ dęmones obiurgantes, eos nõn expellunt: quia ex ſe nullam habent efficaciam; ſed quando præcipiunt in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, vel in nomine Ieſu Chriſti, dęmones expelluntur, non vi verborũ coacti; ſed à virtute Dei, qui vult operari prolatis illis verbis

Hoc probat Toſtatus loco citato à ſimili in Sacramento Euchariſtiæ. *Quemadmodum enim*, ait, *in Sacramento Euchariſtiæ prolatis verbis à Sacerdote eſt ibi verum corpus, & ſanguis Chriſti; & tamen iſta verba ex natura ſua non habent aliquam virtutem ad hoc efficiendum: quia ſi in verbis eſſet virtus naturalis, à quocumque illa proferrentur, conficeretur Euchariſtia. Sed falſum eſt: quia ſi Laicus illa protulerit, nihil efficit. Etiam non eſt efficacia à Sacerdote: quia tunc quandocumque Sacerdos illa proferret, conficeret. Sed falſum eſt: quia ſi non proferantur cum intentione conſecrandi, ſed intentione iocandi, nihil efficit. Similiter ſi non proferantur ſuper debitam materiam, nihil fit. Solus ergo Deus eſt, qui conſecrat, faciendo ibi eſſe verum corpus Chriſti: & ſic ipſe fieri iuſſit Ioan. cap.*13. *&* 1. *Corinth.* 11. *Ita in Exorciſtis, quamquam verba, quæ ipſi proferunt, non habeant ex natura ſua aliquam efficaciam ad expellendos dęmones de corporibus; prolatis tamen illis verbis, quę etiam in forma dedit Deus, illicò dæmonem eijcit de corpore. Et hoc, quia ipſe promiſit, ſcilicet, quòd prolato nomine ſuo iſta fierent: Marci vlt. ſcilicet, In nomine meo dęmonia eiicient, id eſt prolato nomine meo. Hæc Toſt.* Hoc ipſum confirmat Alph. à Caſtro loc. cit. *Vis*, ait, *præcepti ab Exorciſta prolati contra dęmones verbis Chriſti innititur: In nomine meo dęmonia eiicient. Per quę promiſit non tantùm Exorciſtis; ſed toti Eccleſiæ, ſe numquam illorum inuocationi defuturum, qui nomen ipſius interpoſuerint.*

Auctoritate Toſtati.

Alph. à Caſtro.

§. IV.

HInc miniſterio huic exorciſtico, ea, quæ in Sacramentis concurrunt, proportionaliter conuenire, non eſt dubitandum. Quod facilè probari poteſt ex Sacramento Pęnitentiæ, in quo, ſicut in cęteris, concurrunt cauſa efficiens, materia, forma, & intentio Miniſtri, quorum ſi vnum deficiat, Sacramentũ non efficitur. Docet Cõc. Trid. *ſeſſ.*7. *can.*11. *de Sacr. in genere*, Barthol. ab Angelo *Dial.*1. §.27. & Bonac. *diſp.*1. *de Sacr. in gen. q.*3. *punc.*2. alios plures citans. Efficiens cauſa, altera eſt principalis, quæ eſt Deus operans, peccata remittendo, & gratiam conferẽdo: Altera minus principalis, Sacerdos nẽpè, verba proferens abſolutionis, qui eſt velut inſtrumentum morale, vt ſerra eſt artificiale, quæ mouetur à fabro lignario. Materia altera remota: Propinqua altera. Remota ſunt peccata. Propinqua ſunt actus deteſtationis peccatorum, & confeſſionis eorundem. Forma altera remota, propinqua altera. Remota ſunt verba abſolutionis: *Ego te abſoluo à peccatis tuis, In nomine Patris &c.* Propinqua eſt prolatio verborũ ſuper debitam materiam. Intentio Miniſtri eſt abſoluere hominem à peccatis, & gratiæ Dei eum reconciliare. Quæ omnia ſi adſint, Sacramentum ſuum producit effectum. Ita D. Th. 3. *p. q.*84. *ar.*2. Nugnus, & Vaſquez ibi, & Bonac. *diſp.*5. *de Sacram. q.*3. 497

In miniſterio Exorciſtatus concurrunt omnia, quæ in Sacramẽtis proportionaliter.

Idem prorſus proportionaliter fatendum in miniſterio Ordinis Exorciſtatus. Non enim loquimur hic de Exorciſtatu, prout eſt ordinatio: quia ſic eius cauſa principalis efficiens eſt Deus: minus principalis, dicta miniſterialis, eſt Epiſcopus. Materia remota eſt liber Exorciſmorum. Propinqua traditio eiuſdem. Forma ſunt verba ab Epiſcopo prolata, cum tradit Exorciſtæ libellum, in quo Exorciſmi continentur, dicens: *Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſiuè baptizatos, ſiuè Cathecumenos.* Intentio verò Epiſcopi eſt, inſtituere in Eccleſia Dei idoneum Miniſtrum ad dęmones expellendum. Ita præſcriptum eſt in Cõc. Carth.4. *can.*7. & Eccleſiaſticis canonibus *cap. Exorciſta diſt.*23. Et probant Valentia *tom.*2. *diſp.*6. *quæſt.*8. *part.*2. *col. penult. verbo Iampridem.* Sanchez

Quænam ſint cauſæ Exorciſtatus, vt Ordo eſt.

in Decalogi præcepta cap. 42. *num.* 18. Guilhielmus Durandus *in Rationali diuin.offic.lib.* 2.*cap.*6.*num.* 4. Viualdus *in candel.aureo part.* 1. *vbi de Sacram.Ordinis num.* 12. *&* 13. Cardinalis Bellarminus *de Clericis lib.*1.*cap.*13. *verſ. tertius Ordin.* Henriquez *in Summa lib.* 10. *cap.* 9. §. 2. Molſeſ. *in Sum. Theologiæ Moralis tract.*2.*cap.*6. Filliuccius *tract.*9.*n.*20. *&* 51. Sebaſtianus *Cæſ. in relict. de Eccleſiaſtica Hierarchia diſput.*11.§.3. *in fine*, Vaſquez *tom.*3. *in* 3.*par.* D.Thomæ *diſp.*237. *c.* 3. *num.*32. Barboſa *de Iure Eccleſiaſtci. vniuerſo lib.* 1. *de Acolyt. & alijs ordin. cap.*38. *num.*14. & Petrus Thyręus *de Dæmoniacis cap.* 37. *num.* 502. ex illo Actuum 19. vbi dæmon obiecit filijs Sceuę iniquè huiuſmodi poteſtatem vſurpantibus: *Ieſum noui, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? & inſiliens in eos, &c.*

*Verſ.*15.
*Verſ.*16.

§. V.

498 *Exorciſtatus, vt miniſteriũ eſt eius cauſa efficiẽs Principalis eſt Deus Miniſterialis eſt Exorciſta. Exorcizare quid ſit.*

SEd loquimur hic de miniſterio Exorciſtatus, videlicet, prout actu exercetur ab Exorciſta. Hoc enim modo conſideratus, eius cauſa principalis eſt Deus, qui dæmonem tum ab hominibus obſeſſis, aut maleficiatis, tum à rebus ad homines ſpectantibus virtute ſua expellit; vt docet Toſtatus *loc. citato n.* 10. Cauſa inſtrumentalis, ſeù miniſterialis eſt Exorciſta, qui in nomine Ieſu dęmoni pręcipit, vt exeat è corpore, quod poſſidet. Eius namquè officium eſt dęmonem adiurare, & increpare per nomen Domini, vt colligitur ex Auguſtino *lib.* 1. *de Vita beata*, vbi ait: *Exorcizare eſt per diuinam virtutem immundum ſpiritum adiurando expellere.* Quod pariter teſtantur D. Iſidorus *in Epiſt. ad Ludifredum*, & refertur *in cap. Perlectis diſt.* 25 Rabanus *lib.* 1. *de Inſtitut. Clericorum c.* 10. Hugo *lib.* 2. *de Sacramentis par.*3.*cap.* 8. Stephanus Eduenſis *tract. de Sacramento Altaris cap.*3. *relatus tom.* 10. *Bibliotheca Veterum Patrum.*

§. VI.

499 *Materia remota miniſterij Exorciſtatus quanã ſit Quænam materia propinqua.*

MAteria altera remota: propinqua altera. Remota eſt dæmon expellendus. Nam tota actio Exorciſtę verſatur circa huiuſmodi dęmonis expulſionem, tanquam materiam circa quam: vt ſic patiens à diabolica tyrannide liber expeditiùs Deo inſeruire poſſit. Propinqua eſt paſſiua dæmonis expulſio cooperante obſeſſo, aut maleficiato, (ſi eſt capax rationis) per actus liberi arbitrij, quibus dæmonem deteſtatur; ac proteſtatur, ſe nihil cum eo velle habere commune; ac firmiter credit, quòd Deus non ſolùm poteſt illum à dæmone liberare, ac modum eum liberandi nouit, ſed pro ſua infinita clementia, ac bonitate, ac pro veritate verbi ſui, quo promiſit omnibus in ſe confidentibus ſuum præſtare auxilium, illum abſque vlla dubitatione à dæmone liberabit, ſi huiuſmodi liberatio futura ſit animæ ſalutaris.

Si verò obſeſſus, vel maleficiatus rationis vſu careat, tunc pro eo ſupplet Eccleſia. Veruntamen iuuant maximopere actus fidei, ac confidentiæ in Deum pro eius liberatione eliciti à parentibus, vel conſanguineis, aut quibuſcumquè Vexati curam habentibus.

Declaratur à ſimili in baptizãdis Adultis, Paruulis

Sicut in Sacramento Baptiſmi, cum Baptizandus eſt adultus, ante Baptiſmi ſuſceptionem circa ea, quæ credenda ſunt, cathechizari debet, vt habetur *can. ante viginti*, & in Concilio Laodicenſi *can. Baptizandos*, & Concil. Bracharenſi *can. Non liceat. de Conſecrat. diſt.* 4. teneturquè habere voluntatem determinatam actualem, ſiuè virtualem Baptiſmum ſuſcipiendi. Definita eſt in *cap. Maiores, de Baptiſmo*. Et docet Scotus *in* 4.*diſt.* 4.*q.*4. Pro paruulis verò voluntarium conſenſum præſtat Eccleſia. Ratio eſt: quia ſicut originale peccatum fuit voluntarium non in paruulo, ſed in Adam: ita remedium ſatis erit in paruulo, vt ſit voluntarium in Chriſto inſtituente, & Eccleſia miniſtrante: fuit enim primus Adam futuri Adæ, ſcilicet Chriſti forma. Ita Ioſeph Angles docet *Flor. Theolog. qq. in* 4. *quæſt. de recipientibus Baptiſmum artic.*5. *diffic.*4. *concluſ.* 2. Pari modo obſeſſus, aut maleficiatus, ſi capax ſit rationis, tenetur ipſe habere voluntarium conſenſum ſuæ liberationis: & elicere actus fidei, ac confidentiæ in Deum, quòd pro ſua pietate, ac fidelitate, ad præceptum ab Exorciſta dæmoni faciendum, vt exeat, & recedat totaliter ab eo, illum Deus expellet, & in fugam vertet. Si verò rationis vſu careat, tunc ſupplet Eccleſia.

Veruntamen ſicut cum paruulus ſolemniter baptizatur, fidem per verba geſtantium quodammodo profitetur, & per eorundem verba diabolo, & mundo abrenuntiat: & hoc fit vi Sacramenti, & diuinæ gratiæ, quam Dominus donauit Eccleſiæ, vt habetur *can. Paruuli fideles de conſecrat. diſt.* 4. Ita obſeſſis, vel maleficiatis, aut ægrotis rationis vſu carentibus maximoperè iuuat pro ſanitate à Deo illis impetranda, ſi eorum parentes, vel conſanguinei, aut curam habentes actus deteſtationis in dæmonem, ac confidentiæ in Deum efficaciter eliciant. Sic enim Redemptor noſter Ieſus Chriſtus pro fide Cananeæ filiam eius à dæmone liberauit. Matth. 15. Pro fide Cenrurionis ſeruo eius ægroto ſanitatem contulit. Matth. 8. Pro fide eorum, qui paralyticum per tectum demiſerunt, à paralyſi liberauit eum. Matth. 9. Pro fide Archiſynagogi eius filiam à mortuis ſuſcitauit. Luc. 8. Pro fide patris pro filio ſuo dæmoniaco rogantis, illum à dæmone eripuit. Marci 9. Vnde Ioannes Maldonatus Comment. in cap. 9. Matthæi verſ. 28. ait: *Licèt nemo poſſit iuſtificari aliena fide, poteſt benè gratias ſanitatis obtinere aliena fide.*

§. VII.

FOrma altera remota, propinqua altera. Remota ſunt verba à Chriſto inſtituta; Marci vlt. *In nomine meo dæmonia eijcient*. Nam præcepta debent fieri in nomine Dei, præcipuè nomine Ieſu Chriſti interpoſito. Sic teſtantur Iacobus de Graſſijs *in aureis deciſionibus part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. Alciatus *lib.* 8. *parerg.cap.* 23. Durandus *in Rationali diuin.offic.lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. *&* 2. Henriquez *in ſumm. lib.* 10. *cap.* 9 §. 2. Anaſtaſ. Germon. *de Sacrorum immunitione lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 38. Rodulph. Cupers *in repet. cap. oportebat. diſt.* 79. *ſub titulo de Exorciſtis artic.* 1. Cardinal. Baronius *tom.* 1. *annal. Eccleſiaſt. anno Chriſti* 56. *num.* 7. Petrus Gregorius *Syntagmate Iuris part.* 2. *lib.* 16. *cap.* 5. *num.* 1. vbi declarat, qui dicantur Energumeni: Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *p. D. Thom. diſput.* 236. *n.* 23. *verſ. tertius*, *& n.* 24. Carolus de Graſſijs *de effectibus Clericalibus in prælud. num.* 286. relati ab Auguſtino Barboſa *de Iure Eccleſiaſt. vniu. lib.* 1. *de Acolyt. & alijs min. Ordin. cap.* 38. *num.* 15. 500

Quanã ſit eius Forma remota. Pręcepta debent fieri in nomine Ieſu, vel Sanctiſſimæ Trinitatis.

Simili verborum forma ipſi Apoſtoli, ac Diſcipuli Chriſti faſſi ſunt, ſe vſos fuiſſe Lucæ 10. *Reuerſi ſunt ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes. Domine etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo.* Quibus verbis Paulus Apoſtolus vtebatur Actuum 16. vbi à puella pythonem ſpiritum eijciens con-

Tali forma vſi ſunt Apoſtoli.

conuerſus ſpiritui dixit: *Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti, exire ab ea: & exijt eadem hora*. S. Petrus ſimiliter, teſte S. Clemente, hac forma vtebatur: *Non curo, quomodo huc intraueris; ſed vt exeas impero in nomine Ieſu Chriſti*. Sic S. Ioannes Euangeliſta: *Interdico tibi in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ne vltra hic habites. Item in nomine Ieſu Chriſti hinc exite numquam redituri*. Sic omnes Sancti vtebantur, vt omnes eccleſiaſticæ ferunt hiſtoriæ. Quæ formæ eſſentialiter, & quoad ſenſum non differunt. Nam intentio Chriſti eſt, vt præcepta fiant in nomine eius. Ratio eſt, quia, vt ait Paulus Philipp. 2. *Deus dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; Vt in nomine Ieſu omne genuflectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Et Petrus Act. 4. *Hoc eſt nomen, in quo oportet nos ſaluos fieri.*

Verſ. 18. *Verſ. 9.* *Verſ. 10.* *Verſ. 12.*

Forma propinqua. Forma verò propinqua eſt prolatio huiuſmodi verborum ſuper debitam materiam cum debita intentione; vt docent omnes Doctores in ſimili de Sacramentis.

§. VIII.

501 *Intentio, quam debet habere Exorciſta in ſuo miniſterio.* INtentio, quam debet habere Exorciſta eſt, non ſolùm ſe velle dæmonem torquere; ſed illum à corpore obſeſſo expellere. Vel ſaltem habere debet intentionem faciendi, quod intendit Eccleſia, vel Chriſtus inſtituit faciendum. Quæ intentio omninò neceſſaria eſt in quolibet Eccleſiæ Miniſtro. Ideò Exorciſta neceſſariò debet ad veritatem Sacramenti, ſuum actum exteriorem, puta, verba in hunc finem dirigere, vt per illum actum id, quod Chriſtus Ieſus, vel Romana Eccleſia faciendum inſtituit, conficiatur: ita definita eſt expreſsè hæc veritas in Concilio Florentino. Confirmant Theologi D. Thom. *3. part. q. 64. artic.* 8. Alexander Alenſ. *in 4. part. q. 19. memb. 1. art.* 4. D. Bonau. *in 4. d. 6. q. 1. & 2. artic.* 2. Ricard. *ibi q. 1. artic.* 1. Scotus *q. 3. 5. & 6.* & alij plures apud Ioſeph Angles *in 4. q. de Miniſtro Sacramentorum*.

§. IX.

502 *Exorciſmus infallibiliter ſuum producit effectũ, ſi adſint omnia requiſita.* CVM ergo in hoc ſacro exorciſtico miniſterio, ea, quę in Sacramentis requiruntur, proportionaliter concurrere videamus, proculdubio aſſerere non ambigimus, vim exorciſmi, ſeu præcepti eccleſiaſtici dęmoni ab Exorciſta facti in nomine Ieſu non inniti Sanctitati miniſtri, & ſi ea non parum iuuet; ſed inuocationi Sanctiſſimi Nominis Ieſu; & fidei, & Sanctitati Eccleſiæ, in cuius perſona fiunt; Et huiuſmodi præcepta vim habere dęmones expellendi non ſolùm ex opere operantis; ſed etiam ex opere operato, ſicut cętera Sacramenta in producendo ſuum effectum: vt colligitur ex D. Thoma *3. part. q. 71. artic. 3*. Et ideò ſicut infallibilis eſt Sacramentorum effectus, niſi adſit aliquis defectus vel ex parte miniſtri, vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ, vel ſuſcipientis: Sic infallibilis eſt effectus actus Ordinis Exorciſtatus, qui eſt expulſio dęmonis, niſi ſit aliquis defectus vel ex parte cauſæ inſtrumentalis, vel intentionis Miniſtri, vel formæ, vel materiæ Videamus ergo ex quanam cauſa defectus euenire poſſit; cum ſępiùs multi obſeſſi, ac maleficiati exorcizentur, nec tamen à dęmoniaca obſeſſione liberentur.

Vnde proueniat, quòd aliqui obſeſſi exorcizati non liberantur.

§. X.

503 *Non à Deo, ſi liberatio ſit ſalutaris animæ.* EX parte cauſæ efficientis principalis, nempè, Dei, non poteſt eſſe defectus: quia Deus quantum eſt ex ſe ad liberationem concurrere ſemper eſt paratus, quando expulſio dęmonis animæ obſeſſi futura eſt ſalutaris: quia Deus promiſit in eo credentibus, quòd dęmones eijcerent, Marci vlt. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dęmonia eijcient*. Si crediderint, nempè, dęmones eijcere in nomine Ieſu. *Ieſus enim*, ait Gregorius homil. 28. in Euangel. apud Gloſſ. *Saluator eſt: vel etiam ſalutaris dicitur; & qui petit in nomine Ieſu, ſalutaria petit, & illa obtinet, quæ petit*. Verba autem Dei pręteriri non poſſunt: cum Deus ſit verax, & omnia in veritate docens; & ita verax, quòd *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, ait Ieſus Matth. 24. Ideò quantum eſt ex parte Dei ex vi promiſſionis factæ, quando liberatio à dęmone perſonæ liberandæ eſt ſalutaris, Deus infallibiliter concurrit, ſi adſint cętera requiſita.

Adducitur error aliquorũ Hinc cautè legendi Auctores illi tàm priſci, quàm neoterici, qui dicunt, *Deum plerunquè ſinere dęmonem in ſua voluntate, an obedire velit, nec ne; ſicut homines, quibus Deus aliqua præcipit: quia Deus regulariter omnia mouet ſecundùm modum ſuum; rationalia, ſcilicet, cum libertate. Sed tamen ſicut hominibus adhibet ſtimulos, vt velint obedire per Prædicatores, aduerſitates, & huiuſmodi; Ita etiam malignis ſpiritibus adhibet ſtimulos vrgẽtes ad ſuam obedientiam, qui ſunt exorciſmi, quibus dęmones ità ſpiritualiter cruciantur, ſicut homines verberibus corporalibus*. Hæc dicti Auctores.

Et reprobatur. At quis non videat, prædicta verba expreſsè veritati Sancti Euangelij aduerſari, in quo Deus promiſit in ſe credentibus, quòd dæmones eijcerent in nomine Saluatoris indepẽdenter à voluntate dęmonis; immò contra dæmonis voluntatem? Marci vlt. ſicut etiam c. 9. dixit: *Omnia credenti ſunt poſſibilia*. *Mar. 16.* Vbi videas eorum grauiſſimum errorem à nemine hucuſquè conſideratum, dum ex prædictis ſuis verbis, & ex ſimilitudine allata oſtendunt, huiuſmodi dæmonis expulſionem non fieri à virtute Dei dæmone inuito; ſe pendere à libera dæmonis voluntate; ſicut obſeruatio præceptorum dependet à libero hominis arbitrio, Deo adiuuante. Quod impium eſt aſſerere; cum repugnet veritati Euangelicæ, & poteſtati Eccleſiæ, quæ huiuſmodi facultatem dæmones eijciendi à Chriſto Domino accepit independenter à dæmonis voluntate. Quod magis, ac magis oſtendit factum, ac dictum Chriſti. Cum. n. Diſcipuli eius non potuiſſent ab illo puero lunatico dæmonem eijcere, acceſſerunt ad Ieſum ſecretò, & dixerunt: *quare nos non potuimus eijcere illum?* Quibus non dixit Ieſus: quia Pater meus noluit vti ſua omnipotenti virtute; ſed reliquit dæmonem in ſua libertate, & obſtinatione; vt dixiſſent præfati Auctores. Sed reſpondit: *Propter incredulitatem veſtram*. Matthæi 17. cauſam refundens non in Deum, ſed in Exorciſtas: quia non ſe benè diſpoſuerant ad fidem vigoroſam, ac confidentiam perfectam impetrandam per orationem, & ieiunium; Nec non in obſeſſum, & eius patrem dicens: *O generatio incredula, & peruerſa quamdiù apud vos ero? quamdiù vos patiar?*

§. XI.

504 *Quomodo ſit defectus ex parte Exorciſtæ.* EX parte cauſæ inſtrumentalis, ſeù miniſterialis tunc eſt defectus, quando Exorciſta non cognoſcit ſuam poteſtatem à Chriſto ſibi traditam in perſona Apoſtolorum, & ab Eccleſia ſibi communicatam in Ordine Exorciſtatus: qua mediante, debet credere, dæmonem teneri eius præceptis obedire, ſicut Deo in his, quæ ad liberationem pertinent obſeſſi; ſi etiam ipſe obſeſſus ſit bene diſpoſitus, & liberatio ſit ei profutura. Sicut enim ſecuris, vel ſerra eſt inſtrumentum fabri lignarij, & lignum obedit ſerræ, vel ſecuri, dum ſcinditur per eam: ſic dæmon neceſſariò miniſtro Chriſti, & Eccleſiæ tenetur obedire. Et ſicut non poteſt dęmon non obedire Deo: ſic non poteſt non obedire eius miniſtro in his, quę infra eius poteſtatis limites continentur. Quam veritatem dæmones ipſi pluries Venetijs, & alibi coacti per vim præcepti ſibi à me facti in nomine Ieſu, faſſi ſunt, antequam per vltimum præceptum expulſiuum è corpore obſeſſi egrederentur.

Hinc plures Exorciſtæ huiuſmodi ſuam ignorantes poteſtatem, confugiunt ad dæmonem; ac per vim præcepti tentant educere ex Orco Luciferum cum ſuis ſatellitibus, vt ipſe veniat, ac poteſtate ſua ſathanica huiuſmodi obſtinatos è corpore obſeſſo ſpiritus eripiat, eoſquè ad inferos deducat. Imò ſæpiùs ab ipſomet dæmone obſidente quærunt, vt dicat, quando velit exire, qua die, qua hora, quo loco, per quam perſonam, per quem Sanctum ſit expellendus: Et in alios huiuſmodi labuntur errores, qui à nobis vt abominabiles, Deoquè & Eccleſiæ iniurioſi, & obſeſſis, ac maleficiatis valdè noxij, quin & ipſis Exorciſtis admodum pernicioſi reprobantur infra *cap. 2. articulo de Prudentia in vitandis erroribus.*

§. XII.

505 *Quando ſit error ex parte intentionis.* EX parte intentionis dæmonem expellendi, notabilis defectus videtur in regulis traditis ab antiquis Auctoribus, dum aſſignant ad dæmones eijciendos multos dies, hebdomadas, menſes, & annos, in quibus multa præſcribunt adimplenda, & exercenda tum pharmaca corporalia, vnctiones, balnea, vomitoria, fumigationes ſulphureas: tum irriſiua, & alia id generis, quæ in eorum libris continentur: in quibus apertè conſtat, numquam Exorciſtam actualem, vel virtualem eijciendi dæmonem tunc habere intentionem, quando illud de exitu facit præceptum, ſi credit cætera alia ſeruanda eſſe neceſſariò: quia ſic verba contraria ſunt intentioni. Per verba enim præcipit, vt exeat citò; ſed intentio eſt, vt non exeat, niſi adimpletis huiuſmodi remedijs, & deſtructis maleficij ſignis.

§. XIII.

506 *Error ex parte formæ.* EX parte formæ communis, eſt defectus ferè in omnibus exorciſmarijs. Nam relicta forma tradita ab ipſo Chriſto, & ab Apoſtolis, ac Diſcipulis eius vſitata, quæ quoad eſſentiam clara eſt in Euangelio: *In nomine meo dæmonia eijcient*: & ſæpiùs apud Euangeliſtas, & Acta Apoſtolorum memorata, nouas quærunt alibi exorciſmorum formulas, vnuſquiſquè proprio ſuo Marte, & continuè multiplicantur noui exorciſmi vocati potentiſſimi, & efficaciſſimi, eò quòd in eis multæ continentur dæmonibus comminationes factæ, aſſerentes, neceſſe eſſe, Exorciſtam, quoties Energumenum exorcizare aggreditur, ſaltem per ſex horas continuas legere exorciſmos, quaſi modus expellendi dæmones conſiſtat in multitudine, & longitudine coniurationum, & non in virtute, & efficacia Sanctiſſimi Nominis Ieſu, qua ab Exorciſta dæmones ſunt expellendi.

Sed vndenam tanta multitudo exorciſmorum, ex quorum lectione nimis defatigantur Exorciſtæ, & obſeſſi defeſſi aufugiunt, ſi à Chriſto data eſt verborum forma (ſaltem quoad ſubſtantiam) dæmones effugandi? Cur Exorciſtæ hùc illùcque diſcurrunt, vt nouas exorcizandi adinueniant formulas, ſi in Euangelio clara, & aperta traditur? Hoc vtique non aliundè prouenit, quàm ex ignorantia, qua laborant, eorum, quæ eſſentialiter ſpectant ad hanc artem. *Vnde prouenit multitudo exorciſmorũ.* Hinc ex hac ignorantia ſequitur error peior priore, quòd in huiuſmodi ſuis exorciſmarijs admonent Exorciſtas, vt dæmonem patrem mendacii interrogantes arctent, vt dicat: *Quibus verbis magis crucietur: Quinam ſint Sancti in Cœlo, & quinam dæmones in Inferno ſibi magis inimici.* Quas interrogationes in ſuis coniurationibus ſæpiùs repetunt; in quibus apertè manifeſtant, ſe numquam agnouiſſe verba ſacri Euangelii, quibus Dæmones ab obſeſſis corporibus ſunt expellendi. Vbi videas, quomodo per huiuſmodi interrogationes occultè, & inconſideratè Exorciſtæ euadunt diaboli diſcipuli. Quos errores infra deteſtamur *num. 678. & ſequentibus.*

§. XIV.

EX parte materiæ remotæ, quæ eſt dæmon expellendus, error euenit, quia ignorant, Chriſtum per Paſſionem ſuam dæmonibus abſtuliſſe omnem hominibus nocendi facultatem quoad actum ſecundum pro omnibus ijs, quos Deus vult protegere ob aliquod bonum publicum, vel priuatum, & maximè, quia confidunt in protectione Dei Altiſſimi, ac in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu, cui Deus Pater dedit hanc virtutem, vt eo inuocato dęmones effugentur, ac cætera mirabilia ſupernaturaliter ab hominibus operentur, vt latè *infra n. 529. & ſequent. & num.* 834. Vndè licèt dæmones maximam ex ſe vim habeant naturalem; attamen virtus hæc eorum quoad actum ſecundum, ideſt, quoad operationem eſt ligata, vt dixi, & maximè pro his, qui in Deum ſuam conſtituunt fiduciam, vt latiſſimè probatur infra *loco citato, & vbi de Fiducia in Deum.* 507 *Error ex parte materia remota.*

§. XV.

TAndem ex parte materiæ propinquæ, quam voco paſſiuam dæmonis expulſionem, cooperante obſeſſo, vel maleficiato per actus liberi arbitrij, quibus dæmon deteſtatur, ac in Deum ſuam collocat fiduciam (ſi capax ſit rationis) eſt communis defectus; quia multi obſeſſi, ac maleficiati non ſe diſponunt ad fiduciam à Deo impetrandam, quæ eis, vt liberentur à dæmone, eſt neceſſaria. Non enim incumbunt orationi, nec ieiunijs vacant, per quæ à Deo huiuſmodi fiducia facilè obtinetur, vt latiſsimè infra, cum de Ægroto erit ſermo *p. 2.* Alij accedunt ad Exorciſtas, vt exorcizentur, & orant, & ieiunant; ſed nolunt credere, quòd Exorciſta poſſit prima vice (ſi expulſio fuerit ſalutaris) illos à dæmone liberare: ſed requiri, putant, multas temporis 508 *Ex parte actuũ liberi arbitrij ſæpè deficiunt Obſeſſi.*

poris ſtationes, longas, ac ſæpiùs exorciſmorum lectiones iteratas, rerum fætidarum fumigationes, vnctiones, purgationes, & euacuationes crebrò adhibitas. Alij credunt, voluntatem Dei ſic eſſe determinatam, vt à dæmone ità diù vexentur pro animæ ſuæ merito abundantiori, vt faciunt perſonæ magis exercitijs ſpiritualibus addictæ. Et licèt perſonæ iſtæ non peccent; tamen ponunt obicem ad liberationem ob defectum confidentiæ, quæ omninò neceſſaria eſt in adultis; videlicet, vt credant, ac confidant, quòd Deus non tantùm poteſt, & nouit illos à dæmone liberare, ſed pro ſua infinita bonitate, ac fidelitate ſuæ promiſsionis infallibiliter vult illos à dæmone liberare, ſi liberatio huiuſmodi eis ſit profutura. De his, & alijs huiuſmodi impedimentis latiſsimè infra *par.* 2. *vbi de Dæmone obſiſtente*.

Si ergo in his quatuor cauſis nullus in ordine ad liberationem defectus occurrerit, Exorciſtam per fidem Sanctiſsimæ Trinitatis, ac virtutem Sanctiſsimi Nominis Ieſu ab hominibus obſeſsis, ac maleficiatis, & è rebus ad homines ſpectantibus infallibiliter dæmones expulſurum, nemini eſt ambigendum, vt toto tractatus decurſu exactè demonſtratur.

ARTICVLVS II.

Ordinis Sacerdotalis.

509 QVamuis ſanctum expellendi dæmones miniſterium quilibet Exorciſta ritè ordinatus exercere poſsit, *can. Perlectis diſt.* 25. & conſtat de S. Petro Martyre, dicto Exorciſta; tamen ex communi Eccleſiæ praxi ad Sacerdotes propriè, ac principaliter pertinet; & conuenientiùs ab illis exercetur, ſiuè dignitatem, ſiuè poteſtatem, ſiuè exercitium ipſum conſideres.

Dæmones expellere ex cõſuetudine Eccleſiæ ad Sacerdotes ſpectat ratione Dignitatis.

Dignitas Sacerdotum tanta eſt, vt nullus in orbe, qualicumque ſplendore fulgeat, eis æquiparari valeat, vt pluribus docet D. Chryſoſt. *in lib. de Sacerdotio*. Vndè decentiùs exorciſmi, & præcepta eccleſiaſtica ab eis fiunt: eò quòd per tantum miniſterium ſuper dæmones, & Angelos euehuntur: Cum dæmones, quantumuis mali, Sacerdotali imperio parere cogantur: & Angeli, etſi natura, & ſanctitate ſublimes, honorem habere, & mandatis eorum aliquando obſequi non dedignantur; præcipuè cum de expellendo è corporibus dæmone, aut diſſoluendis maleficijs agitur. Nam ſicut mali hominum exitio ſemper inuigilant: ità boni eò magis eorum ſalutem procurant, vt benè docet Ioſeph Angles *in* 2. *diſt.* 11. *q. vnica dub.* 6. & libenti animo vires angelicas poteſtati ſacerdotali connectunt, cum vident Sacerdotes, qui nobilitate miniſterij æqualem, ſi non maiorem, cum eis ſortiuntur conditionem, dæmones oppugnare; vt quaſi agmine facto Angeli cæleſtes, & terreſtres inſimul iuncti, maiori impetu ferantur in hoſtem, qui tam potenter oppugnatus aufugere cogitur. Quare aptè admodum hoc miniſterium Sacerdotibus reſeruatur.

§. I.

510 HVic tantæ dignitati ampla poteſtas annexa eſt, cui multa conueniunt eorum, quæ ab Exorciſta in liberatione energumenorum, aut maleficiatorum ſunt præſtanda: vt vexatis Sanctiſsimam præbere Euchariſtiam: Sacramentales eorum audire confeſſiones: benedictionem impertiri rebus omnibus, quæ ad curationem illorum requiruntur. Quis enim ignoret, Sanctiſſimam Euchariſtiam eſſe potentiſſimum diuinæ virtutis pharmacum, & efficaciſſimum omnium ſpiritualium armorum promptuarium? Sacramentum Pœnitentiæ omnia ligata ſoluere, clauſa reſerare, aduerſa mitigare, contrita ſanare, confuſa lucidare, deſperata animare, dum peccata delet, quæ vt plurimum ſunt cauſa maleficiorum, & obſeſſionum? vt probatur infra *cap.* 2. *vbi de Diuina permiſſione*. Sacerdotales benedictiones rebus diuinam conferre virtutem, per quam mirabilia perficiuntur? Quæ omnia ſimplex Exorciſta perficere nequit, & ad Sacerdotes pertinent, qui ſic conuenientiùs dæmonem ijs remedijs oppugnant.

Poteſtatis.

Quod pluries in varijs energumenis, ac maleficiatis expertus ſum. Cum enim dœmones præceptis ſibi à me factis in nomine Ieſu non obtemperarent, quæſiui à patientibus, quantum temporis eſſet, ex quo peccata ſua non eſſent confeſſi, ac Sacratiſſimo Euchariſtiæ pabulo refecti. Qui reſpondentes: multum temporis; ſtatim iuſſi, vt ſuam diligenter examinarent conſcientiam, ex puro corde ſua deteſtarentur peccata, ac fideliter, humiliterquè illa confiterentur; nec non ad Sacram Euchariſtiam ſumendam deuotiſſimè ſe pararent: quia fides, ſeù fiducia in Deum licèt principaliter diuinæ liberalitati, ac fidelitati innitatur; attamen ait Caſſianus *in ſuis collationibus lib.* 1. *Collat.* 9. *cap.* 32. *de conſcientia puritate creditur emanare*. Quo peracto, iterum dœmonibus præcepto impoſito de exitu, illicò in fugam verſi ſunt: vt aliquibus exemplis probatur infra num. 887. Quare iuuat plurimùm, Exorciſtam ſacerdotali dignitate eſſe inſignitum, ac poteſtate audiendi confeſſiones ſuffultum: quia ipſemet poteſt obſeſſum interrogare de peccatis, & noſſe quæ pharmaca ſpiritualia ei ſint adhibenda ad faciliùs à Deo fiduciam obtinendam, qua ab omni valeat diabolica eripi vexatione.

§. II.

QVod magis expediens videtur, ſi modum conſideres, quo miniſterium exorciſticum ſolemniter exercetur, nempè, manuum impoſitione, & applicatione ſtolæ. 511 *Miniſterij.*

Impoſitionem manuum ſuper vexatos à ſpiritibus immundis, & infirmos docuere Apoſtoli, & ea vſi ſunt. Immò quoad ægrotos ipſe Chriſtus Marci vltimo dicens: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*. Poſtea Sancti, vt S. Martinus, qui Treuiris Tetradij ſeruum à vexante dœmone liberauit, vt ſacræ ferunt hiſtoriæ; Et vſquè modo Miniſtri Eccleſiæ iuxta Eccleſiæ praxim. Sic enim Epiſcopus dum confert Clericis Ordinem Exorciſtatus, eis tradens librum Exorciſmorum ait: *Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiuè baptizatos, ſiuè Cathecumenos*, iuxta Concilij Carthagin. 4. præſcriptum, & *can. Exorciſta diſt.* 23. & Patres Theologos ſupra allegatos *num.* 497. Si autem qui exorcizant ſint etiam Sacerdotes, per huiuſmodi manuum impoſitionem dæmones aliquando faciliùs deteguntur: eò quòd ad talem contactum contremiſcere ſoleant, non volentes illius manuum impoſitionem ſuſtinere, quæ quotidiè corpus dominicum contrectant, & alijs adminiſtrant. Hoc tamen non eſt neceſſarium, quia Exorciſta poteſtatem manus imponendi ſuper energumenos obtinet ab ordine Exorciſtatus, & non Sacerdotali.

Idem dicendum de ſtolæ applicatione, qua energumenos

gumenos cingere, aut eam in eorum collum inijcere conſueuerunt; vt aliàs feliciter præſtitit Pontius Abbas Boneuallis *in vita S. Bernardi lib. 4. cap. 7.* Etenim ſtola quaſi ferreis vinculis ſpiritus nequam alligatur, vt ſe Chriſti captiuum eſſe cognoſcat, & ſuum victorem, atque tartarearum poteſtatum triumphatorem reuereatur. At vſus rectus, & proprius ſtolæ ad Sacerdotes pertinet, quaſi externi ordinis, & officij ſignum, & conſequenter hic ritus aptiùs ab illis, quàm ab Exorciſtis obſeruatur.

§. III.

512 VEruntamen, quia plures moderni Exorciſtæ doctiſſimi, ac diù in arte exorciſtica verſati relicta multitudine Exorciſmorum, toto conatu incumbunt, vt obſeſſos, ac maleficiatos in fide, ac confidentia in Deo, & poteſtate Exorciſtis ab Eccleſia tradita ritè inſtruant: Ac tandem, cum eos perfectè diſpoſitos agnoſcunt, In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis; & in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu more Apoſtolico, non vt Sacerdotes, ſed vt Exorciſtæ, poſt aliqua conuicia, & obiurgationes vulgari idiomate ad dæmones directas, illis præcipiũt, vt è corporibus obſeſsis aufugiant; & de facto videmus eos exire compelli: Dicimus, ſtolæ vſum non eſſe neceſſarium; quia licèt valdè ſit conueniens miniſtrum, qui dæmones expellit, eſſe ſacerdotali inſignitum dignitate; nihilominus quia hoc non exercet munus, vt Sacerdos eſt; ſed prout ordine exorciſtico eſt adoptatus; ideò ad hoc munus obeũdum ſtola non eſt neceſſaria.

Stolæ vſus oſtẽditur non neceſſarius Exorciſtæ ad dæmones expellendos.

Eſt tamen neceſſaria neceſſitate præcepti in ritu exorciſmorum, qui ante Baptiſmum præmittuntur, dum adulti, vel paruuli ſunt baptizandi: quia tunc cum Sacerdotes, vt Sacerdotes ſunt, tale ſubeant onus *c. Sacerdotes, de conſecrat. diſt. 4.* cæremonias, ac ritus ab Eccleſia inſtitutos, & in ea vniuerſaliter receptos, vel in Epiſcoporum Concilijs conſtitutos, adeoque certam, & indubitatam originem habentes, diligenter obſeruare tenentur. Per exorciſmos enim, & alia externa ſigna, quæ in Baptiſmi adminiſtratione ſolemni adhibentur, fidelibus innoteſcit, quid Baptiſmus interiùs in animo operetur. Non quòd diabolus in non baptizatorum corporibus tanquam obſeſſis habitet; nec quia homo ſecundùm naturam malus ſit: ſed quia ex lapſu primorum parentum originem peccati, atque iuſtitiæ priuationem trahit; Et idcircò diaboli infeſtationibus magis eſt obnoxius, vti S. Auguſtinus docet *lib. 1. de Symbolo ad Cathecum. cap. 1. Non creatura Dei*, ait, *in infantibus exorcizatur, aut exſufflatur; ſed ille, ſub quo omnes, qui cum peccato naſcuntur. Eſt enim Princeps peccatorum. Ac per hoc propter vnum, qui lapſus eſt, & omnes miſit in mortem, miſſus eſt vnus ſine peccato, qui omnes in ſe credentes perducat ad vitam liberans eos à peccato.*

Stolæ vſus eſt neceſſarius neceſſitate præcepti in ritu exorciſmorũ, qui ante Baptiſmum præmittũtur

Qui exorcizandi ritus videri poteſt in paſtorali, ſiuè Rituali Romano, vbi *de Sacramento Baptiſmi.* Vt in antiqua Eccleſia ſemper fuit in vſu, ſicut conſtat ex Dionyſio Areopagita *cap. 2. Eccleſiaſtica Hierarchia par. 2.* Cyrillo Hieroſolimit. *Cathecheſi 1.* Chryſoſtomo *homil. de Adam, & Eua*, Cæleſtino Papa *epiſt. 1. ad Epiſc. Galliæ cap. 12.* S. Iſidoro *l. 2. de Officio Eccleſiaſtico cap. 20.* Alexandro Alenſ. *p. 4. quæſt. 10.* S. Bonauentura *in 4. diſt. 6. art. 3. quæſt. 2.* Iacobo Pamelio *loco citato, verb. exſufflatur, & exorcizatur*, & alijs relatis à Paulo Layman *Theologie Moralis par. 2. lib. 5. tract. 11. cap. 8. de Sacramento Baptiſmi.*

Quare in adminiſtratione nedum Sacramenti Baptiſmi, ſed & aliorum Sacramentorum Parochi, ac cæteri Eccleſiæ Miniſtri operam dare debent, vt ritus eccleſiaſticos benè calleant, & cum decore, & populi ædificatione exerceant iuxta præceptum Apoſtoli 1. Corinth. 14. *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant.*

In exorcizandis verò à dæmone obſeſsis, aut maleficiatis, licèt ſit proprium munus Exorciſtæ, *can. Perlectis diſt. 25.* attamen præſente Sacerdote, cui de iure tenetur præſtare obedientiam, ſine eius licentia Exorciſta huic muniri non ſe intromittat. Eo verò abſente à Diacono, vel ſubdiacono vel ipſo Exorciſta exerceri poteſt; modo honeſtas, & recta Eccleſiæ conſuetudo, aut euangelica norma, ac methodus obſeruentur, quæ poſtulant, vt coram ſuperioris Ordinis Clerico alter minoris gradus id ipſo inuito non attentet, *can. Deniquè diſt. 21.*

ARTICVLVS III.

Iuriſdictionis ordinariæ.

POſt præfatam Ordinis poteſtatem, qua Exorciſta præditus eſſe debet, alia requiritur, nempè poteſtas iuriſdictionis ſpiritualis, quæ (etſi alij aliter dicant) videtur habitualiter, ſeù aptitudinaliter eadem eſſe cum alia, cui tamen ſuperaddat applicationem materiæ, circa quam exerceatur. Hoc ſignificat Sotus *in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 1.* cum docet, poteſtatem clauium non dicere niſi meram potentiam; Iuriſdictionem verò non eſſe propriè potentiam; ſed applicationem materiæ ad agens, vt ſequatur actio. Sic in ſtatu politico, cum princeps alicui Medico facultatem facit vtendi ſua arte, non ſuperaddit eidem arti vim aliquam operandi, ſed tantùm applicationem materiæ circa quam operetur hoc eſt, populum, cuius curationi incumbat. Sic in ſtatu eccleſiaſtico, cum Beneficium Curato Sacerdoti confertur, non datur ei poteſtas Ordinis, quam per characterem Sacerdotalem iam habebat, ſed applicatur ei populus, in quem illam exerceat. 513

Poteſtas iuriſdictionis requiritur

Hanc autem requiri dico, non iure communi, per quod Exorciſtæ, & Sacerdotes exorcizare permittuntur: cum nulla prohibitio ipſis facta reperiatur; ſed ex ordine Eccleſiaſtico multarum Diæceſum, quarum Epiſcopi prudenter interdicere conſueuerunt, nè quis ſine eorum licentia, etiam in ſcriptis obtenta, audeat obſeſſos exorcizare. Veruntamen, quia plures ſunt infra citandi Auctores, qui aſſeuerant locorum ordinarios hoc munus prohibere non poſſe: eò quòd talis auctoritas miniſtris Eccleſiæ à Chriſto Domino per illa verba Marci vlt. *In nomine meo dæmonia eijcient*, conceſſa ſit, diligentiùs hæc veritas à nobis eſt enucleanda.

Non iure cõmuni, ſed particulari plurium Epiſcoporum.

§. I.

DIcendum ergo ex Martino Nauarro *Conſiliorum lib. 1. de offic. Iudic. Ordinarij Conſil. 6.* de hac exorcizandi poteſtate poſſe dupliciter loqui: Vel quoad poteſtatem generalem, quam omnes Chriſtiani habent iure diuino, eijcĩedi dæmonia, & adiurandi increpatoriè; Vel quoad particularem poteſtatem, quam habent quidam in aliquibus terris particulariter deputati ab Epiſcopis ad officium huiuſmodi exorcizandi arreptitios cum ſuperpelliceo, & ſtola, & quibuſdam alijs cæremonijs. 514

Epiſcopi non poſſunt prohibere munus exorcizãdi.

Quoad primam facultatem non videtur poſſe re-

reſtringi ſaltem ab inferiore Papa: quia tale ſtatutum videretur contra ordinationẽ ab ipſomet Chriſto factam Marci vltimo, *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dęmonia eijciẽt.* Qua tollere non poteſt inferior Papa. Imò nec ipſe Papa in totum, ſaltem ſine iuſta cauſa *cap. ſunt quidam. 25. q. 1.* Quæ doctrina valet etiam pro Benedictione infirmorum. Sic teſtantur præter Nauarrum *loco cit. num. 4.* Vgolinus *de officio, & poteſtate Epiſcopi cap. 47. num. 6.* Philibertus Marchinus *tract. 2. de Sacramento Ordinis par. 4. c. 5.* Franciſcus Ceſpedes *tract. de Exemptione Regularium cap. 6. dub. 135.* & Aloyſius Bariola *Aphoriſ. Inquiſ. verbo Exorcizandi* aſſerentes, Epiſcopos non poſſe regulariter prohibere Clericis ſibi ſubditis exorcizare: Nam de iure diuino eſt, vt vnuſquiſquè actum ſui Ordinis exerceat. Exorcizare autem eſt actus Ordinis Exorciſtatus; cum hoc poſſit etiam facere quilibet Chriſtianus per fidẽ in nomine Ieſu Chriſti, dęmonem increpando die, noctuque; idquè frequenter facimus, vt ait ipſe Nauarrus *loco citato*, aſpergendo nos aqua benedicta, & dicentes: *Ecce crucem Domini, fugite partes aduerſæ, &c.*

Quoad poteſtatẽ generalẽ à Chriſto & à iure cõmuni acceptã.

Ex hoc colligitur, nedum Clericos ordine Exorciſtatus inſignitos; ſed quemlibet Chriſti fidelem poſſe dæmones adiurare, increpare, eiſque pręcipere in Nomine Ieſu, vt exeant vel à ſeipſo: vel ab alio: nec ſibi, aut alteri noceant. Primum probat S. Petrus Chryſologus ſer. 83. in illa verba: *Signa autem eos, qui &c.* dicens: *Homo eſto tibi per fidem Medicus, ne cogaris extraneis Medicis tuo diſpendio ſubiacere, & carè, quod gratis poſſides, comparare.* Ex quibus verbis colligitur, quemlibet fidelem per fidem theologicam actualem, de qua infra *num. 517. & ſequentibus*, poſſe à ſeipſo in Nomine Ieſu dæmonem expellere. Quòd verò à quolibet alio benè diſpoſito eijcere valeat, hoc habetur à Iure diuino, *loco citato*, eſt enim poteſtas generalis tradita à Chriſto cuilibet in eo credenti; qua poteſtate quilibet Chriſtifidelis poteſt vti, non publicè, ac miniſterialiter; ſed priuatim quocunque tempore, ac quocunque loco ſine aliqua ſolemnitate, quando neceſſitas vrget, ac poſtulat ad ſeipſum, vel alterum à dęmonum vexatione eripiẽdum. Sic præter ſupra citatos teſtantur, & apertè docent D. Thomas *2. 2. q. 90. art. 2.* Iacobus de Valentia *ibi*. Et ego tradidi in meo Speculo Cleric. *tract. 16. de Sacram. Ordin. cap 6. reſol. 6. de Exorciſtæ munere, & iuriſdict.*

Poſſunt Epiſcopi prohibere munus exorcizãdi quoad poteſtatẽ particularem.

Quo verò ad particularem poteſtatem videtur, quòd qui deputauit eos, poſſet aſtringere ad aliqua ſeruanda, quæ nõ tenerentur ſeruare alij, qui volunt vti ſola poteſtate à Chriſto tradita: qualiter multi Sancti ſine aliquo apparatu, ſolo verbo puta, præcepto facto in Nomine Ieſu, vexatos à dæmonijs liberarunt. Quod ſuſtinet etiam Suarez *tom. 2. de Religione lib. 4. de Adiuratione cap. 4. num. 5.* dicens. *Suppoſita neceſſitate hominis à dæmone obſeſſi, vel alia ſimili, poſſunt Miniſtri Eccleſiæ ex officio obligari,* (puta ab Epiſcopo) *ad dæmonem adiurandum, ſeu exorcizandum iuxta formam, & ritum Eccleſiæ: quia tenentur ſubuenire neceſſitati ſuorum fidelium per remedia conuenientia, & ab Eccleſia inſtituta. Vnum autem ex remedijs pro illa graui neceſſitatẽ deſtinatum ab Eccleſia eſt exorciſmus.*

§. II.

515 OB aliquam autem iuſtam cauſam benè poteſt Epiſcopus ſuſpendere ſuos ſubditos ab exercitio talis Ordinis, puta, ob aliquod ſcandalum ex huiuſmodi exercitij abuſu exortum. Quæ ſuſpenſio poteſt eſſe generalis reſpectu omnium ſuorum ſubditorum quoad functionem publicam, & miniſterialem. Quò verò ad functionem priuatam factam ſine vlla cæremonia, ſolùm per inuocationem Sanctiſſimi Nominis Ieſu, non debet eſſe generalis reſpectu omnium; ſed tantùm reſpectu eorum, qui in tali functione obeunda deliquerunt: quia vnuſquiſquè hoc habet à iure diuino, *Beneficium autem iuris nemini eſt auferendum, niſi in ius ipſum peccauerit. L. 4. Si quis condemnatus ff. de re iudicata.*

Ob aliquam iuſtã cauſam poſſunt ſuſpendere ſuos ſubditos quoad functionem publicã. Quoad priuatã tantùm delinquẽtes in ea.

Poſſet tamen Epiſcopus ſtatuere, nè quis inordinatè, ac immodeſtè vteretur huiuſmodi poteſtate; quia id non eſſet legem nouam facere; ſed confirmare legem naturalem, qua tenemur benè, ac modeſtè facere, quæ facimus. Velle autem prohibere, nè in ædibus laicalibus, lociſuè priuatis; ſed in Eccleſiæ loco aperto, & conſpicuo; neque in omni, & quauis Eccleſia; ſed in ijs, quas certas Epiſcopus ſtatuerit, fiat exorciſmus: Item nè ante ortum, nec poſt occaſum Solis quiſquã exorcizetur. Et qui exorcizat, Sacerdos ſit; & antequã exorciſmũ inchoet, Miſſę ſacrificium faciat: tantas reſtrictiones nõ videri eſſe facultatis Epiſcopalis, cenſet Nauarrus *loco citato num. 5.*

Poſſunt ſtatuere, vt ſubditi modeſtè, & ordinatè vtantur tali facultate.

Vtillimum tamen erit, ſi Epiſcopi, vel ipſimet, vel per ſuos Theologos curauerint, ſuos Clericos Exorciſtæ munere fungentes, ſicut & quoſcumquè alios ſiuè viros, ſiuè mulieres priuatim per domos obſeſſos, aut maleficiatos, aut quoſcumquè ægrotos benedicentes de modo, ac formulis, quibus vtuntur, diligenter interrogari, & examinari; nè digni, & indigni ſe huic muneri, pręcipuè exorcizandi tumultuariè exercendo ſe immiſceant cum ſcandalo puſillorum, qui eccleſiaſticam poteſtatem aut vanam, aut debilem reputant, ſi poſt exorciſmorum reiterationes laudabilis non ſequatur effectus, & talis, qui ab ipſis expectatur. Similiter nè formulis vtantur ſuperſtitioſis; vel aliquod cum dæmone pactum habeant explicitum, vel implicitum, vt ſępiùs cum maximo Reipublicæ Chriſtianę detrimento euenire contingit.

Poſſunt examinare eos de modis, et formulis quibus vtuntur.

Cum ergo Epiſcopi exorcizandi munus ſiuè publicè quoad omnes, ſiuè priuatim quoad delinquentes in tali munere, nè exerceatur abſquè eorum licentia, prohibere poſſint, ac conſueuerint, dixi, præter poteſtatem Ordinis, requiri poteſtatem iuriſdictionis ſiuè ordinarię, de qua nunc loquimur: ſiuè delegatę; de qua agitur articulo ſequenti.

§. III.

IVriſdictio ordinaria primò, & principaliſſimè reſidet in Summo Pontifice, quę ita ampla eſt, & 516
tanta, vt ad omnes orbis plagas ſe extendat; cum illam acceperit à Chriſto Domino, *can. Sacroſancta, diſt. 22. cui data eſt omnis poteſtas in Cælo, & in terra.* Matthęi 28. non limitatam, ſed ampliſſimam, quando Petro Pontificum apici dictum eſt Ioannes 21. *Paſce oues meas.* Quam illi priùs promiſerat collaturum Matthęi 16. dicens: *Tibi dabo claues regni Cælorum. Et quodcumquè ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcumquè ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Quare in eo tanquam in Chriſti Vicario reſidet ſuprema poteſtatis plenitudo, quę in cęteros Eccleſię pręlatos, tanquam in parte ſollicitudinis paſtoralis vocatos, deriuatur. Ex quibus poſtea fluit in Curatos, qui Eccleſijs particularibus in

Poteſtas ordinaria fluit à Papa In Prælatos, & Plebanos

vna-

vnaquaque Diæceſi præficiuntur: cum hac tamen differentia, quòd Papalis à duabus reliquis differt tum origine; eò quòd immediatè à Chriſto procedit, *can. In nouo teſtamento. diſt.* 21. tum independentia; quia non dependet ab alijs, *can Omnes d.* 22. tum vniuerſitate; eò quòd reſtricta non eſt: *can. Quamuis vniuerſa diſt.* 21. ſed ad omnes vrbes in vniuerſo mundo, ad omnia loca, perſonas, & cauſas extenditur.

§. IV.

517 EX quo ſequitur, omnes illos ordinaria poteſtate pollere, qui ratione dignitatis, aut Beneficij curam habent animarum; atque ea vti poſſe ad Energumenos exorcizandos, dæmoneſquè pellendos ex corporibus. Sic Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, plures Epiſcopos huic miniſterio quantumuis laborioſo laudabiliter incubuiſſe: vt S. Baſilius *apud Amphilochium in vita eius*, S. Gregorius Thaumaturgus *apud Gregorium Nyſſenum*, S. Martinus Turonenſis *in vita eius apud Vincentium Beluacenſem*, S. Vrſmarus *apud Raitherium tom.* 2. *Surii*, S. Adelelinus Sagenſis *in vita. S. Opportunæ*, S. Maurilius Andagauenſis *in vita eius cap.* 10. S. Ambroſius Archiepiſcopus, vt colligitur ex exorciſmis, ac documentis ad dæmones effugandos ab ipſo traditis, S. Vbaldus Eugubinus, S. Zenon Veronenſis, & alij multi, quos longum, ac tædioſum eſſet, recenſere.

Ab vtriſque exercetur laudabiliter in Energumenos. Ab Epiſcopis multis fuit practicata.

Et certè aptiſſimè, & efficaciſſimè. Cum enim ſint Apoſtolorum ſucceſſores, quomodo conuenientiùs tales ſeſe exhibere poſſunt, quàm Apoſtolorum mores imitando, quos Energumenis liberandis, & ſoluendis dæmoniacis operibus iuxta præceptum Domini vacaſſe, ex Euangelio, & Hiſtoria Sacra, eſt certiſſimum? Præſertim cum maiori poteſtate gaudētes, maiori conatu tartareas poteſtates aggrediantur, quæ ſuſtinere non poſſunt manus illius applicationem, qui Sacerdotes ordinat, auctoritatem confert remittendi peccata, & ſacrificium incruentum pro viuis, & mortuis offerendi: dat facultatem prædicandi verbum Dei, & regendi populum eius; aliaque facit, quæ Epiſcopali dignitati conueniunt; pręcipuè Exorciſtis dęmones adiurandi, & è corporibus obſeſſis eijciendi poteſtatem tradit. Mitto ædificationem, quæ ex tam ſancto opere conſurgit.

§. V.

518 AD quod munus obeundum omnes Epiſcopos nedum ex charitate, ſed ex iuſtitia teneri vel per ſe, vel per ſuos Clericos, Parochos, vel alios Sacerdotes, aut Exorciſtas, videlicet, prouidere ſuorum ſubditorum neceſſitatibus, quando aliquis eorum à dæmone diuexatur, nemini eſt ambigendum. Quod facilè colligitur ex verbis Principis Apoſtolorum Petri ſcribentis ad Clementem de vniuerſis Epiſcopis, relatis à Barboſa *de Epiſcopali munere. Titul.* 11. *Gloſſa* 12. *num.* 7. *Eccleſiarum omnium*, ait, *curam habentes miſericordes, & beneuoli eſtote in omni verbo, & opere pro viribus agite: omniſquè Pontifex ſacro Chriſmate perunctus carus, & pretioſus omnibus eſſe debet. Hęc eſt voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Quomodo autem benefacient ſuis ſubditis, ſi, cum à dæmone ſæuiſſimo tortore diuexantur, eis opitulari non curant? Quod magis, ac magis ex eorum nominibus ducitur. *Inter enim nomina*, ait Auguſtinus Barboſa *de Epiſcopi nominis ethymologia, & ſignificatione cap.* 2. *num.* 18. *quibus inſignitur Epiſcopus, ſortitur nomen militis armati, Cuſtodis, Leonis, Angeli, & aliorum, quę à S. Gregorio Nazianzeno connumerantur in carmine ad Epiſcopos: vt ſua inſuperabili poteſtate dęmonum impetus perfringat. Et in ſumma quot ſunt neceſſitates hominum, tot ferè nomina attributa ſunt Epiſcopis ex earum ſimilitudine vt norint ſe totidem officia obtinere.* Vnde *Epiſcopus* Græcè dictus, Latinè dicitur *Speculator, vel ſuperintendens*: eò quòd illius præcipuè munus ſit, gregis ſibi commiſſi mores, & vitam explorare, & inſpicere, eorumquè neceſſitatibus prouidere. Quænam autem maior neceſſitas poteſt homini obuenire, quàm cum à dæmone ſpiritu potentiſſimo, & iniquiſſimo arripitur, affligitur, acriterquè torquetur? Quænam vrgentior indigentia, quàm cum quis ad deſperationem, & per hanc ad colliſionem, præfocationem, in ignem proiectionem, ad præcipitia horrenda, cæteraquè pericula mortem inferentia, quibus anima ſimul cum corpore interire neceſſe eſt, trahitur, & inducitur? Quæ omnia practicè in dies multis euenire energumenis, incomperto eſt.

Ad quod munus exercendum vel perſe, vel Per alios Tenētur ex Charitate, ac Iuſtitia.

Oſtenditur neceſſitas huius muneris exercēdi

Quot enim obſeſſi à dæmone, etiam hoc noſtro æuo, ſe aquis præfocarunt? Quot in ignem ſe proiecerunt? Quot mortem ſibi violentam intulerunt? Nec alia de re à lupo fuerunt arrepti, niſi quia non habuerunt paſtorem, qui eos à lupi voracitate, ac pernicitate tueretur.

Quare Epiſcopi, ne Deus de manibus eorum animas ouium ſuarum requirat, tenentur in ſuis Diæceſibus inuigilare, vt parochi omnes in ſua Parochia, cùm neceſſitas poſtulat, Exorciſtæ munere fungantur, per præcepta in nomine Ieſu dæmonibus facta, artes eorum, ſæuumquè auerni principem calcare, ac diſperdere ſtudeant; luporumque infernalium rabiem, ac ſæuitiam omni, quo poſſunt, conatu deprimant, ac confringant, vt ſic oues ſuas ab eorum infeſtationibus, ac vexationibus illæſas tueantur, ac ſecuras ad ouile cæleſtis Beatitudinis perducant, ſed de his legatur Speculum Clericorum *tract.* 16. *c.* 6. *reſol.* 8. *& ſequentibus*.

§. VI.

HInc ergo pari modo, ſed non æqua poteſtate, 519
hoc munus exercere debent Parochi, quibus animarum cura commiſſa eſt. Hi namque ordinaria poteſtate in energumenorum liberatione vti poſſunt, ac debent. Nam eo ipſo, quòd animarum curam ſuſceperunt, ſibi ex officio incumbere, oues ſuas à dæmonum inſultibus, ſiue viſibiliter, ſiuè inuiſibiliter, ſiuè in anima tentando, ſiuè in corpore affligendo diuexentur, tueri, ac protegere, pro certo ſciant. Et hoc per præcepta dæmoni facta, Nomine Ieſu Chriſti interpoſito. Quod etiam docet Barboſa *de Iure Eccleſiaſt. vniu. lib.* 1. *de Acol. & alijs Min. Ordin. c.* 28. *num.* 16. vbi ait: *Eſt exorciſmus adiuratio contra dæmones, quę non ſolum circa corpora obſeſſa; verùm etiam circa obſeſſas animas per peccatum, vel infidelitatem exercetur.* Nec poſſunt Epiſcopi prohibere, niſi iuſta de cauſa, quin tam publicè Parochi in ſua Parochia, quàm priuatim per domos, cum opus eſt, ſuos Parochianos obſeſſos, vel maleficiatos exorcizent, ac pro ſuo poſſe à dæmoniacis vexationibus eripiant; ſicut nec poſſunt, niſi iuſta de cauſa, ab audiendis ſubditorum confeſſionibus, cæteriſque Sacramentis adminiſtrandis eos impedire: cum hoc eis competat à iure, *Beneficium autem iuris nemini eſt auferendum*.

Ad idem obeundū tenentur Parochi. Vel per ſeipſos vel per alios.

dum. L.4. §. ſi quis condemnatus. ff. de re iudicata. Quibus intelligitur, niſi in ius ipſum peccauerint.

Quare falſa, & erronea eſt opinio illorum, qui autumant ſimilem currere rationem in ordine Exorciſtatus reſpectu dæmoniacorum, & in ordine Sacerdotali reſpectu peccatorum abſoluendorum; ſicut enim (aiunt) in collatione Ordinis Sacerdotalis datur poteſtas Ordinis abſoluendi à peccatis, ſed remanet ſuſpenſa, donec ab Epiſcopo detur iuriſdictio in ſubditos: ita in collatione Ordinis exorciſtatus (dicunt iſti) datur poteſtas dęmones adiurandi, & exorcizandi, ſed remanet ſuſpenſa, donec ab Epiſcopo in ſcriptis detur facultas tale exercendi munus. Verùm hæc paritas quàm ſit falſa, & à ratione aliena, Lector attendat. In primis poſt acceptam ab Epiſcopo poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, Ordinatus in Sacerdotem accipit facultatem abſoluendi à peccatis, quando Epiſcopus imponendo ambas manus ſuper caput eius, ait, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt*. Circa quam poteſtatem in primitiua Eccleſia, quia erant pauciſſimi Sacerdotes, ac plurimi pænitentes, nulla fiebat reſeruatio; ſed eò ipſo, quòd aliquis erat Sacerdos Ordinatus, habebat etiam iuriſdictionem abſoluendi à peccatis, quia omnes erant Curati animarum: ſicut etiam impræſentiarum qui cum titulo alicuius beneficij parochialis ordinatur, ſimul cum Ordine Sacerdotali, ac poteſtate clauium recipit etiam poteſtatem in ſubditos. Qui autem ordinantur ſine tali titulo, (qui plurimi ſunt,) recipiunt quidem in ordinatione claues poteſtatis ordinis; ſed non iuriſdictionis. In collatione autem Ordinis exorciſtatus ordinatus ſimul recipit poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis.

Quod probatur: In collatione enim Ordinis Sacerdotalis datur duplex clauis: vna dicitur poteſtas ſententiandi in foro pænitentiæ: altera poteſtas cognoſcendi in cauſa Rei confitentis, & hæc vocatur clauis ſcientiæ, & rectè, nam, vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſs.14.c. 6.7.& 8.& can.9.& 10.* & Concil. Florent. *in decreto vnionis Armenorum*, Sacramentum pænitentię inſtitutum eſt ad modum iudicii, ad quod concurrunt ante ſententiam confeſſio Rei ad informationem iudicij, & inquiſitio requiſita ex parte ipſius Iudicis de materia, quam debet iudicare, nempe de peccatis, eorum numero, & circunſtantijs, de ſtatu peccatoris, an ſit dignus, qui debeat abſolui, aut ligari, & de alijs, in quibus requiritur cognitio præuia, & diſcuſſio cauſæ, vt ſubtiliter docet Scotus, & communiter Theologi *in 4. diſt. 19.* Idcircò, cum in Miniſtro pęnitentiæ requiratur ſcientia, quæ recognoſci debet ab Epiſcopo, an ſufficiens ſit, nec ne pro tali munere exercendo, ſuſpenditur ei executio, ac iuriſdictio, donec per examen idoneus probetur. In collatione verò Ordinis Exorciſtatus non datur duplex clauis, nec per modum iudicij eſt inſtitutus, ſed per modum increpationis, & expulſionis inimici damnum inferentis: & licèt aliqua cognitio requiratur, non tamen tanta, quanta in Confeſſario eſt neceſſaria; propterea circa huiuſce Ordinis executionem, ac iuriſdictionem nulla fit ſuſpenſio, nulla reſtrictio, nulla reſeruatio, ſicuti fit in foro pænitentię; nec in toto Concilio Tridentino, vel alio Concilio generali, vel Bulla Pontificia vnicum, vel minimum verbum habetur de tali ſuſpenſione, reſtrictione, ac reſeruatione, ſicuti habetur de reſeruatione abſolutionis à peccatis.

§. VII.

DIco ergo, Curatum, ſeù Parochum, cùm neceſſitas poſtulat, quòd aliquis ex ſuis Parochianis à dæmone vexatur, teneri vel per ſeipſum, 520 *Ex Charitate & Iuſtitia.* vel per alium idoneum Exorciſtam, non tantùm ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia, illum exorcizare, ac per remedia ſpiritualia pro virili ſe gerere, vt dæmonis tyrannidem perfringat, illius audaciam reprimat, ac meliori modo, quo poteſt, è corpore obſeſſi expellat, & extrudat. Secùs faciens peccat mortaliter, vt docet Ioan. Baptiſta Poſſeuinus *de officio Curati extra Sacramenta cap.12. q.25.* Et ego addo, illum teneri ad reſarcienda omnia damna, quæ ex ſua negligentia, vel malitia ſequuntur; ac cum viam vniuerſæ carnis ingredi cogetur, tenebitur antè Iudicem ſupremum arctiſſimam eorum omnium, qui ob eius negligentiam, aut crudelem inhumanitatem perierunt, rationem reddere.

Probatur Auctoritate Theologorum.

Colligitur ex Nauarro apertiſſimè *cap.24. num.8.* & Leonardo Leſſio *de iuſtitia, & iure lib.2. cap.9. dub.3. numer.94.* aſſerentibus, *Epiſcopos, & Parochos ex officio obligari ad ſuorum ſubditorum defenſionem ſecundùm modum ſuæ poteſtatis, & media ſuæ gubernationis, ſed in ordine duntaxat ad ſpiritualia.* Et benè. Nam poteſtas Epiſcoporum, & Parochorum, & media ſuæ gubernationis non reſpiciunt defenſionem per naturalia, ac corporalia adiutoria, puta, per vim armorum, ac robur militiarum, exceptis maximis neceſſitatibus; ſed per auxilia ſpiritualia, ac ſupernaturalia adiutoria: vt per adminiſtrationem Sacramentorum, ac Sacramentalium. Sed quænam remedia requiruntur ad dæmonis audaciam, ac ſæuitiam confringendam, cum aliquis ab eo diuexatur, ac malè habetur? An gladius? An ſcutum? An magna cohors militum? *At non eſt nobis colluctatio*, ait Paulus Epheſ. 6. *aduerſus carnem, & ſanguinem: ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Non ergo alia media requiruntur, quam ſpiritualia, puta, præcepta facta dæmoni in Nomine Ieſu maxima in Deum fiducia, ac cætera huiuſmodi, de quibus *tota 3. par.* pertractatur, & infra *cap. ſequenti articulo de Fiducia*. Quæ propriè, ac principaliter, à Parocho ſunt adhibenda ad tartareas acies profligandas, & ab infernalium luporum rabie, ac ſæuitia oues ſuas intactas conſeruandas.

Confirmat hanc veritatem Suarez *tomo 2. de Relig. lib.4. de Adiuratione cap.4. num.5. Suppoſita*, ait, *neceſſitate hominis à dæmone obſeſſi, vel alia ſimili, Miniſtri Eccleſiæ poſſunt ex officio obligari ad dæmonem adiurandum, ſeù exorcizandum: quia tenentur ſubuenire neceſſitati ſuorum fidelium per remedia conuenientia, & ab Eccleſia inſtituta; vnum autem ex remedijs pro illa graui neceſſitate deſtinatum ab Eccleſia eſt exorciſmus.*

§. VIII.

RAtio dictat à ſimili. Quemadmodum Medici 521 *Ratione à ſimili.* à Communitate ſalariati, tenentur ex iuſtitia, quotieſcumque neceſſitas poſtulat, ægrotis remedia exhibere corporalia, & diligentiam adhibere in viſitando infirmum, & alia ſuo muneri neceſſaria adimplendo; & ſi notabiliter ſint negligentes, vel negent alicui ſubuenire ægroto, peccant mortaliter, & tenentur ad reſarcienda omnia damna. Nam *qui cauſam damni dat* (etiam dam-

num non impediendo, quando ad id obligatur ex officio) *dampum dediſſe videtur. L qui occidit §. pæn. ff. ad legem Aquiliam. cap. de cætero, de homic. cap. ſtudeat. diſt.* 50. Et colligitur ex Syluestro *verbo Medicus q.* 1. & Nauarro *in Manuali c.* 17. *n.* 17. & alijs apud eundem.

Ita Parochi, cum ſua interſit, Parochianos ſuos à dæmonum inſultibus tueri; ac maximoperè in neceſſitatibus ſpiritualibus, cum mala & animę, & corpori damnum inferunt, eis ex officio opitulari teneantur; ſi ob negligentiam ſtudendi arti exorciſticæ, vel ſe præparandi ad præliandum contra ſpirituales nequitias in cæleſtibus, & aduerſus infernales prædones dimigandum: vel quia non credunt, aliquem maleficio vnquam eſſe affectum, nolunt huiuſmodi functionibus incumbere, nec per alios ſatisfacere curant, ſi aliquis ex ſuis Parochianis periclitetur, puta, à diabolo ſuffocetur, vel aquis ſubmergatur, vel maleficio interficiatur, vel quouis modo à dæmone obſidente, vel poſſidente inductus ipſe ſibimet mortem inferat, vel etiam graue damnum ſubeat, dicti Parochi mortaliter peccant, & tenentur ad omnia damna ſecuta reſarcienda, ac reſtauranda. Nam *vbi eſt eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet. L. illud ff. ad legem Aquiliam cum ſimilibus*. Immò Medicis Parochi eò grauiùs peccant, & ſtrictiori vinculo tenentur ad reſtitutionem, quò maius eſt damnum, quod obſeſſi, vel eorum conſanguinei ob ipſorum negligentiam, vel malitiam patiuntur: cum multò anima corpore ſit pretioſior. Medici enim duntaxat damnificant in corpore, & bonis temporalibus; ſed Parochi exorciſticam functionem, cum neceſſitas vrget, negligentes, vel contemnentes, & animæ, & corpori, & rebus temporalibus damnum ferunt.

Inſuper Parochi, qui ſuos Parochianos à dæmone vexatos, vel per exorciſmos, aut præcepta dęmoni facta in Nomine Ieſu liberare non contendunt, nedum peccant mortaliter, vt dixi, contra charitatem, & iuſtitiam; verùm etiam ſunt indigni, qui Parochi, ſeù Paſtores nuncupentur, ſed potiùs vocari debent deceptores. Si enim aliquis Paſtor ouium videns lupum venientem fugiens, oues ſuas lupo deuorandas derelinqueret, merereturnè iſte nomine Paſtoris nuncupari? quis hoc aſſerat? Audiant Ieſum Chriſtnm, qui eſt Summa veritas, ac ſapientia increata. Ioan. 10. dicentem: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Mercenarius autem qui non eſt Paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues*. Quænam autem ſunt oues, niſi parochiani, ſic à Chriſto vocati; cum Petro dixit Ioan. 21. *Paſce oues meas*. Quinam eſt paſtor earum, niſi Parochus tali nomine à Chriſto appellatus? quinam lupus, niſi dæmon, qui huiuſmodi oues ſiuè in anima tentando, ſiuè in corpore affligendo deuorare, & ad inferna pertrahere conatur. Dum ergo Parochus ſuas oues à lupo infernali defendere non ſatagit, ſeipſum non paſtorem, ſed deceptorem arguit, & manifeſtat; Quod obſeruat diligenter S. Ioan. Chryſoſt. homil. 59. in Ioan. loco citato dicens: *Hęc inter paſtorem, & mercenarium eſt differentia. Alter propria, contemptis ouibus: alter ſua contempta, ouium ſemper ſaluti inuigilat. Paſtoris ergo exemplo demonſtrato, deceptores duos meminit, furem mactantem, & rapientem oues, & mercenarium permittentem, neque defendentem commiſſas*. En videas quomodo vocat eos deceptores tantùm paſcentes ſemetipſos, de quibus Ezechiel conqueritur dicens: *Neque quod abiectum erat, reducebant, neque quod perierat, quærebant; neque confractum alligabant; neque infirmum conſolidabant, quoniam ſe, non gregem paſcebant*. Propterea S. Carolus Borromæus *par. 2. act. ſynodalium, ſeù Concil. prouincialium tractatu de Viſitatione, & cura infirmorum*, verbis efficacibus inſinuat Parochis tale ſubire onus dicens: *Omni tempore Parochus gregi ſuo inuigilare debet, ſed cum primùm aliquis eius curę commiſſus in morbum incidit, tunc maximè omnem Parochialis charitatis diligentiam ipſe in eo ponet, vt ægrotantem in via ſalutis rectè dirigat, & à nequiſſimi dęmonis inſidijs, conatibuſque tueatur, ac defendat pręſidio ſalutarium adiumentorum*.

§. IX.

522

At fortaſſe nonnulli dicent, hoc onus nimis graue, ac periculoſum eſſe, ideoque nolle ei colla ſupponere?

Nec excuſantur eò quod nimis graue ſit onus.

At meminerint (vellem) illius dicti triti, ac vulgati; *Commoda qui ſentis, iungas onus emolumentis. §. 1. Inſtit. de legitima patronorum tutela*. Ad quid enim iſti eliguntur? An vt tantùm bonis temporalibus perfruantur? At dices: Ad Sacramenta adminiſtranda, ac funeralia exequenda. Sed hoc non ſufficit. Nonne ad cætera etiam ſacramentalia conficienda, & exercenda pro loco, & tempore, ac neceſſitate exigente? Nec eos ignorantia, vel puſillanimitas excuſant. Nam quod per ſe facere non poſſunt, vel non audent, per alios facere tenentur.

Nec prohibere poſſunt, quin ſui ſubditi, cum aliquo afficiuntur maleficio, vel à dæmone poſſidente, vel obſidente diuexantur, accedant ad eos, ad quos ſpectat de iure, vt per exorciſmos, ac præcepta eccleſiaſtica à dæmonis vexatione liberentur.

Quod magìs, ac magìs per ſimile confirmatur. Sicut Princeps, vel dominus temporalis prohibere non poteſt ſuos ſubditos, cum ægrotantur, ne ad Medicos accedant, ſanitatis corporalis gratia conſequendæ, cum hoc à iure naturali, ac diuino vnicuique ſit conceſſum: ita Parochus prohibere non poteſt, quin ſui ſubditi, cùm à dæmone vexantur, liberè ad quoſcumque Exorciſtas, accedant, vt à dæmonis vexatione liberentur.

Immò ſi aliquis daretur homo, qui publicè coram populi multitudine congregata pertinaciter aſſereret, nullam in tali Ciuitate, aut oppido, vel vico eſſe ſagam, nullum eſſe maleficum, qui valeat aliquem maleficio afficere, & conſequenter nullum eſſe infirmum maleficio affectum, omneſquè infirmitates eſſe naturales: iſte vt magorum, maleficorum, ac ſagarum ſaltem indirectè occultator, ac fautor cenſendus eſſet. Probat à ſimili de hæreticis occultantibus Farinacius *de Hęreſi quęſt. 182. num. 75. & 95.* plures cumulans Auctores. Ratio eſt, quia per huiuſmodi verba, vel operationes ſaltem indirectè impediret, vel occultaret, ſi qui eſſent magi, malefici, vel ſagæ, ne Tribunali S. Inquiſitionis denunciarentur, & ad manus curiæ deuenirent, vt latè ſupra *in hoc tomo pag. 35. num. 128. & ſequentibus*.

ARTICVLVS IV.

Iuriſdictionis delegatæ.

523 GRaui officiorum eccleſiaſticorum oneri ferendo non ſufficit vnus in tanta humanarum virium infirmitate, & mole occupationum in diuerſa trahentium; ex quo neceſſe eſt, Superiores alijs quaſi coadiutoribus eccleſiaſticam poteſtatem ad id muneris neceſſariam impartire, cum illos in partem ſollicitudinis vocant. Et ita Parochus in ſua Parochia alios delegat, vt conſtat in *cap. Omnis vtriuſque ſexus*. Epiſcopus in ſua Diœceſi, vt probatur ex *cap. quoniam, & c. inter cætera de offic. Iudic. ordin.* & Summus Pontifex in toto orbe terrarum ob plenitudinem poteſtatis. *can. Decreto. 2. q. 6.* & Gloſſa *in c. Conſequens eſt, diſt. 11. & in c. Vt debitus, de Appel.* Quilibet enim illorum ita poteſtatem iuriſdictionis accepit, vt illa tàm per ſe, quàm per alios vti poſſit, niſi Superior inferioris delegationem impediat.

Poteſtas delegata duplex.

Quare præter poteſtatem ordinariam alia datur extraordinaria, ſeù commiſſa, & delegata, quæ duplex eſt. Quædam eſt limitata ſolùm ad arbitrium committentis, & per ſe nullo iure ſuffulta. Quædam verò media inter ordinariam, & commiſſam, quæ ſeruata forma à iure ſtatuta, ampliari poteſt arbitrio committentis.

Limitata, & Media.

Virtute primæ ſimplices Sacerdotes, quos Plebani aſſumunt in leuamen laboris (ſiuè commiſſio fiat generaliter ad omnes Parochianos, ſiuè ad aliquos, ſiuè ad vnum ſingulariter) poſſunt publicè, ac miniſterialiter energumenos exorcizare in ijs Diœceſibus, in quibus exorcizandi munus Epiſcopis non reſeruatur. Et eò magis, quòd ſine tali delegatione hoc eis licet, ſicut omnibus Exorciſtis, quibus id nullo iure prohibetur eo modo, quo dictum eſt ſupra *n. 513. & ſequentibus*.

Per primam Clerici exorcizant.

§. I.

524 VIrtute ſecundæ Regulares idem munus obeunt, qui gaudent media illa poteſtate, ſeruata forma expreſſa in *c. Dudum de Sepulturis in Clemët.* Et illam accipiunt à Summo Pontifice, qui eſt Hierarchos, & Princeps in Eccleſia. Iuxta quam energumenis, ac maleficiatis illud impendere poſſunt. Nec ad id neceſſarium eſt, licentiam ab Epiſcopo petere: vt apertè docet Portel. *in dub Regularium verb. Exorciſ.* Diana *p. 3. Reſolut. Moral. tract. 2. de Dubijs Regul. Reſol. 36.* Pelizzarius *Manuale Regul. tom. 2. de Exempt. Regular. tract. 8. cap. 6. num. 54.* Peirinus *in Formul. Prælat. cap. 36. littera E. n. 5.* Ceſpedes *tract. de Exempt. Regular. cap 6. dub. 135.* Bordonus *Reſol. 7. num. 144.* Lupus *Comment. in Edict. S. Inquiſit. p. 3. lib. 22. diſt. 4. artic. 3. diffic. 4.* & Lezana *de Oblig. Reg. cap. 11. num. 21.*

Per ſecundam Regulares abſque licentia Epiſcopi hoc munus exercere poſſunt.

Ratio eſt: quia id iure communi non prohibetur; ſed omnibus Exorciſtis, & Sacerdotibus permittitur; ideoquè Regularibus licet, etiamſi Epiſcopus in ſua Diœceſi id fieri prohibuerit, ſine eius licentia exercere: quia talis Conſtitutio ſolos Clericos ligat Epiſcopo ſubditos; non verò Religioſos, qui ab eius iuriſdictione ſunt exempti per multa priuilegia, quæ obſeruari iubentur per *c. Nimis iniqua. c. Nimis praua. de exceſſibus Prælatorum.* Clement. 1. *eodem tit.* Clement. 2. *de Cenſibus* Concilium Trid. *ſeſſ. 25. de Regular.* ac nouiſſimè per Conſtitutionem Gregorij XV. incipit, *Inſcrutabilis*. Nam etſi in dictis Decretis, & Conſtitutionibus aliqua excipiantur, in quibus Regulares exempti Ordinarijs ſubſunt; tamen inter huiuſmodi exceptiones vſus exorcizandi non comprehenditur. Vndè cum non excipiatur neque à iure communi antiquo, neque à iure nouo, intelligitur conceſſus: quia *exceptio firmat Regulam in contrarium. L. quæſitum. §. deniquè ff. de fundo inſtrum. Et incluſio vnius eſt excluſio alterius.* L. cum Prætor. ff. de iudicijs.

Nec vllum reperitur Decretum Pontificium, vel à Sacra Emin. Cardinalium Congregat. emanatum, quo præcipiatur Regularibus, nè abſquè Epiſcoporum licentia exorcizent. Cuius veritatis etſi aliàs reſponſum habuerim, prout habetur in Speculo Clericor. *tract. 3. cap. 12. reſolut. 7.* Nihilominus ad maiorem ipſius elucidationē nouiſſimè anno *1664.* menſe Iulij, mediante quodam Ciue Veneto Viro præſtantiſſimo meo familiari iterum à Reuerendiſſimo D.D. Proſpero Fagnano Sacræ Congreg. ſuper negotia Epiſcoporum, & Regulirium Secretario idem reſponſum, ac teſtimonium accepi. Idcircò Epiſcopi prohibere non poſſunt, nec impedire Regalares; quin liberè obſeſſos, ac quoſcunque maleficio affectos exorcizent. Nam *conceſſum dicitur quicquid expreſsè prohibitum non reperitur.* L. nec non §. quod eius. ff. ex quibus cauſis. Ordinarios autem ſecùs facientes pænis contra Regularium priuilegia violantes à Summis Pontificibus editis, ac promulgatis, de quibus in Speculo Clericorum *tract. 4 cap. vlt.* affici, nemini eſt ambigendum.

Decretum autem, quod habetur *1. p. Actor. Eccleſiæ Mediolanenſis lib. 1. titulo 14. cap. 2.* quo prohibetur munus exorcizandi ſine licentia Epiſcopi ſequentibus verbis: *Ne Sacerdoti, Clericouè ſæculari, aut regulari, exorciſmum energumenis adhibere liceat, niſi is exorcizandi facultatem, ſcripto exaratam ab Epiſcopo impetrarit.* Quod obſeruandum docet etiam Bartholomæus Gauantus in *Enchiridion verbo Exorciſta:* non comprehendit Regulares exēptos, qui per bullas Pontificias ſunt exempti à iuriſdictione Epiſcoporum; non enim decreta Prouincialia facultatem habent derogandi decretis Pontificijs; quia Minor non habet poteſtatem in maiorem vt latè probatum eſt in Spec. Cler. tract. *16.* cap. *5. reſolut. 14. & 15.* Sed dictum decretum loquitur, & intelligitur de Regularibus, qui curam habent animarum: nam iſti ex decreto Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 11. de Regularibus*, ſubſunt iuriſdictioni Epiſcopi in ijs, quę ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent. Ita colligitur, ac probatur ex decreto eorumdem Conciliorum Prouincialium Mediolanenſium *par. 1. lib. 3. titulo 34. cap. 1.* vbi dicitur: *Tridentini Concilij auctoritate Epiſcopus Regulares, ad quos animarum cura quouis iure pertinet, compellat, vt in Eccleſiis, in quibus cura animarum exercenda eſt, Dominicis, & alijs diebus ab eodem Concilio præſcriptis, ſacram concionem habeant, &c.* ex quibus verbis conſtat huiuſmodi Regulares curam animarum exercētes Epiſcopi ſubeſſe iuriſdictioni in his, quæ ſpectant ad curam animarum exercendam. Verùm quoad dæmoniacos exorcizandos, cum ſint Parochi animarum tenentur ex charitate, & iuſtitia tale munus exercere eo modo, quo dictum eſt ſupra *num. 519. & 520.* Vel decretum illud intelligendum eſt de illis Regularibus, qui vitam degunt extra monaſteria, nec viuunt ſub obedientia ſuorum ſuperiorum: hi enim ex decreto Concilij Tridentini ſubſunt Ordinario: vt habetur *ſeſſ. 6. cap. 3. ſeſſ. 7. cap. 14. de reformat. & ſect. 21. cap. 8.*

§. II.

525 *Regulares nõ inciduntin pęnas ab Epiſcopis latas cõtra Exorcizãtes.*

HInc ex hac concluſione colligit Ceſpedes, nullo pacto Regulares incidere in illas pænas Epiſcoporum, quas fulminant in exorcizantes, vt ſunt ver.gr. pænæ latæ ab Epiſcopo Parmenſi 1621. teſte Bordono. Primò ne Exorcizantes aliquid recipiant licèt ſponte oblatum etiam nomine eleemoſynę ab obſeſſis, vel eorum conſanguineis, ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda. Secundò ne audeant vllo modo ægrotis præbere anthimonium, oleum, aut quoduis genus medicinæ, niſi de conſenſu Medici ſub pæna ſuſpenſionis, &c. Quæ leges vtiquè iuſtæ, ac ſanctæ ſunt, ac deberent ab omnibus Exorciſtis obſeruari; ſic enim euitarentur ſcandala, quę ex eorum tranſgreſſione oriri ſolent.

Ad hoc munus obeundũ Regulares precipuè mendicantes tenentur ex charitate.

Quare licèt hoc munus dæmones adiurandi, obſeſſos, ac maleficio affectos à dæmoniacis vexationibus liberandi, ægrotos ſacris benedictionibus muniendi ex officio Parochis incumbat, vt pluribus ſupra demonſtratum eſt; Nihilominus etiam Religioſi, præcipuè Mendicantes, qui quaſi Parochorum coadiutores, & in partem ſollicitudinis vocati eccleſiaſtica poteſtate ſunt inſigniti, ardentiori deuotione, armiſque ſpiritualibus ad infenſiſſimum hoſtem profligandum, vt plurimum ſunt ſuffulti, ſi non ex officio, ſaltem ex charitate tenentur, cum neceſſitas vrget, huiuſmodi ſibi miniſteria exercere. Immò ipſi, quia ſæpiùs orationi magìs, quàm aliqui Parochi ſunt intenti, nec vitam inter mundanas degunt vanitates, atq; in ſpiritualibus exercitijs magìs ſunt verſati, faciliori, ac præſtantiori modo demones in fugam vertere, eorumque opera malefica deſtruere valet, ſi ad huiuſmodi munera obeũda ſint idonei.

Inſtitutores Religionũ, ac Prælati huic muneri vacarunt.

Nonne huiuſmodi onera ſubiere ferè omnes SS. Patres, ac Religionum Sacrarum Inſtitutores? Quot dæmones profligarunt, & è corporibus obſeſſis eiecerunt S. Antonius, S. Benedictus, S. Hilarion, S. Bernardus, S. Gallus, Pontius Boneuallis, Iſidorus, Petrus Santutius Cæleſtinus Neotericus, & alij plures Abbates? Quot S. Dominicus, alijque eius ſectatores? Quot Seraphicus P. S. Franciſcus ab Vrbe Arretij, & alibi à pluribus energumenis deturbauit, vt rectè Baretius de Baretijs *in eius vita cap.2.* illum comparauerit Angelo Raphaeli, qui dæmonem excluſit à Sara Tobiæ vxore: Dauidi, qui Iebuſæum ab Vrbe Ieroſolyma eiecit: Simeoni, qui aduenas ab arce effugauit? Quot B. Ioannes à Capiſtrano, B. Bernardinus à Feltria, B. Iacobus à Marchia, & alij D. Franciſci ſectatores? Quot S. Ignatius Loyola? Quot cæteri Theodicati ab hominibus obſeſſis, à domibus, Ciuitatibus, alijſque rebus ad vſum hominum ſpectantibus infernales prędones eiecerunt, vt omnes ſacræ hiſtoriæ conteſtantur? Nonne hi cuncti zelum domus Dei, ac monaſticæ Religionis habuere? & tamen vrgentibus neceſſitatibus vitæ ſolitariæ quieti ſæpiùs ceſſerunt, vt huiuſmodi charitatis exercitio opus ſuum impenderent. De cætero tum Exorciſtæ, tum alij Docti videant quæ, poſt editionem Manualis Exorciſtarum, typis edidi in Speculo Clericorum *tractatu 16. toto cap.6.*

Quare Religionum Prælati, ac Superiores, ſi quos nouerint ex ſuis ſubditis ſcientia, prudentia, morum grauitate, ac vitæ probitate conſpicuos ad huiuſmodi munera obeunda eſſe idoneos, cum fuerint requiſiti, ac neceſſitas vrgeat, alicui obſeſſo, vel maleficiato ſuum præſtandi auxilium, libenti animo obedientiæ merito eos excitent, ac muniant, animoſque augeant ad huiuſmodi munere fugendum. Et ſubditi ipſi non recuſent tale, etſi graue, ſubire onus, memores vtrique ſcilicet, tàm Superiores, quàm ſubditi dicti Saluatoris N. Ieſu Chriſti Matthæi 7. *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, & Lucæ 6. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*, & 1. Ioan. 3. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate*, noſtro opitulando proximo, cum in anguſtijs, ac neceſſitatibus verſatur. Nam *vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo*, ait Sapiens filius Sirac Eccleſ. 17.

CAPVT II.

De Exorciſta ſcientia prædito.

CVm nulla morbi alicuius curatio exacta haberi poſſit, niſi priùs cognoſcatur morbus nec perfectè morbus aliquis cognoſci queat, niſi perfecta ipſius cauſarum, ac principiorum cognitio comparetur, vt docet Ariſt. 1. Poſter. 1. *Vnumquodquè*, ait *arbitramur cognoſcere, cum cauſas eius cognoſcimus*. Non poterit Exorciſta accuratiùs apertam de morborum dæmoniacorum curatione notitiam habere, quàm cauſas eorum indagare. Quas certè difficile non erit adinuenire, ſi ſcrutemur, quid ſit maleficium, quod (relictis varijs Auctorum definitionibus) poſſumus ſic definire: *Maleficium eſt praua operatio in corpore per virtutem dæmonis ex pacto tacito, vel expreſſo cum homine inito, & rerum naturalium applicationem, atque eiuſdem hominis ad ſuam malitiam explendam miniſterium, iuſto ſemper, etſi occulto, Dei permittentis iudicio facta.* Ex qua definitione (quæ clarè, & diſtinctè complectitur omnia ad eius eſſentiam pertinentia) colligitur, quatuor cauſas ad maleficia patranda concurrere, quamuis diuerſimodè: Dæmonem, Maleficum, Res naturales, & Deum: Dæmonem vt cauſam efficientem: Maleficum vt cooperantem: Res naturales, vt moralem, vel phyſicam: Deum, vt permiſſiuam. Quarum omnium, ſicut & ſignorum externorum, quę in obſeſſionum, ac morborum maleficorum cognitionem ducũt, Exorciſta, vt notitiã habeat perfectam, omni, quo poteſt ſtudio conari debet; vt ſic dicatur ſimilis Filio hominis, oculos habens igneos, ideſt lucidos, & inflammatos, quibus non ſolùm obſeſſorum, ac maleficio affectorum indigentias, & anguſtias acutiſsimè videre poſſit, eiſque remedia ad eas tollẽdas, ac remouendas ſpiritualia adhibere; verùm etiam illos inſtruere, & edocere ad fidei, ac confidentiæ in Deum, nec non deteſtationis in dæmonem actus eliciendos: atquè ad amorem ardentem erga Deum, & proximum inflammare. Quod præſtabit, ſi ſequentes articulos ſæpiùs præ oculis habuerit. 526

Exorciſta debet cognoſcere cauſas maleficiorum, Quæ in definitione maleficij includuntur. Quid ſit maleficium. Cauſæ maleficij ſunt Dæmon, Maleficus, Res naturales, Deus.

ARTICVLVS I.

De Dęmone, vt maleficiorum, & obſeſſionum cauſa efficiente.

QVemadmodum Deus miſericors, & piiſſimus, ac ſummè bonus eſt cauſa omnium bonorum, quæ in mundo fiunt: ità è conuerſo dæmon impius 527

Dæmon eſt cauſa efficiens maleficiorum, & obſeſſionum.

impius, iniquus, ac peſsimus cauſa eſt efficiens omnium obſeſsionum, ac maleficiorum, eorumque architectus eſt eximius; eò ad malefaciendum, ac nocendum promptior, quò magis ſcientia, potentia, & malitia armatus ſcit, poteſt, & vult malefica operari.

Scientia enim magna, & eminenti ſapientia à Deo donatum fuiſſe in fauſtis ſuæ creationis primordijs, teſtatur Ezechiel cap. 28. cum illum alloquitur dicens: *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & perfectus decore*. Quæ ſcientia longo interuallo ſuperior eſt omni creata ſcientia, quæ in hominibus reperitur. Dæmon enim viget ſubtilitate naturæ, experientia temporum, reuelatione ſupernorum ſpirituum: vt benè docet B. Iſidorus *in libro de ſummo bono*, quem ſequitur Angles *in 2. d. 11. q. vnica de dæmonibus art. 2. dub. 5.* ac communiter Theologi *in 2.*

In maleficijs conficiendis dæmon vtitur Scientia, quæ eſt maxima.

Sic triplici huiuſce ſcientiæ acumine dæmon præditus, quæ tripliciter extenditur ad præterita, præſentia, & futura, quæ habent cauſam naturalem determinatam, quid non poterit in adinueniendis maleficijs, & varijs artibus, quibus innumera inducit mala? Perſpicaciſsimè enim cognoſcit cęlorum motus, ſtellarum influentias, planetarum coniunctiones, elementorum mixtiones, virtutes lapidũ operationes metallorum, qualitates mixtorum, herbarum vires, animalium proprietates, hominum temperamenta, occultas, & admirandas rerum omnium facultates, earumque inter ſe ſympathiam, vel antipathiam: inſuper quomodo inuicem applicari, & temperari debeant: quo tempore opus ſit ad tempeſtiuè operandum: quid prætenſos effectus impedire, retardare, vel iuuare poſſit: præterea ſeligere materiam, cui naturalis inſit facultas alterandi, frigefaciendi, calefaciendi, nec non aperiendi, obſtruendi, diuidendi, euacuandi, & vrendi: denique quid mixtis, plantis, animantibus hominibus obeſſe, vel prodeſſe poſſit, & alterationes, morbos, cruciatus, mortem ipſam, aut alia quæuis nocumenta inferre: cum vniuſcuiuſque rei ſpecificæ per ſpecies ſibi congenitas, aut acquiſitas eſſentiam, cauſas, principia, effectus, antecedentia, concomitantia, ac conſequentia clariſſimè, ac perfectiſſimè agnoſcat, vt teſtantur D. Auguſtinus *ſuper Gen. cap. 1. & 4.* D. Bonau. *in 2. d. 3. artic. 4. q. 1.* Scotus *ibi q. 10.* D. Thom. *1. part. q. 55. art. 2.* & communiter Theologi, vbi *de Angelorum cognitione*. Nec eſt mirandum ſi ſpiritus tam ſagax, & ſubtilis in maleficiorum inuentionibus tot, tanta, & tam mira operetur, cum potentia eius ſit tam magna, vt *non ſit poteſtas ſuper terram, quę comparetur ei*, Iob. 41. Non enim ſuperueniente peccato imminuta eſt; ſed poſt peccatum integra remanſit quoad actum primum, & eadem, quæ à Creatore ſummo in eorum primordijs naturæ angelicæ indita erat; vt docet D. Gregorius illa verba explicans *lib. 34. Moralium cap. 16. Poteſtas dęmonis*, inquit, *ſuper terram cunctis eminentior perhibetur: quia etſi actionis ſuæ merito infra homines cecidit; omne tamen humanum genus naturæ angelicæ conditione tranſcendit*. Quod ibi Gloſſa confirmat: *Omnia dæmon humana ſuperat, etſi meritis Sanctorum ſubiaceat; quamuis enim internæ felicitatis beatitudinem perdidit, naturæ tamen magnitudinem non amiſit, cuius adhuc viribus humana omnia ſuperat*. Cui potentiæ adhæret voluntas mala, & tam mala, quòd, teſte D. Bernardino *ſer. 6. de miſericordię perfectione artic. 2. cap. 3. vult ſemper quod peius poteſt, ſi eius poteſtas eſſet quoad omnia libera, & ſoluta, ineffabili modo ſine omni ordine, & menſura ſubuerteret totum ſtatum inferiorum.*

Potentia, quæ eſt eminentiſſima.

Malitia, quæ eſt inſignis.

§. I.

PRopterea eius potentia eſt ligata, vt non operetur omne, ad quod maligna eius voluntas impellit. 528

Poteſtas dæmonis cępit aliqualiter ligari ab origine mundi.

Cępit autem à Deo alligari vſque ab origine mundi immediatè poſt Luciferi peccatum: non quoad homines tentandum; ſed quoad eos ſeducendum, & vexandum: Nam ſicut, cum ſuperba eius mens propriæ excellentiæ cupiditate intumeſcens à Deo auerſa ad ſeipſam conuerſa eſt, vtriuſquè ſapientiæ ſupernaturalis, practicę, nempè, ac ſpeculatiuæ iacturam fecit: quia practica, quæ eſt cauſa efficax amoris Dei totaliter ei fuit ablata, & ſpeculatiua multùm diminuta, cum in ſtatu damnationis non nouerit tot myſteria ſupernaturalia, quot agnouiſſet, ſi in cognitione beata fuiſſet: vt docet Auguſtinus *lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 21.* Sic ob ſuperbiæ peccatum meritò cępit à Deo cohiberi eius poteſtas, vt non poſſet ea omnia perficere, quæ vellet. Nam licèt poſt peccatum integra remanſerint eius naturalia quantum ad fundamentum, & quoad ſubſtantialia, ideſt, quoad actum primum, vt dictum eſt ſupra: non tamen quoad actum ſecundum; ideſt, quantum ad libertatem omnium operationum, & executionem earum. Quod perlucidè teſtatur Alexander Alenſ. *part. 2. q. 100. memb. 2. art. 2. Licèt ex prima*, ait, *poteſtate ſibi data poſſent dæmones ſuper huiuſmodi creaturas ex ordine naturali; tamen in pœnam peccatorum eorum, & bonum hominum cohibetur eorum poteſtas.*

Sup. nu. 507.

§. II.

PER Paſſionem verò, ac mortem Chriſti confracta eſt, ac ſublata dęmonum potentia; ſed reſpectiuè, ac dependenter à Dei voluntate. Hoc probat ipſa veritas Ioan. 12. *Nunc princeps*, ait, *huius mundi eijcietur foras*. Quæ verba exponens Sanctus Cyrillus Alexandrinus. *Habuit*, inquit, *quidem prius dæmon per tyrannidem principatum in totum genus humanum, & dominatum crudeliter exercuit in omnes. Atqui virtute mortis Chriſti, & ſanguinis confracta eſt illius poteſtas, & ſublata potentia; & quos iniuſtè detinuit captiuos, iuſtè perdidit*. Hilarion Monachus ſuper eadem verba: *Nunc princeps &c.* loquens in perſona Chriſti ait: *Nunc morte mea fiet, vt dominatum in homines omninò amittat diabolus, qui peccato primorum parentum in omnes acerbiſſimè principabatur*. Et ſubdit: *Quis igitur ad hanc mentionem non lętetur? non gratias agat continuè pro liberatore?* Gloſſa ordinaria: *Nunc princeps, &c. Vndè tam nunc Sanctos omnes non tenendo poſſidet; ſed tentando perſequitur. Nam quia non in eis intrinſecùs regnat, contra eos pugnat extrinſecùs; & qui intùs dominium perdidit, bella molitur foris*. Ioannes Maldonatus ibi. *Nunc princeps &c.* ait: *Perindè ac ſi dicat, deturbabitur de poſſeſſione ſua, eijcietur ex arce ſua. Eiectus foras dicitur, non quòd in mundo non ſit, & in multis etiam non dominetur; ſed quòd quantum in Chriſto fuit, eiectus fuerit; ita vt ſi homines vellent, nihil prorſus in ipſos haberet poteſtatem. Eodem ſenſu dicitur Apoc. 12. de cęlo in terram proiectus, ideſt extra Eccleſiam, quę per cælum ſignificatur, in terra, ideſt, in tenebras ſuas in infernum. & cap. 20. dicitur eſſe ligatus per annos mille. Non quod aut reuera extra Eccleſiam eiectus, aut omninò ligatus ſit: ſed quòd coercita ſit eius potentia, atque tyrannis, ita vt ſi homines velint, nihil* 529

Per paſſionem Chriſti dæmonũ poteſtas ſublata. Quomodo ſit ligata.

illis nocere poſſit. Idem affirmat Toſtatus *in cap.* 8. *Matthæi q.* 123. vbi quærit: *An conueniens fuerit, Chriſtum facere miracula eijciendi dæmones de hominibus?* Et inter alias rationes affirmatiuas, quas adducit, vnam, ait, eſſe, *ad dandum nobis ſpem, quòd liberaremur de poteſtate dæmonis, & de inferno.* Colligitur hæc veritas etiam ex Vilhelmo Lindano *Panoplia Euangelicæ lib.*4.*cap.*78. *poſt medium: Sicut Chriſtus*, ait, *olim ſuos miſit diſcipulos hac poteſtate munitos, vt diabolum ex hominum ſiuè pectoribus, ſiuè corporibus etiam profligarent: ita certo Clericorum generi ea poſt fuit cura à Maioribus credita, vt homines, vel antè Baptiſmum, vel poſt dæmone obſeſſos, & occupatos vindicarent, & in libertatem per Chriſtum partam aſſererent.* Quid igitur agit Exorciſta, dum aliquem obſeſſum à dæmonis poteſtate eripit, niſi illum vindicare in libertatem, qua per crucem, ac paſſionem Chriſti fuerat iam donatus?

Quam virtutem in ſeipſo expertus eſt S. Ambroſius Epiſcopus, cui, vt memorat S. Paulinus *in vita eius*, nullus vnquam magus, aut maleficus nocere potuit ob firmiſſimam in Deum fiduciam. Mortua namquè Iuſtina Imperatrice Arriana, cum Innocentius Magus in quęſtionem raperetur, inter tormenta faſſus eſt, Angelum Ambroſij cuſtodem ſuum eſſe tortorem. Nam viua Imperatrice eius iuſſu ſe nocte intempeſta ſub templi tectum aſcendiſſe, & ſacrificaſſe dixit, vt Ambroſium infamem, inuiſumque faceret plebi; nihilominus amorem in hunc virum, & fidem Catholicam magis, ac magis effloruiſſe: Miſſos etiam à ſe dæmones, qui Ambroſium necarent; ſed ijs vltra ædium fores progredi non licuiſſe. En quibus excubijs Deus illos defendat, qui omnem in ſe ſolo collocant fiduciam! En quomodo poteſtas dæmonis ligatur, & totaliter cohibetur pro his, qui firmiter in Chriſtum credunt, ac in eius protectione ſuam collocant fiduciam!

Maxima D. Ambroſij in Deum fiducia.

QVÆSTIO I.

Pro quibus poteſtas dœmonis ſit ligata?

530 RESpondetur, dæmonis poteſtatem quoad actum ſecundum in ordine ad damna inferenda animæ, vel corpori, eſſe ligatam pro his, quos Deus vult protegere, & à dæmonum infeſtationibus pręſeruare, vel ob eorum fidem, qua firmiter in Chriſtum credunt: vel ob eorum confidentiam in protectione Dei, vel in Sanctiſſimo Nomine Ieſu collocatam: vel ob aliud bonum publicum, aut priuatum. Ita Lactantius *lib.*2. *Diuin.Inſt.cap.*16 in hæc verba: *Non nocent dæmones ijs, quos manus Dei potens, & excelſa protegit.* Toſtatus *loco cit. de credentibus in Chriſtum*, ait, *Futurum erat, quòd per virtutem Deitatis Chriſti excluderetur poteſtas dæmonum ab hominibus credituris in ipſum:* iuxta illud Ioan.2. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras, ſcilicet, diabolus. Ad oſtendendum ergo hoc, conueniens fuit, vt præcederent quædam ſigna, ſcilicet quòd Chriſtus expelleret dæmones.* S. Athanaſ. *orat.* 1. *contra Arianos: Omnes*, ait, *qui legitimè in Chriſtum fiduciam habent, pedibus conculcant eum, qui hæc verba dicebat: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: &c.* Iſaiæ 14. Idipſum S.Bernardus docet *ſuper Pſal.*90. in illis verbis: *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, &c. Beatus*, ait, *planè, qui ſic habitat in adiutorio Altiſſimi: quia in protectione Dei cæli commorabitur. Quid ei nocere poterit eorum, quæ ſub cęlo ſunt, quem Deus cæli protegere, & conſeruare voluerit? Porrò ſub cælo ſunt quæcumquè nocere poſſunt; ſub cęlo ſunt aereæ poteſtates: ſub cælo præſens ſæculum nequam, & caro aduerſus ſpiritum concupiſcens. Optimè igitur dictum eſt: In protectione Dei cæli commorabitur: vt nihil eorum, quæ ſub cęlo ſunt, timere poſſit quiſquis protectionem eius habere meruerit.* Hanc fidem in Chriſtum maximè commendat etiam magnus ille Antonius, vt refert Delrius *lib.*6. *Diſquiſ.mag.c.*2. *ſect.*3. *Magna*, inquit, *dilectiſſimi aduerſus dæmonem arma ſunt vita ſincera, & intemerata in Deum fides.* Hanc docuit S.Hermam Pauli diſcipulum Angelus eius Cuſtos, qui ſub forma Paſtoris diù cum eo habitauit, vt refert ipſe *tom.* 1. *Bibliotheca Veterum Patrum lib.*2. *mandato* 12. *Quicumquè ait, fide pleni ſunt, reſiſtunt diabolo, & ille recedit ab eis: quia non habet locum intrandi.*

Poteſtas dæmonis pro quib. ſit ligata

§. I.

531 E Conuerſo facillimè colligi poteſt, cur ſæpiùs dæmonis poteſtas relaxetur, vt quamplures homines, ac mulieres diabolicis vexationibus afficiantur, nec non maleficis artibus deuinciantur, aut necentur? Vt plurimum eorum diffidentia in Deum eſt in cauſa. Hanc rationem apertè adducit Ioan. Maldonatus ſuper illa verba: *Nunc princeps huiuſ mundi, &c. Homines*, ait, *dæmoni portam arcis aperuerunt, & proditione quadam iu ſuam quiſque domum admitt it. Itaque etiam nunc regnat, & operatur, ſed in filios diffidentiæ.* Eph.2. Habetur etiam *in c.nec mirum* §. *Magi ſunt.* 26.*q.*5. *Hi permiſſu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo.* Cui aſtipulantur S.Iſidorus *lib.*8. *Ethymol.cap.*9. Burcardus *l.*10. *cap.*42. S.Iuo *part.*11. *cap.*67. Panormit.*lib.*8.*c.*65.

Poteſtas dęmonis relaxatur reſpectu eorū, qui diffidunt de Dei protectione.

Sed audias, quàm perpolitè de hoc rationem reddat P. Ieremias Drexelius *de Conformitate voluntatis lib.* 5. *cap.*10.§.7. *Sed quæras fortè*, inquit, *cur Deus permittat tot homines maleficis artibus deuinciri, & necari? Nè mirare: ſumma in Deum diffidentia etiam ſupplicij genus meretur. Iure Deus per hos punit, per quos tam variè offenditur. Multis enim vix alius eſt Medicus, quam Magus, nec alius pharmacopæus, quàm diabolus.* Et paulò infra: *Heu quam in Orbe rari ſunt, qui Deo fidant toto animo! Mores hominum conſidera, & plurimùm vbiquè reperies diffidentię, quæ quotãnis penè eadem redit, ac reuiuiſcit; & indè tam vani timores.* Poſteà in fine concludit, huiuſce diffidentiæ rationem reddens: *Et hoc indè*, ait, *quia de Dei bonitate, ac potētia parum rectè, parumuè liberalitèr ſentiunt.*

§. II.

532 HInc cum peccatores vt plurimùm in Deum nullam, vel ſaltem exiguam habeant fiduciã, quia peccatis ſuis ipſum continuè offendunt, ſuper eos dæmoni etiam maior à Deo permittitur poteſtas, quàm ſuper iuſtos. Quod videtur annuere Auguſtinus aduerſus Manichęos: *Diabolus*, inquit, *poteſtatem habet in eos, qui præcepta Dei contemnunt.* Sed clariùs Alexander Alenſis *par.*2.*quæſt.*100.*m.*2. *art.*4. *Diabolus in malis*, inquit, *poteſtatem habet ad ſeducendum, & ad perdendum, niſi prohibeatur à Domino. In bonis autem non habet poteſtatem ad perdendum; ſed ad probandum.*

Dęmon maiorem poteſtatē habet ſuper peccatores, quàm ſuper iuſtos

Quam poteſtatē in corpus hominis exercet, prout ſibi

ut ſibi permittitur à Deo. In animam verò iuxta varias hominum inclinationes, ac propenſiones multiformiter exercere ſolet, quatenus motus quoſdam prauos in corpore excitat, ac praua ſenſibus externis, & internis objicit, quibus quodam quaſi pondere voluntatem ad malum pertrahit, etſi cogere nequeat: vt benè docet Thyræus *lib. de Dæmoniacis toto cap.4. & 5.* Quem ſequitur Sanchez *lib. 2. in præcepta Decalogi cap.42.num.7.*

Precipuè ſuper Magos, Maleficos, & Sagas. Hanc autem poteſtatem dæmon maximè habet in Magos, & Maleficos, & Sagas, quorum animam ſibi vendicat per conſenſum in tam immane ſcelus: ſicut in corpus dominatur, quod verberibus quoquè ſubijcit, ſi maleficus ad eius beneplacitum ſeruitutem illi non impendat: vt apertè docet Alexander Alenſis *loco citato*; ac pluribus exemplis probat Nicolaus Remigius *lib. 1. Dæmonolatr. c.13.*

§. III.

533 *Hec poteſtas demonis eſt limitata & quoad animam & quoad corpus.* VEruntamen huiuſmodi dæmonum poteſtas eſt limitata, nedum quoad animam, cui nocere nequeunt, niſi ipſa velit: vt docet Auguſtinus *l.20. de Ciuit. Dei cap.8.* dicens *Dæmon eſt quaſi canis à Chriſto ligatus, qui latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omninò non poteſt, niſi volentem.* Sed etiam quoad corpus, quod torquere non poſſunt, niſi quando, & prout ſibi permittitur à Deo; vt idem Auguſtinus docet *lib.18. de Ciuit. Dei cap.18.* *Dæmones*, ait, *non omnia, quæ volunt, facere poſſunt, niſi quantum illis diuina ordinatione conceditur.* Quã veritatem ſæpiùs per os Energumenorum dæmones per vim præcepti ſibi à me facti, diuino nomine Ieſu interpoſito, fateri coacti ſunt; quorum de duobus tantùm hic referam. Anno reparatæ ſalutis 1648. Venetijs dæmon, à quo poſſidebatur quidam adoleſcens Iuſtus nuncupatus annos 14. natus filius Ioannis de Taxis, cum à me interrogatus eſſet: cur ingreſſus eſſet in corpus illius Adoleſcentis: reſpondit: *Hùc ingreſſus ſum, vt puerum hunc de medio tollam: quia ſic à Malefico iuſſus ſum.* Idipſum reſpondit eadem die alius dæmon, qui quandam Adoleſcentulam 15. annos natam poſſidebat. Sed mihi adhuc ſciſcitanti: cur eos nondum occiderant, cum iam integro anno eos poſſiderent; Reſponderunt ambo: *quia poteſtas Dei nos impedit, nec ſinit facere omne malum, quod volumus.* Qui ambo ab eadem diuina poteſtate eadem die per inuocationem Sanctiſſimi Nominis Ieſu ad meum præceptum ab eorum corporibus egredi coacti ſunt.

QVÆSTIO II.

Cur dæmon maximos peccatores omnes in corpore non poſſideat?

534 *Ratio dubitandi* CVm dæmon ſuper peccatores Magos, Maleficos, & Sagas, nec non ſuper hæreticos, ſchiſmaticos, & infideles magnam habeat poteſtatem, cur non omnes illos poſſidet in corpore, vel maleficijs non afficit?

Dæmon maximos peccatores raro vexat in corpore, Huic difficultati reſpondet Leonardus Vairus *de Faſcino lib.3.c.7. Cum dæmones*, ait, *procertò ſciant, hos peccatores ſui eſſe iuris, impræſentiarum rarò eos vexant in corpore, quos perfectè poſſident in anima in perpetuum ſimul cum corpore torquenda in orco, & affligenda*, puta, (niſi iuſſi à Deo). Quod videtur etiam annuere D. Gregorius *lib.24. Moral. cap.7.* dicens: *Dæmon eos pulſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſe ſentit.*

niſi iuſſus à Deo, vt magis eos inficiat in anima. Teſtantur Patres. Ratio eſt, quia finis principalis in hominibus vexandis à dæmone intentus, eſt, vt illos diuina priuet amicitia, ad peccatum eos inducendo; æternaquè illos expertes reddat beatitudine: vt benè docet Toſtatus *quæſt.121. in cap.8. Matthæi: Dæmones*, inquit, *ex inuidia tentant hominem inducere in peccatum, nè aſſequatur beatitudinem: quod ſi non poſſunt, ſaltem volunt ei corporaliter nocere, quod eſt minus nocumentum; & ita deſiderant intrare in eum: quia intrando vexant.* Et paulò infra aliam reddens rationem, cur dæmones velint homines poſſidere. *vt oſtendant*, ait, *hominibus poteſtatem ſuam, ac per hoc ab eis adorentur; ſicut fuit inter Gentiles, qui quoſdam Deos colebant, credentes ſe ab eis poſſe beneficia recipere: alios autem colebant, nè eis nocerent.* Sed clariùs huius rationem reddit Suarez *par.2. tom.1. de Angelis lib.8. cap.20. num.3. Dæmon hoc modo*, inquit, *nocet homini, vt illum ad impatientiam, deſperationem, blaſphemiam, vel aliud ſimile vitium inducat.* At quia huiuſmodi Magi, Malefici, ac Sagæ, ſicut & hæretici, alijquè huiuſmodi peccatores quã maximè in malo ſunt obſtinati, ſemperquè præcipites ad malum currunt, continuèquè abominandis criminibus ſe obnoxios reddunt, Deum grauiſſimè offendentes blaſphemiis execrandis, abominandis ſacrilegiis, impietatibus intollerandis, ac iniuſtitiis deteſtandis, dæmonis voluntati in omnibus ferè obſequentes; nec ſeipſos tantùm criminibus continuis illaqueantes; ſed vt diaboli miniſtri alios ſeducere tentantes, & ad perditionem trahere conantes; propterea ſicut dæmon eos pulſare negligit in anima: quia quieto iure eos poſſidet; ita non curat illos affligere in corpore, niſi vel iuſſus à Deo, vel fortaſsè cùm aliquando ſibi ad beneplacitum ſuum obſequium, ac ſeruitutem non impendunt: quia dum ſanitate pollent, plura, & atrociora peccata in Diuinæ Maieſtatis offenſam, ac contemptum perpetrare non ceſſant; dæmoniquè ipſi diuinitatis cultum, & honorem (vt faciunt Magi, & Malefici) tribuere non detrectant.

Experiẽtia docet Quam veritatem faſſus eſt etiam quidam dæmoniorum princeps Beelzebub nuncupatus in Gallia apud Oppidum Laudunum, vt refert Bartholomęus Faius Regius in Senatu Pariſienſi Conſiliarius, ac Inquiſitionum Præſes in ſuo Energumenico: *Dum enim*, ait, *Burſus Billius Cathedralis Eccleſiæ Canonicus quandam Nicolam Energumenam exorcizaret, pluribus Hæreticis præſentibus, à prædicto dęmone, qui eam poſſidebat, quęſiuit: cur tot vafris Hæreticis omiſſis ſimplicem Catholicam adortus eſſet?* Reſpondit dæmon: *Plecteres tibi morigeros?* Si enim dæmon huiuſmodi peccatores obſtinatos maleficiis ac diris vexationibus ſæpè affligeret in corpore, non poſſent tot crimina patrare: idcircò dæmon verſipellis ſæpiùs deſinit afflictionibus corporeis, quæ minora ſunt mala, eos afficere, vt illos pluribus criminibus, & atrocioribus delictis, quæ maiora ſunt mala, magis illaqueet, & obnoxios reddat. Et licèt quandoquè vexationes corporeæ Vexatum inducant ad blaſphemias, ad deſperationem, & alia peccata; nihilominus etiam quandoquè peccatores reducunt ad ſanam mentem, ad ſuorum petendam veniam peccatorum, ad dæmonem ſpernendum, & ad caſtra Dei confugiendum. Nam ſæpè vexatio dat intellectum: *& mala, quæ nos hic premunt*, ait Gregorius, *ad Deum citiùs nos ire compellunt.* *Lib. Moral.* Quare hac de cauſa dæmon, licèt maiorem ſuper maximos peccatores, quàm ſuper iuſtos, habeat poteſtatem, eos tamen non ſępiùs, ſed

raro

rarò vexat in corpore, niſi iubeatur à Deo, vt magis, ac magis eos vexare poſſit in anima in perpetuum ſimul cum corpore flammis gehennalibus vſtulanda, & affligenda.

QVÆSTIO III.

Quas moleſtias dęmon ſoleat hominibus inferre exiſtens extra corpora ipſorum?

535 *Dæmon hominis vexat extrinſecè. Per apparitiones imaginarias Aliquando in vigilia. Et quomodo.*

RESpondetur, dæmonem quinque modis regulariter ſolere extrinſecè homines vexare.

Primò per imaginarias apparitiones; ſolet enim ſpecies in imaginatione eorum, quos vexare deſiderat, commouere; ita vt ſe ab eo agitari, moleſtia affici, aut etiam occidi, & iugulari putent. Quod fit aliquando in vigilia, & aliquando in ſomnis.

In vigilia enim accidunt, cùm homines nihil minus cogitantes ſubito terrore corripiuntur. Imaginatio etenim, cum ſit corporalis potentia, quæ aliàs phantaſia dicitur, inter cognoſcitiuas media, nempè ſenſum externum, cui eſt ſuperior, & intellectum, cui eſt inferior, diabolicæ operationi eſt ſubiecta; atque in ea ſpecies intentionales, quas vocant rerum aut exiſtentium, aut fictitiarum ſimulacra, ad libitum mouet, & accommodat, quibus ea, quæ ipſe exhibere deſiderat, repræſentantur. Hoc teſtantur D. Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis agen. cap.* 12. D. Bonauent. *in* 2. *diſt.* 8. *art.* 4. *q.* 3. Toſtatus *in c.* 8. *Matthæi queſt.* 116. & Ioſeph Angles *ibi q.* 8. *diffic.* 12.

Aliquando in ſõnis.

In ſomnis verò hę viſiones haud rarò contingunt. Obſcura enim, falſa, & horrenda excitat ſomnia. Nam cum in dormientibus potentiæ intellectiuæ ſopitæ maneant; ſenſitiuæ verò internę, & maximè appetitiuę ſint cibo, ac potu obſtupefactæ, naturali propenſione vel immoderatè delectantur, vel triſtantur, dum variæ ſpecies, ac ſimulacra vel delectabilia, vel triſtia ſibi objiciuntur, ac repræſentantur. Quòd ſi ijs naturalibus diſpoſitionibus virtus accedat diabolica, quid non patitur miſer homo phantaſticis, & imaginariis viſionibus! quaſi tot furiis agitatur: timor artus occupans, pallor diſperſus per totum corpus, clamores inſoliti, vlulatus lamentabiles, ſudor per omnes poros emiſſus, longa ſuſpiria ex imo pectore educta, horrendi fremitus, violenta membrorum agitatio, totumque corpus efferum id teſtantur. Quæ accidentia ſæpè ſunt præludia futuræ diabolicæ obſeſſionis, niſi Patiens ad diuina confugiat remedia. Illaque experiuntur vt plurimum ij, qui aliquo maleficio tangi incipiunt: dæmones enim ſuę operationis primordia conteſtantur, vt pluriès in variis obſeſſis, ac maleficiatis experientia comprobaui. Qui ſi ſtatim ac incipiunt huiuſmodi viſiones pati imaginarias, ad peritum accedant Exorciſtam, facillimè à quacumque dæmoniaca vexatione liberantur, ac præſeruantur.

Vexationes imaginarię ſunt prę ludia futuræ obſeſſionis.

§. I.

536 *Moleſtia à dæmone effectę per viſiones corporales.*

SEcundò per Viſiones corporales. Aliqui enim ante dæmonis ingreſſum in corpus ſuum vident eum ſub variis figuris, ac phantaſmatibus apparentem. Alii ſub forma leonis, vel vrſi, vel ſerpentis, vel draconis: alii ſub forma tauri, vel canis, vel lupi, aut felis: alii ſub forma gallinæ, vel corui, aut vulturis: alii ſub ſpecie hominis atri, aut mulieris recenter mortuæ, vel alterius ſpectri terribilis, & horrendi: alii ſub ſpecie ingentis muſcæ, aut araneæ, vel alicuius ramenti, aut minutioris pili, quæ oculis obuerſantur, & in faucis ſe ingerunt, vt ex pluribus Energumenis experimentaliter cognoui. Vndè quidam profectam hinc volunt conſuetudinem, quæ apud Catholicos viget, quando oſcitant, os ſigno ✠ crucis munire, quaſi hac crucis ſignatione dæmonum in corpora ingreſſus prohibeatur. De his legendi ſunt Toſtatus *in c.* 8. *Matthei q.* 115. Delrius *Diſquiſit. Magic. lib.* 2. *q.* 26. *ſect.* 3. ac Petrus Thyręus *lib.* 1. *de apparit. ſpirituum cap.* 16.

Vndè mos exortus, os ſigno ✠ crucis muniẽdi cũ homo oſcitat.

§. II.

TErtiò per Auditum. Percipiuntur enim aliquando voces tàm interiores, quàm exteriores, tam de locis remotis, quàm de propinquis, leues ſtrepitus, ſimulati inceſſus, riſus, cachinni, ſuſpiria, gemitus, clamores, & alia, quæ ſub aurium ſenſum cadunt, atque à ſpiritibus excitantur. Qui ſpiritus vulgò apud Italos *Foletti* nuncupantur. Veruntamen hos quandoque rumores cauſant etiam alii dæmones, & antequam corpus alicuius hominis poſſideant, & etiam poſtquam illud ingreſſi ſunt. Volunt namque Dei, & Angelorum mores contraria æmulatione ſectari: vt quemadmodum illi aduentu ſuo operationes ſuas externis ſignis quibuſdam, magniſque argumentis teſtantur, & indicant; ita ſpiritus nequam ſuam præſentiam volunt innoteſcere ſenſibili aliquo ſigno, vel modo, nè in hac re ipſi videantur inferiores; cum hac tamen differentia, quòd illi cupiunt omnes quieto eſſe animo, ad quos diuertunt; hi turbatum volunt, & territum; vndè terriculamenta, & perturbantia adhibent ſigna, antequam miſeros homines inuadant. De quibus latiſſimè Delrius plures cumulans Auctores *lib.* 2. *Diſquiſit. magic. q.* 27. & 28. 537 *Moleſtia per auditum.*

§. III.

QVartò per Odoratum. Hic enim ſenſus ſæpiùs fætorem ſuſtinet intolerabilem, qui in omnibus dæmoniacis operibus ferè interuenit, veſteſque aſtantium, domos, aerem, & circunſtantia loca ſic replet, vt longo tempore duret. Quare dæmonum fæderati, vt ſunt Magi, Malefici, & Striges vt plurimùm fætent, atque è veſtibus, ore, & corpore grauelentia emittunt non ferenda: quia cum dæmone familiariter conuerſantur, qui fætoribus, & putoribus aerem inficere ſolet, quoties ſe præbet viſibilem, vt omnes hiſtoriæ conteſtantur. 538 *Moleſtię per odoratum.*

Quintò per guſtum. Sæpiùs enim hic ſenſus malè à dæmone afficitur, quando vnà cum cibo, aut potu in os hominis latenter dæmon ingreditur, & mox in corpus ingreſſus magna tyrannidis exempla dat, vt ſuo damno ſenſit Virgo illa, de qua Gregorius *lib.* 1. *Dialogorum cap.* 4. narrat, quòd cum lactuca dæmonem latitantem hauſit, à quo ſtatim poſſeſſa eſt. Quare vt plurimùm ſolent Magi, & Malefici pomum, aut quid ſimile edendum præbere ijs, quos maleficio inficere conantur. Id pluribus exemplis teſtatur Remigius *lib.* 3. *c.* 5. Cuiuſdã Cathinæ Gillotiæ inſignis maleficæ ſua manu poma, pruna, aliaquè eſculenta præbentis ijs, quos vel per maleficia debilitare, vel ſanitate donare cupiebat. *Lib.* 2. *c.* 7. Alterius veneficæ Corbelinæ Rayel medicatum pyrum in via deponentis, quaſi id è viato-

Moleſtia per guſtũ. *Exemplis comprobatur.*

viatoris pera fortè excidiſſet; quo imprudenter à quodam Ludouico, à quo iniuriam paſſa erat, ſublato, ac guſtato, ſtatim graui morbo correptus vix præ dolore domum pedes ſe referre ſuſtinuit. Aliorum plurium refert exempla *lib.2.c.4.& lib.3.c.3.*

Sed quid immoror circa iſta? vnicum referam eorum, qui hoc modo à dœmone malè affecti ad me acceſſeruut gratia ſanitatis conſequendæ.

539 *Exēplū ab Auctore relatū.*

Anno Domini 1648. vltima die Auguſti coram me fuit adducta Venetijs adoleſcentula quædam annos 14. nata, nomine Magdalena Forlana à Caſtro Franco Oppido Diœceſis Taruiſinæ, à Dœmone obſeſſa, quæ præſente eius auia, alijſque pluribus perſonis mihi enarrauit, ſe vigilia Sancti Laurentij poſtquam accepiſſet quoddam pomum à quadam vetula ſua conterranea, quæ vulgo malefica exiſtimabatur, illicò ſenſiſſe ſibi ſtomachum quaſi igne aduri, ſepè terribiles habere vomitus, nihil tamen eructare potuiſſe: frequenter ita ſenſibus deſtitui, vt planè mortua videretur: quę omnia ſucceſſiuè ſic dœmon à me iuſſus in nomine Ieſu, illi palàm intulit, ſine tamen iuuenculę lęſione. Quibus viſis, & auditis, ipſa ante pedes meos genuflexa, dœmoni pręcepi in nomine Ieſu, vt & ipſe enarraret per os iuuenculæ quando, & quomodo in corpus illius eſſet ingreſſus. Qui ſtatim reſpondit, ſe ingreſſum eſſe illius corpus vigilia S. Laurentij ſubter pomum latens, quod à malefica adoleſcentulæ Magdalenæ traditum fuit ad edendum: quo comeſto cæpiſſe omnia prædicta tormenta illi inferre: quia ſic iuſſerat malefica, vt illam ſic torqueret toto tempore vitæ eius. At antiquus tortor, cum à me iuuencula illa in fide, ac confidentia in Deum fuiſſet inſtructa, facto illi præcepto in nomine Ieſu, vt egrederetur, illicò ab ea recedere coactus eſt, eius guttur fœtore ſulphureo in ſuo exitu repletum relinquendo.

Ex quo videas, quomodo homines vexat nedum in ſenſu odoratus per fœtores; ſed & in guſtu per eſculenta, & cætera comeſtibilia.

§. IV.

540 *Moleſtię per tactū.*

Denique per tactum varias in hominibus cauſat afflictiones. Aliquando enim illi tenebriones hominum aures vellicant: aliquando è lecto detrahunt: aliàs crines abradunt: modò accubare cum eis tentant in eodem lecto: nunc propulſant, & proſtrant renitentes: nunc fuſtibus excipiunt: modò allidunt ad angulos: aliquando præcipites agunt: ſæpiùs vſtiones, & verbera infligunt, alijſque malis dormientes, & vigilantes moleſtant antequam morbos inferant, vel ipſam mortem. Quæ præſtare poſſunt vel per aſſumpta corpora: vel vi, & poteſtate ipſis innata, more hominum, qui aut fuſte, gladio, haſta, & huiuſmodi inſtrumentis vtuntur in vulneribus infligendis: aut opera concitati aeris, cuius vi deijciuntur ædes, concitantur maria, arbores radicitus euelluntur: aut robore naturali corporibus neruoſis indito. His tribus modis à dæmone plures vexati inueniuntur, alij tali hora determinata diei: alij tali hebdomadæ die: alij ſemel in menſe; quo tempore ſenſuum alienatione, crurium morſibus, cordis punctionibus, & alijs huiuſmodi moleſtijs afficiuntur. Quam veritatem docet Toſtatus *in cap.8. Matthei q.120.* & Petrus Thyr. *lib. 1. de Apparit. ſpirituum*. Et praxis in multis à dæmone vexatis docet in dies.

§. V.

SEd hoſtes verſipelles, vt magis homines decipiant, & in naſſam trahant, ſæpiùs fingunt, ſe eſſe animas defunctorum, præcipuè animam alicuius ſcelerati hominis; Et hoc vel vt inducant homines in illam hæreſim, quæ aſſerit animas ſceleratorum hominum poſt mortem in dœmones, & in quæcumque animalia bruta ſuis meritis congrua conuerti. De qua Auguſtinus *lib. de Hæreſibus cap. 86.* Vel vt ſe aſpicientes errore aliquo decipiant, puta animam alicuius maximi peccatoris, qui abſque peccatorum ſuorum confeſſione, vel vllo doloris, aut contritionis actu interno, & externo ſigno è viuis ad mortuos migrauit, eſſe in tuto ſaluationis loco, viuentibus perſuadeant: Sic mortuos in peccato mortali pœna gehennæ æterna non puniri credant. Vel ſi mortui ſunt ſancti diuina iam beatitudine perfruentes, eos infament diceptes, magnos in Purgatorio pro ſuis delictis ſuſtinere cruciatus: ita eruditè docet Auguſtinus *lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 11. à medio.* Chryſoſtomus *homil. 29. in Matthæum.* D.Thom. 1. *part quæſt.* 117. *ar.* 4. *ad* 2. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 23. Syluester *verbo maleficium quæſt.* 4. *diſt.* 2. Victoria *de Magia Relect.* 12. *quæſt.* 4. *num.* 17. Sotus *de iuſt. lib.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 2. *colum.* 4. *verſ. Sed rogat.* Ciruelus *de ſuperſt. par.* 3. *cap.* 8. Pedraza *in ſumma in* 1. *præcepto.* §. 10. Delrius *lib.* 2. *Diſquiſ. Magic quæſt.* 26. *ſect.* 7. & Stephan. Facundez *par.* 1. *lib.* 1. *in* 1. *præceptum Decalogi cap.* 36. *num.* 10. 541 *Dæmones ſæpiùs ſimulant ſe eſſe animas defunctorū.*

Et quamuis bona conſulant, petantque ſuffragia fieri, aut aliquid reſtitui, hoc faciunt gratia poſtea faciliùs decipiendi; vt benè docet Pedraza, Victoria ibidem, & Petrus Thyræus *de ſpirituum apparitionibus cap. 16. num. 9.* Ideoque magna cautela in talibus apparitionibus eſt vtendum. Nam abſque particulari Dei gratia nemo poteſt in ijs eſſe tutus: cum diſcretio ſpirituum ſit gratuitum Dei donum, teſte Paulo Apoſtolo 1. *Corinth.* 13.

§. VI.

VEruntamen à Doctoribus varia traduntur ſigna, malos à bonis ſpiritibus, & veras animas ab illuſionibus diabolicis diſcernentia, quæ etſi non certam fidem, probabilem tamen opinionem faciunt, quorum aliqua breuiter hic referam ex Petro Thyreo *loco citato* Delrio *lib. 2. Diſquiſ. Magic. quæſt. 26. ſect. 3. verſ. metum nobis hic obtrudunt,* & Peltano *de Purgatorio cap. 5.* 542 *Modi quibus cognoſcuntur mali à bonis ſpiritibus, & animę verę ab illuſionibus diabolicis.*

Primò ſi ſignum crucis, nomen Ieſu, Mariæ, vel aliorum Sanctorum, cereumuè, reliquias, agni Dei ceream effigiem, luſtralem aquam, panem, ſalem, aliaque huiuſmodi ſacramentalia, vel Catholicæ religionis ſymbola fugiant, aut deteſtentur, diabolus eſt.

Secundò ſi poſtquam exegerunt ſemel id, quod volebant, adhuc fruſtra iterum appareant, & ſint importuniores (nam animæ veræ, cum illis ſatiſfeceris, vel amplius non apparent; vel ſemel tantùm, vt gratias agant; è contrà dęmones cauſas ex cauſis, vt funiculum nectunt, vt vel obſideant, vel ſaltem grauiter decipiant) his ergo concurrentibus diabolus eſt.

Tertiò ſi prætexit apparitioni cauſam falſam, vel malam; ver.gr. dicit, ſe apparere coactum vi coniurationis magicæ, vel vt reuelet curioſa, parùm neceſſaria, aut quæ neſciri expediret, dęmon eſt.

Quartò ſi aliter eius oratio ſit falſa, ſuperſtitioſa, diſperati, libidinoſi, vindictæ appetentis, aut aliter perturbati præferens animi oſtentationem, dęmon eſt.

Quintò ſi appareat forma non humana formoſa, & benè formata; ſed tetra, deformi, aut vili, vel Canis, Serpentis, Suis, Draconis, Aranei, Bufonis, vel ſimilium, vel nigri Æthyopis, malus eſt genius: ſi verò forma humana bona, Angeli, vel Beati, vel Chriſti; tunc conſideranda operatio: ſi ex genere ſuo eſt improba, vt blaſphemiæ, ſuperſtitionis, mendacij, homicidij, luxurię, &c. vel doloſa ex modo operationis, vt ſi primo congreſſu lætitiam afferat animo, & tranquillitatem, poſtea horrorem, turbationem, vel deſolationem, vel etiam magno cum fætore, ſtrepitu, vel clade abeat, dæmon eſt. Sic D. Antonius hanc ſuis cautionem tradidit his fermè verbis: *Non eſt difficilis bonorum, malorumque ſpirituum diſcretio, ſi enim poſt timorem ſucceſſerit gaudium, à Domino ſciamus veniſſe auxilium: ſi autem incuſſa formido permanſerit, hoſtis eſt, qui videtur.*

Non eſt credēdū dœmoni dicenti per os obſeſſi, ſe eſſe animam defuncti.

Sextò ſi dicat, ſe animam eſſe alicuius damnati, mentitur, & dæmon eſt vt plurimum; vix enim vmquam damnatorum animæ ſinuntur egredi.

Ex hoc ſequitur, ſemper mentiri dęmonem, quando in dæmoniaco loquitur dicens, ſe talis, vel talis defuncti damnati, vel non damnati animam eſſe: quia anima defuncti numquam alterius hominis corpus ingreditur: vt docent Sanchez *t.* 1. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 24. Delrius *in Anacephal. monit.* 1. *& lib.* 2. *q.* 26. latiſſimè Toſtatus *cap.* 8. *in Matthæum q.* 124. *ad* 1. Ideò non eſt faciendum, quod præſcribunt. Nam ex his occaſionem quærunt vel homines in errorem aliquem inducendi quoad animam, vel eos in corpore poſſidendi.

QVÆSTIO IV.

Quomodo dœmones humana corpora ingrediantur?

543 *Dæmon in corpus peccato rum maximorū ingreditur aliquando nedū permiſſus, ſed à Deo iuſſus.*

SVppoſita diuina permiſſione, ſine qua nec minimum quidem nocumentum dæmon hominibus inferre poteſt, dico illum ingredi corpora humana. Aliquando ob diuinam iuſſionem, nempè quia ſic iubetur à Deo, vt talem puniat hominem in corpore propter aliquod grauiſſimum peccatum: Et tunc dæmon non per magorum, aut maleficorum, vel ſtrigarum, aut aliorum hominum peſſimorum; ſed per ſeipſum tantùm malum inducit. Ratio eſt, quam affert Suarez *lib.* 8. *de Angelis c.* 20. *numer.* 7. quia quoties dæmon, vt pænam vel malum aliquod vni inferat, alium ad peccandum inducit: vel quando pæna ipſa intrinſecè includit ſimilem inductionem (vt contingit, quando inſtigatio, ſeù tentatio ad vnum peccatum eſt pæna prioris peccati) nunc pæna illa non prouenit iubente Deo; ſed permittente: quia intrinſecè inuoluit tentationem, & ſuggeſtionem mali culpæ, cuius Deus auctor eſſe non poteſt. Quod confirmat D. Anſelmus *lib.* 1. *Cur Deus homo cap.* 7. dicens: *hoc miniſterium malum inferendi* (intellige, quando aliquo modo includit culpam) *à dœmone numquam fieri Deo iubente, ſed tantum permittente*. At quando dæmon immediatè per ſeipſum, vel per creaturam irrationalem malum purè penale infert homini, tunc nihil vetat, quin dæmon, non ſolùm permittente, ſed etiam iubente Deo id faciat: Quia de ſe non inuoluit malum culpæ, nec eius cauſalitatem; ſed ſolius tantùm pænę. Dico autem *de ſe:* quia non obſtabit, quòd dæmon ſemper peccaturus ſit, illud mandatum Dei exequendo: vel ſemper id faciens ex odio contra hominem: vel dolens, quòd illa vindicta, & actio ſua in gloriam Dei cedat: vel quòd Deo obedire cogatur. Hoc, inquam, non obſtat, quia hæc malitia non eſt per ſe coniuncta tali actioni, ſed per accidens adiungitur ex prauitate operantis, quam Deus impedire, aut vitare non tenetur; & ideò licèt Deus iubeat dæmoni actionem, & executionem iuſtitiæ erga peccatorem; nihilominus malitiam, quam dæmon admiſcet, Deus ſolùm permittit.

Hoc modo B. Paulus Corinthium incæſtuoſum Sathanę tradidit, 1. Corint. 5. nec non Alexandrum, & Himenæum blaſphemos dæmoni torquendos permiſit 1. Tim. 1. ſic multorum peccatorum exempla affert Delrius *lib.* 3. *Diſquiſ. Magic. par.* 1. *q.* 7. *ſect.* 2. qui per dæmonum poſſeſſionem, ac diram vexationem, & per mortem ipſam pænas ſuas ſceleribus debitas ſoluerunt.

§. I.

ALiquando ingreditur per timorem, vt dicunt aliqui, quando, ſcilicet aliqua creatura varias habet dęmonum viſiones imaginarias, vel corporales, aliaſquè patitur à dęmone moleſtias exteriores, de quibus ſupra *à num.* 535. *& ſequent.* vel inuenitur in aliquo periculo, vel loco obſcuro: vel minæ illi graues intentantur; tunc enim dœmon ſuggerit illius imaginationi, quòd in tali loco ſint dęmones, ſpiritus, vmbræ, animæ mortuorum, aliquis abſconditus, ſerpentes, bufones, feræ, & id generis monſtruoſa animalia, vt timeat, ac ſic timore animo conſternato in fide tepeſcat, ac dœmoni intrandi in corpus ianuam aperiat. 544

Quandoque dæmon corpora ingreditur per timorem.

Hic modus explicatur.

Sed nè error nos capiat, eſt adnotandum, quòd dæmon ex timore poteſtatem non accipit intrandi in corpus hominis timore correpti. Nam ait Toſtatus *in cap.* 8. *Matth. quæſt.* 122. *quòd Deus permittit homines torqueri à dœmonibus, vt timeant ipſos dœmones, & caueant eorum futurum conſortium.* Non ergo timere dœmonem eſt cauſa, quod ille corpus timentis ingrediatur. Si enim, cùm huiuſmodi timor aduenit, homo ex tali timore motus ſtatim ſigno crucis ſe muniat, ad Deū confugiat, ſanctiſſimum nomen Ieſu deuotiſſimè inuocet, ac in eo totam ſuam collocet fiduciam, illicò dœmon aufugit, timor abſcedit, nec malum vllum incurrit, Deo ipſum protegente, ac cuſtodiente. Quod benè admonet Diuus Bernardus ſuper illa verba Pſal. 90. *Non timebis à timore nocturno. Quia timor ipſe*, ait, *tentatio eſt, congruè dictum eſt ei, qui circundatur ſcuto Domini, quod à tentatione hac non timebit. Caminus eſt timor iſte; ſed vt examinet, non exurat, Veritas facit.*

Ratione diffidentia.

At cum homo timore conſternatus Dei protegentis obliuiſcitur, de eius diffidit bonitate, ac protectione, nec credit Deum velle in ſe confidentes tueri, atque defendere, murmuratque de Dei prouidentia, bonitate, ac liberalitate; hic dum Deum deferit, meretur aliquo modo deſeri à Deo: ſic aliquando contingit, quòd dæmoni à Deo licentia concedatur, corpus illius poſſidendi, ac diris cruciatibus vexandi, quod benè docet Drexelius *de Conformatione voluntatis lib.* 4. *cap.* 5. §. 5. ſuper illa verba Prouer. c. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. Porrò*, ait, *qui hac fiducia ſunt vacui, humana tantùm circumſpiciūt, omniaq. humanis viribus metiun-*

metiuntur. Et ferè contingit, vt hos in manu conſilij ſui deſtituat Deus. & *cap.* 10. §.7. ait: *Sed quæras fortè, cur Deus permittat tot homines maleficis artibus deuinciri, & necari? Nè mirare: Summa in Deum diffidentia etiam ſupplicij genus meretur.* Quod idem prorſus fatendum etiam in his, qui ſine maleficorum cooperatione à dæmone poſſidentur. Nam, vt ſubdit idem Doctor, *Plerunque qualis eſt hominis in Deum confidentia, talis eſt Dei in hominem liberalitas.* Vndè qui valdè timent diabolum, ac timore conſternati ad Deum non confugiunt, oſtendũt ſe de diuina diffidere bonitate, ac protectione. Cuius rei monitum ſaluberrimum dedit Angelus Cuſtos ſub forma paſtoris Sancti Hermæ diſcipulo Pauli Apoſtoli ei apparens, ſecumque viſibiliter, ac domeſticè vſque ad finem vitæ eius conuerſans, vt habetur *tom.* 1. *Bibliothecæ Veterum PP. lib.* 2. *mandato* 12. *Quicumque* ait, *fide pleni non ſunt, timent diabolum, quaſi poteſtatem habentem. Quicumque pleni ſunt fide, reſiſtunt illi fortiter, & ille recedit ab eis: quia non habet locum intrandi. Tunc vadit ad illos, qui non ſunt in fide pleni, & quoniam habet locum, indè intrat in illos, & quæcumque vult, facit illis, & fiunt famuli eius.* & mandato 7. *Diabolum,* ait, *nè timeas: timens enim Dominum dominaberis illius: quia virtus in eo nulla eſt; In quo autem non eſt virtus, is timendus non eſt. In quo verò eſt virtus glorioſa, is etiam timendus,* & loco ſupra citato. *Diabolus timorem facit; ſed timor illius vanus eſt: Nolite ergo timere eum, & fugiet à vobis.* Et Lactantius Firm. *lib.* 2. *Diuin. Inſt. c.* 16. *Nocent,* ait, *dæmones quidem, ſed ijs, à quibus timentur, quos manus Dei potens, & excelſa non protegit.*

§. II.

545 *Quandoquè dæmon in corpus alicuius ingreditur, ſumpta occaſione ex eius ira, vel indignatione vel alio defectu.*

Aliquando dæmon occaſionem ſumit intrandi in corpus alicuius hominis, illudque poſſidendi, dum talis homo, vel mulier grauiter iraſcitur, & indignatur. Non quòd indignatio, ira, aut furor ſint cauſa ingreſſus dæmonum; nam ſequeretur, quòd quotieſcumque aliquis iraſcitur, vel indignatur, aut furit à dœmone poſſideretur, quod eſt falſum; ſed quia nouit verſipellis, qui teſte Auguſtino *lib.* 18. *de Ciuitate Dei cap.* 12. *ex ſe nocendi cupidiſſimus eſt,* quòd dum homo per aliquam actionem, quæ Deo diſplicet, Deum offendit, tunc Deus etiam aliquo modo ipſum deſerit, ſic faciliùs dœmoni intrandi in corpus eius, illudque poſſidendi permittitur poteſtas; ideò tali occaſione iræ, indignationis, furoris, libidinis, ebrietatis, crapulæ, vel alterius ſibi oblata, intrandi occaſionem quærit. Hanc veritatem eruditè docet Ieremias Drexellius *loco citato cap.* 10. §. 7. loquens de peccato Saulis ſuper illa verba 1. Regum cap. 28. *Coarctor nimis, ſiquidem Philiſthijm pugnant aduerſum me, & Deus receſſit à me;* ſic ait: *Non receſſiſſet à te, ò rex, niſi tu prius ab illo. Hoc & tu mi Chriſtiane cogites: neminem deſerit Deus, niſi deſertus.*

Ob huiuſmodi rationem quidam dœmon per os cuiuſdam Energumeni faſſus eſt mihi ſe illum hominem obſediſſe (quicquid ſit de veritate verbi dæmonis, Deus ſcit) factum ſanè memorabile referam.

Exemplũ memorabile relatum ab Auctore.

Anno Domini 1648. *die* 4. *Septembris Venetijs in Conuentu Sancti Bonauenturæ coram me fuit adductus Bartholomæus de Boniouannis à Caſtro Franco Oppido Diœceſis Taruiſinæ annos natus* 32. *vir ſimplex, & idiota, in cuius corpus ingreſſus erat dæmon dictus Beelzebub, illemet, qui à Sathana, ſeù Lucifero dæmoniorum principe (vt ipſe dixit) illi ab ortu natiuitatis eius ad tentandum illum, & ad malum inducendum deſtinatus fuerat. Quem, vt ſeduceret, & ad peccatum traheret, cum varias adhibuiſſet artes; nec tamen ad graue aliquod, ſed ad leuia duntaxat peccata inducere potuiſſet: eò quòd vir bonus eſſet rectus, ac timens Deum, ac Sanctiſſima ſæpiùs frequentans Sacramenta, tandem eum zelotipia erga vxorem torquere decreuit. Idcircò vna dierum ſolemnium Pentecoſtes dæmon occaſione accepta, quòd præfatus homo ex vino, quod biberat, ſemiebrius erat; domum ingredienti præſtigiator apparuit ſub ſpecie iuuenis incogniti, propè vxorem ipſius ad lectum ſedentem in cubiculo manentis, qui eam amplexari videbatur. Tunc prædictus homo hoc viſo ira percitus, ac indignatione repletus illicò diſtricto enſe, vt vxorenm occideret, aduerſum illam ictum iecit: ſed iuuenis ille virum amplexus impediuit, nè occideret: ex quo ictu in manu tantùm graue vulnus vxor accepit, & ſtatim iuuenis ille diſparuit. Tunc præfatus homo putans iuuenem illum per ſcalam aufugiſſe deorſum, illum eſt inſecutus gladio diſtricto, vt de medio tolleret: ſed cum ad imum ſcalæ perueniſſet, illic fratrem vxoris ſuæ inuenit, cum quo plures habere cæpit de ſorore eius quærimonias, quòd ſibi coniugij fidelitatem non ſeruaſſet. Qua de re homo ille admiratione repletus rogauit, vt omnia diſtinctè enarraret: quibus auditis, cum nec ille, nec vllus alius illum vidiſſet iuuenem, quem cum vxore ſua concubuiſſe aſſerebat, aufugientem, vxorque iniuſto vulnere ſauciata lacrymas, gemituſq; effundens Deum pro ſua innocentia conteſtaretur; parentes, & amici eius ebrietati hoc attribuendum rati ſunt. At præfatus Bartholomæus his acquieſcere nequiuit; ſed acriter erga vxorem cæpit zelotipia comedi, grauiterque in ſtomacho, ventre, cruribus affligi, ac torqueri: & veluti ventum, ſeù formicarum multitudinem ſentire in corpore diſcurrentem: nexus omnes, ac nodos corporis ligatos habere, ita quòd vix poſſet aliquid pro ſui ipſius, vxoris, & filiorum alimentis acquirendis operari. Tandem die* 30. *Auguſti totius mali inuentor ſe patefecit, dum forma ingentis muſcæ aſſumpta in os eius intrauit; ex quo delirio repentino, ac phreneſi vehementi laborare, ac furijs ita agitari cæpit, vt ab alto loco, niſi à parentibus impeditus fuiſſet, præcipitem ſe dare vellet. Cum ergo in conſpectu meo eſſet in Capella Saluatori noſtro Ieſu Chriſto dicata, quæ eſt in viridario præfati Conuentus, præſentibus fratre eius maiore natu, & altero homine eius conterraneo, ſtatim per os prædicti obſeſſi dæmon voce tremula dicere cæpit vulgari idiomate:* Egrediar, egrediar illicò, ſi ſic præcipis, ex corpore iſtius: quia non poſſum amplius manere in eo. *Quã promptitudinem egrediẽdi antiqui aduerſarij ego conſpiciens, præcepi illi in nomine Ieſu, nè egrederetur, donec ego ſic illi præcepiſſem. Statimque prohibui, nè loqueretur, nec hominem illum vlla afficeret moleſtia, nec ſenſus eius ſiuè interiores, ſiuè exteriores impediret, quin omnia, quæ ſibi eueniſſet, mihi clarè, ac diſtinctè enarrare poſſet. Qui ſenſibus, ac potentijs omnibus benè valens, ac plenè mentis compos omnia, vt ſupra*

clarè, ac diſtinctè mihi explicauit. Quibus auditis, dæmoni præcepi in nomine Ieſu, vt omnia ſua facinora patefaceret, & lingua obſeſſi vteretur, ſed auditum, cæteraſque potentias ſenſitiuas nedum exteriores, ſed etiam interiores non impediret, vt ipſemet obſeſſus, ac cæteri aſtantes clarè, ac diſtinctè omnia audire poſſent, vxoriſque ipſius agnoſcere innocentiam. Sic dæmon omnia ſupradicta enarrauit, dixitque mulierem illam eſſe puram, & innocentem; ac virum illum bonum, ac iuſtum: & addidit: Cum virunculum hunc varijs modis impetere contenderem, nec ei præualere poſſem, ab alijs dæmonibus vt ignauus irridebar, ac ſubſannabar, ſed præcipuè à principe noſtro Lucifero arguebar, & vt iners, & ſignis acriter reprehendebar. Quare illum vt ſaltem zelotipia affligerem, & inter ipſum, & vxorem rixas diſſeminarem, odiaque fouerem, iuuenis illius ſpeciem aſſumpſi; ſed cum vir vellet vxorem ſuam occidere, prohibui, nè faceret: quia ſic eum impedire mihi præcepit Deus: nec, vt tot mala inferrem, mihi permittere voluit. Tunc autem quando ex oculis eius euanui, corpus ipſius ſum ingreſſus, & in eo quas pertulit omnes hoc quadrimeſtre, præſtiti afflictiones; ſed cum ampliùs clam manere non potuiſſem, ingentis muſcæ forma aſſumpta, eius guttur violenter penetraui, eum agitando, mortemque illi inferre tentando. quòd vtique niſi Deus prohibuiſſet, opere compleuiſſem. *Dixit inſuper ſe eſſe vnum ex vltimo Angelorum ordine Beelzebub nuncupatum; non quia eſſet dœmoniorum princeps; ſed ratione officij, quo fungebatur: quia à Lucifero datus illi erat ad ſeducendum, & ad peccata illum inducendum:* Beelzebub enim interpretatur vir muſcarum, ideſt animarum peccantium, quæ reliquerunt verum Sponſum Chriſtum. *At tandem cum illi præcepiſſem, vt diceret an ingreſſus eſſet miſſus ab aliqua Saga opere maleficij? Reſpondit,* non. Cur ego, *dixi,* ingreſſus es, & veniſti ad torquendum hunc ſimplicem, & pauperculum? *Reſpondit:* quia ſic mihi placuit. *Sed ego adhuc.* Vndè hæc tua complacentia? *Et ille.* Ex mea voluntate. *Et denique coactus fuit dicere: quòd ex malitia ſua, & improba voluntate ad malefaciendum ingreſſus erat. Qui audito præcepto à me ſibi facto in nomine Ieſu, vt ex corpore illius egrederetur, ſtatim ſine vlla mora egreſſus eſt, & ille bonus vir totus hilaris à dæmonis tyrannide ereptus, & zelotipia erga vxorem depoſita, vnà cum alijs ſuis conterraneis ad propriam domum reuerſus eſt.*

Ex quo videas, quomodo aliquando dœmon nullo Magorum, aut Maleficorum opere interueniente, ex aliquo peccato, vel vitio etiam leui occaſione accepta, corpus hominum ingredi, ac vexare conatur, prout ſibi à Deo permittitur.

§. III.

546 Aliquando dæmon ingreditur per maleficia; & hic modus cæteris eſt frequentior; facto enim maleficio contra aliquam determinatam perſonam, dœmon ex pacto cum Malefico inito, niſi à cauſa ſuperiori impediatur, ingreditur corpus illius, ac illud poſſidet; vel in aliqua tantùm parte, puta in ſtomacho, vel in corde, vel in capite, vel in ſanguine, vel in venis, vt mox dicetur; & tunc dicitur maleficiata. Vel in toto corpore habet poteſtatem, in illiuſque potentijs ſenſitiuis internis, & externis varias habet operationes; & tunc dicitur energumenus, ſeù arreptitius; vt docet Archidiaconus *in Gloſſa cap. Exorciſta diſt. 23.*

Sepius dœmon ingreditur per maleficia.

Quando quis dicatur maleficiatus, vel energumenus.

Verùm quia maleficia ex ſe nullam vim augent dœmonibus, vt quæ priùs non poterant in aliqua creatura, poſtea valeant efficere; niſi velimus dicere cum Victoria, *Relectione de Arte Magica,* dæmones non adeò impediri nocere per Magos, Maleficos, & Sagas, ceteroſque homines iniquos, ſicut per ſeipſos. Et ratio fortaſſe eſt: quia ſicut homo ex diuina permiſſione, qua committitur ſuæ libertati, poteſt per ſeipſum malefacere, puta vnus alterum occidere, veneno afficere, & id generis mala inferre; ita etiam poteſt per inuocationem dœmonis ex pacto cum ipſo inito maleficia inferre, mediante eius ope, ſi Deus permittat. Veruntamen cum hæc maior libertas dœmoni non adueniat ex opere maleficij, ſed à Deo, dicendum eſt, ſi Deus permittit dœmonibus per maleficia alicui maiora damna inferre, hoc eſt vel ratione ipſius minimæ, vel nullæ in Deum confidentiæ, vt dictum eſt ſupra *n. 531. & ſequentibus:* vel ob aliquam aliarum cauſarum, de quibus infra, vbi *de ratione diuina permiſſionis num. 583. & ſequentibus.*

Quomodo dæmon poteſtatē ſumat in trādi per maleficia.

§. IV.

Aliquando dæmon ingredi dicitur per imaginationem. Quod poteſt dupliciter intelligi: Aut mediante imaginatione: Aut ſecundùm imaginationem. Primo modo, cùm quis imaginatur ſe à dæmone eſſe obſeſſum, licèt non ſit; nec credit ſe protegi à Deo, vel protectum fuiſſe contra dæmonem, ac ſpreto diuino auxilio ad Magos confugit, vt liberetur, murmurans de Dei prouidentia, ac detrahens eius bonitati: hic cum Deum deſerat, meretur aliquo modo deſeri à Deo; Sic aliquando contingit, vt qui tantùm imaginariè erat obſeſſus, mereatur verè, ac realiter à dæmone poſſideri. Secundo modo dicuntur obſeſſi à dæmone, qui imaginantur, ſe eſſe obſeſſos, nec tamen ſunt obſeſſi; ſed aliqua naturali laborant ægritudine. Hoc præcipuè contingere ſolet in mulieribus menſtruorum patiētibus defectum; Humores enim illi, ſeù vapores venenoſi ad ſtomachum aſcendunt, cibum conturbant, inficiunt, atque corrumpunt, in eoque plures cruditates generant, & ſic cibi noui attrahendi tollunt appetitum. Deindè ſe eleuant ad cerebrum, ac in phantaſia phantaſmata confundunt; vndè ex tali confuſione phreneſi laborare videntur; ex quo ab aliquibus energumenæ creduntur. Tandem à capite deſcendunt, ac per corpus diſcurrunt, creduntque ſæpiùs, illos eſſe ſpiritus. Vndè tales mulieres actus admodum vexatorum ſimiles quandoq. faciunt. Quare prudens Exorciſta non ſit præceps ad iudicandum de vexatione in mulieribus; ſed prudenter obſeruet motus, & verba: quæ ſi appareant ſine ratione dicta, & extra propoſitum, & in dicendo, & agendo patiens non perſeueret in eodem, ſemper declinans à propoſito, & multa dicens; nec ad aliquod præceptum inſtructiuum, vel lenitiuum dat reſponſum, nec vllum ſignum præbeat euidens præſentiæ diabolicæ, ſunt effectus humorum matricalium. 547

Quādoq; dæmon ingreditur Vel mediāte imaginatione.

Vel ſecūdùm imaginationem.

Eadem ratione humores melancholici dant cauſam apparentis vexationis; ſed hi cognoſcuntur

tum per medicamenta, quæ comprimunt illos; ſicut etiam humores matricales: tum per patientis complexionem, ac Medici iudicium, qui vnà cum Exorciſta poterit ſoluere difficultatem, ac ſalutaria ægroto adhibere pharmaca, ille corporalia, iſte ſpiritualia.

548 *Cur dæmon ingrediatur aliquando in corpora infantium.*

In puerulos verò, & infantes, qui adhuc vſus rationis ſunt expertes, ac ſub cura parentum vitam degunt, dæmon ingreditur vt plurimùm ob eorum parentum, vel curam habentium negligentiam in eos commendando diuinę protectioni, ſignando ſigno crucis, rebus ſacris mnniendo, angelicæ cuſtodiæ conſignando, & confidendo in Deum, quòd ob ſuam infinitam bonitatem, ac liberalitatem ab omni maleficio, ac dæmoniaca infeſtatione, & à cunctis periculis illos ſit ſeruaturus. Quod rectè docet Auguſtinus *ſerm.2. Dom.23. poſt Trinitatem. Mox*, ait, *vt homo ſæculo naſcitur, & vitam plenam miſeria velut propheta futuri laboris ſui præconio lacrymoſæ vocis ingreditur, etiamſi nondum in animo ſuo, in animo tamen parentum ſuorum, vel quorumlibet hominum, in quorum manibus nutrienda eius infirmitas iacet, tentari iam poteſt, & diaboli circumuentionibus rapi, aut per ligaturas execrabilium remediorum: aut per ſacrilega ſacra gentium: aut ſi fortè mors vrget negligentia renuntiationis in Baptiſmo ſalutari: & vt breui complectar, tentatur illa ætas, cum à ſuis in mundo diligitur, & in Chriſto negligitur.*

QVÆSTIO V.

Quomodo dęmones exiſtant in corpore humano?

549 *Dæmones aliquando plures, aliquando vnus exiſtunt in corpore humano. Quomodo inſint corpori humano.*

EXiſtentia talis eſt, vt aliquando vnus, aliquando plures ſint in vno corpore. Nam in nocendo homini gaudent ſocietate. Vndè aliquando integra legio, quæ 6666. ideſt, ſex millibus, ſexcentis, ac ſexaginta ſex dæmonibus conſtans in vno corpore reperitur; vt probatur ex dæmoniaco Lucæ 8. & dicto Chriſti aſſerentis Lucæ 11. immundum ſpiritum ſuis ſedibus expulſum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, per quos multitudo dæmonum intelligitur, aſſumere, atque in domum reuerti, ex qua exierat. Hi autem ſpiritus non inſunt vt accidentia ſuis ſubiectis: nam ſunt ſubſtantię perfectæ. Nec vt partes ſuis totis, & compoſitis, quia partes corporis, aut animæ non ſunt; vt benè docet etiam Toſtatus *in cap.8. Matthæi q.113. ad 1.* Non enim ex dæmone, & corpore fit vnum per ſe, ſicut ex materia, & forma. Nec vtriuſque, ne alterius ſupplere poſsũt vices, ſi idem homo viuus perſeueret. Neque totum quoddam, & abſolutum in aliquo ſuppoſito referre queunt concurrentibus duabus perfectis naturis in vnam hypoſtaſim: hoc enim ſoli Chriſto Domino conuenit; ſed inſunt vt motores rebus motis: nam corpora mouent; ſed ita vt nullum iſtis dent nouum eſſe; nec propriè vnum quid cum obſeſſis conſtituunt. Et licèt in corpore ſimul ſint cum Anima; non tamen eodem modo exiſtunt in illo: Nam anima eſt per modum informantis: Dæmon verò per modum aſſiſtentis, vel poſſidentis, ſicut motor in mobili. Anima ſimul cum corpore, in corpore, & in eſſentia corporis, vt eſſentia eſt: Dæmon ſimul cum corpore, & in corpore: ſed non in eſſentia corporis, vt eſſentia, eſt, vt teſtatur Abulenſis *loco cit. ad 2.*

Joſeph Angl. in 2.d.8.q. 1.diff.3. & 4.

Sic dæmones exiſtentes in corpore aliquandò totum corpus hominis occupant: Aliquando membrum aliquod, caput, brachia, tibia, pectus, & huiuſmodi partes ſingulares, in quibus ſuas ſedes ponunt: Aliquando in ſumma, & imperceptibili hominis particula; in qua latent; cum ſint ſpiritus corporis expertes; nec tamen ita inſunt in illis, vt ſemper in eadem parte permaneant; cum ſępè mutent ſtationes, & nunc plures poſſideant, nunc pauciores, vt ſuo damno probant in dies maleficiati, & à dæmone poſſeſſi: Aliquando ad tempus deſerunt, ſed poſtea redeunt: Ita docet Petrus Thyreus, & Sanchez. Et licèt ſint in corpore, & poſſint eſſe in quacumque parte corporis: non tamen poſſunt eſſe intra animam, nec ei illabi, quod ſolius eſt Factoris, vt docet Auguſt. *lib. de Eccleſiaſt. dogmatib. cap. 81. tom.3. Dęmones*, inquit, *per energicam operationem non credimus ſubſtantialiter illabi animę; ſed applicatione, & oppreſſione vniri: Illabi autem menti illi ſoli poſſibile eſt, qui eam creauit, qui natura ſubſiſtens incorporeus, capax eſt ſuę facturæ.* Idem pluribus probat Toſtatus *loco cit. ad 3.*

In qua parte corporis reſideant. Lib. de dam.c.8. Lib.2. in prac.Decal.c 42. n.7.

Non poſſunt illabi animæ

QVÆSTIO VI.

Quid dęmones operentur in corpore, quod poſſident?

OMiſſis, quæ dæmones in ſenſibus tum externis, tum internis extra corpus manentes operantur, de quibus ſupra breuiter *num.535. & ſequent.* Dico eos intus manentes operari: Primò ſenſibus internis illudendo, maximè imaginatiuæ, ac phantaſię, quam etſi nouæ ſpeciei impreſſione immutare non poſſint, & per conſequens efficere, vt qui numquam vidit colores externos, elegantiam tabellæ pictæ diſcernat: aut qui non audiuit, iudicet de muſicæ ſono; poſſunt tamen potentias illas decipere, & turbare, vel corpus formando phantaſticum, quod oculis obijciant; Vel ſpecies eorum, quæ homo vidit aliquando, confundendo, & ex illa cognitione formãdo nouas ſpecies eorum, quæ numquam vidit; Vel ſpiritus animales, qui interiorum ſenſuum functionibas peragendis inſeruiunt, mouendo; Vel in corpore concitando motiones, & affectiones varias; atque ita ex illis formationibus, concitationibus, commixtionibus, & agitationibus ſpecierum, aſſumptis etiam vaporibus inſtituto accommodatis, efficere, vt homo videat, aut ſe videre credat ea, quæ non ſunt nec viſa, nec audita vmquam fuere: quod facit oſtendendo præſens, quod non eſt; aut aliter quàm eſt; aut abſcondendo, quod præſens eſt, vt docet Auguſt. *lib. de cura pro mortuis agen. cap.12.* D.Bonau. *in 2.diſt.8.part.2.art.1.q.3.* & Toſtat. *in cap.8.Matth.q.116.* 550

Dæmones in corpore exiſtẽtes ſenſibus internis illudũt.

Infra n. 884.

Ex quibus operationibus horrendæ procedunt infirmitates: cum omnes extraordinarij effectus, qui in energumenorum corpore conſtituuntur, & à dęmonibus cauſantur, huic perturbatæ potentiæ ab incredulis, qui poſſeſſiones reales negant, aſſignentur. Tam enim potens eſt in homine agitando, vt eius effectus omnem naturæ virtutem prætergredi videantur. Inter plura exempla, quibus hæc veritas comprobari poſſet, vnicum referam cuiuſdam Paſqualini de Tondellis à Ceneta annos nati 40.

Ex illuſionibus procedũt infirmitates, & effectus extraordinarij.

Hic Anno 1649. Calendis Decembris Taruiſij ad me acceſſit, dicens, ſe multa extraordinaria contra ſuam voluntatem ſolitum eſſe operari, ac

Exẽplũ ab Auct. relato.

multa

multa videre inſolita; præcipuè, quòd ſæpiùs obſcura nox ſibi videbatur clara dies, idcircò media nocte è domo egreſſus per Ciuitatem hùc illùc diſcurrebat. Cum eſſet colonus, dum frumentum ſeminabat in agro, ſibi videbatur, manum plenam habere ſerpentibus, eoſque quaquauerſum proÿcere, ac diſpergere. Dum Eccleſiam Cathedralem ingredi volebat, illa ſibi videbatur à ſummitate vſque ad ſolum totam plenam eſſe puluere, ac plumis ita denſis, vt ipſius oculos replerent, quòd in Eccleſiam ingredi non poſſet: At quia in mente ſua cognoſcebat, hanc eſse deceptionem, vim ſibi ipſi faciebat, ac ſe ſigno crucis ſignans ipſo facto præſtigium euaneſcebat, & ipſe templum introibat. Cum tranſiret ante quandam crucem grãdem, quæ eſt ante ianuam Eccleſiæ S. Franciſci, illa crux ſibi videbatur eſſe ſuus currus, ex quo cum decidere clauus videretur, ipſe accepto malleo, vel lapide fortiter crucem percutiebat, putans clauum in ſuo curru infigere. Plura alia ſæpiùs videbat, puta vnam rem pro alia; ita vt hìc, nunc illìc ſe abſconderet; nunc fugeret ab hominum conſortio; nunc alia huiuſmodi perageret, pro quibus ab omnibus vt ſtultus putabatur. Quæ prædicta, ſicut & alia mihi enarrauit etiam ipſius vxor, dicens, hæc illi ſexdecim annis continuis eueniſse. Quibus à me auditis experiri volui, an præſtigia huiuſmodi fierent à dæmone extrinſecùs manente, vel intrinſecùs eum poſſidente. Sic dæmoni iuſſi in nomine Ieſu, quòd ſi in corpore illius exiſteret, ſe manifeſtaret. Et ecce ſtatim præſtigiator antiquus ſeipſum propalauit, hominem torquendo, ac conſternatum agitando; ſed ſtatim dæmoni iuſſi, vt ceſſaret à vexatione, nec illi vllum afferret nocumentum. Poſtea inſtruxi hominem in fide, ac confidentia in Deum collocanda, ac poteſtate à Deo, & ab Eccleſia ad dæmones expellendos mihi tradita, eumquè admonui, vt interim per orationem ſe diſponeret, ac poſt aliquot horas rediret. Sic tempore debito regeſſus præſentibus RR. quibuſdam PP. quibus Paſqualinus præfatus omnia ſupra dicta enarrauerat, iterum obſeſſo inſtructo, & excitato ad actus confidentiæ in Deum, ac deteſtationis in dæmonem eliciendos, cæpi dæmonem acriter obiurgare, qui per obſeſſum pugnis me impetere minabatur; numquam tamen me offendere potuit; ſed poſt aliquas breues vexationes, in terram colliſiones, ac volutationes, quibus exagitauit obſeſſum, ab illo per præceptum à me factum in nomine Ieſu exire coactus eſt. Sic homo ille totus hilaris Deo gratias agens pro ſua liberatione, ad ſuam patriam remeauit.

§. I.

551 SEcundò humores mouet, ac perturbat; Excitat enim atram bilem, quam adauget admotis cauſis opportunis, vel detento ipſo humore, nè expurgetur; fuligines in cerebrum, & internos ſenſuum meatus propellit; noxia excrementa coaceruat ad iuncturas; ſpirituoſam ex ipſo ſanguine ſubſtantiam expurgat à craſſitiæ materiæ, & ea inficit ſpiritus vitales, atquè diuerſas infert noxas: Vndè Codroncus Medicus timoratus, & doctus *lib. 3. cap. 2. de morbis veneficis: Si aliquem*, ait, *melancholiæ morbo dæmon afficere velit, melancholicum ſuccum auget; vel iam genitum, aut actum commouet in cerebrum, atque in internorum ſenſuum ſedes vapores atros defert. Quid ſi apoplexiam, cathocum, & alios ſimiles affectus excitare ſtatuerit, craſſos ſuccos ad cerebrum defert, quibus venas cerebri, vel eius ventres, vel neruorum origines obſtruit. Si cæcitatem, excrementa ad oculos traducit: vel etiam humorem aqueum chryſtallinum oppoſitum agitat, vel craſſefacit, vt ſpiritus viſiui permeare non poſſint. Simili ratione ſurditatem infert, vel excrementa aceruando: vel retinendo aerem congenitum, quominùs moueatur.* Hæc Codroncus.

Dæmon in corpore excitat humores.

Vel hoc præſtat, virium, & potentiarum debilitatione, diſſolutione, & deſtructione. Nam ſi integræ, & ſuis locis conſtitutæ ſua exequuntur munia, non dubium eſt, quin ad illa præſtanda reddantur ineptæ, ſi debilitentur, diſſoluantur, aut deſtruantur: vt cùm cæcitatem vult inferre, neruos viſorios ita comprimit, quominùs ſpecies viſiua per eos recipiatur. Sic cum ſurditatem, neruum auditorium, quominùs ſuum valeat exequi munus. Comprobatur exemplo illius dæmoniaci, *quem*, ait Lucas cap. 11. *dæmonis operatione mutum fuiſſe*; Apud Matthæum *non ſolùm mutus, ſed & cæcus fuiſſe narratur*: vt docet Beda, ac Remigius. Theophilactus non ſolùm mutum, ſed ſurdum vocat. *Qui autem*, ait, *Domino oblatus fuit, & mutus erat lingua, & ſurdus auditu*.

Vires debilitat, diſſoluit, deſtruit.

§. II.

TErtiò nocet homini organa corrumpendo, quibus ſenſus ſunt alligati. Nam ſic eos, vel hebetat, vel noxiè afficit. Cum enim non poſſit corpus ritè operari, niſi illis mediantibus, tunc à dæmone eis corruptis, non ſolùm deſinunt ſuas exequi functiones; ſed omninò fatigantur, franguntur, langueſcunt, & pereunt. Vel nocet contractione, & diſtractione membrorum, vt maximi excitentur dolores. Nam ſi parturientes tanta patiuntur, quid maleficijs affecti, cum membra contrahantur, & diſtrahantur tàm atrociter, vt in equuleo torqueri videantur? Simili diabolica vexatione affecta erat mulier illa, *quæ*, vt ait Lucas cap. 13. *annis 18. habebat ſpiritum infirmitatis, & erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere, quam* ait Chriſtus, *Sathanam alligaſſe*. 552

Organa corrũpit.

Membra diſtrahit vel contrahit.

Quartò hominibus obſeſſis dæmon nocet impellendo eos in varia pericula, nunc in ignem, vt flammis conſumentur: nunc in aquam, vt ſuffocentur: nunc in præcipitia, vt collidantur, aut aliàs miſerè pereant; cuius impulſionis Marci 9. luculentum habemus exemplum in illo dæmoniaco, qui ad huiuſmodi mala incurrenda â dæmone impellebatur, qui à Chriſto fuit à dæmoniaca tyrannide liberatus.

Impellit in varia pericula.

Tandem ſæpè mortem ipſam variè infert: Nam, vt benè etiam docet Toſtatus *cap. 8. in Matthæum queſt. 120. Dæmones plurimos homines occidunt; nec longa mora opus eſt ad hoc, quia ſubitò poterunt multos occidere;* ſic fuit de dæmone, qui occidit ſeptem viros Saræ, Tobiæ 3. ſic etiam dẹmones occiderunt vna hora in Ægypto omnia primogenita hominũ, & pecorum: Exod. 12. fuerunt autem dæmones, qui hoc fecerunt. Pſal. 77. ſcilicet, *Miſit in eos iram indignationis ſuę, &c. immiſſiones per Angelos malos.* Quando enim permittuntur à Deo occidere, occidunt. Hę ergo, & aliæ ſimiles ſunt operationes dæmonum malignæ, quibus homines intrinſecè vexare conſueſcunt. Vide *tomo 1. pag. 97. & 98. num. 301. & ſeq. vbi latè hęc deſcribuntur*.

Mortẽ ipſã infert

Harum

§. III.

553 HArum autem operationum nonnullæ à dęmone, ſiuè intra corpus, ſiuè extra corpus exiſtente exerceri valent. Poteſt enim extra manens ſic torquere arreptitios (dummodo ſint intra ſpheram actiuitatis ſuæ) eos cogendo ca[d]ere in ignem vel aquam; ſicut illum, de quo Matthæi 17. & Marci 9. Mouere ex impetu ad diſcurrendum hùc illùcque vt dicitur de quodam arreptitio Luc. 8. qui ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deſertum: Inducere, vt ſe torqueant, vt ille, qui ſe concidebat lapidibus Marci 5. Aliaque huiuſmodi opera in eis exercere; ſicut Actuum 19. de arreptitio, qui inualuit contra duos, ita vt nudi, & vulnerati fugerent de manibus eius. Quæ omnia poſſunt fieri à dęmone extra corpus manente per ſolam applicationem virtutis motiuæ ad impellendum; licèt meliùs fiant exiſtente dæmone intra corpus: quia meliùs poteſt ſibi coaptare illud ad mouendum, quàm ſi extra manſerit: vt latè docet Toſtatus *in c.8. Matthęi q.113.* ſicut prędictis Energumenis, actualiter dæmone exiſtente intra corpus, omnia prædicta eueniſſe, credendum eſt.

Prędicta mala poſſunt fieri à dæmonibus extra corpora manẽtibus.

Aliæ verò ſunt operationes, ad quas regulariter dæmon eſt intra corpus, vt per os Energumeni perfectè loqui. Multa enim arreptitij loquuntur, quæ conſtat, eos non dicere, ſed dæmones per illos: cum ſæpè ipſi non ſe intelligant. Ad hoc autem neceſſe eſt, ait Toſtatus *loco citato*, dæmonem eſſe in corpore: quia locutio fit per motum organorum interiorem, quæ à dæmone mouentur prout eſt in corpore.

Quędã operationes fiunt à dæmonibus nõ niſi intra corpora exiſtentibus: vt perfectè loqui.

§. IV.

554 SEd non ſolùm regulariter, quando per homines loquuntur dæmones, ſunt in corpore; ſed etiam ſæpiùs quamuis non loquantur. Nonne *Ieſus*, Lucæ 11. *erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum?* Ad quid enim Chriſtus, cùm aliquem ſanabat arreptitium, de corpore exire dæmoni præcepiſſet, niſi in corpore fuiſſet? Hunc namque modum loquendi: *Exi ab homine ſpiritus immunde*, non ad operationem tantùm; ſed ad perſonam dæmonis in corpore exiſtentis, & operantis dirigi planè conſtat. Quarum locutionum formulæ extant Matthęi 8. Marci 5. Lucæ 8. Vndè non ſolùm verum eſt de ſpiritibus loquentibus, vt dicitur Marci 1. & Lucæ 4. ſcilicet, *Exibant dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Tu es filius Dei*, & Actuum 16. dicit Paulus ſpiritui: *Præcipio tibi in nomine Ieſu exire ab ea*, & dicitur, quòd *exijt eadem hora*. Sed etiam de ſpiritibus non loquentibus: ſic patet Marci 9. de illo dęmone, qui allidebat puerum, & cogebat ſpumare, & proijciebat in ignem, & in aquam, & tamen non loquebatur: quia erat ſpiritus mutus, & ſurdus, ſicut Chriſtus dixit illi: *Exi ab eo, & amplius nè introeas in eum*. Poteratnè clariùs Chriſtus explicare, ac demonſtrare, dæmonem eſſe in corpore ſecundum ſuam ſubſtantiam, & exiſtentiã. Si enim tantùm in corpore ſuam habuiſſet operationem, vt dicunt quidam, cum poſſit operari in corpore etiam manendo extra corpus, Chriſtus tantummodo præcepiſſet dæmoni, nè ampliùs noceret homini; nec vſus fuiſſet illo verbo: *Exi ab homine, nec introeas*: quæ verba ex vi propria reſpiciunt dæmonis ſubſtantiam, & exiſtentiam, & non puram operationem: cum dæmon poſſit manere in corpore definitiuè, & nullam ſenſibilem efficere operationem. Sic generaliter quandocumque agitur de ſanatione arreptitiorum, dicitur, quòd eijciuntur dæmonia, vt habetur Matt. 10. *Dedit Diſcipulis ſuis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent illos*; qui neutiquam eijci dicerentur, niſi priùs intra corpus exiſtentiam haberent. Quam veritatem docet Toſtatus *q.113. in cap.8. Matthęi*, Scotus *in 2.d.2.q.5. & 6* Ioſeph Angles *ibi q.3.diffic.2.* cum tota Scotiſtarum Schola. Hęc de dæmone. Qui maiora videre cupit, legat Delrium *lib.2. Diſquiſ.Mag. per totum*, Theologos *in 2. vbi de Angelis*, Pelbartum *tom.2. Roſarij. ver. Dœmon.* Malleum Maleficorum, Anan. *de natura dœmonum*, Compendium Malef. Guaccij, ac cæteros ſupra in hoc articulo allegatos.

Dæmones ſæpiſſimè ſunt in corpore etiãſi nõ loquãtur.

Cõſtat ex varijs locis Euãgelij.

ARTICVLVS II.

De Maleficis, vt cauſa Maleficiorum.

CErtiſſimum eſt apud omnes, qui de maleficijs pertractarunt, vt maleficium aliquod perficiatur, præter diuinam permiſſionem de qua infra *art.4.* & diaboli operationem, de qua ſupra, requiri liberam hominis ex malitia in illud conſentientis voluntatem, ſine qua opus malum etiam à Deo permiſſum, & à dęmone conſummatum maleficium dici non poteſt. Ex quo tentationes, morbi, calamitates, cæteraque mala, quibus dæmon per ſeipſum Sanctos inſequitur, vt S. Iob, S. Antonium, & alios, ſicut & tormenta, ac punitiones, quibus aliquando in hac vita aliqui peccatores iniqui torquentur, vt Saul, & nonnulli tyranni, non maleficia, ſed opera diabolica vocitantur; & Sancti, & homines illi iniqui ijs affecti haud maleficiati, ſed vexati dicuntur: nam licèt omnes maleficiati ſint vexati à dęmone; non tamen omnes vexati à dęmone ſunt maleficiati. Quare ad perfectionem operis malefici non ſufficit, dęmonem id malum efficere; ſed neceſſe eſt, hominem maleficum libero arbitrio, & malitioſo conſenſu, & voluntate determinata ad illud concurrere, vt ex operatione diabolica, & humana cooperatione eius conſurgat integritas, vt teſtatur Delrius *Diſquiſ. Magic. lib.3. par.1. q.1.* Binsfeldius *tract. de Confeſs. malefic. prelud. 1. 2. & 3.* & communiter omnes, qui de maleficijs tractant. 555

Ad maleficium requiritur libera hominis in maleficium cõſentiẽtis voluntas.

§. I.

HI autem Malefici à Doctoribus, qui de maleficijs tractant, varijs nominibus inſignuntur, prout ſunt varia eorum ſtudia, in hoc tamen vno omnes conuenientes, quòd maleficijs exercendis, quibus ope dæmonum alijs damnum paratur, operam nauant. 556

Maleficorũ varia nomina.

Magi vocantur ob abſtruſam rerum naturalium, & effectuum mirabilium notitiam, quam præſeferunt. Venefici; quia veneno homines, & animalia inficere, & interficere conſueuerunt. Incantatores: quia verbis, & carminibus opera magica perficiunt. Sortilegi ob ſortilegium, quod vniuerſaliter acceptum omnes diabolicas artes complectitur. Sortiarij ob ſortes immiſſas in creaturas. Sagæ à ſatis agendo, aut ſagiendo: quia in officio ſatis, & nimis agunt, nimiaque ſcire deſiderant.

Stri-

Striges ab aue Poetarum fabuloſa, que nocturno tempore infantes necare, & rapere, eorumque ſanguinem ſugere, & abſorbere dicitur. Lamiæ à beſtia monſtruoſa, quæ fœtus dilaniare creditur. Pharmaceutriæ à Virgilio: quia pharmaca ſiuè noxia, ſiuè proficua ſanis, vel ægrotis propinare ſolent. Et communiori vocabulo Malefici à malefaciendo: eò quòd ſtudio, operatione, & conatu malis inferendis inſudant; nec aliud magis auent, quàm impellente, & operante dæmone maleficijs non ſolùm homines, ſed alias creaturas, quæ ad homines ſpectant, inficere, ac diuexare, vt habetur *26.q.5.can.Nec mirum, & L.Nemo. C.de malef.& mathemat.* & ita eos communiter appellat vulgus.

QVÆSTIO I.

Quibus modis Malefici concinnent ſua maleficia.

RE ſpondetur, Maleficos varijs modis, operante dæmone, ſua maleficia concinnare; quæ omnia ad triplex maleficij genus reuocari poſſunt, nempè ad Somniferum, Amatorium, & Hoſtile.

557 *Per maleficium ſomniferũ quid operetur malefici.*

Somnifero maleficio hominibus damnum inferunt Malefici, dum eos potione aliqua, vel malo carmine, aut certis ritibus ſoporant, vt interea eis venenum infundant; vel infantulos rapiant, aut necent; vel furtim quid ſubtrahant; vel ſtupro, adulterioue aliquam mulierem contaminent. Quod faciunt interdum Malefici, & fieri poteſt naturalibus ſopiferis venenis. De his plurima exempla congerunt Binsfeldius *de Confeſſionibus malefic.par.1. concluſ.5.* Remigius *lib.2. cap.4. dæmonol.* Delrius *l.3. par.1. Diſquiſ. magic. quæſt.2.* & patet exemplo, quod narratur *in vita D. Bernardi lib.2.c.6.*

Nam ibi tot annis adiacentem maritum incubus vxoris fefellit, quod eo dormientem factum oportuit. Simile mihi enarrauit anno Domini 1649. quędam vidua, quę viginti, ampliùs annis à dæmone incubo vexata erat; qui ſingulis noctibus cum ea carnaliter, acſi maritus eius eſſet, commiſcebatur, loquebatur, ac familiariter conuerſabatur; imò, vt ipſa dixit, noctu in cameram quandoque introducebat Magos, ac Maleficos, qui eam comprimebant, & dum maritus adhuc viueret, & cum ea in eodem lecto decumberet, eo dormiente dæmon incubus forma viri aſſumpta illam cuiuslibet generis ſpurcitijs carnalibus fœdabat; quod non itá facilè dæmon aſſecutus fuiſſet niſi priùs illius maritum ſomnifero maleficio ſoporaſſet.

§. I.

558 *Maleficiũ amatorium quid operetur in hominib.*

MAleficio amatorio homines affici dicuntur, dum dæmone ſuis maleficis philtris, & poculis amatorijs operante, ad impurum amorem tàm validè flectuntur, vt non amare, ſed furere videantur. Quod dæmonem perficere poſſe, diuinæ teſtantur ſcripturæ. Oſeæ 4. Hoſtis humani generis vocatur *ſpiritus fornicationis*: quia poteſt incendere hominem ad libidinem, non tamen cogere niſi volentem, vt explicat Caſſianus *Collat.7. cap.32.* Nahum. 3. *Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ, & gratæ, & habentis maleficia.* Quod de maleficijs amatorijs rectè interpretatus eſt Franciſcus Ribera. Ferè ſimilia verba ſunt apud Baruch *in epiſtola Ieremiæ 8. verſ.42.*

Idem Patres aſſeuerant, S. Irenæus *lib.1. cap.9.* S.Gregor. Nazianzenus *or.20. in laudem Cypriani*, S.Gregorius Roman. *lib.1. Dialogorum c.4.* S.Epiphanius *lib.1.tom.2. contra hæreſ. Ebionitar.* Arnobius *lib.1.contra Gentes* & S. Hieronymus *l.3. Comment.in epiſt.ad Epheſ.cap.6.* qui docet, aliquos eſſe dęmones amoribus, & amatorijs canticis ſeruientes.

Theologi vno ore talem admittunt poteſtatem, S.Thom. D.Bonau. Petrus de Palude *in 4. ſent.d.24.* Alphonſus à Caſtro *l.2.de iuſta hæretic. punit. c.15.* Michael Medina *lib.2. de recta fide in Deum cap.7.* & moderni omnes ſequuntur.

Idipſum confirmant leges, quæ ſub grauioribus pænis pocula amatoria vetant *l.Conſtantiniana.Eorum. C. de Maleficis, & Mathem. L.3.§. Adiectio. ff. Ad legem Corneliam. de Sicarijs, & L. Si quis aliquid. §. Abortionis, aut poculum amatorium.ff. de pænis.* Quibus ſtipulantur omnes Iuriſperiti. Idem teſtantur Philoſophi, Medici, ac Poetæ, quos omnes videre licet apud Delrium *Diſquiſit. mag.lib.3. par.1.q.3.* vbi etiam explicat modum, quo huiuſmodi formantur maleficia, & effectus, quos dæmones in hominibus operantur, ad quem remitto Lectorem.

§. II.

HOc vnum non reticendum cenſeo: vz. quòd in ijs operationibus magicis quantumuis efficacibus, numquam voluntas, ſeù liberum arbitrium poteſt cogi. Nam etſi diabolus poſſit mouere corpus, turbare phantaſiam, & medijs ſenſibus internis, & externis in intellectum cogitationes excitare: tamen non ſic mouere voluntatem poteſt, vt in ſuo actu cogatur: quia implicat contradictionem, illam eſſe liberam, & tamen quoad actum ſuum interiorem cogi, vt eruditè docet D. Bonauentura *in 2.diſt.25. par.2. quæſt.5.* & ſuſtinent communiter Theologi. Si quid enim vult, ex hoc, quod libera eſt, liberè vult: & ſi aliquid vult, voluntariè vult. Si autem cogeretur, aliquid ſeruiliter vellet, & inuitè vellet, & ſic ſimul, & ſemel actum haberet liberum, & ſeruilem; voluntarium, & inuoluntarium, quod eſt impoſſibile. Ideò totum, quod facit veterator ille, eſt, liberum arbitrium allicere, & libidinis pabulum miniſtrare per concupiſcentiæ motus, & cogitationes intrinſecùs commotas, & excitatas. 559 *Per maleficium nõ poteſt cogi volũtas ad amandũ*

Vndè ſi quis per maleficium amoris inductus moueatur ad aliquam mulierem concupiſcendam, eamquè in ſponſam ducendam, matrimonium tenet, nec poteſt dirimi: quia licèt ibi fuerit inductio; non tamen ibi fuit coactio: Actus enim voluntatis, quo præſtitit conſenſum fuit liber, quod ſufficit ad validitatem contractus.

§. III.

HOſtili maleficio quot modis, putas, ſæuit in homines furens eorum inimicus, qui nomine *Abaddon* Hebraicè vocatus, Græcè *Apollion*, Latinè *Exterminans dicitur*? & re, & facto talem ſe exhibere deſiderat, generalia in bonis animæ, & corporis, & fortunæ exterminia inducendo, hoſtilibus maleficijs, aut damnum inferentibus, aut aptis inferre, aut ideò adhibitis, vt inferatur: dum actu, potentia, & intentione hominum à facie terræ exterminare, ſeù vt explicat S. Antonius à Padua *ſerm.* 560 *Maleficium hoſtile quâ damna homini inferat*

ſerm. 24. *extra terminos vitæ æternę ponere* conatur; quod præſtat multipliciter.

Nocet Animæ. Primò enim dæmones animam maleficijs aggrediuntur, dum errorem in intellectum, in voluntatem odium, in memoriam obliuionem inducunt; vt docet Toſtatus *in cap.* 8. *Matth. q.* 121. *Dæmones*, ait, *ſunt valdè inuidi, & ſummè deſiderant nocere homini; ideò ex inuidia tentant eum inducere in peccatum, nè aſſequatur beatitudinem*; quod intellige tentant, ſiuè per ſeipſos, ſiuè per Maleficos. *Suar. li. 8. de Angel. c. 20. num. 8.*

Corpori damna infert. Secundò *ſi non poſſunt animæ nocere, ſaltem tentant damna corpori inferre*, vt proſequitur Toſtatus; quod vt plurimùm exequuntur per ſuos Symmiſtas, nempe per Maleficos, qui hominibus nocent, nunc deuouendo, ideſt dœmonem in brutorum, vel hominum corpora ſola imprecatione immittendo, vt pluribus exemplis Remigius *lib.* 2. *cap.* 9. *&* 10. *dæmonolatriæ* confirmat. Nunc viros, ac mulieres malè afficiendo: Et hos quidem genitalium languedine, retractione, abſconſione, ſubtractione, caſtratione, ſeminis exſiccatione, infrigidatione, & ſpirituum vitalium ad membra generationis prohibitione: Illas verò muliebrum locorum arctatione, obſerratione, dilatatione, matricis indignatione, & concubitus horrore; Vtroſquè impotentia coeundi, odio reciproco, impedimento contactus, cohærentia mutua canum more, varijſquè modis. *Varia in vſu matrimonij.* De quibus Paludanus *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt.* 2. *art.* 3. Petrus Gregorius *in Syntaxi Artis mirabilis tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 7. Auctores Mallei Malefic. *part.* 1. *quęſt.* 8. Binsfeldius *tract. de Confeſſionibus malefic. part.* 1. *quæſtionis, concluſ.* 6. & communiter Theologi *in* 4. *diſt.* 34. Canoniſtæ *in tit. de frigidis, & malefic. & diſt.* 33. *q.* 1. *c. ſi per ſortiarias*. Vide fusè tom. 1. n. 655.

§. IV.

561 *Mulieribus prægnantib.* INſuper dœmonum ope Malefici, ac Striges mulieribus vterum gerentibus abortus, vel vehementiſſimos partus dolores mittunt: vt habetur *L. ſi quis aliquid.* § *qui abortionis. ff. de pęnis. & L. prægnantem. eodem ff.* Aliquando lac mulierum ita deſiccant, vt etiamſi maturos edant partus, tamen illo ſemper carent. Quod etiam operantur in fæmellis animalium; vt exemplis confirmat Paulus Grillandus *tract. de Sortilegijs q.* 6. Tandem miſeros homines varijs ægritudinibus vexant, dolore capitis, dentium, pectoris, ſtomachi, ventris, renum, membrorum debilitatione, neruorum attractione, carnis tumefactione, hydropiſi, paralyſi, ipſaquè morte, vt ſupra proſecuti ſumus *n.* 550. *& ſequent.* Maximè autem, ac ſæpiùs nocent infantibus; quia hoc ſecuriùs pręſtant, cum illi eos de offenſa, & delicto accuſare non valeant. Hos autem nunc faſcinatione, nunc ſtrigatione è medio tollere conantur; vt teſtantur Delrius *Diſqniſit. Magic. lib.* 3. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. ac Bartholomæus Spineus Magiſter Sacri Palatij *q.* 8. *de Strig.*

§. V.

562 *In bonis fortunę.* TErtiò Malefici poſt deturbatas animas, & læſa corpora in bona fortunæ graſſantur præcipuè per incendia, quæ excitant in domibus deponendo gladium, haſtam, ſcipionem, linteolum, quo inuolutæ ſunt minutiæ quædam inſtar fœni diſſecti, aliaquè id generis ignis, & caloris expertia; ex quibus poſtea flãma prorumpens inextinguibilis citò ædes abſumit, quicquid domeſtici in contrarium nitantur: vt certiſſimo exemplo cuiuſdam Ianæ Nigræ Armacurianæ confirmat Remigius *lib.* 2. *cap.* 13. *dæmonolat.* Vel ijdem à dœmone ollam plenam ignitis carbonibus accipientes, eam in domos, pagos, & oppida inuertunt, vt breui tempore conſumantur (Sicut Oppido Schiltaco in Heluetia intra horam igne conſumpto accidit) vt referunt Eraſmus *in Epiſtolis*, & Lycoſthenes *in prodigijs*. Ex incendijs colligere licet, quid poſſint in tempeſtatibus, grandinibus, nebulis, pruinis, aquarum diluuijs, inundationibus, ſubmerſionibus, bruchis, vermibus, peſte, fame, alijſque publicis calamitatibus excitandis, quorum omnium exemplis abundant omnes Auctores, qui dę Maleficis, ac maleficijs tractant. *Petrus Binsfel. de Conf. malef.* Rationem reddit Toſt. *in cap.* 8. *Matth. q.* 126. *Tanto*, ait, *ardore dęmones hominibus nocere deſiderant, quòd ſi non poſſunt nocere eis in ſeipſis, ſaltem volunt nocere in quibuſcunque rebus eorum.*

§. VI.

PRædicta omnia Magorum, ac Maleficorum deteſtanda crimina complectitur, deteſtatur, ac 563 *Crimina magorũ puniri iubet Innocẽt. VIII.*
pœnis debitis expiari iubet Innocentius VIII. Bulla ſequenti, quæ meritò hìc eſt deſcribenda pro incredulis, qui huiuſmodi Maleficorum facinora intoleranda negant.

Sanè nuper, inquit, *ad noſtrum non ſine ingenti moleſtia peruenit auditum, quòd in nonnullis partibus Alemaniæ ſuperioris, nec non in Moguntin. Colonienſ. Treuiren. Salzburg. & Bremen. Prouincijs, Ciuitatibus, terris, locis, & diæceſibus complures vtriuſque ſexus perſonæ propriæ ſalutis immemores, & à fide Catholica deuiantes cum dœmonibus incubis, & ſuccubis, ac ſuis incantationibus, carminibus, & coniurationibus, alijſque nefandis ſuperſtitionibus, & ſortilegijs, exceſſibus, criminibus, & delictis, mulierum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum vuas, & arborum fructus: nec non in homines, mulieres, pecora pecudes, & alia diuerſorum generum animalia, vineas quoque pomeria, prata, paſcua, blada, frumenta, & alia terræ legumina perire, ſuffocari, & extingui facere, & procurare; ipſoſque homines, mulieres, iumenta, pecora, pecudes, & animalia diris tàm intrinſecis, quàm extrinſecis doloribus, & tormentis afficere, & excruciare, ac eoſdem homines, nè gignere, & mulieres, nè concipere, viroſque, nè vxoribus, & mulieres, nè viris actus coniugales reddere valeant, impedire: Fidem prætcrea ipſam, quam in ſacri ſuſceptione Baptiſmi ſuſceperunt, ore ſacrilego abnegare: Aliaque quàm plurima nefanda, exceſſus, & crimina, inſtigante humani generis inimico committere, & perpetrare non verentur, in animarum ſuarum periculum, Diuinæ Maieſtatis offenſam, ac ſcandalum plurimorum, &c.* Poſtea huiuſmodi criminoſos debitas ſuis criminibus pænas ſoluere præcipit.

Quæ maleficia Malefici, ac Sagæ perficiunt dœmonis ope aliquando per ſeipſum operantis; Aliquando mediantibus rebus naturalibus. Cùm per ſeipſum operatur, tunc Exorciſta remedijs ſpiritualibus, cum patiens eſt benè diſpoſitus iuxta regulas infra explicatas, poteſt tollere, ac deſtruere maleficium: At cùm in maleficio adhibita ſunt media naturalia, ſeruanda ſunt, quæ traduntur articulo ſequenti.

ARTICVLVS III.

De Rebus Naturalibus, vt ſunt cauſa maleficiorum.

564 QVamuis communis humani generis hoſtis ſæpè ſine rebus naturalibus homines diuerſimodè lædere conſueuerit; illis tamen ſemper in maleficijs vti, quandocumquè alicui malefaciendo operatur, incomperto eſt. Quas vult à Maleficis adhiberi, vel vt cauſas naturales: vel vt cauſas morales.

Dæmon in maleficijs vtiturr ebus naturalibus. Vel vt Cauſis naturalibus, vel vt Cauſis moralib.

QVÆSTIO I.

Quænam ſint cauſæ naturales maleficiorum.

Cauſæ naturales vim habẽt nocendi à natura. Quibus dæmon vtitur. Vel per motũ localem. Vel per alteratio nem actiua paſſiuis applicando.

REſp. cauſas naturales eſſe omnes illas, quæ nocendi vim à natura inditam habent, & naturaliter agunt in eum, cui vel ingeruntur interiùs: vel exteriùs applicantur. In confeſſo namque eſt, dæmonem non ſemper præſtigiosè, ſed ſæpiùs verè, & realiter operari, præcipuè cum infirmitates, incendia, tempeſtates, & id generis mala excitare deſiderat. Quod duobus modis facere conſueuit: Altero per motum localem, quo inferiora corpora Angelis patent; vt docent Diuus Auguſtinus *lib. de Diuinat. cap. 3. & 5. & lib. 3. de Trinit. cap. 7. 8. & 9.* D. Thom. Sotus, Victoria, Angelus, & alij relati à Delrio *lib. 2. Diſquiſit. Magic. quæſt. 8.* Altero per alterationem, actiua paſſiuis applicando, qui modus ipſi facillimus eſt. Noſcit enim rerum omnium, quæ in mundo ſunt, vires, ſympathias, antipathias hominibus ignotas, ipſi notiſſimas; & ideò illa ſeligere ſolet, quæ optatum effectum producere poſſunt. Si perturbationes in animo ſunt excitandæ, & morbi in corpus immittendi, ſcit, quæ res naturalis phantaſmata commouere, turbare imaginationem, inſanias, & deliria cauſare valet: quæ humores vitioſos agitare, inquinare ſpiritus animales, detrudere neruos, & generare paralyſim, epilepſiam, febres phreneticas, cæteraſque infirmitates. Noſcit, quomodo aptè applicari debeant; cum optimè ſciat, quid vniuſcuiuſque valetudini noxium, aut commodum ſit: quo loco, tempore, circunſtantijs debeant adhiberi: qua arte corporibus vel ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam, vel ſecundum ipſarum partem ſpirituoſam, & maximè efficacem clàm ingerendæ ſint: quænam morbum, & dolorem in aliqua corporis parte determinata alijs læſis, alijs illæſis excitent; cum ſint multa venena, quæ à tota ſubſtantia habent facultatem lædendi aliquam partem, vt Medicis manifeſtum eſt. Noſcit denique vbinam locorum lateant illæ, quibus opus habet; & eas vndecumque, & à quocumque vult, maxima facilitate, & celeritate aſportat, earumque virtutem auget, vt earum auxilio illa peragere queat, quæ ſolius naturæ operatio numquam efficeret.

§. I.

HOc autem Dæmon præſtat, agentia naturalia ſumendo vt inſtrumenta; vt docet D. Auguſtin. *lib. de Geneſ. ad liter. cap. 17.* Inſtrumenti verò conditio eſt, effectus non tantùm naturali ſuæ virtuti æquales, ſed longè excellentiores, & facultati agentis principalis à quo mouentur reſpondentes producere. Vndè ſicut ſecuris, quæ in ſe virtutem habet ſecandi duntaxat, poteſt, quatenus inſtrumentum eſt periti fabri, à quo ſcitè mouetur, ſtatuam elegantem, aut menſam artificioſam perficere: Et calor natiuus, qui eſt in humano ſemine, quà calor eſt, poteſt calefacere, rarefacere, ſegregare, condenſare; ſed quà inſtrumentum eſt animæ, oſſa, neruos, & carmen generare poteſt; ita cauſæ naturales, quæ ſecundùm communem naturæ curſum natæ ſunt aliquos particulares effectus producere, poſſunt alios edere ſuis viribus præſtantiores, ſi à dæmonibus applicentur, qui illis tanquam notis inſtrumentis vtentes, quoad ſubſtantiam, modum, vel celeritatem admiranda operantur; vt benè docet Delrius *loco citato*. 565

Dæmon vtitur agentibus naturalibus vt inſtrumentis.

Hæc tamen numquam naturę cancellos effugiunt, aut excedunt cauſæ vim naturalem; vt benè docet D. Thomas *1. part. q. 110. artic. 7. ad 3. & lib. 3. contra Gentes cap. 103.* Inſunt enim reuera hi effectus ipſis naturalibus agentibus eo modo applicatis, quibus dæmon applicando nihil confert præter conditionem, ſine qua effectus iſti non producerentur. Licèt namque vi rerum naturalium applicatarum vtatur; operatur tamen potiſſimùm per modum artificioſum. Vndè in ijs admirandis productionibus nec ſola actiuitas rei naturalis ſecundùm ſe debet attendi, nec ſola quoquè ſecundùm ſe dæmonis applicatio; ſed ambo ſimul, ideſt vis naturalis applicata à dæmone, ſecundùm quod cauſa inſtrumentalis ijs operationibus eſt res applicata; Cauſa verò principalis ipſe dæmon applicans. Tunc enim naturaliter effectus producitur, cùm vtriuſquè cauſæ coniunctæ non ſuperat facultates.

Res prædictæ non excedunt naturæ terminos vel vim naturalẽ cauſæ.

Quare dæmon illas omnes rerum proprietates, virtutes, & potentias naturales perſpectas habens, cum vult mala inducere, ea iubet à maleficis adhiberi, quæ naturalem habent actionem in ordine ad effectus, quos producere intendunt; & ſic applicari venena ad interficiendum, herbas ad ſanandum, pulueres, & vnctiones ad malefaciendum. Quæ omnia à Dæmone iubente, & Malefico operante ritè compoſita, cauſæ verè reales, & phyſicæ illarum ægritudinum ſunt, & appellantur: eò quòd alicui paſſo applicata propriè phyſicè, & ex natura ſua habent vim attingendi effectum, quem producunt, videlicet cauſandi talem ægritudinem.

QVÆSTIO II.

Quænam ſint cauſæ morales maleficiorum?

566 REſpond. cauſas morales maleficiorum eſſe res illas, quæ virtutem non habent ex ſe producendi tales effectus, quales Dæmon, & Malefici intendunt; atque applicantur non vt cauſæ phyſicæ, & reales ægritudinum operatione malefica immiſſarum; ſed vt cauſæ morales, vel ſaltem cauſæ, ſine quibus non, vtpotè ſigna, & ſymbola externa, quibus poſitis

Cauſæ morales ſunt res, quib. dæmon vtitur vt ſignis.

poſitis Maleficus dœmonem inuocat; & dœmon ad Malefici placitum operatur. Cum enim dęmon in omnibus ſtudeat Deum æmulari, ſignis mirificè delectatur.

Deus propria ductus bonitate ſigna quædam ſacra, quæ ſacramenta vocamus, ad ſalutem humani generis inſtituere dignatus eſt, quæ ſecundum Scotum *in 4. diſt. 1. q. 4.* ſunt veræ, & propriæ cauſæ inſtrumentales morales gratiæ, non phyſicæ, ideſt non ex ſua vi naturali; ſed ex virtute principalis agentis, ſeù ex diuina inſtitutione. His verò ita aſſiſtit, vt quoties adminiſtrantur, toties gratiam dignè ſuſcipientibus infundant: illoſque ſpiritualibus donis ſanctificent iuxta propriam cuiuſque inſtitutionem. Ità dœmon eius æmulus coniuratus pro ſua multiplici nequitia vult ad hominum exitium promouendum, ſalutemque euertendam, ſenſibilia ſigna inſtituere, quibus ita ſemper aſſiſtit, vt quoties à Malefico adhibentur, niſi à Deo impediatur, peragat maleficium, de quo ambo ex pacto conuenerunt. Solet enim cum illo pactum inire, vt quamdiù ligatura, ver. gr. ſic annodata fuerit, vel quid tale deſoſſum ſub limine, aut talis imago igni applicata, tandiù talis perſona ſit maleficiata; aut qui tali porta domum intrabunt, vel exibunt, tali dolore corripiantur: non quòd illa vim habeant ex natura ſua, & per ſe producendi, & attingendi noxios illos effectus; ſed quòd ex pacto dœmonem ad illos producendos inuitent, & diſponant, vt latè Delrius *Diſquiſ. Magic. lib. 6. cap. 2. ſect. 1. q. 3.* innumeros cumulans Auctores.

Signa maleficiorum ſunt falſa, & deceptoria.

Vndè non ſunt ſigna certa, & infallibilia, qualia ſunt Sacramenta; ſed falſa, & deceptoria: quia dœmon inuocatus non ſemper adeſt, & multoties Maleficum irridet, nec vult ad votum illum audire; vel quia non poteſt; vel quia non permittitur; vel quia ſic lubet.

Quæ dœmon vult apponi, vt per ea honoretur.

Illa tamen vult apponi, cum aliquid ab eo eius miniſter poſtulat, vt ſicut Deus in Sacramentis colitur, ita ipſe in maleficijs honoretur. Quod Auguſtinus *lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 6.* aptè docet ijs verbis: *Dœmones*, inquit, *illiciuntur per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non vt animalia cibis; ſed vt ſpiritus ſignis, inquantùm, ſcilicet hæc eis exhibentur in ſignum diuini honoris, cuius ipſi ſunt cupidi*. Vndè ad malefaciendum ſæpiùs non operantur etiam pluriès inuocati, niſi ſigna pacti ponantur, res nempè ſenſiſibiles, puta cortices, herbæ, plantæ, plumæ, oſſa, capilli, & id generis quiſquiliarum, vt hac ratione malefici ſuam exhibeant ſeruitutem, debitumque teſtentur obſequium: vt docent Leonardus Leſſius *lib. 2. de Iuſt. & Iure cap. 44. de Magia, dub. 6.* Delrius *loco citato*. Binsfel. *Comment. in C. de malef. & mathem.* Auctores Mallei, ac omnes qui de maleficijs tractant.

QVÆSTIO III.

An ſpectet ad Medicum, vel Exorciſtam iudicare de rebus naturalibus in maleficijs adhibitis.

Spectat ad Medicum iudicare de rebus naturalib. naturaliter adhibitis.

567 DIco 1. Quando res naturales adhibentur, vt cauſæ phyſicæ naturaliter operantes, ad Medicum ſpectat iudicare de illis; ipſe enim qui de rerum naturalium proprietatibus, actionibus, vi, & efficacia vnicuique ad ſuos proprios, & naturales effectus producendos à natura ingenita diſputat, ſententiam ferre debet, an naturalis virtus inſit (puta huic minerali, auripigmento, alumini, ijs herbarum radicibus, folijs, capillamentis, ijs auium roſtris, vnguibus, plumis, ijs animalium oſſibus, pellibus, inteſtinis, ijs oleis, vnguentis, pulueribus, quæ in lectis, culcitris, veſtimentis, aut domibus reperiuntur, eorum, qui maleficio ſunt affecti) naturaliter inducendi talem morbum, quo hic vir, aut mulier laborat. Et an vi operantis naturæ ſolida, puta acus, lapilli, oſſa ex eorũ ore prodeũtia in corporibus generari, in ea immitti, in eis retineri, & ex eis egeri valeant. Hæc enim, & ſimilia, prout ſunt cauſæ naturales naturaliter applicatæ, & naturalem operantes effectum, ad Medici cognitionem pertinent, qui circa phyſicam eorum actionem tanquam de re arti medicæ ſubiecta determinat, quæ, qualis, & quanta naturaliter eſſe poſſit: Et ideò, cùm talia reperiuntur, in quibus ſubeſt ſuſpicio maleficij, ipſi offerri debent, vt ex ſcientiæ Medicæ concluſionibus iudicet, an à tali re naturali huic perſonæ, vel loco naturaliter applicata talis effectus, qualis videtur in infirmo, vi naturæ, & phyſica operatione oriri poſſit.

§. I.

Medicus poteſt sẽtentiam ferre de maleficio negatiuè & indirectè. Et quando.

568 QVòd ſi rem huiuſmodi, quæ maleficij cauſa eſſe putatur, cenſeat ex artis Medicæ præſcripto non habere à natura virtutem inducendi huiuſmodi morbum, qualem maleficiatus patitur, tunc negatiuè fert ſententiam, & indirectè iudicat eſſe maleficium. Cum enim iuxta ſcientiæ medicæ regulas directè declarat, ex hac herba, ver. gr. aliauè ſimili re morbum hunc naturaliter non poſſe procedere, indirectè aſſerit, illum aliundè prętenaturaliter prouenire. Et cum cauſam naturalem non habeat, habere præternaturalem, ſeù liberam, dæmonem nempè opus maleficum perficientem, eſt aſſerendum.

§. II.

Cùm maleficia ſunt inducta per cauſas naturales naturaliter operãtes, ſi dęmon nocere ceſſauerit, aliquando curari poſſunt à Medico.

569 DIco 2. Pari modo quando res naturales in maleficijs naturaliter, ac phyſicè ſunt applicatę, ac naturalem operantur effectum (puta dolorem in ſtomacho, vel in capite, vel torſiones in toto corpore) vt cùm à Maleficis dœmonis ope adhibita ſunt venena, aut venenatæ potiones propinatæ, vel id generis in corpore immiſſa; ſi infirmitates ab huiuſmodi cauſis productæ à perito Medico agnoſcantur, nec Dęmon ampliùs aſſiſtat, ſed ſpontè, vel coactè per exorciſmos, ac præcepta eccleſiaſtica, vel alia remedia ſpiritualia, de quibus infra, ab ægroto totaliter receſſerit, quis non fateatur, poſſe peritum Medicum remedijs naturalibus huiuſmodi curare morbos? Ratio eſt: quia quæ mediantibus cauſis naturalibus proueniunt, mediantibus contrarijs eiuſdem ordinis tolli poſſunt. *Nihil enim eſt tàm naturale, quàm eodem genere quicquam diſſolui, quo colligatum eſſe reperitur. L. nihil. ff. de Reg. iuris.*

Experiẽtia conſtat.

Experientia hoc docet in dies in multis ægrotis, quorum ægritudines partim ſunt naturales, & partim tranſnaturales. Naturales prout proximè, & immediatè à cauſa proxima naturali, à rebus nempè naturalibus prouenire dignoſcuntur: Tranſnaturales verò prout remotè, & mediatè à dœmone oriuntur, qui per ſe, vel per maleficos venena, vel alia huiuſmodi noxia interiùs, vel exteriùs adhiben-

hibendo, varias in corpore excitat infirmitates, ad quas tollendas (præter exorciſmos, ac præcepta Eccleſiaſtica, aliaque id generis ſpiritualia à perito Exorciſta ad cauſam tranſnaturalem auferendam remedia adhibita) ægrotis quoque ad Medicos eſt confugiendum, qui ſuis pharmacis vitioſos compeſcere humores, cauſaſque morbi naturales auferre ſatagant, vt ſic faciliùs perfectam valeant conſequi ſanitatem.

Non ſit præceps Exorciſta in iudicio ferendo de maleficio

Quare Exorciſtæ diligentiſſimè eſt obſeruandum, nè feſtinanter, ac præcipitanter ſuo iudicio, vel ipſorum afflictorum dictis acquieſcat, qui nè pecunias impendant in ſoluenda Medico mercede, libentiùs, ac faciliùs ad Exorciſtas confluunt, quos ſciunt, ſuum gratis præſtare, (vel ſaltem debere præſtare) auxilium. Sed circumſpiciat cautè, ac prudenter ſingula perpendat, ac præter ſigna certa, & euidentia, vel ſaltem probabilia, de quibus infra *artic.* 5. obſeruet etiam cauſas ægritudinis naturales, de quibus compendioſè infra *num.* 571. Quòd ſi fortaſsè morbum deprehendat ab aliqua huiuſmodi cauſarum prouenire, ac omninò eſſe naturalem, vel per cauſas naturales à dæmone immiſſum, ſuadeat ægrotis, ad peritos Medicos ſuum habere recurſum; nec vllo modo ſe intromittere debet in medicinis corporalibus exhibendis: vt latè infra demonſtratur vbi *de Prudentia in erroribus cauendis num.* 702. *& ſequentibus*.

§. III.

570 *Aliquãdo contingit, etſi morbus ſit naturalis, quòd ars Medicorum non ſufficit eũ tollere*

SÆpè tamen ex accidenti, & adiunctis circunſtantijs contingere poteſt, quòd ars Medicorum non ſufficiat, puta ſi venenum fuerit validiſſimum, ita vt ſtatim totius corporis diſpoſitionem inuaſerit: aut ſi nimis diù expectatum fuerit, antequam Medicorum cura ſit adhibita, iuxta illud Ouidij *lib.* 1. *de remedio amoris*.

Principijs obſta, ſerò medicina paratur,
Quum mala per longas inualuere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas.

Aut ſi ſubiectum Veneficijs infectum, ita ſit debilis complexionis, quòd medicinas vſque ad debitam operationem retinere nequeat, ſecundùm illud eiuſdem Ouidij 1. *pont.* 4.

Non eſt in Medico ſemper releuetur vt æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

Atque hoc etiam perpendendum, quòd impij Malefici, & Sagæ frequenter venenis mirificè à dæmone præparatis, & porrectis vtuntur, quæ ſine dubio efficacioris ſunt operationis, quàm ea, quæ præparantur arte, & induſtria humana. Quæ venena ſolet dæmon non rarò in congregatione, finita chorea, diſtribuere, vt ex multorum confeſſione didiciſſe fatetur Binsfeldius *Comment. in Titul. C. de Malef. & Mathem. quæſt.* 6. *concluſ.* 2.

§. IV.

571 *Quando res naturales ad hibentur vt ſigna Medicus nõ poteſt rectè iudicare de maleficÿs.*

DIco 3. Quando Res naturales in maleficijs adhibentur vt cauſę morales (vt plurimum euenit, quòd ſolus dæmon virtute ſua morbum operatur) ad Medicum non ſpectat de maleficijs iudicare: Ratio eſt, quia malefici operis cognitio non eſt medicæ, ſed theologicæ ſcientiæ. Nam *Medicina*, vt deſcribitur ab Auicenna, & ſuſtinent cæteri Medici, *eſt ſcientia, qua humani corporis diſpoſitiones naſcuntur ex parte, vndè ſanatur, vel à ſanitate remouetur; vt habita cõſeruetur, & recuperetur amiſſa.*

Cauſæ ſanitatis, & ægritudinis naturales quęnam.

Sanitatis vero, & ægritudinis quatuor cauſas Medici aſſignant: Materiales, quæ ſunt ſubiectum tùm propinquum, vt membrum, aut ſpiritum: tùm longinquum, vt humores, & eis longinquiora, elementa. Efficientes, quæ ſunt conſeruantes, aut permutantes humani corporis diſpoſitionem: vt aerem, aquam, eſum, potum, euacuationem, retentionem, motum, quietem, ſomnum, vigiliam: & alterationes in diuerſis anni temporibus, regionibus varijs, artibus, & moribus, alijſquè rebus, quæ humano corpori ſuperueniunt, atque ipſum tangunt ſiuè ſint, ſiuè non ſint contra naturam. Formales, quę ſunt complexiones, & virtutes, quæ poſt eas eueniunt, & compoſitiones. Finales denique ſunt operationes. Ijs addunt cauſarum morbos facientium abolitionem à contrariis fieri: quia contrariorum contraria ſunt medicamina, & pro diuerſis morborum cauſis, eorum etiam medicationes ex rebus naturalibus, ſimplicibus, aut inter ſe compoſitis (puta mineralibus, herbis, radicibus, oſſibus, & corporibus ſolidis, liquatis, lixatis) & in maſſam, oleum, pinguedinem redactis ſumendas, & conficiendas variari debere.

Medicus per ſe quid cõſideret.

Ex quibus colligitur, Medicos nihil aliud per ſe conſiderare præter humanum corpus ex parte, vndè ſanatur, vel à ſanitate remouetur; Et hoc ſecundùm cauſas planè ſenſibiles, & corporeas, quas per medicationes ſimpliciter ſenſibiles, & corporeas tollere debent; & per conſequens, cùm de morborum cognitione agitur, illos nullam aliam cauſam cognoſcere poſſe præter quatuor elementorum, humorum, partium ſimilium, & inſtrumentalium ſymmetriam, vel ametriam, ſeù moderationem, & immoderationem, quarum illa ſanitatis, hæc ægritudinis ſunt cauſæ intrinſecæ. Inſuper regimen in comeſtione, & potu; electionem aeris, euacuationem, & retentionem, motum, & quietem corporis; mutationes ætatum, regionum, cæteraque ex rebus externis extrinſecùs aduenientia.

Nõ poteſt Medicus vt Medicus eſt, directè cognoſcere maleficia.

Vndè ſequitur, maleficiorum cognitionem ad eos pertinere non poſſe: quia maleficia cauſam habent intrinſecam, & extrinſecam tàm procreantem, quàm ſanantem extra naturam corporum, nempè Dœmonem, & Veneficum, qui in cauſando ſunt inſenſibiles: eò quòd neuter per ſe quoad modum cadit ſub ſenſu, vel phantaſmate; ideoque illorum notitia per principia ſcientiæ medicinalis haberi nõ poteſt, quæ non fertur extra naturam corporum, totamque haurit à ſenſu, & phantaſmate cognitionem; morborumque cauſas exquirit à ſenſibilibus, non autem ab inſenſibilibus, quales ſunt dœmones: eò quòd à naturali philoſophia ſua fundamenta mutuatur.

§. V.

572 *Ad Medicos non ſpectat curare maleficia, vt maleficia ſunt.*

DIco 4. Pariter aſſerendum eſt ad Medicos non ſpectare morbos maleficos curare, aut maleficia ſoluere; Ratio eſt, quia cum ipſi nihil aliud norint, quàm medicamina apponere contraria, & ea iuxta diuerſas morborum cauſas variare, quæ à rebus ſenſibilibus, & corporalibus deſumunt (nempè ſanguinem emittendo, purgantia pharmaca adhibendo, victus rationem, vel alia huius generis remedia aſſignando, penſatis priùs debitè cauſis tùm externis, tùm internis, quas à ſenſibilibus indagare conſueuerunt) maleficia aliquo contrario medicamine ſenſibili curari non poſſunt: cum enim iuxta Ariſtotelis doctrinam 2. *Topic. &* 5. *Metaph. Contrariorum contraria ſint cauſæ*: abolitio cauſarum morbos facientium oportet, fiat à contrarijs: quia contrariorum contraria ſunt medicamina, & pro diuerſis

ſis morborum cauſis eorum variantur medicationes; Ideò quanam ratione morbi malefici, cauſa dęmoniaca ſuppoſita, à Medicis ipſis poterint depelli? quænam ſanguinis emiſſio? quæ concoquentia, quæ purgantia pharmaca? quæ victus ratio, vel alia huiuſmodi remedia erunt dęmoniaco eius morbo contraria: cum dæmones ſint ſubſtantiæ: *Subſtantiæ autem nihil ſit contrarium*: ex Ariſtotele in *Poſtprædicam.*? Nulla ergo proculdubio erit medicina, per quam tales morbi tranſnaturales à Medicis per res naturales auferri poſſint.

§. VI.

573 *Hoc teſtantur Medici.*

HAnc veritatem teſtantur Medici, quorum primus venit Ioannes Fernelius vir ſanè doctiſſimus, qui ad mentem Codronchi tàm diſertè, & luculenter egit de morbis veneficis, & eorum cauſis, differentiis, & effectibus, vt omnes antiquiores, & recentiores Medicos facillimè ſuperauerit, & meritò à quolibet ſtudioſo, ac Chriſtiano ſcientiæ medicæ profeſſore ſit audiendus. Ille etenim has affectiones aptiſſimè tranſnaturam nuncupat: eò quòd cauſam arti medicæ non obſequentem obtineant.

Hoc ipſum ſæpiſſimè idem Codroncus in medicina peritiſſimus docet, repetit, & inculcat in ſuis libris *de Veneficijs*, in quorum præfatione hoc omnibus notum eſſe voluit, cum dixit: *Quid igitur mirum, ſi plerique doctiſſimi Medici veneficos morbos, cum cauſam extrinſecam tùm procreantem, tùm ſanantem extra naturam corporum poſſideant, ignorare cogantur; nec vllam opportunam medicinam adhibere poſſint?* Hæc ille, & *lib. 4. cap. 2. Experimur*, ait, *remedia naturalia his morbis nihil prodeſſe; & Medicos fruſtra laborare in huiuſmodi affectibus curandis. Quamuis enim ipſi intemperies adimere, & obſtructiones aperire, noxios humores educere, & alia munia obire ſtudeant; dœmones tamen omnes Medicorum conatus irritos reddunt: cum non ſinant medicamenta effectus ſuos ſortiri: vel morbos continuè foueant, & cauſas adaugeant.* Et poſtquam huiuſce veritatis rationem reddidit ex principiis medicinæ deſumptam, concludit dicens: *Quinimmò, ſi Medici rerum omnium naturalium eſſent gnari, vt Angeli, & dœmones, & adamuſſim mederentur; nihilominus maleficio affectos nequaquam per ſeipſos ſanitati reſtituere poſſent, niſi virtus ſuperior dœmonibus maleficium efficientibus à Deo ipſis Medicis impartita eſſet.*

Huic ſe ſubſcribit lubentiſſimè in hac parte alius Medicus Daniel Sennertus *lib. de morbis à veneficio inductis cap. 10.* ſcribens ſic: *Quibuſcumque remedijs naturalibus in morbis à veneficio inductis nemo certè ſanitatem ſibi polliceri poteſt; quia diabolus non ſolùm diſpoſitionibus Medicis vulgò notis vtitur, ſed & ignotas introducere poteſt. Et cum Medicum ignotum ſit, quibus modis diabolus ad nocendum vſus ſit, talia remedia aliquid iuuare, mòrbum verò planè tollere non poſſunt.* Et ſi Medici non valent morbos maleficos curare, quomodo poterunt Exorciſtæ, qui per medicinas corporales illos auferre tentant, cum ipſi ſcientiæ Medicæ ſint ignari?

§. VII.

574 *Res naturales etiã naturaliter applicata à Dæmone, ac Maleficis durante dæmonis operatione, non ſunt de Medici conſideratione. Probatur experientia ex tribus dictis.*

DIco 5. Quamuis res naturales in maleficijs applicatæ, cauſę phyſicæ, ac reales ſuum naturalem producentes effectum, ſint de Medici conſideratione, & per conſequens earum actio naturalis, prout talis eſt, ab illo debeat cognoſci, & definiri: veruntamen prout à dæmone, & malefico applicantur ex pacto ad morbum maleficum, aut quid ſimile cauſandum, non ſunt de Medici conſideratione; cum ea, quæ dæmonis naturam, & operationem ſpectant, Theologo diudicanda remaneant.

Quod ex communi experientia, quæ tria probat, confirmatur.

Primum: Has res naturales, cùm applicantur in maleficijs, non ſolùm ſuum naturalem producere effectum, qui vnicuique iuxta naturæ vires competit; ſed vlteriùs progredi, & maiora conari, quàm virtus naturalis poſſit perficere. Quod manifeſtum ſignum eſt dæmoniacæ poteſtatis virtuti naturali ſuperadditæ, cuius effectum non Medicus, ſed Theologus diſcernere debet.

Secundum: Has res applicatas, vt plurimùm à Medicis non agnoſci, quia à dæmone conficiuntur, & poſtea Maleficis conſignantur: vt patet in pulueribus venenariis, quibus vtuntur, cùm aliquem maleficio afficere cupiunt. Nam ſi Medico offerantur, definire, & aſſignare non poteſt, ex quibus rebus componantur, & rationem reddere, quare horum alii ſint atri, alii cineracei, alii rufi coloris: multò minùs, cur ater necem, cineraceus morbum grauem, rufus infirmitatem afferat, & albus conferat ſanitatem; & eò magìs, quare cinereus, ſeù cineraceus ver.gr. per vnum ex Maleficis applicatus infirmitatem, per alterum necem, per alium morbum afferat, eodem puluere contrarios effectus producente: vt teſtatur Nicolaus Remigius *dęmonol. lib. 1. cap. 2. & 3.* Immò nec ipſe Maleficus hoc nouit, qui virtutes illorum ignorat.

Tertium: Rariſſimè, & ferè numquam res naturales, vt cauſas phyſicas ad ſuum phyſicum effectum ſolùm producẽdum in maleficiis applicari; ſed pręter ſolitum naturæ curſum aliud agere, & operari; atque ideò apponi, vt ſigna conuentionis, & pacti inter dæmonem, & maleficum.

Cõcluditur, ſpectare ad Theologũ Exorciſtam cognoſcere, ac curare morbos maleficos.

Vndè ſequitur, huiuſmodi rerum applicationem ad Theologi Exorciſtæ iudicium pertinere, vt potè iudicis competentis operum Maleficorum; ad cuius tribunal ſtandum ab iis, qui eorum vi infirmitate detinentur, aut quid ſimile nocuum patiuntur.

§. VIII.

AMpliùs hæc veritas comprobari poſſet ex ipſis 575
actionibus nedùm realibus, & phyſicis, ſed intentionalibus ſenſibilibus, phantaſticis, & intelligibilibus, ex quibus Medici nõ obſcurè cognoſcerent, quid, & quomodo res naturales agere, vel non agere valeant in dæmones; ſed de his latè, ac diſtinctè tractatum eſt ſupra *diſp. 2. p. 2.*

Quid agendum à Medicis, cùm ſuſpicãtur, aliquem eſſe maleficio affectum.

Interim Medicos quæſo, vt cùm maleficio vexatis opitulari vocantur, vt moris eſt, cùm cęteros ægrotos inuiſere ſolent, exequantur ea, quę ſunt partes Medici, non quæ Theologos ſpectant. Nec intolerandum quorundam Medicorum errorem ſequi velint, qui ſi ſemel alicuius ægroti curam ſuſceperint, & cęperint ei præſcribere remedia, quæ ad eius ſanationem conducere videntur, etiamſi latentem dœmonem poſtea deprehenderint, eò quòd in tollendo morbo laborant incaſſum, irritaque ſunt omnia pharmaca, quę ab ipſis adhibentur; nolunt tamen fateri maleficium; ſed in pharmacorum vſu aſſignando: & remediis naturalibus applicandis perſeuerant, erroreſque errori adiicientes, non ceſſant ægrotum à dæmone vexatum eo modo curare velle, quo ſanandas eſſet, ſi infirmitate aliqua

à cauſa

à cauſa naturali proueniente corriperetur, quaſi è re ſit, ſuum honorem in errore perſeuerando tueri, quem labefactari, atque inſigni nota deturpari putarent, ſi ceſſarent ab errore, qui tandem cum ipſorum ſummo dedecore omnibus manifeſtatur. Sed eorum ſemitas nō ſequuntur, qui hanc obſtinatam in malo perſeuerantiam iuremeritò damnant ſua praxi contraria. Nam, cùm tales infirmi ipſis offeruntur; omnia morbi ſymptomata, ſeu quæ præter naturam eueniunt, omneſque actus nempè obſeſſionem, poſſeſſionem, ſeu vexationem dæmoniacam, aut maleficium patientis attenta, exacta, & iuſto pondere librata meditatione conſiderant, & obſeruant. Tum illos ad principiorum Medicorum normam, & artis medicæ regulas examinant. Indè quibuſdam experimentis, quænam ſit cauſa latens, explorant; quod facilè aſſequuntur conſiderando ſigna, quæ habentur infra *art.* 5. Et cum inuſitatos effectus, motuſque inſolitos deprehendunt, qui à naturali cauſa ortum habere non poſſunt, huiuſmodi ſanandis infirmis non ſe ampliùs immiſcent; ſed illos ad Theologos Exorciſtas, & Eccleſiæ Miniſtros remittunt, ad quos ſciunt talium morborum cognitionem, & curationem pertinere.

§. IX.

576 *Exorciſta poteſt licitè tollere ſigna maleficij. Poſſunt tamen maleficia deſtrui ſine ſignorum maleficorum deſtructione. Sup. n. 482. Conſtat exemplo S. Hilarionis.*

DIco 6. Quandocumque res naturales in maleficijs adhibentur vt cauſæ morales, poteſt Exorciſta maleficia tollere, ac deſtruere per curationem moralem, ideſt per deſtructionem ſignorum, quibus pactum dęmonis cum Malefico initum adhęret, nocendi alicui perſonæ quamdiù ſignum durat: hæc enim curatio licita eſt, & recta, vt latè probat Delrius *Diſquiſ. magic. lib. 6. ſect. 1. quæſt. 3.*

Fatemur tamen indubitanter, ſine mleficorum ſignorum deſtructione poſſe morbos maleficos depelli, ac dæmones fugari. Et experientia didicimus multos per præcepta dæmoni facta in nomine Ieſu à quacumque dæmonis vexatione perfectè ſanatos fuiſſe, nullo modo quærentes, vel conſulentes quærere, aut comburere maleficij ſigna, ſed omni, quo potuimus ſtudio, ac labore conati ſumus, Energumenis, ac maleficiatis ſuadere, eoſque inſtruere, vt maximè in Dei bonitate, ac liberalitate infinita, eiuſque incommutabili veritate, ac fidelitate, nec nō in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu totā ſpem ſuam, ac fiduciam collocarent: ac Sanctę Matris Eccleſiæ poteſtati ſuis miniſtris traditæ ad effugandos dæmones, ac maleficia deſtruenda fidem adhiberent; ac pro virili dæmonis tyrannidem, & audaciam conculcarent, vt latè docui infra *par.* 3. Idcircò talem ſignorum deſtructionem ad dæmones expellendos, aut maleficia deſtruenda neceſſariam non eſſe, aſſerere non ambigimus: quia virtus diuina, ac poteſtas eccleſiaſtica in deſtruendis maleficijs non dependet ab illorum ſignorum deſtructione; nec vllam relationem habet ad talia ſigna, quæ non phyſicè, ſed morales tantùm ſunt cauſæ maleficiorum. Quod etiam præſtitit S. Hilarion Abbas (vt refert S. Hieronymus *in vita eius*) cum quædam puella à dæmone obſeſſa ad eum liberanda delata eſſet. Cum enim dæmon reſpondiſſet Hilarioni: *Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor: non exeo, niſi me adoleſcens, qui tenet, dimiſerit,* (vtique niſi ablatis ſignis maleficij.) Noluit S. Abbas, antequam purgaret Virginem, ſigna iubere perquiri: *Nè* inquit S. Hieronymus, *aut ſolitis incantationibus receſſiſſe dæmon videretur: aut ipſe ſermonis eius accommodaſſe fidem.* Non quòd inueſtigare ſigna malum eſſet; ſed ſimpliciter noluit. *Qua abſoluta locutione indicare videtur* (vt obſeruauit Suarez *tom. 1. de Religione lib. 4. de Superſtit. c. 17. n. 18.*) *non ex neceſſitate, ſed ex perfectiori virtute ita ſe geſſiſſe, ac ſubindè non id omiſiſſe, quia eſſet malum; ſed quia plus de Deo confidebat. Erat enim dignum tali viro, vt altiori virtute, & perfectiori modo dæmonis opera deſtrueret: & ideò de quærendis ſignis non curauit.* Deindè fortaſſe Hilarion metuebat aliquod ſcandalum, vt ſignificant illa verba: *Nè ſolitis incantationibus receſſiſſe videretur,* ideſt nè aſtantes putarent, quòd dæmon nullo modo expelli poſſet, niſi deſtructis ijs ſignis, quaſi non eſſet aliud remedium, puta præceptum dæmoni factum in nomine Ieſu, quo dæmones expelli poſſent; facilè enim crederent, non potuiſſe dœmonem expelli à Viro Sancto inuitum, & non ablatis ſignis. Vel dicendum, quòd noluit S. Abbas, illa ſigna priùs quæri, ac deſtrui, nè videretur ipſe dictis diaboli fidem præſtaſſe, qui negabat, aliter ſe expelli poſſe, niſi ſigno malefico deſtructo.

§. X.

577 *Maleficus pænitens non tenetur à dœmone quærere chirographum quod eſt in eius poteſtate*

DIco 7. Quando res naturalis, ſiuè artificialis eſt ſignum non maleficij facti, vel faciendi; ſed primi pacti à Malefico cum dæmone initi, ſi ſignum, ſeu chirographum ſit in poteſtate dæmonis, non tenetur Maleficus, cùm ad ſanam mentem reuertitur, & conuertitur ad Deum, illud quærere à dæmone, ac conſignare, atque lacerare; ſed vt è dœmonis poteſtate liberetur, ſufficit, peccatorum ſuorum veram, ac ſinceram agere pænitentiam ex puro corde peccata deteſtando, dœmoni abrenunciando, ac toto affectu Dei miſericordiam, & auxilium eius implorando; ita tradunt Arſenale S. Inquiſ. *par. 10. art. 162.* Naldus *verbo Demon num. 2. & verbo chirographum num.* 4. Suarez *tom. 1. de Relig. l. 2. de ſuperſt. cap. 17. num. 4.* Sanchez *in præcep. Decalogi lib. 2. cap. 40. num. 53.* Simanch. *tit. 63. num. 13.* & noſter Lupus *Comm. S. Inquiſ. par. 3. lib. 20. diſt. 5. art. 2. diffic. 2.*

Maleficꝰ pænitens tenetur deſtruere vel cōſignare chirographum, quod eſt in ſua poteſtate

Si tamen ipſe Magus, ſeu Maleficus apud ſe chirographum retineat, illiuſuè tranſumptum, cogendus eſt rumpere, aut comburere: Ita docent Sanchez *loco citato,* & Naldus *verbo chirographum n.* 4. (Regulariter enim cùm aliquis homo Deo abrenunciat, ac dæmoni ſe deuouet, ſolent duo fieri chirographa eiuſdem tenoris, in quibus continentur conuentiones, & pacta inita inter dæmonem, & Maleficum, quorum vnum apud dæmonem conſeruatur, alterum apud Magum, vel Maleficum.) Vel ſi non datur chirographum (vt puta ſagis ignaris, & vilis plebeculæ,) datur aliquod aliud ſignum factum, vel conſignatum propria manu ipſius ſagæ, & ab ipſo dœmone aliqua nota confirmatum, ſed duplum: ita quòd vnum extat in poteſtate dœmonis: alterum in poteſtate ſagæ, vt ſic per hoc ſignum extrinſecum continuè teſtetur, ac proteſtetur, ſe ſemper ratam habere, ac firmam abrenunciationem Deo factam, ac deuotionem, & venerationem dæmoni exhibitam: ac per hoc externum ſignum, internum voluntatis actum in dœmonis obſequium ſemper profiteatur. Ita etiam mihi enarrauit incidenter quidam ſolemnis Magus doctiſſimus, cum quo (Ex mandato Reuerendiſs. P. Inquiſitoris illius Ciuitatis, vbi ipſe morabatur, vt erroribus illum reuocarem, & ad ſanam mentem reducerem) integro menſe quotidiè diſputaui.

Quare licèt Magus, aut Maleficus non teneatur, ſcripturam, vel chirographum, ſeu aliud ſignum exiſtens in poteſtate dæmonis requirere à dęmone,

vt

vt ſcindatur, ac deſtruatur, vt dicunt præfati DD. tenetur tamen illud, quod eſt in ſua poteſtate, reſcindere, ac deſtruere; vel tradere Confeſſario, ſi pænitentiam agat in foro interno; vel Reuerendiſſimo P. Inquiſitori, ſi foro externo, vt per huiuſmodi traditionem externam, coram Eccleſiæ Miniſtris internam teſtetur dæmoni abrenunciationem; ac veram, & ſinceram ad Deum profiteatur conuerſionem. Nam manente, ac durante cauſa morali pacti, ac conuentionis diabolicæ, manet, & durat pactum, & conuentio: Quod intellige, quando ſignum eſt in poteſtate Malefici, aut Sagæ, nec illud deſtruere vult.

§. XI.

578 DIco 8. Quandocumque res naturales, vel artificiales, vt ſigna adhibita in maleficijs, ſunt in poteſtate Malefici, aut Sagæ, ita quòd pro libito ſuo poteſt illa tollere, ac deſtruere, illud maleficium dicitur temporale ad mentem aliorum: quia poteſt tolli, ac deſtrui opere humano, ſeù induſtria humana: Quando verò ſigna, ſeù inſtrumenta maleficij non ſunt in poteſtate Sagæ, aut Malefici, ita quòd non poteſt illa tollere, ac deſtruere ad ſuum libitum, ſuamet induſtria, & opere humano; ſed neceſſe habet pro deſtructione recurrere ad dæmonem, tunc maleficium dicitur perpetuum ad mentem aliorum: etiamſi poſſit à Deo auferri, vel ab Angelis, vel à Miniſtris Eccleſiæ, vel à Chriſti fidelibus per fidem, vel ab ipſo dœmone: Dicitur enim perpetuum, non reſpectu Dei, vel Angeli, vel Eccleſiæ, aut credentium in Chriſti nomine, vel ipſius dœmonis; ſed reſpectu humanæ induſtriæ, & potentiæ; quia humano opere minimè auferri poteſt: ita latiſſimè docet Toſtatus *quæſt.90. in cap.19. Matthæi*, cui ſe ſubſcribit Lupus *par.3. Comm. in Edictum S. Inquiſ. lib.20. d.8. art.2. diffic.3.* Vndè in maleficio matrimonij, quando maleficium durat per triennium, cenſetur diſſolutum matrimonium, vt habetur *in cap. laudabilem, & cap. littera tuæ extra de frigidis, & maleficiatis*: tunc enim maleficium cenſetur eſſe perpetuum eo modo, quo dictum eſt. Sed vide quæ dixi ſupra in hoc tomo pag.145. n.488. iuxta veriorem ſententiam.

Maleficiũ quãdo dicatur temporale ad mentem aliorum. Quando dicatur perpetuũ iuxta alios.

ARTICVLVS II.

De Deo, vt cauſa maleficiorum permiſſiua.

579 QVamuis Dæmonum valde magna ſit ſcientia, ac potentia, & Maleficorum in maleficijs cõcinnãdis iniquitas peruerſiſſima; nec deſint eis res naturales, quibus vtuntur vel vt cauſis phyſicis, vel vt cauſis moralibus ad damna hominibus inferenda; ſi tamen Deus non concurreret permittendo huiuſmodi operationes, ſed cohiberet, nihil penitùs efficere valerent: videndum ergo imprimis.

Dæmon nihil poteſt efficere ſine permiſſione diuina.

QVÆSTIO I.

An maleficia ſint à Deo volente, vel tantùm permittente.

REſpondetur, in maleficijs, ſicut etiam in obſeſſionibus diabolicis (prout malum culpæ includunt, vel ad malum culpæ ſunt inducentia) duo reperiri: alterum eſt ſubſtratum, ſeù materiale actionis, quatenus maleficium, vel actio malitioſa eſt entitas quædam poſitiua: Alterum eſt malitia ipſa ſeù deformitas, qua formaliter talis actio mala eſt, & mala vocatur. 570

Quomodo Deus maleficia velit

Si de maleficij ſubſtrato, ſeù entitate poſitiua, aut materiali loquamur, Deus illam vult. Nam Deus, cum ſit omnium rerum, quæ cæli ambitu continentur cauſa prima, vniuerſaliſſima, actualiſſima, & immediata, vt eruditè docet D. Bonau. in *1. ſentent. diſt.45. art.1. quæſt.2.* concurrit ad omnes operationes ſecundarum cauſarum, ſiuè liberæ, ſiuè naturales ſint. Hæc concluſio eſt D. Auguſtini *3. de Trinitate*, vbi dicitur, Deum per ſuam voluntatem eſſe cauſam omnium motionum liberi arbitrij. Et cum maleficium, aut peccatum pro materiali ſit operatio liberi arbitrij, vel elicita, vel imperata, ſequitur Deum velle illam entitatem, & ex conſequenti eandem efficere: Ita docent D. Bonau. S. Thom. Scotus, & Ricard. *in 2. ſentent. d.37.* quos refert Angles ibi *q.7. art.1. diff.1.*

Pro materiali.

Hinc colligitur, Deum eſſe cauſam motionis linguæ blaſphemantis, & occiſionis, & extenſionis manus Malefici ad maleficium concinnandum. Et ratio eſt: quia ſicut concurrit Deus cum bruto, & leone ad hominem deuorandum; ita etiam cum homine, ac dœmone ad peccati actionem efficiendam. Quærenti autem, quid ſit iſte concurſus: Reſpondebis, eſſe volitionem ſecundam ipſius Dei, qua vult omnes cauſas, tàm liberas, quàm naturales poſſe ſuas operationes exercere. Et quia peccatum eſt operatio hominis, vel dœmonis, vult Deus illam operationem ab illis poſſe phyſicè exerceri; & ita talis operationis entitatiuę, & poſitiuæ dicitur eſſe cauſa: Ita Angles *loco citato*.

appẽdix.

§. I.

VEruntamen per huiuſmodi concurſum generalem ad maleficium licèt Deus velit actionem ſubſtratam maleficij; non tamen dicitur velle maleficium, vel eſſe maleficij cauſa, niſi permiſſiuè. Ratio eſt: quia denominatio actionis non fit à cauſa vniuerſali, & indifferente; ſed à cauſa propria, & particulari. Nam actiones, & paſſiones, & cuiuſcumque generis operationes attribuuntur cauſis proprijs, & particularibus, & non vniuerſalibus teſte Ariſt. 2. *Phyſic.* Deus, & leo concurrunt ad deuorandum hominem; non tamen dicitur Deus deuoraſſe hominem, ſed leo. Deus, & Maleficus concurrunt ad maleficium concinnandum; non tamen dicitur Deus maleficium concinnaſſe, ſed Maleficus: quia Deus ſua generali permiſſione, & concurſu, non vt cauſa particularis, & propria, ſed vt cauſa vniuerſalis, & indifferens concurrit ad maleficia; ideoque illi talis non eſt attribuenda operatio. 581

Si de

§. II.

582 SI de maleficio loquamur pro formali, ſcilicet quoad malitiam, ſeu deformitatem, ac defectum rectitudinis virtutis oppoſitæ, maleficia, ſicut, & obſeſſiones diabolicæ, prout quędam ſunt tentationes ad malum culpæ inducentes, non ſunt à Deo volente, ac iubente, ſed permittente. Prior pars probatur: Nam D. Paulus Rom. 9. tanquam euidentem veritatem hanc concluſionem confitetur, quando dicit. *Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit*, & Pſalm. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Confirmatur rationibus: quia, cum Deus ſit omnipotens, non poteſt deficere, & ex conſequenti neque peccare. Poſſe enim peccare, & poſſe deficere pro eodem à D. Auguſt. accipiuntur lib. 2. de Symbolo cap. 1.

Pro formali maleficia nō vult, ſed permittit.

Deindè Deus eſt ſumma bonitas, qua maior, & melior excogitari non poteſt, & ſi poſſet peccare (quod eſt impoſſibile) alia maior bonitas poſſet excogitari, nempè illa, quæ peccare non poſſet. Altera pars probatur. Nam Deus dicitur eſſe cauſa maleficiorum, ac peccatorum permiſſiua, quatenus ipſe non impedit, nec prohibet, aut ſubtrahit ſuum influxum, & concurſum ad illum actum materialem, & ſubſtratum, cui annexa eſt deformitas, ac malitia, vt non deſtruat decretum ſuum, quo ſanciuit, vt creatura libera liberè operetur, quod eſt (propriè loquendo) velle permiſſiuè. Fauentinus in 4. diſt. 14. diſp. 8. cap. 6. num. 3.

Confirmat hanc veritatem Suarez *par. 2. tract. de Angelis lib. 8. cap. 20. num. 3.* loquens de dæmoniacis obſeſſionibus, ac vexationibus, quibus homines à dæmone affliguntur. *Sicut facultas*, ait, *tentandi non eſt ex poſitiua Dei ordinatione; ſed ex permiſſione; ita hæc poteſtas nocendi in ordine ad talem finem (ſcilicet ad peccatum) tantùm eſt ex permiſſione diuina, ſuppoſita naturali poteſtate, quam dœmon ad nocendum habet: eſt enim in vtraque licentia eadem ratio.* Et infra exponens ſententiam D. Anſelmi *lib. 1. Cur Deus homo cap. 7.* aſſerentes, huiuſmodi pœnas à dœmone inflictas numquam fieri Deo iubente, ſed tantùm permittente, ait, *quando pœna eſt tantùm ad probationem, & exercitium, licèt ſupponat generalem ſtatum naturæ lapſæ, cum tamen non ſupponat proprium reatum talis pœnę ex proprio, ac perſonali peccato contractum, non eſt à Deo volente, ac iubente, ſed permittente: quia non habet intrinſecè illam æquitatem iuſtæ punitionis, & vindicationis.*

Solùm ergo dœmonem, vel hominem dœmone cooperante, maleficiorum, & obſeſſionum cauſam eſſe, nemini eſt ambigendum, qui talento optimo, nempè generali, & indifferenti illo Dei concurſu in ſuam perniciem abutitur, quamuis tàm liberaliter illo donatus ſit à Patrefamilias, vt eo vtatur ad ſalutem.

At cum Deus pijſſimus ſit, ac clementiſſimus, ac poſſit dœmonum tyrannidem, ac Maleficorum iniquitatem cohibere, cur non cohibeat; & impediat, patebit ſequenti quæſtione ex ratione diuinæ permiſſionis.

QVÆSTIO II.

Quare Deus permittat maleficia, & obſeſſiones.

CVm diuina permiſsio vulgo hominum, & his, qui de mundo ſunt, ac de mundo loquuntur, vix aliud videatur, quàm humana, quæ nihil agendo deſidet otioſa, & agere volentes non impedit, etſi poſſit; ex quo errore mala gignuntur innumera, præſtat rationem agnoſcere, & cauſam diuinæ permiſsionis. Nam licèt Deus mala, quæ tantùm permittit, nec approbet, nec velit; illorum tamen ordinationem & vult, & approbat, teſte D. Thoma 1. *par. quæſt.* 114. *art.* 1. Non quòd velit, & approbet ordinem, quo dœmones, vel iniqui homines nos oppugnant; *ſed quia* ait Vaſquez ibi *diſp.* 245. *cap.* 2. *num.* 10. *oppugnationem, qua ipſi aduerſus nos vtuntur, Deus in fines ſuæ prouidētię refert: ſicut etiā peccata non vult, vt fiant, ſed facta refert in finem ſuę prouidentiæ*. Propterea dicendum cum Seraphico D. Sancto Bonauentura *in* 1. *ſent. diſt.* 47. *quæſt.* 3. Deum mala, ac maleficia permittere propter bona, quæ ex huiuſmodi permiſsione procedunt, ſiuè ex ordine rerum in vniuerſo: ſiuè ex ordine rerum in finem. 583

Deus licèt peccata nō velit; illa tamen ab hominib. patrata ordinat in finem bonum.

Si ordo attendatur rerum in vniuerſo, in confeſſo eſt, malum ad Vniuerſi accidentalem perfectionem, & decorem occaſionaliter conferre, in quantum coniungitur alicui bono, quod eſt de eius perfectione, nempè vel Subſtrato, vel Oppoſito, vel Elicito.

Nempè Subſtratum maliti. Oppoſitum illi. Elicitum ex eo.

§. I.

Quantum ad bonum ſubſtratum.

PRimò enim malum, ac maleficium ordinatur ad bonum, quod ei ſubſternitur, nempè naturam defectibilem, quę, vt talis eſt, Vniuerſum decorat, & perficit. Nam ſicut reperiuntur creaturæ liberæ natura defectibiles, nempè homines, quibus Deus dedit libertatem arbitrij, quo liberè poſſunt bonum, & malum agere; ita debuit permittere, vt illis agentibus ex præſcripto naturę ſuæ poſſent operari, nec illa libertate priuarentur: quia ad eius prouidentiam ſpectat, vt vnaquæquè creatura naturæ ſuæ relinquatur, nec ſemper impediatur in ſuis officiis obeundis. *Prouidentia* ait S. Dionyſius *cap. 4. de diuin. nomin. non deſtruit naturam, ſed conſeruat*, & Auguſt. *lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 3. Sic itaque Deus adminiſtrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipſas proprios exercere, & agere motus ſinat.* 584

Quid ſit bonū ſubſtratum.

Nè libertas arbitrij impediatur, Deus maleficia permittit.

Hæc autem libertas eſt ſummum bonum naturale creaturæ intellectualis, ex quo, tanquam è fonte riuuli, alia bona ſcaturiunt, omnes nempè virtutis actiones, & omnia opera meritoria, quæ à mundi exordio facta ſunt, & fient vſquè in finem. Ideò conueniens fuit, vt Diuina Prouidentia homines non cogeret; ſed ſineret vnumquemquè ſpontè ferri, vel ad bonum, vel ad malum; nè, ſi malum non permitteretur, & amouerentur naturę defectibiles, ſubtraherentur tot gradus bonitatis, & pulchritudinis ab Vniuerſo; Ita docent D. Bonau. *loco cit.* Guilhelmus Vorillon *diſt. ead.* D. Bernardus de

libero

libero arb. relati à Pelbarto *tom.* 1.*Roſarij* verbo *Permiſſio* §. 4.

Idipſum de dæmonibus teſtatur Abulenſis *q.* 122. *in cap.* 8. *Matthæi*, vbi quærit: *quare Deus permittit homines à dæmonibus torqueri*. Et inter alias rationes reſponſiuas, quas adducit, vna eſt: *quia nihil debet ſuperfluum manere in Vniuerſo; dęmon autem eſt ſubſtantia ſpiritualis potens aliquid agere, quæ ſi permanſiſſet* (puta in gratia) *fuiſſet beata, & Deo aſſiſteret: cum verò ceciderit, & iam non poſſit eſſe miniſter Dei ad bonum, conſtituit eum Deus miniſtrum ad malum, ideſt ad inferendas pęnas, quæ ſunt quoddam malum: conueniens ergo eſt, quòd dęmones aliquando vexent hominem*. Hæc ille.

§. II.

Quantum ad bonum oppoſitum.

585 SEcundò malum habet ordinem ad id, quod eſt ei oppoſitum, nempè bonum; in quo non parum auget pulchritudinem, & perfectionem Vniuerſi, quæ ex illa oppoſitione conſurgit, in quantum per eam bonum, & clarius agnoſcitur, & ardentiùs appetitur. Hanc autem ſtabiliuit diuerſitatem in hoc mundo, vt vnicuiquè rei contrarium aliquod ſiuè in naturalibus, ſiuè in moralibus aſſignatum videatur, vt verè dictum ſit à Sapiente Eccleſ. 33. *Contra bonum malum ſtat, & contra vitam mors: ſic contra iuſtum peccator; & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi bina contra bina, & vnum contra vnum*. Quare conueniens eſt, à Deo mala, ac maleficia permitti, vt bonum oppoſitum & clariùs agnoſcatur, & ardentiùs appetatur, per quod mundus noua quotidiè recipit decoris, & perfectionis incrementa.

Deus permittit maleficia, vt bonum oppoſitũ clarius agnoſcatur, & ardẽtiùs appetatur.

§. III.

Quantum ad bonum elicitum.

586 TErtiò malum habet ordinem ad bonum, quod ex illo procedit; & ſic confert ad decorem Vniuerſi. Nam ex eo, quòd aliqui malè operantur, multa bona eliciuntur. *Numquam*, ait Drexellius *de conformatione voluntatis lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. *Bonitas illa infinita tantam in Orbe malitiam permitteret, niſi maiora indè bona eliceret, & reperta ad perniciem verteret ad ſalutem. Permiſit Deus fraternam inuidiam in Ioſephum innocentem ſęuire, ſed quanto id bono permiſit, non ſolùm parentum, & fratrum; ſed totius Ægypti? Permiſit Deus inſontem Dauid ab impio Saule grauiſſimis iniurijs exagitari; ſed Dauidis, totiuſque regni Hebręi bono maximo. Permiſit Deus Danielem iniquiſſimè accuſatum in leonum voraginem præcipitari; ſed grandi Danielis ipſius, & plurimorum bono*. Sed quid hæc narro? Permiſit Deus Filium ſuum ab impijs, & iniquis crucifigi; ſed permiſit hoc bono totius humanæ naturæ inexplicabili, vt iure exclamare poſſimus cum D. Gregorio, immò cum tota Eccleſia: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem*. Quod eruditè teſtatur Auguſt. *in Enchyridion cap.* 11. & 27. *Deus*, inquit, *nullo modo ſineret aliquod malum eſſe in ſuis operibus, niſi vſque adeò omnipotens eſſet, & bonus, vt benefaceret etiam de malo*. Et ideò conuenientiſſimè ex ordine rerum in Vniuerſo mala, & maleficia permittenda ſunt, vt bonis illis verè magnis ſummam pulchritudinem, & conſummatam perfectionem ipſum conſequatur.

Deus permittit maleficia, quia multa bona eliciũtur.

§. IV.

SImul etiam mala, ac maleficia permittenda ſunt ex ordine rerum in finem: cum ex tali permiſſione multa bona elicere ſoleat Diuina Prouidentia, ſine quibus ea non concederet; inter quæ Gloria Dei, Eccleſiæ ſplendor, Bonorum profectus, & Malorum pęna, vt potiora computantur. 587

Maleficia à Deo permittũtur ex ordine rerum in finem.

Ob Gloriam Dei.

MAgna quidem gloria ex malorum, & maleficiorum permiſſione maieſtati eius accedit. Quamuis enim ſeipſa non poſſit augeri, cum ſit infinita; tamen in nobis noua ſuſcipit incrementa, cùm magìs, ac magìs diuinę eius perfectiones oculis noſtris manifeſtantur: vt in ijs permiſſionibus, in quibus præcipuè oſtenditur.

Gloria Dei exurgit ex maleficiorũ permiſſione.

Prouidentia, quæ maleficia, & obſeſſiones moderatur, & ordinat. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 18. *Dæmones non omnia, quæ volunt, facere poſſunt, niſi quantum Deus illis permiſerit*.

Potentia, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter: quæ talis eſt, ait Gregorius Nazianzenus de libero arbit. *quòd ſolo Dei nomine inuocato dæmones contremiſcunt*.

Sapientia, quæ ex maleficijs, & obſeſſionibus tot bona elicit. Drexelius de conform. volunt. l. 1. cap. 2. §. 1. *Ex permiſſione malorum altiùs ſapere docemur, & admirabiliſſimam cauſarum ſeriem, ac connexionem fateri cogimur, per quam tandem è tantis malis tot emergunt bona*.

Iuſtitia, quæ per maleficia peccata hominum punit: Idem Drexelius ibidem: *Si Deus mala non permitteret, & permiſſa non ordinaret, & ordinando in bonum deriuaret, vindicem iuſtitiam vix agnoſcerimus*. Iuſtitia enim Dei in puniendis peccatis maximè eluceſcit.

Bonitas, ac clementia, dum poteſtatem dedit omnibus in ſe credentibus, vt in nomine Ieſu dæmones eijcere valerent. Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hęc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient*.

Quapropter maleficia permittendo, Deus euadit glorioſior non ſolùm coram bonis, ſed etiam diſcolis; illis præcipuè, qui nihil aliud exiſtere aſſeuerant, quàm quod oculis corporeis patet, negantes ſpiritus, dæmones, & infernum, vt Saducæi, de quibus Act. 23. immò Angelos, & Deũ ipſum, vt Athęi, de quibus latè Fauentinus *aduerſ. impios Athæos*. Ipſa enim experientia illos conuincit: quia cùm tot inſolitos maleficiorum effectus, & portentoſas dæmonum operationes vident, aliquod ſpirituale magnum, & efficax ſupra corporalia confiteri coguntur. Nec poteſt efficaciùs Saducæorum, & Athæorum error conuinci, quàm maleficam operationem eis obijcere, vt ritè docet Toſtatus *q.* 122. *in cap.* 8. *Matthęi*; ita vt iure appellare poſſimus maleficiorum permiſſionem, Saducæorum, & Athæorum confutationem, & diuinæ gloriæ occaſioné, cuius ſplendor ſic inimicorum oculos perſtringit, vt ſeipſam etiam inuitis aperiat, & manifeſtet.

Conuincuntur Saducæi. Athæi.

§. V.

Ob ſplendorem Eccleſiæ.

588 *Splendor Eccleſiæ luceſcit ex maleficiorum permiſſione.* SImilis ſplendoris acceſſus fit Eccleſię Sanctę Dei, quæ à Chriſto ſuo ſponſo poteſtatem accepit dęmones eijciendi, ac cuncta opera malefica deſtruendi, cum Marci 16. dixit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dęmonia eijcient*. Vnde S. Iuſtinus Martyr de virtute Chriſtianæ Religionis diſſerens ait: *Nos, qui in Crucifixum credimus dæmonia cuncta, ſpirituſque malignos adiurantes ſub poteſtate noſtra eos habemus ſubditos.* Ideò meritò S. Eccleſia hac poteſtate munita nedùm pulcha vt Luna, & electa vt Sol, ſed terribilis vt caſtrorum acies ordinata eſt nuncupanda: *Cant. 6.* cum ſua poteſtate tartareas acies, & omnes infernales poteſtates vim habeat proſternendi, confringendi, in fugam vertendi, ac diſpergendi. An aliqua in mundo poteſtas reperiri poteſt huic æquiparanda? Reges potentiſſimi cum ſuis exercitibus, & innumera militum manu ab vno dæmone vertuntur in fugam: & tota dæmonum caterua ab vno Exorciſta fugatur, & imbecillis homoncio potentes ſpiritus ita ſubijcit, vt eos ad ſibi exactiſſimam etiam in actibus ſubmiſſionis præſtandam obedientiam cogat; atque ita omnibus innoteſcit, Eccleſiam eſſe Dei ſponſam, quæ diuina potentia, quam à ſponſo accepit, ac ſuis miniſtris communicat, inimicis inuitis licèt, & frementibus dominatur.

§. VI.

Ob Bonorum perfectum.

589 *Boni ob maleficia proficiunt in ſchola perfectionis, Declinando à malo.* NEC minor eſt Bonorum profectus ex illa permiſſione procedens. Solent enim Boni maleficia patienter, & innocenter ferendo implere omnem iuſtitiam, quæ in duobus præcipuè conſiſtit, declinare à malo, & facere bonum.

Primum certum eſt: nam culpas eò diligentiori ſtudio vitare contendunt, quò per maleficia in ſeipſis experiuntur, quanta, & quàm dira ſit dæmonum tyrânis, qui ita corpora torquentes in animas acriùs ſæuiunt; ideò ſe à peccato cuſtodiunt, nè ad ſeruitutem illam intolerabilem redigantur: Ita docet Toſtatus *q. 122. in cap. 8. Matthæi.*

Bonum operando Secundum æquè certum eſt, nempè per hanc maleficiorum, ac vexationum diabolicarum tolerantiam obſeſſos, ac maleficio affectos ſæpiùs meliores, ac perfectiores euadere ad omne genus virtutum ſibi viam ſternendum, ac pænas peccatis debitas, quorum culpæ per pęnitentiam ſunt deletæ, ſatisfactorio opere perſoluendum. Quod eruditè docet S. Ioan. Chryſoſt. *homil. 41. in Act. Apoſt. Datur*, ait, *talis poteſtas dæmonibus, vt meliores, & modeſtiores boni efficiantur, & vt pęnas peccatorum hìc dantes puri ad Dei conſpectum migremus.*

Veruntamen, quia dęmon etiam ad multa mala obſeſſos, ac maleficio affectos inducit, & multa impedit bona, vt experientia docet in dies, ſatius erit vexatis, & maleficio affectis, ad Eccleſiæ accedere miniſtros, vt à dęmoniaca eripiantur poteſtate, ac Deo cum libertate animæ, & corporis ex toto corde inſeruire valeant.

§. VII.

Ob malorum pęnam.

590 *Deus per maleficia peccatores punit.* SED in ijs permiſſionibus malorum pęna clariùs eniteſcit. Maleficia etenim exercentur ab ijs, qui ſe dæmoni deuouerunt; & nocent, vt plurimùm ijs, qui ſuis peccatis iram Dei concitarunt: cum ſolet Diuina Iuſtitia temporali caſtigatione in homines animaduertere in hac vita, nè in alia æternis ignibus illos addicere cogatur. Quare Malefico permittit maleficijs illos vexare, eiuſque miniſterio vtitur, ſicut iudex carnificis opera, vt illorum ſcelera puniat: *Iure Deus*, ait Drexelius, *per hos* (ideſt maleficos) *punit, per quos tam variè offenditur*. *Drex. de conf. vol. lunt. lib. 5. c. 10. §. 7.* Quarum punitionum varia exempla refert Delrius *Diſq. Magic. lib. 3. part. 1. q. 7. ſect.* 11. eorum, qui ob grauiſſima delicta varijs à dęmone obſeſſionibus, ac diris vexationibus, ac morte ipſa, Deo ſic permittente, vel iubente, affecti ſunt.

Prædicta omnia de permiſſione malorum ex ordine rerum in fine, videlicet, vt manifeſtentur Dei prouidentia erga in eum confidentes: diuina Iuſtitia in punitione iniquorum; eiuſque ſumma Bonitas, ac clementia in protectione ſuorum fidelium facillimè poteſt comprehendi ex ſequenti caſu digno, qui ad perpetuam memoriam typis exaretur, ac fuſè deſcribatur.

Anno Domini 1647. *cum quidam concionaretur tempore aduentus, ac infra annum in Eccleſia præpoſiturali Gandini oppidi ex principalioribus Diæceſis Bergomenſis in dicto oppido tunc morabatur quidam homo iniquus, ſicarius, fur, homicida, blaſphemus, cæteriſq; vitijs repletus, qui viuebat vel de latrocinijs, vel in domo nunc iſtius, nunc illius diuitis: nonnulloſque ſocios eiuſdem farinæ ſecum ducens ſæpiſſimè varias faciebat violentias in perſonas, contra honorem, corporis integritatem, ac ſanitatem: nec non in facultates eorum, nunc ab vno, nunc ab alio pecuniam violenter extorquẽdo, modò iſtum, modò alterum percutiendo in capite, vel pectore, vel alio membro eis varias læſiones inferendo: mulieres verò pulchras, ſed pauperes, quas poterat violando, vel ſaltem ad choreas cõtra ſuorum virorum, aut parentum voluntatem irè cogendo: nemoque illi reſiſtere audebat, quia nõ ſinebat ſuorum delictorum ad Iudicum tribunal denunciationes ferri; erat .n. ab aliquo potenti diuite protectus.*

Prædicta omnia dicto Cõcionatori referebantur, qui non ceſſabat in concionibus contra huiuſmodi facinora in communi inuehere, & exagerare: ſed omnia incaſſum præſtabat. Tandem cum in vna hebdomada tres homines ille tyrannus grauiter offendiſſet, eò quòd nolebant ſuas vxores ad choreas proficiſci, à quodam ſene vitæ probatiſſimæ lacrymas effundente viro nonagenario rogatus fuit, vt eo modo, quo poſſet, illius tyrannidi crudeli prouideret. Quarè priùs ſeipſum Deo commendans, ipſum ſuppliciter, humiliterque rogauit, & à perſonis deuotis rogare fecit, vt in omnibus, ac præcipuè in re tam graui ipſum dirigere, ac regere, ſuoque diuino auxilio, ac protectione ei aſſiſtere dignaretur. Idcirco diuinas ſcripturas mente reuoluit, vbi de punitionibus peccatorũ pertractatur; conſiderauit, quæ zelo Dei ducti fecerunt viri Sancti Elias, Moyſes, Dauid, alijquè Prophetæ, Paulus Apoſtolus, Sanctus Antonius à Padua, & alij amici Dei

con-

concionantes, à Deoque imprecantes aliquibus publicis peccatoribus pœnas ſeueras, ac mortem ipſam. Propterea Dominica ante vltimam concionem non inuitauit populum more ſolito, vt ſequẽti Dominica ad vltimã concionẽ conuenirent; ſed vt publicus verbi Dei præco, ac miniſter omnes rationis vſu præditos cuiuſquè domus illius oppidi citauit, vt venirent omnes: quia nomine ipſius omnipotẽtis Dei incouenientibus, quæ ferè quotidiè eueniebant in illo oppido efficacia remedia adhibere volebat, ac tyrannidem eorum, qui libertatem hominibus auferebant, ac bono communi Reipublicæ Chriſtianæ aduerſabantur, deſtruere intendebat.

Dominica ergo vltima ante Septuageſimam congregato populo in Eccleſia, præſentibus multis Theologis tam Regularibus, quàm Sæcularibus, ac contra ſuggeſtum ex altera parte Eccleſiæ exiſtente illo tyranno cum ſuis ferocibus, ſeù aſſeclis, nec non Domino ipſius protectore, finita prima parte concionis dixit, quòd promiſſis ſtare prætendebat. Cum enim illa eſſet vltima concio, poſtquam volebat è Gandino diſcedere, ac Romam petere, ſe obſtrictum tenebat aliquod eis relinquere donarium à nullo alio Concionatore fortaſſe illis relictum, quod nedum perſonis priuatis vtilitati erit; ſed totius populi bono publico plurimùm valebit, nempe, ſcutum, & gladium: Scutum fidei, ac confidentiæ in Deum, quo iuſti, & amici Dei protegentur ab inimicis ſuis, & à quacunquè re aduerſa. Gladium verò iuſtitiæ diuinæ vlciſcentis, ac vindicantis, qui deſcendet, ac cadet ſuper peccatores publicos, & obſtinatos, qui proximum in perſona, in honore, ac in facultatibus temporalibus offendere audebunt. Bonis, ac iuſtis per benedictionem. Malis verò, & iniquis obſtinatis in malo per maledictionem ſic dicens.

In Nomine ergo Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, & Filij, ac Spiritus Sancti, Dei noſtri altiſſimi, potentiſſimi, iuſtiſſimi, clementiſſimi, atquè pijſſimi, vt præco, ac miniſter verbi Dei præcipio, ne in futurum aliquis audeat damnum alicui inferre ſiuè in perſona, ſiuè in honore, ſiuè in bonis temporalibus. Et qui ſcienter, deliberatè, ac pertinaciter huic præcepto, ac decreto à me facto, ac publicato in Nomine Dei contrafecerit, eum maledicere intendo in anima, & in corpore, maledictione, quæ omnes comprehendat maledictiones; ita quòd morientur morte violenta, ac repentina, animæquè eorum in infernum *detrahentur:* Dominus enim iuſtus concidit ceruices peccatorum (*teſte Dauid*) confundantur, & conuertantur retrorſum omnes, qui oderunt Syon: *ideſt Deum, ac ſanctos eius, qui diligunt ipſum.*

Deuter. cap. 28. v. 15.

Hæc maledictionem vide in opuſculo dicto Il Leone vittorioſo c. 4. n. 9.

Sed quantum temporis aſſignabitur pro executione diuinæ iuſtitiæ, ſi ſe non correxerint, ſed in malo operando perſeuerauerint? Annum fortaſſe? O Deus iuſte, eſt nimis longum. Sex menſes? O bone Deus quot mala facient in damnum puſillorum, & amicorum Dei! Duos igitur menſes aſſignabuntur ad ſe corrigendum, quo diuina Iuſtitia differet punitionem.

Hæc autem ſententia ab eo prolata, pronunciata, ac publicata tanquam à præcone Dei Altiſſimi, ac Miniſtro Diuinæ Iuſtitiæ remaneat confirmata, ac ſtabilita in tribunali Iuſtitiæ Dei. Verùm quia in Deo datur etiam tribunal Diuinæ miſericordiæ, quæ iuſtitiam temperat, ac moderatur, faciamus appellationem ad tribunal Diuinæ miſericordiæ. Si ergo maior fuerit miſericordia Dei, quòd iſti homines facinoroſi, Reipublicæ Chriſtianę pernicioſi viuant etiam vltra duos menſes, vt ſe corrigant, faxit Deus quicquid ſibi lubet: quia Dominus eſt. Sed ſi Deus ſua præſcientia videat iſtos numquam ſe correcturos; ſed Dei clementia, ac pietate abuſuros, ne maiori pœnæ in inferno in æternum ſoluendæ obnoxios ſe reddant iuxta D. Gregorij ſententiam dicentis: Diuina ſeueritas eò iniquum acriùs punit, quò diutiùs pertulit: *ac nè iuſti, ac boni tamdiù patiantur, & affligantur ab iſtis iniquis, facinoroſis, anticipet Deus punitionem eorum iuxta ſuum diuinum beneplacitum. Exaudiat clamorem pauperum, quos iſti opprimunt: nec permittat amplius iſtos impios ire ſecundùm deſideria cordis eorum. Sed ſicut iuxta ſuam duritiem, & impenitens cor theſaurizant ſibi iram in die irę: ſic veniat citò ſuper eos iſte dies iræ, ac ſecundùm Diuinæ miſericordiæ beneplacitum adimpleatur.*

lib. 25. Mor. c. 2.

Executores verò iuſtitię Dei alij non erunt, quã eius ſocij, ac participes eorundem criminum. Quod factum etiam videmus tempore Gedeonis, Regis Ioſaphat, & aliorum amicorum Dei, quorum inimici mutuis ſeſe cędibus conciderunt.

At quia videbat amicos ſuos lacrymas effundere timentes, quòd Sicarius ille contra ſuggeſtum exiſtens eum occideret, ſtatim addidit: Vt autem ſciatis, ac cognoſcatis ea, quæ dixi, vera eſſe, ac verè vobis euentura, ſcitote me nullo affici timore, quòd aliquis propter iſta quæ dixi, me offendat: in ſignum, & confirmationem huius veritatis, cum quis ſolùm cæperit cogitare me velle offendere, ſtatim illi ſuperueniet quænam mentis offuſcatio tenebroſa, ac confuſio, corporiſque tremor, ac languor illum corripiet, ita quòd ſolus mei aſpectus illum turbabit, & affliget. *Hæc ille.*

Tandem omnibus genuflexis eis benedictionem longam impendit, omnes rogans, vt orationem effunderent pro peccatoribus, ne aliquis incurreret illam maledictionem, quæ tantùm comminatoria erat, ac de futuro, quam omnes poterant euadere, & euitare, ſi vellent.

Concione autem completa dum Conuentum proficiſceretur recto tramite per plateam propè illum ſicarium pertranſiuit, qui vt ipſum aſpexit totus turbatus terga vertit retrorſum, ille verò Deo gratias retulit, qui eum euntem, & redeuntem ſemper illæſum à malo cuſtodiuit. Sicarius verò ille cum ſuis ſocijs poſt prandium redijt in plateam vbi coram populi multitudine quæſiuit à ſuis ſocijs an ille, Frater: qui ante prandium propè ipſum tranſijt per plateam, eſſet Concionator: vel alius Frater: cui reſpondentes fuiſſe Concionatorem: dixit: fateor quòd menti mihi erat, illum malè accipere; ſed pro tunc, dum illum aſpexi taliter turbatus ſum, quòd neſciebam, vbi exiſterem: cæpitque horrendis blaſphemijs, ac conuitijs Deum laceſſere, Beatiſſ. Virginem, ac Sanctos execrari dicens, quòd ſequenti nocte volebat mulieres co-

gere ire ad choreas in domo Domini ſui, apud quem diuerſabatur; & quæ nolebant ire, volebat in publica platea eas veſtibus expoliare, ac nudas eas compellere ad choreas pergere. Veſpere ergo ſequenti tripudiare cœperunt, vbi cum dictus Sicarius cum multis alijs Iuuenibus, atque Adoleſcentulis ſaltaret, quendam actum illicitum contra vnam illarum perpetrauit, quę turbata clamauit, ac de ipſo conqueſta eſt. Quo facto audito à Domino illius domus, neſciens quis eſſet ille, dixit: quis eſt ille ita impertinens, qui in domo mea iſtas Adoleſcentulas vexare audet. Quod audiens ille tyrannus ſtatim acceptis armis contra ipſum Dominum inſurrexit, ac multis opprobrijs, ac conuitijs illum affecit. Sed ecce alij feroces, ac ſocij ipſius pro Domino inſurrexerunt contra tyrannum, illũquè è domo eiecerunt; qui extra domum manens furore repletus, ac ira excandeſcens multas blaſphemias contra Deum euomebat, Dominum, ac ſocios iniurijs inſultabat, & ad duellum inuitabat. Nocte autem illa licèt multi conueniſſent ad defenſionem Domini illius, nihilominus vt ſententia à Pręd icatore prolata in nomine Dei adamuſſim adimpleretur, ſequenti mane valde diluculo feroces illi iam ſocij, & aſſeclæ dicti tyranni à Domino miſſi fuerunt ad illum querendum, & occidendum, quem obuium habentes, ſine mora omnes laxatis rotis ſcloporum eum occiderunt, ipſiuſquè accepta archibuzia, ipſa capitis eius ceruices conciderunt, cuius animam ſine vlla mora ad infernum detractam pęnas tot, ac tantis ſuis flagitijs, ac ſceleribus debitas in æternum duraturas perſoluere facilè credi poteſt. Ex quo omnis populus gaudentes dicebant: Ecce ecce gladius Dei, en deſcendit ſuper tyrannum iſtum; ac ſocij ipſius cum eo carnificis munere functi ſunt! *Poſt quindecim verò dies, cum Venetias Concionator perueniſſe, inuenit quendam amicum ſuum qui nuper è Gandino venerat, qui ei nunciauit, quomodo poſt eius diſceſſum etiam ſocij illius ſicarij fuerant in quodam vico non multùm diſtante à Gandino interfecti.*

Alius caſus haud abſimilis accidit in territorio Brixienſi anno antecedenti, dum idem concionabatur in quodam oppido, vbi quidam Nobilis genere, ſed non moribus, multas operationes tyrannicas per quoſdam ſuos milites exercebat, iniuſtiſſimè proximum offendendo in honore, in perſona, & in facultatibus; ſed pręcipuè multa operabatur contra Eccleſię honorem, ac libertatem, doctrinę chriſtianę exercitationem, ac verbi Dei prędicationem, quibus execrandis operibus efficaciter obſtitit, nedum per maledictionem contra huiuſmodi profanatores, ac tyrannos prolatam, ac promulgatam; ſed etiam per Ciuitatis Rectores illum cum ſuis ſeruis ſine mora ad ſe vocantes, ac intra parietes domus ſequeſtrantes. Qui poſtea infra duos menſes iuxta ſententiam datam, ac promulgatam in Nomine Dei ab alijs hominibus iniquis interfecti ſunt. De quare ſtatim Archipresbyter illius Eccleſiæ per litteras Concionatorem prędictum certiorem fecit.

Ex quibus caſibus facile nobis eſt colligere, Deum mala permittere in hoc mundo, non ſolùm vt arbitrij libertatem non impediat; verùm & propter ipſorummet iniquorum pænam, vt per eorum punitionem nobis nedum Diuina Iuſtitia vindicatiua innoteſcat; ſed etiam Diuina Prouidentia, quæ non ſinit eos tot delicta, ac mala patrare, quot vellent; ſed ea moderatur, & ordinat. Potentia Dei oſtenditur, dum illorum impetus, & audaciam reprimit, eorumque conſilia praua confundit, ac deſtruit. Sapientia increata, ac imperſcrutabilis reſplendet, quæ per malos, & iniquos peccata malorum, & iniquorum punit iuxta illud *Per quæ quis peccat, per hæc & punietur*. Bonitas, ac miſericordia Dei manifeſtatur, dum malos atque peruerſos in peccato obſtinatos cognitos in Dei præſcientia numquam ad ſanam mentem redituros breui è medio tollit, ne maiori pæna in inferno reddantur obnoxij; ac boni, ac iuſti ab eis tamdiù malè accipiantur, & affligantur. Veritas Dei infallibilis ſe patefacit, dum verbum Dei à ſuis præconibus ob zelum diuini honoris enunciatum, ac promulgatum non ſinit vacuũ reddi, ſed adimpleri facit. Sicque Eccleſię Sanctę Dei ſplendor magìs, magìſque eniteſcit, dum eius Miniſtrorum, ac Prædicatorum verba vera eſſe, & non vana conſpiciuntur, ac comprobantur. Iuſtique ac boni feruentiùs in bonis operibus ſe exercēt ac proficiunt in eis, dum à malis hominibus, atque iniquis Deus illos protegit, atque tuetur; ſicque honor Dei magìs, ac magìs augetur, ac Sanctum Nomen ipſius ſanctificatur, atque glorificatur per ſæcula. *Vide infra num. 799.*

§. VIII.

HÆc & ſimilia etiam ex maleficiorum, & obſeſſionum permiſſione bona procedunt, quæ Deus ſua prouidentia elicit conſequenter. Quapropter licet colligere iuxta duplicem illum ordinem rerum in Vniuerſo, & in finem: quare Deus alios maleficia exercere: alios maleficia perpeti permittit. Primi exercent: quia illorum libertatem impedire non vult: quamuis multoties impediat, nè producant noxium effectum, quem illi perficere curant; ſæpiùs enim impedit, nè maleficium efficax ſit. Secundi patiuntur; quia vel caſtigat peccata eorum propria ſiuè mortalia, ſiuè venialia: vel ad maiora prouocat, ſcilicet virtutes, gratiam, & gloriam. Deniquè vtrique agunt, & patiuntur: quia ex illorum actionibus, & paſſionibus bonis, & malis ſuam, & Eccleſiæ gloriam manifeſtat. Vndè mirandum non eſt, ſi non ſolùm nocentes, & peccatores, ſed etiam innocentes, & iuſtos maleficia attingant, & vexent. Illi enim ob peccata mortalia rei ſunt; Iſti ob venialia: cum nullus ſit, qui quotidiè in illa non prolabatur, teſtante Sapiente Prouerb. 24. *Septies in die cadit iuſtus*, quorum vnum ſolum ſine Diuinæ Iuſtitiæ præiudicio morbis grauioribus, immò ipſa vexatione dæmoniaca puniri poteſt; vt innotuit in Abbate Caſſiano propter leuiculam iram, *apud Caſſianum Collat.* 7. In Religioſo propter tepiditatem, & diſtractionem, *in vita S. Bernardi lib.* 2. *cap.* 21. Et in quadam Religioſa propter gulam præcipitem, & leuem, *apud S. Gregorium lib.* 1. *Dialogorum cap.* 4. 591 *Rationes diuinæ permiſſionis epilogantur.*

Idem dicendum eſt de puerulis, & infantulis, quibus potiſſimùm veneficia nocent: quia ætas illa imbecillior eſt ad reſiſtendum, incautior ad cauendum, & incapacior ad accuſandum, & reuelandum. Hoc enim ſinit Deus, vel vt parentes puniat, ſi mali ſint: vel vt eos probet, ſi boni: vel vt infantem, ſi baptizatus ſit, à peccatis præſeruet, & ad cœlum rapiat, antequam malitia mutet intellectum eius; vt videtur annuere Aug. *lib.* 21. *de Ciuit. Dei c.* 14. Si verò non ſit baptizatus, nè grauiorem ei damnatio-

tionem imponat propter actualia peccata, quæ commiſſurus erat, ſi viueret.

§. IX.

592 SEd quamuis in vtriſque adultis ſcilicet, & puerulis peccata non reperirentur, aut merita; iuſtè tamen Deus poſſet permittere, illos maleficijs, & diabolicis affici vexationibus, non ad punitionem, aut remunerationem; ſed ad ſuam gloriam, quæ, cum maximum bonum ſit, omni creaturarum malo anteponenda eſt, & nulli malo poſtponenda. (Quod maximè Exorciſtis, & Parochis attendendum eſt; & obſeſſis, maleficiatis, & ægrotis ab ipſis inſinuandum, & inculcandum.) Hoc probat dictum Chriſti Ioan. 9. de illo Cæco nato, dum diſcipulis ſuis cauſam ſciſcitantibus: cur natus eſſet cæcus: videlicet, an propter peccata propria, vel parentum? Reſpondit: *Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo*, nempè omnipotentia Dei, eiuſquè ſapientia, ac bonitas, dum Chriſtus ab eo cæcitatem auferret, ac perfectum illi viſum reſtitueret: vt benè explicat Euthimius Zigabonus *in Bibliotheca VV. Patrum*. Quod magis, ac magis comprobauit ipſe Chriſtus Ioan. c. 14. dicens: *Quodocumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio*; quaſi dicat: Si in veſtris obſeſſionibus, infirmitatibus, tribulationibus, ac neceſſitatibus me inuocaueritis, exaudiam vos; quia ſic Deus Pater vobis illas potiſſimum permittit, vt vobis inuocantibus me, nomen meum honoretur, ac glorificetur Pater in Filio, dum ea, quæ iuſtè, piè, ac fiducialiter petitis, vobis gratioſè conceduntur, ac liberaliter communicantur.

Potiſſima omnium ratio permiſſionis maleficiorum eſt gloria Dei.

QVÆSTIO III.

Quomodo Deus obſeſſiones, & maleficia impediat.

593 IN ijs maleficiorum, & obſeſſionum permiſſionibus maximoperè eſt cauendum, nè praua illa opinio in animum irrepat, omnimodam, tùm dæmonibus, tùm Maleficis à Deo tribuit poteſtatem; ita vt poſſint lixatis habenis prorumpere in omne opus maleficum: aut quos volunt, magicis artibus impetere. Vterquè enim ſæpiùs coercetur à Deo, vel impeditur tùm per ſeipſum, tùm per Angelos.

Dæmones ac Malefici in maleficijs operandis ſæpius coercentur à Deo.

§. I.

PEr ſeipſum Deus ſæpiùs dæmonum ſæuitiam, ac Maleficorum conatus dupliciter impedire, vel coercere ſolet, poſitiuè nempe, ac negatiuè.

Per ſeipſum.

Poſitiuè Deus vtique eis obſiſtit, cùm eorum vim repellit, ac confringit audacia diuinam ſua virtute, quæ certè ſumma eſt, infinita, ac perfectiſſima, & talis, cui reſiſtere nemo poteſt; vt apertè confeſſus eſt Mardochæus Eſther 13. dum in anguſtijs poſitus memor omnium operum Dei, ſic illum deprecatus eſt: *Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tua reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrael. Tu feciſti cælum, & terram, & quidquid cæli ambitu continetur: Dominus omnium es: nec eſt, qui reſiſtat Maieſtati tuæ.* Nil ergo canina diaboli malitia proficiet in ſuis maleficijs, ſi à diuina virtute impediatur: cum vniuerſa potentia creata huic cõparata ſit radius ad orbem ſolarem, gutta ad oceanum, arenula ad totius terræ molem, immò aliquid minus: nec minus ſolùm, ſed minimum; nec minimum tantùm, ſed nihil. Nonnè ridiculum ſe præbebit dæmon, ſi velit obniti omnipotenti Deo, rumpere non catenam ferream, ſed potentiam infinitam, & tentare impoſſibilia contra ſtimulum calcitrando?

Poſitiuè eis impedit obſiſtendo.

Negatiuè verò dæmoniacam, ac maleficam potentiam impedit, vel coercet, cum ſuum ſubtrahit concurſum vel ab ipſis dæmonibus, aut Maleficis, vel à rebus naturalibus, quibus vtuntur in ſuis maleficijs conninandis. Ratio eſt: quia cum omnes cauſæ ſecundæ à prima dependant, & ſine eius influxu nec operari, nec eſſe poſſint, vt teſtatur D. Bon. *in 1. diſt. 12. quæſt. 2. & 3.* dicens: *Cauſa prima, & vniuerſaliſſima plus influit in cauſatum, quàm ſecunda; & tanta eſt eius influentia, quòd nulla creatura agit aliquid, eius influentia remota; ipſa enim vehementiùs eſt cauſa rei, quàm cauſa propinqua, immò ipſa adiuuat cauſã ſecundam ſecundum operationem ſuam, & influit virtutem ſuam ſuper eam, & ſeruat eam.* Si huiuſmodi cauſa prima, & vniuerſaliſſima, quæ eſt Deus, vt probatum eſt ſupra *num.* 580. non influat, nullum poſſunt cauſæ ſecundę producere effectum. Vndè ſi à dęmone, vel à Maleficis activa paſſiuis applicentur, ſi Deus non concurrat, quid illis manebit, niſi confuſio? Ecce meditentur Malefici noua maleficia, vt hominibus noceant, cùm ipſi dęmone mediante, cuius eſt malum perficere, operantur, ipſe vtiquè intellectum habet ſubtiliſſimum ad illa inuenienda, voluntatem ad exequẽda propenſiſſimam, virtutem maximam ad præparanda, & efficienda; ſed nec intelligere, nec velle, nec agere quicquam poterit, ſi Deus non concurrat. Sed dęmon dimittatur liber in ſuis potentijs, inueniat intellectus, voluntas impellat, virtus exeat ab agente tàm ſubtili, tàm voluntario, tàm potente, tentet maleficia, vt ſolet, activa paſſiuis applicando; attamen omnia virtute carebunt, ſi Deus ſubtrahat ſuum concurſum: vt patet de Sancta Iuſtina, ac de S. Ambroſio Archiepiſcopo, quibus nocere non potuerunt maleficia à Magis contra illos cõcinnata, diuina virtute vel obſiſtente, vel ſuum concurſum ſubtrahente. Licèt enim res, quibus dęmones vtuntur in maleficijs concinnandis, de ſe ſint alterabiles; nihilominus non concipient calorem, aut frigus, aut humidum, aut ſiccum, aut alias exteras qualitates, ſi tàm actiuis, quàm à paſſiuis Deus ſuum ſubtraxerit concurſum; atque ita dæmon, ac Malefici dupliciter illudentur à Deo non concurrente cum illis, vel rebus ab ipſis applicatis: nec poterunt quantumuis minimum effectum producere, etſi omnem moueant lapidem, & totam verſent induſtriam. Vide tom. 1. pag. 26. & ſeq. 594

Negatiuè impedit, concurſũ ſuum ſub trahendo

§. II.

PER Angelos etiam ſæpiùs ſolet Deus dęmonum, ac Maleficorum conatus impedire, vel coercere. Quod ipſi præſtant duplici virtute, qua pollent, naturali nempè, ac diuina, præcipuè illi ſpiritus beati, quibus orbis cura commiſſa eſt, & hominum cuſtodia demandata; vt eruditè docet Alex. Alenſ. *part. 2. q. 100. mem. 2. art. 6.* 595

Per Angelos Deꝰ dęmones coercet.

Virtute namque naturali ſuperiores Angeli in natura poſſunt coercere inferiores, puta dęmones, ſi ordinis ſint inferiores; vt docent S. Auguſtinus *lib. 83. qq. q. 79.* S. Thom. *3. p. q. 43. art. 2. ad 3. & q. 109. art. 2. & 3. & de Potentia Dei q. 6. art. 10.* Albertus Magnus

Virtute naturali ſuperiores coercent inferiores.

Magnus,& Dionyſ. Carthuſ. *in Lucam cap.* 11. Caſſianus *Collat.* 8. *cap.* 14. Ioannes à Turrecremata *in qq. Euangel. quæſt.* 1. *dom.* 3. *Quadrag.* Victoria *in Relect. de Arte Magic. numer.* 22. Angles *in* 2. *ſent. diſt.* 11. *q. de eadem materia art.* 5. Benedictus Pererius *lib.* 1. *de magia cap.* 5. ac Petrus Binsfeldius *de Confeſs. Malefic. dub.* 3. *concl.* 10.

Ratio eſt: quia rerum ſubordinatarum debet quoque actiones ad inuicem eſſe ſubordinatæ, vt patet in corporibus cæleſtibus, quorum motibus, & actionibus actiones, & motus corporum inferiorum, ſicut & ipſa corpora, ſubijciuntur. At cum inter Angelos alij alijs ſint in naturalibus ſubordinati, ſuperiores ſupra inferiores poteſtatem habent.

596 *Virtute diuina quilibet Angelus poteſt dæmones cohibere.* Nec virtute tantùm naturali Angeli valent cohibere dæmones (ſi iſti illis ſint inferiores) ſed etiam diuina virtute, qua cum omnes polleant, minimus inter illos totam dæmonum caterua m in fugam conuertere poteſt: quia per gratiam conſummatam maior eſt illis data prælatio, quàm ſit præſidentia Luciferi, aut aliorum quorumcumque; Et hoc modo tàm ſuperiores, quàm inferiores Angeli diabolicos impediunt conatus; vt probatur ex facto S. Michaelis, qui vt refert S. Iudas in ſua epiſt. canonica, *dum diſputans altercaretur cum diabolo de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* Vbi vides non naturali, ſed diuina virtute illum cohibuiſſe, nempè interpoſitione diuini nominis. Hoc teſtantur Patres, quorum ſententias videre licet infra *à n.* 852.

Appēdix Hinc certò credendum eſt, Angelos tutelares, & cuſtodes à ſuis clientibus dœmones arcere, nè illis nocumenta valeant inferre: ac præſides prouinciarum frequenter eos impedire, nè detrimenta inferant ciuitatibus, agris, fructibus, & alijs mortalium bonis ad vſum hominis ſpectantibus, & ordinatis. En quibus modis Deus dæmonum, eorumque aſſeclarum impetus cohibeat, nè hominibus diuina fretis protectione, & adiutorio detrimentum, aut vexationem quacumque arte, vel dolo inferre valeant!

APPENDIX.

597 *Cōcluditur, Exorciſtam debere eſſe imbutum* Ex prædictis quatuor maleficiorũ cauſis facillimum eſt cognoſcere, Theologum Exorciſtam ſibi ſpeculatiuam, & practicam maleficiorum cognitionem iuremeritò vendicare.

Speculatiuam, dum in paleſtra theologica ſacræ doctrinæ concluſionibus enucleandis, & ſoluendis quæſtionum nodis laudabiliter ſe exercet.

Practicam, dum in Eccleſia Sancta Dei diuina, & eccleſiaſtica poteſtate munitus exorcizãdis Energumenis, & diſſoluendis maleficiorum operibus perſeueranter intendit.

In paleſtra namque theologica continuo ſtudio addiſcit, quænam ſit Angelorum bonorum natura, ſcientia, potentia, operatio, & malorum lapſus, obſtinatio, malitia; quę ſocietas inter dæmonem, & hominem eſſe poſſit: quæ ſignorum conuentionis vis, & efficacia, quę diuinę prouidentiæ in malis permittendis œconomia; atque ideò maleficiorum cauſas probè agnoſcit, quas ignorare neceſſe eſſet, ſi illa non noſſet. Optimum namquè eſſet, vt qui exorcizandis Energumenis, & maleficiatis curandis ex eccleſiaſtico munere deputantur, vt ritè, tutò, ac perfectè valerent ſuum obire munus, priùs philoſophiæ, ac theologiæ ſcientijs apprimè imbuerentur, quàm ſacro huic muneri vacarent, ne ex defectu ſcientiæ prolaberentur in intolerandos errores cum eccleſiaſtici miniſterij contemptu, & generali omnium ſcandalo, ſi dæmonem occultè operantem non deprehendant; aut circa maleficio affectos non rectum iudicium ferant.

Philoſophiæ, ac Theologiæ ſcientijs. Nè in varios incidat errores.

Quod certè difficillimum eſſe, nemo negabit, ſi conſideret, hinc quanta ſit dæmonis malitioſa potentia, dum varijs artibus, efficacibus modis, & verſutijs ſubdolis ſua opera concinnat, & mala innumera non ceſſat in orbem inuehere, quę vix, ac nè vix quidem à nobis homoncionibus agnoſcũtur. illinc quàm periculoſum, de morbo malefico iudicare, qui ſępiùs, (ſi ſigna externa conſiderentur) à naturali diſcerni non poteſt; & ideò Medicis, & Theologis diſputationis anſam prębet, dum quiſque eius cognitionem ſibi vendicat. Ex quo aliquando nimis frequenter accidit, vt qui Theologiæ ſedulò, ac pręcipuè doctrinæ de dæmoniacis operationibus operam non nauarunt: nec non de ægritudinum naturalium cauſis aliqualem non habuerunt cognitionem, cùm de quocumquè morbo obuij cuiuſque infirmi iudicant, tranſeunt de potentia ad actum; quas enim in libris infirmitates legunt à dęmone cauſari poſſe, eas ſemper ab illo inductas exiſtimant, & poſſibile pro facto reputantes, quot vident infirmos, tot maleficiatos credunt. Quare dum cęcutientes iſti Exorciſtæ cæcos infirmos ducere contendunt, ſeipſos, & alios in foueam pręcipitant. Vndè fruſtra eccleſiaſticis remedijs eum curare nituntur, qui naturali infirmitate laborat. Ex quibus videas, quàm neceſſe ſit, Exorciſtam theologica ſcientia probè, & aliquali naturalium cauſarum ægritudinum notitia imbutum eſſe, ad illud munus ritè, perfectè, ac tutò obeundum.

Nè in iudicando de maleficijs cæcutiat: Ac ſeipſum, & ægros in foueam præcipitet.

Practicè verò Theologus Exorciſta maleficia cognoſcit, dum actu aliquem exorcizans, & curans per exorciſmos, ac præcepta dęmoni facta in nomine Ieſu, quibus dæmon cogitur ſe vertere in fugam, mutationes in infirmis videt inſolitas; & ſic à poſteriori cognitionem eorum nanciſcitur, quæ vt plurimùm à priori haberi non poteſt.

ARTICVLVS V.

De ſignis, quibus maleficia, & obſeſſiones cognoſcuntur.

Signorum externorum, quibus Exorciſta modò obſeſſum, modò maleficiatum deprehendit, alia ſunt certa, & euidentia: alia coniecturalia, & probabilia. 598 *Signa maleficiorum, & obſeſſionum quæ.*

Certa, & euidentia ſunt illa, quę ſumuntur ab effectu, qui prouenire non poteſt à cauſa naturali, ſed neceſſe eſt, proueniat à cauſa ſuperiori, puta dęmone.

Coniecturalia, ſeù probabilia ſunt ea, quę ſumuntur ab effectu, qui ſæpiùs, vel vt plurimùm procedit à cauſa tranſnaturali; nempè dęmone; aliquando tamen prouenire poteſt à cauſa naturali.

Signa certa, & euidentia, ex quibus Exorciſta certum diabolicæ pręſentiæ, & operationis iudicium formare poteſt, indicantur ſigno ✠.

Signa coniecturalia, ſeù probabilia ſunt reliqua omnia ſine ſigno, quorum aliqua ſunt probabiliora; aliqua minus probabiliora.

Hæc autem ſigna quędam ſumuntur ex potentijs animæ ipſius perſonæ obſeſſæ, ſeù maleficiatę; quædam ex diſpoſitione corporis.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Quænam ſigna ſumantur ex potentijs Animæ.

CVm tres ſint animæ genericè ſumptæ facultates, ſeù potentiæ, nempè Intellectiuæ, Senſitiuæ, & Vegetatiuæ, ex harum qualibet multa dæmoniacæ præſentiæ ſigna deprehendimus.

§. I.

Ex Potentijs intellectiuis.

POtentiæ intellectiuæ, ſeù rationales duæ ſunt, videlicet Intellectus, & Voluntas, in quibus licèt dæmon immediatè nihil operari queat, puta intellectum ſpeciebus illuſtrando, ac perficiendo, aut voluntatem cogendo, & impellendo; mediantibus tamen potentijs ſenſitiuis exterioribus, & interioribus multa in eis operari valet; vt benè docet D.Bonau. *in* 2. *d*.8. *art*.4. *quæſt*. 4. *&* 5. Ideò ex earum operationibus extrinſecis facilè cognoſci poteſt, an aliquis ſit à dæmone poſſeſſus, vel aliqua naturali laboret ægritudine.

Ex Intellectu.

✠ 1. CVm aliquis eſt rudis, & ignarus, ſi diſtinctè, & ordinatè diſcurrat, & diſputet de arduis, & ſublimioribus quæſtionibus, vt de philoſophicis, vel theologicis; angelicus eſt, vel dæmoniacus.

✠ 2. Cùm quis delirio, ac phreneſi laborat nulla alia affectus ægritudine, ſi Exorciſta dæmoni (ſi adſit) conditionaliter præcipiat in nomine Ieſu, vt deſinat nocere illi, ac ceſſet impedire eum in ſuis functionibus, & operationibus ſenſitiuarum potentiarum; ſi, inquam, immediatè ceſſet delirium, ac phreneſis recedat, & ritè, & ordinatè diſcurrat, & ad omnia ſeriò reſpõdeat interrogata, dæmonem adeſſe præceptum factum intelligentem, ſignum eſt euidens.

✠ 3. Quando ægrotus eſt rudis, & linguę latinæ ignarus, & clarè, ac perfectè Exorciſtam idiomate latino loquentem, ac præcepta facientem intelligit, dæmoniacæ pręſentiæ ſignum eſt euidens; pręcipuè ſi Exorciſta vocabulis vtatur latinis obſcuris, & ab idiomate vulgari totaliter diuerſis, quæ, impoſſibile ſit, intelligi ab illo idiota, & ignaro.

✠ 4. Quando occulta annunciat, remota adducit, futura prædicit, & ſimilia opera, quæ naturaliter ab intellectu humano ſciri, aut fieri nequeũt nec dæmoniacam excedunt cognitionem, aut potentiam, ſi ex vitæ ſuæ ſanctitate non arguatur talia à diuina reuelatione prodire, homo dæmoniacus eſt, vel diabolicus, videlicet vel eſt poſſeſſus à dęmone, vel cum dæmone habet commercium.

✠ 5. Quando quis concidit velut mortuus, & ſurgit ſine mora ad præceptum ab Exorciſta factum dęmoni in nomine Ieſu; ſignum eſt ibi eſſe dęmonem præceptum intelligentem.

✠ 6. Cùm in aliqua corporis parte eſt aliquis dolor, vel tumor, ſi ad ſignum ✠ crucis, & præceptum dęmoni factum in nomine Ieſu, vt recedat, & aufugiat; & iterum iubente Exorciſta accedat; diabolicæ præſentiæ ſignum eſt euidens.

Ex voluntate.

✠ 1. SI homo inopinatò ſine vlla pręcedente cauſa velit ſibi mortem inferre, ita vt ſe ſaxis collidat, in ignem ſe immittat, ac pręcipitem det, nec tamen ſequatur ſibi aliquod malum, ſignum eſt euidens, dęmonem adeſſe hęc mala volentem, & intentantem; ſed Deum diabolicam malitiam impedientem, & Patientem ab huiuſmodi periculis pręſeruantem.

2. Quando Patiens aliàs bonus, & timoratę conſcientiæ, nulla de cauſa odio habet Sacerdotes, Religioſos, parentes, amicos, & maximè in ſacris conſtitutos, eoſquè contra ſuam propriam voluntatem conuicijs, & opprobrijs afficit; ſi non eſt euidens ſignum dæmoniacæ præſentiæ, ſaltem valdè eſt probabile.

§. II.

Ex Potentijs ſenſitiuis interioribus apprehenſiuis.

CVm potentiæ ſenſitiuæ aliæ ſint interiores, aliæ exteriores; Interiores verò aliæ cognitiuæ, ſeù apprehenſiuæ, alteræ appetitiuæ, ab interioribus apprehenſiuis exordium ſumam, ex quibus plura deducuntur ſigna.

Ab Æſtimatiua.

1. QVando quis abſque vlla pręcedente cauſa (ſi non eſt mente captus) ſuos parentes, conſanguineos, amicos, ac familiares, vt inimicos exiſtimat, & ab eis tanquam ſibi noxijs aufugit.

2. Quando quis præter ſuam naturalem inclinationem, & conſuetudinem remedia naturalia ſibi vtilia, & proficua, & omnia delectabilia, vt noxia iudicat, & ſibi inconuenientia, ac moleſta exiſtimat.

Ab Imaginatiua, ſeù Phantaſia.

1. QVando continuè patienti fiunt apparitiones inhoneſtæ fortiter mouentes phantaſiam, etiam contradicente voluntate, acſi oculis corporalibus viderentur.

2. Quando ſæpiùs occurrunt imaginationi viſiones horribilium, præcipitiorum, ac periculorum, nec eſt natura timidus.

3. Quando apparent viſiones rerum ſpiritualium frequenter, & patiens non habet fundamenta ſanctitatis, ac virtutis.

4. Quando ſentiuntur allocutiones interiores formatę, & diſtinctæ, & cognoſcuntur, à Deo non eſſe.

5. Quando ſomnia ſunt ordinaria horribilium, vel libidinum in perſona timorata, & caſta.

✠ 6. Quando imaginationi ſe præſentant res inhoneſtę vehementes circa imagines Sanctorum, vel Beatiſſimæ Virginis, vel etiam Ieſu Chriſti, ſi eodem tempore ſimul ſentiant in capite, ea parte,

qua

qua reſidet phantaſia, veluti plumbum, vel aquam frigidam, vel ferrum ignitum, aut quid ſimile, quod fugiat ad ſignum ✠ crucis, & inuocationem Sanctiſſimi nominis Ieſu, & ſe recipiat ad alterum corporis membrum, ita vt eodem tempore etiam imaginatio talium obiectorum, ſignum eſt euidens pręſentiæ diabolicæ.

A Memoria.

1. QVando quis repentè abſque vlla pręuia ægritudine obliuiſcitur omnium ſcientiarum, vel artium, quibus ritè, & perfectè inſtructus erat.

2. Quando quis poſt multa vel confuſè enarrata, vel diſtinctè, ſed naturę ſuę, & artis captum excedentia, repentè mutatur, & omnium, quæ dixerat, ampliùs non recordatur.

§. III.

Ex Potentijs ſenſitiuis appetitiuis.

600 POtentię ſenſitiuę appetitiuę duę inſunt vires. Concupiſcibilis vna: altera Iraſcibilis, quarum vtraque plures ſub ſe continet paſſiones.

Concupiſcibili.

IN Concupiſcibili paſſiones ſex continentur, nempè Amor, Deſiderium, Gaudium, Odium, Fuga, & Triſtitia: quarum primę tres ſunt reſpectu boni conuenientis: alię reſpectu mali diſconuenientis. A quarum ſingulis ſignum aliquod dæmoniacę præſentiæ, & operationis mutuari poteſt.

Ab Amore.

1. QVando quis præter ſuam conſuetudinem amat obſcura, & tetra loca, & quærit horrores ſolitudinis.

✠ 2. Quando quis timoratæ conſcientię, ac honeſtatis amator aliquam ardentiſſimè amat perſonã; præcipuè ſi aliqua adoleſcentula pura, & modeſtię ac caſtitatis amatrix, inopinatò incipit amare ardentiſſimè virum aliquem, vel iuuenem, cum quo priùs nullam domeſticam habuit conuerſationem, vel longam ipſius pulchritudinis aſpectionem, ac meditationem; & ſi videatur potiùs furere, quàm amare, ſignum eſt euidens maleficij amoris.

3. Quando quis aliàs ſanæ mentis inopinatò incipit pericula, & alia id generis ſibi noxia amare, & quærere.

A Deſiderio.

✠ 1. QVando aliquis homo, vel mulier timoratæ conſcientię cum aliqua perſona carnaliter commiſceri ita vehementer deſiderat, ſentiat ſibi pectus aduri, niſi illam quærat, & impatiens velit ad illam accurrere, vel clamet ſe mori, niſi ſibi illa adducatur, nulla præcedente diſpoſitione, puta domeſtica conuerſatione, allocutione, imaginis ipſius expreſſiuæ longa meditatione, vel beneficij alicuius acceptione; dęmoniacę operationis ſignum eſt euidens.

A Gaudio.

✠ 1. QVando quis bonę mentis, & chriſtianę modeſtiæ ſtudioſus gaudet malè agere, puta parentes contemnere, conuicijs impetere Religioſos, & pręcipuè Sacerdotes irridere, & ſubſannare, & hoc contra ſuam voluntatem, ſentiens intrinſecùs in corde repugnantiam; ſignum eſt euidens.

Ab Odio.

✠ 1. QVando quis, puta maritus odio habet vxorem pręſentem, quam abſentem vehementer diligit; vel è conuerſo vxor maritum; vel Pater filium, aut filius Patrem; Mater filiam, vel filia Matrem, vel alias huiuſmodi perſonas, quas natura ipſa amare docet: ſi hoc ſit contra propriam voluntatem, nec adſit aliqua ratio ad odium excitans, ſignum eſt euidens.

2. Quando quis parentes, amicos, & maximè in ſacris conſtitutos odio habet ſine vlla pręcedenti cauſa.

✠ 3. Quando quis Sacramenta, Sacramentalia, Sanctorum tumulos, & Reliquias, omneſquè res ſacras contra ſuam propriam voluntatem odit, & abhorret.

A Fuga.

1. QVando quis fugit hominum, parentum, & amicorũ familiaritatem, ac conſortium; nec orationi, aut meditationi vacat; ſed accidia preſſus, ac melancholia obrutus præter ſuam naturalem inclinationem, ac ſolitam naturæ ſuę conſuetudinem ſolus permanet ſine vlla præcedenti graui tribulatione.

2. Quando quis abſque vlla cauſa fugit Sacerdotes, Eccleſias, Diuina Officia, Miſſarum celebrationi aſſiſtentiam, quamuis aliàs ſit deuotus, & timoratæ conſcientię.

3. Quando quis fugit, & abhorret habitare magìs in vno cubiculo, quàm in alio; in vna domo, quàm in alia, in vna Ciuitate, quàm in alia; nec huiuſce rei vllam habet rationabilem cauſam, nec ipſe vllam adducere nouit.

4. Quando quis oculis ſanus fugit lucem omni ſuo conatu.

A Triſtitia.

1. QVando quis triſtatur, & dolet, & qua de cauſa triſtetur, vel qua parte doleat, proferre neſcit, nec adeſt aliqua cauſa triſtitiæ naturalis.

2. Quando quis triſtatur, ſudoriſque guttas emittit ad pręſentiam Sacerdotum, & non aliorum, ad rerum ſacrarum applicationem, ad Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtię perceptionem, ad ipſius in Miſſa eleuationem, ad confeſſionem ſacramentalem, & ad cætera ſpiritualia exercitia, & maximè ad pręcepta dęmoni facta ab Exorciſta.

3. Quando quis triſtatur, ac dolet magis exiſtens in vno loco, quàm in alio, in vno tempore, quàm in alio, puta in aliquo menſe, hebdomada, die, vel

vel hora determinatis, non habita ratione ad planetarum mutationes, & influxus; ſed quatenus talis menſis, talis hebdomada, talis dies, & talis hora.

4. Quādo magis triſtatur, ac dolet in vigilijs atq; ſolemnitatibus maioribus, vt in Quadrageſima, Aduentu, Quatuor Temporibus, non ratione ieiunij; ſed quia talis dies; vel in die Paſchatis, Pentecoſtes, Natiuitatis, & Aſcenſionis Domini, Epiphaniæ, & huiuſmodi feſtiuitatnm; & ſit hoc pluries à ſe obſeruatum.

5. Quando quis in locis lætis, ac deliciarum præter ſolitam ſuæ naturæ inclinationem, ac conſuetudinem non gaudet; & vbi alij lætantur ſonando, cantando, & ſaltando, ipſe magis, ac magis triſtatur, nec habet aliquam triſtitiæ rationabilem cauſam; immò ſi ſolitaria loca quærat amica mœroribus; nec tamen ſtudio, aut orationi vacet.

Iraſcibilis.

IN Iraſcibili quinque ſunt paſſiones, ſcilicet Spes, Audacia, Timor, Deſperatio, & Ira, ex quarum ſingulis aliqua dæmoniacæ præſentiæ indicia deſumi poſſunt.

A Spe.

1 SI quis ſperat, & ſe iactat conſequi aliquid nimis arduum, quod naturæ humanæ, & induſtriæ vires, ac communem ordinem naturæ excedere videtur, ſi non eſt mente captus, dęmoniacus eſt, vel diabolicus.

Ab Audacia.

1 PAtiens, qui audet facere aliquid excedens totam naturam humanam, vel induſtriæ vires; ſi id à Deo eſſe veriſimiliter exiſtimari non poſſit; dęmoniacus eſt, vel diabolicus.

2. Quando quis ſubdit ſponte pericula mortis, puta ſe ab alto loco præcipitat, vel quid ſimile agit, ad quod deberet mors ſequi, nec tamen ſequatur, neque aliud malum; dęmoniacus eſt, vel diabolicus.

A Timore.

1 QVando quis ſine vlla cauſa timore, ac terrore ſubitaneo inaniter percellitur, & neſcit quid timeat.

2. Quando nulla cauſa præcedente quis valdè timet occidi, præcipuè ab amicis; & ideò ab eis fugit, & ſe abſcondit.

A Deſperatione.

✠ 1. QVando nulla præcedente tribulatione, vel perſecutione agitatus quis ſe deſperat: ac propterea nunc veſtes, ac propria membra dilacerat: nunc pugnis ſe percutit: modò in puteis, modò in ſtagnis, aut lacunis ſe ſubmergit: aliquando in ignem ſe deijcit: aliquando ſaxis ſe collidit, vel ab alto loco ſe præcipitat; dæmoniacæ præſentiæ ſignum eſt euidens, ſi hoc faciat contra ſuam propriam voluntatem.

Ab Ira.

1 QVando quis timoratæ conſcientiæ nulla pręcedente cauſa contra ſeipſum iraſcitur, vel etiam contra parentes, amicos, & domeſticos; ac ira percitus profert blaſphemias in Deū, Chriſtum, Mariam Virginem, & Sanctos, dæmonemque inuocat in ſui auxilium; dæmoniacus eſt, vel diabolicus.

2. Quando quis velut canis rabidus, aut lunaticus ſpumat, & dentibus fremit, ſi non eſt ſtultus, vel aliqua naturali infirmitate correptus; dęmoniacus eſt, vel diabolicus.

✠ 3. Quando ſtatim ac vir, & vxor ſunt in proſpectu, ſi alter alterum fugit; vel ita iraſcuntur ad inuicem; vt vnus alterum aggrediatur calce, pugnis, vnguibus, morſu quaſi hoſtem infenſiſſimum, licèt ſeparati ſe ament ardentiſſimè; ſignum eſt euidens diabolicæ operationis.

§. IV.

Ex Potentijs ſenſitiuis exterioribus.

EX ſenſibus pariter externis, videlicet Viſu, Auditu, Guſtu, Odoratu, & Tactu multa dęmonia- 601
cæ præſentiæ ſigna hauriri ſolent.

Ex Viſu.

✠ 1. CVM ſubitò patienti lumen aufertur, & ſubitò reſtituitur; quod ſi frequenter accidat, ſignum eſt euidens.

✠ 2. Quando patiens diurno tempore nihil videt: nocturno verò benè videt, & ſi ſciat legere, legit ſine lumine, ita quòd illi dies videtur nox, & nox videtur dies; dæmoniacus eſt, vel diabolicus.

3. Quando patiens videt res in alia diſpoſitione à ſua propria, & naturali; vt ſi canem videret vt hominem, lignum pro homine, & alia huiuſmodi, periculum eſt obſeſſionis, vel alterius dęmoniacæ perturbationis.

4. Cùm oculus patientis ſic perturbatur, vt terreat videntes; terribileſque, ac perlucidas monſtrat oculorum acies.

5. Cùm lacrymas emittit ab oculis abſque alia cauſa, neſciens, quid ploret.

6. Cùm faciem Sacerdotis, & præcipuè Exorciſtæ patiens vix aſpicere valet, & album oculorum varijs modis mutat. Quòd maximè attendendum in infantibus, & puerulis, ex quibus alia ſigna difficillimè hauriri poſſunt.

7. Quando videt dæmonem ſub aſpectu minantis, aut iactantis, ſe corpus eius velle poſſidere; vel ſub forma monſtruoſa, puta gigantis, vel hominis atri, aut recenter mortui: vel etiam canis, leonis, vrſi, lupi, hirci: vel auis, vt vulturis, accipitris, corui, picæ, galli, gallinæ, vel ſerpentis, aut bufonis, vel alterius generis; ſignum eſt, dęmonem iam corpus poſſidere; vel tentare ingreſſum, vt poſſideat.

8. Quando aliqua, quæ erant ante oculos ſubtrahuntur, vt non videantur, deinde ſubitò apparent; ſignum eſt diabolicæ illuſionis.

Ex Auditu.

✠ 1. QVando ſubitò variatur auditus, ita vt patiens ſit ſurdus, & poſtea benè audiat: ſi hoc eueniat in audiendo ſpiritualia, euidens eſt ſignum.

2. Quando patiens audit quaſdam voces ſe vocantes, & ille maximè attendit.

3. Quando eſt rumor continuus in auribus, nec adſit probabilis cauſa naturalis aſſignanda.

4. Quando exorciſmos, euangelia, ſacraſque lectiones non ſolùm cum extraordinario tædio; ſed etiam cum ingenti perturbatione, vel graui ſopore affectus auſcultat.

5. Quando pulſantur campanæ benedictæ; vel aliud ſignum datur ſpirituale, ſi graui afficiatur tædio.

Ex Guſtu.

✠ 1. QVando vltra ſeptem, vel nouem dies patiens nihil comedit, vel parum; & tamen fortis eſt, & pinguis ſicut priùs; ſignum eſt euidens eſſe dęmoniacum, vel diabolicũ.

2. Quando per multos menſes non potuit guſtare panem, vel carnem, quæ priùs ſine difficultate comedebat; nec tamen aliqua videtur correptus ægritudine.

✠ 3. Quando patiens vehementiſſima ardet ſiti; nec tamen poteſt aquam, aut vinum bibere, immò quicquid aptum eſt extinguere ſitim, abhorret.

✠ 4. Quando quis videtur fame perire; nec tamen cibum vllum guſtare poteſt; immò omne comeſtibile fugit, & abhorret.

5. Quando quis inceſſanter cruda deuorat, nec ſatietatem præſefert.

6. Quando comedit beſtialiter in magna quantitate, & bibit valdè exceſſiuè contra ſuam conſuetudinem; nec tamen vmquam ſatiatur.

7. Quando patiens cum difficultate comedit, ita vt violenter oporteat illum cibare, & nullam habet infirmitatem hoc cauſantem.

8. Quando patiens magis abhorret cibum benedictum, quàm alium.

9. Quando patiens graui velut delirio correptus longam fert inædiam,

Ex Loquela.

✠ 1. QVando quis loquitur linguis, quas ipſe non intelligit.

✠ 2. Quando quis loquitur altè de myſterijs ſupra propriam capacitatem; niſi conſtet probabiliter ex eius ſanctitate, vel aliundè id eſſe diuino afflante ſpiritu.

✠ 3. Quando prædicit futura, vel quæcumquè ſibi ipſi occulta, quæ excedunt intellectum humanum, non tamen intellectum diabolicum; dęmoniacus eſt, vel diabolicus.

✠ 4. Quandò inopinatò vocem amittit, nec poteſt loqui, nec os aperire, etiam volens; ſi poſtea loquatur ad præceptum dæmoni factum ab Exorciſta in nomine Ieſu, ſignum eſt euidens.

5. Quando improuisò exeunt ex ore hominis ſani, nec vino, aut paſſione perturbati, vel phreneſi laborantis verba, quorum ſtatim poſtea non recordatur, ac neſcit ſe illa dixiſſe, vel nollet ea dixiſſe.

6. Quando quis timoratæ conſcientiæ, abſque vlla cauſa verba profert, parentes, vel amicos, quos honorare conſueuit, miro modo pungentia, ac ſubſannantia.

7. Quando quis non ex inſtituto, nec liberè volens, voces interdum brutis non parùm abſimiles emittit.

✠ 8. Cùm varios abſquè connexione quis profert ſermones; niſi ſit phreneticus, vel mente captus, vel ebrius, vel ſit mulier patiens defectum menſtruorum; dęmoniacus erit.

9. Quando quis ſacra verba difficillimè profert, nec niſi truncando, & balbutiendo, præcipuè cùm recitat Pſalmum 50. *Miſerere mei Deus, &c.* vel 90. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, &c.* Vel profert Sanctiſſimum Nomen Ieſu, vel Beatiſsimæ Deiparæ Mariæ; aut initium Euangelij S.Ioannis.

10. In verbis prolatis à mulieribus patientibus defectum menſtruorum obſeruanda ſunt, quæ habentur ſupra *num.* 598.

Ex Odoratu.

1 QVando quis aufugit ſacrorum odores: vt rerum benedictarum, thuris, rutæ, roſarum, & huiuſmodi, ſi illos non benedictos non abhorreat.

2. Quando de ore patientis exeunt fętores infernales, vt ſulphuris, picis, fuliginis, carbonum, & huiuſmodi.

Ex Tactu.

1 QVando quis tangendo nimis vrit, vel igneſcit, aut ſubitò frigeſcit.

2 Cùm percutiendo leuiter nimium infert dolorem.

3 Quando ad ſimplicem tactum manuum ſacerdotalium patiens capitis grauedinem, vel rem frigidiſſimam ſentit.

§. V.

Ex Potentijs Vegetatiuis.

CVM Vegetatiua Potentia triplici ornata ſit facultate, ſcilicet Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua; Ex harum ſingulis apertè varia dęmoniacæ operationis ſigna deſumi poſſunt. 602

Ex Nutritiua.

1 QVando quis nulla naturali ægritudine affectus cibum non poteſt attrahere ad ſtomachum ad corpus nutriendum.

✠ 2. Quando quis alioquin ſanus, & benè diſpoſitus canina, aut lupina fame vexatur; & licet maximam cibi quãtitatẽ deuoret, ſemper tamen eſurit.

3. Quando cibum in ſtomacho retinere non poteſt; ſed illum vomitu reijcere cogitur, licèt aliàs ſanus ſit: ſi verò ſit benedictus, illum retinet.

4. Quando quis aliàs ſanus, & benè diſpoſitus cibum digerere non poteſt, licèt magnam habeat in ſtomacho caliditatem.

5 Quando bolum ferè perennem ſentit in ſtomacho, & perſæpè ad guttur accedentem; quo ſuffocari videtur; præcipuè ſi hoc contingat etiam immediatè poſt ſumptam medicinam euacuantem.

6. Cùm

6. Cùm quis vomitu reijcit cultros, clauos, acus, capillos, vitra, & alia id generis artificialia.

7. Quando per poſticum eadem emittit; vel quæcumque alia, quæ in corpore generari non poſſunt; vel continuum per multos menſes emittit ſanguinem nulla affectus ægritudine.

Ex Augmentatiua.

✠ 1. QVando puer, vel puella, adoleſcens, vel adoleſcentula, qui aliàs erant natura pingues, & alacres, nulla apparente ægritudinis cauſa non ſolum non augentur, & quantitate molis proficiunt; ſed potiùs decreſcunt, & continua macie afficiuntur, & conſumuntur, quãuis manducent, & bibant non ſolùm more ſolito, ſed maiori in quantitate.

2. Quando quis contra ſolitum naturæ ſuæ, ac complexionis curſum nimio tumore, ac pinguedine afficitur in aliquibus corporis partibus; vel etiam in toto corpore, nulla alia affectus ægritudine.

Ex Generatiua.

✠ 1. QVando vir vxori, vel vxor viro appropinquare non poteſt; quia ſibi videtur aliquod eſſe corpus intermedium.

2. Quando perſonæ, vel corpora, aut generationis organa apparent horribilis formæ, vel fęditatis intolerandæ.

3. Quando vir, etſi calidæ ſit naturæ, & complexionis robuſtæ, non poteſt ſemen decidere intra vas muliebre, licèt ſeminet extra.

✠ 4. Quando vir non poteſt habere copulam cum vxore, vel perſona, quam amat: quia ſtatim elũbis, & elanguens recedere cogitur; quod tamen ei non euenit, ſi cum alijs mulieribus commiſcetur.

5. Quando ex parte fęminæ vas muliebre, quod priùs erat latum, ita conſtringitur, quòd à virga penetrari non poteſt; licet vir ſit robuſtus.

6. Quando vterquè coniux ex parte ſuorum parentum ſunt fęcundi; nec tamen generare poſſunt; eò magìs ſi conſtat ex alijs cauſis vxorem eſſe maleficiatam, nec apparet cauſa naturalis ſterilitatis.

Cauſæ autem naturalis ſterilitatis, vt docet Hippocrates *in Aphor. ſect.* 5. *ver. Aphor.* 46. & ibi Ogglerius Medicus, ſunt, ex parte viri nimia frigiditas naturæ: quia tunc eius ſemen eſt generationi ineptum: ex parte verò mulieris, puta nimia eius pinguedo, aut caliditas: quia nimia pinguedo impedit ſeminis retentionem; & nimia caliditas cauſat illius extinctionem: Ex parte tandem vtriuſquè quando videlicet illorum ſemen non eſt proportionatum: vt ſi viri eſt melãcholicum, & mulieris ſanguineum: nam agens, & patiens debent eſſe proportionata, aliàs impeditur actio.

QVÆSTIO II.

Quænam ſigna deſumantur ex diſpoſitione corporis.

603 EX varijs corporis effectibus inuſitatis, motibuſque inſolitis, qui à naturali cauſa, vt plurimùm ortum habere non poſſunt, ſolent Exorciſtæ quædam ſumere experimenta, quibus, quænam ſit cauſa latens, facilè explorant: quæ plurimùm etiam Medicis deſeruire valent ad cognoſcendum, cùm morbi à cauſa non procedunt naturali.

Signa deſumpta ex diſpoſitione corporis etiã Medicis deſeruiũt.

Hos autem inuſitatos effectus depræhẽdunt, dum morbus inchoatur, augetur, & perſeuerat.

Dum morbus inchoatur, ſi ſtatim ab initio nullis peccantibus humoribus in cauſa exiſtentibus morbus ſe prodit cum grauiſſimis ſymptomatibus, vt ſunt:

Signa deſumpta ex morbo inchoante.

1. Mentis quædam ſtupiditas.
2. Varia deliria melancholica.
2. Motus quidam conuulſiui, qui epileptici videntur.
4. Repentinæ corporis paſſiones, & oppreſſiones, quas ipſe oppreſſus explicare neſcit.
5. Eiuſdem generalis extenuatio, & color infauſtus, puta viridis, pallidus, cedrinus, aut roco ſimilis.
6. Spontanea neruorum, oſſium, medullarumquè vexatio, aut rigiditas, vt conuulſionem præſeferat.
7. Laceratio, & conſtrictio inteſtina viſcerum; ac dolor in ventre cum maximo rumore, & reuolutione vitalium.
✠ 8. Dolor continuus in capite ſine aliquo interuallo, ſiuè ſit per modum grauaminis, ſiuè per modum percuſſionis: vt cerebri, vel temporum indeficiens; & intima tenebratio, ſi ad ſignum crucis ✠ ſtatim ceſſet.
9. Pulſatio arteriarum circa collum.
10. Cordis grauatio, & punctura, acſi acubus configeretur.
11. Dolor in ſtomacho perpetuus: vt puncturæ in ore per momenta pungentes, vel per modum indigeſtionis, vel magnæ debilitatis, aut duræ pilæ aggrauantis, quo ſuffocari, ac ſtrangulari videtur ægrotus.
13. Cibus ſemper indigeſtus, crebræquè vomitiones; ſi hoc non eueniat, quando cibus eſt benedictus.
14. Veneris deiectio, inflatio, & tumor per flatum frigidiſſimum, vel calidiſſimum ſenſibiliter permeantem, diſcurrentem, & euaneſcentem.
15. Colli, & renum frequentes perpeſſines.
16. Particulæ corporis velut nexibus ligatæ, & oculorum palpebrę ita aſtrictæ, vt vix aperiri poſſint.
17. Sudores leues circa noctem, quamuis temporis conſtitutio frigida rigeat, quorum Medici neſciunt cauſam naturalem aſſignare.
18. Syncoparum accidentia ſtatutis horis aduenientia cum continuo vitæ tædio, grauamine melancholię, obſtinata taciturnitate, & ſuſpitijs, quę luctuoſa vocantur, abſque maniſeſta cauſa emiſſis.
19. Tremor in membris, & præcipuè in capite patientis cauſatus per præſentiam ſpiritualium rerum, vel perſonarum.
20. Inquietudo, qua aliquis nullo modo quieſcere poteſt, nec ſtando, nec ſedendo, nec decumbendo, & infirmitas nulla apparet.
21. Tuſſis ſicca valdè moleſta patienti, & alijs ſine pituitæ expulſione, quæ numquam conſummatur; ſed aggrauatur, dum ſpiritualia adminiſtrantur.
22. Oſcitatio frequens cum maxima oris dilatatione, & præcipuè dum aliqua ſacra lectio habetur.
23. Tumores ſubiti, qui in aliqua parte corporis citò oriuntur, & ſine aliqua cura naturali citò euaneſcunt.
24. Decurſus ſubiti caloris, vel frigoris exceſſiui per humeros, & renes.
✠ 25. Ventus quidam vehemẽs, qui decurrit per

totum corpus ad modum formicarum: vel ad modum ſerpentis velociter quaquauerſum ſerpit: vel ſicut mus modo in hanc, modò in illam corporis partem ſe intromittit.

✠ 26. Deportatio corporis, & illius eleuatio contra voluntatem patientis, & non videtur, à quo deportetur; ſignum eſt euidens diabolicæ præſentiæ.

✠ 27. Vociferationes, clamores, ſciſſio veſtium, arrotationes dentium, & quæcumque corporis agitationes ſine vlla cauſa, ſi patiens non eſt ſtultus, & hæc ei diſpliceant, & cognoſcat illa, & nollet; ſignum eſt euidens.

✠ 28. Vis, ſeù impulſus ſupra naturam patientis: vt cum homo natura debilis non poteſt teneri à multis: cum manibus, ac dentibus frangit ferrum, & alia ſimilia, de quibus ſupra, vbi de ſignis ex parte animæ; eſt ſignum euidens.

604 Infantes autem, ac pueruli deprehenduntur eſſe maleficio affecti, vel à dæmone vexati ex ſequentibus ſignis.

Signa, quib. cognoſcuntur pueri maleficio affecti.

1. Quando ſępiùs contremiſcunt nulla apparente cauſa; maximè ſi adiungatur, quòd continuè flent, & non dormiunt, & priùs non erant tales.

2. Quando habent oculos timidos, ac pauidos, nec audent rectà aſpicere Exorciſtas, ac Religioſos deuotos.

3. Quando repentè amiſſa bona faciei, ac totius corporis conſtitutione fiunt pallidi, ac macilentes; & præcipuè ſi Mater, vel aliquis ex domeſticis eſſet maleficio affectus, & effectus conſimiles pateretur. Nam aliquando tota vna familia maleficio afficitur.

4. Quando non ampliùs volunt lac ſugere, & tenent os apertum.

Filij ſuppoſititij qui.

✠ 5. Quando numquam poſſunt lacte ſatiari, etiamſi continuè lac ſugant nedum ex vna, ſed ex pluribus nutricibus, ac magis fiunt macilentes, ſignum eſt euidens. Si verò etiam habeant faciem ad modum hominis ſenis eunuchi, & ſint ponderoſiſſimi, periculum eſt, quòd filij ſint ſuppoſititij, ideſt à dæmone poſiti loco filiorum verorum. Hi autem filij ſuppoſititij, ſi ab Exorciſta benedicantur, quandoquè poſt aliquot dies moriuntur. Quod experientia comprobaui anno 1646.

6. Quando infantes videntur ſæpiùs mori, & non moriuntur.

7. Quando nullis peccantibus humoribus ex ſanis repentè fiunt infirmi, & præcipuè ſi in aliquo membro ſint compreſſi: vel appareat aliquod foramen in corpore, vt ſub lingua, in auribus, circa vmbilicum, in pedibus, in cruribus, in naricis, vel cæteris corporis membris.

8. Quando circa renes, vel in pectore ſunt nigri propter decurſum ſanguinis, quem Saga ab eius corpore ſuxit; vt docet Delrius *lib.* 3. *Diſquiſ. Magic. par.* 1. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. ac Spinæus Sacri Palatij Magiſter *quæſt.* 8. *de Strigibus*.

Signa deſumpta augente morbo.

Dùm morbus verò augetur, ſi non creſcit paulatim more naturalium morborum, qui ſenſim vt plurimùm vires acquirunt, donec ad ſtatum perueniunt, ſed ſubitò, & frequenter ſe prodit, & valdè inconſtans eſt, rarò periodos ſeruando, licèt periodorum naturam referat; vndè licèt naturalibus morbis in aliquibus ſimilis eſſe videatur, in multis tamen diſcrepat; atque adeò doctiſſimos etiam Medicos fatigare ſolet, qui in ijs diudicandis hæſitant, & hùc, illùcque animo agitantur ambigui, nec certi quidquam de his proferre audent, aut ſtatuere poſſunt, quo ſibi ipſis ſatisfaciant: Hoc enim ſignum eſſe maleficij, Medici communiter docent; Immo Daniel Sennertus *de morbis à Faſcino, & Incantatione à veneficio inductis* agens, & ſigna maleficiati *par.* 9. *lib.* 6. *c.* 9. enumerans: illud primum aſſignat.

Signa deſumpta morbo perſeuerāte

Denique ſi morbus in eodem ſtatu perſeuerat poſt adhibita à medicæ artis peritis varia remedia, quibus infirmus iuuari non valet; ſed morbus exaſperari, & in dies augeri comperitur. Nam hoc euidentiſſimum ſignum eſſe maleficij, fatetur Sennertus poſt alios celebriores Medicos. *Si enim* ait, *naturalis eſſet morbus, vtiquè naturalibus remedijs, phyſiciſque medicaminibus ſolueretur*.

Sed hæc regula ſæpiùs fallit: quia multotiès ſunt aliqui morbi intrinſeci incurabiles, puta alicuius organi, aut membri interni extenuatio, deſiccatio, vel putrefactio. Cui (cum ſit intrinſecum) remedia naturalia ritè applicari non poſſunt; ideòque pharmaca à Medicis peritiſſimis adhibita aliqualiter ſubleuare dolorem, ac mitigare, vitamquè aliquandiù prorogare queunt, ſed ſanitatem nequaquam integram, ac perfectam conferre valent.

CAPVT III.

De Exorciſta virtutibus ornato.

CVm *virtus* iuxta Ciceronem in Rhetor. *ſit affectio animi conſtans, conuenienſque laudabiles efficiens eos, in quibus eſt: & ipſa per ſe ſua ſponte, ſeparata etiam vtilitate, laudabilis*: Si in omnibus Eccleſiæ miniſtris virtutes tùm theologicæ, tùm morales ſunt neceſſariæ, vt dignè, ac laudabiliter ſua valeant obire miniſteria, has maximè Exorciſtis, nedùm, vt dignè, ac laudabiliter, ſed efficaciter, & tutò ſui muneris intentum conſequi valeant, neceſſarias eſſe quis audeat negare? 605

Virtus definitur. Virtutes theologicæ, ac morales quaratione ſint neceſſariæ Exorciſtis.

Quod Ioannes ſufficienter in Exorciſta indicat, cùm ſimilem filio hominis in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſtantem, & præcinctum repræſentat. Ad quid enim ſtatus ille deſcribitur, niſi vt oſtendatur, illum ſemper eſſe paratum ad candelabra erigenda, ſi cadant; emungenda, ſi minus luceant; accendenda, ſi extinguantur, vt explicat Alcazar? Non ſedet otioſus, ſed ſtat vt laboris auidus: Non diſcinctus eſt, & implicatus veſtibus laxis, quæ iter impediant; ſed ſuccinctus, vt ſe quaquauerſum vertere poſſit, & accurrere, cùm neceſſitas, & opus vocant: Non ſtat in extremis anguli, vndè longior via ad oppoſitos pateat; ſed in medio, vt breuiori curſu opem ferat, & ſic ſtando totus ardere videtur vultu, manibus, pedibus, quaſi ſemper paratus cogitare, operari, & currere ad ea perficienda, quæ è re eſſe videntur. Sic Exorciſta ſeptiformi munere maximè debet fulgere virtutum, Fidei, nempè, Spei, Charitatis, Fortitudinis, Patientiæ, Perſeuerantiæ, atquè Prudentiæ; quarum vnaquæquè ſuo loco ſingulari modo typicè figurata demonſtrabitur, vt in medio Eccleſiæ conſtitutus, ac huiuſmodi virtutum ſplendore ornatus, hinc fideles tenebris circumfuſos illuminare, deiectos erigere, nutantes fulcire, ſtantes corroborare: illinc folliculariosdæmones, aut obſidentes fugare, aut poſſidentes expellere, aut malefacientes cohibere, aut incantantes abigere, vt in ſequentibus articulis manifeſtabitur.

AR-

ARTICVLVS I.

De Fide.

606 CVM fides ſit præcipuum fundamentum, cui innituntur fideles ad dæmones expellendos iuxta verba Chriſti Marci vlt. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient*, & Ioannis 14 *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet*: vt innoteſcat, quomodo Exorciſtæ fides ſit neceſſaria, de ea examinandæ ſunt ſequentes quæſtiones, vt ſic per fidem Exorciſta appareat ſimilis filio hominis in facie lucēte ſicut Sol: Nam ſicut facies demonſtrat perſonam, quænam ſit, ita per fidem, quam vnuſquiſquè profitetur, cuius ſit religionis, & qualis ſit, oſtenditur.

Exorciſta per fidem fit ſimilis filio hominis in facie lucēte ſicut Sol.

QVÆSTIO I.

Quid nomine fidei intelligatur in hoc articulo.

607 REſpondetur, in hoc articulo non tractari de fide humana, ſeù fidelitate, quæ eſt quædam virtus moralis, quæ præbet conſtantiam in ſeruandis promiſſis, & à Latinis vocatur fides, de qua Cicero *lib. 1. Officiorum*, ait: *Fides eſt dictorum, & conuentorum conſtantia, & veritas*. Nequè de fide gratia gratis data, quæ, vt docet Suarez *diſp. 8. de diſtinctione fidei ab omnibus donis, &c. ſect. 2. num. 4.* datur homini, vt tàm diſtinctè, & perfectè intelligat, & apprehendat res fidei, vt poſſit eas alios docere, ſimpliciter tamen, & ſine ornatu ſcientiæ, & ſapientiæ. Nequè de fide, quæ accipitur pro fiducia: In qua ſignificatione multi Doctores putant ſæpè accipi in ſcriptura fidem pro fiducia: ita tenet Vega *q. 1. de Iuſtit. & lib. 9. in Trident. cap. 29.* Ianſenius *in Concord. cap. 30. 32. & 35.* Balthaſar Paes *in Epiſt. D. Iacobi cap. 1. verſ. 6.* Lyndanus *de quatripar. iuſt. 1. part. lib. 2. cap. 3.* & recentiores Theologi *ad initium 2. 2. D. Thomæ*. Hoc enim modo fiducia non eſt fides, de qua loquimur; ſed ſpes connotando quandam perfectionem, ſeù robur eius; vt benè docet Suarez *diſp. 1. proemiali de fide, ſect. 1. num. 6. & 7.* & Drexelius *de Conformatione voluntatis lib. 5. cap. 2.* & de hac agitur *ſequenti articulo*. Sed tractari de fide theologica, ſeù diuina, quæ per ſe includit habitum, ſeù lumen fidei, actum eius, & obiectum, quæ tria ſigillatim etiam ſumpta ſolent in ſcriptura nomine fidei ſignificari.

Fides humana deſcribitur

Fides gratia gratis data quid.

Fides fiducia ſumpta.

In hoc articulo agitur de fide Theologica.

Fides diuina includit tria.

§. I.

608 DE obiecto fidei intelligitur illud ad Galat. *c. 3. Ex auditu fidei*: & infra *At vbi venit fides*, & ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides*, & Apocalypſ. 2. *Non negaſti fidem meam*; & ita etiam dicit Athanaſius in Symbolo. *Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſq; fideliter firmiterque crediderit*: nam fides, quæ creditur, obiectum eſt virtutis fidei; vt eruditè docet Suarez *loco citato ſect. 2. num. 3.*

1. Obiectum.

De actu verò fidei intelligitur illud Matthæi 9. *Secundum fidem veſtram fiat vobis*; & illud ad Roman. 1. *Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo*; & in toto capite vndecimo ad Hebræos: eodem modo ſumitur fides, cum illi varij effectus tribuuntur, & quoties in ſcriptura præcipitur fides tanquam ad ſalutem neceſſaria, de hac fide ſermo eſt; quia præcepta de actibus dantur: Ita Suarez *loc. cit.*

2. Actus.

De habitu autem fidei rectè intelligitur illud 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent tria hæc, fides, &c.* & in eodem ſenſu loquitur Trident. *ſeſſ. 6. c. 7.* cum dicit, in iuſtificatione ſimul infundi Fidem, Spem, & Caritatem.

3. Habitus.

QVÆSTIO II.

Quodnam ſit obiectum fidei theologicæ.

REſpondetur, in obiecto fidei tria diſtingui à D. Thoma *2. 2. q. 1. a. 1.* ſcilicet obiectum materiale, ideſt materiam, circa quam verſatur virtus; & obiectum formale, ſcilicet rationem, ſub qua verſatur, ſeù motiuum, propter quod fides credit. Tertium vocat D. Thomas accidentale, & in ſolutionibus argumentorum explicat ſub hoc membro includere omnia obiecta creata, quæ ſecundariò, & quaſi conſequenter dicit pertinere ad fidem. Veruntamen Suarez *diſp. 2. de obiecto fidei*, omnia illa, quæ creduntur ex teſtimonio diuino, comprehendit ſub obiecto materiali fidei. Sed ait, præter obiectum materiale, & formale, requiri ad credendum ſufficientem propoſitionem doctrinæ fidei, iuxta illud Roman. 10. verſ. 14. *Quomodo audient ſine prædicante?* Nam quia nec Deus teſtificans, nec res teſtificatæ videntur, ideò neceſſe eſt, vt per auditum ſufficienter proponantur; nam ideò dicitur eſſe Fides ex auditu. Hæc ergo obiecta à nobis breuiter explicanda ſunt ſequentibus dictis. 609

Obiectū fidei triplex.

§. I.

DIco 1. Deus ſecundùm abſolutam rationem Deitatis, & eſſentiæ ſuæ eſt primarium obiectum fidei. Hæc eſt ſententia D. Thomæ *1. par. q. 1. art. 7. & quæſt. 14. de veritate art. 8. & in 3. diſt. 24. art. 1.* & idem tenet Scotus *diſt. 23. quæſt. vnica* Durandus *diſt. 24. quæſt. 1.* Capreolus *quæſt. 4. Prolog. art. 2.* Alber. & alij *in 3. diſt. 23.* Idem ſentit Marſilius *in 1. quæſt. 2.* vbi refert varias opiniones; Tenet etiam Henricus *Quodlib. 12. quæſt. 1.* Alexand. Alenſ. *3. par. quæſt. 68. memb. 7. art. vlt.* & Suarez *d. ead. ſect. 1. num. 5.* 610

Obiectū primariū fidei quodnā ſit.

Ratio eſt, quia Deus ipſe, quatenus Deus eſt, eſt primarius ſcopus fidei, ſeù ratio, quæ principaliter intenditur per fidem. Quod videtur ſatis probari ex illis verbis Pauli Hebræor. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*: nam quia eſſe Dei eſt eius ſubſtantia, & eſſentia, cognoſcere Deum eſſe, idem eſt, quod cognoſcere Deum eſſe verum Deum, atquè adeò habere veram diuinitatem; ergo hoc eſt primarium obiectum, quod fides intendit. Et ideò dicebat Chriſtus Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite*: quia illud primum eſt fundamentum reliquorum: facit etiam illud Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*. Hæc ergo abſoluta cognitio Dei eſt intenta per fidem.

§. II.

611 *Deº qua ratione ſit obiectũ materiale fidei.*

DIco 2. Inter obiecta materialia fidei Deus eſt obiectum maximè neceſſarium, & inſeparabile à reuelatione fidei: Ita Suarez docet *diſp.2. de obiecto fidei ſect.1.num.8.*

Ratio eſt, quia nihil eſt credibile per fidem, niſi ſub teſtimonio diuino, vt nunc ſuppono. Quiſquis ergo credit aliquid per fidem infuſam, credit illud reuelatum eſſe à Deo, & teſtimonium Dei eſſe infallibile: ergo impoſſibile eſt credere aliquid fide diuina, quod non ſit Deus, quin ſopponatur aliquid creditum de ipſo Deo, quod vt minimum eſſe debet, Deum eſſe, & eſſe veracem in his, quę teſtificatur: ſic ergo Deus vt obiectum materiale, ſeù cognitum habet neceſſariam connexionem cum fide, quam non habent alia obiecta: nam poſſet Deus multa reuelare de ſeipſo, & nihil de creaturis.

§. III.

612 *Obiectũ materiale adæquatum fidei eſt quodlib. ens reuelabile à Deo.*

DIco 3. Deus non eſt adequatum ſubiectum, & (vt ſic dicam) directum fidei; ſed hoc eſt quodlibet ens reuelabile à Deo obſcura reuelatione: Ita ſumitur ex D.Thom. *2.2.queſt.1. art.1. & dicta quæſt.14.de Veritate art.8.* docet Scotus *in 3.d.23. quæſt. vnica*, ibi Gabriel, & alij communiter ibi *diſt.14.* Antonin *3.part. titul.8. cap.4.* & Abulenſ. *in cap.22. Matth. quæſt.301.* Suarez *loco citato ſect.2.num.2.*

Ratio eſt, quia & de creaturis multa per fidem creduntur; quia de illis & multa à Deo ſunt nobis reuelata, & ideò etiam ipſæ ſub hac ratione, qua reuelatæ ſunt, pertinent ad obiectum adæquatum fidei.

§. IV.

613 *Deus eſt prima ratio credẽdi.*

DIco 4. Deus ipſe, quem credimus, eſt etiam prima ratio credendi. In hac aſſertione conueniunt Theologi, D.Thom. *2.2.q.1.art.1. & 1.p. q.1.art.3. & 7.* & Reliqui *in Prologo ſentent. & in 3. diſt.24.* Altiſiodor. ſtatim *in principio Summæ in proemio*, & Alenſ. *3.par.q.68.*

Hoc notum eſt; nam diuina ſcriptura ſæpè docet, veram fidem ad ſalutem neceſſariam ipſi Deo inniti: ſic dicitur Gen.15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*; quod dicit Paulus ſcriptum eſſe propter nos; quia fidem illam, & credendi modum imitari debemus, vt iuſtificemur. Similia ſunt frequentia in ſcriptura, & ideò meritò dixit Ambroſius *lib.de Abraham cap.3.& lib.2.Epiſtolarum Epiſt.12. ad Valentinianum: Cœli myſterium doceat me Deus ipſe, qui condidit; non homo, qui ſeipſum ignorauit. Cui magis de Deo, quàm Deo credam?*

§. V.

614 *Deº qua ratione ſit obiectum formale fidei.*

DIco 5. Deus vt reuelans, ſeù teſtificans res credendas per fidem, eſt obiectũ formale fidei. Hæc eſt aperta ſententia D.Thomæ *1.par. quæſt.1. art.3.* Idem tenet Scotus *in 3. diſt.23.queſt. vnica, & diſt.25.q.2.in fine*, Richardus *diſt.23.art.4.q.3.* & alij plures relati à Suarez *diſp. 3. de obiecto form. fidei ſect.2.num.3.* colligitur ex ſcriptura iuxta illud Ioannis epiſt.1.cap.5. *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*, & alijs locis.

Ratio eſt, quia Deus non mouet ad credendum, niſi mediante teſtimonio ſuo. Quomodo enim ei crederemus, niſi loqueretur? Ergo non eſt obiectum formale fidei, niſi vt teſtificans, & reuelans.

QVÆSTIO III.

Quinam ſit actus fidei.

REſpondetur, *actum Fidei eſſe aſſenſum firmum, in auctoritate Dei obſcurè reuelantis fundatũ:* ita colligitur ex D.Thom. *2.2.q.2.a.1.* Dicitur *aſſenſus*: quia diſtinguitur actus fidei ab omni actu elicito à voluntate: quia non eſt actus elicitus à voluntate; ſed imperatus à voluntate. Diſtinguitur etiam ab omni apprehenſione, vel inquiſitione intellectus nondum deliberatè iudicantis. Hic enim aſſenſus eſt actus intellectus, & ſignificat iudicium, quo intellectus ad vnam partem determinatur. Additur *firmus*, vt ab opinione diſtinguatur, quę etiam præbet aſſenſum, ſed formidoloſum, & aliquo modo dubium; fides autem debet eſſe firma. Quia verò hoc ſolet etiam ſuo modo tribui fidei humanæ, & multò magis cuicumque aſſenſui euidenti; ideò additur vltima particula *in auctoritate Dei, &c.* per quam actus fidei infuſæ tàm ab acquiſita fide, quàm ab actu ſcientiæ, & à quouis actu euidente diſtinguitur: Et præterea per illam particulam deſignatur vltima differentia eſſentialis, & ſubſtantialis actus fidei; nam hæc differentia ſumitur ex obiecto formali, quod per illam particulam explicatur: Ità eruditè docet Suarez *diſp.6.de Actu fidei, ſect.1. num.5.* 615 *Actus fidei deſinitur.*

Ex hoc colligitur, actum fidei infuſæ eſſe actum ab intellectu elicitum, & imperatum à voluntate; ac proindè ſubiectari in intellectu; vt teſtatur Paulus 2.Cor.c.10. dicens: *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

QVÆSTIO IV.

Quomodo Fides Theologica definiri poſſit.

REſpondetur, Fidem Theologicam definiri à D. Paulo Hebræor.11. quòd *ſit ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium:* Ita Magiſter Sent. *in 3.diſt.23. cap.penultimo, & vltimo* dicit hanc eſſe fidei definitionem. Conſentiunt cum Magiſtro Scholaſtici, qui planè affirmant hanc eſſe definitionem fidei, quæ eſt virtus intellectus. Bonauen. *eadem diſt.art.1. quæſt.5.* Ricardus *a.4.q.1.* Paludan. *quæſt.4. art.1. §. quantum ad tertium.* Maior *queſt.8.* Albertus *art.18.* & alij plures relati à Vaſquez *tom.2. in 1.2. q.113. diſp.209. cap.2.* Dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum*: quia eſt fundamentum ſpei, & quatenus ſubſtat alijs; proprium enim eſt fidei, fulcire ſpem, & fiduciam: quia non poſſet homo ſperare, niſi crederet; ideò certitudo fiduciæ proportionata eſt certitudini fidei; nam eſt veluti baculum, in quo Viatores nituntur ad ſperandum. Vndè Ambroſius *lib.de Cain, & Abel*, ait: *Fides eſt radix omnium virtutum; & quod ſuper hoc fundamentum ædificaueris, hoc ſolum ad operis tui fructus, & virtutis proficit mercedem.* Dicitur *argumen-* 616 *Fidei Theologicæ definitio.*

gumentum non apparentium, ideſt firmus aſſenſus, quo intellectus conuincitur,& inducitur ad credendum ea, quæ non videntur; ita exponit Suerez *d.6. de Actu fidei ſect. 2. num.*5. Vel dicitur *argumentum non apparentium:* quia eius actus eſt inclinare intellectum ad actum credendi, ac eidem intellectui cooperari influendo in actum ipſius, quo actu intellectus firmiter aſſentit, ſeu adhæret reuelatis à Deo.

QVÆSTIO V.

Quomodo Fides Theologica diuidatur.

617 RElictis varijs diuiſionibus, quæ à Theologis afferuntur, vnicam referam vt magis inſtituto noſtro conuenientem. Fides ergo diuiditur in vniuerſalem, & particularem.

Fides duplex, Vniuerſalis.

Fides vniuerſalis dicitur illa, quæ per ſe neceſſaria eſt ad ſalutem, & communi vſu Eccleſiæ *Catholica* nominatur; tum etiam quia ipſum nomen *Catholica* vniuerſalitatem ſignificat. Hæc autem fides vniuerſalis eſt, & quoad perſonas: quia pertinet ad omnes, qui placere Deo volunt; & quoad tempora: quia ſemper in Eccleſia fuit; & quoad loca: quia vbique prædicata eſt, & prædicatur, & quoad dogmata: quia eſt de omnibus particulis fidei, & conſequenter etiam de omnibus, quæ in illis continentur, & quę Eccleſiæ reuelata ſunt, vel per eam credenda proponuntur: Sic docet Suarez *diſp. ead. ſect. 3. num. 6.*

Particularis.

Fides autem particularis dicitur illa, quæ in aliqua priuata reuelatione fundatur, vel inſtinctu Spiritus S. qui illi æquiualeat. Et meritò particularis dicitur; quia in materia, perſona, & propoſitione priuata fundata eſt. Hæc autem rurſus triplex eſt. Prima, qua aliquis credit ea, quæ ſibi peculiariter reuelata ſunt. Quo pacto Prophetæ crediderunt multa, quæ non omnibus fidelibus, ſed ſibi tantùm reuelata fuerunt. Et Abraham credidit multa, quæ ſibi ſoli fuerunt per reuelationem promiſſa. Secunda fides priuata eſt miraculorum, qua aliquis certò ſibi ſtatuit, Deum facturum aliquid præter conſuetum ordinem. De qua dicitur Matthæi 17. *Si habueritis fidem ſicut granũ ſinapis, et dicetis huic monti, tranſi hinc illùc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Tertia fides huic eſt ſimilis, nempe qua quis credit ſe à Deo conſecuturum aliquid ſpirituale, vel temporale ad ſpiritualia pertinens, puta dęmonem ab obſeſſo expulſurum etiam ſine poteſtate exorciſtica; vel ſanitatem corporis in ordine ad ſalutem animæ obtenturum; vel quia ſimile animæ ſalutare à Deo impetraturum: Ita docet Vaſquez *q.113. in 1.2. D.Thomæ diſp.209. cap.*5. ac Suarez *diſp. ac ſect. eadem num.7.*

QVÆSTIO VI.

An fides miraculorum, ac permiſſionum ſit eadem cum fide Catholica.

618 REſpondetur cum Suarez *diſp.8. de diſtinct. fidei ab omnibus donis, &c. ſect.1. num.3.* tria poſſunt conſiderari in eo, qui facturus eſt miracula; vel aliquod beneficium à Deo miraculosè impetraturũ. Primum eſt credulitas de omnipotentia Dei, & veritate promiſſionum eius. Secundum eſt quædam quaſi applicatio huius vniuerſalis fidei ad hoc factum in particulari, ita vt aliquis iudicet certò, & credat ſe facturum hoc miraculum; vel obtenturum hoc beneficium miraculoſum hìc,& nunc. Tertium eſt fiducia quędam,quę inde reſultat in voluntatem.

Tria conſiderantur in eo, qui facturus eſt miraculum.

Primum eorum, certiſſimum eſt, omninò in opere miraculoſo eſſe neceſſarium: quia illud eſt fundamentum omnium cæterorum. Vnde Matth.9. quando Chriſtus Dominus illuminaturus erat quoſdam cæcos, exigens ab illis fidem neceſſariam dixit: *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?* Dixerunt *vtiquè Domine; nunc tetigit oculos eorum dicens: ſecundùm fidem veſtram fiat vobis,* & c.13. in fine. *Non fecit ibi virtutes multas, propter incredilitatem illorum.* Erat ergo neceſſaria credulitas.

Actus fidei.

Secundum ſi debito modo explicetur, dicimus, illud iudicium non eſſe omninò impoſſibile: poſito enim firmo aſſenſu fidei, me obtenturum à Deo, quicquid petiero, ſi debitè petam, & cum conditionibus,quas Chriſtus in ſuis promiſſionionibus requirit, fieri poteſt, vt aliquis hic, & nunc, & hoc in opere, non diuina, ſed morali quadam certitudine iudicet concurrere omnia neceſſaria ad impetrandum miraculum: ſiue quia illa manifeſtè videt: ſiue quia ſimul etiam iuuatur interiùs auxilio Dei, vt poſſit ita exiſtimare; ex quibus elicitur illud iudicium certum aliquo modo ſimile iudicio theologico, vel prudentiali; quę omnia non eſſe impoſſibilia per ſe patet. Non tamen credo huiuſmodi iudicium eſſe ſimpliciter neceſſarium: tum quia nulla eſt ratio, quæ cogat ad exigendum illud: tum etiam quia ad debitam fiduciam, & excludendam omnem dubitationem reprehenſibilem, ſatis eſt firmiter iudicare, non ſolùm in genere, ſed etiam in hoc facto me impetraturum, quod intendo, certitudine conditionata, *Si per me non ſteterit, &c.*

Applicatio illius actus.

Tertium eſt fiducia illa, quę ex huiuſmodi applicatione fidei vniuerſalis ad hoc factum in particulari reſultat in voluntatem, quæ neceſſaria eſt ad obtinendum, vt latè oſtenditur *articulo ſequenti*. Quæ fiducia ſæpiùs inſinuatur in diuina ſcriptura, quę interdum vtitur nomine *credulitatis:* interdum nomine *confidentiæ;* & Chriſtus Dominus ſæpe dicit, *Confidite, confidite, &c.* Item quia nemo poteſt orare vt oportet, niſi ſperet, & confidat etiam vt oportet: miracula autem maximè perficiuntur oratione conuenienter facta.

Fiducia ex ea reſultans.

§. I.

619 AD quæſtionem ergo dicimus, Fidem illam, quam ſcriptura requirit ad patranda miracula & alia beneficia miraculosè obtinenda, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam eſſe ipſum actum Catholicæ Fidei ita elicitum, & applicatum ad hoc particulare factum, vt poſſit generare illam fiduciam, & actus alios neceſſarios ad impetrandum miraculum.

Fides miraculorũ & ꝑmiſſionũ eſt eadẽ cũ fide Catholica.

Hanc concluſionem ſuſtinent D.Thom. 2.2.*q.*178. *art.* 1.*ad* 5. Caiet. *in Matth.* 17. Soto 2.*de Natura, & Grat. cap.6.* Et eſt aperta ſententia D.Cypriani *lib.3. ad Quirin. cap.42.* & valde indicant Ambroſius *lib.8. in Luc. ad illud Adauge: nobis fidem,* & Hilar. *in Matth. canone 17.*

Suſtinet Theologi.

Colligitur in primis clarè ex 1. ad Corinth.13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam:* vbi Apoſtolus expreſsè loquitur de Fide Theologali, & Catholica, & eam comparat cum charitate.

Conſtat ex diuina ſcriptura.

Vnde

Vnde poſtea concludit, *Manent hæc tria Fides, Spes, & Charitas.* Similis locus eſt ad Hebræos 11. Nam illa Fide, quam definierat, *eſſe ſubſtantiam, &c.* & *ſine qua* dixerat *eſſe impoſſibile placere Deo*, dixit patrata eſſe miracula. *Hac*, inquit, *fide ſuſceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos, &c.* ideſt obtinuerunt reſurrectionem ſuorum virorum.

Probatur ratione. Ratio eſt: quia Fides, quæ ad miracula requiritur, non pertinet ad nouum habitum, ſeu virtutem infuſam; neque conſtituit nouum genus, aut ordinem actuum. Nam ex tribus enumeratis actibus, qui maximè poſſunt concurrere ad opus miraculoſum, primus manifeſtiſſimè eſt actus fidei. Tertius quoad ſubſtantiam eſt actus ſpei; quia ſpes, & fiducia non diſtinguuntur eſſentialiter. Secundus verò (ſi adſit) eiuſdem rationis eſt cum aſſenſu Theologico, & iuuari poteſt à prudentia infuſa, vel acquiſita quoad applicationem generalis fidei, ad hoc particulare factum, vel has circunſtantias particulares. Et ex his tribus actibus primus fons eſt, & radix aliorum, & cum aliàs ſit proprijſſimè actus fidei, ideò illi proprijſſimè conuenit ratio fidei miraculorum.

Præterea fides miraculorum, ac promiſſionum idem omninò habet obiectum formale, nempe Deum vt reuelantem, & notificantem res credendas per fidem; quod habet etiam fides theologica; non ergo inter ſe differunt eſſentialiter. Cur enim quis confidit, ſe aliquid miraculoſè à Deo obtenturum? Certè quia credit Deum eſſe omnipotentem, ſummè bonum, ac fidelem in ſuis promiſſionibus: hoc autem credit, quia Deus per diuinas ſcripturas hoc reuelauit.

§. II.

620 *Obiectio.* OBijcies. Actus fidei Catholicæ, & quæuis eius perfectio eſt in noſtra poteſtate; hæc verò fides miraculorum non ita, ſicut nec patrare miracula. Vnde Matthæi 17. Apoſtoli non potuerunt expellere dæmonem, cum tamen fidem Catholicam haberent.

Dilutio. Reſpondetur, aliud eſſe patrare miracula, aliud habere fidem de ſe ſufficientem ad ea impetranda. Primum non eſt in hominis poteſtate ſemper; tum quia completa poteſtas, quæ requiritur ad opus miraculoſum, non inhæret per modum habitus, etiam in illis, qui frequenter miracula edunt: vt docet D. Thom. 2.2. *quæſt.* 172. tum quia præter fidem requiruntur multa ex parte Dei, quæ non ſemper dantur, etiam poſita fide, quia non expedit: attamen illud ſecundum (hoc eſt habere fidem) in hominis poteſtate poſitum eſſe cenſet Suarez *loco citato num.* 8. eſſeque actum verè liberum, & humanum; ac licèt pendeat ex auxilio gratiæ; illud tamen non deerit volenti credere, vt oportet: quod planè docet Paulus ad Hebræos 11. & 1. Corinth. 13. Et colligitur ex Matth. 14. & 17. Vbi Chriſtus reprehendit Apoſtolos, vel etiam quoſdam alios, quòd carerent hac fide: erat ergo in illorum poteſtate, aliàs non fuiſſent reprehenſione digni. Item Lucæ 10. & ſæpe aliàs conſulit, vt habeamus hanc fidem, & Iacob. 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans.* Eſt ergo in noſtra poteſtate. Tandem huiuſmodi fides in eo, qui impetrat miracula, eſt laude digna, & meritoria; ergo & libera.

QVÆSTIO VII.

Quomodo Fides Theologica poſſit eſſe maior in vno, quàm in alio.

ANte ſolutionem tres præmittendæ ſunt diſtinctiones. 621

Diſtinctiones tres de fide. Prima diſtinctio. Quantitas habitus fidei poteſt conſiderari dupliciter: Vno modo ſecundùm rationem formalem obiecti: Alio modo ſecundùm ea, quæ materialiter credenda proponuntur.

Secunda diſtinctio. Fides poteſt attendi vno modo ſecundùm ea, quæ creduntur implicitè: Alio modo ſecundùm ea, quæ explicitè creduntur.

Tertia diſtinctio. Fides poteſt conſiderari ſecundùm participationem ſubiecti, & hoc dupliciter: nam actus fidei procedit ex intellectu, & ex voluntate, vt docet D. Thom. 2.2. *quæſt.* 4. *art.* 1. His poſitis.

Aſſertio 1. Dico primò. Fides Theologica ratione obiecti formalis non poteſt eſſe maior in vno, quàm in alio: quia formale obiectum fidei eſt vnum, & ſimplex, ſcilicet Veritas prima; Vnde ex hac parte fides non diuerſificatur in credentibus; ſed eſt vna ſpecie in omnibus.

Aſſertio 2. Dico ſecundò. Fides ſecundùm ea, quæ implicitè creduntur, in omnibus credentibus eſt eadem. Ratio eſt: quia quando quis incæpit credere, ſubiecit animum ſuum omnibus credibilibus, quæ Catholicorum tenet aſſertio, & quæcumque de nouo à Deo fuerint reuelata: & ita id, quod nunc ſibi reuelatur, iam credebat implicitè: obiectum enim fidei adæquatum, vt dictum eſt ſupra, eſt quodlibet ens reuelabile à Deo obſcura reuelatione. Vnde actus fidei hoc modo neque augetur, neque diminuitur; neque maior eſt fides in vno, quàm in alio.

§. I.

Aſſertio 3. DIco tertiò. Fides Theologica explicitè, non ratione obiecti formalis, ſed materialis, ideſt ſecundùm ea, quæ materialiter credenda proponuntur, poteſt eſſe maior in vno, quàm in alio: Ratio eſt: quia cum credibilia plura ſint, & poſſint accipi vel magis, vel minùs explicitè, ſecundùm hoc vnus homo plura explicitè, quàm alius poteſt credere; & ſic in vno poteſt eſſe maior fides, quàm in alio ex parte obiecti materialiter ſumpti ſecundùm maiorem fidei explicationem: Et ſic fides in vno vel ad maiora, vel etiam ad plura quàm in alio poteſt ſe extendere: Ita D. Thom. 2.2. q. 5. *art.* 4. 622

Diuerſitates credentium. Vnde quidam dicuntur habere magnam fidem, alij paruam: alij magnam reſpectu vnius gratiæ obtinendæ, ſed exiguam reſpectu alterius conſequendæ: alij maiorem in ordine ad vnum beneficium ſecundùm vnum modum impetrandum; ſed non ſecundùm alium. Conſtat ex verbis Chriſti Saluatoris noſtri, qui admiratus de verbis Centurionis, quando dixit: Matth. cap. 8. ver. 8. *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus: ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael!* Si ergo tantam fidem non inuenerat, ſignum erat, quòd aliquam minorem hac inuenerat: quod vtique nemini eſt dubitandum. Nam alij plures

res ex Hebræis, ait Toſtatus *quæſt. 165. in cap. 17. Matthęi*, credebant quidem, quòd Chriſtus poſſet ſanare infirmos; ſed dummodo ad eos accederet, & manu tangeret eos. Sic Regulus in Ieſum credidit, & rogauit illum, vt ſanaret filium ſuum; ſed dixit ad eum, *Domine deſcende priuſquam moriatur filius meus*. Ioan. 4. verſ. 49. Neceſſarium iudicauit, quòd Chriſtus accederet ad ægrotum. Sic mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, credidit in Ieſum, quòd à fluxu ſanguinis ſanaretur; ſed dummodo tangeret ſaltem fimbriam veſtimenti eius. Vnde dicebat intra ſe: *Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero*. Matth. 9 verſ. 21. Sic quidam Princeps rogauit Ieſum pro filia ſua defuncta, dicens: *Domine filia mea modò defuncta eſt*; Ibid. verſ. 18. ſed addidit: *Veni impone manum tuam ſuper eam, & viuet*. Sic plures alij credebant ſe à Chriſto beneficium aliquod vel ſibi, vel alteri accepturos; ſed quoad modum conſecutionis nullus habuit tantam fidem, ſicut Centurio. Credidit enim, quòd Chriſtus ſolo ſuo verbo etiam in abſentia ſanaret ſeruum ſuũ, dicens: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus*; Matth. 8. v. 8. quaſi diceret: Domine ſcio, ac credo, quòd tu es omnipotens, & in te eſt virtus infinita, non eſt ergo, cur deſcendas in domum meam, quia peccator ſum, vt ſanes ſeruum meum; ſed ſufficit vnicum verbum tuum, in quo facta ſunt omnia, & illicò ſanabitur puer meus. His ergo verbis auditis à Chriſto iuremeritò admiratione repletus dixit: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael*. Verſ. 10.

§. II.

623 *Aſſertio 4.* DIco quartò. Fides Theologica ſecundùm participationem ſubiecti poteſt eſſe maior in vno, quàm in alio, tum ex parte intellectus propter maiorem certitudinem, & firmitatem: tum ex parte voluntatis propter maiorem promptitudinem, ſeù deuotionem, vel confidentiam: Ita D. Thom. *artic. eodem*.

Probatur ratione. Ratio eſt: quia de ratione fidei eſt, vt Veritas prima omnibus præferatur; tamen eorum, qui eam omnibus præferunt, quidam certiùs, & deuotiùs ſe ei ſubijciunt, quàm alij. Et ſecundùm hoc etiam fides eſt maior in vno, quàm in alio.

Exemplo. Hoc apertè conſtat in muliere Chananea; quæ accedens ad Ieſum rogauit eum dicens: *Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur*. Matth. 15. ver. 22. Cui tandem Ieſus dixit: *O mulier magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis*. Verſ. 28. Sed cur Chriſtus magnam vocauit eius fidem? Non vtique ratione petitionis: quia non erat aliquod magnum, quod petebat, cum ferè quotidiè Chriſtus ab Energumenis (etiam non rogatus) dæmones expelleret; ſed magnam appellauit ob firmitatem, ac ſtabilitatem in credendo, nec non ob promptitudinem, ac deuotionem in perſeuerando. Licèt enim Chriſtus non reſponderet ei verbum, immò eam repelleret, ac vocaret eam canem, nihilominus non infirmata eſt fide, non vacillauit, nec dubitauit de Ieſu potentia, bonitate, ac fidelitate in tribulatis ſubleuandis, & obſeſſis à dęmone liberandis: ideò perſeuerauit in petendo dicens: *Domine adiuua me: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Verſ. 25. & Verſ. 27. In quo oſtendit firmitatem fidei ſuæ, qua credebat Chriſtum eſſe Dominum potentem, filiam ſuam à dæmonio liberare, ac piſſimum, ideoque eius tandem preces non deſpecturum; ſed id, quod ipſa petebat, largiturum.

QVÆSTIO VIII.

An Fides Theologica differat à Fide gratia gratis data, & conſequenter à cæteris gratijs gratis datis.

ANte ſolutionem quęſtionis ſciendum, nouem eſſe gratias gratis datas à D. Paulo enumeratas 1. Cor. 12. *Alij per Spiritum S. datur ſermo ſapiẽtiæ: alij ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij diſcretio ſpirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum. Hęc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult.* 624 *Gratiæ gratis datę quot, & quæ. Deſcribuntur.*

1. Sermo ſapientię eſt donum, quod datur homini, vt non ſolùm poſſit fidei doctrinam proponere ſimpliciter; ſed etiam ex illa multas veritates reconditas elicere, & perſuadere; & propterea per cauſas, vel altiores rationes diuina myſteria explicare.

2. Sermo ſcientiæ eſt gratia, per quam homo rationibus naturalibus, vel exemplis fidem explicat, & quæ contra obijciuntur, ſoluit.

3. Fides in eodem ſpiritu eſt gratia, per quã datur homini, vt tàm diſtinctè, & perfectè intelligat, & apprehendat res fidei, vt poſſit eas alios docere; ſimpliciter tamen, & ſine ornatu ſcientiæ, & ſapientię. Hæc ab aliquibus vocatur fides miraculorum.

4. Gratia ſanitatum eſt illa, per quam quis, diuina operante virtute, alicui ſanitatem confert, quã naturaliter, vel ſaltem niſi poſt longum tempus, conſequi non potuiſſet.

5. Operatio virtutum eſt gratia, per quam homo ad confirmationem fidei, nec non vtilitatem aliorum, dæmones ab obſeſſis corporibus expellit, ſecluſa poteſtate exorciſtica; & alia opera efficit, quæ naturam ſuperant. Hæc ab aliquibus vocatur gratia miraculorum.

6. Prophetia eſt ſupernaturalis quædam cognitio in diuina reuelatione fundata, à qua locutio, vel prædictio prophetica procedit.

7. Diſcretio ſpirituum eſt reuelatio cogitationum interiorum cordis.

8. Donum linguarum eſt gratia, per quam confertur homini recipienti illud linguas varias cognoſcere, & intelligere.

9. Interpretatio ſermonum eſt donum, quo quis ex ſpeciali Spiritus Sancti motione, quæ legit, vel audit, ita benè intelligit, vt poſſit illa alijs interpretari iuxta ſenſum loquentis, vel ſcribentis. Sic hæ gratiæ deſcribuntur à Suarez *diſp. 8. de diſtinct. fidei ab omnibus donis, &c. ſect. 2. & 3.*

§. I. 625

AD quęſtionem ergo reſpondetur, fidem gratiam gratis datam modo prædicto explicatam non idem eſſe cum Fide Catholica. In primis enim illa nullam requirit obſcuritatem. Nam iuxta certam Auguſtini doctrinam *epiſt. 57.* & D. Thomę *3. part. quæſt. 7. art. 7.* In Chriſto fuerunt omnes gratiæ gratis datæ; non tamen in eo fuit Fides Catholica: ergo diſtinguitur ab omnibus gratijs gratis datis. *Fides Theologica diſtinguitur à fide gratia gratis data, & à cæteris gratijs gratis datis*

Deinde fides gratia gratis data non videtur tàm conſiſtere in iudicio, quàm in apprehenſione rerum fidei, quæ ita à Spiritu Sancto dirigitur, ſicut expedit ad docendos alios. Et idem proportionaliter dicendum eſt de alijs gratijs gratis datis. Nam huiuſmodi gratiæ gratis datæ ordinantur ad vtilitatem aliorum per actus exteriores fidei manifeſtatiuos. Fides verò Catholica ordinatur ad iuſtificationem, & ſalutem ipſius credentis.

QVÆSTIO IX.

Quomodo Fides neceſſaria ſit Exorciſtę ad dæmones expellendos.

626 *Ad expellendum dęmonē, exorciſtæ ſimpliciter, & abſolutè fides non eſt neceſſaria.*

AD quæſtionem dico primò. Ad expulſionem dæmonis (ſimpliciter, & abſolutè loquendo) Fides Theologica Exorciſtæ non eſt neceſſaria. Ratio eſt: quia ſufficit, quòd in miniſtro ſit poteſtas Ordinis Exorciſtatus, intentio faciendi, quod Romana Eccleſia facit, ac ipſe dæmoni præcipiat diuino nomine interpoſito. Patet; quia Ordo Exorciſtatus habet ſuam vim ex opere operato; ſicut ſatis probatum eſt *numer.* 502. Et ideò ad ipſius miniſterium neque fides actualis, neque habitualis in miniſtro eſt abſolutè neceſſaria, vt producatur effectus, nempe expulſio dæmonis. Sic & in omnibus Sacramentis ad producendum ex opere operato ipſorum effectum ſufficiunt Materia, Forma, & Intentio Miniſtri, faciendi ſcilicet quod facit Eccleſia, vt ex Concil. Florent. colligitur: Ita teſtantur Alexander Alens. 4.*part q.*16. *mem.*3. *art.*5. D.Thom. 1.2.*q.*64.*artic.*9.Ricardus *in* 4.*diſt.*5.*quæſt.*4. *art.*3. & Ioſeph Angles *Flor.Theol.qq in* 4.*quęſt. de Miniſtro Sacram.art.*7.

§. I.

627 *Fides Theologica neceſſaria eſt Exorciſtæ, vt tutò, & efficaciter dæmones expellat.*

DIco ſecundò. Vt Exorciſta tutò, & efficaciter ab obſeſſis hominibus, & è rebus ad homines ſpectantibus dæmones valeat expellere, neceſſaria eſt ei Fides Theologica, qua firmiter aſſentiat nedum articulis Fidei, ac myſterijs noſtræ ſalutis; ſed etiam credat, ſe eſſe Miniſtrum Chriſti, & Eccleſiæ, & habere poteſtatem ſuper dæmones, vt in nomine Ieſu eos ab obſeſſis corporibus expellat, quando expulſio eſt ſalutaris: nec non Chriſtum per ſuam Paſſionem abſtuliſſe à dæmone hominibus nocendi facultatem pro eis, quos Deus vult protegere, ac præſeruare; & maximè pro his, qui credunt, ac confidunt in Sanctiſſimo Nomine Ieſu; vt latè probatum eſt ſupra *n.* 530. *& ſequentibus*.

Hoc teſtatur Alphonſus à Caſtro *lib.* 6. *aduerſus Hereſes verbo Exorciſmus* dicens: *Quod autem non ſemper fiat, vt inuocato nomine Ieſu dæmon egrediatur, minima fides ipſius inuocantis eſt in cauſa. Nam ſi perfectè credidiſſet, hæc, & maiora feciſſet. Et ad hos ſolos, videlicet in fide perfectos Dei promiſſio* (Marci vltimo, *In nomine meo dæmonia eijcient*) *pertinere videtur: quia priùs dixerat: Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, &c.*

Propterea maximoperè iuuat Exorciſtæ, ſæpiùs elicere actus fidei, credendo firmiter, quòd Deus ratione ſuæ infinitæ bonitatis, ac miſericordiæ, ac fidelitatis ſuæ inuariabilis virtute ſua diuina concurret ad dæmones expellendos, cùm ipſe Exorciſta in nomine eius dæmoni præcepta faciet, ſi talis expulſio perſonæ obſeſſæ fuerit ſalutaris.

§. II.

DIco tertiò. De facto loquendo, nullus Hæreticus, vel Infidelis dæmonem eijcere ſolet; vel aliquod valet facere miraculum, vt docet Ægydius de Coninch *diſput.*11. *de obiecto fidei dub.*3. *numer.* 85. & Lupus *part.*3. *Edicti S. Inquiſit. lib.*22. *diſt.*3. *artic.*2. *diffic.*2. Ratio eſt: quia promiſſio facta à Chriſto Eccleſiæ eſt reſpectu credentium: *Signa autem eos, qui crediderint, &c. In nomine meo dæmonia eijcient*. Nec Eccleſia ſupplet pro eis: quia ipſi non ſunt membra Eccleſiæ, cum ſint ab ea ſeparati; Nam hæc ſigna, nempe dæmones eijciendi per fidem; varijs linguis loquendi; ſerpentes tollendi; infirmos curandi; & cætera diuinitùs ſupra omnem vim naturæ operandi, in teſtimonium fidei noſtræ conceduntur: vt ait Marcus Euangel. cap. 16. poſt illa verba, *ſigna autem eos, &c. Apoſtoli*, inquit, *profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Immò etiamſi inter Hæreticos ſit aliquis ordine exorciſtatus inſignitus, non valet dæmones expellere, ſi ei deficiat recta intentio, quæ eſt, faciendi id, quod Sancta Eccleſia Romana faciendum intendit: nam hic potiùs intendit facere, quod ſua docet ſecta, cui adhæret. 628 *De facto nullus Hereticus, vel infidelis dæmones eijcere, aut miracula facere ſolet*

Quare dum iſti dæmonis aſſeclæ, quaſi alij Pharaonis Magi curare maleficia, & Energumenos à dæmone liberare, quandoque attentarunt, idem illis accidit, quod ſeptem filijs Sceuæ, qui Paulum in exorcizando imitabantur (de quibus Actuum 19.) nempè Vanus labor, fruſtra adhibitis ſuis adiurationibus è cerebro confictis: Contemptus, inſultante dæmone, & clamante: nihil ſibi timendum ab illis: Confuſio, ridentibus, & ſubſannantibus populis, qui aſſiſtebant: Et quod peius eſt, vulnera accepere, ad quæ euitanda fugam arripere coacti ſunt. Vnus pro omnibus ſufficiat Martinus Lutherus huius ſæculi Nouatorum anteſignanus, qui illa omnia expertus eſt, cùm velut ſimia Miniſtrorum Eccleſiæ in Sacrario Vittembergenſi dæmonem exorciſmis è ſuo, puta Euangelio nouo depromptis voluit expellere. Etenim irriſiones; & inſultus dæmoniacos, iterata, & repetita verbera, ſummas anguſtias, & alui profluuium perpeſſus ſuo malo didicit, non vſurpare amplius ea, quæ ſunt catholicæ poteſtatis: & ridiculum ſuis fautoribus auctoritatis Lutheranæ ſpectaculum præbuit; vt narrat Staphylus oculatus teſtis, tunc Lutheri ſectator, poſtea Catholicæ Eccleſiæ filius *in abſoluta reſponſione contra Smidelinum*. *Quid acciderit Hæreticis id attentare volentibus.*

ARTICVLVS II.

De Spe, ſeu Fiducia in Deum. 629

Spes, ſeu fiducia in Deum neceſſaria eſt Exorciſtæ, vt tutò, & efficaciter dæmones expellat

SEcunda virtus, qua præditus eſſe debet Exorciſta, vt tutò, & efficaciter ſuum valeat exercere miniſterium, eſt Spes, ſeu Fiducia, vel Confidentia in Deum, quæ præſidio non fulcitur humano, ſed diuino innititur auxilio; & decertante Exorciſta aſſiſtere debet, vt quod ſuis viribus aſſequi non poteſt, hoc ſuperna ope confortatus aſſequatur. Vnde ſimilis filio hominis pedes habebat ſimiles aurichalco, vt oſtendatur, Exorciſtam ſuam ſpem, ac fiduciam totam debere fixam habere in Deum: pedes enim

enim ſpem ſignificant, vt docet D. Bernardus in verba illa Pſalm. 90. *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum*, dicens. *Quemcumque locum calcauerit pes veſter, veſter erit. Pes veſter vtiquè ſpes veſtra eſt, & quantumcumq; illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, vt firma ſit, & non titubet.*

Obiectũ ſpei. Quæ ſpes, (vt reſpicit tanquam obiectum primarium formale, ſolam bonitatem Dei clarè viſi, ſiue beatitudinem noſtram tàm obiectiuam, quàm formalem, quatenus nobis bona eſt) dicitur virtus theologica. Hæc videtur eſſe ſententia Scoti *in 3. diſt. 26. quæſt. vnica. §. ad quæſtionem*. Eandem tenet Gabriel *ibidem*, Suarez *in 3. part. tom. 1. q. 7. in Commentario art. 4.* Bannez *2. 2. q. 17. art. 5. §. Caietanus, &c. verſ. Nota ſecundò*, & Ægydius de Coninch *diſput. 19. de Spe dub. 4. n. 52.*

Definitio ſpei. Sic autem definitur à D. Thoma *in 3. ſent. diſt. 26.* quòd *ſit expectatio certa futuræ beatitudinis, proueniens ex Dei gratia, & ex meritis noſtris.* à Filliucio verò *tract. 22. de præceptis Fidei, Spei, & Charitatis, &c. cap. 8. de virtute ſpei* ſic deſcribitur: *Spes eſt virtus Theologica diuinitùs infuſa, per quam certò expectamus futuram beatitudinem per merita ex diuina gratia prouenientia.*

Obiectũ fiduciæ. Spes verò (quatenus reſpicit nedum bonitatem Dei clarè viſi; ſed eius omnipotentiam, qua poteſt omnia nobis ſalutaria conferre bona, ac fidelitatem eius in promiſſis ſeruandis) dicitur fiducia; quæ eſſentialiter non differt à Spe Theologica; addit tamen ſupra ſpem firmitatem quandam, ſeu robur: vndè Fiducia eſt perfecta, ac robuſtiſſima, vt benè docet Drexelius *lib. 5. de Conformatione hum. volunt. cum diuina cap. 2. §. 1.* dicens, *Spem hoc ſuperat Fiducia, quòd Fiducia non qualiſcumque ſpes ſit; ſed robuſtiſſima, & perfecta.*

Fiduciæ definitur Hæc autem definitur à D. Thoma *2. 2. quæſt. 129. artic. 6.* quòd *ſit ſpes futuri auxilij concepta ex dictis aliorum: vel ex his, quæ ſunt in ſe, vel in alio.* Expreſſiùs autem ſic definiri poteſt. *Fiducia Theologica eſt ſpes firmiſſima, ac robuſtiſſima futuri auxilij concepta ex frequentatis actibus fidei theologicæ, qua quis firmiter credit, Deum nedum poſſe ratione ſuæ omnipotentiæ; ſed ratione etiam ſuæ infinitæ bonitatis, benignitatis ac fidelitatis velle ei concedere quod animæ eſt ſalutare:* Ita colligitur ex Suarez *diſp. 1. proem. ſect. 1. num. 8. & diſp. 8. de diſt. fidei ab omnibus donis, &c. ſect. 1. n. 3.*

QVÆSTIO I.

Quomodo huiuſmodi Fiducia augeatur.

630 *Fiducia quomodo augeatur.* QVoniam plura adducemus infra *part. 3. vbi de ratione*, ex quorum conſideratione maximoperè affectus in Deum moueri poteſt, ac fiducia erigi; hic duntaxat modus, ſeu actus, quo talis fiducia augetur, eſt explicandus. Fiducia ergo proportionaliter augetur in voluntate, prout in intellectu augetur fides; quod ſolet contingere dupliciter.

Vno modo quando fides non tantùm præbet aſſenſum veritati reuelatæ, nec in ea ſolùm cognoſcenda, ſeu credenda ſiſtit; ſed extenditur ad praxim, veritatem creditam applicando voluntati, vt ſecundùm illam moueatur, ſeu operetur; tunc in voluntate proportionalis augetur fiducia, & animus orantis erigitur in ſpe, eamque actu ipſe exercendo in ea firmatur, ac roboratur; ita quòd animus eius non fluctuat, nec deficit in petendo.

Alio modo quando aliquis non tantùm habitu credit; ſed actu ſe exercet conſiderando promiſſionem Dei, eius veritatem, fidelitatem, ac bonitatem infinitam; tunc in voluntate augetur deuotionis feruor, aufertur tepiditas, magis, magiſque creſcit confidentia.

E conuersò quando intellectus deficit in applicanda practicè veritate credita voluntati, vt ſecundùm illam cum magna fiducia oret, licèt talis homo non habeat defectum in aſſenſu fidei, neque in certitudine, qua credit, Deum eſſe fidelem in ſuis promiſſis; attamen ex defectu talis applicationis prouenit in voluntate proportionalis defectus in ſpe, & fiducia: nam interdum animus orantis non erigitur in ſpe, non quia deſperet; ſed quia non actu exercet ſpem; vnde fit, vt animus fluctuet, & deficiat in petendo, ſicut oportet. Secundò quando quis deficit in exercitio, quia non actu conſiderat promiſſionem Dei, & veritatem eius, licèt nullam habeat dubitationem contrariam certitudini fidei; ex defectu tamen actualis fidei prouenit in voluntate proportionalis defectus; quia tepidè, & remiſsè exercet ſpem; ideò vel non perſeueranter petit; vel in ipſamet petitione nimis eſt remiſſus; & etiam plus hæſitat, vel dubitat, quàm ſecundùm rectam rationem poſſit, aut debeat; quod totum redundat in imperfectionem, & defectum fiduciæ debitæ: Ita docet Suarez *tom. 2. de Virtute, & ſtatu Religionis, lib. 1 de Oratione cap. 24. num. 8.* Propter autem huiuſmodi defectus Apoſtoli non potuerunt illum Lunaticum curare; quia tunc habuerunt fidem languidam, nec rectè illa vſi ſunt ad conſiderandum ea, quæ poſſent mouere affectum, & fiduciam erigere. *Defectus fiduciæ vndè veniat.*

QVÆSTIO II.

Quomodo Fiducia tollat hæſitationem.

REſpondetur, ſicut fides non excludit quoad intellectum niſi dubitationem certitudini fidei repugnantem; ita fiducia quoad voluntatem ſolùm excludit illum timorem, vel animi trepidationem, quæ excludat theologicam ſpem: Ac proinde ſi oratio fiat ex vera fide, & ſpe, ex hac parte habet conditionem ſufficientem ad impetrandum infallibiliter ex vi promiſſionis; quantumuis vel ex parte intellectus interueniat aliquod genus formidinis, vel dubitationis indeliberatæ, quæ ad infidelitatem non perueniat: vel ex parte voluntatis intercedat nimius timor, vel puſillanimitas ex conſideratione proprij defectus concepta. Nam hi defectus vel non ſunt culpabiles; vel non grauiter; vnde non excludunt verum actum fidei, & ſpei, nec reddunt culpabilem ipſam orationem: Ita docet Vega *lib. 9. in Concil. Tridentin. cap. 28.* Gloſs. ordin. *ſuper epiſt. canon. D. Iacobi cap. 1.* & Suarez *loco citato num. 7.* 631 *Fiducia tollit hæſitationẽ.* *Quomodo*

Veruntamen ſubdit Suarez *num. 8. in fine*; quòd debita fiducia in Deum deberet huiuſmodi defectus ſuperare, ac vincere: Quod præſtaret, ſi orans conſideraret nedum diuinam promiſſionem; ſed infinitam Dei bonitatem, prouidentiam, benignitatem,

tem, charitatem, liberalitatem, ac cætera Dei attributa. Ex qua conſideratione licèt non perueniatur ad iudicandum certò, & infallibiliter, Deum effecturum, quod petimus; ſæpè tamen peruenitur ad iudicium ita credibile, ac determinatum, vt excludat actualem hæſitationem, & animum orantis pacatum reddat; Ita Suarez *loco cit.n.9.*

Fiducia in miraculo operando, quæ.

Quando verò Deus vult per aliquem operari miraculum, ſolet ita mouere animum petentis, vt nihil hæſitet; ſed firmiter credat, illud impetraturum: quæ ab aliquibus ſolet dici fides miraculorum, quæ præſupponit fidem theologicam; & numeratur inter gratias gratis datas; prouenitquè ex quadam peculiari motione, & præueniente gratia, cui homo non poteſt reſiſtere quantum ad illam particularem firmitatem intellectus, licèt quoad actum deſiderandi, & petendi liberè operetur: Ita docet Abulenſis *in c.17.Matth.q.165.* & Suarez *loco cit.*

Frequentiùs verò, licèt non tàm ſpecialis gratia concedatur, datur maior, vel minor præueniens gratia ita mouens ad petendum cum fiducia, vt magis etiam, vel minus hæſitationem tollat, vel animum petentis ſecurum reddat: Quo modo dixit Caſſianus *Collat. 9. cap. 32.* ſignum futuræ impetrationis eſſe, quando Spiritus Sanctus mouet ad petendum cum magna fiducia, & quaſi ſecuritate impetrandi.

QVÆSTIO III.

Quos effectus efficere ſoleat huiuſmodi Fiducia in ſuis poſſeſſoribus.

632 INnumeri ſunt admirandi effectus, quos cauſare ſolet huiuſmodi fiducia in eos, qui illam poſſidere ſtudent. Eſt enim in manu Exorciſtæ, & omnium Chriſti fidelium veluti panoplia, ſeù omnis generis armatura; aut altera virga moſayca, quæ valent nedum ab inimicis tàm inuiſibilibus, quàm viſibilibus, & à quacumque re aduerſa ſeipſos, & omnia ad ſe ſpectantia tueri, ac conſeruare; verùm etiam, cum opus eſt, ob Dei nomen ſanctiſſimum glorificandum, Eccleſiæ ſplendorem augendum, ac totius Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem proſequendam (ad id ſpecialiter Deo cor mouente) admiranda opera operari. Hi autem effectus genericè collecti clauduntur, ac breuiter ad ſexdecim Fructus reuocantur.

Fiducia eſt armatura, ac veluti virga moſayca in manu cõfidẽtis in Deum.

FRVCTVS PRIMVS.

Fiducia in Deum præſeruat à peccatis plurimis.

633 PRimò hæc fiducia in Deum, ac firma confidentia in eius tutiſſima protectione præſeruat eum, qui illam poſſidet, à vitijs, & à peccatis plurimis.

Fiducia in Deum præſeruat hominem à vitys, & à peccatis.

Dauid Pſal.33.verſ.23. *Et non delinquent omnes, qui ſperant in eo.*

Vbi Franciſcus Titelmanus. *Qui in eò*, inquit, *ſpem ſuam iactatam, & benè firmatam habuerint, non cadent in peccatum tale, quo prorſus à Deo ſeparentur. Sollicitè enim curabunt, ne peccatum vllum tale admittant: & ſi fortè contingerit incidere, ſollicitè curabunt, ne in peccato permaneant; ſed reſurgent quantociùs in ſpe miſericordiæ Dei.*

Ioannes Baptiſta Folengius: *Qui ſpem*, ait, *omnem ſuam in Deo collocant, hi delinquere haud quaquam poſſunt ad mortem, Quia ex Deo nati ſunt, ſemenque Dei in ſe inſitum habent. Nihil ergo damnationis*, clamat Paulus Rom.8.ver.1. *eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. Et hi ſunt quidem, qui ſperant in eo, vt è ſpe tandem, fiduciaquè in Deum copulata ſanctificationem omnem noſtram auguremur. Omnis*, inquit Ioannes, *qui ſpem habet hanc in eum, ſanctificat ſe.* 1.Io.3.ver.3.

Idipſum confirmat Drexelius *de Conformatione voluntatis lib.5. cap. 5. §.4.* dicens: *Vera in Deum fiducia non tantùm inquieti pectoris agitationem; ſed & huic contrarium torporem mentis, ac ſenium tollit. Quiſquis hanc feliciſſimam artem callet, ac reipſa tàm voluntati diuinæ, quàm prouidentiæ eius perfectè ſe tradit, graues vitiorum inſultus non metuit. Ita Deo innixum nulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit vel ſtantem deijcere, vel ſubijcere dominantem.*

Diſertè hoc ipſum teſtatur D Bernardus *ſuper eundem Pſalmum*, dicens: *Ita animus, ſi non præſumat de ſe; ſed ſi confortetur à Deo, poterit vtique dominari ſui, vt non dominetur ei omnis iniuſtitia.*

Diffidentia origo eſt plurium vitiorum.

E conuerſo diffidentia de Deo eſt cauſa plurimorum vitiorum, ac ſcelerum execrabilium. *Deo diffidere*, ait Drexelius loco citato cap.10.§.7. *aut eſt principium plurimorum ſcelerum, aut finis.* Ideò benè ait Folengius in Pſal.31.verſ.1. *Vnde ambitio? vnde cupiditas? vnde dominandi libido, etiam in his, qui in intimis Eccleſiæ penetralibus, & clauſtris latitant? vnde luxus? vnde faſtus, ſimultaſque ſimulatio, diſſimulatio, atque omnis generis vitia emanant? niſi quòd in alia re, quàm in Deo ſuam collocant fiduciam, ac ſpem mortalium plerique?*

FRVCTVS II.

Non ſinit facilè homines cadere in tentationes.

SEcundò hæc fiducia in Deum eſt telum acutiſſimum in hoſtes inuiſibiles intorquendum, quo facillimè debellari queunt, ne inducant homines in tentationem. 634

Fiducia in Deum non ſinit facilè cadere in tentationes. Conſtat auctoritate Diuinæ ſcripturæ, ac Theologorum.

Aptiſſimè Folengius *in Pſal.26.* apud ipſum 27. explicans illa verba: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum;* ait, *Multa ſunt caſtra illa* (nempe vitia, quibus diabolus nos impugnare tentat;) *ſed multa etiam nimis ſunt caſtra Domini: hæc quidem fortia, illa verò debilia, parumque in Deo ſperantibus extimeſcenda. Habet etiam & ſpiritus ſua caſtra in cordis theatro, habet ſua tela, ſuas acies, ſuaſque teſtudines, atque arietes: quæ ſane omnia ſpiritualia tantummodo viro ſunt nota. Equidem neſcio, an tela acutiora in hoſtes intorqueri poſſint, quàm ea, quæ hic memorat Vates, nempe ſpem, ac confidentiam in Deo.* Vnde Titelmanus in illa verba Pſal. 90. *Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium*, ait: *Tu namque es, Deus meus, qui tibi fidentem hactenus liberaſti, & liberabis (vti non dubito) etiam impoſterum, de laqueis, & inſidijs omnium inimicorum meorum, qui ad modum venatorum pauperculam animam meam ſummo ſtudio, & ſedulitate maxima perſequuntur, vt eam interimant: ponuntque laqueos multiplices, & varias inſidias, vt illaqueatam in eis animam meam morte afficiant: quomodo ſolent venatores maximis laboribus*

ribus perſequi innoxia animalcula, & laqueos pone re, foueas effodere, aliaſque inſidias ſtruere tantùm, vt illa poſſint comprehendere, & vita priuare, & infra *verſ.6.* in illa verba: *Non timebis, &c. à negotio perambulante in tenebris. Deus ita illæſum te ſeruabit ab omni malo, quod in tenebrarum latibulis obambulat, à tentatione graui, moleſta, & diuturna, quæ te multum, & diù, quaſi circumeundo, & circumambulando moleſtat, vt tandem vel importunitate vincat: aut ex occulto tandem aliquando te opprimat, ſi quando te videat minùs paratum*, & paulò infra ait: *Ab inimicis huiuſmodi ſiue apertè per vim tentationum oppugnantibus æquè ſaluberis in diuino auxilio; non poterunt tibi aduerſarij dæmones præualere propter diuinam cuſtodiam, quoſcumque tandem modos adinueniant, quamcumque tandem viam experiantur; ſiuè occultè nocere cupiant, quaſi in occulto tenebrarum, abſque oppugnatione aperta, ſub latibulo aliquo, ſiue etiam apertam perſecutionem, aut tentationem omni ſibi conceſſa virtute aduerſus te exſuſcitent: etiamſi in omni ſua virtute aduerſum te conentur, & apertè te oppugnent, nihil patieris incommodi.*

Hoc idem teſtatur Dionyſius Carthuſianus in eumdem Pſalmum. *A quatuor*, ait, *tentationibus liberatur, qui in adiutorio Altiſſimi habitat, ſcilicet à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, & ab incurſu, & dæmonio meridiano; & ita nullam tentationem quantumcumque grauem, ſeu vndique illatam veretur, dicens cum Apoſtolo:* Philipp.4.*v.*13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.*

Idipſum teſtantur omnes Patres Pſalmum prædictum exponentes, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Bernardus, Caſſiodorus, Paraphraſtes, & alij innumeri relati à Ioanne Lorino *in eumdem Pſalmum.*

Diffidentia facit ſuccumbere tentationib.

E conuersò qui ſolis ſuis viribus, & non diuina protectione innituntur, cuicumque faciliimè diabolicæ ſuccumbunt tentationi; vt benè obſeruat Drexelius *de Conformatione volontatis lib.*5. *cap.*5.§.5. dicens: *Porrò, qui hac fiducia ſunt vacui, humana tantùm circumſpiciunt, omniaque humanis viribus metiuntur. Et ferè contingit, vt hos in manu conſilij ſui deſtituat Deus.* Ex quo dæmones ſuis telis, ac iaculis illos (Deo non obſiſtente) haud difficulter proſternere valent.

FRVCTVS III.

Liberat, ac præſeruat à maleficijs, obſeſſionibus, ac moleſtijs diabolicis.

635 TErtiò hæc fiducia in Deum liberat, ac præſeruat homines in Deum confidentes à maleficijs incantationibus, obſeſſionibus, ac vexationibus dæmoniacis; vt latè probauimus ſupra *num.*630.

Fiducia in Deum liberat, ac præſeruat à maleficijs.

Quod experientia comprobauit anno 1648. *menſe Septembri hac fiducia munitus, dum filium ſuum Dominicum primogenitum annos natum* 16. *Energumenum à dæmone liberauit Ioannes de Fatinis à Caſtro Franco. Is enim, dum præfatum filium ſuum à dæmone obſeſſum ad me adduceret Venetias, vt à dæmonio liberarem, cæpit dæmon in itinere illum vexare, & acriter torquere; quare prædictus vir vtique pius, prudens, atque deuotus memor inſtructionis, qua ante ſemeſtre à me fuerat imbutus, dum filiam eius Franciſcam annos* 15. *natam energumenam* (*Sanctiſſimo nomine Ieſu à me interpoſito*) *à dæmone liberaueram, diuino fretus auxilio dæmonem obiurgare cæpit, & increpare, ac ſuo modo vulgari ſermone illi præcipere, ne vexaret filium; ſimulque filium excitare, vt in Deum confideret, quòd à dæmonio dubio procul fuiſſet liberatus. Propterea dæmon, diuina virtute eum impellente ob fidem illius viri firmam, ac ſinceram, coactus fuit è corpore iuuenis exire; ſed in egreſſu ſubmiſſa voce in aure illius dixit:* procertò ſcias, quòd exeo: quia Venetias nolo ad fratrem illum accedere; ſed cùm ad patriam tuam redieris, iterum domum meam intrabo, vnde exiui. *Cum ergo coram me fuiſſet adductus, illum totaliter à dæmone liberum eſſe, comperi. Quare illum in fiducia benè inſtruxi, admonens, vt totam ſuam in Deo fiduciam collocaret, nec vllo modo dæmonem timeret: quia nihil poteſt contra eos, qui in Deum ſuam collocant fiduciam: qui ita benè inſtructus à quacumque dæmoniaca vexatione liber, ac illæſus permanſit.*

Exēplū relatum ab Auctore.

Sed non tantùm à maleficijs, ac dæmoniacis obſeſſionibus, qui in Deo ſuam collocant fiduciam; ſed etiam à timore ipſorum dæmoniorum, ab eorum apparitionibus, ac nocturnis terriculamentis liberantur, ac præſeruantur.

Hoc probant Richelius, Eugubinus, Genebrardus, R. Abenezra, R. Kimhi, qui exponentes illa verba Pſalmi 90. *Non timebis à timore nocturno, à negotio perambulante in tenebris*, intelligunt de timore, quo ſolent aliqui nocturno tempore concuti, ſiue naturali imbecillitate propriæ imaginationis; ſiue ſomniorum triſtium, ac turpium etiam obiectu, ſiue terriculamentis de induſtria à dæmonibus excitatis. Quæ vocantur vt docet Ioan. Lorinus in Pſal.90. verſ.5. & 6. *phantaſmata, ſpectra terricula, terriculamenta, lemures, empuſæ, ſpecies, vmbræ, laruæ, manes, ſimulachra, dæmones nocturni.* Ab horum omnium timore liberantur, qui totam ſuam ſpem, ac confidentiam conſtituunt in Domino. Hoc probat eruditiſſimè S. Bernardus prædicta verba exponens: *Scuto circundabit te, &c.* dicens: *Benè dicitur, non timendum à timore nocturno: & non dicitur à nocte: quia non ipſa afflictio tentatio eſt; ſed magis timor ipſius. Nam & omnes laboramus, cum tamen non omnes inde tentemur; & qui tentantur, multò magis timore futuræ pænæ* (intellige, ait Lorinus loco citato, pænæ corporalis, puta maleficij, vel obſeſſionis) *quam præſentis dolore læduntur. Quia ergo timor ipſe tentatio eſt, congruè dictum eſt ei, qui circundatur ſcuto Domini, quòd à tentatione hac non timebit.*

Præſeruat à timore dæmonis, & apparitionibus, ac nocturnis terriculamētis.

FRVCTVS IV.

Defendit ab inimicis, ac perſecutoribus viſibilibus.

QVartò non tantùm Deus protegit in ſe confidentem ab inimicis inuiſibilibus; ſed etiam à viſibilibus, ab hominibus, nempè iniquis, ac peruerſis, qui quærunt ſanguinem eius fundere, honorem deturpare, ac ſubſtantias ipſius diſperdere, diſſipare, aut vſurpare. 636

Fiducia in Deum defendit ab inimi

Eruditiſſimè hanc veritatem teſtatur Titelmanus in

cis, ac perſecutoribus. Teſtantur Patres.

in Pſalmum 90. *ad literam* explicans illa verba: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi*, dum ait: *Vox prophetę eſt ad eum, qui habitat in adiutorio Altiſſimi. O tu quiſquis es, qui ſic (vt modò dictum eſt) tali confidentia habitas in adiutorio Altiſſimi, quàm benè tibi erit, & quàm eris ſecurus in iſta tua fiducia! Ecce Deus ipſe, in quo habes fiduciam, ſuæ potentiæ fortitudine tibi obumbrabit, quaſi ſcapulas ſuas ſuper te expandet, ſuum auxilium ſuper te faciet apparere; vt nocumenti nihil ad te poſſit pertingere: Quomodo, cùm pater ſcapulas ſuas, & humeros obijcit pro filio, vt is, qui paruulo nocere cupit, non poſſit, obſtaculum præbentibus latis obumbratis patris ſcapulis. Et ſub expanſis alis miſericordiæ, ac bonitatis eius ſecurus ages, & confidendo tutus eris ab omni aduerſariorum nocumento; quomodo pulli gallinæ ſub alis, & pennis maternis agunt ſecuri, qui, cùm extra alas euagantur, accipitris, aliarumque rapacium auium patent vnguibus, ſuntque direptioni, & morti expoſiti.*

Idem *in eundem Pſalmum verſ.* 14. loquens in perſona Domini, rationem reddens, cur hominem in ſe confidentem protegat ab inimicis, ac perſecutoribus ſuis, alijſque periculis animæ, & corporis: *Quoniam*, inquit, *in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Ecce ego, ait Dominus, iuxta Prophetę verbum, eum liberabo, & ſaluum faciam ab omni malo propter quod in me ſpem, & fiduciam conſtituerit; ſecundùm fidem ipſius faciam illi, & non eum fruſtrabor, neque confundam ab expectatione ſua quoniam non noui ego in me ſperantes derelinquere: Ego eum defendam ab omnibus aduerſarijs, & omni malitia, eò quòd nomen meo cognouit, eò quòd in me credidit, & ſperauit, atque vt Patrem, Dominum, Protectorem, & Saluatorem inuocauit.*

Huc appoſitè Chryſoſtomus *in Pſalmum* 124. initio, & paulo poſt initium in verba: *Qui confidunt in Domino ſicut mons Syon, &c.* ſic ait: *Montem dixit, ſpem in Deum incommutabilem, firmam, & conſtantem, inuincibilem, & inexpugnabilem. Quemadmodum enim ſi quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec conuellere, nec labefactare poterit: ita etiam qui eum aggreditur, qui ſpem in Deum collocauit, reuertetur domum vacuis manibus. Sed cur non dixit abſolutè:* Sicut mons, *ſed montis Sion meminit? Docens nos non debere animum deijcere in calamitatibus, nec ab eis peſſundari; ſed à ſpe in Deum pendentes, omnia ferre fortiter, & bella, & pugnas, & tumultus. Quemadmodum enim hic mons, qui fuerat quandoque deſertus, & nudatus habitatoribus, ad priorem redierat proſperitatem veteri ſtatu recepto, cum incolę redijſſent, & miracula rurſus oſtenderentur: ita etiam vir fortis, & generoſus, licèt ab innumerabilibus inuadatur calamitatibus, minimè euertitur.*

§. I.

637 *Fiducia in Deum eſt galea lorica, anchora.*

HInc iuremeritò hæc confidentia in Deum à Drexelio *de Conformatione voluntatis lib.* 5. *cap.* 5. vocatur galea, lorica, & anchora. *Hæc*, inquit, *in Deum fiducia eſt galea nullis rumpenda vulneribus, eſt lorica nulli penetrabilis telo, eſt anchora nulli obnoxia naufragio. Hanc ſicut anchoram habemus*, ait Apoſtolus Hæbr. cap. 6. *animę, tutam, ac firmam.*

Hac roborata fuit Suſanna

Hac galea, lorica, & anchora firmata erat, ac roborata Suſanna nobiliſſimum, & Pudicitiæ, & Fiduciæ ſpecimen. Hæc cum ad capitis ſupplicium, & ſaxatiles nimbos iam duceretur, flens ſuſpexit ad cælum: *Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Nec fruſtra: omnium calculo, Daniel. c. 13. verſ. 35. iudice, omni crimine, ac dedecore liberata eſt.

Hac non inferior Eſther rem magnam aggreſſa eſt per hanc itidem in Deum fiduciam. Lex erat in Aſſueri aula, vt ſi quis ad Regem ingrederetur non vocatus, morte id lueret, niſi Rex virgam auream protendiſſet in ſignum clementiæ. Cum verò Eſtherem hinc Mardochęus aſſiduis precibus vrgeret, vt Regem adiret; illinc obſtaret lex, & terreret; hoc demum inijt conſilij. Iudæi omnes iuſſi ſunt triduum totum inter preces, & ieiunia exigere: quòd idem, & Eſther fecit cum ſuis virginibus: *Triduo ſic exacto, Regina fiduciam in Deum ampliſſimam concipiens* (docet Drexelius loco citato cap. 4. §. 3.) *ingreſſa eſt ad Regem pro ſua gente deprecatura. Ex voto ceſſerunt omnia.*

Nec illud ſilentio inuoluendum, quod fertur à C. Fabr. *hiſtor. de Electoribus Saxoniæ.*

Hac ſuffultus Antiſtes Magdeburgicus

Dux Saxoniæ Federicus II. cognomento Placidus, Anno Chriſtiano milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto obijt. Hic princeps aliquot ante obitum annis Friderico è Comitum ſtirpe Antiſtiti Magdeburgico litem, & ab ea bellum cœpit mouere. Quod vt prudentiùs gereret, & cuncta cederent feliciùs, exploratorem miſit, qui de apparatu bellico, & conſilijs aduerſæ partis cognoſceret. Factum exploratis omnibus renuntiatum eſt, nil opportunum bello parari, ſed nec militem ſcribi: Antiſtitem præterea dixiſſe, cauſam ſe commiſſurum Deo, qui pro ſeruo ſuo arma ſumeret. Hoc vt Elector audiuit: Alius, *inquit*, inſaniat, & bellum inferat ei, qui confidit ſuperiorem ſe futurum in cauſa ſua, Deo defenſore.

Laudandus Præſul, qui Dei patrocinio fiſus eſt: laudandus Princeps, qui poſitis armis Deum veritus eſt aduerſarium.

Fiducia maxima D. Martini.

Tali confidentiæ lorica, ac galea munitus fuit S. Martinus Epiſcopus Turonenſis, ad quem, vt refert Villegas in vita eius, *cum quidam homo iniquus, ac peruerſus acceſſiſſet, vt ipſum occideret, & iam diſtricto enſe aduerſus ipſius caput ictum ieciſſet, vt feriret, alio enſem retinente, & impediente, ne caput Sancti Epiſcopi attingeret, ipſe inconcuſſus manens, & immutabilis exiſtens nec timuit, nec tremuit, nec facies eius ex pauore colorem mutauit; ex quo à ſuis Clericis interrogatus, quomodo tam impauidus in tanto diſcrimine vitæ perſtitiſſet? reſpondit vir Dei;* Numquam tam modicus pauor me corripuit, ſicut nunc, certiſſimum namque mihi eſt, quòd Deus meus, cui ſeruio, & in quem omnem meam conſtitui fiduciam, numquam me in maioribus neceſſitatibus dereliquiſſet.

Digniſſimum ſanè tanto viro reſponſum. Nam teſte Iſaia cap. 40. Verſ. 31. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem* (ideſt humanam in diuinam) *aſſument pennas ſicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Sic animoſiſſimus Rex Dauid: Pſal. 25. Verſ. 1. *In Domino ſperans*, inquit, *non infirmabor.* Optimè Theodoretus: *Gubernatorem*, inquit, *habeas Deum, & aurigam, & res tuæ ab illa prouidentia pendeant; nam hoc modo inconcuſſus manebis, & immutabilis.*

Deus tuetur in ſe confidentes etiam

Sed non ſolùm tuetur Deus in ſe confidentes in diſcrimine vitæ, & honoris; verùm etiam in periculis iacturæ bonorum temporalium, præcipuè contra incendiarios, fures, inſidiatores. Sic

Euthy-

in periculis iactu à timore bonorũ temporalium. Vide nu. 647.

Euthymius apud Lorinũ explicans illa verba Pſ.90. *à timore nocturno, à negotio perambulante in tenebris*, ait: *Timor nocturnus, vnà cum negotio perambulante in tenebris indicat fures, incendiarios, inſidiatores, qui tali potiſſimùm tempore graſſantur, & incautos adoriuntur*. A quibus Deus protegit, ac defendit omnes in ſe confidentes, ne poſſint eis vllum quamuis minimum inferre nocumentum. Ergo *viriliter agite, & confortetur cor veſtrum omnes, qui ſperatis in Domino*. Pſalm.30.v.25.

FRVCTVS V.

Liberat, ac præſeruat à morſu, ac veneno brutorum animalium.

Fiducia in Deum liberat, ac præſeruat ab innumeris periculis

638 QVintò liberat, ac præſeruat hæc fiducia in Deum ab innumeris periculis, quibus mortalis obnoxia eſt infirmitas, & à quibus homines quandoque ſolent inopinatò offendi; præcipuè tuetur à morſu, ac veneno brutorum animalium ita vt non noceant ijs, qui in Deum ſuam conſtituũt fiduciam (Deo illos protegente): Sic plures Doctores explicant illa verba Pſalmi 90. *Super aſpidẽ, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Quæ licèt myſticè intelligantur de dæmonibus, vel etiam de hominibus iniquis; vel de vitijs, ac peccatis, vt plures exponunt Patres relati à Ioanne Lorino in dicta verba: veruntamen ad literam accipiuntur de irrationabilibus, venenoſiſque brutis, quæ multi Sanctorum, præſertim in noua lege ſine læſione calcauerunt, ſicut eorum venena ſine nocumento biberunt iuxta illud Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint, &c. Serpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*.

Varia miracula hoc teſtãtur.

Serpentes tollent; Hoc patebat Paulo Apoſtolo Act.28.Verſ.2. qui percuſſus à vipera in nullo læſus fuit; ſed viperam pendentem ad manum eius in ignem excuſſit. Quod partim quoque contigit filijs Iſrael ex Ægypto gradientibus per eræmum vaſtam, atque horribilem, & venenoſis animalibus plenam, quæ nocumentum non intulerũt filijs Iſrael, quemadmodum Moyſes ſcripſit Deuter.8. Verſ.15. *Dominus ductor tuus fuit in ſolitudine magna, & terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio, ac dipſas*.

Ita teſtatur Dionyſius Carthuſianus in illa verba Pſalmi 90. Idipſum annuit Ioan. Lorinus ibidem. Conſtat in Daniele, cui non nocuerunt ora Leonum, licèt exiſteret in medio eorum. Daniel.c.6. & 15. In S. Franciſco, cui Lupus vorax, qui plures homines occiderat, nedum non nocuit, ſed vt agnus manſuetus humilis ſe ſubiecit, ac obedientiam præſtitit; & alijs pluribus, quos ſacræ referunt hiſtoriæ. Chronic.Fr. Minor. in vita eius par.1.lib.2.c.39.

Confirmant ſacra Scripturæ interpretes.

Hanc apertè veritatem fatetur Franciſcus Titelmanus in eadem verba: *ſuper aſpidem, &c.* loquens ad eum, qui totam in Deo ſuam conſtituit fiduciam. *Denique*, ait, *nec vniuerſum ſerpentum genus tibi quicquam nocere poterit; ſed abſque læſionis nocumẽto perambulabis ſuper aſpidem, & baſiliſcum, & ſimiliter ſuper aliarum ſpecierum ſerpentes cuiuſcũquè tandem malitiæ, aut interfectionis fuerint, nihil tibi mali illorum venenum inferet. Immò nequè leonem, nequè draconem in via timebis; ſed ſecurus, & imperterritus in via tua cõculcabis eorum capita; tametſi leo ferociſſimum ſit animal, draco aſtutiſſimum: tu tamen, & illius ferocem fortitudinem, & huius nociuam aſtutiam æquè victor calcabis atque ſuperabis, hoc eſt, nulla virtas inimicorum, ſiuè infirmorum, ſiuè fortiorum, ſiuè magnorum, ſiuè paruorum tibi nocere poterit, aut præualere. Ecce enim altiſſimus, quem poſuiſti refugium, & ſpem tuam, dedit tibi poteſtatem calcandi ſuper omnes ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.*

Sic ad literam transfert Felix: *Super leonem*, ait, *& aſpidem iter facies, conculcabis catulum leonis, & draconem. His quidem ferarum vocibus*, ait Baptiſta Folengius in eadem verba, *rerum omnium, quæ vel morſu, vel veneno, vel alia ratione qualibet noxia, & lethali obeſſe poſſunt, feritatem intelligi voluit; quas quidem non ſolùm Dei amicis nocere haud quaquam poſſe, aſſerit; verùm etiam illis fore vſui, ac commodo.* Ecce inquit Chriſtus, Luc. 10. verſ.19., *dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper virtutem omnem inimici, & nihil vobis nocebit. Quæ enim res tam formidabilis eſſe poteſt, cui non imperet Dei amicus, atque illi frenum ponat?*

Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Marci 16. Conſtat de S. Ioanne Euangeliſta, qui venenum mortiferum hauſit, & nihil ei nocuit. Idem præſtitit S. Antonius à Padua pro conuerſione quorundam hæreticorum: vt habetur *Chron.Fratr.Min. par.1. lib.5. cap.20. in vita eius*. Idipſum B. Iacobus à Marchia Pragæ in Boemia coram totius populi multitudine congregata ob Hæreticorum conuerſionem egit; & ſtatim poſt venenum hauſtum maiori ſpiritus feruore ſine vlla animi corporis moleſtia altiſſima de fide Catholica, ac Romana Eccleſia contra Hæreticos myſteria prædicare cæpit; vt narrat Marcus à Lisbona *Chorn. Fratr.Minor.par.3. lib.6.cap.12.* Quod etiam alij Sancti præſtiterunt: vt ſacræ ferunt Hiſtoriæ.

Nec tantùm Sancti; ſed etiam veri iuſti, ac mulieres in Deum confidentes. De vnica referam, cuius fui teſtis oculatus.

Anno Domini 1664. in vna Vrbe ex principalioribus Italiæ quædam mulier genere nobilis, ſed morum grauitate nobilior nupta Viro ſanguine illuſtri, ſed moribus ignobiliſſimo, vitijſque repleto, qui totam ſuam facultatem in ludo alearum, ac meretricibus conſumpſerat; Hic ſæpiùs dictam ſuam vxorem ſtimulabat, & impellebat ad pecuniam extorquendam à Matre ſua, quæ diues erat; cum autem ipſa hoc facere quandoque renueret, quodam die, cum ruri morarentur, ipſam compellere volebat ad faciendam ſibi donationem ſuæ dotis, licèt filios haberent; & cum hoc præſtare noluiſſet, hora ſerotina finxit ſe aliùc abire; noctu autem laruatus veſte muliebri domum eſt ingreſſus, & accedens ad lectulum vxoris, illam ex eo extraxit, ac pugnis, ac fuſte malè eam accepit, deindè abijt; ſequenti die redijt in domum, & quærens ab vxore, quomodo ſe haberet, & reſponſo accepto circa omnia, quæ ſibi euenerant nocte antecedenti; ſubiunxit Maritus dicens: illam mulierem fuiſſe aliquam Sagam, qui eam maleficio affecerat, quia noluit ei facere donationem ſuæ dotis; ſed peiora ei ſucceſſura, niſi illi conniueret. At cum ipſa ſtabilis permaneret dicens ſe non poſſe ei facere talem donationem, ſequenti die attulit quandam potionem dicens: quòd per illius potum liberaretur à quocunquè malo; at cum illa nollet eam ſumere, ipſe diſtricto gladiolo poſuit ad guttur eius minitans illi inferre mortem, niſi eam bibe-

biberet: ipſa autem ſe Deo commendans, ac Beatiſſimæ Virgini venenum bibit; quo hauſtu ſtatim conturbata ſunt viſcera eius, ac torſionibus acutiſſimis torqueri cępit; quamprimùm autem potuit, ſcripſit matri ſuæ, ac fratri eos admonens de malis factis mariti, qui ſine mora accurrerunt, illamque ad Vrbem duxerunt, & accitis Medicis, plurima adhibuerunt medicamina; ſed omnia incaſſum. Die autem 24. poſt ſumptum venenum, cum eſſet morti proxima, ac ſumptis ſacramentis etiam extremæ vnctionis. Mater ipſius conquerens de Genero, quòd illi iniuſtè venenum prębuiſſet, ipſe ſe excuſauit dicens, quòd illam potionem acceperat à quadam muliere, quam dixit valere contra illud maleficium, quo affecta fuerat nocte præcedenti. Quare parentes ſtatim duos vocauerunt Exorciſtas Regulares, vnum valde peritum in arte exorciſtica, alterum non ita peritum, ſed vitæ ſanctitate præditum, Theologum doctiſſimum, ac Concionatorem celeberrimum, qui ſuaſit ipſius conſanguineis, vt alium etiam accerſerent, qui tunc aderat in illa Ciuitate. Itaque Frater prædictæ mulieris ad eum acceſſit, omniaque ſupradicta enarrauit. Simul igitur perrexerunt ad eam inuiſendam, quę iam loquelam amiſerat, nec oculos aperire, nec manus vel pedes amplius mouere poterat, ſæpiùs tamen quàm citatiſſimo motu, & impetu toto corpore ſimul ſeipſam extra lectulum projiciebat, vnde continuè die, noctuque circa ipſam aſſiſtebant ſerui, ac ſeruæ, vt eam comprehenderent, ac ſuper lectulum reponerent: probauit ille Exorciſta aliquoties corā alijs prædictis Exorciſtis, ac omnibus eius parentibus, ac conſanguineis, ipſoque Marito, præceptis, & obiurgationibus contra dæmonem factis, ſi fortaſse illi motus tam vehemētes à dæmone efficerentur; ſed nec minimum potuit habere indicium, quòd infirmitas eſſet per maleficium inducta. Quare tres ſimul illi Exorciſtæ à cęteris ſegregati in loco remoto poſt longum diſcurſum ſuper dicta infirmitate concluſerunt, infirmitatem eſſe inductam per venenum compoſitum vel ex puluere adamantis, vel paruis ſcintillis cryſtalli in illa potione ei à Marito violenter tradita infuſis, quæ corrodebant eius inteſtina: ex quarum corroſione, præ dolore vehementiſſimo faciebat illos motus inſolitos, ac violentiſſimos. Propterea iterum ad eam perrexerunt, & ille vltimus interrogauit eam, quæ omnia perfectè audiebat, & intelligebat: An ſuſpicaretur, ſe fuiſſe maleficio affectam! Quæ cum non poſſet loqui, capite annuit, quòd non. Secundò quæſiuit præſentibus omnibus ſupradictis; An fortaſſe bibiſſet, vel fuiſſet ei tradita aliqua potio venenata; quæ annuit, quòd ſic. Tertiò ſi libenter pro amore Ieſu Chriſti Crucifixi, cuius imaginem brachio ſiniſtro ſtricte amplectebatur, ignoſcebat illi, qui venenum ei tradiderat, ſicut & ipſe Chriſtus in Cruce pro inimicis, ac Crucifixoribus Patrem rogauit. Quæ annuit, quòd ſic. Quartò dixit, ſi mortem libēter acceptabat in remiſſionem omniū ſuorum peccatorum, & vt conformaretur in tormentis Chriſto Crucifixo. Quæ annuit, quòd ſic. His peractis cæpit eam inſtruere in fide, ac fiducia in Deum. Primò quæſiuit: an crederet Deum infra n. 657. *eſſe omnipotentem, & per conſequens ſi eſſet mortua, poſſet illi reſtituere vitam! Quę annuit, quòd ſic, & ille addidit: ergo poterit & venenum, quòd bibiſti, diſperdere, annihilare, ac te liberare à morte imminente, ac tradere ſanitatem, credis hoc! Quę annuit, quòd ſic. Secundò dixit: credis, quòd Deus ſit vbique per eſſentiam, per pręſentiam, & per potentiam, ſicut fides noſtra docet! Quę annuit, quòd ſic, & ille addidit: ergo* infra n. 757. & ſeq. *eſt etiam in corpore tuo pręſens, & habet in manu ſua corpus tuum, viſcera tua, nec non venenum illud tibi traditum, quod poteſt illicò diſperdere; vt dixi, credis hoc! Quę annuit, quòd ſic. Tertiò credis, quòd Deus eſt bonitas infinita, clementiſſimus,* infra n. 761. & ſeq. *pijſſimus, ſemper paratiſſimus ad nobis benefaciendum, & auxilium ſuum pręſtandum in neceſſitatibus, iuxta promiſſionem factam pſ. 49.* Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me! *Quæ annuit, quòd ſic, ergo etiam te liberabit ab hoc periculo mortis, & vitam tibi tribuet, ac ſanitatem. Credis hoc! Quę annuit, quòd ſic. Quartò addidit: Credis, quòd Deus ſit verax, immò ipſamet veritas, quæ mentiri nō poteſt,* infra n. 770. & ſeq. *& potius cælum, & terra tranſibunt, quàm verba eius non adimpleantur: vt ipſe ait Matthæi 24.* Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt! *Quæ annuit, quod ſic. Et ille addidit. Scias ergo, quod Ieſus Chriſtus, qui eſt Deus, ſicuti Pater, & Spiritus S. promittit omnibus in eum credētibus, ac confidentibus, quòd,* ſi mortiferum, quid biberint, non eis nocebit, *vt habetur Marci 16. Si ergo firmiter, ac ſine vlla hæſitatione credideris in Nomine Ieſu Chriſti, prout tibi declaraui, & inſinuaui; Deus te à morte impræſentiarum liberabit, ac ſanitatem impertietur. Hæc ille.*

Facta prædicta inſtructione, ac probatione, eam benedictione muniuit accommodata eius infirmitati: deinde fecit genuflectere eius maritum, & pręcepit, vt veniam peteret à Deo de peccatis ſuis & maximè contra vxorem commiſſa, & rogare Deum, vt vxori tribueret ſanitatem. Quę verba ille dictauit de verbo ad verbum, & ipſe coram omnibus ſupradictis recitauit, ſi non corde, ſaltem ore. Sic traditis vxori alijs monitis, & benè inſtructa circa actus fidei, ac confidentiæ in Deum quos elicere debebat, omnes diſceſſerunt ab eis. Sed Maritus vnum eorum ſeorſum vocauit, & quæſiuit, quantum temporis adhuc maneret vitæ ipſius vxori. Ille autem dixit: Manebit ei tantum temporis vitæ, quantum Deo placuerit: ſicut etiam tibi. Sed ecce poſt aliquot dies Mulier conualuit de infirmitate ſua, & ſanitatem perfectam acquiſiuit, ac peperit filium maſculum: Maritus verò ad Villam perrexit, ac deſperatione ductus laqueo ſe ſuſpendit.

Supradicta cum raró eueniant, fuſiùs enarrare volui, vt ſint in exemplum omnibus Chriſti fidelibus, & maxime Parochis, & Exorciſtis, vt prædictis inſtructionibus vti valeant in neceſſitatibus, & vnuſquiſquè agnoſcat, quantum poſſit vera fides, ac firma fiducia in Deum collocata.

FRVCTVS VI.

Liberat à Peſte.

Fiducia in Deum liberat à peſte.

639 SExtò, qui perſeueranti, fortique animo ſub Altiſſimi tutela, tanquam ſub ſcuto ſeſe texerint, dubio procul illorum protectionem aſſumet Deus, & præter alia mala, ac pericula, à quibus eos eripiet, liberabit etiam à peſte, & ab ægritudine repentina, prout magis expediens fuerit animæ eorum.

Teſtātur diuinæ ſcripturæ interpretes.

Sic teſtatur Simeon de Muis *Comment. in Pſ.90.* vbi explicans illum verſiculum. *A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris:* legit: *A peſte perambulante, &c.* aitque; *Peſtis, ſi eſt à cauſa frigida, noctu, ſi à calida interdiu, ac præſertim de meridie, cùm vehementior eſt ſolis calor, infeſta maximè eſt.* Sic interpretantur R. Ezra D. Hieronymus, & alij, vt tradunt Simeon, & Lorinus, *à peſte, ſeu lue, exterminio, exitiali morbo, ægritudine repentina, noxa vaſtante in meridie.* Rationem reddit Simeon: *quia ſicut ſagitta,* inquit, *pernici volatu magnum aeris tractum momento permeat, ita peſtilentiæ venenum puncto temporis longè, latèque ſpargitur, præſertim de die cum ſolis calore fuſa, atque hiantia corpora virus promptiùs hauriunt.*

Cur peſtis vocetur ſagitta.

Idipſum confirmat Folengius dicens: *Ex Hebræo ſic transferunt: A peſte in caligine ambulante, ab ægritudine repentina deuaſtante in meridie. Nam illud exploratiſſimum eſt, quòd à quocumque peſtis genere, ſiue occultum illud fuerit, ſiue manifeſtum, immunis is erit, atque intactus, qui in protectione Dei cæli, hoc eſt, ſummè potentis commorabitur.* Quare ſic Paraphraſtes: *A peſte, quæ clam inuadere homines ſolet, & ab ea, quæ de improuiſo exorta ſæuiet, ſecurus erit.*

Fiducia hac munitus S. Bernard. peſtem euaſit.

Chronic. Fr. Min. p. 3. li. 2. c. 5.

Hac confidentia vallatus Sanctus Bernardinus Senenſis, vt refert Drexelius par. 1. Roſæ virtutum. cap. 1. de Charitate proximi. §. 8. *prima ſanctitatis rudimenta per charitatis obſequia apud Ciues ſuos deponens, cum Senæ Hetruſcæ graui peſtilentia vaſtarentur, Bernardinus duodenis iuuenibus comitatus, quos ſibi delegerat ægrotantium lectulos obire, grauiter affectos conſolari, ægeſtate laborantibus ſubuenire, ſepelire mortuos, paratus omnes ſubire caſus, quos terra lues illa ſe temerè ingerentibus adducere potuiſſet. In eo autem ampliſſimæ charitatis munere magis verebatur; ne quid decedentibus officeret ad beatitudinem conſequendam, quàm quis ſibi morbus obreperet ad vitam auferendam. Cæterum tantæ pietatis vir in tam præſenti periculo ſanus, & incolumis meruit conſeruari, dignuſque fieri, qui Religioni Seraphicæ adſcriptus multò magis prodeſſet hominibus concionando, quàm profuerat priùs miniſtrando. Poterat Bernardinus cum Ioanne gloriari dicens:* 1. Io. c. 3. Nos ſcimus, quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. *Et dicere cum Apoſtolo:* Spe enim ſalui facti ſumus. Rom. c. 8. Ver. 24.

FRVCTVS VII.

Illæſos, & ſecuros ſeruat in bello.

SEptimò, qui huiuſmodi in Deum confidentia ad bellum muniti incedunt, quodammodo illæſi, ac ſecuri redduntur, eò quòd Deus per Angelos ſuos à quocumque vulnere, aut noxa illos tuetur, prout eorum ſaluti, ac diuinæ gloriæ magis conuenit. 640

Confidētia in Deum à vulneribus tuetur in bello.

Teſtātur S. Scriptura interpretes.

Hoc apertiſſimè teſtantur R. Ezra, & R. Kimmhi illa verba Pſal. 90. *Cadent à latere tuo mille, &c.* exponentes de bello, ac ſæuiente prælio; *quo tempore,* aiunt, *qui ſe Dei miſericordiæ committit, hinc inde millenis hominum corruentibus ſaluus emergit, nec ad eum vllum malum, aut hoſtis accedit.* Quibus ſe ſubſcribit Simeon de Muis. *Comment. in eund. Pſal.*

Idipſum confirmat Paraphraſtes apud Baptiſtam Folengium illa verba exponens tam de peſtilentia, quàm de bello, in quibus nullam patiuntur læſionem, qui in Deum ſuam conſtituunt fiduciam, firmiter credentes, ac confidentes, quòd Deus ob infinitam ſuam bonitatem, ac fidelitatem eos ſit protecturus. *Etſi,* inquit, *tanta fuerit peſtis calamitas, aut bellorum immanitas; vt hinc latere ſiniſtro mille, illinc à dextro decem hominum millia corruãt; nihil tamen erit, quòd tu tibi metuas, ſiquidem te id mali non attinget,* Addit Folengius, *Vide iuſti hominis conſtantiam, qui, vel ruat æther, immobilis perſtat in Deo,* Vtrumque etiam fatetur Titelm. in illa verba: *Non accedet ad te malum,* dicens: *Quoniam ipſum, qui eſt Altiſſimus, Dominum poſuiſti refugium tuum; ideò non poterit tibi vllum malum appropinquare: nullum te malum valebit apprehendere, vt nocumenti quicquam inde ſuſtineas: & nullum flagellum, nulla peſtis, nullum verò malum poterit ad domum manſionis tuæ intrare. Is enim, in quo refugium tuum poſuiſti Altiſſimus te ſibi fidentem ab omni malo ſeruabit, & noxia omnia longè profligabit.*

Hoc experientia in ſeipſis comprobarunt plures belli duces, qui hac diuina protectione muniti innumeros exercitus abſque vlla noxa, aut vulnere in proprio corpore inflicto profligarunt. Taceo de Dauide, Ioſue, Ezechia, Gedeone, Amaſia, Ioſaphato, & alijs, quos ſacræ conteſtantur hiſtoriæ, innumeras inimicorum cateruas conſtrauiſſe, ipſoſque diuina fretos protectione prorſus illæſos extitiſſe: de vnico referam Carolo V. auguſtiſſimæ memoriæ Imperatore: De hoc narrant Iuſtus Lipſ. *lib. 1. monit. pol. c. 7. num. 10.* & Franciſcus Robortel. *in orat. funeb. Bononiæ dicta.* 641

Hoc experti ſūt belli duces.

Hac fiducia Carolus V. illæſus ſeruatus fuit in bello.

Cum in Germania ad Ingolſtadium copias haberet, cinxiſſentque cum ingenti exercitu fæderati hoſtes, & æneorum tormentorum copia ferream grandinem in caſtra ipſa non ſine pernicie immitterent; amicis monentibus, vt ſibi proſpiceret: Cæſar immutato vultu, & loco, arridens dixiſſe fertur: Confidite, nullus vmquam Imperator tormēti ictu interijt. *Hic idem Imperator, cum intra vallum iam armatus ſtaret in hoſtem proditurus ad prælium, magna cū baliſtarum vi repellere conabatur hoſtis. Itaque iterum monebatur, vt ſaluti ſuæ conſuleret, quibus animosè reſpondit:* Canes qui valdè latrant, non ſunt valde metuēdi. Nec eſt, quòd timeamus, cū præſidio Dei ſatis vallati ſimus. *Nimirū* Angelis ſuis mãdauit Deus de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

Pſal. 90. v. 11.

Deus protegit etiã quotquot ſunt de familia in ſe confidentiũ. Sed quod mirum eſt, nedum protegit Deus à peſte, & bello in ſe confidentes; ſed quotquot ſunt de familia eorum tuetur.

Hanc veritatem teſtatur Simeon de Muis Comment. in Pſalm. 90. in illa verba: *Non accedet ad te malum*, dicens: *Non accedet* (Hebr. *accidet*) *ad te malum vllum: & flagellum*, Hebr. *plaga*, *peſtis ſcilicet, aut alterius cuiuſuis mali, non appropinquabit tabernaculo tuo*, *ideſt, nec tibi, nec cuiquam è familia tua: tranſiliet* enim *Dominus iuxta oſtium, & non ſinet percuſſorem*, ſeu *vaſtatorem ingredi domus veſtras, & lædere*; vt eſt Exod. 12. 23. *Tabernaculum* pro domo vſurpat, vxoremque & liberos intelligit, & quotquot domi agunt.

Idipſum apertè docet Folengius in eadem verba: *Tabernaculum pro tota domo*, ait, *& familia hic poni iudico. Et eſt perinde atque tuti erunt tui omnes, non modò tu ſolus ab omni malorum genere, ac plaga*. Vnde ſic Paraphraſtes: *Quod ſi feceris*, ait, (dixerat enim verſiculo præcedenti, ſi poſuerit Altiſſimum refugium ſuum) *auſim tibi polliceri, non futurum, vt vllum inopinatum malum te corripiat, vel vlla plaga familiam tuam infeſtet. Nullum igitur fatum, nullumque inſperatum malum te, aut tuos opprimet liberos, & vxorem, ò tu qui fiduciam tuam in Domino collocaſti! Bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum*, ait Dominus, *vt liberem te*.

FRVCTVS VIII.

Famem tollit, dans eſcam eſurientibus.

642 *Fiducia dat cibũ in Deum eſurietibus.* OCtauò, hæc confidentia in Deum ſufficienter ſuccurrit in his, quæ ad vitam ſunt neceſſaria.

Hoc docet ſcriptura. Hoc probat illud Dauid Pſal. 54. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*. Immò vt diſcipulis ſuis, ac omnibus ſuis fidelibus Chriſtus magis inculcet, & vrgeat ad hanc vnam in Deo fiduciam collocandam, coruos, lilia, paſſerculos oculis ſubijcit: Luc. 12. v. 24. & ſeq. *Conſiderate*, inquit, *coruos, quia non ſeminant, neq; metunt, quibus non eſt cellarium, neq; horreum, & Deus paſcit illos. Quantò magis vos pluris eſtis illis? Quis autem veſtrum cogitãdo poteſt adijcere ad ſtaturam cubitum vnum? Si ergo neq; quod minimum eſt, poteſtis, quid de cæteris ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia, quomodo creſcunt: non laborant, neq; nent; dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut vnũ ex iſtis. Si autem fænum, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos puſillæ fidei? Pater autem veſter ſcit, quia his indigetis*. Sic pluribus experimentis Diſcipulos ſuos probauit, vt eos edoceret, Deo ex toto corde fidere. Ita quaſi quinque millia hominum paſtu excepturos in vaſta ſolitudine Philippum interrogat, vnde panes emendi ſint. Io. c. 6. v. 6. *Hoc autem dicebat tentans eum*. Sic & quatuor millia hominum cibo refecturus Diſcipulos in eam rem conſultores adhibens: Marci c. 8. v. 4. *Quot*, inquit, *panes habetis?* At illi non magnæ fiduciæ: *Vnde iſtos quis poterit*, aiunt, *hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Quibus Drexelius *de Conformat. voluntatis lib. 5. c. 1. §. 3.* ait: *O viri, Deus poterit, qui nos ſibi in rebus omnibus vult fidere quàm integerrimè. Prouidentia diuina falli non poteſt, fallere non vult: ſtabit Deus promiſſionibus ſuis*.

Docemur hoc omnium ætatum exemplis: Vt annonam Deus præſtaret Eliæ in ſe confidenti primò quidem Prophetæ dapiferos iuſſit eſſe coruos. 3. Regum c. 17. *Corui quoque deferrebant ei panem, & carnes manè, ſimiliter panem, & carnes veſperi. Vt magis, ac magis*, ait Drexelius, *Dei eluceſceret prouidentia in ſuos amicos, ac confidentes, en aues rapaciſſimæ, quæ alioqui commiſſum ſibi commeatum conſumpſiſſent in via, niſi obſtitiſſet diuina prouidentia iamiam à dapibus ſunt, & ad cyathos ſtant*. Drex. lib. 5. c. 7. Deinde hũc ipſum Eliam Deus per pauperculam viduam pauit, cuius omnes facultates erant pugillus farinæ, & parum olei, quo vngeretur, non quo veſceretur; & tamen quot farinæ modij, quot libræ olei in paupertimo hoc peno relatebant? Tertiò cum Elias egeſtatem ſuã ſecuro ſomno ſolaretur, adfuit alius Angelus è cęlo, panem, & aquam ferens; vt Habacuc Danieli meſſorum prandium attulit. Dan. c. 15. *Teſtãtur omnium ætatum exempla Hac ſuffultus re fecit ſuſt Elias Proph.*

§. I.

EAndem hanc ſingularem beneuolentiam Deus ſexcentis alijs ſuorum amicorum in ſe confidentium exhibuit; farinam, panes, vinum occulta vi augendo; aut cum hæc penitus deeſſent, inexpectata gratia ſubmittendo. 643

Paulo inter Anachoretas primo annis ſexaginta dimidium panem detulit coruus, integrum præſente Antonio. *S. Paul. Anachoreta.*

Ioannes Eremicola quatuordecim annis à nullo mortalium viſus, Ceruæ lacte paſſus eſt. *Io. Erem.*

Beatus Rochus aliquanto tempore panem quotidie accepit à cane; quemadmodum Elias à coruo. *S. Rochus*

Non vnus Eremicolarum illorum è palmis, & cibum, & veſtem impetrauit; vna illis arbor, & ſutor fuit, & piſtor.

Seraphicus P. noſter S. Franciſcus tam firmam, & inhæſitantem habebat in Deo fiduciam, vt Rom. Pontifici de alimentis ſciſcitanti reſponderit: Matrem quidem habemus pauperem, Religionem; ſed patrem ditiſſimum. *Et hanc confidentiam ſuis in viaticum dare ſolitus erat, inſinuans illud Pſaltæ. Pſal.* 54. Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. *Nec eum fefellit, aut confundit ſua ſpes.* *S. Franc. cum ſuis Frat.*

Nam cum ſemel è Dalmatia Anchonam verſus nauigaret, nec aliquid ſecum haberet ad manducandum, diuina fretus clementia, nedum ſibi, ac ſocio, ſed pro omnibus in naue exiſtentibus à Deo meruit annonam per Angelum exhiberi; Ita in vita eius p. 1. Chronic. Fratr. Min. lib. 1. c. 3.

Aliàs cum ſibi, ac toti familiæ defeciſſet panis, ac tantùm tres panes eis remanſiſſent, Fratreſque tunc eſſent numero triginta, & vnum, facto ſigno Crucis ſuper tres illos panes, eos multiplicauit; ita vt ſufficerent nedum ad ſatiãdum omnes illos Fratres; ſed etiam ex eis remanſerit cophinus fragmentorum: Ita par. 1. lib. 2. cap. 17.

Sic cum quidam homo in itinere illum comitans ex ſiti vehementi quaſi deficeret; priùs à Sancto ad Deum oratione effuſa, velut alter Moyſes ſua fiduciæ virga è petra aquam eduxit, qua ſitim illius hominis extinxit, ſtatimque fons ille exſiccatus eſt: par. 1. lib. 1. cap. 82.

Sic aliàs fontem aquæ mutauit in vinum, vt plurium operariorum ſitim extingueret; & paulò poſt vas plenum aceto in vinum generoſiſſimum conuertit: Ita p. 1. lib. 2. cap. 52.

Alia

Alia plura huiuſmodi paſſim leguntur miracula, quibus, Dei maxima oſtenditur clementia, ac prouidentia in ſeruum ſuum in prouidendo illi victui neceſſaria ob ipſius in Deum maximam fiduciam collocatam.

§. II.

S. Clara cum ſuis Monialibus.

644 *SImili fiducia filia eius ſpiritualis primogenita S. Clara ſigno crucis panem, & oleum auxit, quantum pro tota ſua familia alenda ſatis erat: Ita* in vita eius p. 1. lib. 8. c. 9.

Pari modo Seraphici Patris plures filij eadem fiducia imbuti, ſæpiùs ſibi neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem à Deo per Angelos ſubminiſtrari meruerunt; vt ex varijs Chronicorum locis facillimè colligi poteſt.

S. Didacus.

Beato Didaco ſeruo ſuo iter agenti menſam parauit Deus, & vero Iſraelitæ in deſerto cibaria miniſtrauit: Ita ex officio ipſius Sancti; & Chronio. part. 3. lib. 5. c. 3.

B. Ioannes à Capiſtr.

Beato Ioanni è Capiſtrano Appenninos montes tranſeunti vnà cum aliquibus ſocijs præ fame ferè pereuntibus, nec habentibus, ex quo ſe reficerent, ab Angelo delatus fuit pro ſingulis panis recens, ac delicatus: p. 3. lib. 4. cap. 2.

Duo Fratres Minores.

Alij duo Fratres iter agentes in deſerto ab Angelo ſub ſpecie Iuuenis pulcherrimi hoſpitio recipiuntur, cibarijs reficiuntur, ſuper fænum ad quietem capeſcendam adducuntur, ac mane diluculò idem Iuuenis illos vſque ad ſemitam rectam comitatur, ſtatimque ab oculis eorum euaneſcit: p. 2. lib. 2. cap. 21.

Angelus hanc fiduciam inſinuauit duobus Fratribus iter agentibus. Part. 2. l. 2. Chro Fratr. Min.

Alia innumera leguntur exempla, nedum in Chronicis Fratrum Min. ſed omnibus hiſtorijs ſacris, eorum qui ob maximam in Deum fiduciam collocatam meruerunt ſibi à Deo victui neceſſaria adminiſtrari, quos longum nimis, ac tædioſum eſſet, recenſere. Attamen non eſt reticendum hìc vnum memorabile dictu: Duo Fratres more apoſtolico iter agentes ſine pera, ſine edulio, cum die quadam nihil ad manducandum inueniſſent, ob nimiam abſtinentiam cibi videbantur fame perire: petierant quidem oſtiatim eleemoſynam, ſed pro pane pacem, ac latratus canum audierant; idcirco quaſi diffidentes, omni ſpe vacui, mærore, ac triſtitia affecti incedebant; ſed ecce obuium habent adoleſcentem, qui eis duos tradens panes, ac mæſtitiæ cauſa perquiſita, ſe Angelum manifeſtauit, eoſque acriter reprehendens dixit: Modicæ fidei, quare dubitaſtis? Cur menti veſtræ non reuocaſtis verba toties à veſtro Seraphico Patre repetita: Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet? Si fidem habuiſſetis, maiora vobis dona communicaſſet Deus. Eccl. c. 2. v. 11. *Confidite ergo: quia* nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.

Quare optimè concludit Drexelius *de Conformat. volunt. lib. 5. cap. 1. §. 3.* dicens: *Numquam nobis eſt deſperandum. Res anguſtę domi ſunt? Dominum habemus diuitem, qui numquam paſſus eſt ſuos extingui fame. Inimica inſurgunt agmina, ſiue terris nata, ſiue inferis excitata? Ducem habemus potentiorem, qui vno flatu regnorum diſperdet exercitus. Maledicę premunt linguę, & falſis onerant criminationibus? Deum intueamur iudicem, vindicemque & humana non metuemus. Neque enim ſe vinci ab homine patietur Deus, aut munificentiam ſuam ab humana fiducia ſuperari. Audet quis fidere? maiora donare audebit Deus. Audet ſperare magna? vincet humanam ſpem Deus, & è locuplete cęlorum theſauro, longè maioribus beabit: ita vt ad pellendam egeſtatem humanam, ſatis ſit ſpem ſuam poſuiſſe in Deo, ac de illius liberalitate magna ſperaſſe.* Ergo fide Deo: nam *beatus vir, qui ſperat in eo. Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius.* Pſal. 33. v. 8. Pſal. 36. v. 3.

FRVCTVS IX.

Infirmitates curat.

Fiducia in Deum infirmitates ſanat. Conſtat ex poteſtate a Chriſto in Euangelio tradita.

NOnò, hæc confidentia in Deum, ac fiducia in eius infinita bonitate, ac indeficienti fidelitate ægritudines expellit, ac morbos ſanat. 645

Quam virtutem ſanandi ægrotos Chriſtus Marci 16. communicauit omnibus in ſe credentibus, ac confidentibus dicens: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Quibus verbis*, ait Alphonſus à Caſtro, verb. Exorciſmus, *Chriſtus promiſit, ſe numquam illorum inuocationi defuturum, qui nomen ipſius interpoſuerint.* Et Ioan 14. *Qui credit in me, opera, quę ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.*

Hac fiducia Apoſtoli, ac Sancti in nomine Ieſu cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, & curſum, ſermonem mutis, ſanitatem ægrotis dederunt. Hac mediante quicquid ſalutare à fidelibus ſiue per Sanctos, ſiue per orationem, ſiue per res ſacras, puta breuia, agnus Dei, cruces, coronas, benedictiones, & alia id generis petitur, obtinetur.

Quæ fiducia debet eſſe ſine hæſitatione.

Verùm, vt hac fiducia homo obtineat id, quod petit, ea debet eſſe ſine vlla hæſitatione: ita vt ægrotus (ſi velit à Deo optatam conſequi ſanitatem) debeat primò credere, quòd Deus dubio procul poteſt eum à tali infirmitate liberare: ſecundò quòd ratione ſuæ fidelitatis, (ſi ſanitas fuerit ſaluti animæ profutura) illam infallibiliter iuxta promiſſiones ſuas ei communicabit: Ita Suarez *tom. 2. de Religione, lib. 1. de orat. cap. 24. num.* 4. & nos latè infra *par. 2. vbi de orat.*

Confirmat hanc veritatem Benedictus Iuſtinianus in illa verba Iacobi Apoſtoli cap. 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans. Poſtulat*, ait, *hoc loco Apoſtolus confidentiam, hoc eſt, ſpem minimè hæſitantem. Hæſitatio enim, vt in rebus agendis actionem, ſic in re propoſita orandi ſtudium vel retardat, vel omninò impedit.* Ideò ſubiungit Apoſtolus: *Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur: non ergo æſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.* Quæ verba Apoſtoli explicans Titelmanus, ait: *Vt autem ſuę petitionis conſequatur effectum, illud videat, vt fide poſtulet, nihil addubitans. Qui enim hæſitans orat Dominum, propter inſtabilitatem ſpei ſuæ comparandus venit fluctui maris, qui ab omni vento nunc hùc, nunc illùc ſine ordine agitatur.*

Apertè hoc docet idem Apoſtolus cap. 5. dicens: *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum; vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit remittentur ei.* Quæ verba clarè indicant, orandum eſſe ad Deum cum fiducia, ſi volumus in infirmitate impetrare ſanitatem.

§. I.

646 HÆc autem fiducia nedum requiritur in curante; verùm etiam in eo, qui curandus eſt, (ſi ſit adultus rationis capax) vt docere videtur Suarez *diſput.8. de diſtinctione fidei ab omnibus donis ſect.* 1. Quam regulariter etiam Chriſtus exigebat ab ægrotis antequam illis impenderet ſanitatem: Sic illi languido piſcinæ Ioan.5. dixit: *Vis ſanus fieri?* ſic illi cæco nomine Bartimeo, qui poſt Ieſum clamabat: *Ieſu fili Dauid miſerere mei*, dixit: *Quid vis, vt faciam tibi?* Marci 10. Sic alijs duobus cæcis Matthæi 9. dixit: *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?* A quibus omnibus conſenſu voluntatis præſtito, & actu fidei elicito, ipſe liberaliter eis ſanitatem largitus eſt, dicens: *Secundùm fidem veſtram fiat vobis: fides tua te ſaluam fecit*. Volebat enim, quòd ipſimet ægroti (ſi rationis erant compotes) peterent ſanitatem, ac crederent, quòd poſſet illis tale conferre beneficium: Idcircò ſecundùm fidem eorum gratias illis conferebat.

Fiducia in Deum eſt neceſſaria ægroto adulto, vt ſanetur.

Hanc veritatem magis, ac magis probat id, quod accidit cuidam cæco à gentibus Bethſaidæ Chriſto oblato Marci 8. *in cuius oculos Ieſus expuens, impoſitis manibus ſuis, interrogauit eum, ſi quid videret: Et aſpiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes*. Ita quòd non perfectè cæpit videre; ſed tantùm confuſè, & imperfectè cæpit diſtinguere obiecta. *Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos; & cæpit videre, & reſtitutus eſt, ita vt clarè videret omnia*. Sed cur ſtatim in principio perfectam non recepit viſionem? An Chriſtus fortaſſe tunc perfectam ſanandi non habebat facultatem, vt perfectè citò illum ſanare poſſet? Abſit, vt dicamus hoc! Cur ergo perfectam illicò non eſt aſſecutus ſanitatem, ſicut alij plures cæci, muti, ſurdi, claudi, paralytici, aliſque ægritudinibus affecti? Theophilactus eruditè reſpondit. *Quia cæcus ille perfectam non habuit fidem, idcircò non ſtatim ipſum reſpicere facit; ſed ſenſim, vtpotè integra carente fide. Iuxta enim fidei magnitudinem, & ſanitas datur*.

Hoc probat factũ cuiuſdã Cæci.

Hoc idem prorſus euenit ægrotis noſtri temporis, cùm deſiderio ſanitatis conſequendæ Sacerdotes aduocant, vt ab eis ſacris benedictionibus muniantur. Nam iuxta Chriſti ſententiam Ioan. 14. *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*, ſi ægroti maxima ſunt muniti confidentia, quòd Deus mediante illius Sacerdotis benedictione, nedum poſſit illos à tali ægritudine eripere; ſed ratione ſuæ infinitæ bonitatis, & fidelitatis inuariabilis, eis dubio procul ſit ſanitatem præſtiturus (ſi ſit ſaluti animæ profutura) hi vtique vel optatam obtinent ſanitatem, vel aliquod aliud donum: Immò quando infallibiliter vult talem conferre ſanitatem, *Non ſolum*, ait Toſtatus quæſt. 165. in c. 17. Matthæi, *dat deſiderium petendi; ſed etiam confidentiam certiſſimam obtinendi, & tunc obtinent infallibiliter id, quod petunt. Cùm autem non dignatur concedere, quod petunt, etiamſi concedat deſiderium petendi, & ſpem aliquam obtinendi; non tamen donat fiduciam certiſſimam obtinendi. Et cum petant ſine fide: quia heſitant, non obtinent:* vel tantùm obtinent partim, & imperfectè.

Ægroti iuxta fidei magnitudinem ſanitatem accipiunt.

Hoc centies experientia mihi euenit in varijs nedum obſeſſis, ac maleficiatis; ſed etiam naturali ægritudine affectis Romæ, Venetijs, Bergomi, & alibi; Adultis enim Deus ſecundùm fidem eorum ſanitatem impertiebat. Nam alij etſi in limine mortis exiſtentes, & à Medicis prorſus vt incurabiles derelicti: quia fide inhæſitanti confidebant, ſe à Deo mediante mea benedictione, & ad Deum deprecatione conſecuturos ſanitatem, à fiducia ſua non ſunt fraudati: alij verò, quia fiducia debita carebant, idcircò ſanitatem non ſunt aſſecuti: alij quia modicam habebant fidem, incipiebant meliùs ſe habere, & pedetentim obtinuere ſanitatem. Ita quòd iuxta fidei eorum magnitudinem, & ſanitas illis dabatur. *Fili ergo in infirmitate ne deſpicias te ipſum; ſed ora Deum, & curabit te:* quia *nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt*. Eccl.c.38.v.9.c.2.v.11.

Experiẽtia docet

FRVCTVS X.

Defendit à terræmotu, fulmine, aquarum ſubmerſione, grandine, aliſque periculis inopinatis.

DEcimo, defendit hæc fiducia in Deum à terræmotu, fulmine, aquarum ſubmerſione, incendijs, aliſque periculis, quibus humana fragilitas ſubiacet. 647

Confidẽtia in Deũ defendit A Terræmotu. Sic Antiochia ſeruata fuit

De terræmotu narrant Euagrius *lib.4.c.6.* Theophanes *Miſcell.lib.* 16. Cedrenus *in Annal.* & Nicephorus *lib.17.cap.3.* quòd Antiochia terræ motibus creberrimè erat quaſſata, præſertim anno quingenteſimo vigeſimo octauo, quo tempore Deus viro ſancto id conſilij dictauit, vt ædium foribus inſcriberetur. CHRISTVS NOBISCVM, STATE. Quicumque hoc ſuis domibus inſcripſerunt, ijs terræ tremores nihil obfuerunt. Inde vrbs nouo nomine dicta eſt Theopolis. Idem de homine illo affirmaueris, cuius pectori, ſeu cordi altiùs inſcriptum eſt CHRISVS MECVM; STO, ET ILLI FIDO. Vbi hæc ædium frons eſt, ibi Chriſtus propugnator eſt, qui calamitatem omnem amantiſſimis illis vocibus ſolatur, *Ego ſum nolite timere* nec hoſtem vllum, nec vlla aduerſa. Ego ſum adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Lucæ c 24.v.36.

De fulmine refert Ioan. Baptiſta Folengius Monachus Caſſinenſis, quòd cum in excelſum Caſſinum Montem crebra cadant fulmina, ideò hac de cauſa cum ipſi Monachi ſoleant ad dæmones fugandos, ac Deum propitium habendum in ſublime cruces erigere, facere ſupplicationes, & vota; in Pſal. 18. ait: *Vidimus ſæpè, maximo cum ſpectantium miraculo, & ſtupore, ipſius fulminis telũ iamiam terris propinquum vi precum in aere pendere, tandemque in medijs ipſis coruſcationibus vnà cum nimbis in tenuiſſimum vaporem reſolui*. Quis tenuit fulmen, ne terram pertingeret; ſed potiùs in vapores ſolueretur? Non vtique aliud, quàm oratio cum maxima fiducia ad Deum directa.

A fulmine. In Pſ.77 Sic Monaci in monte Caſſino ſeruati ſunt.

De aquarum ſubmerſione quomodo fiducia in Deum ſeruet, teſtis eſt S. Elcearius Comes notæ ſanctitatis vir, de quo narrat Drexelius de Conform. voluntat. lib. 5. cap. 4. §. 5. *quòd cum mari ſe commiſiſſet Neapoli cum tota familia Prouinciam repetiturus, maxima exorta tempeſtate, omnibus, qui in naui exiſtebãt, nihil aliud deeſſe videbatur, quàm ſecum nauim ſepeliri aquis. Solus Elcearius formidine abiecta forti animo perſtabat, eadem illi ſerenitas, idem oris color, eadem animi conſtantia. Nam dum alij cum iratis fluctibus luctabantur, ille ſuauiter cum Deo agebat, ac cælum fiducialibus fatigabat precibus. Tandem*

Ab Aquarum ſubmerſione Sic S. Elcearius cum tota ſua familia ſeruatus eſt.

ſub-

ſubducta in portum naui nonnullos è ſuis grauiter incuſauit, quòd clamoribus,& lacrymis ſatis oſtendiſſent,perexigua ſeſe fiducia in Deo niti, nimiumque à morte abhorrere. Seorſum autem Dalphina coniux interrogabat Elcearium, an ipſe ſolus in tam præſenti periculo deſijſſet eſſe homo,& mortem tam vicinam non timuiſſet? Cui ille. Totum me, *inquit*, diuinæ voluntati tradidi, paratus, ſi ſaluis omnibus, ſolus haurirer fluctibus.

Hoc eſt, quod Hebræus ſapiens monuit Prou.c.3. v.5. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.*

De grandine exemplum luculentum habemus in agris, campis, vineis, cæteriſquê ſpectantibus ad D.D. Franciſcum, ac Bartholomæum fratres aliàs filios q. D. Alexandri Salæ viros vtique probis moribus ornatos, qui Venetijs ſequentem mihi fecerunt atteſtationem propria ſua manu idiomate vulgari exaratam, ſed à me etiam pro linguæ italicæ ignaris in latinum conuerſam.

Nos Franciſcus, ac Bartholomæus fratres aliàs filij q. D. Alexandri Salæ atteſtamur, quòd poſtquam omnia ad nos ſpectantia, videlicet, agros, campos, vineas, domos, ac reliqua collocauimus ſub protectione Sanctiſſimi Nominis Ieſu, ſemper in omnibus fuiſſe protectos à Deo, ac Domino noſtro Ieſu Chriſto tam à grandine, quàm à quacunque re aduerſa; ac præſertim ab anno 1662. vſquè ad præſentem annum 1667. in noſtris agris, campis, vineis non cecidit grando, quæ fuerit damno notabili, quamuis maxima deſcenderit in campis, ac vineis noſtros circumſtantibus, quibus fuit damno grauiſſimo. Et hoc factum eſt, poſtquam prædicto anno 1662. quidam Religioſus Theologus amicus noſter nos docuit, omnia bona noſtra ſiuè ſpiritualia, ſiuè corporalia, vel temporalia, ac quæcumque alia ad nos ſpectantia eſſe ponenda, ac conſtituenda ſub protectione Dei, ac Sanctiſſimi Nominis Ieſu Chriſti, vt ſupra diximus. Pro quo nobis tradidit quandam breuem orationem tunc à ſe compoſitam, nos hortando, vt illam nedum in noſtris domibus affigeremus; ſed etiam in arboribus agros circunſtantibus collocaremus; quàm quotidiè deuotè, ac fiducialiter recitaremus, ac tranſeuntes per campos, & vineas, vbi illa eſſet pro memoria locali collocata, eliceremus aliquem actum internum, & externum fidei, ac confidentiæ in Deo, ac in Sanctiſſimo Nomine Ieſu, confirmantes petitionem in ea à nobis factam; ac firmiter credentes, quòd Deus in virtute, & ob honorē Sanctiſſimi Nominis Ieſu omnes gratias tam ſpirituales, quàm corporales, atque temporales nobis profuturas conferet. Quod vtique à nobis fuit adimpletum; effectuſque mirabiles conſecuti ſumus ad honorem, & gloriam huius Sanctiſſimi Nominis.

Oratio autem eſt ſequens poſita vulgari idiomate, vt etiam ab ignaris linguæ latinæ faciliùs intelligatur.

Oratione per impetrar da Dio fertilità de' campi.

CLementiſſimo Signor Gieſù Chriſto, che col Padre, e Spirito Santo ſete Signor del tutto, potete il tutto, ſete preſente in ogni luogo, e pronto à far beneficio à tutti: Noi Franceſco, e Bartholomeo Sala vi proteſtiamo, che tutto ciò, che poſſediamo, è tutto voſtro, è ſta nelle voſtre mani, e ſotto il voſtro potere, comando, e diſpoſitione; à voi donquè s'aſpetta il difendere, e conſeruare queſti campi, vigne, e caſe come coſa voſtra da ogni coſa contraria, e d'influſſi beneuoli arrichirli, acciò ogn'anno producano frutti abbondanti, ſicome humili vi ſupplichiamo à gloria, & honor del voſtro Santo Nome, che col Padre, e Spirito Santo viuete, e regnate per tutti i ſecoli de ſecoli. E coſi ſia.

En videas bone Lector quos fructus producat vera confidentia in Deum etiam in hominibus in ſæculo commorantibus, dum illos protegit nō tantùm in perſona, & in honore; ſed etiam in facultatibus temporalibus? quia verum eſt dictum Sapien. Eccleſ.cap.2. *Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt*, ac Dauidis pſal.36 *Spera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in diuitijs eius.*

§. I.

HÆc enim fiducia eſt velut aſylum ſecuriſſimũ, ad quod in omnibus periculis, tribulationibus, ac neceſſitatibus eſt confugiendum. 648

Fiducia in Deum aſylũ eſt ſecuriſſimum in omnibus periculis

Hoc elegantiſſimè docet Drexelius loco citato cap.3.§.2. *Si quem calamitas feriat* inquit, *fiduciam ille in Deum augeat. Quid enim, obſecro, mi homo agis: cùm ſubitus imber opprimit? in vrbe tectum, credo, ſubis, deprehenſus in campo patulam circunſpicis arborem, qua nimbum defendas. En tibi tectum, en arborem, en aſylum ſecuriſſimum, fiduciam in Deum: nec vmquam opportunum eſſe poteſt in ſolitudine hoſpitium, in imbre tectum, in frigore ignis, aut balneum, atque tibi erit in omnibus aduerſis fiducia in Vniuerſi Dominum: quæcumque demum in te ruant procellæ, tutiſſimus ſtabis ſub hoc imbricato tecto. Fide Deo, & vti nautæ cum omnia ad nauigandum comparant, ventum à Deo præſtolantur, ita tu officio tuo non deſis, cætera curabit Deus tu propoſitiones pone, concluſionem Deo relinque, fac antecedens, conſequentiam faciet Deus. Fide Deo.*

Rationem reddit Titelmanus in Pſalmum 45.v.1. *Quia Dominus Deus noſter, in quem credimus, qui nobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſæculi, ipſe eſt tutiſſimum noſtrum refugium, & noſtra fortitudo, per quem ab obuenientibus quibuſcumque periculis ſperamus ſaluari, ipſo tanquam aſylo intra ſeſe nos concludente, & tanquam forti pugnatore pro nobis propugnante, adiutor eſt nobis magnus valde, ſemper paratus in omnibus tribulationibus, & malis, quæcumque nobis obuenerint, numquam derelinquens ſeruos in afflictionibus, atque periculis. Propter ergo fiduciam eius non deſperabimus, neque deijciemur, aut conſternabimur animo, neque timebimus quicquam. Reuela* igitur *Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Pſ.36.v.3.

FRV-

FRVCTVS XI.

Victoriam reportare facit de inimicis.

649 *Fiducia in Deum vincit inimicos. Hoc teſtatur Dauid de ſeipſo.* VNdecimò, hæc fiducia in Domino collocata, præclaras reportare facit victorias de inimicis, prout ex eis exoritur gloria Dei, & animæ ſaluti magis expedit.

Hoc apertè fatetur ille ſtrenuiſſimus belli dux, ac Iudeæ, Iſraeliſque princeps Dauid Pſalmo 59. *Lætabor*, ait, *& partibor Sichimam*. Ego, vt rex, & princeps populi tui, ò Deus, lætabor in triumphis victoriæ, ex virtute dexteræ tuæ contra aduerſarios populi tui, & diuidam terram Sichem, tanquam bello partam, populo meo: *Et conuallem tabernaculorum metibor*, & vallem illam, quæ Sochot dicitur (idest tabernaculorum) ego dimetiar tanquam meo dominio, & iuri ſubiectam.

Eius præclara victoria recenſentur *Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim fortitudo capitis mei*. Populus Galaad item mihi ſubiectus eſt, ſimiliter & Manaſſe: populus autem Ephraim præcipua, & velut capitanea eſt fortitudo mea, & qua robur, ac virtus capitis (idest principatus mei) vtpotè alijs tribubus potentior, bellicoſior, & numeroſior. *Iuda rex meus*. Tribus Iudæ regnum mihi præſtat, in qua & principium fuit regni mei. *Moab olla ſpei meæ*. *In Idumeam extendam calceamentum: mihi alienigenę ſubditi ſunt*. Populus Moabitarum eſt mihi veluti olla, & lebes oblectationis, vnde haurire poſſim delicias & oblectationem, eiſque liberè vti iuxta deſiderium meum. Super filias Edom extendam calceamentum meum, ſuper illos calcabo tanquã perfecta ſubiectione pleniſſimè ſubiectos mihi. Philiſtijm, Amalechitæ, & alienigenæ per circuitum facti ſunt mihi tributarii. *Quis deducet me in Ciuitatem munitam? qui deducet me vſq; in Idumæam?* Et quis eſt, qui me perduxit vſque in Ciuitates, vt loca etiam tutiſſima obtinerem? Quis me deduxit in Ciuitates Idumæorum admodum robuſtas, & populoſas, vt eas cogerem ſub imperium regni Dei? *Nonne Deus, qui repuliſti nos? & non egredieris Deus in virtutibus noſtris?* Quis alius præter te Domine, qui olim videbaris abieciſſe nos; nec volebas cum exercitibus noſtris ad pugnam egredi, nolebas pugnare cum exercitibus noſtris, nolebas tua præſentia defendere populum tuum pugnantem; ſed quaſi à prælio abſens permiſiſti vinci exercitus noſtros ab aduerſariis? Nunc idem ipſe reſpexiſti nos, & egreſſus nobiſcum dediſti nobis præclaras victorias. *Da nobis auxilium de tribulatione*. Tu itaque Domine ſemper præſta nobis de tribulatione auxilium: cum inſurrexerint aduerſum nos aduerſarii, & tribulatores populi tui, ſuccurras tu nobis auxilio tuo. Quid tot copiæ nos iuuabunt, niſi tu pręeas? *Quia vana ſalus hominis*. Prorſus vaniſſimum eſt auxilium, & ſalutem expectare ab humana potentia, cum tu illam habeas in manu tua. *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos*. Non, inquit, noſtris copiis, ac viribus freti, quia prorſus imbecilles ſumus, & impotentes; ſed te ſolo, ò Deus, fortiter agemus, in tuæ virtutis fiducia, & auxilio validiſſimè agere poterimus magnæ virtutis opera, tua virtute confortati viriliter. Tu quoque facillimè hoſtes noſtros proſternes, & conculcabis: tu abſque omni labore, ſine moleſtia noſtra, aut periculo ad nihilum deduces omnipotenti fortitudine tua aduerſarios noſtros, quanticunque tandem ſiue fortitudine extiterint: propter quod in te ſemper fiducialiter perſtare volumus, & tuo ſancto cultui ſemper inhærere, neque à te abſcedere in perpetuum.

Prædicta verba ad literam ſic exponunt, ac legunt Græcus, Latinus, Chaldæus, & Hebræus: ita Simeon de Muis, Franciſcus Titelmanus, Io. Baptiſta Folengius, Dionyſius Carthuſianus, Ioannes Lorinus, & alij communiter. Non ergo mirandum, quòd Dauid tot victorias de inimicis reportauerit, tot glorioſos egerit triumphos, cum ſæpiùs coram Deo ſe fuerit proteſtatus, pugnare non proprijs innixus viribus, non de humana potentia confiſus; ſed ſola Dei omnipotentia, ac virtute fretus. Sic Gigantem Goliath in nomine Domini proſtrauit: ſic Philiſthæos; ſic cæteras nationes hac fiducia munitus ditioni ſuæ ſubiecit.

§. I.

SImili artificio diuino illuſtriſſimi viri de inimicis ſuis præclariſſimos egere triumphos. 650 *Abrahami in Deum fiducia.*

Abrahamus cum trecentis octodecim vernis quatuor Reges aggreſſus vicit ſumma in Deum fiducia. Geneſ. 14.

Moyſis. Moyſes Deo nixus quæ non prodigia patrauit? vniuerſos Ægypti exercitus vno maris ſepulchro clauſit. Amalecitano bello, dum populus Iſrael contra Amalec pugnabat, ipſe ſtans in vertice collis velut ſpectator otioſus, virgam Dei habens in manu ſua totos proſtrauit exercitus. Exod. cap. 17. Verſ. 9. Moyſis panoplia fuit virga, & in Deum fiducia.

Calebi. Quid de Calebo memorem? qui tantæ fuit fiduciæ in Deum, vt tot centenis hominum millibus variè tumultuantibus, vnus ille animoſè obſiſtens proclamarit: *Nolite rebelles eſſe contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius: quia ſicut panem, ita eos poſſumus deuorare; receſſit ab eis omne præſidium: Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere*. Numer. cap. 14. Verſ. 9.

Gedeonis. Et quantæ in Deum fiduciæ fuit Gedeon ad trituram potiùs, quàm ad militiam educatus, qui cum trecentis viris tot hoſtium millia, & inuadere eſt auſus, & vincere? Iudic. cap. 7. Verſ. 20.

Ezechiæ. Sic Ezechias ingenti fiducia plenus non tantùm quindecim annos vitæ ſuæ auctarium impetrauit, ſoliſque vmbram per decem lineas reuocauit; ſed inſignem de inimicis victoriam reportauit. Nam priùs cilicium quàm loricam ſuaſit induendum, quo armatus primus ipſe templum adiit, & populum ad preces, & fiduciam concipiendam hortatus: 2. Paralipom. cap. 32. verſ. 7. & 8. *Viriliter agite*, inquit, *& confortamini: nolite timere, nec paueatis regem Aſſyriorum, & vniuerſam multitudinem, &c. Cum illo enim eſt brachium carneum, nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatque pro nobis*. En pleniſſimam fiduciæ adhortationem!

§. II.

NOn eſt ſilentio prætereundum id, quod accidit regi Ioſaphato, cum ingens Moabitarum, & Ammonitarum exercitus ei immineret. Hic cum viribus nequaquàm par eſſet hoſti, ingenti fiducia *totum ſe contulit ad rogandum Deum*. Iamque prolixiùs precatus, præclariſſimam hanc clauſulam adiecit: *Dum ignoremus, quid agere debeamus; hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad* 651 *Ioſaphati regnis. 2. Paral. cap. 20. Verſ. 3. Verſ. 12.*

ad te. Hic Iahaziel diuino afflatu æſtuans, proclamat è turba: *Attendite omnis Iuda, & qui habitatis* *Verſ. 15.* *Ieruſalem, & tu Rex Ioſaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem; non enim eſt veſtra pugna, ſed Dei.* *Verſ. 17.* *Non eritis vos, qui dimicabitis; ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Dei ſuper vos.* His vocibus mirè animatus Rex Ioſaphat exercitum duxit in hoſtem; ne verò ſui milites ad tantæ multitudinis occurſum trepidarent, inſtar ſtrenuiſſimi ducis omnium animos oratione præmuniens. *Verſ. 20.* *Audite me viri Iuda*, inquit, *credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis*. Et mox contra quàm fieri ſo- *Verſ. 21.* let in prælio, *ſtatuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent, ac voce conſona dicerent: Confitemini Domino, quonia in æternum miſericordia eius*: En Regem cum milite in aciem, velut Epiſcopum cum Sacerdote ad templum prodeuntem! Res planè inſolita, & ridicula in bellis imbellem cantantium turmam in fronte agminis collocare; Sed adfuit Deus Ioſaphato tanta Dei fiducia pugnaturo. Cumque cæpiſſent, non milites tela iacere; ſed cantores ſacra carmina canere, hoſtes in ſeipſos verſi mutuis ſeſe vulneribus conciderunt. Porro Ioſaphati exercitus, cum progrederetur, omnem campum cadaueribus ſtratum reperit, nec ſupererat, cui necem liceret effugere. In tanta verò cadauerum ſtrage ſpolia inuenta ſunt tam opima, & copioſa, vt aſportandis ijs nec triduum quidem ſuffecerit. En quid poſſit ſincera in Deum fiducia rerum omnium potens, inexpugnabilis.

§. III.

652 TAceo victorias, quas Deo pugnante pro ipſis, præclariſſimas obtinuerunt de inimicis ſuis *Plurimorum victoria.* Eliſæus contra Milites Regis Samariæ; Iudith de Holoferne, eiuſque milite ingenti; Debora propheteſſa de Siſara, ac grandi exercitu Regis Aſsyriorum; Onias ſummus Sacerdos de Heliodoro, eiuſque exercitu, illud duntaxat Iudæ Machabæi monitum referam memoriam dignum, quod ipſe ſuis militibus multitudinem inimicorum timentibus tradidit 1. Machab. cap. 3. *Facile eſt*, inquit, *concludi multos in manu paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli, liberare in multis, & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli; ſed de cœlo fortitudo eſt. Ipſi veniunt ad nos in multitudine contumaci, & ſuperba, vt diſperdant nos, &c. Sed ipſe Dominus conteret eos ante faciem noſtram*. Et 2. *Machab. cap.* 10. opus dignum geſſit, *Iudæ Machabæi maxima in Deum fiducia.* quod à quacumque milite Chriſtiano litteris aureis cordi inſcribatur. Hic cum aduerſus exercitum pe regrinæ multitudinis cum paucis militibus prælium eſſet commiſſurus, *priùs deprcatus eſt Dominum vnà cum ſuis militibus, caput terra omnes aſpergentes, lumboſque cilicijs præcincti ad altaris crepidinem prouoluti, vt ſibi propitius, inimicis autem eorum eſſet inimicus, & aduerſarijs aduerſaretur, ſicut lex dicit*. Exod. 23. v. 20. *Primò autem Solis ortu vtrique commiſerunt: iſti quidem victoriæ, & proſperitatis ſponſorem cum virtute Dominum habẽtes: illi autem ducem belli animum habebant*. Deuter. 20. v. 4. *Sed cam vehemens pugna eſſet: apparuerunt aduerſarijs de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum incolumen conſeruabant: in aduerſarios autem tela, & fulmina iaciebantur, quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant*. En tutiſſimam Dei protectionem pro ijs, qui in illo ſuam conſtituunt fiduciam, ab eoque omne expectant auxilium; illi omnem vim, ac fortitudinem tribuentes, ac conſequenter victoriam non ſibi, aut ſuo robori, ſed eius gloriæ, & honori referentes: ſicut faciebat iſte dux inuictiſſimus, qui non ſuam, ſed Dei victoriam appellabat: vt habetur cap. 13. eiuſdem libri: *Et dato ſigno ſuis Dei victoriæ!* Ex his autem enarratis quid aliud colligitur, *quàm eos omnes, qui in alios habent imperium, monere, vt fiduciam locent in ſolo Deo, qui animos, hominum verſat, iubetque ſumma, & ima, medio curſu ſiſtere?* ait Drexelius *de Conform. voluntat. lib. 5. cap. 4.* Confide ergo in Deo chriſtiane miles: *& bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te*. Ierem. cap. 1. Veſtigia ſequere illius Iudæ Machabæi, qui hoſtilem apparatum conſiderans, *extendis manus in cœlum, & Dominum prodigia facientem inuocauit, qui* *2. Mach. c. vlt.* *non ſecundùm armorum potentiam, ſed prout ipſi placet, dat dignis victoriam*. Nec ipſe ſolùm dux ante congreſſum *os Domini interrogauit* ardentiſſimis *Verſ. 21.* precibus; ſed & copias ſuas ad idem faciendum exemplo ſuo accendit. Verſ. 26. Ita, *qui cum eo erant, inuocato Deo, per orationes congreſſi ſunt*. *Verſ. 26.* Neque tantum ad pugnæ initium; verùm etiam in ipſo pugnæ furore Deum aſſiduè appellabant: Ibid. v. 27. *manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes, proſtrauerunt non minus trignita quinque millia, præſentia Dei magnificè delectati*. *Ib. v. 27.* Hoc eſt, os Domini ſeriò interrogare.

FRVCTVS XII.

Neminem fallit, aut confundit.

DVodecimò, hæc fiducia in Deum neminem fallit, vel confundit, aut pudore afficit. Id 653 teſtatur Paulus Roman cap. 5. *Spes non confundit*, *Fiducia in Deum neminem fallit, vel cõfundit* quod monitum prius fuit à Sapiente traditum Eccliſ. cap. 2. *Scitote*, ait, *quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt; quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum?* In hanc fiduciam regius pſaltes ſeſe attollens: *In te Domine ſperaui*, ait, *non confundar in æternum*. *Teſtatur diuina ſcriptura* Scitè Auguſtinus in Pſalm. 38. conc. 2. ante med. Pſal. 30. verſ. 1. *Quis eſt*, inquit, *qui confunditur? Qui dicit, ego quod ſperabam non inueni, non immeritò. Sperabas enim de te, aut ſperabas de homine amico? maledictus autem qui ſpem ſuam ponit in homine. Confunderis, quia fefellit te ſpes poſita in mendacio: omnis .n. homo mẽdax. Si autem ponas ſpem tuam in Deo tuo, non confunderis: quia ille, in quo ſpem poſuiſti, falli non poteſt. Spes non confundit*. Rom. cap. 5. v. 5.

Hic, obſecro te benigne Lector, fiduciam Moyſis, quàm ea pudefacta non ſit, attendas. Refert Ioſeph *lib. 2. Antiquit. Iud. c. 7.* *Moyſis ingens in Deum fiducia.* Cum Hebræi ex Ægypto digreſſi, in arctum locum omnes concluſi eſſent (iam enim à tergo hærebat hoſtis Pharao, in oculis montes, & mare fugam omnem negabant) Moyſes has preces effudiſſe dicitur. *Domine, tuum eſt hoc mare, tuus & mons, qui nos claudit: & hic poteſt te iubente aperiri, aut in planitiem ſolui: poteſt, & mare in terram verti: poſſumus & nos per aerem ſublimes effugere, ſi nos ita ſeruari tibi placeat*. Hæc precatus, mare virga percuſſit, quo ictu repentè ſciſſum tranſituris expeditiſſimum iter monſtrauit: ſic experientia probauit, quòd ſpes non confundit.

E con-

§. I.

654 E Conuerſò ſpes, qua quis mundo, vel ſe ipſo nititur, fallit, atque confundit. Pulchrè Plato: *Spes mortalium*, inquit, *ſomnia vigilantium*, *aut potius deſiderantium*. Anno Chriſtianeſimo milleſimo octogeſimo quarto, refert Drexelius *de Conformat. volunt. lib. 5. cap. 5. §. 1.*

Spes mũdo, vel viribus humanis innixa fallit, & cõfundit.

Quòd Odo Antiſtes Guilielmi Angliæ Regis frater ſortilegorum vaticinij inductus, proximum (à Gregorio VII.) Pontificem ſe futurum credidit, & vt viam ſibi muniret ad hoc ſolium per argenteos gradus, pecuniam per nefas vndecumque contraxit, iamque Romanis arcibus ſpe imminens, à Fratre Guilielmo in carcerem coniectus eſt, vbi totum peregit triennium: hoc ſcilicet ſolium huic ſpei debebatur. Nec vmquam Odo Romanam tiaram ſuo capite recepit.

Ita multis alijs ſpes ſua dedecori eſt, & damno, *Spes impij*, ait Sapiens. Sap. cap. 5. Verſ. 15. *tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.*

Experiẽtia quotidiana hoc docet

Hoc experientia probant in dies, qui humanis fauoribus nituntur. Eſt famulus, cui in ſuo Domino plurimum fiduciæ: breui mors Dominum rapit, & iam tota famuli ſpes vbi eſt? Alius patrono nititur opulento, ac potente; patronus moritur, aut ipſius opes, ac potentia imminuuntur; ita iam huius ſpes vbi eſt? Iam vt lanugo à vento ablata; iam vt ſpuma à procella diſperſa. Filij ſubinde parentum auctoritate, officijs, dignitate præclarè ſe defenſos credunt; ſubitò Deus aufert hoc vmbraculum, ſicut hæderam exſiccauit, ſubter cuius vmbra Ionas Propheta quieſcebat, & velut fumum illam dignitatem diffundit; ita vt miſeri contra quam ſperarant, vrantur à ſole, & excæcentur à fumo: quia conſilium Pſaltes non ſeruauerunt, dicentis: Pſal. 145. v. 3. *Nolite confidere in principibus: in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Ibid. v. 4. & 5. *Beatus* ergo, *cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius*, quia *nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt*. Eccliſ. cap. 2. v. 11.

FRVCTVS XIII.

Maximam vitæ affert tranquillitatem.

655 T Ertiodecimò, qui Deo ſeriò fidit, officia ſua, quamuis latiſſimè pateant, ſine tumultu obit, etiam inter aduerſa lætus *Lætentur omnes*, ait Pſaltes Pſal. 5. *qui ſperant in te Domine*, & Pſal. 2. *Beati omnes, qui confidunt in eo*, & Paulus Rom. c. 8. *Spe*, ait, *ſalui facti ſumus*.

Fiducia in Deum hominẽ quietat.

Hoc teſtatur Auguſtinus pulcherrimè pro more ſuo in verba Pſalmi 127. tom. 8. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Quaſi peruersè*, inquit, *videtur dicere non intelligentibus; debuit enim dicere, fructum laborum tuorum manducabis. Multi enim manducant fructum laborum ſuorum: qui laborant in vinea, ipſum laborem non manducant; ſed quod de labore ipſorum naſcitur, &c Quid ſibi vult, labores fructuum tuorum manducabis? Modò labores habemus, fructus poſtea erit. Sed quia & ipſi labores non ſunt ſine gaudio propter ſpem, de qua paulò ante diximus: Spe gaudentes, in tribulatione patientes: modò nos ipſi labores noſtri iucundant, & lætos nos faciunt de ſpe. Si ergo labor noſter potuit manducari & potuit iucundari, manducatus fructus laboris ipſius qualis erit?*

Teſtãtur Patres.

Id perpolitè Ioan. Baptiſta Folengius in illa verba Pſalmi 145. Verſ. 4. *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius*, teſtatur dicens: *Felix nimirum, atque iterum felix is eſt, cui Deus Iacob, Deus, inquam, ille, quem Sanctæ colunt animæ, & adorant, eſt præſidio, cuiuſque fiducia ſolùm Domino Deo ſuo, non conſeruis ſe interdum debilioribus nititur. Qui Deus cœli auctor eſt, terræque, mariſque, atque omnium omninò rerum, quæ in illis inſunt conditor*. Idem repetit in illa verba Pſalmi 33. verſ. 8. *Beatus vir, qui ſperat in eo*, dicens, *Felix, ille, qui fidei illius ſeſe committit penitus*.

Idipſum eruditè docet Titelmanus in eadem verba: *Verè beatus eſt*, ait, *vir ille, & ſecurus eſt de bona ſalute, quiſquis ſpem ſuam, & fiduciam in eo conſtituit, illique ex toto corde ſuam animam, & ſeipſum in benefactis commendat*. Eadem verba repetit in illa verba Pſalmi 39. *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius*, & Pſal. 145. in illa verba; *Beatus, cuius Deus Iacob, &c.* ſupra relata, dicens: *Qui ſpem ſuam omnem, atque fiduciam conſtituit in Domino Deo ſuo, qui creauit de nihilo cælum, & terram, & maria, & omnia, quę in eius ſunt, cæleſtia, atque terreſtria; per quam rerum creationem nota ſit omnipotentia eius, cui ſoli poteſtas competit veram ſalutem donandi. In hoc* (inquam) *qui ſperat, beatus eſt, qui præter quòd eſt omnipotens, & ſaluare potens, eſt etiam fideliſſimus in omnibus verbis ſuis, cuſtodiens veritatem promiſſionum ſuarum, & fidem ſeruans in ſempiternum, ita vt mentiri aliquando non poſſit, neque fallere*. Fide ergo Deo ex toto corde tuo, & felix eris, tranquillus, atque beatus.

FRVCTVS XIV.

Exaltat homines etiam in hac vita.

Q Vartodecimò, qui fiduciam ſuam conſtituit in Deum, meretur à Deo etiam in hac vita honoribus decorari, ac fauoribus amplia- 656
ri. Id probat Folengius in illa verba Pſal. 90. *Clamabit ad me, &c.* (*Inuocabit me*, vertit Felix, *& reſpondebo illi.*) *Vide* ait, *certam de Diuino præſidio pollicitationem. Reſpondebo*, inquit, *illi, hoc eſt, illius votis annuam, adero, faueboque illi. Neque id ſatis quidem*) ò *cæcas mentes! illum illum* (*inquam*) *haud multò pridem mihi infenſum: modò vero ſpe mihi, atque amore reconciliatum, non ſolum à periculis illis vitæ continuis, & ærumnis eximam; verùm etiam inter homines honoratum, cunctiſque verendum faciam*. Idipſum teſtatur Simeon de Muis in eadem verba ferè iiſdem verbis.

Fiducia in Deum exaltat etiam in hac vita

Hac fuerũt exaltati Abraham.

Sic Abraham, qui Deo fretus *contra ſpem in ſpem credidit*, vt ait Paulus, Rom. c. 4. ver. 18. 20. 21. *qui in repromiſſione Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens; quia quæcumque promiſit, potens eſt, & facere*, qui filium ſuum vnigenitum diuinæ voluntati mactare non recuſauit, meruit fieri conſcius

ſecretorum Dei, ac nuncupari pater multarum gentium.

Ioſeph.

Ioſephus toties ad extremas deuolutus miſerias, & anguſtias, quia tamen non cecidit animo; ſed cor eius erat fiduciam habens in Domino, ad tam ſublime ſolium meruit exaltari.

Dauid.

Dauid Rex Hebronis ad tantum ſanctitatis faſtigium, ac regium thronum euexit ſumma in Deum fiducia: hac ille virtute pollebat, ſi vllus vnquam mortalium. Inſpice Pſalmos, & mecum ſenties, quàm ille aſſiduè, & ore, & pectore verſabat hæc talia: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

Pſal. 17.

Daniel.

Daniel ob fiduciam in Deum conſtitutam, meruit nedum inter impaſtos leones illæſus, & tutus ſeruari; ſed princeps conſtitui ſuper prouincias, & regna.

Tobias.

Tobias in hoc genere admirandus: Facultates, & patriam, & oculorum viſum perdidit, egenus, & exul; & cæcus; fiduciam tamen retinuit tenaciſſimè. Et licèt tam cognati, quàm vxor, & parentes ipſum irriderent, dicerentque; *Vbi es ſpes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas.* Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, ipſe tamen eos increpans: *Nolite ita loqui,* aiebat, *quoniam filij Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Hæc ei fiducia, & facultates, & patriam, & oculorum vſum reſtituit, & præmium inſuper contulit æternum.

Iob. c. 2. v. 16. & 18.

Iob.

Nō minori fiducia in Deum præditus fuit Iob. Adfuit dęmon (Deo permittente, ac facultatem dante) qui vaſtauit, mactauit, ac depopulatus eſt omnia. Ventus liberos, ignis partem pecudis, hoſtis cætera rapuit. Iob ipſe in fimetum è ſolio eiectus eſt. At ipſe tam fuit incredibili conſtantia, ac fiducia præditus, vt dixerit. *Etiamſi Deus occiderit me; in ipſo tamen ſperabo.* De futuris nil angor, *Deus prouidebit.* Sed audite denuo indicem bonorum Iob. *Et facta ſunt ei quatuordecim millia ouium* (pro ſeptem millibus) *& ſex millia camelorum* (pro tribus) *& mille iuga boum* (pro quingentis) *& mille aſinæ,* cum antea quingentas ſolùm habuerit: geminato fęnore omnia redierunt. Immo & liberi ſunt redditi. Nam iterum *fuerunt ei ſeptem filij, & tres filiæ.* Fidite ergo Deo, quia, vt ait Scribonius in Super. Relig. lib. 1. cap. 27. *Gaudet Deus beneficijs dandis, & munificentiæ ſuæ dona ſpargit in eos præcipuè, qui in magnam exurgunt fiduciam. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Ieremias cap. 17. verſ. 7.

Iob c. 13. verſ. 15. Idē c. 42. verſ. 13.

FRVCTVS XV.

Facit homines velut omnipotentes.

657 QVintodecimò; Per veram in Deum fiduciam velut omnipotentes efficimur.

Fiducia in Deum facit homines velut omnipotentes.

Liberè proclamat Paulus Phil. c. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Et quamuis cuique noſtrum hic obijci poſſit: Tu longè ſequere, & Pauli veſtigia adora. Nihilominus tamen quis illorum, qui Deo fidunt, non animoſè dicat cum Iob cap. 17. *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet cōtra me?*

Vel cum Paulo Apoſtolo Rom. cap. 8. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Sed quid opus teſtimonijs? Chriſtus diſertiſſimè: *Si potes credere,* inquit, *omnia poſſibilia ſunt credenti.* In quæ Domini verba egregiè Bernardus: *Quidni,* inquit, *omnia poſſibilia ſint innitenti ſuper eum, qui omnia poteſt? Nil omnipotentiam clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui in ſe ſperant. An non omnipotens, cui omnia poſſibilia ſunt?*

Mar. c. 9. verſ. 23. Bern. ſer 85. in cātic.

Idipſum inſinuauit Apoſtolis Matthæi 17. cum enim ipſum interrogaſſent, cur non & ipſi lunaticū adoleſcentem illum à dæmone obſeſſum potuerint liberare: Chriſtus cauſam omnem diffidentiæ aſcribens: *Propter incredulitatem,* inquit, *veſtram; Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc: & tranſibit & nihil impoſſibile erit vobis.* Quæ verba explicans Drexelius *de Conformat. volunt. l. 5. c. 5.* ait: *Hic non chriſtiana ſolummodo fides commendatur; ſed & illa fiducia, quæ diuina ſe Omnipotentia ſic induit, vt ardua quæuis aggrediatur, & admiranda patret.* Quāuis Chriſtus non dixerit: *Edite miracula,* ſed *Habete fidem Dei:* quærelas contra Dei diſpoſitionem omittite, puſillanimitatem ad ardua trepidantem vincite, omnem à vobis diffidentiam expellite. *Amen dico vobis: quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæſitauerit in corde ſuo; ſed crediderit, quia quodcūq. dixerit, fiat, fiet. Quod vtique fieri potuiſſet,* ait Venerabilis Beda l. 3. Com. in Mar. *ſi id neceſſitas fieri popoſciſſet. Quomodo legimus factum precibus B. Greg. Neocæſareæ Ponti Antiſtitis viri meritis, & virtutibus eximij, vt mons in terra tātùm cederet, quantùm incolæ ciuitatis opus habebāt. Cum enim volens ædificare Eccleſiam in loco apto, videret eū anguſtiorem eſſe, quàm res exigebat, eò quòd ex vna parte rupe maris, ex alia mōte proximo coarctaretur: venit nocte ad locum, & genibus flexis admonuit Dominum promiſſionis ſuæ, vt montem longiùs iuxta fidem petentis ageret. Et mane facto reverſus inuenit montem tantùm ſpatij reliquiſſe ſtructoribus Eccleſiæ, quantum opus habuerant. Poterat ergo hic, poterat alius quis eiuſdem meriti vir, (ſi opportunitas exegiſſet,) impetrare à Domino merito fidei, vt etiam mons tolleretur, & mitteretur in mare.*

Hoc teſtatur diuina ſcriptura. Cōfirmāt Patres.

Marci cap. 11.

§. I.

HAnc veritatem confirmat Alphonſus à Caſtro *lib. 6. aduerſus Hæreſes, verbo Exorciſmus,* illa verba explicans Lucæ 17. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro; eradicare, & tranſplantare in mare, & obediet vobis. At arbor morus,* ait, *ſenſum non habet, & iuſſa fidelium præcipientium adimplet.* 658

Creaturæ inſenſibiles obediunt ei, qui cō fidit in Deum.

Verùm ſi huiuſmodi creaturæ ſenſum non habent quomodo poſſunt iuſſa fidelium præcipientium audire, nedum adimplere?

Huic difficultati eleganter reſpondet Suarez *t. 2. de Religione lib. 4. de Adiurat. numer. 13.* dicens: *Poſſunt creaturæ irrationales adiurari per immediatam efficaciam ſupernaturalem, quæ directè, & immediatè verſetur circa ſuum effectum; & quia huiuſmodi efficacia ſolet per imperium explicari, ideò præcipimus hoc modo poſſe has creaturas in ſe etiam adiurari imperio: non quia illæ percipere valeant morale imperium, aut ſeſe mouere ad intelligentiam illius; ſed quia* (teſte Hieronymo Mat. 8. *omnes creaturæ ſentiunt Creatorem; non errore hęreticorum, qui omnia putant animātia; ſed maieſtate conditoris, quę apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt.* Sic enim exponit, quod de Chriſto ibi dicitur, quòd *ſurgens imperauit ventis, & mari,* & ſecuta eſt obediētia, ita vt videtes mirati fuerint, dicētes: *Quis eſt, hic, quia venti*

Modus explicatur, quo creaturæ inſenſibiles iuſſa præcipiētis intelligunt. Matt. c. 8. v. 26. Verſ. 28. Mar. 4. verſ. 27.

Hac fiducia poſſunt mirabilia operari homines vt fecerunt ſerui Dei.

venti, & mare obediunt ei? Quod ergo tunc fecit Chriſtus virtute propria, ait Suarez, *poſſunt facere ſerui eius in fide, & virtute illius:* vt ipſe dixit Ioannis 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Poſſunt enim imperare huic monti, vt hinc transferatur, & faciet; & locuſtis, vt recedant, & obedient, non morali; ſed (vt ita dicam) phyſica obedientia:* videlicet diuina virtute impellente.

Moyſes.

Hoc modo Moyſes imperauit aquis, vt conuerterentur in ſanguinem; fluminibus, vt ranas emitterēt; pulueri, vt produceret ſcinifes, & muſcas; & ſic de alijs ſignis, quæ fecit Moyſes in eductione populi Iſraelis de Ægypto.

Ioſue.

Ioſ. c. 10. v. 12. 13 14.

Sic Ioſue dux belli incredibili prorſus fiducia pollens, auſus eſt imperare ſoli, ac dicere: *Sol contra Gabaon ne moucaris. Stetit itaque ſol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei. Nō fuit antea, & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael*, ideſt exaudiente Deo vocem hominis, ac pugnante pro Iſrael.

Ezech.

Sic Ezechias ſolis vmbram per decem lineas reuocauit. Sicut autem Ioſue ſolem ſtitit: ita Ezechias ſolem retroegit itinere prorſus immenſo. *Nimirum animus Deo fidens Deum impellit, vt orbem turbet, & naturas mutet*, ait Drexelius *lib. 5. c. 4.*

Apoſtoli, Diſcipuli Dñi.

Hac fiducia Apoſtoli, Diſcipuli Domini, ac omnes Sancti miracula fecerunt, dantes cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, & curſum, ſermonem mutis, vitam mortuis, ac dęmones ab obſeſſis corporibus effugantes.

Fiducia huiuſmodi dicitur gratia miraculorum, ſeu operatio virtutum.

Vnde prout hac fiducia homines miracula operātur, dicuntur donati eſſe à Deo gratia miraculorum, ſeù (vt alij dicunt) operatione virtutum, ad quam reducitur etiam expulſio dęmonum ſolùm per fidē, ſecluſa exorciſtica poteſtate: Nam expellere dæmones per poteſtatem Ordinis exorciſtatus, non eſt miraculum; cum ſic fiat iure ordinario. Vt verò per huiuſmodi fiduciam ægrotos ſanant, dicuntur gratia ſanitatum eſſe præditi, quæ licèt ratione formali nō differat à gratia miraculorū, vt docet Suarez *diſp. 8 de diſtinct. fidei ab omnibus donis ſect. 2.* attamen tàm operatio virtutum, quàm gratia ſanitatum peculiariter à D. Paulo numerantúr, & diſtinguuntur; quia ſingularem quandam vim habent ad mouendos homines, & ad efficiendas eorum voluntates: quia non ſolùm ſunt miracula, ſed etiam beneficia: vt D. Thomas docuit 2. 2. *q.* 178. *art.* 1. *ad* 4.

§. II.

659 QVoquo modo autem ſumatur fiducia ſiue pro operatione virtutum ad expellendos dæmones, ſecluſa exorciſtica poteſtate; ſiue pro gratia ſanitatum ad ægrotos ſanandos: ſiue pro fide miraculorum ad miracula facienda, vt per eam obtineatur id, quod petitur, debet eſſe firma, & non hæſitans, vt ſupra docuimus *num. 631.* Præclariſſimè hoc fatetur D. Bernardus in Pſ. 90. ſerm. 15. poſt medium. *Dulciſſima liberalitas*, inquit, *in ſe ſperantibus non deeſt. Hoc enim eſt totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſaluum fecit. In te ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos: ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Sperate in eo omnis congregatio populi: quemcumque enim locum calcauerit pes veſter, veſter erit. Pes vtique ſpes eſt, quantumcumque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, vt firma ſit, & non titubet.*

Fiducia quoquo modo ſūpta debet eſſe firma, & ſine hæſitatione. Teſtātur Patres.

Idipſum eruditiſſimè docet Caſſianus Collatione 19. cap. 32. *Cum orantes*, inquit, *nulla nos interpellauerit hæſitatio, & fiduciam petitionis noſtræ quadam deſperatione deiecerit; ſed obtinuiſſe nos hora ipſa orationis effuſione, quod poſcimus, ſenſerimus, non ambigamus, preces noſtras ad Deum efficaciter penetraſſe. Tantùm enim quis exaudiri, atque obtinere merebitur, quantùm vel inſpici ſe à Deo, vel Deum crediderit poſſe præſtare: Irretractabilis namque eſt Domini noſtri ſententia: Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.*

Affirmant hoc Toſtatus, ac Suarez *loc. cit. n.* 192. 193. Quibus conſentit Vaſquez 1. 2. *diſput.* 209. *c.* 4. *num.* 26.

FRVCTVS XVI.

Dat vitam longam in præſenti ſæculo, & Beatitudinem in futuro.

VLtimò, qui in Deum ex corde in omnibus actionibus ſuis totam ſuam conſtituit fiduciam, 660
vita longa à Deo donatur in hoc ſeculo, & gaudijs æternis perfuitur in futuro.

Fiducia in Deum vitā longā in hoc ſęculo.

Hæc eſt promiſſio Dei facta per Prophetam Regium Pſal. 90. illis verbis: *Longitudine dierum replebo illum, & oſtendam illi ſalutare meum.* (*Longitudine dierum replebo eum in hac vita*) legit Simeon de Muis, *faciam, vt multos annos in terris viuat, tandemque deficiens moriatur in ſeneſtute bona, ſenex, & plenus, ac ſatur dierum inſtar Abrahami, Iſaac, ac Dauidis. Non ſolùm*, inquit, *faciam, vt ſeneſcat, ſed etiam vt ad extremam ſenectutem perueniat: hanc enim vim habet (longitudine dierum replebo eum)*. Promiſſio porrò, quæ hoc verſu continetur, etſi prima fronte fallere interdum videatur, non tamen fallit. Nam hoc tenendum eſt, promiſſiones temporales ſemper eſſe intelligendas ſub hac conditione, modò expediat, vt fiat, quod promiſſum eſt. Igitur quia pios citiùs interdum è vita migrare, & ipſis, & publicæ Eccleſiæ ſaluti vtile eſt; rapiunturque, ne malitia mutet intellectum eorum: nihil mirum videri debet, ſi non ſemper ad extremam ætatem, ſicut in hoc verſu promittitur, pij annos perducant. Neque verò vir *iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit*, minùs propterea ſenex, & plenus dierū exiſtimandus eſt. *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: ſed cani ſunt ſenſus hominis. Et ætas ſenectutis vita immaculata.* Ac vir *conſummatus in breui expleuit tempora multa.* Et quia *placita erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere eum de medio iniquitatum.*

Hæc promiſſio Dei intelligitur conditionatè, nempe ſi expediat

Sap. c. 4.

Et in futuro ſæculo, ideſt in altera vita *oſtendam illi*, ait Dominus, *ſalutare meum.* Ita ex R. Ezra, & R. Kimmhi. *Faciam illum*, ait Titelmanus in perſona Dei, *meæ ſalutis participem, meam ſalutem illum videre, guſtare, experiri, & poſſidere faciam, & meam gloriam, meam diuinitatem, (quæ eſt ſalus, & vita omnium Beatorum) ego illi oſtendam, ita vt facie me contueatur ad faciem, quomodo videt homo facie ad faciem amicum, & proximū ſuum, vt qui in hoc tempore in me ſperauit, quem non videbat, in æternitate perpetua meæ diuinitatis viſione, atq; perfecta fruitione mecū lætetur per omnia ſæcula ſęculorum. Am.*

Obtinet beatitudinem in futuro.

Hi ſunt fructus ſexdecim dulces gutturi illius, qui in Domino ſuam collocat fiduciam. Qui poteſt eos capere, capiat.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quomodo hæc Fiducia poſſit facilè acquiri.

Hæc fiducia facilè acquiritur per attentã, ac deuotã lectionem, ac conſiderationẽ ſacrarũ ſcripturarum.

661 QVoniam *part.2. vbi de Oratione ad Deum*, ea, quæ maximoperè conducunt ad huiuſmodi fiduciam comparandam, exactiſſimè pertractamus, hìc duntaxat ex eorum prædictis fructibus paruam diuinarum promiſſionum, quæ plurimùm præſtant ad talem fiduciam in nobis facillimè excitandam, ſyluam formamus; vt nedum Exorciſtæ, ac Parochi; ſed cuncti ſacrarum literarum gnari huiuſmodi ſententias ſępiùs prę oculis habentes, ac intellectu attentè contemplantes ad actus fiduciæ eliciendos promptiùs diſponantur. Nam *quæcumquè*, ait Apoſtolus Roman. cap. 15. *ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*. In ſcripturis enim ſanctis vix vllum inuenitur caput, vt benè obſeruauit P. Ludouicus Granat. *lib. 7. memoral. cap. 9.* in quo Deus opem, gratiam, & confidentiam omnibus illis non promittat, qui in illo confidunt.

Sylua parua diuinarum ſcripturarum.

Beatiſſimus Rex Dauid huius fiducię magiſter excellentiſsimus hanc vnam pleno ore ingerit in Pſalmis penè omnibus. Et quàm illa confidentis animi ſunt? Quorum verſiculi aliqui, ſicut & aliorum ſacræ ſcripturæ locorum ſententiæ aliquæ hìc ſubijciuntur.

Beati omnes, qui confidunt in eo. Pſal.2.v.13.

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Pſal.4. v.10.

Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Pſal.17.v.2.

Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum. verſ.3.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. verſ.4.

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Pſal.26. v.1.

Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? uerſ.2.

Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. uerſ. 3.

Si exurgat aduerſum me prælium: in hoc ego ſperabo. ibid.

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. Pſal.30. & 70. uerſ.1.

Et non delinquent omnes, qui ſperant in eo. Pſal.33.verſ.23.

Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. Pſal.36.uerſ.3.

Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. verſ.5.

Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. Pſal.39.uerſ.5.

Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Pſal.49.v.15.

Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Pſal. 54.u.23.

Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Pſal.90.u.1.

Quoniam Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. uerſ.11.

Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. uerſ.13.

Quoniam in me ſperauit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. u. 14.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. uerſ.15.

Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum. uerſ.16.

Qui timent Dominum, ſperauerunt in Domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt. Pſ.113.u.11

Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Pſal.117.u.8.

Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus. uerſ.9.

Qui confidunt in Domino, ſicut mons Syon, non non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem: Pſal.124.u.1.

Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius. Pſ.145.u.5.

Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius. Pſal.146.uerſ.12.

Erat quidem huic Regi cor ampliſſimum, & pleniſſimum ingenti fiducia in Deum: nimirum hos eructarat, qnos biberat fontes.

Sed videas, eandem fiduciam ſapientiſſimos, ac ſanctiſſimos viros plurimùm ſemper commendaſſe? Illud ſapientiæ miraculum Salomon ait:

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Prou.c.3.uerſ.4.

In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. uerſ.5.

Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Eccl.2.uerſ.11.

Confide in Domino, & mane in loco tuo. Cap.11. uerſ. 22.

Fili in infirmitate ne deſpicias te ipſum; ſed ora Deum, & curabit te. Cap.38.u.9.

Bellabunt aduerſum te, & non prænalebunt, quia ego tecum ſum, dicit Dominus, vt liberem te. Ierem.c.1.u.19.

Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Cap.17.u.7.

Non eſt confuſio confidentibus in te. Dan. c.3. uerſ.40.

Benedixerunt Deum, qui ſaluat ſperantes in ſe. Cap.13.u.60.

Cogitate per generationem, & generationem: quia omnes, qui ſperant in eum, non infirmantur. 1.Mach.c.2.u.61.

Conſidera, benigne Lector, quæ Chriſtus, qui eſt veritas, quæ nec falli poteſt, nec fallere, ſæpiùs docuit apud Euangeliſtas.

Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Matth.7. uerſ.7. & 8.

Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Luc.c.1.2.u.9. & 10.

Creditis, quòd poſſum facere hoc. Matth.9.u.28.

Secundùm fidem veſtram fiat vobis. uerſ.29.

Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. Matth.17.u.19.

Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Matth.21.u.22.

Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Mar.9.u.22.

Quid vis, vt faciam tibi? Cap.10.u.51.

Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæſitauerit in corde ſuo; ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis. Cap.11.u.23.

Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. Cap.16.u.27.

Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: numquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ouum; numquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona dare filijs veſtris, quantò magìs Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Luc.11.u.11.

Conſiderate lilia, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magìs vos puſillæ fidei? Pater veſter ſcit, quia his indigetis. Cap.12.u.27.

Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro: eradicare, & tranſplantare in mare, & obediet vobis. Cap.17.u.6.

Vis ſanus fieri? Ioan.5.u.7.

Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet; quia ego vado ad Patrem. Et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam. cap.14.

Si manſeritis in me, & verba mea in vobis mãſerit; quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Cap.15.u.7.

Omnis, quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Act.2.u.21.

Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctum, qui datus eſt nobis. Rom.5.u.5.

Nihil eſt damnationis his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. C.8.u.1.

Spe ſalui facti ſumus. uerſ.24.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? verſ.31.

Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Cap.10.u.11.

Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. uerſ.12.

In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem eius. Eph.3.u.12.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Hæbr.4.u.16.

Si quis veſtrum indiget ſapientia: poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Iacob. cap.1.u.5. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* uerſ.6. *Qui enim hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.* uerſ.7. *Non ergo æſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.*

Omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Io.c.3.u.3.

In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. uerſ.6.

Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad eum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & quæ ſunt placita coram eo facimus. uerſ.22.

Et hoc mandatum eſt eius, vt credamus in Nomine filij eius Ieſu Chriſti. uerſ.23.

Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos. uerſ.24.

Veritas dictarũ ſentẽtiarum eſt infallibilis.

Quæ ſententiæ, ac verba ſunt ita vera, quòd potiùs Cælum, & terra deſtruetur, quàm ipſa non adimpleantur: vt ait ipſemet Chriſtus Matthæi 24. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quod priùs per Dauid manifeſtauerat Pſal.88. verſ.35. dicens: *Neque profanabo teſtamentum meum; & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita*, & Pſ.144. ipſemet Dauid fatetur hanc veritatem verſ.13. *Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.*

Quas Exorciſta, ac Parochus non tantùm credere debent; ſed eis firmiter volũtate adhærere.

Quare ſi Exorciſta, vel Parochus, vel quicumque Chriſti fidelis ſacrarum litterarum gnarus ad huiuſmodi verba diuina ſępiſſimè mentis oculos diriget, ac deuotè meditabitur in corde ſuo, ae non tantùm implicitè credendo; ſed circa ſingula, vel eorum aliqua fidei actus implicitè eliciendo, ea voluntate firma eis adhærendo, tunc fides, quæ eſt habitus, ac virtus theologica, in eo fiet maior ex parte intellectus propter maiorem certitudinem, & firmitatem: & ex parte voluntatis fiducia fiet maior propter maiorem promptitudinem, ſeù deuotionem: quia ſecundùm maiorem firmitatem fidei in intellectu, fiducia magìs, ac magis augetur in voluntate; qua veluti panoplia armatus ſe, & ſuos ab inimicis tàm viſibilibus, quàm inuiſibilibus, & à quibuſcumrebus aduerſis tueri; ac veluti Moſayca virga omnia ſaluti animę, & corporis neceſſaria obtinere, Deumque in cunctis neceſſitatibus propitium habere poterit. Hæbr.10.v.35. *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.*

At quia in Italia plures ſunt maximè ſęculares, 662
qui linguam latinam ignorãt, quàm qui illam poſſideant, hic inſerere Scutum inexpugnabile fidei, ac confidentiæ in Deum pro linguæ latinæ ignaribus vtillimum duxi, aliàs Bergomi à me iam typis editum annno Domini 1658. quod poſtea Venetijs pluries à diuerſis typographis fuit impreſſum: vt etiam alibi Docti iſtud in ſuum transferre valeant idioma.

SCVDO INESPVGNABILE

Di Fede, e Confidenza in Dio

Per liberar, e preſeruarſi da mali, e pericoli dell' Anima, e del corpo.

Diuiſo nella Teorica, e Prattica.

In omnibus ſumentes ſcutum fidei. Epheſ.6.

TEORICA.

Fra tutti li diuini attributi è coſa nota à i veri amici di Dio, che di niuno più alta ſcoperta

Sua

Sua D. Maeſtà fà dimoſtratione verſo di noi per beneficio noſtro, che della ſua pietà, della ſua clemenza, della ſua miſericordia: Mà è però vero, che ſe il Chriſtiano vuol godere gl'effetti di coteſto diuino attributo, & eſſere protetto in tutte le ſue neceſſità dalla mano liberale di Dio, è neceſſario, che faccia la parte ſua verſo Iddio col procurar prima di conſtituirſi in gratia ſua, deteſtando con tutto il cuore l'offeſe fatte à Sua Diuina Maeſtà, proteſtandoſi di non volerlo più offendere; mà di volerlo amare ſopra tutte le coſe con tutto il cuore, con tutta l'anima, e con tutte le forze. Formato l'atto di contritione, e d'amor di Dio, intraprenda il ſcudo ineſpugnabile della fede, come inſegna l'Apoſtolo S. Paolo: In omnibus ſumentes ſcutum fidei: *e creda attualmente ſenza alcun dubio non ſolo, che eſſendo Iddio onnipotente, lo può diffendere da qualſiuoglia coſa auerſa, e nociua; eſſendo ſapientiſſimo, sà il modo di diffenderlo: eſſendo preſente in ogni luogo, può immediatamente diffenderlo ſenza dimora: mà che eſſendo egli vna bontà infinita, pietoſiſſimo, e clementiſſimo, e ſempre pronto à communicarli gratie, e fauori, mentre in lui collochi le ſue ſperanze: nè può mãcare di ſoccorrerlo conforme egli promette nel Salmo 49.* Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me: *perche è fedeliſſimo nelle ſue promeſſe come dice Dauide nel Sal.* 144. Fidelis eſt Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis: *così conforme nell'intelletto creſcerà la fede attuale, anco nella volontà creſcerà la fiducia, e confidenza in Dio, per la quale meritarà di ottenere da Sua D. Maeſtà il bramato aiuto.*

Quali atti di fede, e confidenza, acciò anco da ſemplici, & idioti poſſano meglio pratticarſi, hò formato le ſeguenti orationi da recitarſi conforme la deuotione di ciaſcheduno, il quale s'intenderà non ſolo di pregare per ſe ſteſſo, mà per li altri ancora, in particolare per quelli, che recitaranno, ò faranno recitare tali orationi. E chi non ſaprà leggere, dirà almeno trè Pater noſter con trè Aue Maria &c. ad honore, e gloria del Santiſſimo nome di Gieſù, intendendoſi di dimandare à Dio tutte le gratie, che ſono regiſtrate in queſto librettino.

PRATTICA.

Oratione à Gieſù Chriſto.

Signor mio Gieſù Chriſto, che col Padre, e ſpirito Santo ſete onnipotente, ſapientiſſimo, pietoſiſſimo, e veraciſſimo, eccomi ſeruo voſtro indegniſſimo proſtrato auanti la Maeſtà voſtra, conoſco, che non merito di riceuere gratia alcuna dalla voſtra mano liberale, hauendoui offeſo grandemente, però de miei peccati me ne trouo pentito, per eſſere offeſa della Maeſtà Voſtra, che merita di eſſere amata ſopra tutte le coſe, e ve ne chiedo perdono con propoſito fermo di non offenderui più per l'auuenire con l'aiuto voſtro, e farne la debita penitenza: anzi mi proteſto, che vi voglio amare con tutto il mio cuore, con tutta l'anima mia, e con tutte le mie forze, & affiticarmi, acciò dalli altri ancora ſiate amato, e ſeruito: ſi come ancora vi ringratio di tutti i beneficij, che m'hauete fatto, e di continuo mi fate: e m'intendo di ſtare ſempre ſotto la voſtra diuina prottetione. Così hora ritrouandomi combattuto, e trauagliato da queſta auerſità, con tutto il mio cuore à voi ricorro, & in voi metto ogni mia confidenza: e mentre Voi ſarete il mio Tutore, e Conſeruatore, e qual coſa mi potrà offendere ò nell'anima, ò nel corpo, ò nell'honore, ò nella robba? eſſendo Voi il mio diffenſore, e preſeruatore, che in ogni tempo, & in ogni luogo mi ſete preſente, e potete, e ſapete, e volete diffendermi, e cuſtodirmi, e diffendere tntte le coſe à me ſpettanti, e qual coſa mi potrà mai nuocere? Vi prego donque per la grandezza della voſtra pietà, e liberalità, per la verità della parola voſtra, per honor, e gloria del voſtro Santiſſimo Nome, per l'efficacia della voſtra ſacratiſſima paſſione, e per i meriti della voſtra dolciſſima Madre, e Santi miei deuoti vogliate aſſiſtermi co'l voſtro diuino aiuto, e libetar, e preſeruarmi con tutti i miei parẽti, amici, & inimici, & in particolare quelli, che deuotamente recitaranno, ò faranno recitare queſte orationi ad honor del voſtro Santiſſimo Nome, di Maria Vergine, Angeli, e Santi inuocati in eſſe, da qualſiuoglia male, e pericolo dell'anima, e del corpo, acciò viuendo ſicuri ſotto la voſtra diuina protettione in queſta vita, meritiamo di venire à godere il voſtro diuino aſpetto nell'altra per tutti i ſecoli de ſecoli. E così ſia.

Oratione alla Vergine Santiſs.

O Vergine glorioſiſſima Madre di Dio degnateui d'impetrarmi dalla Maeſtà ſua vn'ardente carità, con che io l'ami con tutto il cuore, con tutta l'anima, con tutta la mente, e con tutte ſorze, & il proſſimo come me ſteſſo, e che io non porti odio à miei nemici, mà le renda ben per male: che queſte ſono le tre coſe principali, che voi ſeruaſti nel voſtro cuore, & oſſeruaſti tutto il tempo della vita voſtra. Amen.

S. Bonauent. in medit. Vitæ Chriſti.

All'Angelo Cuſtode.

O Angelo di Dio altiſſimo, che da quello mi ſete aſſegnato per cuſtodia, ſi come io credo fermamente, che voi mi ſete aſſiſtente in ogni luogo, così voi benigno, & amoroſo diffendetemi in ogni tempo da qualſiuoglia male, e pericolo dell'anima, e del corpo, Amen.

A S. Gio-

A S. Gioſeppe Spoſo di Maria.

O Glorioſiſſimo Giuſeppe, che per la voſtra purità, humiltà, e carità meritaſti di eſſere Spoſo di Maria, e Padre putatiuo di Gieſù, e come Padre foſti degno di portare nel voſtro ſeno quel fonte d'ogni bene, impetratemi da eſſo vn cuor humile, puro, e pieno del ſuo diuino amore, acciò co'l penſiero, e con l'affetto lo tenga così preſente, che poſſa dire co'l ſuo diuoto P. S. Bernardo:

Ieſu dulcis memoria
Dans vera cordis gaudia,
Sed ſuper mel, & omnia
Eius dulcis præſentia.

Al Serafico P. S. Franceſco.

O Serafino de Cielo Franceſco Santo, ſpecchio d'humiltà, eſſemplare di pouertà fiamma di carità, diſpreggiatore della vanità, martire di volontà, ſi come per l'amore, che portaſti al Redentore bramando di conformarui à lui nella Croce, meritaſti, che nel voſtro petto, e mani, e piedi foſſero impreſſe le ſacre piaghe; così impetrate à me vn fuoco d'amore verſo il mio Signore, che per eſſo io goda di patire pene, e dolori, & ogni coſa auerſa con animo allegro riceua dalla ſua mano in queſto mondo, per poter poi nell'altro con voi inſieme godere il ſuo diuino aſpetto per tutti i ſecoli de ſeculi. Amen.

A S. Antonio da Padoua.

O Prole della Spagna Antonio Santo, teſoro pretioſiſſimo della Città di Padoua, luce d'Italia, gemma della pouertà, Dottore della verità, terrore d'Infedeli, refugio de tribulati, conſolator de meſti, ſolleuator de caduti, medico de gl'infermi, impetrate à me debole, e miſero dal ſommo Iddio aiuto, e ſoccorſo, acciò mi condoni l'offeſe fatte alla Maeſtà Sua, m'aſſiſta in tutti i miei biſogni co'l ſuo fauore, e mi conceda la ſua ſanta gratia in queſta vita, e la gloria nell'altra per ſua bontà, e miſericordia. Amen.

Oratione per difenderſi da nemici.

Signor mio Dio, che ſete Signor del tutto, che potete il tutto, che vedete il tutto, e ſete preſente in ogni luogo, e volete far benefici à tutti, & in particolare à quelli, che in voi confidano, e viuono ſotto la voſtra diuina protettione, liberatemi da miei nemici, & impedite l'offeſe, che mi potrebbero fare. A voi s'aſpetta il diffendermi in ogni hora, e momento, & impedire, che non ſolo li nemici, mà niun'altra coſa mi poſſa offendere, perche voi ſete il mio Signore, Creatore, Redentore, Saluatore, Protettore, Tutore, Difenſore, e Conſeruatore, Refugio, Conforto, Vita, ſalute, e conſolatione dell'anima mia, e del mio corpo. Eſſendo donque Voi il mio Protettore, e di che coſa potrò io temere? eſſendo Voi in mia diffeſa, e qual forza, e qual potenza mi potrà mai offendere?

Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Si Deus pro me, quis contra me, ait Iob cap. 17. v. 3.

ARTICVLVS III.

De Charitate erga Deum, & Proximum.

TErtia virtus, qua fulgere debet Exorciſta, eſt Charitas: quæ ſecundùm Auguſtinum *lib.* 14. *de Ciuitate Dei cap.* 7. & Theologos communiter *in* 3. *Sent. diſt.* 27. *eſt animi affectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum.* 663

Charitas deſcribitur D. Th. 2. 2. q. 23.

Quid indicat typus ſimilis filio hominis, qui oculos habebat tanquam ignis; faciem, ſicut ſol lucet in virtute ſua; & pedes ſimiles aurichalco tanquam in camino ardenti. Nam quis eſt ille ignis caput, & pedes inflammans, & ardens in vtraque hominis extrema parte, niſi charitas, quæ ſurſum in Deum dirigitur, & deorſum vergit ad proximum? Qua homo flagrans oculos habet ignitos, cognitione lucentes, & faciem ardentem amore, vt nihil aliud aſpiciat in omnibus, quæ agit, quàm Deum, & eius gloriam. Quare Exorciſtę, ac Parochi, vt tutò, & efficaciter dæmones profligare valeant, ægrotis ſanitatem à Deo impetrare, illumque in cunctis ſuis actionibus propitium habere, hac carere non debent, ſiue prout ſurſum dirigitur in Deum: ſiue prout deorſum vergit ad proximum.

Hac munitus debet eſſe Exorciſta, vt tutò, & efficaciter dęmones expellat.

§. I.

CHaritas (prout hominem dirigit in Deum amore, ac dilectione) maximè Exorciſtis, ac Parocnis eſt neceſſaria, vt dignè, tutò, & efficaciter ſuas valeant adimplere partes. Nam licèt ad dæmones expellendos in Exorciſta ſimpliciter ſufficiat poteſtas Ordinis Exorciſtatus, intentio faciendi, quod Romana Eccleſia facit, & quòd ipſe præcepta formet ad præſcriptum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, diuino nomine interpoſito. Nihilominus, quia ad tutò, & efficaciter dæmones expellendos neceſſaria eſt fides, ac fiducia in Deum theologica, vt latè docuimus *num.* 627. *& ſeqq.* conſequenter eſt aſſerendum, ei neceſſariam eſſe charitatem; nam fides, ac ſpes, ſeu fiducia non poſſunt eſſe perfectæ ſine charitate.

Charitas (vt reſpicit Deũ) qua ratione ſit neceſſaria Exorciſta.

Eruditè id probat Auguſtinus *lib.* 14. *de Ciuit. c.* 9. dicens: *Boni animi motus, atque affectus* (quales ſunt actus fidei, ſpei, ac cōfidentię in Deum robuſtiſſimę) *ex amore, & ſancta charitate veniunt*: quatenus ſcilicet quis ſperat diuinum à Deo (vt ab amico) impetrare auxilium. Confirmant hanc veritatem D. Ambroſ. in illud Lucæ 17. *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, &c.* & D. Thomas 2. 2. *q.* 23. *art.* 8. *ad* 2. ac communiter Theologi vocantes charitatem formam omnium virtutum.

Ratio

Charitas quid operetur in habẽte.

Ratio ipſa dictat: Nam qui manet in charitate, in Deo manet, vt docet Ioan. prima ſua canon.c.4. dicens: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Qui autem manet in Deo, quodcumque voluerit à Deo obtinebit: vt ipſemet Chriſtus docet Ioan.cap.15. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Nam cum charitas excludat vitia, & peccata, vt docet Caſſiodorus ſuper Pſalmos. *Charitas*, inquit, *eſt mors criminum, virtus pugnantium, palma vitiorum, concordia mentium, ſocietas electorum, quam fides concipit, ad quam ſpes currit, cui profectus bonorum operum ſeruit*; qui illam poſſidet, (cum ſit Deo gratus, nec illum alicuius mortalis noxæ conſcientia reprehendat) facilè confidere poteſt, ſe in ſuis functionibus diuinum obtenturum auxilium. Quod docet Ioannes prima ſua canon.c.3. *Si cor noſtrum*, ait, *nõ reprahenderit nos, fiduciam habemus ad eum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo*, & Caſſianus *Collationum lib.Collat.9.cap.33.* id docet dicens: *Hæc fiducia de conſcientię puritate creditur emanare.*

Exorciſta ſeipſum purgare debet à vitijs.

Quare Exorciſta, vt facilè ſuis præceptis dæmonem ſubiugare queat, eius tyrannidem perfringere, ac tutò, & efficaciter illum in fugam vertere, per charitatem, & gratiam ſeipſum a vitijs expurgare debet, & à peccatis cunctis conſcientiam ſuam mundare, vt ſic gratus Deo in ſuis functionibus, ac miniſterijs diuinum eius auxilium ſecurè impetrare valeat. Quod benè admonet Stephanus Eduenſis Epiſcopus *tract. de Sacram. Altaris c.3.* relatus tom.10. Bibliothecæ Veterum Patrum: *Exorciſtæ*, inquit, *debent coram Deo, & hominibus clarere munditia vitæ, ſordibus vitiorum expulſis, Sancti Spiritus gratia mundante. Qui enim ſuper immundos ſpiritus habent imperium, eos oportet habere ſpiritum mundum. Et qui tradita ſibi poteſtate malignos ſpiritus eijciunt de corporibus obſeſſis, ſpiritu benignitatis, & operibus mundis vitia, & immunditias expellant de cordibus ſuis; & quorum medicina alijs proficit, ſibimet ſciant mederi. Non enim probatus eſt Medicus, qui alij medetur, neſciens curare morbum, quo læditur: præcipuè cum eodem languore laborent ipſe, & ille, cui medetur.* Idcircò S. Cyprianus *tract.4. de Idolorum vanit.* ait, *Dæmones vel exiliunt ſtatim: vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat: aut gratia curantis aſpirat.*

§. II.

Exorciſta non poteſt amare Deũ, niſi amet proximum.

664 CHaritas verò, vt deorſum flectitur ad proximũ, quàm maximoperè Exorciſtæ ſit neceſſaria, probat Ioannes prima ſua canon.cap.4. dum dicit: *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt: Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*, quaſi dicat: Si Exorciſtæ neceſſaria eſt charitas, quæ ſurſum illum dirigat in Deum, vt dignè, tutò, & efficaciter ſuo valeat munere fungi: etiam illi neceſſaria eſt charitas, quæ deorſum vergat erga proximum: non enim poteſt amare Deum, & proximum non amare propter Deum: Nam qui diligit Deum, diligit & proximum: quia tam ſecundum, quam primum eſt præceptum Dei: immo teſte Gregorio in Paſtorali: *tunc ille ad alta mirabiliter ſurgit, cùm ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit, & qui benignè deſcendit ad infima, valenter incurrit ad ſumma.* Vnde Exorciſta, ſeu Parochus pedes habet ignitos, & probatos, affectus nempe, qui igne charitatis ſplendent, quando cum alij infirmatur: alios curat ædificare: alios erigit: ad alios inclinat, alijs blandus, nulli inimicus, omnibus omnia factus. Probantur verò in camino ardenti, cùm currit, vt opem ferat, non quæ ſua ſunt, quærendo; ſed quæ aliorum, nec proximo ob propriam vtilitatem ſeruiliter; ſed ad eius commodum liberaliter obſequium exhibet. Quare neceſſaria eſt Exorciſtæ non tantùm vt à Deo obtineat fidem perfectam, ac firmiſſimam fiduciam, qua facillimè proximum à dæmone obſeſſum ab eius tyrãnide eripere poſſit; ſed etiam vt eius ignea tela retundere valeat, ſuperbiam nempe, & auaritiam, quibus vt plurimum eccleſiaſticos miniſtros oppugnare ſolet, vt ſic fructus liberationis impedire valeat.

Quomodo charitas proximo ſit exhibenda.

§. III.

PRimum, quod eſt omnium ſcelerum cauſa, ſuperbia nempe, tanquam potentiſſimum telum à dæmone contorquetur in Exorciſtam, vt elatione vitioſa efferatur, quod facit duobus modis. 665

Dæmon per ſuperbiã tẽtat exorciſtã Patenter laudãdo

Aliquando miris illum laudibus effert, & ſe eius humilitate torqueri, ſanctitate vexari, agitari charitate, cæteriſque virtutibus, quaſi tot tormentis immaniter vri: magnis clamoribus, & boatibus, varijſque exclamationibus eius virtutes publicat: nunc ad iſtum, nunc ad illum, modò ad circunſtantes dirigendo ſermonem; ſed omnia fictè, vt Exorciſta ſe laudari audiens in hominum conſpectu, faſtu mentis intumeſcat.

Occultè ſuggerẽdo.

Aliquando tacitis ſuggeſtionibus illum adoritur; & tunc periculoſiùs illum laceſſit. Quòd ſi patientem aurem huiuſmodi occultis encomijs præbere videat, ambitioſo flagello ventum excitare, & vanitatem inducere non ceſſat, donec mens eius infletur. Vtroque modo ſæpiùs præualet; quia ab homine ipſo ad ſuperbiam propria inclinatione propenſo adiuuatur. Ideò Exorciſta ſollicitè cauere debet, ne huiuſmodi laudibus publicis, aut occultis extollatur; ſed ardenti charitate deorſum feratur ad proximum ſubleuandum propter Deum; Et ad gloriam eius manifeſtandam, ac nomen ſanctum eius glorificandum intentos habeat oculos, huiuſmodi vanitatis fumoſitates igne diuinæ charitatis abſumendo, & opus ſuum humiliter, & charitatiuè proſequendo, Quod docet Chriſtus Dominus Lucæ 10. cùm diſcipulos exultantes de expulſione dæmonum, & dicentes cum gaudio: *Domine etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo*, reprehendit dicens: *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus ſubijciuntur vobis.* Si illos nolebat gaudere, quomodo gloriari? vt diſcant Exorciſtæ, poteſtatem in dæmones non ſibi, ſed Deo referre, aliàs parum proderunt; vt confirmatur exemplo relato à Cæſario *lib.4.cap.5.* cuiuſdam adoleſcentis Monachi à Priore ſuo aſſumpti, eò quòd nouerat eum virginem, vt dæmonem ab obſeſſo expelleret. Nam obſidens ſpiritus ab illo Priore interrogatus: an auderet remanere, ſi Monachus iſte virgo ei exire præciperet: Reſpondit: *Non illum timeo: quia ſuperbus eſt.*

§. IV.

SEcundum eſt auaritia, quæ tanquam ſagitta potentiſſima in eccleſiaſticos viros vibratur à dæmone. *Quorum aliqui*, inquit Bernardus in Cantic. ſermone 10. *Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clauos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflant, & profligant in acquiſitio-* 666

Dæmon per auaritiã, vt ſagittam Exorciſtas ferit

ſitionem turpis quæſtus, & pretium vniuerſitatis ſuis marſuſijs includere feſtinant. Quod ſummoperè cauere debet Exorciſta, ne ſimilis ſit dominis Pythoniſſæ Act. 16. magnum quæſtum ex ipſius diuinatione facientibus: Vel Simoni, qui ab Apoſtolis Spiritum Sanctum emere tentauit. Act. 8. verſ. 13. Caueat ergo, ne tàm indignum, & intollerandum ſcelus admittat, Dei dono abutendo ad temporalia acquirenda. A quo ſi liberari velit, pedes habeat ignitos, affectus nempe charitatis igne fulgentes, & ab omni auaritiæ ſcoria purgatos; vt poſſit dicere cum Paulo 2. Cor. 12. *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos*. Et ſic charitatiuè ſe gerendo, victoriam contra dæmones conſequi valeat. Quia, vt benè Auguſtinus *de Doctrina Chriſtiana* dixit: *Sola charitas eſt, quæ vincit omnia, ſine qua nihil valent omnia, & quæ, vbicumque fuerit, trahit ad ſe omnia*.

ARTICVLVS IV.

De Fortitudine.

667 *Fortitudo deſcribitur.* QVarta virtus eſt Fortitudo, quæ iuxta Doctrinam D. Thom. 2. 2. *q. 123. art. 4. eſt firmitas animi in ſuſtinendis, & repellendis his, in quibus, maximè eſt difficile, firmitatem habere propter bonum virtutis*. Hæc ſecundùm Macrobium, præſtat fiduciam, ſecuritatem, magnificentiam, magnanimitatem, conſtantiam, tolerantiam, ac firmitatem.

Vnde duplex eſt fortitudinis actus, ſcilicet Aggredi, & Suſtinere: vt eruditè docet D. Thomas 2. 2. *q.* 128. *art.* 1. *in Reſpon.* Ad actum aggrediendi requiruntur duo, quorum primum pertinet ad animi præparationem, vt ſcilicet aliquis promptum animum habeat ad aggrediendum. Et quantum ad hoc ponit Tullius Fiduciam, de qua ſupra *toto articulo* 2. Secundum pertinet ad operis executionem, ne ſcilicet aliquis deficiat in executione illorum, quæ fiducialiter inchoauit. Et quantum ad hoc ponit Tullius magnificentiam, *quæ eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadã, & ſplendida propoſitione cogitatio, atque adminiſtratio*, ideſt executio; vt ſcilicet amplo propoſito non deſit adminiſtratio. Et hanc probatur poſſidere, qui erga Deum, & proximum magna flagrat charitate; de qua *artic. præced.* *Magnificentia quid ſit.*

Ad actum Fortitudinis, qui eſt ſuſtinere, duo requiruntur, quorum primum eſt, ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per triſtitiã, & decidat à ſua magnitudine, & charitate. Et quantùm ad hoc ponit Patientiam. Vndè dicit, quòd *Patientia eſt honeſtatis, aut vtilitatis cauſa rerum arduarum, aut difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio*. *Patiẽtia quid ſit.*

Aliud autem eſt, vt ex diuturna difficilium paſſione homo non fatigetur vſque ad hoc, quòd deſiſtat, ſecundùm illud ad Hebr. cap. 12. *Non fatigemini animis veſtris deficientes*. Et quantùm ad hoc ponit Perſeuerantiam. Vnde dicit, quòd *Perſeuerantia eſt in ratione benè inſtituta ſtabilis, & perpetua permanſio*. Hę igitur duæ virtutes, ſcilicet Patientia, & Perſeuerantia, ſi coarctentur ad propriam materiam Fortitudinis, erunt ipſius partes integrales. *Perſeuerantia quid ſit.*

§. I.

SVnt autem veluti duæ columnæ, quibus innititur fiducia. Nam *Fiducia in Deum*, ait Drexelius de Conformat. volunt. lib. 5. cap. 3. *diu non ſtabit, niſi eam Patientia firmet, & Perſeuerantia. His columnis duabus Patientia, & Perſeuerantia fulcienda eſt Fiducia. Nimiam triſtitiam reprimit Patientia. Perſeuerantiæ non nimis longum eſt, quicquic tempore clauditur*. 686 *Fiducia patiẽtia, ac perſeuerantia innititur*

At quis non videat, has maximè neceſſarias eſſe Exorciſtæ? Quomodo poterit aduerſus mundi rectores tenebrarum harum bellum mouere, eiuſque tyrannidem reprimere, niſi & ipſe ad ſuſtinendas perſecutiones ſit paratus? *Quæ ſint neceſſaria Exorciſtæ.*

Quas enim animi perturbationes, inuidias, odia, ac furores aduerſus eum commouere non tentabit antiquus ille ſuperbus aduerſarius, dum ſe ab eo contemni, ac paruipendi experitur? Quibus contumelijs, ſubſannationibus, ac conuicijs illum impetere non ſataget? Videas, ſi Exorciſta ſit Eccleſiaſticus ſæcularis, per mulieres malæ famæ rixas, ac tumultus cõmoueri, vt ab alijs Presbyteris odio habeatur, & tanquam pacis, & quietis perturbator ad Epiſcopum denuncietur; atque à muneris huiuſmodi executione ſuſpendatur! Si verò Exorciſta ſit regularis, En verſipellis hoſtis quot laqueos tendit? quot machinamenta ſtruit? Nunc apud plebem eum nimis laudat, & extollit, vt ſanctum, vt virginem, ac Deo valde gratum proclamans, tum vt ipſe ſuperbia elatus ſeipſum magnificat, cæteros deſpiciat, ac virtutem humilitatis amittat, vt diximus *art. præced.* tum vt cæteri fratres videntes illum ſic laudatum, & exaltatum plùs quàm merita eius exigunt, turbentur, eumque inuiſum habeant. Nunc aduerſus eum ſuſcitat mulierculas ſagarum conſanguineas, vel ipſas ſagas, quæ tamen à ſimplicibus etiam Religioſis, vt bonæ, & ſanctæ reputantur: Vel earum fautores excitat, qui omnes, ne opera ſua mala per miniſterium exorciſticum veniant ad lucem, lacrymis onerati ad præfatos Religioſos, vel etiam eorum prælatos accedunt, enixè rogant, vt tot tantiſque rumoribus ab Exorciſtis excitatis prouidere non differant, aliter multa, & maxima ex his euentura mala, & ſcandala prænunciant. Quapropter quandoque aliqui Superiores perterrefacti ad tollendos, & euitandos huiuſmodi rumores prænunciatos, ſæpiùs Exorciſtas præceptis, mortificationibus, è conuentibus mutationibus, comminationibus, & alijs huiuſmodi infeſtationibus vexare non detrectant. *Diaboli perſecutiones grauiſſimæ contra Exorciſtas.*

Quare Exorciſtis *Patientia*, quæ eſt virtus contumeliarum, & omnis aduerſitatis impetus æquanimiter portans, potiſſimùm *eſt neceſſaria, vt voluntatem Dei* in ſuo munere facientes, ex hoc iuxta Apoſtoli monitum Hebr. 10. Verſ. 36. *promiſſionem reportare valeant*. *Patiẽtia facit eas ſuperare*

Hinc vellem, meminerint Exorciſtæ fortitudinis ac conſtantiæ Sancti Lini Papæ, ac Martyris, qui licèt primam Eccleſiæ ſedem occuparet, ſepiſsimè tamen dæmonibus ab hominibus eijciendis operã nauabat, ac ita fortiter, ac conſtanter perſiſtebat, quòd poſtquam Saturnini impij, & Conſularis iniqui filiam à dæmonis vexatione liberauerat, ipſius ingratiſſimi Iudicis iuſſu ob conſtantiam Chriſtianæ fidei capite truncatus eſt.

Quare Epiſcopi, ac Prælati ſi ipſi nolint imitari prædictum Summum Pontificem; quia onus exorcizandi videtur ſibi nimis graue, cum ſumma prudentia ipſi pollere debeant, quoad primos non præ-

præcipitanter moueantur ad eos ſuſpendendos à munere ſuo; ſed priùs omnem adhibeant diligentiam pro veritate facti inquirenda à viris probis, ac fide dignis, qui Exorciſtæ actionibus vt teſtes oculati præſentes extiterunt, deinde faciant quicquid in Domino è re expedire iudicauerint.

Quò verò ad Regulare Parochis adducant illam ſententiam Chriſti, qua reſpondit S. Ioanni. Cum enim S. Ioannes, vt habetur *Lucę 9.* dæmones plures eijceret ab hominibus, videns quendam Exorciſtam eijcientem dæmonia, prohibuit ei, ac deinde illum denunciauit Chriſto dicens: *Pręceptor vidimus quendam in Nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum. Ieſus autem ad illum ait: Nolite prohibere, qui enim non eſt aduerſum vos pro vobis eſt*. Idipſum reſpondeant Epiſcopi Parochis Regulares Exorciſtas denunciantibus, ac calumniantibus dicens: *Nolite prohibere; qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt*.

§. II.

669 AB hac ſeparanda non eſt eius fideliſſima ſoror Perſeuerãtia, *ſine qua*, ait S. Bernardus ep. 129. *nec pugnans victoriam, nec victor palmam conſequitur. Nutrix enim eſt ad meritum, mediatrix ad præmium: Soror eſt patientię, conſtantiæ filia & amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum. Tolle perſeuerantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo*. Sola eſt, cui æternitas redditur, vel potiùs quæ æternitati hominem reddit dicente Domino: Matth. 10.22. *Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*.

Perſeuerãtia facit palmam obtinere.

Quis autem non videat, ſine hac Exorciſtam triumphare non poſſe, cuius vox ſimilis eſſe debet voci aquarum multarum, quæ continuè, & clamoroſè extollitur? Nam etſi nihil aquis infirmius, & labilius; attamen nihil fortius, dum aliqua mole curſus impeditur, aut retardatur. Nam vires colligunt, vt obſtaculum auferant: aut ſi pares non oneri tollendo, frementi clamores, & frequenti ſpuma circumquaque perſtrepunt, & indeſinenter vocem efferunt, quæ longiùs perſonat. Sic enim Exorciſta homo labilis, & infirmus, ſed diuina virtute confortatus, fortis, & conſtans Eccleſiæ miniſter tandiu in officio perſeuerare tenetur, & in acie ſtare, vocemque attollere, quandiu rebellis inimicus ſtare, & obſtare perſeuerauerit. Nec continua laborum perpeſſione, nec vehementi obtrectatorum inſectatione fatigari, ac deterreri, donec ſuperno fauente Numine de infernali dracone, & tartareis aciebus glorioſos egerit triumphos.

Documẽta ad fortiter ſuſtinendũ ac conſtãter perſeuerandũ

Ne autem Exorciſta, vel Parochus in aduerſis animo deficiat, & in huiuſmodi charitatis, ac pietatis officijs exercendis terreatur; ſed fortiter ſuſtineat, & conſtanter perſeueret, præoculis habebit, & attentè obſeruabit ſequentia documenta ex Ieremia Drexel. deſumpta.

Primum documentum.

1. Deo tuã cauſam expone.

CVm tibi malè eſt, quàmprimùm, & eo ſtatim momento ad Deum te verte, & illi expone quicquid dolet. Hic plerique grauiter erramus: cùm nos vrgent aduerſa, complurium aures querelis innumeris opplemus, omnium poſtremus Deus, cuius opem imploramus, ordine prorſus præpoſtero. Longè aliter Rex Dauid: *Leuaui*, inquit, *oculos meos in montes, vnde venit auxilium mihi: auxilium meum à Domino*. Qui hoc non facit principio cuiuſque, mali, ab ira, dolore, iniuria ſic occupatur, vt ſui fiat impos. Quamprimùm ergo commotum te ſentis, dic: *Domine, quid me vis facere?* & reſpondebit tibi diuinæ voluntatis interpres: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum & ſuſtine Dominum*. Malignas cogitationes, quantùm potes, coerce, & hoc aſſiduè cogita: *Domine quid me vis facere?*

Pſ. 120. *Act. c. 9. v. 6.* *Pſ. 26. v. 14.*

Secundum documentum.

2. Os, & linguam contine.

TAce, & ſaltem os, & linguam contine, ſi minus potes animum. A Rege ſapientiſſimo hoc conſilium accipe: *Dixi*, ait, *cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me: Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis*. Ergo tace; Nam ſi inter ærumnas, aut iniurias frænum dimiſeris linguæ, certò ſcias in pręceps te trahendum: vix incipies loqui, & offendes. Ergo tace præſertim de tuis aduerſarijs. Non potes de ijs benè loqui? Saltem ne loquaris malè. Tua te conſcientia ſoletur, & æquiſſimus Iudex Deus, cuius oculos nec aduerſarij tui, nec eorum machinationes vitare poſſunt; tui curam habebit. Deo fide, & ſile.

Pſal. 38. v. 1. 2. 3.

Tertium documentum.

3. Diuinę voluntati te aſtringe.

CVM ad Deum te verteris, & tacere cæperis, tunc teipſum Deo deuotè commenda: ac diuinæ voluntati te totum quàm arctiſſimè adſtringe, & deuoue. Sed & gratias Deo age, quòd dignum te iudicet, qui patiaris innocens: aut ſi nocens, patientia tamen repares innocentiam. In hoc diuinæ volũtatis amplexu homo Deum velut brachijs ſtringat, dicatque quod Iacob cum Angelo luctans dixit: Gen. 32. v. 26. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*.

Quartum documentum.

4. Ad preces te cõpone.

CVM tempeſtas non nihil ceſſauerit, ad preces te compone, Matrem Domini, Sanctoſq; Angelos ad cauſæ tuæ patrocinium inuita, iiſque omne negotium tuum commenda; nec id ſemel, iterumque feciſſe ſatis eſt: compluribus diebus, annis, & luſtris, (ſi res illud exegerit,) idem factita: nec ceſſes, donec pugnum, quem tibi Deus, velut vir robuſtiſſimus compreſſis digitis clauſum oſtendit, fiducia grandi, obſecratione conſtanti explices. Rex Ezechias, cum impias Sennacherib litteras accepiſſet, 4. Reg. c. 19. v. 14. *aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & orauit*. Illud autem pectore, & ore aſſiduè verſabat Ezechias: ibi. c. 18. v. 22. *In Domino Deo noſtro habemus fiduciam*. Expande & tu bone Exorciſta, & quiſquis affligeris, tuas etiam litteras coram Deo, & quidquid querelarum habes, apud hunc æquiſſimum Iudicem, & benigniſſimum patrem depone. Et videbis, quomodo tui protectionem aſſumet. Si verò aliquando, quod petis, non impetras, arcaniſſima Dei iudicia, & certiſſimam ab æterno prouidentiam ſuſpice, eique te totum committe. Feciſti quod in te erat, interim tu ſuſtine, & perſeuera in benè operando, cætera curabit bonus Deus.

Quintum documentum.

5. Vtere conſilio prudẽtis ac probi viri.

VTere conſilio prudentis, ac probi viri. Siracides monens: *Fili*, ait, *ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pænitebis*. Eccl. 32. ver. 24. Summoperè etiam caue, ne tuos affectus, tuumque impetum ſequaris. Perdidiſti manſuetudinem, perdidiſti patientiam omnem, ſi Conſiliarios admittis Affectum, & Impetum: Conſiliarios ſanè peſſimos. Deus hanc telam, quam miraris orſus eſt, & ipſe omnium optimè nouit, qua ratione illa ſit pertexenda. Quòd ſi tu importunè interuenias, illudque ingemines:

Hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Suauiſſimam Dei diſpoſitionem quantum eſt in te, turbabis; & ideò euentus malos nemini, præterquam tibi, aſcribes. Omne nobis malum ex eo eſt; Quod Baruch ingemiſcens: *Non credidimus*, inquit, *diffidentes in eum: & non fuimus ſubiectibiles illi, & non audiuimus vocem Domini Dei noſtri, vt ambularemus in mandatis eius*. Idcircò habe fiduciam in Deo, ſuſtine, & perſeuera in bono; tantò enim eris ab omni hoſte ſecurior, quantò fiducia tua in Deum fuerit robuſtior.

Baruch c. 1. v. 17 & 18.

Sextum documentum.

Si nihil ſuccedat è voto, credas, hæc eſſe tua experimenta. Verſ. 4.

QVòd ſi adhibita omni diligentia nihil ſuccedat è voto; ne indignationem in Deum, nec in vllam rem creatam conuertas; hoc potiùs cogitato, ſcire Deum ad vnguem omnia, quæ paſſus, aut paſſurus es, eumque velle, hæc eſſe conſtantiæ tuæ experimenta. Ea de cauſa quicquid Deo, hoc omne, & tibi quoque placeat. Nam verè, *Beati ſumus*, ait Baruch c. 4. *Iſrael, quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis.*

Nemo dicat: Vt video, fruſtra laboro. Petiui quidpiam à Deo magna in Deum fiducia, magna in diuinam voluntatem reſignatione; ſed nihil impetro. *Quid enim nouit Deus?* ait Iob. c. 22. *& quaſi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.* Impiorum hæc cantilena eſt. Nullo modo fruſtra fit, quicquid benè fit. Num Deus vnam ſolummodo arcam ærariam habet, ita vt qui ex ea nil doni accipit, nil ſperet ex alia? Fatui ingenij ſeruus eſt, qui cum Dominum ſuum habeat debitorem, monetam aliam, quàm ſeſtertios recuſat admittere. Quid ſi Dominus moneta aurea, quid ſi frumento ſelectiſſimo nomen velit expedire, num ſeruus obſtinatè clamet: Seſtertios volo, ſeſtertios? Ita qui non impetrat à Deo, quod rogat, certiſſimus ſciat, non fruſtra ſe rogaſſe, ſed impetraturum certò alia, & meliora.

V. 13. 14.

ARTICVLVS V.

De Prudentia in erroribus vitandis.

670 QVinta virtus, qua fulgere debet Exorciſta, eſt Prudentia, quæ ab Ariſtotele definitur 6. Æth. *Quòd ſit recta ratio agibilium*. *Cuius*, vt docet Plato in lib. Diffinitionum, *eſt conſilium capere, & bona, malaque diſcernere, & petenda, fugiendaue in vita diiudicare, & bonis iis, quæ quidem conceſſa nobis natura ſunt, præclarè vti, & rectè cum hominibus congredi, & opportunitatem rerum cernere, & rationem, orationemue ſagaciter adhibere, & eorum, quæ nobis poſſunt eſſe vſui, omnium experimentum, ſcientiamque tenere.*

Prudentia deſcribitur. Effectus Prudentiæ.

Hæc autem Exorciſtæ, ac Parocho maximoperè eſt neceſſaria, vt ſciat errorum ſcopulos euitare, per ſemitas rectas ambulare; bona, & mala diſcernere; diaboli inſidias fugere; ipſius technas, & machinamenta deſtruere, & in nihilum redigere; miſeros obſeſſos ab ipſius tyrannide eripere; ac de eius iniqua poteſtate glorioſos triumphos reportare.

Maximè Exorciſtæ ac Parocho neceſſaria ad errores vitandos. Ad ſemitas rectas eligendas.

Quod typice figuratur in ſimili filio hominis caput, & capillos albos ad modum niuis, & lanæ gerente. Nam quid caput, & capilli albi referunt, quàm vtramque ſenectutem, annorum, & morum, in qua maximè vigere ſolet prudentia? Qua ſenectute, ſi non prima, ſaltem ſecunda ornatus eſſe debet Exorciſta, ac Parochus, vt cum ſapientia, ac prudentia, non humanitus parta, ſed acquiſita diuinitùs ſuo fungatur officio; valeatque circa adiurationem errores euitare, de quibus in hoc articulo ſequentes formantur quæſtiones, ac ſemitas rectas in hoc munere ſequi, de quibus alter articulus infra inſtituetur.

Errores vitandos.

QVÆSTIO I.

An licitum ſit, aliquem exorcizare, nullo habito ſigno euidenti, vel probabili ipſius obſeſſionis.

ANte huiuſce quæſtionis ſolutionem præmittenda eſt duplex diſtinctio. Prima eſt: Signorum maleficij, ſeu obſeſſionis aliud eſt euidens, aliud probabile. Euidens eſt, quod ſumitur ab effectu, qui prouenire non poteſt à cauſa naturali; ſed neceſſe eſt, proueniat à cauſa ſuperiori, puta à dæmone. Signum verò probabile eſt, quod ſumitur ab effectu, qui ſæpiùs, vel vt plurimùm procedit à cauſa tranſnaturali, ſcilicet à dæmone; aliquando tamen prouenire poteſt à cauſa naturali. 671

Signum euidens quale. Signum probabile quale.

Secunda diſtinctio eſt: Exorcizare, ſeu adiurare dæmonem poteſt intelligi dupliciter: Vel per præceptum expulſiuum, quo Exorciſta abſolutè dæmoni præcipit, vt exeat ex corpore obſeſſi: Vel per præceptum probatiuum, aut lenitiuum, quod fit dæmoni, vel ad probandum, an ſit in tali corpore: vel ad impediendum, ne noceat obſeſſo.

Quot modis Exorciſta poſſit exorcizare dæmonẽ.

His poſitis, dico primò, quòd illicitum eſt, aliquem exorcizare præcepto dæmoni facto expulſiuo, niſi prius habito aliquo ſigno euidenti præſentiæ dæmonis in tali corpore. Ratio eſt: quia Exorciſta ſe exponit periculo artem exorciſticam infamandi, ſi talis infirmitas ſit à cauſa naturali, dum aſtantes vident illum oleum, & operam perdere: nec ægrotum optatam conſequi ſanitatem. Numquam ergo Exorciſta ad præcepta deueniat expulſiua, niſi prius habeat ſignum aliquod euidens dæmoniacæ præſentiæ in corpore ægroti, & ipſe obſeſſus perfectam ad liberationem habeat diſpoſitionem.

Quando dæmonẽ adiurare debeat.

Dico ſecundò, inconueniens eſſe, deuenire ad præcepta probatiua, aut lenitiua, vel etiam inſtructiua, de quibus infra *num. 938. & ſequentibus*, niſi priùs Exorciſta dæmoniacæ præſentiæ habeat aliquod ſignum probabile ſaltem leue. Ratio eſt, quia fit iniuria miniſterio exorciſtico, dum nulla habita inueſtigatione, an aliquis naturali, vel diabolica vexa-

vexatione ſit affectus, vtitur Exorciſta, præceptis eccleſiaſticis: cum materia, circa quam ſunt dirigenda præcepta ab Exorciſta facta, ſit omninò incerta. Si tamen adſit aliquod ſignum probabile, poteſt Exorciſta formare præceptum conditionatum contra dęmonem, per quod certitudinaliter in cognitionem deueniet veræ, & realis præſentiæ diabolicæ: vt docetur infra *num. 917.*

QVÆSTIO II.

An vtile ſit, interrogare dæmonem, quo nomine vocetur.

672 QVamuis ferè omnes Doctores, qui de hac re tractant, aſſeuerent, vtile eſſe, dæmonem de nomine interrogare, vt ex nomine ſciat Exorciſta, ad quem ſuum dirigat ſermonem; nihilominus dicimus, hanc interrogationem eſſe ſuperfluam, & periculoſam.

Interrogare dæmonem de nomine, ſuperfluũ eſt. Nomina vt ſunt impoſita ad diſtinctionem perſonarum non ſunt in Angelis, nec dæmonibus. Nomina eis ſunt impoſita ratione Ordinũ, & Officiorum.

Superflua eſt: quia, vt docet Toſtatus *quæſt. 62. in cap. 12. Matthæi*, dæmones propriè non habent nomina. Ratio ipſius eſt: quia nomina imponuntur ad notificationem: In dæmonibus autem, & Angelis non eſt talis notificatio; nam cognoſcunt ſe in alterutrum perfectè per differentias, & rationes ſuas ſiue ſpecificas, ſiue indiuiduas; & ideò ad ſe notificandos nullis egent nominibus. Nihilominus aliqua nomina eis ſunt impoſita vel ratione ordinis, vt pro nouem ordinibus bonorum Angelorum nouem nomina: nam vocantur Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubin, & Seraphin: Sic dæmones aliqui vocantur à D. Paulo Eph. 6. principes, ac poteſtates. Vel ratione officiorum, ſeu operationum: vt Michael, Gabriel, Raphael, Sic enim vocantur, *vt ſignetur*, ait Gregorius homil. 34. in Euang. ante med. *per vocabula etiam in operatione, quid valeant*. Sic dicitur Michael, *quis vt Deus: quia pro Deo præliatus eſt cum Dracone*: Gabriel *Fortitudo Dei: quia veniebat nunciare illũ, qui ad debellandas aereas poteſtates humilis apparere dignatus eſt*. Raphael *medicina Dei: quia videlicet, dum Tobiæ oculos quaſi per officium curationis tetigit, cæcitatis eius tenebras terſit*. Sic dæmones varijs nominibus vocantur, prout varia ſunt vitia, de quibus nos tentant, vt docet Magiſter Sentẽ. *in 2. diſt. 6.* Vnde Lucifer, qui inter ſpiritus infernales primarium locum tenet, ſuperbiæ, quaſi omnium peccatorum capiti præeſſe dicitur: Mammon auaritię; Aſmodæus luxuriæ; Sathan iræ; Beelzebub gulæ; Leuiathan inuidiæ: Beelfegor accidiæ, & ſic de cæteris.

Propterea ſatiùs eſt dicendum, ſuperfluam eſſe huiuſmodi interrogationem: quia Exorciſta, vt cognoſcat dæmonem adeſſe in obſeſſo, non per illius nominis notitiam ſibi eſt deueniendum in cognitionem præſentiæ dæmoniacæ in corpore ipſius patientis; ſed per operationes varias, quæ non à cauſa naturali, neque diuina, ſeu ſupernaturali; ſed à tranſnaturali, ſeu diabolica prouenire dignoſcuntur. Ideoque ſat eſſe debet Exorciſtæ, cognoſcere, in patiente eſſe dæmonem, eiuſque officium, & operationem eſſe, illum tentare quoad animam, & acriter diuexare quoad corpus. Nam cognitis ab Exorciſta operationibus, quas dæmon in corpore obſeſſi exercere ſolet, poſthabita nominis interrogatione, facillimè opportuna pro dæmonis expulſione remedia miſero obſeſſo adhiberi poſſunt.

§. I.

AT dicent fortaſſe aliqui Exorciſtæ: Ex nomine agnoſci, ad quem nominatim dirigenda ſint præcepta facienda ab Exorciſta. 673

Obiectio cõmunis Refellitur.

Sed valde friuola eſt huiuſmodi ratio; Nam ſufficit vocare dæmonem poſſidentem nomine communi cum differentia aliqua ſingulari deſumpta ab eius operatione, nempe dirigere præcepta ad dæmonem exiſtentem in tali corpore, & in eo has, vel illas cauſantem vexationes, ſiue vnus ſit, ſiue plures. Vnde ſicut etiam cum homines alloquimur non ſemper eos vocamus proprio nomine, cum ſępè illud ignoremus; ſed nomine communi cum aliqua differentia ſingulari, vt dicendo: *Tu ò homo, qui rides, veni hùc: Tu qui loqueris, ſilentium impone ori tuo: Tu qui ſaltas, quieſce: Vos omnes, qui eſtis in hac domo, ſtatim egredimini ex ea*: Ita cum dæmonibus idem eſt obſeruandum.

Quare ſatius erit, quòd Exorciſta nil prorſus curet de nomine; ſed præcepta dirigat ad dęmonem, vel dæmones exiſtentes in corpore obſeſſi, vt exeant nec amplius nocere præſumant. Nam velle interrogare de nomine, nil aliud præſtat, quàm differre liberationem, magìs, magiſque obſeſſum miſerum torquere: quia, cum hoc non ſit neceſſarium ad liberationem, dæmon non niſi difficulter reſpondebit: nec Deus tenetur virtute ſua diuina illum compellere ad ſuum explicandum nomen; etſi aliquando concurrat ob reuerentiam Sanctiſſimi ſui Nominis, quod ab Exorciſta in ſuis præceptis interponitur.

Interrogatio de nomine Obſeſſo nocet.

§. II.

PEriculoſa inſuper eſt huiuſmodi interrogatio. 674
Nam cum dæmon ſit pater mendacij, nec ad aliud collimet, quàm homines decipere, & maximè Exorciſtas, nonne poteſt aliquod ridiculum, aut obſcenum Exorciſtæ manifeſtare nomen, vt ſępiùs experientia comprobatum eſt; vel hebraicum, aut græcum, vel alterius idiomatis incogniti, quod in noſtro idiomate ſonet aliquod ridiculum, aut turpe, immundum, ac prorſus deteſtabile; vt ſic illud appoſitum exorciſmis, ac ſacris verbis admixtum, dæmonibus ſit occaſio Exorciſtam irridendi, ſubſannandi, ac paruipendendi?

Interrogatio de nomine periculoſa eſt ipſi Exorciſtæ.

An fortaſſe Exorciſta aduertere poterit, & cognoſcere dolum, cum illius idiomatis ſit ignarus?

Hæc veritas exemplis comprobatur. *In primis anno Domini 1660. Mediolani, cum vocatus fuiſſem, vt cuiuſdam Viri Illuſtriſſimi vxorem à dæmone obſeſſam exorcizarem, ipſa mihi enarrauit, quòd poſtquam alius Exorciſta eã diù exorcizauerat, poſt multas coniurationes dæmoni factas, vt diceret nomen ſuum, tandem dęmon reſpondit:* Ego nondum fui baptizatus, idcircò adhuc non eſt impoſitum mihi nomen: cum fuero baptizatus, dicam tibi nomen meum. *Videas quomodo per huiuſmodi interrogationem Exorciſtæ à dæmone ſubſannentur.*

Exẽplis comprobatur.

Aliud euenit in territorio Bergomenſi anno Domini 1665. Quidam Exorciſta ſatis ignarus, præcepit dęmoni quandam Adoleſcentulam poſſidenti, vt diceret nomen ſuum, dæmon autem poſt iterata præcepta ſibi facta tandem dixit: Nomen meum eſt N. N. Parochus huius Parochiæ. *Exorciſta verò iterum quærens: an ibi eſſent alij dæmones: reſpondit, quòd ibi erat etiam*

Mater ſua proferens nomen Matris dicti Parochi. Quibus auditis ab Exorciſta ignaro, ipſe commiſit illud inconueniens ſupra relatum diſp. 1. huius tomi num. 185. *ex quo alia ſecuta ſunt inconuenientia.* Hi ſunt fructus prædictæ interrogationis.

Ad quid interrogatio Chriſti ſit ordinata.

Nec obſtat illud Marci cap. 5. de Chriſto interrogante dæmonem dicendo: *Quod eſt tibi nomen?* Nam ſi reſponſum dæmonis dicentis: *Eſt mihi nomen legio*, conſideremus, fauente Deo, intelligemus, hoc factum eſſe ad noſtram inſtructionem. Nam ait Apoſtolus Rom. 15. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Ob id Chriſtus dæmonem interrogauit, non vt ignarus, ſed primò, ait Gloſſa ſuper prædicta verba: *vt ipſe confiteretur ſuā peſtem.* Secundò, vt nos edoceremur, quòd ſicut Chriſto mentitus eſt, (ipſo permittente) nobis attendendum, quòd & nos ſua malitia decipiet. Nam huiuſmodi reſponſio de nomine, cum dixit: *Eſt mihi nomen legio*, neque fuit ſecundùm nomen ſuæ naturæ; cum ſub nomine naturæ omnes vocentur ſpiritus; neque ſecundùm nomen officij, quo diuerſimodè nominantur, vt ſupra diximus; idcircò veritati non reſpondit; cum legio ſit multitudo ſpirituum, quæ in ſe non habet nomen, ſed multitudinem. Officium enim eſt, quod quemque pro conditione ſuæ perſonæ facere decet, obſeruata locorum, temporum, & perſonarum ratione.

QVÆSTIO III.

An conueniens ſit, interrogare dæmones: An ſint multi, vel pauci: vnus, vel plures in eodem corpore.

675 Reſpondetur, hanc interrogationem eſſe fallacem, ac diuinæ omnipotentiæ iniurioſam. Videas eius fallaciam. Quomodo poterit ſcire Exorciſta in vno corpore eſſe vnū dęmonē, vel plures? An ex locutione? Nonne idē dæmon poteſt ſucceſſiuè formare plures voces, atque diuerſas, modò hanc, modò illam: nunc ſibi vnum, nunc ſibi aliud imponendo nomen? Et qui vnus eſt, nonne poteſt fingere ſe eſſe plures, vt ſic diutiùs in hiſce vanis, & ridiculis quæſtionibus detineatur Exorciſta, donec fatigatus, ac defeſſus deſiſtat ab opere incæpto? Vnde cognoſcet Exorciſta, quòd vnus dæmon det locum alteri, & eo recedente alius vocari poſſit, à quo per præcepta veritatem extorqueat, vt docent tam antiqui, quàm moderni Auctores? An fortaſſe Exorciſta per præcepta poterit dęmones inuiſibiles viſibiles reddere, & intueri, & agnoſcere, quiſnam eorum ſit maior, aut minor? quis ſuperior, aut inferior? quis magis, vel minus obediens? Si dęmones eſſent oues, aut capræ, poſſet vtique modò ab vno, modò ab altera lanam tondere, vel lac mulgere, & iſtas ſegregare ab illis. At cum dęmones ſint ſpiritus immateriales, & inuiſibiles, in his, oportet, Exorciſta patris mendacij dictis totum ſe committat: quo quid abſurdius?

Interrogatio de numero dæmonū in corpore obſeſſi eſt fallax

§. I.

676 Præterea huiuſmodi interrogatio, ac praxis maximè diuinæ eſt iniurioſa omnipotentiæ. Nam qua virtute, aut poteſtate prætendit Exorciſta, dæmonem è corpore obſeſſi expulſare? An propria virtute, quæ finita eſt, ac limitata: vel virtute diuina, quæ infinita eſt, & illimitata? Si putat eum expellere virtute propria, puta verbis opprobrioſis, ſecernat dæmones (ſi poteſt) vnum ab alio, & nunc iſtum, nunc illum reprehendat, & tandem licèt fuerit vltimus, & infimus omnium dęmonum, ad illius congreſſum ſuccumbet; cum non ſit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei: ac perfectè nouerit verſipellis dæmon modos, quibus valeat cum detrimēto Exorciſtæ ipſius retundere obiurgationes. Si verò intendit, dæmones virtute diuina propulſare, nonne iniuria Deum afficit, dum neceſſarium putat, ſegregatim dęmones eſſe aggrediendos, quaſi virtus diuina, qua miniſter Eccleſiæ operatur, non ſit ſufficiens ad omnes infernales dęmones vnico actu expellendos? Cum enim virtus omnium dæmonum, qui ſunt in aere, ſuper faciem terræ, & ſubter terram, ſit finita, & limitata, & virtus Dei, qua expellendi ſunt, infinita, & illimitata, tàm facilè Exorciſta in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu expellet à corpore obſeſſo centum millia dęmoniorum, ac vnū tantùm, ſi perfecta ſit diſpoſitio tàm ex parte Energumeni, quàm Exorciſtæ. Vnde Exorciſta pro certo tenere debet, quòd in curando vexatum nulla eſt differentia ex parte Dei, ac poteſtatis ab Eccleſia traditæ, ſi dęmones expellendi plures ſint, vel vnus tantùm: nec ſi vexatio ſit recens, aut diuturna. Vnde non ſunt attendendi illi Auctores, qui dicunt, quoſdam eſſe dæmones alijs ad expellendum duriores: quia ſunt ad ſuſtinenda opprobria, ac verba diuina contemnenda fortiores: Nam regulariter non expelluntur dæmones per opprobria, aut verba ſimplicia, vt verba ſunt: ſed per virtutem diuinam operantem ad præcepta facta ab Exorciſta in Nomine Ieſu, dæmonem expellente. Quod autem dęmonum alij alijs videantur fortiores in reſiſtendo præceptis Exorciſtæ, & obſeſſorum alij alijs difficiliùs liberentur, non prouenit ex defectu diuinæ virtutis, ac potentiæ, vel Eccleſiaſticæ poteſtatis; ſed ex defectu vel miniſtri; vt latè demonſtratum eſt ſupra *num. 504. & ſequentibus*, vel obſeſſi, vt infra fusè declaratur *n. 972. & ſequentibus*, vel quia talis liberatio non fuiſſet obſeſſio ſalutaris.

Diuinæ omnipotētia eſt iniurioſa. Ratio dictat.

QVÆSTIO IV.

An licitum ſit inquirere à dæmones cauſam ingreſſus.

Qvamuis licitum eſſe aſſeuerent Leonardus, Leſſius, Syluester, Thyræus, Delrius, & Sanchez, dicentes: conferre, eam noſſe, vt ea remota (ſi tolli poſſit) minor ſit dæmonis in hominem poteſtas: & (ſi ſit aliquod peccatum) vt aſtantes à ſimilibus caueant; & eo expiato, faciliùs ſanetur energumenus. Nihilominus fatemur, ſatiùs hanc interrogationem ſilentio eſſe prætereundam, quàm ad praxim reducendam. Nam dæmon ex hac facillimè locum poteſt ſumere, aliquem, vel aliquos, qui erunt ſatis illæſæ famæ, ac bonæ conditionis, infamandi, eiſque honorem detrahendi: Immò ipſummet Exorciſtam non difficulter in naſſam trahendi, dicendo (vt plurimùm conſueuit) ſe ingreſſum fuiſſe in tale corpus, quia ſic iuſſus eſt à tali Malefico, vel tali Saga, quæ poſuit ſigna maleficij, ſed abſcondit ea; ideò non poſſe egredi à tali corpore, niſi priùs obſeſſi ad Sagam, vel ad Maleficum confugiat, & ro- 677

Interrogatio de cauſa ingreſſus omittenda eſt, ad mala, quę ſequuntur euitāda. Ratio dictat.

& rogent, vt ipſe huiuſmodi tollat ſigna, quibus manet ligatus: ſicque maleficio affectos, vel obſeſſos in eam impellat neceſſitatem, vt quos certò nouerint, Deo, vniuerſoque hominum generi infenſos, atque inimicos, ipſiſque (etiam priuatim afflicta valetudine) iniurios; eos tamen ſuppliciter adire, obteſtari, atque etiam munerari non dubitent. Quod benè aduertit Nicolaus Remigius *lib. 3. dæmonol. cap. 2.* dicens: *Hoc eò redit, vt prædonibus, ſuiſque inimicis, ac tortoribus gratiam habeant maleficiati, quòd ſpoliauerint, non etiam trucidauerint: vt Malefici ferociores, atque ad nocendum deinceps confidentiores reddantur, quòd pro ſupplicio præmium reportare ſe videant. Vt tandem corporis breuis, incertaque valetudo animæ ſempiterno, atque indubitato luatur interitu.* Noli ergo, mi bone Exorciſta, noli tam facilè à dæmone inquirere cauſam ingreſſus, niſi velis ab eo in naſſam trahi: Rarò enim dæmon verum fatetur, niſi cognouerit ſub ſpecie veritatis aliquid ad hominum perditionem plantare poſſe: vt docet S. Cyprianus *tract. 4. de Idolorum vanitate*, dicens: *Dæmones falſa veris ſemper inuoluunt.*

Si autem Exorciſta fortaſſe dubitat, dæmonem ingreſſum fuiſſe ob aliquod peccatum, vt dicunt prædicti Auctores, recurrat ad noſtras inſtructiones infra poſitas *par. 3.* & inueniet inter alias, quòd Exorciſta ſemper omnes maleficiatos, & obſeſſos (ſi rationis vſu ſint participes) hortari debet, ad deteſtandum ex corde omnia ſua peccata; proximas peccati occaſiones relinquendas; integrè, ac fideliter cuncta ſua facinora confitenda; impoſterum vitam in melius commutandam; Deoque piè, humiliter, & ex totis præcordijs inſeruiendum: hoc modo abſque periculo cauſam ingreſſus remouebit, (ſi fortaſſe ſit peccatum) & cauſa remota, remouebitur effectus.

Excepto aliquo caſu. Veruntamen, quia poteſt dari aliquis caſus, in quo expediens ſit dæmonem interrogare de cauſa ingreſſus (vt egomet feci in illo relato ſupra *n. 545.* & quibuſdam alijs) tunc dæmonem non interroget, niſi paucis ipſius obſeſſi conſanguineis, vel parentibus præſentibus: nec verbis dæmonis credat, niſi veritati rei ſint conformia.

QVÆSTIO V.

An licitum ſit, quærere à dæmone: Per quam perſonam, & per quem Sanctum ſit ab obſeſſo expellendus.

678 *Illicitũ eſt, interrogare dæmonem de perſona, vel Sancto, à quo eſt expellẽdus.* NOtum eſt omnibus exorciſticæ arti addictis, huiuſmodi interrogationem, ſicut & alias præcedentes, & ſubſequentes contineri in Exorciſmarijs antiquorum, eaſque Exorciſtis in ſuis adiurationibus adhibenda incuſcari nulla ratione ſuffultas. Nos tamen indubitanter aſſerimus, illicitam eſſe, ac perniciosam huiuſmodi interrogationem. Quis enim ſanæ mentis illam approbet? Proh dolor! Quot dæmon hoc medio perdidit Exorciſtas? Nonne hoc eſt aſſumere ſibi dæmonem in Magiſtrum, & Exorciſtam fieri diaboli diſcipulum? An fortaſſe Chriſtus modum non tradidit in Euangelio, quo dæmones ſunt expellendi, vt neceſſe ſit, à dæmone quærere de tali modo? Nonne per has interrogationes, o bone Exorciſta, fateris te ignorare auctoritatem, ac poteſtatem, quam à Chriſto, & ab Eccleſia accepiſti ad dæmones expellendos, dum quæris à dæmone, per quam perſonam, & per quem Sanctum ſit expellendus? *Ratio dictat.* Quid, ſi reſponderit dæmon, non poſſe expelli niſi per talem mulierem, quam vulnus vocat Sagam; ſed ipſe bonam, & ſanctam prædicauerit? An erit adimplendum huiuſmodi conſilium, & monimentum diabolicum? Quid ergo ſtultius, quàm Exorciſtam velle edoceri ab inimico, quibus armis ipſe vti debeat ad illum confodiendum? Quærere à vulpe, quibus laqueis capi valeat? Quid gratius dæmoni, quàm Exorciſtam eius diſcretioni, ac magiſterio ſe totum committere, ſeque coram eo imperitum fateri, ac præcipuè ſuæ poteſtatis exorciſticæ ignarum, apertè demonſtrare? quia ſic facillimè in naſſam ab illo trahi poteſt.

§. I.

IVxta huiuſmodi indubitatam veritatem inter alia vnicum exemplum animi gratia referam eorum, 679 *Comprobatur veritas. Exemplo relato ab Auctore.* qui hoc noſtro æuo his interrogationibus à dæmone decepti ſunt.

Quidam Prælatus ſpectate fidei mihi enarrauit quòd in adoleſcentia ſua in quadam Lombardiæ Ciuitate (vtriuſque nomina reticeo, quia ſic expedit) pluries adfuit, dum quidam Exorciſta quandam adoleſcentulam à dæmone obſeſſam exorcizabat: vbi cum pluries dæmonem interrogaſſet: per quam perſoam, & per quem Sanctum eſſet expellendus, & quo magis cruciaretur; *poſt repetitas coniurationes, poſt peremptoria facta, & multa addita tormenta (vt ipſe putabat Exorciſta) tandem obſtinatus dæmon, licèt coactè (vt fingebat) faſſus eſt veritatem more ſuo; dixitque magno cum eiulatu: Neminem magis, ac magis ſibi aduerſari, quàm quendam Clericum adoleſcentem, qui vt plurimùm comitabatur Exorciſtam; nec per aliam perſonam, aut Sanctum eſſe expellendum, quàm per illum ob eius puritatem, ac ſimplicitatem. Qua de re admonitus Exorciſta, impoſterum quoties obſeſſam exorcizabat, toties ſecum Clericum ducebat, cui præcipiebat, vt ipſe dæmoni præcepta faceret: Vel (ſi quandoq; non aderat) dæmoni minabatur, ſe Clericum illum aduocaturum, niſi à vexatione ceſſaret; ex qua comminatione dæmon magnos emittebat clamores, oſtendens ſe ab illo Clerico nimis affligi; cui illicò exactiſſimam præſtabat obedientiam. Quare Energumenæ parentes Clericum rogarunt, & obſecrarunt vt quotidie adoleſcentulam inuiſeret: cum dæmon alteri, quàm illi obtemperare nollet; Qui ſatis diligentem, & aſſiduum in tali charitatis officio adimplendo ſeſe exhibens, quotidie obſeſſam viſitabat, ſoliuſque cum ſola in cubiculo morabatur. (Quis vnquam aliquid mali ſuſpicatus eſſet?) Nihilominus quotidie poſtquàm per præcepta dæmonem ſibi obedientiſſimum compreſſerat, & in digito pedis relegauerat, ab eodem ſpiritu tàm Clerici, quàm puellæ venereis partibus ad luxuriam excitatis, modeſtiæ, ac continentiæ laxatis habenis, corpus etiam Obſeſſæ comprimebat, & cum ea carnaliter commiſcebatur. Quod peccatum per menſes aliquot quotidiè perpetrauit, quamuis publicè coram Exorciſta, & Ebergumenæ parentibus, & conſanguineis, aliſ-*

que

que circunſtantibus dæmon clamaret, ſe nimis ab illo Clerico cruciari, atque torqueri; illumque vt purum, vt caſtum, vt ſimplicem, & ſanctum proclamaret. Qui Clericus quibuſdam ſuis condiſcipulis ſecretò prædicta enarrans, eos inuitauit, & obſecrauit, vt & ipſi carnaliter Energumenam cognoſcerent; nec timerent; quia ipſe dæmonem in paruulo digito pedis relegaſſet; ita vt ab eo in carnali concubitu impediti non fuiſſent, nec vllum ab illo damnum, ac nocumentum recepiſſent. Qui recuſantes tale perpetrare facinus, rem Energumenæ parentibus patefecerunt. Clericuſque ille pęnas ſuo ſceleri debitas perſoluere fuit coactus.

Quæras modò, ò bone Exorciſta, à dæmone: *per quam perſonam, & per quem Sanctum ſit expellendus, & à quo magis crucietur*, quòd benè modum, & viam te edocebit, quibus faciliùs, ac citiùs in naſſam cadas, & ad interitum traharis.

QVÆSTIO VI.

An licitum ſit, quærere à dęmone, vt dicat: quinam ſint ſui inimici in Cælo, & qui in Inferno.

680 HÆc quæſtio duas partes continet: Prima eſt, an licitum ſit, interrogare dæmonem, *quinam ſint ſui inimici in cælo*; Altera, *quinam in Inferno*.

Interrogatio de Sanctis, qui ſunt inimici dęmonis Sanctis, ipſis eſt iniurioſa

Si primam inteerogationem apertis intellectus oculis conſiderare volumus, ſtatim agnoſcimus, per hanc interrogationem maximam Sanctis ipſis inferri iniuriam. Si enim quæras à dæmone, *quem Sanctum inimicum habeat in Cælo*: ſi dæmon reſponderit: *S. Petrum*: quid de cæteris Sanctis erit iudicandum? an fortaſſe, quòd ipſi ſint dæmonis amici? nam lex docet, quod *Incluſio vnius eſt excluſio alterius. L. cum prætor. ff. de iudic. L. Cùm maritus ff. de procuratoribus. L. quamuis ff. de pignoribus. L. ait prætor. §. Sed quod Papinian. ff. de minorib. cap. nonne de præſumpt.* Si ergo dæmon nominat tantùm, vt inimicum ſuum talem Sanctum, videtur à ſua inimicitia excludere alios Sanctos?

Verùm quia aliquis poſſet obijcere, quòd illa interrogatio intelligitur comparatiuè, ideſt *quinam Sanctus ſit magis ſuus inimicus*, ſeu, *quem Sanctum maiori odio proſequatur*, vt videtur illam regulam iuris interpretari Auguſtinus Barboſa *de Axiomatis Iuris vſu frequent. Axiom.* 120. *num.* 13. & 14. aliam adducam rationem.

Ratio dictat.

Supponamus, maximum omnium diaboli inimicum eſſe Sanctum Vbaldum Epiſcopum Eugubinū, vel Sanctum Antonium Abbatem, qui de tot dæmonibus triumpharunt. Quid ſi dæmon poſt longas, ac repetitas coniurationes, in quibus, oportet, miſer & infelix Energumenus multas ſuſtineat torſiones, dixerit eſſe Sanctum Ioannem Baptiſtam, vel S. Paulum Apoſtolum, vel S. Dominicum, aut S. Franciſcum, vel alium ex primoribus Paradiſi Anteſignanis? Si credis, quod ait dæmon, credis falſum, quia (ex ſuppoſitione) inimicus eius eſt S. Vbaldus; vel S. Antonius Abbas. Si non credis, quod ſit aliquis illorum dæmonis inimicus, iniuria afficis dictos Sanctos, quaſi ipſi non ſint diaboli inimici, ſed amici: vel quaſi ipſi non ſint ſufficientes ſuis meritis à Deo impetrare Obſeſſo à dæmoniaca vexatione liberari. Ceſſet igitur Exorciſta ab huiuſmodi interrogatione: Non ceſſet tamen ſeipſum, & obſeſſos commendare Sanctorum interceſſioni, & maximè Beatiſſimæ Deiparę, Angelorum, & aliorum Sanctorum; non quos nominauerit diabolus vt inimicos; ſed ad quos propria magis inclinauerit deuotio; & qui ſua humilitate, ac fiducia in Deum dæmonibus terribiliores extiterunt, nullum vmquam excludendo; ſed omnes ſaltem implicitè, ac generaliter in cunctis ſuis neceſſitatibus implorando.

Secunda interrogatio refellitur infra *quæſt.* 13.

QVÆSTIO VII.

An ſit licitum quærere à dęmone: quibus verbis magis crucietur.

681 REſpondeo breuiter, hoc eſſe illicitum: Primò, quia Exorciſta ſeipſum prodit ignorantem. Si enim Chriſtus tradidit verba in Euangelio, quibus dæmones ſunt expellendi, nempè præcipere dæmoni in nomine Ieſu, (vt ſæpiùs diximus, & ſuo loco docetur infra *par.* 3.) cur quærit à dæmone, vt de hoc certior fiat? Nonne hac interrogatione ſe diſcipulum conſtituit diaboli? Secundò, cum dæmon plenus ſit omni dolo, & aſtutia, oſtendet ſe grauiſſimè torqueri, dum Exorciſta aliqua ſacra proferet verba, quæ directè non ſunt ordinata ad dæmones fugandos, cùm verò proferet verba ordinata à Chriſto ad dæmones pellendos, nulla oſtendet affici vexatione, vt ſic relictis ab Exorciſtis verbis à Chriſto inſtitutis, præceptis nempè in nomine ipſius formatis, ipſe diù tale poſſideat corpus.

Interrogatio de verbis, quibus dęmon magis crucietur, Exorciſtam ignarum manifeſtat. Ratio dictat. Probatur exemplo relato ab Auctore.

Sic quidam Exorciſta anno Domini 1648. *Venetijs mihi enarrauit ſe, dum exorcizaret quandam mulierem, quadraginta annis, & ampliùs à dæmone obſeſſam pluries obſeruaſſe, quòd dæmon magis cruciabatur, dum ipſe recitabat illam antiphonam:* O Clauis Dauid &c. *quæ legitur ad Veſperas vna ex ferijs ante Natiu. Dñi. Ita vt relictis præceptis factis in nomine Ieſu, legebat illam; non tamen dæmonē expellebat. Idem Exorciſta eodem anno iterum ad me confugit dicens, ſe pluribus menſibus eundem interrogaſſe dæmonem, eique præcepiſſe, vt diceret: per quæ verba, ſeù per quem Exorciſmum eſſet expellendus. Tandem dæmon nil aliud voluit reſpondere, niſi I. videlicet quòd Exorciſmus, quo deberet expelli incipiebat à littera I Tunc Exorciſta reuoluit totum Flagellum Dæmonum, ac cætera exorciſmaria, & cum nullum inueniſſet in eis exorciſmum à tali litera incipientem, niſi vbi erat In Nomine Patris, &c. ad me acceſſit in Conuentu S. Bonauenturæ rogans, vt indicarem, ſi vnquam legiſſem aliquem exorciſmum, qui inciperet à litera I quia ſic dixerat Dæmon ſe à tali Exorciſmo expellendum. Cui dixi, quòd benè noueram; nam ille exorciſmus alius non erat, quàm Ieſus, in cuius Nominis virtute dæmones expelluntur.*

Ex his videas, quomodo Exorciſta per huiuſmodi interrogationes ſe manifeſtum diaboli diſcipulum conſtituit, & quoties ad eum exorcizandum accedit, ad Scholam diaboli confugit, à quo Magiſtro recipit inſtructionem de modo, quo debet eum expellere. Quo quid abſurdius? Nimis eſſet lon-

gum

gum, tædioſum, ac ridiculum, recenſere varias orationum lectiones, ac repetitiones, in quibus plures boni, ac ſimplices Exorciſtæ à dæmone admoniti inſudarunt, vt illum ab obſeſſis corporibus expellerent: ſed incaſſum, ſurdo verba facientes, ac dæmone illos irridente, & ſubſanante.

QVÆSTIO VIII.

An licitum ſit quærere à dęmone: qua die, & hora ſit egreſſurus.

682 LIcèt communiter hæc interrogatio facienda inſinuetur ab Auctoribus, qui de arte exorcizandi pertractant: veruntamen mihi videtur Diuinę Maieſtati, & eccleſiaſticæ poteſtati iniurioſa. Optarem, non mediocriter ſapientes, ac prudentes profundiùs oculis intellectualibus attenderent, ac conſiderarent errores, qui ex tali interrogatione oriuntur. Dic mihi, quæſo, ò bone Exorciſta, Poteſtas, quam ab Eccleſia accepiſti in ordine Exorciſtatus ad dæmones adiurandos, & è corporibus obſeſſis expellendos, à quo dependet? A voluntate diuina, vel à voluntate dæmoniaca? Si dicas: à voluntate dæmoniaca: te hæreticum manifeſtas: quia cum Eccleſia ſit ſponſa Dei, & Chriſtus ſit caput eius, omnem poteſtatem habet ab ipſo Chriſto. Si ergo dependet à voluntate diuina: nonne ipſius Dei eſt, dæmonem expellere, prout lubet! quem certè ex promiſſione facta Marci cap. 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, In nomine meo dæmonia eijcient*, etiam primo præcepto facto ab Exorciſta in nomine Ieſu, ipſe expellet dęmonē, ſi tam Exorciſta, quàm obſeſſus conditiones habuerint requiſitas, de quibus infra *par. 3. & ſupra c. 1.* Quod egomet pluries experientia comprobaui in varijs energumenis, qui eò ipsò, quò perfectam habuerunt fiduciam in Deum pro ſua liberatione, illicò dæmon exijt ab eis, & perfectam conſecuti ſunt ſanitatem. Immò ipſemet dæmon per vim præcepti ſibi à me facti coactus eſt fateri hanc veritatem, nempe immediatè quòd perſona obſeſſa habet perfectam fidem, & credit ſine vlla hæſitatione, etiam ad primum præceptum dęmoni faciendum ab Exorciſta, ſe à dæmone eſſe liberandam, indeſinenter Deum compellere dæmonem exire, ac talem derelinquere perſonam; & ſi in fide perſeuerat, dæmonem nullo modo ei nocere poſse. Quam veritatem etiam aliàs nonnulli dæmones faſſi ſunt Sancto Cypriano priùs mago, poſtea Sancto, cum illos interrogaſset, cur non potuiſſent maleficio afficere Sanctam Iuſtinam; reſponderunt: *Propter eius fidem inhęſitantem: his enim, qui firmiter credunt, ac confidunt, ſe à Deo protegendos fore, nullo modo nocere poſſumus*: vt benè tradit Delrius *lib. 6. Diſq. Magic. cap. 2. q. 3. ſect. 3.* Et nos ſupra *tom. 1. pag. 33. num. 123.*

Interrogatio de die, vel hora exitus dęmonis iniurioſa eſt Diuinæ Maieſtati. Ratio dictat.

§. I.

683 SEd vis ſcire, vnde proueniat, quòd omnes antiqui Auctores petunt à dæmone, quando velit exire? Hoc eſt in cauſa: quia putant, quòd pręcepta contra dæmonem formata ab Exorciſta ſint ſicut præcepta Decalogi, quorum obſeruatio pendet à libero hominis arbitrio diuina gratia adiuto; ideò ſicut eſt in poteſtate hominis illa obſeruare, & non obſeruare; ita eſt in poteſtate dæmonis (aiunt iſti Auctores) præceptis Exorciſtæ vel obedire, vel obſiſtere. Attamen addunt *ſicut Deus hominibus adhibet ſtimulos, vt velint obedire, per Prædicatores, aduerſitates, & huiuſmodi; ita etiam malignis ſpiritibus adhibet ſtimulos vrgentes ad ſuam obedientiam, qui ſunt exorciſmi, quibus dæmones ita ſpiritualiter cruciantur, ſicut homines verberibus corporalibus*: Ita docet Hieronymus Menghus à Viadana in Flagello Dæmonum.

Error pluriũ Exorciſtarum oſtēditur

Sed grauiter hallucinantur prædicti Auctores. Nam in exorciſmis, & coniurationibus duo continentur, vt dicitur infra *num. 732.* ſcilicet obiurgatio, & præceptum. Quoad obiurgationem, verum eſt, eam eſſe veluti ſtimulum, quo dæmonis audacia confringitur, (ſi recto modo fiat, vt habetur *num. 935.*) ſed falſum eſt, quòd præceptum maximè expulſiuum (ſi fiat iuxta regulas infra traditas *par. 3.*) ſit tantùm ſicut ſtimulus, ac veluti pręcepta Decalogi: Nam contra ſtimulum poteſt dæmon calcitrare, & contra obiurgationes obſtinatus perſiſtere; ſed non contra præceptum, (ſi Energumenus perfectam habeat fidem, vt ſupra dixi. (Similiter falſum eſt, quod præceptum expulſiuum dæmonis ab Exorciſta formatum ſit ſicut præcepta Decalogi homini impoſita, quæ poſſunt ab eo obſeruari, & non obſeruari; ſed eſt ſicuti forma Sacramentorum, vel Sacramentalium, qua (ſi ſuper debitam materiam proferatur (, fit Sacramentum, vel ſacramentale, quod ſuum producit effectum. Quando enim Exorciſta cum debita intentione format præceptum expulſiuum contra dæmonem, ſi ipſe habeat omnia requiſita, & Energumenus per fidem, & confidentiam in Deum perfectè ſit diſpoſitus, ac liberatio ei ſit ſalutaris, Deus concurrit, ac virtute ſua dæmonem inuitum expellit; & contra hunc ſtimulum dæmon calcitrare non poteſt, vt latè ſupra explicatum eſt *num. 499. & ſequentibus.*

Prædictus error refellitur

Dæmon poteſt calcitrare contra obiurgationes; ſed non contra præceptũ. Quomodo Quando.

Aduertat hic beneuolus Lector, quicquid aſtrui *quæſt. 2. de nomine dæmonum quærendo: queſt. 3. de numero: quæſt. 4. de cauſa ingreſſus: & quæſt. 8. de die, & hora egreſſus*, licèt videatur refragari his, quæ in Rituali Romano præſcribuntur; nihilominus ſi attentiùs conſideretur, ac maturiùs iuxta ſequentem diſtinctionem diſcutiatur, nulla contrarictas adinuenietur.

Dicendum ergo, de egreſſu dæmonis ex corpore obſeſſi poſſe loqui dupliciter. Vno modo in eo, qui prouenit ex induſtria humana, quatenus homo deſtruit ſigna maleficij, quibus deſtructis dęmon quandoque voluntariè egreditur, vt oſtendat Sagæ, aut Malefico, qui ſigna illa poſuit, ſe nulla moleſtia afficere obſeſſum, aut maleficiatum, niſi quandiù ſigna maleficij permanent: vt ſic credant, ſigna illa aliquam vim habere homines diuexandi. Alio modo eſt loqui de egreſſu dæmonis, qui fit per poteſtatem eccleſiaſticam diuina virtute illum ad egrediendum compellente.

Primo modo non videtur illicitum, interrogare dæmonem de nomine, vt homo ſciat, ad quem dirigat ſermonem: de numero, vt cognoſcat, an etiam plura ſigna repoſuerint: de cauſa ingreſſus, vt intelligat, cuius generis ſit illud maleficium, an ſit perpetuum, vel temporale: ac de die, & hora, qua ſit egreſſurus: quia talis egreſſus dependet à voluntate dæmonis ex pacto inito cum Malefico; Et hoc modo (vt puto) loquitur Rituale Romanum. Nam Sancta Romana Eccleſia, quę infirmantium mater eſt pia, ac clemens, ſæpiùs conniuere videtur ſuorum filiorum neceſſitatibus, eos hortādo non tantùm ad diuina confugere ſubſidia; ſed etiam humana

mana adhibere remedia: ſicut etiam iubet perquirere maleficij ſigna, eaque comburere; quod remedium vtique humanum eſt cenſendum. At loquendo de dæmonis egreſſu, qui fit per poteſtatem eccleſiaſticam, dico, huiuſmodi interrogationes eſſe relinquendas ijs de cauſis, de quibus ſupra, & infra ſequentibus quæſt.

QVÆSTIO IX.

An licitum ſit quærere à dæmone, in quo loco ſit egreſſurus.

Illicitum eſt, quærere à dæmone, in quo loco ſit egreſſurus.

685 HÆc quæſtio breuiter reſoluitur, ſicut antecedens, dicendo, illicitum quærere à dæmone de loco, in quo ſit egreſſurus. Ratio eſt; quia in hoc oſtendit Exorciſta, ſe credere, quòd poteſtas dæmones expellendi dependeat à loco: quod impium eſt aſſerere; non enim à loco; ſed à Deo depẽdet. Sed ſupponamus, quòd licèt talis poteſtas non dependeat à loco; attamen vnus locus magis quàm alius poſſit Exorciſtam, vel obſeſſum ad maiorem excitare deuotionem, ac confidentiam eliciendam, quòd per merita, puta vel Beatiſſimæ Virginis, vel Sancti alicuius, quem populi venerantur, ac colunt in tali loco, obſeſſus ſanitatem optatam ſit conſecuturus; Veruntamen ſi quandoque talis locus ſit eligendus, non inquirendum eſt à dæmone, vt ipſe eligat; ſed ab ipſomet Exorciſta eſt deputandus: nam hoc inquirere à dæmone, nil aliud eſt, quàm eius laqueis capiendum ſe exponere.

Comprobatur exemplo relato ab Auctore.

Vis inter multas deceptiones aduerſus Exorciſtas inſtructas vnicam tibi referam?

Quidam Exorciſta vir vtique bonitate præditus hoc noſtro æuo aliquandiu quandam exorcizauit mulierculam obſeſſam: cum autem dæmoni pluries præcepiſſet, vt horam, diem, & locum ſui exitus patefaceret, dæmon (acſi coactus eſſet) dixit: poſt menſem, tali die, hora meridiana, in tali Eccleſia. *Qua die, cum multitudo populi conueniſſet, dæmon poſt multos rumores, ſtrepitus, & vlulatus tandem cachinnans Exorciſtam irridebat, & ſubſannabat, omneſque eius defectus naturales, ac morales publicè ei obijciebat, qui omnia patienter ſuſtinebat. Iterum Exorciſta ei præcipiebat, & peremptoria faciebat, vt de die, hora, & loco ſui exitus veritatem fateretur, qui dæmon iterũ tempus prorogabat, iurando, quòd poſt tot dies, & in tali loco eſſet egreſſurus. Quod pluries promiſit, & ad varia loca duxit Exorciſtam; ſed ſemper more ſuo promiſſis ſtabat, Exorciſtam irridendo, & ſubſannando. Tandem magno eiulatu dixit, ſe amplius non poſſe ſuum exitum prorogare; non tamen poſſe exire, niſi Exorciſta vnà cum Energumena, & Virginum comitatu Brixiam peteret, quæ à Vico, vbi morabatur Exorciſta, viginti circiter milliaria diſtat; & per viam Litanias Beatiſſimè Virginis decantarent. Quòd ſi hæc obſeruaſſent, ſe tandem egreſſurum (licèt inuitum) ante imaginem Sanctæ Mariæ Gratiarum, cuius ſacellum pluribus donarijs ditatum, ac ferè innumeris tabellis ſuſpenſis coopertum in ea vrbe exiſtit. Bonus Exorciſta (his auditis) ſic optimè à dæmone inſtructus (iam omnibus neceſſarijs paratis) aggreſſus eſt iter vnà cum muliere ille obſeſſa, ac nonnullis adoleſcentulis ex vili plebecula (omnibus ſe virgines prædicantibus;) quas, (ne tædio afficerentur in via) comitabantur earum amatores, qui omnes cantabant, & in itinere collaudabant B. Virginem iuxta diaboli mandata. Cum autem ſtatuta die, & hora ante imaginem B. Virginis aſtitiſſent, dæmon poſt multos clamores, & eiulatus per os Obſeſsæ emiſſos quibus aſſerebat, ſe valde cruciari, ac torqueri, tandem multis cachinnis irridere, ac ſubſannare cæpit Exorciſtam, cò quòd tàm facilè credidiſset, multiſque, ac varijs eum laſceſſiuit iniurijs, ac contumelijs. Quare bonus ille Exorciſta confuſione, & ignominia plenus domum regreſſus impoſterum munus exorciſticum exercere recuſauit.*

Crede modò diabolo, & te ignominia afficiet, ac confuſum relinquet.

QVÆSTIO X.

An licitum ſit, quærere à dæmone ſi aliquo pacto, vel maleficio ſit alligatus. Et quomodo huiuſmodi maleficium poſſit deſtrui.

SIgna maleficij quærere, & inuenta deſtruere, 686
licitum eſſe ſupra diximus. Attamen dæmonem interrogare, vt ipſe annuat locum, vbi ſunt talia ſigna; ac modum, quo huiuſmodi maleficium ſit deſtruendum, vt illicitum repobamus.

Dæmon nõ poteſt ab homine alligari ſignis. Ratio dictat.

Prima pars probatur. Dæmon non poteſt naturaliter, aut violenter ab homine rebus, ſeu ſignis naturalibus, vel artificialibus alligari: qui omnes res corporeæ ſublunares naturaliter angelicis ſpiritibus ſubijciuntur, vt docet Auguſtinus *lib. 3. de Trinit. cap. 4.* in hæc verba: *Mali Angeli præponuntur poteſtate rebus viſibilibus, & illis vtuntur priuato iure aliquando.* Quod priuatum ius non eſt aliud, quàm poteſtas naturæ ſecundùm Alexandrum Alenſem *par. 2. quæſt. 112. mem. 2. art. 2.* Si ergo dæmon alligari non poteſt ſignis, vel maleficijs, ad quid quærere, vt dicat, an ſit alligatus? nonne hæc eſt mera fatuitas? Sed fortaſſe quis dicet: ſicut in maleficijs ſigna ponuntur, quibus poſitis dæmon malum, ac maleficium operatur; ita maleficium deſtrui nequit, niſi deſtruatur, ſignum, quod ſæpiùs inueniri non poteſt, niſi dæmon illud indicet. Reſpondemus, quòd credant, (vt lubet) Sagæ, ac Malefici, qui iam ſuum corpus, & animam dæmoni crediderunt; quia nos qui catholicè ſentimus, hanc fatuitatem toto cælo deteſtamur; & indubitantes aſſerimus, ſine ſignorum maleficorum inquiſitione, inuentione, ac deſtructione dæmones poſſe expelli, ac maleficia deſtrui per remedia ſpiritualia, vt practicè tota tertia parte demonſtratur. Illa enim alligatio dæmonis illis ſignis non eſt naturalis, nec coacta, ſeu violenta, ſed libera, & voluntaria. Cogatur igitur dæmon ab Exorciſta per præcepta illi facta in nomine Ieſu, vt ceſſet homini nocere, & nihil nocumenti poterunt afferre illa ſigna. Vide ſupra diſp. 3.

Hinc cautè ſunt legendi illi Auctores tam priſci, 687
quàm neoterici, qui aiunt, non poſſe maleficium deſtrui ſine deſtructione ſigni; ſed ſtante maleficio mate-

Caute legendi ſunt Auctores antiqui, ac moderni talia aſſerentes. Et quare

materiali in loco, vbi poſitum fuerat, durare maleficium formale: & addit quidam Neotericus: *hac de cauſa Saulis diuexatio iterabatur, & perſeuerabat*. At horum Auctorum poſitio ita falſa eſt, ſicut falſum eſt, dæmonem ſubijci naturaliter, aut coactè illis ſignis materialibus. Non enim ſubijcitur naturaliter; quia cunctæ res ſenſibiles ſublunares ſubiectæ ſunt dęmonibus, vt dictum eſt *numero præcedenti*; non ergo poſſunt detinere dæmones. Neque coactè ſubijcitur: quia dæmon ipſe eſt, qui præcipit Sagę, aut Malefico, ac docet, talia ſigna ponere; ergo doceret ponere contra ſeipſum, quod aſſerere eſt ridiculum.

Vexatio Saulis vnde.

Quòd autem Saulis vexatio iteraretur, nō proueniebat ex eo, quòd ſignum, ſeu maleficium materiale non eſſet deſtructum: quia dæmon non poſſidebat Saulem per maleficium; ſed ex Dei permiſſione, vel iuſſione propter ipſius peccata, ob quę receſſerat ab eo Spiritus Domini; & ideò exagitare eum cępit ſpiritus nequam à Domino, vt habetur 1. Regum cap. 16. Id teſtatur Abulenſis quæſt. 33. in dictum caput, *Spiritus iſte Domini*, inquit, *erat Dæmon, & datus eſt in pęnam Sauli, vt vexaret eum, ſicut faciunt dæmones in arrepticijs*. Iterabatur autem vexatio: quia iterabatur cauſa primaria vexationis, nempe peccata, maximè malitia, & inuidia, ob quam conabatur Dauidem è medio tollere; ideòque merebatur iterum magìs, ac magìs à dęmone torqueri.

§. I.

Illicitũ eſt petere à dæmone modum, quo maleficium deſtruatur

688 ALtera pars probatur. Nam præcipere dæmoni, vt dicat, quomodo maleficium poſſit deſtrui, eſt beneficium à dæmone requirere; Hoc autem eſt illicitum: vt docent D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 90. *art.* 2. & ibi Caietan. *art.* 1. D. Anton. 2. *part. tit.* 10. *cap.* 8. Syklueſt. *verb. adiuratio*, *quæſt.* 7. & ibi Angelus *num.* 2. & 4. Tabiena *num.* 6. Sotus *lib.* 8. *de Iuſt. q.* 3. *artic.* 2. Suarez *t.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de Adiuratione cap.* 2. *num.* 8. & 9. Leonard. Leſs. *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 42. *dub.* 13. *num.* 70. & 71. & latiſſimè probans ex multis ſcripturis, Sanctorum teſtimonijs, & rationibus, ſoluenſque contrarias, & dicens, eſſe de fide. Valentia 2. 2. *d.* 6. *quæſt.* 8. *punct.* 2. *quæſt.* 2.

Ratio verò, cur non imperatiuè liceat, eſt: quia Chriſtus non reliquit poteſtatem Eccleſiæ aduerſus dæmones, niſi ad eos arcendos, vel repellendos tanquam hoſtes, ne nobis noceant. Quod eſt ab horum ſocietate recedere: vt docent Sanchez *tom.* 1. *in præcepta Decalogi lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 19. Et Ferdinandus de Caſtro Palao *de Adiuratione Diſput.* 4. *punct.* 4. *num.* 8. At velle petere à dæmone, vt dicat, quomodo maleficium poſſit deſtrui, idem eſt, quod ei præcipere, vt nos doceat modum, quo deſtrui poſſit maleficium: ſic eſt vti eius miniſterio, & obſequio, quod pertinet ad quoddam pactum, & ſocietatem cum ipſo, ſaltem implicitam.

QVÆSTIO XI.

An licitum ſit, quęrere à dęmone, vt dicat: quis ſit eorum princeps in illo corpore.

HÆc quæſtio remanet ſoluta ex dictis ſupra *quæſt.* 3. *huius articuli*, & infra *q.* 13. ad quas remitto Lectorem.

QVÆSTIO XII.

An licitum ſit, quęrere à dęmone, vt dicat: an talis perſona, quam poſſidet, ſit verè vexata.

Ridiculũ eſt quærere à dæmone, vt dicat, an perſona obſeſſa ſit verè obſeſſa, necne.

QVàm ſit ridiculum hoc quæſitum, & totaliter 689
ſibi contrarium, audias. Volunt iſti Auctores, quòd Exorciſta interroget dæmonem exiſtentem in corpore Energumeni, & illum cogat ad veritatem fatendam per os Obſeſſi, dicendo: *Si talis perſona ſit verè obſeſſa, necne?* Quis non irrideat huiuſmodi nugas indignas prorſus, quæ ab ore Miniſtri Eccleſiaſtici enuncientur! Si tu vis, vt dæmon per os Obſeſſi loquatur, nonne ſupponis, iam dæmonem verè, ac realiter talem perſonam poſſidere? Cur igitur vis quærere, vt ipſe dicat, an ſit verè vexata? Quid, ſi dęmon reſponderit, quòd non; ſed humore melancholico eſſe affectam: quia (cum ſit adoleſcentula) maritum habet ſenem: vel dixerit, humoribus matricalibus eſſe perturbatam. An fortaſſe his verbis erit credendum? Facile hoc crederent, qui negant maleficia, obſeſſiones, ac poſſeſſiones dæmonum reales; quia hi, vt plurimùm, negant etiam eſſe dęmones, & infernum, & Paradiſum. At cum ſupponamus, dæmonem loqui per os Obſeſſæ, conſequenter ſupponimus, dæmonem eſſe in tali corpore ex dictis, & probatis ſupra *num.* 545. Qui ergo audiret dæmonem loquentem per os Obſeſſæ, & crederet ei dicenti, Obſeſſam non eſſe Obſeſſam; ſed humore melancholico, aut matricali affectam; potiùs ſcutica dignus eſſet, quàm munus exorciſticum exercere. Quis non apertè agnoſcat, huiuſmodi interrogationes ad aliud non proficere, quàm ad ignarum Exorciſtam confundendum, & confuſione refertum ad vltimum exitium perducendum?

QVÆSTIO XIII.

An licitum ſit Exorciſtæ, pręcipere Dæmoni ſuperioris ordinis, ver. gr. Lucifero, vt dæmones ſibi inobedientes excruciet in Inferno. Item ſpiritui principali in corpore obſeſſo, quòd ſecum educat totam ſocietatem ſuam. 690

Plures Auct. docēt, licitè poſſe dæmoni ſuperiori imperari vt inferiores expellat. Refellitur ab Auctore.

HOc licitum eſſe ſuſtinent Sylueſter Prieras *tr. pro Exorciſtarum inſtructione*, Zacharias Vicecomes *in Compend. artis Exorciſt. doctr.* 2. Hieronymus Menghus *in Compend. artis Exorciſt. lib.* 1. *cap.* 4. & *Fuſte dęmonum cap.* 6. & alij.

At quia horum opinio nulla probabili ratione fulcitur, dico, illicitum eſſe, ac ſqperſtitioſum pręcipere dęmoni ſuperiori ſiue exiſtenti extra corpus, ſiue exiſtenti intra corpus, vt cæteros inferiores ſpiritus expellat. Hoc apertè conſtat ſiue conſideremus huiuſmodi præcepta reſpectu dęmonum, ad

quos dirigunrur: ſiue reſpectu poteſtatis, quam accepit Exorciſta ab Eccleſia dæmones expellendi.

Ratione ſumpta à parte dæmonum. Si conſiderentur reſpectu dæmonum, quis non videat illa prorſus à dæmonibus paruipendi? Nam etſi in dęmonibus ſit aliqua prelatio, & ſuperbiæ inſtinctu vnus alteri aueat dominari; (vt dicunt dicti Auctores, & concedunt omnes Theologi.) Hæc tamen prælatio, & auiditas dominandi non eſt in ordine ad bonum, & vtilitatem hominis, qualis eſſet, ſi ſuperiores expellerent inferiores; ſed in ordine tantùm ad hominis perditionem. Immò licèt dæmones non ſe diligant mutuò, ſed potiùs oderint; magis tamen odit quilibet dæmon homines, quàm alios dæmones: vt eruditè probat Abulenſis *queſt.61.in cap.12. Matthei verſ.Dicendum igitur.*

Quomodo ergo poterit Exorciſta expellere dæmones inferiores mediante miniſterio ſuperiorum? An fortaſſe Exorciſta maiorem poteſtatem habet præcipiendi dæmonibus ſuperioribus, quàm inferioribus? Quis hoc aſſeret? Si non poteſt compellere dæmones inferiores, vt ſibi obediant, & exeant è corpore obſeſſi, quomodo poterit Luciferum euocare ex orco, vt veniat, & expellat illos dæmones, & eos excruciet in inferno? Vel compellere dæmonem ſuperiorem in illo corpore, vt inferiores ſpiritus inobedientes expellat? An fortaſſe dæmones ſuperiores ſunt melioris conditionis, & inferiores ſunt peiores, peruerſiores, & in malo obſtinatiores? Sed hoc eſt falſiſſimum: quia dæmones ſuperiores, cum ſint natura perfectiores, ſunt etiam ſapientia excellentiores, potentia ſtrenuuiores, & malitia iniquiores; ideoque cæteris inferioribus peruerſiores, ac in malo obſtinatiores; ſapientia enim, ac potentia vtuntur, non ad bonum; ſed duntaxat ad malum operandum. Quomodo ergo ſuperiores obedient Exorciſtæ, dum illos præſumit vel ex inferno euocare; vel (ſi ſunt in corpore) eos compellere, vt ſecum trahant ſuam ſocietatem, ſi in iſtis maior inobedientiæ adeſt ratio? Nonne hoc apertè rationi rectæ repugnat?

§. I.

691 *Non officit, dęmones hoc præſtare iuſſos à Magis.* EStò quòd quandoque dęmones ſuperiores ad præcepta Magorum, ac Maleficorum è corporibus obſeſſis expellant dęmones inferiores: ſi faciũt hoc, non alio fine faciunt, quàm vt maleficium minus maiori ſoluant maleficio, maleficium transferendo ab vna in aliam perſonam (vt faciunt Magi, & Malefici) & ab homine malefico transferente adorationes, oblationes, proſtrationes, cæteraque obſequia ſibi exhibita recipiant. Nullo tamen pacto vnus dæmon alteri præeſſe cupit, nec vnus ſuper alterum principatum affectat, vt homini prodeſſe queat; ſed duntaxat vt malefaciat, ei damnum inferat in anima, vel in corpore, & tandem ad exitium perducat; vt docet Toſtatus loco citato.

Praxis deſcribitur. Conſtituat ergo Exorciſta iuxta monita dictorum Auctorum, dæmonem principem ſuper alios, ac præcipiat dæmoni principi conſtituto, vt ſuo vtatur iure, cæteros inferiores è corpore obſeſſo expellendo, magna promittet; ſed nulla ſeruabit: nondum tempus adeſſe talis eiectionis, ſed opportuno tempore omnia executurum, aſſeuerabit: prius oportere, talem herbam querere, vt eius ſuffitu rebelles torqueantur ſpiritus: talem lapidem inueſtigare, vt ad collum appenſum deferat, qui non poterit inueniri niſi cum maxima difficultate: Maleficum compellere, vt ſigna maleficij deſtruat: tot Eccleſias viſitare: tot candelas offerre: aduerſus orientem brachijs extenſis tot vicibus orare: tot nomina incognita Angelorum proferre: cacumina montium ſcandere, vbi ſit ædicula Deiparæ Mariæ dicata: aliaque id generis, quæ aliquam admixtam habent ſuperſtitionem, adimplere iubebit. *In qua ſæpius cõcurrunt multæ ſuperſtitiones.* Quinimmò quandoque vnus & idem ſpiritus ſe plures eſſe, finget: ac modò luciferi, modò alterius principis, nunc officiarij ſubalterni, nunc ſubditi vices geret, hiſque, alijſque huiuſmodi technis incautũ decipiet Exorciſtam, ipſumque nonniſi irriſionibus, contumelijs, conuicijs, & ignominia affectum relinquet, vt experientia ſæpiùs comprobarunt nimio ſuo malo, & dedecore plures Exorciſtæ huiuſmodi Auctorum quaſdam ſuperfluas, & illicitas ſequentes traditiones: cum genium diaboli non ſit ceteris dæmonibus præeſſe, eoſque coercere in hominis vtilitatem, & ſolatium; ſed tantùm in eius ruinam, perniciem, ac damnationem.

§. II.

SI verò conſiderentur præcepta in ordine ad poteſtatem, quam Exorciſta à Deo, & ab Eccleſia accepit in Ordine Exorciſtatus ad dæmones expellendos, illicitum eſt præcipere dæmoni exiſtenti ſiue in inferno, ſiue alibi extra corpus obſeſſi, vt inferiores dæmones expellat. Ratio eſt: quia hoc eſt petere beneficium à dęmone, ad quod preſtandum cogi non poteſt præceptis: Non enim Exorciſtę data eſt poteſtas à Chriſto, cogendi dæmonem ſuperiorem, vt inferiorem expellat; ſed ſolùm data eſt poteſtas expellendi dæmones, qui in corporibus extiterint. Ergo petere illam expulſionem à dęmone ſuperiori (etiamſi fiat pręcipiendo) eſt velle ab eo beneficium habere: ac proinde eſt illicitum: Ita etiam tenet Ferdinandus à Caſtro Palao *de Adiuratione diſput.4.punct.4.num.9.* 692 *Ratione ſumpta à poteſtate exorciſtę.*

Siue diuina virtute ſit expulſurus Quod nõ conceditur. Si autem dęmon ſuperior, cui pręcipis alios expellere, ſit in corpore obſeſſi vnà cum alijs dæmonibus inferioribus, quęro à te, ò bone Exorciſta: qua virtute, putas, quòd ille dęmon ſuperior ſit inferiores expulſurus? an diuina, vel dęmoniaca? Non diuina: quia Deus non promiſit Eccleſiæ, nec docuit, ſe velle virtutem ſuam dæmonibus communicare ad dęmones expellendos, cum potiùs conueniens fuiſſet, hoc per Angelos Beatos adimplere; quod tamen non fecit; ſed quando Eccleſiæ communicauit poteſtatem dęmones expellendi; id ſe facturum promiſit, non per dęmonum miniſterium; ſed per Eccleſię idoneos miniſtros; vel quoſcumque fideles perfectè credentes in nomine ſuo; à quo ſtatu, ac conditione dęmones penitùs ſunt extorres.

Siue naturali ſua virtute. Quod eſt illicitum. Si tandem dęmon ſuperior eos ſua virtute naturali expellat, vel hoc facit inuitus, & coactus à Deo vel voluntarius. Non inuitus: quia etſi Deus quandoque vtatur miniſterio dęmonum ad aliquod opus peragendum; in miniſterijs tamen eccleſiaſticis non vtitur miniſterio dęmoniaco; nec conuenit illos cogere ad aliquod operandum in hominis obſequium, & vtilitatem, cum hoc poſſit vel per ſeipſum, vel per Angelos bonos: (niſi aliquando ob aliquam ſpecialem ſanctitatem alicuius hominis, vel ſingularem rationem, quæ in continuis miniſterijs eccleſiaſticis non præſumitur.) Ergo ſi ſuperiores dæmones aliquando obediunt Exorciſtę, inferiores expellendos, hoc faciunt voluntariè, vt Exorciſtas incautos decipiant, cùm pręceptis diuinis, ac Sanctiſſimo Dei nomine abutuntur, virtutem diuinam ſuopte Marte ad diabolicam applicãtes, & ſeipſos ſaltem implicitè dęmoni quodammodo mancipantes, dum à dęmone beneficium poſtulant. Conſequenter arguunt, adiurationes Eccleſię inſuf-

inſufficientes eſſe ad dæmones inferiores expellendos, dum pro eorum expulſione confugiunt ad dæmones ſuperiores: Ergo nulla ratione hoc licere poteſt.

Licita tantùm ſūt Exorciſtæ, quæ ex poteſtate à Chriſto accepta expulſioni dæmonum conducunt.

Neque obſtat, hanc petitionem, ſeu præceptum conducere expulſioni, vt inde inferas tibi licere: quia ſolùm ea, quæ expulſioni conducunt ex poteſtate à Chriſto accepta, licita tibi ſunt; non ea, quæ ex voluntate dæmonis conducunt, qualis eſt hęc petitio, vel præceptum: quia (vt ſupra dixi) Chriſtus non dedit poteſtatem dæmones expellendi per alios dæmones, ergo nec Exorciſta poteſtatem habet præcipiendi: & ita tenet Sotus *lib.* 8. *de Iuſtitia, quæſt.* 3. *art.* 2. Suarez *tom.* 1. *de Religione. lib.* 2. *de Superſt. cap.* 18. *num.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 6. *num.* 46. Sanchez *lib.* 2. *ſum. cap.* 42. *num.* 21. & Ferdinan. à Caſtro Palao *loco cit.*

Potes tamen, ò bone Exorciſta, præcipere dæmoni ſuperiori, vt perfectè exeat cum omnibus ſatellitibus ſuis: quia tunc non ſolùm ipſi, ſed omnibus eius ſatellitibus expulſionem præcipis. At ſi ſuperiori dæmoni præcipias, vt exeat è corpore, & exeundo pellat ſecum quemcumque dęmonem inferiorem ibidem exiſtentem, videtur non licere: quia illo modo petendi conuinceris, te non expellere dæmones inferiores; ſed dęmonem ſuperiorem illos ad tui petitionem expellere; teque indigere auxilio dæmonis ad illos expellendos. Eaque de cauſa Sotus, Suarez, Leſſius, Sanchez, ac reliqui Doctores abſolutè affirmant, non licere pręcipere dęmoni ſuperiori, vt inferiorem pellat. Præterquam quòd tale præceptum ſuperfluum eſt. Nam ſi virtus adiurationis efficax fuit ad pellendum ſuperiorem dęmonem, à fortiori inferiorem pellere poterit. Nulla ergo neceſsitas eſt, petendi à ſuperiori, vt inferiorem pellat.

QVÆSTIO XIV.

An ſit licitum Exorciſtę, dęmonem in locis deſertis alligare.

693 *Illicitum eſt, velle dæmonẽ in deſertum alligare.*

Dico abſolutè, hoc eſſe illicitum. Ratio eſt: quia poteſtàs Exorciſtæ ſiue ratione Ordinis Exorciſtatus, ſiue per fidem in Nomine Ieſu, eſt tantùm ad dæmones eijciendos, & non ad terminum, ſeu locum eiectionis aſsignandum: vt conſtat ex verbis Euangelii Marci 16. *In nomine meo dæmonia eijcient:* Ita tenet etiam Caſtro Palao *loco citato num.* 12. Nec Deus promiſit concurrere, niſi ad eiectionem, non ad alligationem in deſertis locis, aut alibi; Conſtat etiam ex poteſtate, quam Chriſtus tradidit ſuis Diſcipulis dæmones eiicendi Matthæi 10. Marci 3. & Lucæ 9. vbi ſic habetur: *Conuocatis duodecim Diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos*, vbi Toſtatus *quæſt.* 16. *ſuper cap.* 10. *Matthei*, ait, *Poteſtas eorum ſe extendebat ſolùm ad eijciendos eos è corporibus*, idelt ab hominibus, & rebus ad homines ſpectantibus. Nihil enim aliud facere poterant: Idem dicendum de iis, qui dęmones alligant in paruo digito pedis.

Conſtat ex verbis Euangelij.

694 *Nihil obſtat obiectio de Aſmodeo al*

At dicent aliqui, Aſmodæum, à quo Sara filia Raguelis, & vxor Tobię iunioris obſeſſa erat, fuiſſe alligatum in deſerto ſuperioris Ægypti per aliquod temporis ſpatium. Sed de hoc ſanè non eſt mirandum, cum vnus Angelus ſiue bonus, ſiue malus (ſi alio ſuperior ſit virtute) illum alligare, ideſt detinere poſsit in aliquo loco ſua virtute naturali; vt docet Delr. *Diſq. Mag. lib.* 2. *q.* 30. *ſect.* 2. Si verò ſit Angelus ſanctus, etiamſi ſit inferior dęmone virtute naturali, nihilominus per gratiam à Deo acceptam (quamuis ſit minimus Angelus Paradiſi) ſuperior eſt omnibus dęmonibus; ideò virtute diuina, ac ſupernaturali poteſt alligare quemcunque dęmonem cuiuſcumque ordinis ſit, ac conditionis. Exorciſta autem nullam habet facultatem; non naturalem, cum longè ſit inferior quocumque dæmone, cui nulla poteſtas ſuper terram comparari valet. Non ſupernaturalem, ac diuinam: quia non conſtat per ſcripturam ſacram, Deum promiſiſſe, ſe ad huiuſmodi præcepta facta ab Exorciſta virtute ſua diuina præſtò adfuturum ad dæmones alligandos, vbicumque placuerit Exorciſtæ.

ligato ab Angelo Raphaele in deſerto.

Quod verò à Sanctis Viris aliquādo dęmones fuerint alligati: vt docet Toſtatus *quæſt.* 132. *in cap.* 8. *Matthæi*: & ex eo Sanchez, Thyreus, & alij recentiores, quando hoc factum ſit, & quomodo, hoc non dicunt, niſi de Raphaele (de quo ſupra) qui non erat Exorciſta, nec homo, ſed Angelus.

Sed eſtò quòd ab aliquibus aliquando factum fuerit, hoc ex Dei ſpeciali inſpiratione, & ſingulari ipſius auxilio ob eorum maximam ſanctitatem, & ſub conditione diuini beneplaciti factum eſſe, credendum eſt.

Ex hoc colligitur, quàm hallucinentur illi Exorciſtæ tum antiqui, tum moderni, qui cum non valeant dæmonem ab aliquo expellere obſeſſo, alligare eos ſe iactitant in paruo digito vel pedis, vel manus.

Sic anno Domini *1660. cum Mediolanum aduocatus fuiſſem à quodam Senatore Equite Hiſpano ad exorcizandam ipſius Vxorem, conuenerunt in palatium ipſius plures Energumeni, à quibus requiſiui, an ab aliquo alio Exorciſta fuiſſent exorcizati; qui omnes reſponderunt, fuiſſe exorcizatos à quodam Presbytero Hiſpano, qui eis dæmonem alligauerat in paruo digito, veruntamen eos die, noctuque torquebat in toto corpore. Sequenti autem die ab illo Equite vocatus fuit ille Exorciſta, à quo quæſiui, an ipſe eſſet, qui ligabat dæmones in paruo digito pedis, qui ſtatim aſſeruit, ſe non tantùm poſſe ligare dæmonem in digito pedis, ſed etiam in minima parte vnius capilli capitis. Ego autem ſubiunxi: ergo poteris etiam poſtquam ligaueris dæmonem in capillo capitis, abſcindere illum capillum, & proijcere in ignem; & ita dæmonem ſimul cum capillo adurere valebis? Quis autem dedit tibi talem facultatem? Qui dixit ſe hoc legiſſe in Flagello dæmonum. Hieronymi Menghi.*

Duo ergo hanc praxim eſſe erroneam, quia à Chriſto non eſt data poteſtas ſuæ Eccleſiæ, neque ſuis Miniſtris, ac Chriſtifidelibus ad dæmones alligandos in digito pedis, vel manus, nec alibi; ſed duntaxat ad eos eijciendos ab hominibus, & è rebus ad homines ſpectanibus per fidem poſitam in virtute Sanctiſſimi Nominis Ieſu Chriſti. Cum ergo quis talem ſibi vſurpat facultatem, quam non habet, tunc à dęmone irridetur, ac ſubſannatur; quia dum ſe putat dæmonem ligare, ligat ventum, quem manu ſtringere non poteſt.

QVÆSTIO XV.

An Exorciſta poteſtatem habeat dęmones mittendi in Infernum.

695 *Antiqui exorciſtæ putāt, ſe poſſe mittere dęmones in infernū.*

SI antiquorum Exorciſtarum mentem ſequi vellemus dubio procul quęſtionem ſolueremus affirmatiuè. Nam paſſim in exorciſmis ab ipſis collectis, quos quotidie præ manibus habent Exorciſtæ, legunt ſequentia verba: *Præcipio vobis dæmones, &c. vt ſtatim recedatis ab hac creatura Dei, numquam ad eam redeuntes: ad locum, vbi deinceps nullam creaturam Dei lædere poſſitis, protinus ire feſtinetis, &c. alioquin in virtute D.N. Ieſu Chriſti in ſtagnū ignis, & ſulphuris vos pręcipito, & æternaliter condemno.* Et ſæpiùs repetunt huiuſmodi verba in ſuis coniurationibus, quibus mittunt dæmones in profundum abyſſi: dicentes: *Coniuro te, &c. vt dicas mihi: quis eſt ille, qui debet te hinc expellere, & eijcere: Alioquin mittam te in profundum inferni, & abyſſi cum ſequentibus tuis, &c.* Paſſimque repetunt ſequentia verba: *Cedite hinc maledicti dæmones, alioquin mittam vos in profundum inferni in loca pænarum magnarum de quibus non exibitis.* Et addunt aliqui: *Et in caſu inobedientiæ, niſi vis incurrere illicò pænam annorum centum mille, & alias maledictiones arbitrio meo, &c.*

Opinio eorum eſt temeraria, & vana.

At dicant mihi iſte Exorciſtæ, qui huiuſmodi ediderunt exorciſmos: in quæ parte Euangelij, vel in quo diuinæ ſcripturæ loco inuenerunt ſibi hanc à Deo communicatam eſſe facultatem, vt ad gehennā infernalem dæmones mittere, ac detrudere, eiſque pænas ad arbitrium ſuum imponere, & augere valeant? Qua virtute, qua ratione, quo iure, & qua potentia illùc eos mittere, ac deportare prætendunt? Eſto ex Euangelij Marci vltimo verbis illis: *In nomine meo dæmonia eijcient:* & ex Ordine Exorciſtatus poteſtatem habeat Exorciſta dæmones eijciendi ex corporibus obſeſsis, & è rebus ad vſum hominis ſpectantibus: non tamen facultatem accepit eos mittendi in infernum, & pænas illis ibi augendi: Hoc enim eſt ſolius Iudicis ſupremi, qui Ioāni apparens in Apocalypſi cap. 1. ait: *Fui mortuus, & ecce ſum viuens, & habeo claues mortis, & inferni:* quæ verba explicans Primaſius apud Cornelium à Lapide ait: *Habeo poteſtatem, diabolum, qui eſt auctor, & præſes mortis, & inferni, iudicandi, & condemnandi.*

Sacra Scriptura teſtatur.

Quibus verbis, Pannonius, Alcazar, & alij dicunt, Chriſtum ſeipſum & mortis, & inferni herum, & dominum manifeſtaſſe; ac ſe liberum, ac plenum habere dominium, & imperium in mortem & infernum; illaque Chriſto quaſi Domino ſuo per omnia obſequi; nec quemquam inuadere, niſi ex Chriſti nutu, ac imperio. Ideò temeritate non vacat, Exorciſtam hanc ſibi velle vſurpare poteſtatem. Nec mirum, ſi à dæmonibus maxima præditis ſapientia ſæpiùs ſubſannetur, & irrideatur, omneſque eius conatus fiant irriti. Quod benè probat Toſtatus *quæſt. 60. in cap. 10. Matthæi*, dicens: *Poteſtas data Apoſtolis ſuper dæmones non fuit abſoluta, ita vt poſſent quicquid vellent ſuper dæmones; ſed ſolùm vt poſſent eos eijcere:* vt colligitur ex littera Euangelij eodem capite, vbi habetur: Chriſtum dediſſe illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos. Nec maior poteſtas datur Exorciſtis ab Eccleſia, quàm à Chriſto ſuis Diſcipulis communicata fuerit.

§. I.

696 *In præceptis præmiſſis ſibi cōtradicūt dicti Auct. Ratio dictat.*

SEd quæſo, ſapiens lector, videas, & attentè prædictorum præceptorum conſideres confuſionem, ac contradictionem. Dicunt, ac minantur dæmoni iſti Exorciſtæ his verbis: *Cedite hinc, & exite ex corpore iſtius Creaturæ Dei, alioquin mittam vos in profundum abyſſi, &c.* & alibi: *Coniuro te, &c. vt dicas, quis eſt ille, qui debet te hinc expellere: Alioquin mittā te in profundū inferni, & abyſſi, &c.* Dic mihi, bone Exorciſta: ſi dæmon noluerit obedire exeundo ex corpore obſeſſi, vel tibi reſpondendo, ac dicendo: quis ſit ille, qui debeat eum expellere? quid facies, vt valeas illicò eum mittere in infernum? forſan eum ligabis fune, vel catena ferrea? Si non vult tibi obedire in his, quæ videntur eſſe tui iuris, quomodo obediet in his, quæ tuam excedunt facultatem? An aliquo adunco ferreo illum extrahes ex corpore obſeſſi, & ligatum per tuos ſatellites mittes in infernum? Nonne hæ ſunt minæ puerorum? Tu non vales auctoritate tibi tradita ab Eccleſia dęmonem expellere ab obſeſſo, & putas illum detrudere in infernum, quod munus eſt ſolius Iudicis ſupremi! Si dęmon non exibit ex illo corpore, permanebit vtique in illo, niſi à virtute ſuperiori expellatur. Vbi inueniſti, quòd Deus vnquam promiſerit, ad præcepta Exorciſtæ diuina ſua virtute dęmonem detrudere in infernum? Quare ſcias, mi Exorciſta, quòd licèt Deus concurrat virtute ſua ad dæmones expellendos, quando debito modo Exorciſta præcipit, & omnia adſunt requiſita, nedum ex parte Exorciſtæ; ſed etiam ex parte obſeſſi, & expulſio eſt ſalutaris: Non tamen Deus concurrit ad omnia quæcumque voluerit Exorciſta dæmonibus præcipere; Idcircò antequam præcepta formes, ſis valde cautus, & priùs conſidera omnia, quæ ad dęmonis conducunt expulſionem, ne pro expulſione irriſionem, ignominiam, ac confuſionem conſequaris.

QVÆSTIO XVI.

An peccatum ſit graue, de vanis, & inutilibus, & fortè nociuis, & ijs, quæ ad expulſionem non conducunt, dæmonem interrogare.

697 *Peccatū eſt, de vanis, & inutilib. dæmonē interrogare. Quib. caſibus ſit graue peccatum.*

REſpondetur, dubio procul peccatum eſſe: Quia ad ea interroganda nō eſt data poteſtas Exorciſtis. An verò hoc ſemper ſit graue peccatum, non ita certum eſt. Et quidem in aliquibus caſibus indubitatum eſt, graue eſſe peccatum.

Primò: Si ex interrogatione aliquod occultum peccatum proximi timetur manifeſtandum: quia dare occaſionem abſque neceſſitate, vt proximus infametur, iniuſtum eſt.

Secundò: Si interrogatione longos etiam vanarum rerum, & inutilium ſermones multiplices: quia adeſt periculum, quòd dæmon ijs interrogationibus aliquos errores miſceat; & præcipuè quia ſignum eſt amicitiæ, abſque neceſſitate cum dæmone longos miſcere ſermones.

Tertiò: ſi adſit finis addiſcendi; quia eſt dæmonis honoratio, eum velle habere in magiſtrum. Quod à fortiori procedit, ſi certam fidem eius reſponſis concedas. Nam licèt dæmoni fides dari poſſit in ijs,

quæ

quæ exorciſmis Eccleſiæ coactus manifeſtat, dummodo non contrarientur veritati Sancti Euangelij, auctoritati Sanctorum Patrum, rectæ philoſophiæ, ac bonis moribus; In alijs tamen, quæ ipſe ſponte dicit, ei fides non eſt præſtanda: Dixi, dummodo non aduerſentur veritati Sancti Euangelij, &c. quia multoties dæmon fingit, ſe dicere aliqua coactum, quæ aduerſantur veritati euangelicæ, &c. Dum enim Exorciſtæ dęmonem interrogant, *per quem Sanctum, per quam perſonam, per quæ verba ſit expellendus, qua die, hora, & loco ſit egreſſurus: quomodo maleficium ſit deſtruendum, & alia, de quibus ſupra*, licèt Exorciſta hoc faciat per præcepta nomine Ieſu interpoſito; nihilominus dæmon multa reſpondet à veritate aliena: quia huiuſmodi interrogationes ſunt illicitæ: in eo ſenſu, quem poſuimus ſupra *n.*680. idcircò illi fides non eſt præſtanda.

Quartò: Si deprecatiuè, & non imperatiuè interroges: quia interrogatiò deprecatiua eſt ſignum amicitiæ, & nota ſubiectionis. Subijcit enim ſe dæmonibus, qui dæmones precatur: vt quoſdam feciſſe Exorciſta in Ciuitate Penarum, narrat Zacharias Vicecomes *par.* 1. *Complem. art. Exorciſt. doct.*8. Quo ſcelere quid grauius? Eſt enim velut quoddam transfugium ad Dei, & hominum hoſtes, cum quibus per conſequens nullum fœdus, neque implicitum eſt ineundum; ſed perpetuæ gerendæ inimicitiæ; vt numquam fas ſit, aut deprecando, obſequium, aut rogando, receſſum ab eis quoquomodo poſtulare. Ita tenent D.Thom. 2.2.*q.*90.*a.* 2. D.Antonin. 2.*par. tit.* 12.*cap.* 1. §. 5. Sotus *lib.*8. *de Iuſt.cap.*3. *art.*2. Nauarrus *cap.* 11. *num.* 28. Suarez *tom.*2.*de Religione tract* 4.*de Superſt. lib.*4 *de Adiurat. cap.*2. Sanchez *lib.*2. *in præcepta Decalogi c.* 42. *num.* 19. & 25. Layman. *tom.*2.*lib.*5.*tract.*9.*cap.*14. *num.*7. Ferdinandus à Caſtro Palao *de Adiuratione diſp.*4. *punct.*4. *num.*6. & Bonacina *tom.*2.*d.*4.*q.*1. *punct. vlt. num.* 9.

§. I.

698 VErùm ex leuitate, curioſitate in materia leui vnam, vel alteram rem vanam interrogare non deprecando, ſed imperando, neque fidem certam adhibendo: ver.gr. quòd Exorciſta imperet dæmoni, vt moueat lapidem, vel aliud ſimile, plures, grauiſſimique Doctores cenſent, non excedere culpam venialem. Sic Sylueſt. *verbo Adiuratio quæſt.*5. *in fine*, & *q.*7. Caietanus 2 2.*quæſt.*90.*a.*1. *ad finem*. Sotus *lib.*7. *de Iuſtitia q.*3. *art.*2. *circa ſolutionem ad* 2. Nauarrus *ſum. c.* 12. *n.*28. Valent. 2.2.*diſp.*6.*quæſt.*8.*punct.*2. *circa finem, verſ. ad tertium*. Suarez *loco citato cap.*2.*num.*9. Leſſius *lib.*2. *cap.*42. *dub.*13. *num.*71. Sanchez alijs relatis *lib.*2. *ſum. cap.*42. *num.* 25. Bonacina *loco citato num.* 25. Ratio ea eſt: quia hæc interrogatio non videtur notabile ſignum beneuolentiæ, & amicitiæ cum dæmone.

In materia leui tantũ eſſe veniale, cẽſent plures Auctores

Cæterum verius exiſtimat Ferdinandus à Caſtro Palao *de Adiuratione diſp.*4. *punct.*4. *num.* 8. (per ſe loquendo) quamlibet interrogationem, quæ ad expulſionem non conducit, quamlibetque petitionem vani operis præſtandi, mortale peccatum eſſe: Quia hoc petere non potes imperio, ſed deprecatione. Non enim habes poteſtatem compellendi dæmonem ad hoc præſtandum: Quia non habes poteſtatem naturalem, vt de ſe conſtat. Nulla enim humana poteſtas ei comparari poteſt. Neque etiam habes poteſtatem à Chriſto acceptam: qui ſolùm ad expulſionem, & conculcationem dæmonis eam conceſſit. Ergo non imperio, ſed deprecatione petis; tametſi verbis imperatiuis vtaris. Petere autem deprecando, ipſemet Sanchez docet, ſemper eſſe mortale. Ergo ſemper eſt mortale illa interrogatio, & petitio. Confirmatur: Dæmon nec cogitur interrogationi reſpondere, neque opus illud poſtulatum præſtare; ſed ſponte reſpondet, & poſtulatum præſtat. At cum nihil dæmon ſpontè faciat, quod ob eius obſtinationem non ſit ex odio Dei, & ad obſcurandam eius gloriam, & noſtram perditionem procurandam, graue peccatum eſſe videtur, abſque neceſſitate occaſionem dare, hæc peccata tam grauia committendi, quibus dehoneſtatur Deus, & nos offendi poſſumus. Hæc Caſtr. Pal.

Mortale eſſe peccatũ, docet Caſtro Palao.

QVÆSTIO XVII.

An licitum ſit Exorciſtæ, præcipere dæmoni ſub pęna excommunicationis, vt Energumenum amplius non diuexet.

NOn deſunt Exorciſtæ, qui in ſuis exorciſmarijs talia præcepta formant, paſſimque veluti prælati formidabilè totius auctoritatis macherã deprõmetes, excõmunicationis maioris, & minoris latè ſententiæ mucrone dæmonem compellere tentant, vt è corpore Obſeſſi exeat; aut nubes, animalia, bruchos, & id generis irrationalia inſectantur, quaſi dæmones, ac illa irrationalia ſint excommunicationis capacia. 699

Illicitum eſt, præcipere dęmoni ſub pęna excommunicationis.

Illicitum ergo eſt dæmoni præcipere ſub tali forma: cum dæmon, & irrationalia ſint extra Eccleſiam militantem: *De his, quæ foris ſunt, nihil ad nos, c.Gaudemus. de Diuort. ſeu Conſor.* Blaſphemum inſuper eſt, hanc ſacram Eccleſiæ cenſuram ſic deriſui, & ludibrio habere: non ſecus, ac ſi quis ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ iuberet canibus, ne latrarent, & lupis, ne vlularent; aut vulpem abſolueret à rapinis gallinarum, &c. Ita docet Suarez *tom.*5.*par.*3. *diſp.*5.*ſect.*1. Sanchez *lib.*2. *in præcepta Decalogi cap.*42. *num.*32. Baucius in *Miſcellaneis pract. tract.* 1. *ibi Quartò petes*. & Lupus *Comment. Edicti S. Inquiſ. par.*3.*lib.*22. *diſt.* 4. *art.* 1. *diffic.*3. Hęc latiùs vide ſupra num. 284. & ſequentibus.

Ratio eſt manifeſta.

QVÆSTIO XVIII.

An ſit licitum Exorciſtæ dęmoni præcipere: vel irrationabilibus per terminos iudiciarios.

SOlent nonnulli, vt dæmonem expellant ab aliquo loco: vel ab eius iuriſdictione aliquem Magum, vel Maleficum volentem ſe ad Deum conuertere, eripiant, ac in libertatem aſſerant, litem inſtituere, conſtituere Iudicem, & duos Aduocatos, qui litem conteſtentur, in qua ſeruantur proceſſus ordinarij, & cætera acta iudiciaria perficiuntur, vt infra num. ſequenti. Sic hoc noſtro æuo in 700

Superſtitioſũ eſt inſtituere litem cũ dęmonibus:

varijs

varijs Italiæ Ciuitatibus actum fuiſſe, à teſtibus fide dignis audiui. At hoc illicitum eſſe, ac ſuperſtitioſum, ratio dictat. Nam quo iure, aut qua ratione autumant dæmonem compellere, à tali loco exire, ac Magum pænitentem derelinquere? An humana, vel diuina? Si humana; hallucinantur vtique: quia dæmon, cum ſit ſapientiſſimus, & doctrina ſuper omnes homines maximè polleat, Aduocatum, qui partem ſuam gerit, ſubtilibus inſtruet rationibus, & in ſomnis phantaſiæ, imaginatiuæ, ac memoriæ ſenſitiuæ ſubtiliſſima, ac validiſſima ſuppeditabit argumenta; immo ipſemet ſcripturis hoc præſtabit, (ſicut alicubi præſtaſſe quidam referunt) quibus alter domini loci; vel Magi pænitentis Aduocatus obrui, neceſſe ſit; Sicque vterque manifeſto ſe periculo exponunt, iſte, vt diaboli technis, ac fallacijs confundatur, & confuſus neſciat, quid loqui: ille verò auxilium à dæmone fauorem, & obſequium expectandi, ac recipiendi: quod grauiſſimum ſuperſtitionis eſt peccatum: vt docent D.Th. 2.2.q.90. *art*.2. & ibi Caietanus *a*.1. D.Anton. 2.*par. tit*.10. *cap*.8. Syluest. *verb. Adiuratio q*.7. Tabiena *num*.6. Sotus *lib*.8. *de Iuſt. quæſt*.3. *art*.2. Suarez *tom*.2. *de Relig. lib*.4. *de Adiurat. c*.2. *num*.8. *&* 9. Leſſius *lib*. 9. *de Iuſt. cap*.42. *dub*.13. *num*.70. *&* 71. Armilla *verb. Adiuratio in fine*, & Sanchez *lib*.2. *in præcepta Decalogi cap*.42. *num*.19.

Siue ratione humana fiat.

Si verò putant ratione, & auctoritate diuina dæmonem compellere è tali loco diſcedere, vel Magum pænitentem in libertatem aſſerere: tunc, cum hæc poteſtas competat Exorciſtæ à iure diuino, & ipſi communicata ſit ab Eccleſia independenter à voluntate demoniaca, cur ponere, ſub lite, quod certum eſt? Nonne Eccleſiam maxima afficiunt iniuria? Nam ſi loquamur de loco à dæmone poſſeſſo: cum poſſeſſio huiuſmodi ſæpè fiat, diuina permittente voluntate, ob aliquod dominorum vel incolarum ibi patratum crimen: hortetur Exorciſta loci dominos, vel habitatores, vt per pænitentiam, orationem, & eleemoſynam diuinæ iuſtitiæ vindicanti ſatisfaciant, ex præcordijs ad Deum confugiant, & totam ſuam in Deum collocent fiduciam; & confidant, quòd Deus, mediante poteſtate Eccleſiæ ſuis miniſtris communicata, Dæmones vertet in fugam; ideoque talem locum deſerent. Nec ſub lite ponat Dei, & Eccleſiæ poteſtatem: quia ſic & Deo, & Eccleſię maximam infert contumeliam. Si verò loquamur de Mago, aut Malefico ad Eccleſiam confugiente: tunc ſi credas, hominem viatorem, (etſi diabolo per pacta, ac publicas conuentiones ſe deuouerit, eique & corpus, & animam tradiderit, promiſeritque numquam ad Deum ſe conuerſurum, ac peccatorum ſuorum acturum pænitentiam,) adhuc per liberum arbitrium poſſe dæmoni abrenunciare, ad cor redire, pacta ſcindere, ſyngrapham deſtruere, peccata deflere, ac deteſtari, à dæmoniaca ſe eripere poteſtate, & à Deo peccatorum ſuorum veniam obtinere, (ſicut verè, & infallibiter Deus veris promittit pænitentibus, Ezech. cap. 18. dicens: *Si impius egerit pęnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iuſtitiam: vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor*.) Si credis, inquam, quòd Magus, & Maleficus per actus liberi arbitrij diuina adiutus gratia verè poſſit pænitere, & à diaboli tyrannide ſe ſubducere, cur vis ponere ſub lite, ac dubio, quod certum eſt, ac de fide tenendum? Dum ergo vis litigare de hoc! quod Catholica docet fides, oſtendis te nutare in fide.

Siue auctoritate diuina.

Tunc fit præiudicium poteſtati Eccleſiæ.

Ac libertati arbitrij.

Vide ſupra num. 387.

§. I.

IDipſum prorſus fatendum de ijs Adiuratoribus, qui vindicant ſibi artem quandam, aut poteſta- 701
tem peculiarem, vt à Deo conceſſam, expellendi, necandique campi bruchos, locuſtas, cantaros, & alia inſecta, atque vermina, quæ fructus, radices, & ſemina depaſcuntur, & ſpem agricolarum deludunt & tales multis in locis, vt refert Delrius *Diſquiſ. Magic. lib*.3. *par*.2. *quæſt*.4. *ſect*.8. ſolent à ruſticis quotannis magno pretio acceſſiri.

Superſtitioſũ eſt, litem inſtituere contra irrationalia.

Praxis eſſe ſolet huiuſmodi:

Impoſtor iſte ſe iudicem conſtituit: comparent coram eo duo procuratores: Vnus cauſam populi agens fungitur vice accuſatoris. Alius à Vicario Epiſcopi, vel Regio officiato loci conſtitutus vicem ſubit Rei pro locuſtis, vel alijs inſectis: Litem conteſtantur, & ſeruantur proceſſus ordinarij, omnes tricæ, ac moræ, ac dilatorij termini. Tandem in cauſa concluditur, & bellus Iudex fert ſententiam, qua inſecta illa, iubet, intra certum dierum ſpatium terminis illis territorij excedere, ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ, &c.

Praxis quorũdã oſtẽditur

Quis autem eſt tam ignarus, qui dictam artem non iudicet prorſus illicitam, & ſuperſtitioſam? Apertior enim eſt hic ſuperſtitio, quàm vt queat tegi. Quare iuremeritò ab omnibus Doctoribus Sanctis condemnatur: eò quòd lis inſtituatur contra creaturam irrationalem, quæ quid agatur, nec ſcit, nec ſentit, nec poteſt intelligere; propterea quis non agnoſcat, iniuſtam eſſe excommunicationem latam in eas creaturas, quæ nec mortaliter, nec venialiter peccare poſſunt? Et ſi lis intentetur aduerſus dæmones, à quibus fortaſſe mouentur, adhuc illicitum eſt, illos accuſare: aut defendere: vt ſupra latè probauimus *num*.386. *& ſeq*. Et ita docent Sotus *lib*.5. *de Iuſtit. quæſt*.12. *art*.2. *in fine & lib*.8. *quæſt*.3. *a*.3. *in fi*. Nauar. *lib*.5. *Conſil. tit. de ſent. excommu. in* 1. *edit. toto conſil*.5. *in* 2. *toto conſil*.2. Ciruelus *de Superſt*. 3. *par. cap*.10. Valentia 2.2. *d*.6. *q*.8. *punct*.2. Delrius *Diſquiſit. Magic. lib*.3. *par*.2. *queſt*.4. *ſect*.8. *& in Anacephaleoſi monit*.11. Sanchez *lib*.2. *in precepta Decalogi cap*.42. *num*.39. & Henriquez *lib*.13. *de excomm. cap*.25. *num*.1.

Improbatur Ratione.

Auctoritate.

QVÆSTIO XIX.

An licitum ſit Exorciſtæ medicinas corporales obſeſſis, ac maleficiatis applicare.

AD quæſtionem dico, neminem licitè poſſe, ac 702
ſine peccato artem medicam exercere, niſi in ea ſit peritus, ac communiter à peritis illius facultatis reputetur idoneus. Qui ſic reputari dicitur, ſi non ſecundùm propriam voluntatem; ſed iuxta artis medicæ ſcientiam regulatur, attentè, & diligenter conſiderando, & obſeruando:

Scientia requiſita in perfecto Medico.

Primò in perſonis complexiones corporum, diſpoſitiones humorum, varietates temporum, diſcretiones ſexuum, ac diuerſitatem ætatum: Quia alia medicina danda eſt debili, alia forti propter conſtitutionem corporum. Alia cholerico; alia flegmatico; alia ſanguineo; alia melancholico propter diuer-

Reſpectu perſonarum.

diuerſas diſpoſitiones humorum. Alia in hyeme; alia in æſtate; alia in vere, alia in autumno propter varietatem temporum. Alia viro; alia mulieri propter diuerſitatem ſexuum. Alia tandem iuueni; alia ſeni propter varietates ætatum. Ità Raynerius de Piſis *in Pantheologia de pænitentia à cap. 29. vſque ad 33.*

Reſpectu infirmitatum.

Secundò in infirmitatibus cõſiderando Diuturnitates; quia quantò morbus eſt diuturnior, ac prolixior, eò fortiori, ac validiori indiget medicina. Diuerſitates, nam ſimplex morbus medicina ſimplici, & per contraria eſt curandus. Contrarietates: contra enim cauſam infirmitatum calidam, frigida debet eſſe medicina; & è conuersò; ita quòd ſemper contraria contrarijs curentur. Quantitates: quia ſecundùm quantitatem morbi debet eſſe quantitas medicinæ. Qualitates denique: nam quando morbus cauſatur ex repletione, cura debet eſſe per euacuationem; & è contrà quando infirmitas cauſatur ex inanitione, tunc cura debet eſſe per reſtaurationem.

Reſpectu medicinarum.

Tertiò in medicinis attendendo varietatem, nempe quæ medicina ſit morbi corporalis ad extra attractiua: quæ immutatiua: quæ digeſtiua: quæ laxatiua: quæ conſtrictiua: quæ curatiua: quæ aperitiua: & quæ ſanitatis conſeruatiua.

Reſpectu herbarũ medicinalium.

Quartò conſiderando in herbis medicinalibus vires: eorum qualitatem, ac graduum diuerſitatem, videlicet quæ medicinalis ſit calida: quæ frigida: quæ humida: quæ ſicca: & in quo gradu habeat iſta: an in primo: vel in ſecundo: vel in tertio: aut in quarto.

Reſpectu curarum

Quintò denique conſiderando in curis qualitates & varietates, ac cætera, de quibus latiſſimè Medici tractant in ſuis pharmacopæis, ac medicis inſtitutionibus.

Quorum omnium ſufficientem debet habere notitiam, qui prætendit licitè, ac tuta conſcientia ægrotis medicinas exhibere corporales: vt docet Syluest. *verb. Medicus quæſt. 1.*

§. I.

703 EN modò mi curioſè Exorciſta, qui in alienã meſſem falcem mittere præſumis: tu te ipſum iudica, an licitè, ac tuta conſcientia valeas obſeſſis, ac maleficiatis medicinas exhibere corporales. Ediſſere, quis te edocuit, agnoſcere corporum conſtitutiones, diſpoſitiones humorum, & id generis in perſonis alia neceſſariò attendenda? Cuius Doctoris præceptis fuiſti imbutus ad cognoſcendas infirmitatum diuerſitates, contrarietates, quantitates, & qualitates? In qua paleſtra medica ſecernere didiciſti medicinas attractiuas ab immutatiuis digeſtiuas à curatiuis: laxatiuas à conſtrictiuis: aperitiuas à conſeruatiuis? Quas pharmaceuticas inſtitutiones, pharmacopæas, ſiue antidotaria peruoluiſti, vt herbarum medicinalium vires, qualitatem, ac graduum diuerſitatem probaueris? Quanto tempore ægrotorum curis operam nauaſti, vt de eorum qualitatibus, ac varietatibus periculum feceris; ægrotiſque neceſſaria ad ſanitatem conſequendam, ac conſeruandam præcepta tradideris? quo Collegio, vel Vniuerſitate conceſſa eſt tibi medendi facultas? Quid reſpondes ad hæc? Neſcis quid loqui! Nonne vides, dum ſecundùm tuam voluntatem, non ſequendo artis medicinæ regulas, ægrotis medicamina præſumis exhibere corporalia, cæcus es, & dux cæcorum? Cæcus inquam; quia operaris ſine lumine rationis; nec artis medicę ſcientiam, ac præcepta calles. Et licèt videaris in cælum læuam porrigere, aſtraque indice notare, dum cæleſtium influxuum, ac rerum medicinalium exploratorem, expertumque te iactitas; te tamen prodis caput aſini habentem, quia non capit mens tua res humanas, nec ſenſus res diuinas; abuteriſque ratione ad intelligendum, atque ipſo corpore ad operandum. Fis dux cæcorum; nam ægroti, dum ad te confugiunt exiſtimantes, proprijs conſulere morbis, cęci ſunt, & palpitant in tenebris, fiuntque Corebo ſtultiores. Nullum enim diſcrimen ponunt inter album, & nigrum, inter lyncem, & talpam, inter luſciniam, & vpupam, inter ſapientem, & ignorantem. Hinc ſequitur, *Dum cæcus cæco ducatum preſtat, ambo in foueam cadunt:* (vt Ieſus Seruator noſter admonet Matthæi 15.) Exorciſta in foueam lethalis culpæ: Ægroti necis corporeæ.

Exorciſta ignarus prædictorum illicitè ægrotis corporales medicinas exhibet. Error grauiſſimus exorciſtarũ oſtenditur.

§. II.

EXxorciſta in foueam tunc cadit lethalis culpę, cùm ex notabili ignorantia, vel imperitia in 704
ſua cura nocet infirmo. Facit enim contra illud: *Non occides de pænit. d. 1. cap. homicidium.* Vbi teſte Auguſtino lib 19. contra Fauſtum cap. 23. *Aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari.* Et ſecundùm Ricardum tenetur infirmo ad æquiualens, ex quo non poteſt reſarcire principale; immò etiamſi ſanitas ſequatur, peccat mortaliter, quia expoſuit ſe periculo peccati mortalis, ideſt operi, vnde ſequi poteſt notabile damnum proximo: ita docet Syluester *ver. Medicus quæſt. 1.* & Iacobus de Graffijs *lib. 2 Deciſion. aurear. cap. 61. num. 57.* Nec eum excuſat ignorantia iuxta illud Ouidij *Epid. 19.*

Exorciſta quãdo peccet mortaliter ægrotis medicinas tradẽdo corporales.

Præteritę veniam dabit ignorantia culpæ.

Neque inuoluntarium detrimentum, quia licèt hoc non intendat, nec velit directè; Voluntariè tamen exponit ſe ad illud, vnde hoc natum eſt ſequi, vt habetur *15. q. 1. cap. meritò & §. obijcitur de Lamech:* quia non ſequitur traditiones artis, vt notat Petrus *in auth. Sed hodiè. C. de iudicijs.* Ideò eius imperitia, & ignorantia culpæ annumerantur. *L. ſi quis fundum. §. Celſus ff. loc. & L. imperitia ff. de reg. iur.* Hoc tamen Panormit. *in cap. ad aures de ætat. & qualit.* limitat, quando aſſumit officium voluntariè. Secus ſi ex neceſſitate bona fide fecerit, quod potuit deficientibus Medicis: Ita Syluest. & Iacobus de Graffijs *loco citato*.

Ignorantem ſe prodit.

Nec ipſum iuuat alia excuſatio; niſi quòd medicinę in libris ſic ordinatæ inueniuntur. Sed & in hoc ſuam ipſemet Exorciſta prodit ignorantiam, dum medicinas in libris ordinatas legens, documenta præpoſita pro talium medicamentorum vſu neceſſaria omittit; legitque antecedens ſine conſequente, vel conſequens ſine antecedente; Vel neſcit connectere antecedens cum conſequente. Vel non nouit diſtinguere inter propoſitiones de poſſibili, & de facto, inter vniuerſales, ac particulares, inter indifinitas, & ſingulares; ideò in penè innumeros incidit errores; ac tam imprudenter circa hoc ſe gerit, quòd ſine aliqua cognitione, an talis perſona ſit maleficiata, vel aliqua naturali laboret ægritudine, prædictas medicinas, quas deſcriptas in libris reperit, illis prębet; & quot videt infirmos, tot maleficiatos eſſe iudicat. Hoc teſtantur Valerius Polidorus *part. 2. Diſper. dęmonum cap. 9.* Maximilianus ab Eynaten *in Manuale Exorciſmorum part. 1. inſtruct. 3.* Hoc illicitum eſſe, ait Sanchez *lib. 2. in pręcepta Decalogi cap. 42. num. 31.* Guilhelmus Philiarcus *de off. Sacerdotis tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 11.*

cap. 11. & Hieronymus Menghus *Fuga dæmonum cap.* 10.

§. III.

705 *Auarum ſe oſtẽdit*

NEc tantùm ignorantes; ſed pecuniæ ſeruientes, & auaritiæ ſtudentes ſe oſtendunt. Nam imitar circulatorum aquas, oleum, & pulueres, alioſque liquores vendunt maleficiatis ad ipſorum maleficiales curandas infirmitates; nihilque honorem Dei, & clericalem dignitatem exiſtimantes, de Exorciſtis, qui debent eſſe, euadunt Simpliciſtæ, Pſeudomedici, & Circulatores, hanc, vel illam herbam contra dæmones quærentes, medicinas, pulueres, & his ſimilia maleficiatis, & à dæmone obſeſſis abſque aliquo conſilio Medicorum prębentes, etiam contra præcepta, regulas, & ordines in libris huius artis præſcriptos temerariè ſibi officium Medicorum vſurpant, vt magis poſſint augere pecuniam: ſic mundum ſcandalizant, hoc ſacrum exercitium deturpant, & reputationem, honoremque à veris auferunt Exorciſtis. Ideò iuremeritò dici poſſunt in foueam cadere lethalis culpæ, præter irregularitatem, quam incurrunt, dum cum ipſis ſpiritibus immundis quandoque etiam animas quorundam ex ipſis corporibus excutiunt: Ita etiam contra huiuſmodi Exorciſtas inuehitur, ac de eis conqueritur Menghus *loco citato*.

§. IV.

706 *Ægroti vt cęci in foueã necis corporea cadunt.*

PAri modo Ægroti ab huiuſmodi Exorciſtis ducti, vt cæci cadunt in foueam necis corporeæ. Experientia enim rerum magiſtra docet in dies, eorum, qui ab hiſce Exorciſtis, vel Religioſis, vel etiam mulierculis, alijſq; huiuſmodi pſeudomedicis alexipharmaca ſumpſerunt, puta antimonium pręparatum, catapotiam, ſcammonium, elleborum, colocynthidem, ac cætera huiuſmodi medicamina pro ſanitate conſequenda, plures, feſtinanter viam vniuerſæ carnis eſſe ingreſſos. Sic fatetur Zacharia Vicecomes *in Complem. art. Exorciſt. loco citato* ſe vidiſſe aliquos Exorciſtas ſine conſilio Phyſicorum medicamina ægrotis exhibentes, eos occidiſſe. Vnde etiam Alexander Albertinus *in ſuo Malleo dæmonum in epiſtola nuncupata, Documentum ad vexatum*, ſic eum admonet: *Te hortor, ſi quis Religioſus tibi vellet corpoream exhibere medicinam, quòd eam omnino reſpuas, nec vllo modo ſumas: quia ego proprijs oculis vidi nonnullos iuuenes veſpere à quodam Religioſo aliqua ſumpſiſſe medicamina qui poſt ſex, vel ſeptem horas vltimum obiere diem; quod mihi maximum fuit ſcandalum*. Hoc idem eueniſſe in territorio Bergomenſi egomet audiui.

Quare, cùm maleficio additur morbus naturalis, ſiue à cauſa naturali, ſiue à dæmone excitatus, infirmus ſe committat Medico, qui diſponat ſicut expediens iudicauerit. Et licèt varij Auctores ſuis exorciſmarijs varia corporalia appoſuerint medicamina; multas tamen circunſtantias addiderunt, quę nec obſeruantur, nec intelliguntur à multis.

§. V.

707 *Exorciſtæ, quãuis in arte medica periti prohibentur corporeas medicinas exhibere*

SEd eſtò quòd plenam, atque perfectam habeat Exorciſta artis medicæ notitiam, adhuc illi onus medicinas corporeas exhibendi, non incumbere nemo eſt, qui ambigat. Clericis enim, qui ſunt in ſacris, vel etiam in minoribus conſtituti (dum tamen ſint ſufficienter beneficiati) ſecundùm Raynutium non licet operari in medicina phyſica, niſi gratis, pro miſerabilibus perſonis, vel conſanguineis; nec tunc vbi poſſet eſſe periculum, Quod etiam in clauſtralibus diſtrictiùs eſt obſeruandum, vt habetur in titulo *Ne Clerici, vel Monachi ſęcularibus negotijs ſe immiſceant*.

Hoc idem in Rituali Romano (vbi de forma exorcizandi obſeſſos agitur) Exorciſtis cauetur his verbis: *Caueat proinde Exorciſta, ne vllam vmquam medicinam infirmo, vel obſeſſo prębeat; aut ſuadeat; ſed hanc curam Medicis relinquat*. Huiuſmodi Exorciſtarum inconuenientia conſiderans etiam Epiſcopus Parmenſis Anno Domini 1621. teſte Bordono *Reſolut.* 7. ſub pęna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda præcepit ſuis ſubditis Exorciſtis, ne auderent vllo modo prębere anthimonium, oleum, aut quoduis genus medicinæ, niſi de conſenſu Medici.

QVÆSTIO XX.

An ſit licitum Exorciſtæ, cum ægrotis, obſeſſis, aut maleficiatis Chirurgi munere fungi.

HÆc quæſtio iuremeritò eſt examinanda: quia experientia docet in dies plures Exorciſtas ſæpiùs hoc ſibi vendicare munus. 708

Varij Exorciſtę munus Chirurgi ſibi aſciſcunt. Quorum Alij partẽ vexatam palpant.

Alij enim Obſeſſos, ac Maleficiatos, præcipuè adoleſcentulas, ac iuuenculas manibus ſuis tangunt, & partem vexatam palpant, modò vultum, modò pectus: tunc brachia, nunc manus: ſæpe collum, ſæpe pectus perfricando, donec dæmon ad manum ſacerdotalium contactum aufugiat; ſic à teſtibus omni exceptione maioribus audiui, quoſdam Exorciſtas tales exercuiſſe functiones, ad quorum contactum, ac perfricationem fingebat dæmon maximam percipere vexationem, ſed vtinam per talem actum tam in iuuencula, quàm in Exorciſta alteram vexationem, carnalem nempe delectationem non excitaſſet, ob quam multoties Exorciſtæ ad baratrum peccati peruenerunt.

Hoc prohibitum eſt à S. Carolo Borrhomęo.

Quis audebit talem exorcizandi modum approbare? Si dæmon compoſitus eſſet ex humoribus, ita vt in corporis ſuperficie abſconſus ſtaret, poſſet vtique Exorciſta manibus corporis læſas partes contrectare; ſed cum dęmon ſit ſpiritus immaterialis, ad quid tangere partem corporis vexatam? Quare iuſtiſſimè hoſce tactus prohibuit S. Carolus Borrohomæus *in Synodo* 4. *Prouinciali*. Ideoque Exorciſta oculis, & manibus, & in omnibus ſuis motibus, & actionibus debet eſſe pudicus, & cautus non ſolùm propter ſeipſum; verùm etiam propter Obſeſſam; & eò magis, quò minùs eius cogitatus agnoſcit: tum etiam ne ſcandalizentur circunſtantes.

§. I.

ALij vnctionibus, ac lenimentis partes à dęmone vexatas inungunt. Quarum vnctionum vſus licèt ſit licitus, & bonus, ſi rectè exerceatur, vt fecerunt plures Sancti; Veruntamen valde periculoſus eſt. Nam dæmon verſipellis, qui pręſentialiter Obſeſſum, ac Maleficiatum vexat in corpore, torquendo nunc caput, nunc collum: modò bra- 709

Alij partes vexatas inungunt. Vſus vnctionum

etſi licitus ſit, ſi rectè fiat tamẽ eſt periculoſus. Experiẽtia docet

brachia, modò pectus: nunc renes, nunc ventrem: ſæpè coxas, ſæpè crura, ac cæteras partes corporis etiam verecundas, ad vnctionem olei, dummodo vnctio fiat manibus Exorciſtæ, illicò aufugit: nec aliter à vexatione ceſſare vult, quicquid remedij adhibere tentent. Vndè, cum (vt plurimùm) mulieres iuuenculæ, & adoleſcentulæ pulchræ, ac venuſtæ huiuſmodi vexationibus dæmoniacis afficiantur, tunc dæmon aſtutiſſimus data occaſione magis, magiſque ſuos tendit laqueos, ſuaque expandit retia, vt in naſſam incautos trahat Exorciſtas. Ideoque tales mulierculas vexare incipit in collo; nec ceſſat à tali vexatione, donec Exorciſta ſuis ſacratis manibus oleo ſacro collum inungat: tunc dęmon è collo velut fulgur fugit ad pectus, & illud torquet: iterum neceſſe eſt, ad dæmonem fugandum, Exorciſta manibus ſuis pectus oleo liniat; ſed ecce repente vt ventus validiſſimus dæmon ſub mamilla ſe abſcondit, & vexat, quam denuò oportet, Exorciſta manibus tangat, & vngat, deuotè tamen, & honeſtè. Hinc ſtatim fugit, ac recedens ſe recipit ad matricem, & eam acriter torquet: tunc Exorciſta caſtitatis amator renuit illas tangere partes; ſed clamat adoleſcentula, ac ſuppliciter rogat, vt tangat, quia neceſſitas vrget, citò vngendi, & liniendi, quia dolor nimis cruciat, & vrit, affirmans nullum in tantis pænis aliud ſentire leuamen, quàm ex tactu ipſius manuum ſacerdotalium. Quare bonus Exorciſta charitate ductus, ac pietate impulſus, tangit partes illas verecundas, vngit, & lenit cum maxima tamen verecundia. Sed ecce follicularius dæmon interim, qui adoleſcentulam torquebat, ex tali manuum contactu magnum ei affert oblectamentum, & dirum, durumque angorem in carnalem mutat ardorem, ac ſimul in tangente Veneris faces accendens, non ceſſat, donec ex vnctione eos trahat ad coniunctionem. Quod hoc noſtro æuo nonnullis Exorciſtis etiam animarum Parochis in quadam Lombardiæ diœceſi nimio ſuo damno, totius populi ſcandalo, artis exorciſticæ infamia, & Chriſtianæ Religionis ignominia euenisse, in comperto eſt; qui etiam pęnas tanto ſceleri debitas ſoluere coacti ſunt.

§. II.

710 *Alij vtũtur balneis, ſed cum magno patientis detrimẽto.*

Alij balnea adhibent: alij ſuffumigia ex ſulphure, ex ruta, ex limatura vngulæ aſini, ex ſtercore canis, & alijs huiuſmodi; ſed vtique cum maximo Obſeſſi, aut maleficiati detrimento.

Nam qui balneis vtuntur, illa parant ex lixiuio cum cinere oliuarum, & aqua fluminis, in quibus ebulliant ruta ſabina, hypericon, artemiſia, verbena, palma Chriſti, & ariſtolochia rotunda, in quibus iubent totum corpus obſeſſi, vel maleficiati immergi, & ablui. Sed, ſi putant his balneis dæmonem fugare, valde hallucinantur: quia nulla res corporalis agere poteſt in dæmones actione ſiue phyſica, ac reali; ſiue intentionali ſenſibili, aut phantaſtica. Immo ſæpius Obſeſſo, ac Maleficiato maximo ſunt detrimento: cum balnei vſus iuxta Medicorum placita tot expoſcat conditiones tum ex parte morbi, & ægrotantis: tum ex parte balnei, & miniſtrorum, vt difficillium ſit, omnes ſimul conuenire. Quare ſatius erit Exorciſtæ, balnea Medicis relinquere paranda, prout ipſi expediens iudicauerint: vt bene admonet Codroncus *de morbis venefic. lib. 4. cap. 5.*

Qui verò ſuffumigia adhibent, recipiunt galbanum, ſulphur, aſam fetidam, ariſtolochiam, hypericonem, rutham, carnem, vel limaturam vngulæ aſini, canis, ac diaboli ſtercora, vt videre licet in Flagello dæmonum Hieronymi Menghi, & Compendio Artis Exorciſticæ Zachariæ Vicecom. *par. 1. de rebus corporalibus*; ex quibus facto fætido ſuffumigio maleficiati, aut obſeſſi nares fumigant; vt dęmon tali perculſus odore in fugam verſus ab obſeſſo recedat. Sed quid hiſce ſuffumigijs operantur iſti Exorciſtæ? Mortuos incenſant, & lapides eliuant. Ipſi enim dæmones de nulla re magis delectantur, quàm de rebus fætidis: vt patet in omnibus eorum apparitionibus corporeis, in quibus ſemper fætores percipiuntur. Fingit tamen verſipellis dæmon, hiſce ſuffumigijs magna ſe affici moleſtia, vt ignarus Exorciſta diaboli aſtutiam non præcauens, iterum, & iterum ea repetat, ac replicet; quæ, (cum ſint calida, & calidi natura ſit aſcendere) ad ægroti caput aſcendunt, ſecumque alios vapores adducunt, qui ſimul illud implentes, in eo grauitatem efficiunt, ac cum maximo ipſius patientis detrimento ſua caliditate quandoq; inflammationem progignere, & humores frigidos fundendo epilepſiam, apoplexiam, conuulſionem, & alios graues morbos excitare poſſunt: vt docet Codroncus *lib. 4. de morbis veneficis cap. 6.* Quare Exorciſta à ſe procul abijciat talium ſuffumigiorum vſum, ac remedijs ſpiritualibus, de quibus in toto hoc tractatu peragitur, vtatur, ac pro virili dæmonem in fugam vertat.

Alij ſuffimigia adhibent quæ varias in patiente ęgritudines cauſare poſſunt.

QVÆSTIO XXI.

An licitum ſit Exorciſtæ, Energumenum vexare flagellis, & dehoneſtare opprobrijs, aliaue ſimilia facere.

Breuiter reſpondent Petrus Thyreus *de dæmoniacis cap. 46. num. 31.* Sanchez *lib. 2. in præcepta Decalogi cap. 42. num. 30.* Bonacina *tom. 2. diſp. 4. de Iuram. part. vlt. num. 12.* & Ferdinadus à Caſtro Palao *de Adiuratione diſp. 4. punct. 4. num. 25.* licitum eſſe, ſi prudenter, & moderatè fiat, ea, inquam, moderatione, vt potiùs in conculcationem dæmonis, quàm in afflictionem Energumeni cedat. Nam cum illæ actiones ea ſolùm ratione ad expulſionem dæmonis conducant, quatenus dæmon illis conculcari ſe ſentit, videns ob ſuam cauſam Energumenum vilipendi, eiuſque corpus malè tractari, (eſtò grauiter Energumeno moleſta non ſint) effectum habere poſſunt. 711

Aliqui ſentiunt licere flagellis vexare Energumenum, ſi honeſtè, & moderatè fiat

Verè prædicti Auctores benè locuti ſunt, addentes illa verba: *ſi prudenter, & moderatè fiat, &c.* Sunt enim aliqui Adiuratores, qui non Exorciſtæ, ſed tortoris ſæuitiam exercent, ac crudelitatem grauiter Energumenum exagitantes flagellis, & alapis, ac pugnis percutientes, bouum neruis, ac fuſtibus cædentes, longa terræ ſpatia lingua verrere iubentes; addenteſque doloribus dolores, vexationem internam dæmonis, vexatione externa dira, & crudeli, faciunt & prolixiorem, & intolerabiliorem. Heu miſeri illi arreptitij, qui talium tortorum diſcretioni ſe committunt. Nam graue ſatis eſſet, tortorem dæmonem habere internum, abſque eo quòd carnificem etiam Adiuratorem haberent externum. Ideò hoc immeritò damnant plures Auctores: Ita Iacob. Simanc. *de Cathol. inſtit. tit. 63. num. 32. allegato Bartholomeo Sibilla.* Delrius *lib. 2. Diſquiſit. Magic. quæſt. 30. ſect. 3.*

Sunt aliqui. Adiuratores Obſeſſorũ carnifices, ac tortores.

Satius eſt totaliter prædicta relinquere.

Satius ergo erit Exorciſtis, omnino ſe ab huiuſmodi pęnis afflictiuis miſeris Energumenis infligendis abſtinere. Nam cum dæmon ſit ſpiritus incorporeus, non afflictionibus corporeis, ſed verbis contumelioſis, & obiurgatorijs eſt conculcandus; vt latè docetur infra *n.733.* Energumenus verò, ac Maleficiatus verbis blandis ſuauitate conditis, ac conſolatorijs ſubleuandus, pro ſua liberatione in ſpem erigendus, & excitandus ad fiduciam in Deo collocandam, nec non ad dęmonem deteſtandum, & conculcandum; vt infra *p.3.* docetur.

QVÆSTIO XXII.

An Exorciſta licitè poſſit fictionibus vti, ad probandum, an aliquis ſit verè, vel imaginariè, aut fictè obſeſſus.

712

Quidam fictionib. vtuntur ad veros aut fictos obſeſſos agnoſcendos.

HÆc quæſtio mouetur propter eos Exorciſtas qui ad probandum, an aliquis ſit à dęmone obſeſſus verè, vel tantùm fictè, aut imaginariè, pro Reliquijs Sanctorum ad illum benedicendum, vtuntur oſſibus animalium brutorum, vel hominum mortuorum, qui ab Eccleſia non vt ſancti ſunt reputati: Vel pro Reliquiario adhibent paruulum horologium: vel quid aliud ſimile: pro libro exorciſmorum libro poetarum, vel fabularum, vel id generis fictiones præſtant, attendentes, ſi dæmon huiuſmodi res fictas agnoſcat. Nam ſi perſona obſeſſa ad talium applicationem, nedum vllum ſentiat dolorem, aut moleſtiam; ſed potius ſubrideat, dolum, ac fictionem manifeſtans, tunc concludunt, eam verè, ac realiter eſſe à dæmone obſeſſam. Si verò ad eorum applicationem clamet, ac dicat ſe nimis aduri, & roget, vt illa auferant, tunc argumentantur, eam non eſſe verè; ſed tantùm fictè, vel imaginariè obſeſſam.

Hoc illicitũ eſſe probatur

Veruntamen dicimus, illicitum eſſe Exorciſtæ hiſce fictionibus vti. Ratio eſt: tum quia illicitum eſt, & inconueniens, miniſtros Eccleſiaſticos in ſuis functionibus, ac miniſterijs eccleſiaſticis, fictiones, ac ſimulationes adhibere: Tum etiam quia dęmon, qui eſt aſtutiſſimus, cùm talia fictitia nouit applicari, poteſt clamare fingendo ſe nimis cruciari, & aduri ab huiuſmodi rei fictæ applicatione, vt tam Exorciſta, quàm parentes perſonæ obſeſſæ huiuſmodi clamores audientes, ac ſcientes res illas eſſe fictitias, ac ſimulatas, exiſtiment eam non verè, ac realiter; ſed duntaxat imaginariè, aut fictè eſſe obſeſſam. Sic impoſterum remedia ſacra totaliter abijciant, nec ampliùs per exorciſmos, ac miniſteria eccleſiaſtica eam à dęmoniacis vexationibus liberari curent. Prorſus ergo fictiones fugiant Exorciſtæ, & ad probandum, an aliquis ſit verè, vel fictè, aut imaginariè obſeſſus, ſeruent documenta, quæ habentur infra *num.* 747.

QVÆSTIO XXIII.

An Obſeſſi, ſeu Energumeni, ac Maleficiati per ſolum diſſenſum voluntatis poſſint ſeipſos à quacumque dæmoniaca vexatione totaliter liberare.

HVnc modum ſe à dæmone eripiendi per diſ- 713

Hoc tuentur aliqui Exorciſta Theologi Rationibus.

ſenſum, tuentur nonnulli moderni Exorciſtę Thologi rationibus, & auctoritatibus; ſimulque experientia ſuam probant aſſertionem. Qui modus, cum doctrinæ à me in hoc opuſculo allatæ aduerſetur, neceſſariò eò attentiùs, maturiùs, ac diligentiùs eſt diſcutiendus, quò magis inuſitatus, & tamen à quibuſdam viris doctis probatus, & ab aliquibus Exorciſtis famoſioribus in praxim ductus: & ab eis, vt mirabilis prædicatus. Expendamus ergo huiuſce opinionis fundaměta principalia poſita in quodam opuſculo manuſcripto, cuius exemplar à pluribus Exorciſtis cōſeruatur; eiuſque quidditatem medullitùs inquiramus; & vtique inueniemus eam non ſuper ſtabilem petram doctrinæ euangelicæ; ſed ſuper arenam eorum propriæ imaginationis eſſe fundatam, coloribuſque adulterinis duntaxat concinnatam; & latere anguem in herba.

§. I.

Fundamenta dictæ opinionis.

PRimum fundamětum, quod eſt eorum Achilles, 714

Primaratio ſumpta à cōſenſu voluntatis.

ad quod in omnibus ſuis reſpōſis cōfugiunt, hoc eſt: In regularibus vexationibus non poteſt dæmon ſine conſenſu ipſius hominis (ſaltem interpretatiuo) ſuggeſtioni diabolicæ priùs præſtito ingredi corpus eius, illudque actualiter vexare. Quia, cum dæmonis poteſtas per paſſionem Chriſti fuerit alligata, immò totaliter ablata: nec Deus præciſè permittat (vt ipſi dicunt) in regularibus vexationibus aliquem vexari, niſi in caſibus particularibus, qui per diuinam manifeſtantur reuelationem, non poteſt dęmonis poteſtas relaxari, niſi priùs ipſe homo diabolicæ conſentiat ſuggeſtioni: quod poteſt eſſe multipliciter, puta, Vel credendo, dæmonem habere poteſtatem corpus ſuum intrandi, illudque vexandi: Vel dæmonem timendo, ita, vt patiens credat, eſſe periculum maleficiorum: Vel imaginando, ſe eſſe maleficiatum, aut obſeſſum: Vel alteri id generis ſuggeſtioni diabolicę conſentiědo.

Eius confirmatio ſumpta à Credulitate, Timore, Imaginatione.

Ab oppoſitis ergo (aiunt) ſi ab hiſce ſuggeſtionibus homo diſſentiat, vel credendo, dæmonem aduerſus ipſum nihil poſſe: Vel nullum periculum adeſſe maleficiorum: Vel imaginando ſe non eſſe maleficiatum, aut obſeſſum: Vel ab alia ſimili ſuggeſtione diſſentiendo, dæmon neutiquam poterit eum poſſidere, aut vexare. Et ſi corpus ſuum fuerit ingreſſus, eò quòd alicui eius conſenſerit ſuggeſtioni, per huiuſmodi diſſenſum illicò exire, ac recedere cogetur: quia ſicut poſita cauſa ponitur effectus: ita remota cauſa remouetur effectus *c. cum ceſſante de appellat. & L. generaliter. C. de Epiſc. & Cleric.*

Secundum fundamentum. *Deus fecit hominẽ rectũ & re-*

Secunda ratio ſūpta à libertate arbitrij. *& reliquit eum in manu conſilij ſui*. Eccl. cap. 15. hoc eſt in ſua libertate, non ſolùm quoad operationes animæ; ſed etiam corporis, prout anima eo, vt organo vti, neceſſe habet. Sicut ergo contradicentibus nobis non poſſunt dæmones animæ nocere, ita nec corpori; aliter fieret præiudicium libero arbitrio; quod non conuenit ordini diuinæ Prouidentiæ: quia cum corpus ſubdatur imperio voluntatis, (quod eſt ſibi naturale) non poteſt dæmonis imperio (quod eſt accidentale) ſubiacere, ſi voluntas ipſa contradicat: cum non poſſit idem corpus ſimul duplici imperio ſubiacere, niſi imperia ſint ſubordinata: vel vnum cedat alteri.

Tertia ratio ſūpta à prouidētia naturæ vniuerſalis. Tertium fundamentum. Natura prouidit omnibus creatis neceſſaria non ſolùm quoad ſufficiētiam victus, & veſtitus; ſed etiam quoad congruentem defenſionem ſuppoſiti, vt ab inimicis proprijs præſeruetur: Ergo ſicut alia animalia habent, quo naturaliter poſſunt ſe defendere: ita & homo debet habere, quo naturaliter poſſit dęmonis poteſtatem impedire, ne ſibi noceat. Hoc autem aliud non eſt, quàm ratio, ſeu liberum arbitrium.

Nec eſt dicendum (addunt) quòd remedia dederit ſpiritualia, quia adhuc ſequitur, quòd natura defecerit in neceſſarijs. Nam cum dęmones pugnent viribus naturæ, nempe intellectu, & voluntate contra hominem, adhoc vt bellum ſit iuſtum, debet eſſe eiuſdem generis armorum; ideoque & homini naturæ viribus, intellectu nempe, & voluntate aduerſus dæmonem eſt pugnandum, aliter Auctor naturæ defeciſſet in neceſſarijs, quod eſt inconueniens.

§. II.

Auctoritates, quibus ſuam probant opinionem.

715 *Auctoritatibus.* AVctoritatibus inſuper ſuam conantur probare opinionem, adducentes verba D. Petri Chryſologi ſerm. 16. dicentis: *Dęmones lædere non valent, niſi iuſſi*. S.Ambroſij in Pſalmum 118. *Aduerſus diabolum non vocis magnitudine, ſed magnitudine cordis vtendum eſt*. D. Auguſtini ſerm. 197. de tempore. *Fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluntatem noli coniungere, & ille ad te non præſumet accedere: latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omninò non poteſt, niſi volentem*. Chriſtus etiam cum Paralyticum ſanauit, priùs conſenſum ab eo expiſcatus eſt, dicens: *Vis ſanus fieri?* Et in ſanitatibus conferendis requirebat conſenſum infirmorum, ergo, &c.

§. III.

Fundamenta prædictæ opinionis deſtruuntur.

716 *Prima ratio improbatur.* HÆc ſunt profectò huiuſce opinionis fulcimenta, hæc ſunt illuſtria, ac valida munimenta, quibus mirabilis apparet. Sed modò ingenioli mei acie ferar ad ea, & funditus eorum ſtabilitatem, firmitaremque experiri conabor.

Primum fundamentum, quàm ſit infirmum, ac debile, non mediocriter ſcienti non eſt ignotum. Suppoſita enim diuina permiſſione, qua mediante, abſque vlla alia particulari reuelatione, ac manifeſtatione quodlibet maleficium, ac quæuis à dæmone vexatio fieri ſolet, vt latè probatum eſt ſupra *cap. 2. vbi de diuina permiſſione*. Dico, diabolum ex vi naturæ ſuæ, (cum ſit ſpiritus) poteſtatem habere naturalem ſuper omnia corpora ſublunaria, illaque mouere poſſe motu locali è voto ſuo ſine hominis conſenſu, imò ipſo contradicente: (eò quia, vt docet Auguſtinus *lib. 83. qq. q. 79. & lib. 3. ſuper Gen. ad lit.* quem ſequuntur communiter omnes Theologi, materia corporalium ſublunarium obedit Angelis ſiue bonis, ſiue malis quoad motum localem;) quo motu etiam actiua paſſiuis applicando, illam mouere, turbare, & alterare poteſt, vt lubet, niſi à Deo impediatur per ſe, vel per Angelos, vt benè probatum eſt ſupra *n. 593. & ſequentibus*.

Nec obſtat, quòd dęmonis poteſtas religata ſit in pœnam peccati ſui, & per paſſionem Chriſti totaliter ablata: quia non eſt religata, & ablata pro omnibus abſolutè, & efficaciter, aliter dęmones numquam poſſent alicui nocere, etiamſi illis ſuum præſtaret conſenſum; ſed reſpectiuè pro illis, qui in potentia, virtute, ac bonitate Dei, vel efficacia Sanctiſſimi Nominis Ieſu ſuam conſtituunt fiduciam, in adiutorio Altiſſimi habitantes: Vel etiam Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum Angelorum ſuffragia, ac protectionem implorantes: Vel pro his quoque, quibus Deus ob aliquod bonum publicum, vel priuatum, dęmones nocere non permittit; vt ſupra docui *n. 530*. *Inſtātia refellitur*

Et quis tam mente captus inuenitur, qui crudeliſſimum hoſtem in ſuo proprio corpore inhabitare, conſentire velit, ac crudeles torſiones, ac vexationes, quæ ſæpiùs etiam ſpiritualia impediunt exercitia, voluntariè appetat? Eſtò multi diabolicis, quæ in peccatum inducunt, conſenſum præſtent ſuggeſtionibus: At hæc ſub ſpecioſo velamine boni ſenſibus objiciuntur. Sed vexationes diabolicæ nihil boni naturalis, neque apparentis ſecum admixtum habent. Nemo ergo niſi deſperatione ductus: vel aliquo ſpiritualis deſiderij exceſſu patiendi pro amore Dei: vel pro breui tempore, vt exinde ſumatur occaſio poſtea totaliter ab illis ſe eximendi, conſenſum præſtabit. Immò vexati vellent omnes ſe eripere à dæmoniacis vexationibus, ideò remedia quærunt. In quo expreſsè oſtendunt, ſe explicitum habere diſſenſum, ac nolitionem talium vexationum.

§. IV.

SEd dicunt iſti Theologi in ſua Theorica *quæſt. 18. in reſponſione ad 7*. Vexatos velle quidem omnes liberari, & hac de cauſa quærere remedia, vt ſanentur: quia propriam nolunt vexationem. At quia volunt illam implicitè, ideò non curantur, donec etiam conſenſus implicitus fuerit reuocatus, atque remotus. 717 *Obiectio eorum.*

Reprobatio. Verùm quis non videat hoc nullatenus conſiſtere poſſe? Nam ſicut conſenſus explicitus, ſeu volitio explicita alicuius rei includit conſenſum, ſeu volitionem implicitam, ſiue interpretatiuam eiuſdem: ſic diſſenſus, ſeu nolitio explicita includit diſſenſum, & nolitionem implicitam, ſeu interpretatiuam reſpectu eiuſdem rei. Modò conſenſus, & diſſenſus, ſeu volitio, & nolitio ſunt duo actus poſitiui voluntatis contrariè oppoſiti; ita quod poſito vno remouetur reliquum, vt docet Ariſtot. *Poſtprædicam*: quia non poſſunt ſtare ſimul reſpectu eiuſdem, eodem tempore; Ergo ſi vexatus habet diſſenſū, ſeu nolitionē explicitā reſpectu dæmoniacæ vexa-

vexationis, & obſeſſionis, habet etiam nolitionem implicitam reſpectu eiuſdem: Ergo ſicut poſita nolitione explicita remouetur, ac deſtruitur volitio explicita reſpectu eiuſdem: ſic etiam poſita nolitione implicita, remouetur, ac deſtruitur volitio implicita: quia non poſſunt eſſe ſimul eodem tempore reſpectu eiuſdem. *Poſito enim vno contrariorum remouetur reliquum* ex Ariſtotele *loco cit.* Si ergo obſeſſi habent nolitionem explicitam, cum hæc includat nolitionem implicitam, quæ contrariæ opponitur volitioni implicitæ, impoſſibile eſt, quòd explicitè vexati nolint ſuam vexationem, & ſimul eodem tempore implicitè velint eandem, aliter ſimul, & ſemel aliquis obſeſſus, & vexatus eſſet obſeſſus, & non obſeſſus, vexatus, & non vexatus. Obſeſſus, & vexatus: quia implicitè vult obſeſſionem, & vexationem. Non obſeſſus, nec vexatus: quia explicitè non vult vexationem, & obſeſſionem. Sicut qui actualiter, & explicitè omnia ſua peccata deteſtatur, non eſt dicendum, quòd velit ea implicitè, & interpretatiuè, aliter contradictoria ſimul, & ſemel verificarentur de eodem, quia ſimul ea deteſtaretur, & non deteſtaretur, quod implicat contradictionem. Falſum eſt ergo, quòd per conſenſum interpretatiuum homo velit à dæmone vexari, aut poſſideri.

§. V.

718 *Oſtenditur in dictis eorum contradictio*

EO autem magis conuincuntur, ac ſuis ſe confodiunt armis, quò in reſponſione ad 14. eiuſdem quæſtionis aſſerunt: Si vexati formaſſent verum, & efficacem diſſenſum, ſicut formarunt conſenſum, dæmon ceſſaret à vexatione; atque etiam de corpore exiret: quia remota cauſa, remouetur effectus, Quod fatentur, ſe multoties expertos eſſe: Ergo per ipſos, vt dæmon ex corpore expellatur, ſufficit minimus obſeſſi diſſenſus interpretatiuus. Nam in reſponſione ad 4.5.6.& 7.arg. & alibi paſſim in toto illo ſuo opuſculo ſæpiùs repetunt, nõ eſſe credibile, quòd quis explicitè velit, corpus ſuũ proprium à dæmone inhabitari, & crudeliter vexari; ſed credibile eſt, quòd hoc velit implicitè, & interpretatiuè, in quantum vult id, ex quo ſequitur vexatio, nempe prout diabolicæ conſentit ſuggeſtioni; & ita per minimum conſenſum interpretatiuum (vt mordicùs ſuam tueantur opinionem) aiunt, dæmonem corpora ingredi humana, eaque acriter diuexare. Ergo ſecundùm ipſos, & per minimum diſſenſum interpretatiuum dæmon ex corpore exire cogetur. Sed per ipſos in reſponſione ad 7. Vexati omnes habent non tantùm diſſenſum implicitum, & interpretatiuum; ſed explicitum, & efficacem: quia vellent omnes à dæmone liberari, ideò remedia quærunt ad liberationem opportuna; Ergo ex eorum aſſertione nullus obſeſſus obſidetur, ac nullus Vexatus vexatur: quia omnes habent diſſenſum vel explicitum, vel ſaltem implicitum, & interpretatiuum, quò illicò, ac ſine mora à quacumque obſeſſione, ac vexatione dæmoniaca liberari, neceſſe eſt. Sic ſuperfluus per ipſos eſt Ordo exorciſtatus à Chriſto inſtitutus, ſuperuacanea Eccleſiæ poteſtas, inanis in Chriſti nomine fiducia ad dæmones expellendos ab ipſomet Chriſto ſuis fidelibus inſinuata, ab Apoſtolis practicata, & à tot Dei præconibus publicata. En quomodo ſuis ipſiſmet rationibus, & argumentis ſuum coguntur fateri errorem, dum tam apertè in ſuis dictis ſibi contradicũt.

§. VI.

AD primam confirmationem de credulitate, qua dicunt, hominem conſentire dæmoni, vt ingrediatur corpus ſuum, ac illud vexet, cùm credit dæmonem poſſe illud poſſidere, ac vexare: Reſpondeò non ſequi: quia homo credit ſe poſſe à dæmone poſſideri, ac vexari, ergo vult ab eo poſſideri, & vexari: Ibi enim fit tranſitus ab actu intellectus ad actum voluntatis, ideſt à credere ad velle: ſeu potiùs à timore concepto, dæmonem poſſe vexare, ad velle ab eo vexari. 719 *Cõfirmatio prima impugnatur.*

Sed dicunt iſti in eodem Opuſculo q. 22. *Credere* ex D.Thoma 2.2. *eſt alicui aſſentire ex præcepto voluntatis*. Aſſentire verò idem eſt, quod conſentire, & approbare ea, quæ dicuntur, vel fiunt. Dum ergò quis credit, dæmonem poſſe poſſidere corpus ſuum, illudque vexare, conſentit ei, & approbat ſuggeſtionem, & per conſequens dæmon acquirit poſſe ſuper corpus eius. Verùm ſi quis apertis oculis intellectualibus veritatis lucem intueatur, erroris quidem tenebras conſpicere, ac comprehendere, ſibi dabitur. Concedo vtique D.Thomam ſapientiſſimè locutum eſſe, dicendo: *Credere eſt alicui aſſentire ex præcepto voluntatis*, aliter actus fidei non eſſet meritorius, niſi concurreret voluntas. Veruntamen D.Thomam ab iſtis Theologis non eſſe rectè expoſitum, eiuſque doctrinam non benè intellectam aſſerere non ambigo. Cum enim quis credit, dæmonem poſſe corpus ſuum poſſidere, atque vexare, concurrit voluntas, & ſuum præbet conſenſum per actum imperatiuum, vt benè explicat D.Thomas illis verbis: *Ex præcepto voluntatis*: quia voluntas conuertitur ſuper actum intellectus, imperatque intellectui, vt id, quod agnoſcit credendum, firmiter, ac ſine vlla hæſitatione credat. Modò, dum quis credit dæmonem poſſe ſuum corpus poſſidere, atque vexare, voluntas conuertitur ſuper actum intellectus, eique ſuum præbet conſenſum imperando, vt hoc firmiter teneat, nempe in dæmone reſidere talem poſſidendi, ac diuexandi potentiam quoad actum primum: Non tamen conſentit ſuper actum obſidendi, aut vexandi, ſeu (vt alijs verbis vtar) ſuper potentiam poſſidendi, atque vexandi quoad actum ſecundum, ſcilicet quòd actu corpus ſuum ſit poſſeſſurus, ac vexaturus: cum potiùs contrarium velit. Sicut dum credo, *poſſe Deum creare mille mundos, & me poſſe damnari*, concurrit mea voluntas, & conſentit prædictis propoſitionibus, tanquam veris, ac indubitatis, imperatque meo intellectui, vt firmiter illis adhæreat, & ſine vlla hæſitatione credat, ita eſſe, nempe in Deo eſſe talem creandi potentiam: quia poteſt quicquid non implicat contradictionem: Et in me talem damnationis poſſibilitatem: cum adhuc ſim in via, nec in gratia confirmatus. Non tamen voluntas mea concurrit ſuper creandi, ac damnandi actum ſecundum, videlicet, quòd Deus creet, vel ſit creaturus mille mundos; neque quòd ego ſim damnandus: Immò potiùs oppoſito adhæret, nempe Deum non alium creaturum mundum, ac me ſaluandum; diuino fauente auxilio, ſperat, & optat. Quamuis ergo voluntas conſentiat, dæmonem poſſe poſſidere, & vexare corpus meum: non tamen ſuum præſtat conſenſum ſuper actum poſſidendi, atque vexandi; nec dæmon acquirit aliquod dominium ſuper illud; quia nemo, niſi ſit rationis impos: vel deſperatione ductus, vel maximo patiendi pro amore Dei deſiderio impulſus, vult à dæmone poſſideri, atque vexari.

Ad

§. VII.

720 *Cõfirmatio ſecunda ſoluitur eodẽ modo.*

AD ſecundam confirmationem de timore, in qua dicunt; Qui timet periculum maleficiorum, dat conſenſum dæmoni. Dico, quia hoc probant per ſupradictam rationem de fide, ideò per eandem ſoluitur reſponſionem. Quomodo autem dæmon dicatur corpora ingredi per timorem declaratum eſt ſupra *num.* 544.

Cõfirmatio tertia deſtruitur.

Ad tertiam confirmationem, qua dicunt, per imaginationem præſtari conſenſum; cùm quis imaginatur, ſe eſſe maleficiatum, dum illa imaginatio fiat (vt dicunt) per præcedentẽ diabolicam ſuggeſtionem, cui voluntas aſſentiatur; Reſpondeo, huiuſce confirmationis falſitatem ſatis ex eorummet aſſertionibus apparere. Nam ſecundùm ipſos *in eodem ſuo Opuſculo quæſt.* 31. nullam habent dæmones facultatem in corpus noſtrum, nec habere poſſunt vllam actionem in illud, niſi ex præcedente ſuggeſtione, ac conſenſu à nobis illi præſtito: quia, vt aiunt, facultas naturalis dæmonum aduerſus nos eis per paſſionem Chriſti eſt ablata. At quis non videat, ad hoc vt dæmones aliquid nobis ſuggerant, oportere, vt rerum ſpecies ſenſibus affingant exterioribus, obtrudant eis ſpectra, & imagines; deinde receptas in exteriori ſenſu ad interiorem reducant: vel noua excitent ſpectra, objiciantque in phantaſmate, quo tanquam ſpeculo talium rerum ſimilitudines repræſententur; eaſque componant, vel diuidant; ſic compoſitas, vel diuiſas imaginationi proponendo: vel iam per naturam formatas phantaſiæ ſub aliquo ordine objiciendo? Sed quis talem dedit dæmoni operandi in corpore facultatem? Non à diuina accepit permiſsione; quia ſecundùm ipſos Deus non permittit dæmonem aliquid in nobis poſſe, niſi in caſibus particularibus, qui per diuinam manifeſtantur reuelationem. Non à ſe ipſo: quia ei poteſtas operandi in hominem per paſsionem Chriſti eſt ablata. Reſpondebunt ergò, habere talem facultatem ex præcedenti ſuggeſtione, & conſenſu; ergò non poteſt dæmon mouere phantaſiam, vel imaginationem, eique aliquid ſuggerere ſine præcedenti ſuggeſtione. Et tunc de illa eſt quærendum: quomodo potuit dæmon operari in corpore, ac ſuggerere, ſi nullam habet facultatem operandi in eo ſine præcedenti ſuggeſtione? Sic debet dari proceſſus in infinitum: vel tandem eſt deueniendum ad vnam ſuggeſtionem primam factam ſine alia præcedenti ſuggeſtione, in qua dæmon potuerit, & de facto operatus ſit in corpore ſine alia præcedenti ſuggeſtione, ac conſenſu; ac concedendum, dæmonem poſſe operari in corpore humano, illud mouendo, alterando, obſidendo, atque vexando ſine ipſius hominis cõſenſu præcedenti, prout ſibi à Deo eſt permiſſum; quod eſt contra prædictum eorum fundamentum. Idemque aſſerendum de ſomnijs à dæmone excitatis, in quibus in vigilia nullus præceſsit conſenſus. Sic de illis, qui diu fuerunt maleficijs affecti, vel à dæmone obſeſsi, ipſis hoc ignorantibus, nec vnquam de maleficijs, aut dæmoniaca obſeſsione cogitantibus, exiſtimantibus morbum eſſe à cauſa naturali inductum; & per conſequens non eſt dicendum, eos prius aliquem præſtitiſſe conſenſum: quia conſenſus quoquomodo accipiatur, cum ſit actus voluntatis, non fertur niſi in præcognitum. Quomodo autem poſsit dæmon dici per imaginationem ingredi corpora humana, declaratum eſt ſupra *numer.* 547.

§. VIII.

SEcundum fundamentum, in quo dicunt: Deum feciſſe hominem rectum, eumque reliquiſſe in manu conſilij ſui (hoc eſt in ſua libertate) &c. non minùs primo mancum eſt, ac defectiuum. Concedo namque hominem plenum habere dominium ſuper corpus ſuum quoad ea, quæ cadunt ſub imperio voluntatis. Sed quia non omnia, quæ ſunt in corpore humano, poſſunt imperari à voluntate; ideò reſpectu eorum non poteſt dici homo perfectum habere dominium: vt ſunt potentiæ vegetatiuæ, & etiam ſenſitiuæ interiores quoad aliquas functiones. Non enim poteſt voluntas imperare nutritiuæ, ne poſt cibum ſumptum nutriat corpus: vel augmentatiuæ, ne augeat: Vel mulier accepto in matrice ſemine virili, ne fiat conceptus fœtus: Vel memoriæ, vt illicò ſcientias, aut alia prętерita reminiſcatur: vel ne obliuiſcatur eorum, quæ percepit: Vel phantaſiæ, ne componat, vel diuidat; licèt poſsit aliqualiter eas à ſuis functionibus diſtrahere per intenſam alterius potentiæ ex his, quæ ſub ipſius cadunt dominium, & imperium applicationem. 721 *Secunda ratio principalis refellitur.*

Inſtãtia reijcitur

Nec officit id, quod aſſerunt, has potentias eſſe ſub dominio liberi arbitrij de vero, & pleno iure, ſicut animalia agri, campi domus, &c. ſub poteſtate domini: quia ſi hoc eſſet verum, poſſet liberum arbitrium è ſuo corpore expellere malos humores, & noxios, febrim, apoplexiam, paralyſim, & alios id generis morbos, ſicut dominus agri ab eo poteſt expellere animalia noxia, poteſt vendere, vel deſtruere aurum, equum, domum, &c. quod non poteſt licitè, ac iuſtè homo facere reſpectu ſuorum corporis membrorum: quia nemo eſt dominuſſ uorũ membrorum. *L. Liber homo ff. ad L. Aquiliam, & c. contingit.* 1. *de ſent. excommunic.*

Ampliùs ſi homo plenum haberet dominium ſui corporis, ſenſus numquam poſſet vllo modo rationi repugnare; nec aliquod minimum rationi contrarium operari; quod expreſsè diuinę ſcripturę aduerſatur. Nam Paulo Apoſtolo datus eſt ſtimulus carnis Angelus Sathanæ, qui eum colaphizabat: & dicit: ſe rogaſſe Deum, vt auferretur ab eo; ergò caro ſpiritui repugnabat; nec ſtimulo illi ipſe aſſentiebat, vt potè qui expreſsè legi mentis aduerſabatur: ideòque non ſui corporis habuiſſe dominium dici poteſt. Quod apertiùs teſtatum reliquit Roman. 7. *Quod enim operor*, ait, *non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio*: & parum infra ſubdit: *Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago.* Deinde: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Poteratne clariùs Apoſtolus in humano corpore oſtendere contrarietatem, qua caro, & ſenſus repugnant, ac ſe opponunt arbitrij libertati, multaque ratione contradicente operantur? Quid ergo ſi etiam dęmon, qui eſt ſpiritualis ſubſtantia facillimè ſe potens obtrudere in corpus, multa operetur in eo, & in ſenſu, libero arbitrio repugnante, rectaque ratione renuente? Eò magis quòd dominium acceptum à dæmone non eſt naturale, ac verum, ſed tyrannicum, ac falſum, quod facillimè per diuinam virtutem per ſe, vel mediante poteſtate Eccleſiaſtica tollitur, atque deſtruitur.

Ter-

§. IX.

722 *Tertia ratio principalis improbatur.* TErtium denique fundamentum, quo aſſerunt, Naturam prouidiſſe omnibus creatis neceſſaria etiam quoad defenſionem, quis non videat non benè rationi rectæ ſe accommodare? Concedo enim naturam prouidiſſe homini neceſſaria ad ſe ipſum naturaliter tuendum contra omnia aduerſa, quæ intra naturæ corporeæ, ac ſenſibilis limites continentur. Nam homo pro ſtatu iſto, quia animam habet corpori alligatam, non poteſt aliquid operari, niſi per ſenſibilia: nihil intelligere, velle, & amare naturaliter, niſi ſub aliqua re ſenſibili priùs ſenſibus exterioribus præſentetur: deinde interioribus per ſpecies phantaſticas; poſtea per intelligibiles intellectui: & tandem voluntati objiciatur. Modò dęmones, cum ſint puri ſpiritus, non eſt dicendum, cadere ſub ſenſus, & per conſequens poſſe per ſenſibilia ab homine cognoſci; ſed per ea, quę per diuinam habentur reuelationem. Ideò ſicut naturę corporeæ limites tranſcendunt: ita ab eis non ſe poteſt homo defendere naturaliter. Quare Auctor naturæ, qui non deficit in neceſſarijs, ſicut ei naturalia dedit auxilia, quibus contra hoſtes ſe tueatur naturales: ſic ſupernaturalia illi tradidit adiutoria, nempe Angelos Cuſtodes, qui illum defendant, ac protegant contra ſpiritus nequitiæ; vt docet per Prophetam Pſal. 90. dicentem: *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* En angelica protectio, quæ inuiſibiliter ab inuiſibilibus hoſtibus defendit! Sed quid inde? *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* En victoria ab homine huiuſmodi angelico tutamine de hoſtibus reportata! Dyoniſ. Carthuſ. in Pſ. 90. Nam per aſpidem, baſiliſcum, leonem, & draconem allegoricè intelliguntur dæmones: quos licèt homo in tentationibus poſſit ijſdem intellectus, & voluntatis, quibus ipſi pugnant, armis impugnare, eis reſiſtendo per deteſtationem, ac nolitionem; non tamen eiſdem naturaliter in corpore ſe tueri poteſt: cum occultè inſidias in eo tendat ſubdolus hoſtis, quarum prorſus ille eſt ignarus, niſi per intellectum fide illuſtratum, & per frequentatos fidei actus eleuatum: ac per voluntatem charitate Dei, & proximi inflammatam elicientem actus ſpei firmiſſimæ, ac confidentiæ inhęſitantis in Dei bonitate infinita, ac fidelitate immutabili collocatæ, Beatiſſimæ Deiparę interceſſione, Angelicæ cuſtodiæ tutela, ac Sanctorum ſuffragantibus meritis ab omni diabolica vexatione, & incurſu dæmoniaco ſe eximat, ſecurumque liberum, & illæſum ſe præſeruet.

§. X.

723 *Sanctorũ auctoritates explicatur.* DEnique illas Sanctorum auctoritates à prædictis Theologis relatas dico, intelligendas eſſe de tentationibus diabolicis, quibus nullus ſuccumbere cogitur, niſi voluntarium eis ſuum præbeat conſenſum; vt ex verbis ipſas antecedentibus, & ſubſequentibus facilè eſt colligere: non autem de vexationibus corporalibus, quibus, non eſt neceſſe, vt homo vexetur, ſuum præſtet conſenſum.

Ad illud D. Petri Chryſologi. Quòd *dæmones non poſſunt lædere, niſi iuſſi*, Dico, quod intelligitur, niſi à Deo permiſſi: Non enim Chriſtus dæmonibus iuſſit intrare in porcos, ſed permiſit, vt latè docet Toſtatus *in cap.* 8. *Matthæi q.* 130. Aliquando tamen nocent etiam iuſſi, quãdo vult Deus per ipſos dæmones, homines punire propter aliquod graue peccatum ab eis patratum; vt probatum eſt ſupra *num.* 543.

Ad id, quod ait D. Ambroſius, quod *magnitudine cordis aduerſus dæmonem eſt pugnandum*. Dico, verum eſſe, prout voluntas nititur diuina protectione, & elicit actus ſpei, ac confidentiæ in Deum; non autem prout ſimpliciter elicit actus naturales.

Auctoritas verò D. Auguſtini intelligitur de tentationibus ad peccandum, quibus nemo, niſi volens, ſuccumbere poteſt.

Quod autem dicitur de Chriſto, qui cùm Paralyticum, Languidum, ac cæteros ſanauit infirmos, 724
conſenſum ab eis requirebat, facili negotio ſoluitur: Nam aliud eſt, conſenſum requiri ad ſanitatem obtinendam per remedia opportuna: aliud conſenſum requiri ad obſeſſionem, ac vexationẽ dęmoniacam incurrendam. Primum facillimum eſt prębere; Huiuſmodi enim conſenſum, ac fiduciam pro ſanitate obtinenda de lege ordinaria (vt præuiam diſpoſitionem) requiri in adultis: in ratione verò carentibus ſupplere Eccleſiam, probauimus ſupra *n.* 499. & infra latiùs declarabitur *p.* 3. Quod quidem Chriſtus docebat, cùm infirmos à languoribus ſanabat dicens: Ioan. c. 5. v. 7. *Vis ſanus fieri?* Matt. c. 9. v. 28. *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?* & ſimilia: quia volebat, vt ægroti remedium quærerent, & ſe ab eo ſanitatem obtenturos ſine hæſitatione crederent. Conſentire autem dęmoni, vt proprium corpus poſſideat, ac vexet, hoc eſt difficillimum, ac rarò euenire ſolet; ac valde pauci à dæmone vexarentur, ſi talis conſenſus eſſet neceſſarius, cum omnes naturaliter velint oppoſitum. Sicut ad ſe liberandum à dæmonis obſeſſione, ac vexatione non ſufficit diſſenſus à vexatione, & obſeſſione; ſed inſuper remedia requiruntur à Deo nobis tradita, & ordinata, de quibus toto agitur hac diſputat. Sic Chriſtus, poſtquam ægroti conſenſum præſtiterant, vt ab eo ſanitatem impetrarent, verbo virtutis ſuæ eis optatam largiebatur ſanitatem, dicens Leproſo: Matth. cap. 1. v. 4. *Mundare:* & Languido: Ioan. c. 5. v. 8. *Surge tolle grabatum tuum, & ambula*, cæteriſque ſimilia verba.

De poteſtate tamen abſoluta potuit, & de facto eiecit dæmones, etiam non requiſito conſenſu ab ipſo obſeſſo. Non enim legitur conſenſum exquiſijſſe ab illis Energumenis, qui habitabant in ſepulchris. Matthæi 8. & Marci 5. Nec ab illo, de quo dicitur Lucæ 11. *Erat Ieſus eijciens dæmonium.* Actuum cap. 16. Nonne etiam Paulus Coloniæ in Macedonia eiecit à Puella ſpiritum pythonem non ſolùm abſque conſenſu ipſius; ſed etiam eius parentibus contradicentibus: quia exierat ſpes quæſtus eorum, quem eis maximum præſtabat diuinando, propter quod ſimul cum Barnaba eum, vt ſeditioſum apprehenderunt, ac Magiſtratibus puniendum obtulerunt?

Quare indubitanter eſt concludendum, ſicut ad obſeſſiones, ac vexationes dæmoniacas in corpore hominis inducendas ipſius conſenſus non requitur: ſic ad eas tollendas, ac totaliter remouendas ipſius non ſufficere diſſenſum. Quòd ſi prædicti Theologi Exorciſtæ plures à dæmonibus, ac maleficijs ſe liberaſſe hoc modo, aſſeuerent: hoc non per purum Obſeſſi, aut Maleficiati diſſenſum, ac nolitionem; ſed potiùs per poteſtatem exorciſticam, remedia diuina, & eccleſiaſtica eieciſſe: vel dæmonem voluntariè exijſſe, vt in huiuſmodi errorem Eccleſiaſticos induceret miniſtros, facilè eſt credendum.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIV.

An ſit neceſſe, in exitu dęmonis è corpore ei præcipere, vt iuret, ſe exiturum, nec amplius regreſſurum.

In exitu dæmonis è corpore non eſt neceſſe ei præcipere vt iuret, ſe exiturum.

725 RESpondetur negatiuè. Ratio eſt: tum quia dæmon eſt pater mendacij, ideò quamuis iuraret, tamen adhuc iuramentum non ſeruaret: Tum quia ſeruare iuramentum dependet à voluntate iurantis; ſed exitus diaboli à corpore Obſeſſi dependet à voluntate Dei, qui virtute ſua dæmonem expellit, cùm obſeſſus perfectam habet fiduciam in Dei bonitate, ac fidelitate eius volentis dæmonem expellere, & expulſio ſalutaris eſt animæ ſuę. Sic etiam dęmonis non regreſſus non dependet ex vi iuramenti dæmonis; ſed ex protectione Dei hominem in ſe confidentem è diabolicis vexationibus cuſtodientis, ac præſeruantis.

QVÆSTIO XV.

An licitum ſit, annuere dęmoni offerenti egreſſum ex homine, ſi ei permittatur in alium ingredi.

Illicitũ eſſe, ſuſtinent aliqui, dæmoni permittere, vt corpus alterius ingrediatur, niſi quadruplici conditione concurrẽte.

726 RESpondet Sanchez *lib.2. in præcepta Decalogi cap.42. num.36.* cum Thyræo *de dæmoniacis cap. vlt. à num.8. & ſequentibus*, Carolo Baucio *in Miſcellaneis practicis tract.2. ibi petes 7.* regulariter non licere: quia eſt in proximi damnum: At licitum eſſe quadruplici concurrente conditione. Prima, vt is, quem dæmon poſſeſſurus eſt, ſit peſſimus, & eo ſupplicio dignus. Secunda, vt adiurans habeat imperium in eum, quem dæmoni traditurus eſt; atque poteſtatem in ipſum dæmonem, ſummumque ius ad ipſum expellendum quandocumque libuerit. Tertio, vt adſit boni maioris ſpes: quia ſcilicet ſperatur fore, vt hac ratione proximus iuuetur, qui alijs rationibus iuuari poſſe non videbatur. Quarta, vt abſit voluntas placendi dæmoni; ſed id tantùm fiat ad vtendum ipſo tanquam lictore, & carnifice. Ratio autem, quare concurrentibus ijs conditionibus licitum eſſe videatur petitioni dæmonis annuere, ea eſt, quia rem de ſe honeſtam petit, & quæ, ſecluſa illa occaſione, ſolùm ob bonum proximi præſtari poterat. Sed hæ conditiones nullæ ſunt, vt mox dicam.

QVÆSTIO XXVI.

An ſecluſis illis quatuor conditionibus à Sanchez adductis, adhuc liceat petitioni ſupradicta conniuere.

Secluſis illis quatuor conditionib. adhuc licere, id permittere, putat Caſtro Palao. Ratio eius adducitur.

727 HVic quæſtioni videtur reſpondere affirmatiuè Ferdinandus à Caſtro Palao *de Adiuratione diſp.4. punct.4. verſ. Verùm*. Ratio ipſius eſt: quia ex duobus malis minus eſt permittendum. Additque conſenſum illum Exorciſtæ non eſſe cooperationem, aut inductionem ad ingreſſum; ſed ſolùm illius permiſſionem, & acceptationem, quæ ob vitationem maioris mali ſufficienter videtur honeſtari. Neque ob id inhonerari exorciſmos Eccleſiæ: Non enim negas illis virtutem ad expellendum dæmonem; ſed illa conceſſa, experiris expulſionem impediri ob cauſam tibi ignotam, & ad vincendam illam difficultatem admittis petitionem dæmonis. Nec dicendum eſt, dæmonem ſpontè antiquum domicilium relinquere; ſed coactum exorciſmis Eccleſiæ petere loco domicilij relinquendi, vt aliud ſuccedat. Non igitur in acceptatione huius petitionis apparet clara turpitudo, poſito, quòd ingreſſus de nouo petitus minùs nociuus ſit, quàm poſſeſſio de præſenti habita. Hæc Ferdinandus.

Refellitur prædicta poſitio Ferdinãdi.

Veruntamen hæc poſitio mihi probanda non videtur. Non enim ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Nec valet ratio de vincenda illa difficultate. Nam cum dæmon à corpore obſeſſi non viribus humanis, ſed virtute diuina ſit ab Exorciſta expellendus, non poteſt aliquod dari impedimentum ex parte dæmonis, quin egredi cogatur, ſi illa expulſio ſit profutura, & adſint cætera requiſita, tum ex parte Miniſtri, tum ex parte ipſius Energumeni; ideò eccleſiaſticæ poteſtati fit iniuria, dum integrum eſſe cenſetur, ad hoc vt dæmon faciliùs egrediatur, Exorciſtam ei conniuere, vt corpus alterius ingrediatur, quaſi Eccleſia ſufficientem non habeat poteſtatem dęmones expellendi, niſi Exorciſta eis concedat facultatem corpus alterius ingrediendi.

Conditiones à Sãchez adducta reprobãtur

Nec illæ quatuor conditiones à Sanchez poſitæ *quæſtione præcedenti* alicuius ſunt roboris; Nam prima quoad ſecundam partem cuilibet Exorciſtæ prorſus eſt ignota; non enim poteſt ſpeciali Dei reuelatione ſcire, an iſte, vel ille maximus peccator tali ſupplicio dignus ſit. Secunda numquam adeſſe poteſt: nullus enim purus homo habet tale imperium in alium hominem quantum ad iſtum effectum: nec abſolutum habet dominium in dæmones, niſi hoc habeat ex ſpeciali Dei auxilio, quod non præſumitur in Exorciſta. Tertia eſt friuola: non enim ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Quarta non ſanat malitiam huius actionis.

Non videtur tamen inconueniens, poſſe Exorciſtam dæmones obiurgare obijciendo illis, cur non vexent Magos, ac Maleficos, qui voluntariè animam, & corpus ſuum illis tradiderunt, dicendo per modum obiurgationis, vt potiùs iſtos ſuos aſſeclas, ac mancipia, quàm homines iuſtos, ac pios vexent, ac caſtigent; ſed iuxta Dei voluntatem; & eo modo, quo permiſerit illis Deus.

ARTICVLVS VI.

De Prudentia in rectis ſemitis eligendis circa adiurationem.

Exorciſta conſiderare debet media neceſſaria

VT rectè, ac prudenter ſe gerat Exorciſta in ſuo miniſterio, diligentiſſimè conſiderare debet omnia media neceſſaria ad finem ſuum conſequendum, qui eſt dæmonem expellere è corpore obſeſſi, vt ex hoc Deus magis, ac magis laudetur, ac glorificetur, ac ſplendor Eccleſiæ eius ſponſæ magis illuceſcat. 728

Primò

ad dęmonẽ expellendum. Primò ergo ei eſt attendendum, quid ſit Adiuratio: quotuplex ſit: & in quo differat à iuramento, & oratione.

Adiuratio quid ſit. *Adiuratio*, teſte D. Thoma 2. 2. quæſt. 90. art. 1. *eſt, aliquam perſonam imperando, aut obſecrando inducere ad aliquid faciendum, omittendumue inuocatione alicuius rei ſacræ:* vt Paulus Roman. C. 12. v. 1. fecit: *Obſecro vos*, ait, *per miſericordiam Dei*.

Quotuplex ſit. Duplex autem eſt; quædam deprecatiua, quæ fit deprecando: quædam imperatiua, quæ fit imperando.

Quomodo cõueniat cum iuramento. Conuenit verò adiuratio cum iuramento: quia ſicut hoc adhibetur ad veritatis affirmatæ confirmationem; aut maiorem permiſſionis factę firmitatem: ita adiuratio fit, vt poſtulatio, aut iuſſio ſint efficaciora. *Quomodo differat.* Differt verò ab illo, quòd in iuramento adducatur Deus, vt teſtis veritatis, aut quaſi fide iuſſor promiſſionis: In adiuratione verò vt obiectum amoris, vel timoris eius, quem adiuramus, vnde eius amore, vel timore ducatur ad rem petitam concedendam: Ita Sanchez *lib. 2. in præcepta Decalogi cap. 42. num. 1.*

Quomodo differat ab oratione. Differt tandem ab oratione: quia per orationem aliquid à Deo petitur, ſed propter Deum; & ita poteſt id peti à Deo, & tunc coniunguntur adiuratio, & oratio: Aut ab hominibus, & tunc non eſt ratio aliqua; & aliquando nihil petitur, ſed imperatur; Ita Sanchez *loco citato*.

Secundò, Exorciſta obſeruare debet, tria concurrere in adiuratione, nempè adiurantem, adiuratum, & id per quod fit adiuratio. *In adiuratione tria concurrunt.*

Adiurãs Adiurans debet eſſe neceſſariò res intellectualis, cuius ſolius eſt rogare, aut iubere. Poteſt autẽ adiurare Deus ipſe; vt ob nomen ſuum aliquid præcipiendo. Poſſunt etiam Angeli, & dæmones: vt Marci cap. 5. dæmon Chriſtum adiurauit: *Adiuro te per Deum, ne me torqueas*.

Res adiurata. Res adiurata debet quoque neceſſariò eſſe intellectualis: vt clariùs patet ex dicendis. Poſſunt autem Deus, Angeli, & Sancti, & dæmones, & quicumque homines adiurari. Quando autem deprecatiuè, & quandò imperatiuè, conſtabit ex ſolutione ſequentium quæſtionum.

Res, per quam fit adiuratio. Res, per quam fit adiuratio, ſunt Deus, Angeli, & Sancti, & homines iuſti viatores; non autem per creaturas inferiores in natura, aut in ſtatu gratiæ fit adiuratio: Ita optimè docet Suarez *tom. 2. de Religione tract. 4. de Adiuratione cap. 2. & 3. per totum*. Nos autem hanc doctrinam clariùs elucidabimus ſequentibus quæſtionibus.

QVÆSTIO I.

Quomodo Deus à nobis rectè adiurari poſſit.

729 *Deus licitè, & rectè à nobis deprecatiuè adiurari poteſt.* DEus licitè, ac rectè à nobis deprecatiuè adiurari poteſt; ita quòd eius adiuratio inter partes orationis collocari debet, & obſecratio appellatur. Hæc aſſertio eſt D. Thomæ *quæſt. 83. art. 17. ad 1. & queſt. 90. art. 1. ad 3.* quem ſequitur Suarez *loco citato cap. 1. num. 3.* & Sanchez *lib. 2. in præcepta Decalogi cap. 42. num. 12.*

Prima pars conſtat: Quia erga Deum non habet locum adiuratio per modum imperij; Eius enim eſt imperare, & non imperari: ergò tantùm deprecatiuè adiurari poteſt.

Altera pars probatur: Sicut enim poſſumus orare Deum, ac illum deprecari; ita poſſumus aliquid diuinum illi repræſentare, ob cuius nomen, aut merita noſtras orationes exaudiat; vt conſtat ex Scriptura, in qua legimus Moyſen, & alios Prophetas oraſse Deum propter ſemetipſum, & propter Abraham, & alios iuſtos ſibi dilectos; & Eccleſia ſemper orat per Chriſtum. Hic ergò orandi modus quandam Dei adiurationẽ continet: quia exoratur Deus, & ad impetrandum ab illo interponitur vel ipſemet Deus, vel aliquis nomine eius, qui potentior ſit, quàm nos ad impetrandum, vt per eum oratio noſtra iuuetur: ratio autem adiurationis in hoc perficitur.

Hoc autem totum pertinet ad obſecrationem, in qua proponitur Deo ratio aliqua obtinendi aliquid ab ipſo: vt cum per Chriſtum, vel per ipſammet Dei bonitatem, ac fidelitatem eius poſtulamus. Hæc ergò adiuratio obeſcratio quædam eſt; ſolùmque videntur ratione, & denominatione differre. Nam obſecratio dicitur, quatenus dat vires orationi: adiuratio, quatenus eſt peculiaris actus reuerentiæ illius perſonæ, per quam Deus adiuratur: Ita Suarez *de Adiuratione loco citato*. *Adiuratio obſecratio q̃dam eſt.*

QVÆSTIO II.

An Beati, & Sancti Angeli licitè poſſint à nobis adiurari.

REſpondetur, licitè, ac ſanctè poſſe à nobis adiurari, ſi debito modo fiat. Hoc tradit D. Thom. 2. 2. q. 90. *art.* 1. & eſt receptum apud omnes. Rectè enim Sancti, & Angeli poſſunt à nobis orari, & conſequenter etiam obſecrari; Et ita habet communis vſus Eccleſiæ, & fidelium: nam petimus à Virgine per Filium, & per Natiuitatem, vel Aſſumptionem; & proportionali modo poſſumus ab alijs Sanctis petere. Non poſſumus tamen Sanctos adiurare cum imperio; ſed cum reuerentia, & honore humiliter eos precari, non vt auctores bonorum; ſed vt interceſſores: eodem modo ergo poſſumus illos adiurare: Ita docet Suarez *loco citato cap. 2. num. 4.* 730 *Sācti, & Angeli licitè, ac rectè à nobis adiurantur. Probat vſus Eccleſiæ.*

QVÆSTIO III.

An dæmones ſanctè, & licitè adiurari poſſint ab hominibus.

REſpondetur affirmatiuè, ſi debito modo adiuratio fiat. Concluſio eſt certa ſecundùm fidem: nam Eccleſia ab initio conſueuit adiurare dæmones; vt teſtantur Patres, Lactantius *lib. 4. cap. 27.* Tertull. *in Apologet. cap. 32.* Cyprianus *in lib. de Idol. vanit. circa medium, & ad Demetrianum*. Fundatur autem hic vſus in Chriſti verbis, ac virtute: Dixit enim Marci vlt. *In nomine meo dęmonia eijcient*, & Matthæi 10. Marci 3. Lucæ 9. Dedit diſcipulis ſuis poteſtatem, vt dæmones eijcerent, quam eis conceſſam declarauit Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones*. 731 *Dæmones ſanctè, ac licitè adiurari poſſūt ab hominib. ſi debitè fiat. Hoc fides docet.*

Vt autem debitus in adiuratione teneatur modus hæc obſeruanda, videntur; vt benè docent Suarez

tom. 2.

tom.2. de Religione tract.4. de Adiurat.c. 2. num.6. & 7. & Sanchez lib.2. in præcepta Decalogi cap.42. num. 15. & 19.

Exorciſta nihil dæmoni præcipiat niſi quæ conducũt ad expulſionem.

Primò requiritur, vt finis adiurationis ſit, expellere dæmonem, non verò aliquid ab illo obtinere, vel ſocietatem aliquam cum illo inire: Hoc docuit D.Thom.2.2.q.90.art.2. Et conſtat primò: quia Chriſtus non dedit Eccleſiæ ſuæ virtutem, niſi ad fugandos, & coercendos dæmones iuxta illud: *In nomine meo dæmonia eijcient*, & Lucæ 10. cum Apoſtoli gloriarentur, quòd etiam dæmones ſibi ſubijcerentur, Chriſtus declarauit eis, poteſtatem ipſis eſſe datam ad calcandos ipſos, eorumque virtutem, vt nihil nocere nobis poſſent; ergo non aliter licet nobis adiurare dæmones. Conſequentia probatur: tum quia non valemus id facere, niſi per poteſtatem à Deo conceſſam; naturaliter enim dæmonibus longè inferiores ſumus: tum etiam, quia aliàs periculo exponimur, vt multùm nobis noceant; cum finis adiurationis eſſe debeat, dæmonis inſidias, & artes nocendi fugere, vel fugare.

§. I.

732 SEcundò néceſſarium eſt, vt non rogando, vel amicè petendo; ſed imperando, obiurgando, & cogendo dæmon adiuretur. Hoc enim docuit D. Thom.2.2.*quæſt.90.art.2.* Et tam hanc, quàm præcedentem aſſertionem complexus eſt D. Auguſtinus lib.20. de Ciuit. Dei cap.22. dicens: *Vera pietate homines Dei aeream poteſtatem inimicam, contrariamque pietati exorcizando eijciunt, non placando: omnes tentationes, aduerſitateſque eius vincunt orãdo non ipſam, ſed ſuum Deum aduerſus ipſam.* Et Tertullianus lib. de Anima c.57. *Spiritualia*, inquit, *nequitiæ non quidem ſocia conſcientia; ſed inimica ſcientia nouimus; nec inuitatoria operatione; ſed expugnatoria dominatione tractamus.*

Dæmon eſt adiurandus, non rogãdo, ſed ob iurgando & imperando.

Ex his colligitur primò, nulla ratione eſſe licitum alicui, dæmones adiurare adiuratione deprecatiua, ideſt ipſum deprecando dæmonem, vt ob Dei nomen exeat è corpore obſeſſi: nec etiam imperatiuè, aut deprecatiuè præcipiendo, aut rogando, vt nobis dæmones aliquod obſequium, qualiſcumque generis ſit illud, aut qualecumque beneficium præſtent. Quod docent D.Tho.2.2.q.90.a.2. & ibi Caietan. a.1.D.Anton.2.*p.t.*10.*c.*8. Syluest.*verbo adiuratio*, *q.*7. & ibi Ang. *n.* 2. & 4. Tabiena *n.6.* Sotus *lib.*8. *de Iuſtit. quæſt.*3. *art.*2. Suarez *tom.*2. *de Religione lib.*4. *de Adiuratione c.*2.*n.*8. & 9. & Leonard.*l.* 2. *de Iuſt.c.* 42.*d.*13. *num.*70. & 71. qui latiſſimè probat ex multis ſcripturæ, Sanctorumque teſtimonijs, & rationibus, ſoluenſque contrarias dicit eſſe de fide. Valentia 2.2.*diſp.6. quæſt.*8. *punct.*2. *quæſt.*2. Et Sanchez *lib.*2. *in præcepta Decalogi cap.*42. *numer.*19. omnes prædictos DD.referens. Et contrarium facere eſt culpa mortalis grauiſſima: Vt benè docent Caietanus ibi, Syluest. *ead.quæſt* 7. & *q.*5. Tabiena *eod. num.*6. *concluſ.* 6. Armilla *verb. Adiuratio in fin.* Nauarrus *ſumma cap.*11. *Hiſpane numer.*27.*Latinè num.*28. Et ratio eſt, cur non imperatiuè: quia Chriſtus non reliquit poteſtatem Eccleſiæ aduerſus dæmones, niſi ad eos arcendos, vel repellendos tanquam hoſtes, ne nobis nocerent; quod eſt ab eorum ſocietate recedere. At velle vti eorum miniſterio, & obſequio, pertinet ad quoddam pactum, & ſocietatem cum ipſis. Cur autem non etiam deprecatiuè liceat petere, vt exeant à corpore, ex ſe conſtat: Quia tunc beneficium ab eis liberaliter conferendum expectatur, quod eſt quædam pacti, & ſocietatis cum ipſis inchoatio. Item quia quidquid dæmon ſua ſponte in nos confert, id omne ab hoſtili eius animo in nos, & in ipſummet Deum proficiſcitur: Semper enim eò ſpectat, vt Dei gloria obſcuretur, & nos ipſum offendentes æternam damnationem incurramus: Ita Sanchez *loco citato.*

§. II.

COlligitur ſecundò, in coniuratione, qua dæmones adiurantur, duo principaliter inueniri, Obiurgationem ſcilicet, & Præceptum. 733

In Coniuratione duo ſunt Obiurgatio. Preceptũ

Obiurgatio (vt ſumitur hìc) *eſt dæmonis increpatio, ac operationum eius reprehenſio, quæ eius ſuperbiam coercet, & impedit, ne actu ita Vexatũ, ſeu Energumenum tentet, vel affligat.* Dum enim ab Exorciſta dæmoni crimina ipſius objiciuntur: vt fit in Rituali Romano, in quo Sathanas vocatur *inimicus Dei, hoſtis humani generis, mortis adinuentor, vitæ raptor, iuſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, cauſa diſcordiæ, ſpiritus immundus, ſerpens antiquus, ſeductor peſſimus, plenus omni dolo, & fallacia, draco nequiſſimus, &c.* facilè deſinit vexare Obſeſſum, ac tentare illum, & ignominia plenus cõfunditur; faciliùſque Exorciſtæ obedientiam præſtat quia Vexatus faciliùs actus fidei, ac confidentiæ elicit, cùm poſſidentis dæmonis ceſſat tentatio; atque vexatio minùs eum affligit. Maximè cùm illi objicitur ſui ſtatus origo, rebellio, apoſtaſia à ſuo Creatore, à paradiſi ſedibus deiectio; pœnæ, quas ſuſtinet, nempe diuinæ viſionis priuatio, paſſiones vehementes iræ, odij, triſtitiæ, deſperationis, & huiuſmodi, quibus acriter affligitur; & ignis gehennalis, quem ſuſtinebit in æternum. Quænam autem obiurgationes ſint aptiores; & quomodo ſint faciendæ, patebit infra *part.*3.*num.*925.

Obiurgatio deſcribitur.

Alterum, quod principaliter in adiuratione continetur, eſt præceptum, *quod eſt ordinatio, ſeu mandatum, quo diuina virtute efficaciter aſtringitur dæmon ad Exorciſtæ, vt miniſtro Chriſti, & Eccleſiæ præſtandam obedientiam.* Dico *efficaciter:* quia ſuppoſita diſpoſitione neceſſaria in patiente, dæmones adiurati non poſſunt non obedire, à diuina virtute compulſi ex promiſſione facta *Marci vlt.* à Deo in ſe credentibus: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient*, quando expulſio dæmonis obſeſſo eſt profutura.

Preceptũ deſcribitur.

Præceptum autem, quod iuxta artem exorciſticam dæmonibus fieri poteſt, eſt quintuplex, videlicet Commune, probatiuum, lenitiuum, inſtructiuum, & expulſiuum. De ſingulis agetur infra *num.*937. & *ſequentibus.*

Quotuplex ſit.

QVÆSTIO IV.

An Creaturę irrationales, vt locuſtę, nubes, ſal, aqua, &c. licitè adiurari poſſint. 734

REſpondetur, huiuſmodi creaturas ſecundùm ſe non poſſe propriè adiurari: Ita docet D.Tho. 2.2.*quæſt.90.arr.3.* Sotus *lib.*8. *de Iuſt.quæſt.*3.*a.*3. Suarez *tom.*2. *de Religione lib.*4. *de Adiuratione cap.*2.*num.*12. & Sanchez *lib.*2.*in præcepta Decalogi c.*42.*n.*37. Ratio ea eſt: quia cum adiuratio reſpectu illius, qui adiuratur, ſit quædam obſecratio, petitio, aut imperium, & creaturæ irrationales non ſunt capaces talium actionum: quia tam petitio, quàm

Creaturæ irrationales ſecũdum ſe nõ poſſunt propriè adiurari. Ratio dictat.

præceptum propriè ſumptum non percipitur niſi intellectu, & ratione, ergo ex hac parte non poſſunt creaturę irrationales propriè adiurari. Nõ enim hæ creaturæ mouere ſe valent ex intentione ad nocendum nobis: vt euenit in animalibus irrationalibus: vel in nubibus, tempeſtatibus, & his ſimilibus.

Vtile eſt eas adiurare vt monẽtur ab alio.

At integrum eſt, ea omnia adiurare, quatenus ab alio mouentur. Cum ergo poſſint, & à Deo, & à dæmone ad id moueri, quando mouentur à Deo, adiuranda ſunt deprecãdo Deum, vt id malum auertat; quando verò à dæmone, imperando illi, ne moueat, ſed nocere deſiſtat: Ita D. Thom. 2.2. *quæſt.90. artic.* 3. ab omnibus receptus.

Quomodo.

Quare in exorciſmis, etſi quãdoque verba adiurationis ad ipſaſmet creaturas irrationales dirigantur, vt dicendo: *Exorcizo te creatura ſalis: coniuro te creatura aquę. coniuro vos nubes, &c.* non eſt intentio dirigendi ad ipſas, quaſi ipſæ adiurationi conniuere debeant, auertendo malum; ſed verè adiuratio ad motorem dirigitur, quaſi dicatur: *Coniuro vos dæmones, vt ab hoc ſale, ab hac aqua recedatis, ne tempeſtates excitatis, &c.* Ad ipſas autem aliquo modò, dirigitur vtpotè ad illas, in quibus recipitur illa operatio, ſeu effectus nobis aduerſus, quem per adiurationem aduertere conamur: Ita Valent. 2.2. *d.6. q.8. punct.2. ad fin.* Sanchez *loco citato num.*38.

QVÆSTIO V.

An Adiuratio debeat fieri per Deum ſolùm, an etiam per creaturas.

Deus adiurari poteſt per Deum ipſum.

735 PRimò dico, Deum adiurari poſſe per Deum ipſum Nam ſæpè obſecratio fit ad Deum per ipſum: vt Daniel cap. 9. *Ne moreris propter temetipſum Deus meus*, & Pſalm. 24. *Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Saluator meus, &c. Et reminiſcere miſerationum tuarum Domine, &c.* & infra: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.* Et alij Prophetæ ſæpe hoc modo orabant. *Per temetipſum fac hoc Deus.* illa autem verba habent vim, & formam adiurationis. Item rectè à Deo petimus propter ipſius infinitam bonitatem, clementiam, pietatem, ac miſericordiam: Sæpe per fidelitatem, & veritatem eius vim faciendo in promiſſis eius, quæ eius fidelitate innituntur, vt ferè in omnibus illis actibus confidentiæ erga Deum poſui *par.*3.

§. I.

Deus adiurari poteſt per Chriſtũ.

736 SEcundò dico, Deum adiurari poſſe per Chriſtum. Conſtat ex illis Eccleſiæ precationibus, *Per admirabilem aſcenſionem tuam, &c.* in quibus cenſetur adiuratio contineri; quæ poteſt dupliciter intelligi. Vno modo, vt deprecatio ſit ad Deum vt Deus eſt; ſed ratio obſecrãdi ſumatur à myſterijs factis circa Chriſtũ, vt hominem: ſic adiuratur Deus, vt Deus, per opera humanitatis, ſeu opera in humanitate, vel per humanitatem facta: ſic adiuratur Deus per aliquid creatum. Alio modo poteſt intelligi, vt tota petitio, & obſecratio immediatè referatur ad Chriſtum hominem, vt homo eſt; & ſic adiuratur (propriè loquendo) Chriſtus ipſe propter ſeipſum, repræſentando illi aliquam rationem largiendi, quod poſtulatur, ex ipſomet ſumptam, eo modo, quo dicebamus Deum per ſemetipſum adiurari: Ita Suarez *loco citato cap.3. num.* 4.

§. II.

Deus adiurari poteſt per Angelos, & Sãctos regnãtes in Cęlo, Etiã per Viatores, qui iuſti reputantur.

737 TErtiò dico, Deum adiurari poſſe per Angelos beatos, & ſanctos non ſolùm iam cum Chriſto regnantes; ſed etiam per Viatores, qui iuſti reputantur, & per eorũ merita, vel interceſſiones. Ratio eſt; quia Deus ſæpe vult per huiuſmodi rationes beneficium concedere, & non aliter. Non quia (cùm in tempore adiuratur) incipiat ab illis moueri; ſed quia ab æterno ſæpe ſtatuit dare intuitu illorum, & non aliter; ideòque etiam voluit à nobis ſic obſecrari. Præterea quia inter viuentes iuſtos voluit Deus eſſe communicationem aliquam in bonis operibus, ac meritis, & vni ſolet benefacere propter alios: ideò etiam poteſt per Viatores iuſtos adiurari vel in communi (ſi oratio ſit publica, quomodo Eccleſia ſæpe Deum adiurat propter omnes Sanctos: vel propter iuſtos in communi, & in confuſo): Vel in oratione priuata propter talem perſonam, quam orans exiſtimat eſſe ſanctam. Sicut enim vnus Viator poteſt ſe alterius orationibus commendare: ita poteſt per ipſum petere, & adiurare Deum: Ita docet Suarez *loco ſupra citato num.*3. & Sanchez *lib.2. in præcep. Decal. c.42.n.2.*

§. III.

Deus nõ poteſt adiurari per alias creaturas inferiores. Ratio dicitur.

738 QVartò dico, Deum non poſſe adiurari propter alias creaturas inferiores vel in natura, vel in ſtatu gratię: Ratio eſt: quia nec dignitas talis creaturæ, nec opera aliquid valere poſſunt apud Deum ad impetrandum aliquid ab ipſo. Immò ſi quis rectè conſideret, quando adiuratur Deus per rationem creatam, ſeu per creaturam aliquam, ſemper eſt, in quantùm includit aliquam ſingularem participationem diuinæ bonitatis, quæ interdum habet adiunctam promiſſionem; vel ſaltem reſpicit maiorem gloriam, & honorem Dei, qui ex tali opere reſultare poteſt. Vnde ſicut iuramentum per creaturas reſoluitur in Deum earum Auctorem: ita dici poteſt de adiuratione Dei, quoties fit per commemorationem alicuius effectus creati, ibi inuolui Deum ipſum, vt auctorem eius, qui ratione ſui honoris, ac maieſtatis; vel verbi, aut miſericordiæ ex vno opere ſuo quaſi inducitur ad aliud faciendum: Ita eruditè docet Suarez *loco citato num.*4.

§. IV.

Dęmones per Deum ipſumvel expreſsè, vel tacitè adiurãdi sũt. Cõſtat ex vſu Eccleſiæ.

739 QVintò dico, dæmones per Deum ipſum vel expreſsè, vel tacitè, & non aliter adiurandos eſſe. Concluſio habetur ex vſu Eccleſiæ; Conſueuit enim adiurare dęmonem *per Deum viuum, per Deum verum, per Deum ſanctum.* Item per Chriſtum, qui eſt verus Deus: item per Crucem eius; ſed præcipuè per Sanctiſſimum nomen Ieſu: vt ipſemet docuit Marci vlt. dicens: *In nomine meo dæmonia eijcient.* Et licèt in adiuratione per crucem, & nomen eius explicitè non inuocetur Deus ipſe; tamẽ implicitè ibi continetur: quia crux eſt inſtrumẽtum Diuinitatis, & per habitudinem ad illam habet virtutem contra dæmones: Nomen autem Ieſu eſt nomen ſalutis, ſeu Saluatoris, qui eſt Deus, & homo, immò eſt nomen, in quo non tantùm dæmones eijciuntur: ſed etiam in quo oportet nos ſaluos fieri, vt docet D. Petrus Act. c. 4. Et eodem modo interdum adiurantur dæmones per Sanctos, quos ipſi magis timent, non propter eorum naturalẽ virtutẽ, imò

nec

nec propter gratiam infuſam præciſè ſpectatam, vt habentem ſanctificat, & bonum reddit: quia per illam ſolam virtutem non poſſunt homines cogere, aut arcere dæmones, niſi Deus Sanctis ſuis, vel Eccleſiæ ſuæ peculiarem virtutem ad hoc conferat.

Hac ergo ratione adiuratio dæmonis ſemper fit per Deum vel in ſe, vel in Sanctis ſuis, aut in ſuis inſtrumentis inuocatum: quia (vt ſupra diximus *n.* 732. dæmon non adiuratur prece; ſed coactione, & imperio, quæ non eſt in re creata, niſi virtute Dei: quia vt dicitur Iob 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei.* Imò probabile eſt, neque Angelos Sanctos poſſe virtute naturali dęmones cogere ſaltem comparando maximum ad maximum, & multitudinem ad multitudinem cum proportione: quia plures dæmones (vt creditur) perfectiores ſunt in naturalibus aliquibus Angelis cum dicta proportione loquendo, vt breuiter annuimus ſupra *num.* 595. Ob hanc ergo cauſam adiuratio dęmonum fieri debet in virtute ipſiuſmet Dei, vt recta fide, & efficaciter fiat: Ita eruditè docet Suarez *tom.* 2. *de Religione, lib.* 4. *de Adiuratione cap.* 3. *num.* 7.

QVÆSTIO VI.

Quænam cautelę ſint ſeruandæ ab Exorciſta, vt adiuratio ſuum habeat effectum.

740 PRimò Exorciſta ſeipſum maximoperè parare debet per orationem, & ieiunium eo modo, quo docetur infra *par.* 2. vbi *de Ægroto orante, & ieiunante*, ac præcipuè captiuando intellectum in obſequiũ primæ veritatis, quæ eſt ſapientia increata, ac voluntate firmiter ei adhærendo, quæ manifeſtatur in diuinis ſcripturis, quarum parua ſylua ſupra *n.* 661. *& ſeqq.* fuit propoſita, credendo firmiter, ac confidendo, quòd Deus; ratione ſuæ infinitæ bonitatis, ac fidelitatis infallibilis concurret cum ipſo Exorciſta, cùm dęmoni præceperit ea, quæ ad eius expulſionem à corporibus obſeſſis, & à rebus ad homines ſpectantibus pertinere dignoſcuntur, ſi talis expulſio fuerit ſalutaris, ac cętera extiterint requiſita.

Exorciſta vacare debet orationi, & ieiunio

§. I.

741 SEcundò poſt efficaces orationes, & precationes ad Deum effuſas, & actus fidei, ac confidentię in Deum efficaciter elicitos, (conſiderata facultate ſibi à Chriſto, & ab Eccleſia tradita, Beatiſſimæ Deiparæ, ac Sanctorum patrocinio implorato; obſeſſoque ſeù maleficiato circa ea, quę credenda ſunt, & adimplenda perfectè inſtructo, & probato, vt docetur infra *par.* 3.) tunc accedat ad ſuum munus exequendum, non vt miles ad pugnandum contra validiſſimum hoſtem, vt communiter loquimur, (hæc enim pugna in oratione debet fieri;) ſed vt iudex à Deo, & ab Eccleſia delegatus: Non ad omnia aduerſus dæmonem pro voto ſuo adimplenda, vt ſupra dictum eſt; ſed tantùm ad illum, vt reum iam per fidem obſeſſi, vel maleficiati vinctum, ac conuictum per poteſtatem Exorciſtæ à corpore obſeſſi, vel maleficiati, & à rebus ad homines ſpectantibus expellendum.

Accedere debet ad dæmonẽ expellendum, vt Iudex.

§. II.

TErtiò, Exorciſta antequam aliquod aduerſus dęmonem formet præceptum, breuiter inſtruat Energumenum, vt credat, ipſum eſſe miniſtrum Dei, & Eccleſiæ, & habere à Deo, & ab Eccleſia poteſtatem ad dæmones expellendos ab hominibus, & à rebus ad homines ſpectantibus: Moneatque vt attendat inſtructionibus, ac præceptis ab ipſo Exorciſta dęmoni faciẽdis, aliter diabolus difficulter obediet Exorciſtæ: Nam dæmones operantur in corpore patientis magìs, vel minùs iuxta imperfectionem fidei, ac confidentiæ in Deum maiorem, vel minorem ipſius patientis. Si obſeſſus accedat ad Exorciſtam cum fide inhæſitante, quòd à Deo, mediante præcepto ab Exorciſta dæmoni faciendo, ſit liberandus, iſte facillimè liberabitur, & dæmon Exorciſtæ obediet iuxta fidem ipſius. Si autem accedat ad Exorciſtam cum fide hæſitante, dæmon niſi cum difficultate obediet Exorciſtæ. Vnde aliquando euenit mihi, quòd, dum ad me acceſſiſſent aliqui Maleficiati maximam habentes fidem, quòd à maleficio liberarentur, vt cognoſcerem, an verè à dæmone eſſent vexati, aut maleficio affecti, dæmoni præcepi latino idiomate, vt coram me illicò in eos aliquam leuem efficeret vexationem; ſed totum oppoſitum euenit: Nam ad illud præceptum, dæmon ſine mora maleficium abſtulit, & à maleficiatis aufugit, ipſique maleficiati priſtinæ reſtituti ſunt ſanitati. Mihi autem ab eis ſciſcitanti, quid per illa verba, quæ enunciaueram, intellexiſſent, & credidiſſent. Reſponderunt, ſe credidiſſe, quòd dæmoni præcepiſſem, vt recederet ab eis, nec ampliùs eos diuexaret. Quare vtile erit, vt priùs explicetur vexato pręceptum, antequam fiat, vt magis ac magis in eo fides augeatur, ſic magis, magiſque dęmonis poteſtas diminuatur: vt docet S. Cyprianus *tract.* 4. *de Idolor. vanit.* dicens: *Dæmones vel exiliunt ſtatim: vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat: aut gratia curantis aſpirat.* 742

Inſtruendus obſeſſus, vt credat exorciſtã habere poteſtatem dæmones expellendi.

§. III.

QVartò, etſi decentius ſit formare pręcepta latino idiomate propter ipſius grauitatem, & elegantiam; attamen ſi patiens illud non intelligat, melius erit ea proferre in lingua materna patientis. Cum enim ex præcipuo fundamento huius artis difficulter poſſit dęmon ad aliquid compelli, non exiſtente in patiente diſpoſitione, ſequitur, quòd ſi ipſe patiens præceptum non intelligat, non poterit ad ipſum ita benè eſſe diſpoſitum, & per cõſequens diabolus non ità facilè obediet Exorciſtæ, maximè in his, quæ ſpectant ad eius expulſionem. 743

Præcepta fieri poſſunt vulgari idiomate. Quare.

§. IV.

QVintò, cùm aliquid dęmoni eſt pręcipiendum, attendat Exorciſta, quòd vexatus non ſit aliqua paſſione perturbatus: quia tunc mens Energumeni attendens ſuggeſtioni dæmonis, non eſt ita benè diſpoſita per fidem, ac confidentiam in Deo, ac in poteſtate exorciſtica; ſicq; diabolus Exorciſtæ præceptis difficulter præſtabit obedientiam. Idcircò priùs, (ſi opus ſit) ſeorſum patientem interroget: an aliqua paſſione, ac tribulatione ſit turbatus; vultum eius conſideret, an ſit hilaris, vel meſtus, quod facile ex oculis cognoſcet. Nec ad vltimum 745

Præcepta non fiant ſi patiens ſit aliqua paſſione turbatus

dæmonem expellendi præceptũ deueniat, niſi prius ille ad quietem, & attentionem, & fiduciam perfectam reducatur.

§. V.

745 Sextò, quando Exorciſta, ad dignoſcendum, an vexatio patientis ſit à dæmone, vel à cauſa aliqua proueniat naturali: vel etiam ad inſtruendum in fide obſeſſum, vel maleficiatum, (ſi ita ſit) vult dæmoni aliquod facere præceptum, puta vt aliquam ex ſolitis leuem in Patiente cauſet vexationem, dæmonem diu illum vexare non permittat; ſed citò ei præcipiat, vt patienti grauamen, ſeu moleſtiam inferre prætermittat.

Non permittatur dæmon diu obſeſſum vexare.

Si verò dæmon Energumenum actu vexet, cumque ab vſu ſenſuum alienet, illicò Exorciſta magna fide ſuffultus in nomine Ieſu dæmoni præcipiat, vt Energumenum diuexare ceſſet, nec ſenſuum vſum impediat, vt neceſſarias de fide inſtructiones deuotè, & attentè percipere valeat. Et ſi opus ſit, obiurgationes adhibeat inferiùs poſitas *num.* 936. vt dæmonis audaciam faciliùs confringere valeat, ac ipſius contumaciam refrenare.

Nec vſu ſenſuum impedire

§. VI.

746 Septimò, ſi dæmon per os Energumeni loqui præſumat, Exorciſta ſilentium illi imponat exemplo Chriſti Lucæ 4. qui dæmoni dicenti: *Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene veniſti perdere nos? Scio te, quòd Sanctus es Dei,* ſilentium impoſuit, licèt veritatem fateretur. *Et increpauit illum Ieſus dicens: Obmuteſce, & exi ab eo.* Vnde Marci 1. & Lucæ 4. habetur, quòd *non ſinebat ea loqui.*

Silentiũ dæmoni imponatur.

Poteſt tamen quandoque Exorciſta dæmones interrogare, quo tempore in corpus obſeſſi ſunt ingreſſi, vt ex hoc agnoſcat: an cruciatus à Patiente tolerati à cauſa naturali, vel præternaturali fuerint excitati: vt egomet cum illo dæmone feci, à quo vexatus fuerat homo ille, de quo ſupra *num.* 545. Quod aliàs etiam cum alijs præſtiti dæmonibus, antequàm illos in virtute Dei ab obſeſſis corporibus expellerem; vt ſcirem, quomodo, & quando ingreſſi eſſent in corpora illa, vt ſic etiam Energumenis illis ad ſe ipſos impoſterum à dæmonibus cauendum, ac præſeruandum remedia traderem opportuna.

Poteſt quãdoq; interrogari de tempore ingreſſus.

Veruntamen priùs interrogandi ſunt ipſius obſeſſi parentes; deinde ipſe obſeſſus dæmoni in nomine Ieſu præcipiendo, ne internis, vel externis Energumeni ſenſibus impedimenta ingerat. Sic Chriſtus Marci 9 cum ſibi filius quidam habens ſpiritum mutum fuiſſet adductus, interrogauit Patrem eius dicens: *Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit?* At ille ait: *Ab infantia.* Vbi D. Petrus Chryſolog. ſerm. 51. de Dæmoniaco ait: *Reuoluit infantiam Chriſtus, vt tanti mali cauſa non tangat ſobolem, ſed parentem.*

Prius interrogãdi ſunt parentes, ſicut & ipſe obſeſſus

§. VII.

747 Octauò, ſi Exorciſta, perſonam, quæ tanquam obſeſſa ad eum confugit, vt exorcizetur, non eſſe verè, ac realiter; ſed tantùm imaginariè, aut fictè obſeſſam vereatur, in eam exorcizando cautelam mox infra ponendam adhibebit.

Quinam ſint obſeſſi tãtum fictè, & imaginariè.

Sunt enim aliqui, qui non verè, ſed duntaxat ſecùndum ſuam imaginationem ſunt obſeſſi: vt aliquando in mulieribus menſtruorum defectum patientibus accidit, de quibus ſupra *num.* 547. Alij ſunt, qui ſe à dæmone obſeſſos, ſed ob diuerſos fines effingunt. Nam aliqui, vt aſtantium viſcera ad pietatem commouentes, eleemoſynis eorum ſuam propriam ſubleuent paupertatem: Quidam, vt ab aliqua ſe oppreſſione, vel afflictione diripiant: vt mulieres iuuenculæ, quę quandoque ſenibus nuptę maritis, cum ob nimiam zelotipiam quaſi captiuæ teneantur; vt aliquali valeant perfrui libertate, ſe à dæmone obſeſſas teſtantur, die, noctuq; clamant, variaſque præſtant inſanias, vt maritus modò hùc, modò illùc: nunc ad iſtum, nunc ad illum Exorciſtam eas ducere compellatur. Alij ſe dæmoniacos ſimulant, vt eccleſiaſticos ritus contemnant, Exorciſtas ſubſannent, eorum artem Exorciſticam infament, obſeſſoſque veros, ac maleficio affectos à remedia ſacra ab Eccleſiaſticis miniſtris quærendo, & adhibendo auertant. Hoc præſtant aliqui Magi, Malefici, ac Sagæ, ſicut experientia pluries comprobaui: Fingunt enim ſe à dæmone obſeſſos; vnà cum alijs, (& fortaſſe eorum opere) maleficio affectis, aut obſeſſis ad Exorciſtas accedunt: aſtant, dum alij exorcizantur, laudantque, ac magnificant opera Exorciſtæ, dicuntque ſe maximam habere fidem, quòd procul dubio à quacumque dæmoniaca liberabuntur vexatione, genuflexi ante Exorciſtam ei membra corporis indicant, in quibus affligi ſe à dæmone dicunt: Exorciſta, (ſi cautus non eſt) more ſolito dæmoni, vt è corpore exeat, nec ampliùs illos vexet præcepta imponit; ſed ipſi omnibus audientibus, ex eius præceptis, & exorciſmis nullum ſentire leuamen, nec ceſſare dolores, nec dæmoniacas vexationes remitti, aut diminui, quamuis maximam habeant fiduciam audacter reſpondent: ſic contram Exorciſtam murmurantes, eius famæ, honori, & arti detrahentes recedunt, cæteris poſtea à maleficio liberatis, & à dæmone ereptis, dicentes: *Heu quàm ſtulti nos ſumus, hiſce credere impoſtoribus, & incantatoribus! Maxima cum fide acceſſi ad iſtum ſignatorem, nec tamen eius ſignamenta quicquam mihi profuerunt: ſic quoquè de vobis erit: videbitis, quòd breui tempore eiſdem vexationibus, ac doloribus eritis affecti.* Hoc autem dicunt, vt illorum fidem diminuant, ac de Dei protectione diffidant: qui ſi patientes aures illis præbeant, iterum (dæmonis operante virtute) nouis afficiuntur maleficijs: & ſic magis Maleficorum, ac Sagarum verbis, quàm Exorciſtarum eruditionibus, ac monitis ſacris fidem præſtantes, (Deo permittente) nouis à dæmone affici vexationibus promerentur.

Experientia comprobatur

Verba obtrectatorum.

§. VIII.

Vt ergò Exorciſta iſtorum obſeſſorum fictiones agnoſcere valeat, eos priùs interroget, in quibus corporis membris vexationes ſentire conſueuerint; deindè, ſi vexatus prætenſus latini idiomatis ſit ignarus, tali idiomate præcepta formet. 748
Si verò gnarus ſit, vt præceptum tale minimè intelligat, formet illud voce ita ſubmiſſa, quòd ipſe audire nequeat, præcipiendo dæmoni (ſi in illo corpore adſit) vt aliquam ex illis, quibus, ait obſeſſus ſolere in ſe affici, cauſet vexationem, vnam tantùm præcisè nominando, prout expediens eſſe iudicauerit: quòd ſi dæmon aderit, præceptum quidem intelliget, cui, etſi non facilè obedierit in recedendo à malo, cùm ab obſeſſo, aut maleficiato præceptum non percipitur; attamen cùm ſibi ab Exorciſta præcipitur, vt vexet, faciliùs obtemperabit præcepto, quamuis illud à patiente non intelligatur. Si ergò verè, ac realiter patiens à dæmone

Cautela ſeruãda cum huiuſmodi ſuſpectis

fuerit

fuerit obſeſſus, dæmon illum in ea corporis parte vexabit, quam vexandam ab Exorciſta per præceptum fuerit ei imperatum; & tunc patientem, quid ſentiat in corpore ſuo interrogare valebit, vt an patientis verba veritati præcepti ſint conformia dignoſcat. Si autem patiens non verè, ac realiter; ſed tantùm imaginariè, aut fictè obſeſſus fuerit, cum Exorciſtæ præceptum non intellexerit, nec in eo ſit vlla vexatio, cum Exorciſta ipſum interrogauerit, in qua parte corporis dæmoniacam ſentiat vexationem, vnum pro alio reſpondebit; ſicque tolletur larua diabolo, ac omnis dolus aperietur.

§. IX.

749 *Dæmon ab obſeſſo nõ motu corporis, ſed actibus fidei ad obediẽtiã eſt compellendus*

NOnò, cum Exorciſta aliquod præceptum dæmoni facit, admoneat obſeſſum (ſi adimpleri deſideret) quòd nullo corporis motu, aut actu ſiue interiori, ſiue exteriori dæmonem ad obedientiam compellere debet; ſed potiùs actibus fidei, & confidentiæ in Deum, intelligentiæ, & attentionis ad id, quod præcipitur ab Exorciſta. Diabolus enim, cum ſpiritus ſit ſpiritu, & non aliquo corporis geſtu, eſt compellendus. Et interim obſeſſus membra corporis ſui, ac ſi ſua non eſſent, relinquere debet, & qualiter diabolus iuxta præceptum ab Exorciſta factum operetur in illis obſeruare, & de tanta dæmonum ſubiectione lætari, ſimulque diuinam maieſtatem, ac potentiam, qui nobis tot, tantaque beneficia contulit, collaudare.

§. X.

750 *Experiẽtiæ in quibus priùs ſint faciendæ.*

DEcimò, quando plures ſunt exorcizandi, probationes, & experientiæ, (de quibus infra *part. 3.*) primò in his, qui maiorem poſſident fidem, ac capacitatem, magis, magiſque intentioni Exorciſtæ ſe conformant: ſunt faciendæ, vt id alij obſeſſi videntes, fidem in Exorciſmo requiſitam, ac confidentiam in Deum faciliùs concipiant. Et interim prudens Exorciſta omnium motus, attentionem, ac diſpoſitionem conſideret, eoſque aliquando interroget; & iuxta ea, quæ proprijs oculis vident, ad actus fidei firmæ, ac inhæſitantis confidentiæ pro ſua liberatione eliciendos doceat, ac confirmet.

In hac enim arte plures vexatos ſimul ad exorcizandum admittimus contra regulas antiquorum Exorciſtarum credentium, vnum vexatum impediri per alium; & dæmones ſe inuicem adiuuare; quod falſum eſſe experientia oſtendit. Immò ex multorum ſimul obſeſſorum adiuratione multa bona dimanare probantur. Primum: quia vnico actu eandem doctrinam omnes capere poſſunt; ſicut ab vno Concionatore totus populus edocetur. Secundum: quia plures experientiæ, quæ ſecundùm diuerſitatem patientum fiunt, videntur. Tertium: quia plures dæmonum malitiæ aperiuntur. Quartum: quia magis oſtenditur diuina liberalitas, Eccleſiæ ſplendor eniteſcit, & Miniſtrorum eius auctoritas manifeſtatur. Quintum: quia vexati magis animantur ad reſiſtendum dæmoni, & minori verecundia afficiuntur videntes alios eiuſdem conditionis. Sextum: quia dæmones magis confunduntur, dum omnes ſimul obedire tenentur. Et tandem, quia maius eſt commodum Exorciſtæ, qui vno die decem, aut quindecim, & ampliùs poteſt liberare vexatos, quos ſeparatim non poſſet vno menſe. Maior etiam apparet modeſtia, & minus periculum ſcandalorum. Præceptum tamen vltimum dæmonum expulſiuum, licèt contra omnes dæmones in varijs corporibus exiſtentes vnicum proferri poſſet: attamen ſingulum ſuper ſingulos obſeſſos enunciari debet: ſicut etiam inueſtigatio, & probatio particularis pro vnoquoque diſtinctè præſtanda eſt: quia ſic meliùs per fidem, & confidentiam in Deum vexatus ad ſuam diſponitur liberationem.

§. XI.

VNdecimò: quia Vexati non omnes eiuſdem ſunt conditionis; non eodem modo cum omnibus eſt procedendum. Quidam enim ſunt rudiores, & cum his magna patientia, prudentia, ac dexteritas requiritur, vt doctrinam capiant. Alij ſunt timidi, & hi ad curandum ſunt difficiilimi: quia difficulter actus fidei firmæ, & inhæſitantis pro ſua liberatione elicere queunt. Quidam ſunt duri capitis, & propriæ ceruicis: & hos facilè diabolus decipit, ne Exorciſtæ inſtructionibus fidem præſtent. Quidam ſunt verecundi, & ſub verecundia diabolus malitiam ſuam occultat. Alij aliarum ſunt conditionum, ac proprietatum. Cum rudibus pedetentim, & paulatim procedendum eſt. Cũ timidis ſemper ad eos roborandum, animandum, & confortandum intendendum eſt. Duris, & in propria ſententia obſtinatis, debere eſſe humiles, & in omnibus iudicio Exorciſtæ ſubiacere eſt oſtendendum. Verecundi non in loco publico, aut coram perſonis, de quibus verecundari poſſint, ſunt exorcizandi: & omnibus accommodare ſe debet Exorciſta. 751 *Non eodẽ modo cũ omnib. vexatis eſt procedendum.*

Quoad locum autem, in quo adiurandi ſunt obſeſſi, licèt ſecundùm regulas antiquorum Exorciſtarum ſit Eccleſia; nihilominus ad inconuenientia vitanda, quæ ſæpiùs ex populi multitudine aſſiſtente euenire ſolent, qui non deuotionis gratia; ſed curioſitatis cauſa confluunt, ſanum erit conſilium, ſi Exorciſta paucis præſentibus, puta conſanguineis, domeſticis, aut amicis perſonæ obſeſſæ, & vno ſaltem (ſi poſſibile ſit) Eccleſiaſtico, aut Religioſo, & non coram totius populi multitudine congregata, in aliquo ſecreto Oratorio; vel etiam ipſius obſeſſi domo ante imaginem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis munere ſuo fungatur. Idipſum etiam ſuis ſubditis ſuadere videtur Reuerend. P. F. Franciſcus à Longobardia Ordinis S. Franciſci Miniſter Generalis: vt habetur apud Peirinum *in Formul. Prælat. litera E.* *Locus magis aptus ad exorcizandũ quinã ſit*

Quò verò ad tempus dico, quocumque tempore, & hora quando neceſſitas vrget, quòd aliquis à dæmone diuexatur. Vndè error eſt deteſtabilis, tempore æſtiuo, & autumni dum fruges aeri ſunt expoſitæ, velle prohibere, vel ſe abſtinere ab adiuuãdis energumenis, & ſubleuandis à vexatione diabolica. Hoc enim nihil aliud eſt, quàm dæmonum poteſtatem magni facere, eorumque tyrannidem expaueſcere, Deique potentiam nihil facere, ac poteſtatem Eccleſiæ paruipendere. Dæmones enim ſicut & quælibet alia creatura eſt ſub potentia obedientiali ipſius Dei, qui dedit poteſtatem Eccleſiæ Miniſtris cum adiurandi per virtutem diuini nominis per modum expulſionis, ad quorum præcepta facta in Nomine Ieſu Deus ex vi promiſſionis factæ Eccleſiæ concurrit, dæmonem expellendo ab hominibus, nec non è rebus ad homines ſpectantibus: qui enim poteſt quod maius eſt, poterit etiam quod minus eſt; idcirco Exorciſtæ numquam permittere debent dæmoni, vt pro ſigno malum aliquod operetur, cum non ſint neceſſaria huiuſmodi ſigna exteriora, vt docui *in meo Manuali Exorciſt. part. 3. n. 746.*

n. 746. Sed in nomine Ieſu ei præcipere debent, ne amplius illi perſonę, vel cuicumque alteri, vel rei ad vſum hominis ſpectanti nocumentum afferat. Prędicta autem opinio erronea communiter publicatur à Maleficis, ac Magis, eorumque fautoribus ipſi enim, cum dæmones eijciunt ab hominibus, hoc non præſtant diuina poteſtate adiuti, ac iuriſdictione eccleſiaſtica ſuffulti; ſed per modum deprecationis ad dęmonem ſuperiorem confugiunt, vt ipſe virtute ſua naturali dæmonem expellat inferiorem; ipſe autem cum ſit iniquus, hominiſque hoſtis vniuerſalis, non vult eum expellere, niſi alteri illius familiæ malum inferat, vel in tota regione tempeſtates excitet, quibus ſata, ſegetes, vineas, ac cæteros terræ fructus diſſipet, ac perimat. Non ſic Exorciſtæ eccleſiaſtici, qui virtute Dei, ac poteſtate ſibi ab eo, & ab Eccleſia tradita operantur, cuius potentię dęmoniaca poteſtas eſt ſubiecta.

§. XII.

Interrogandus obſeſſus de accidentibus tempore inſtructionis.

752 DVodecimò, in toto illo tempore, in quo explicatur inſtructio, & fit actus exorciſmi, Exorciſta ſępiùs patientem quid ſentiat interroget: & quid audiat: quidue ſibi ſuggerat dęmon: cui rei attendat: quid cogitet: quid denique timeat; vt ex hoc illuſiones, & tentationes dæmonum, quæ illo tempore ſunt innumerabiles, cognoſcantur. Patientem inſuper, qualiter ſe habere debeat tempore illo intermedio, ideſt inter actum inſtructionis, & exorciſmi edoceat; vt videlicet Sacramenta frequentet; ſe à peccato abſtineat; virtutum actus, humilitatis nempè, patientiæ, charitatis erga Deum, & proximum, conformitatis diuinę voluntati, & huiuſmodi exerceat; recordetur eorum, quæ ſibi ab Exorciſta fuerunt imperata, vt ea opere compleat, præcipuè de contemnendo, ac deteſtando dæmones, de non timendo illos, de eliciendo ſæpiùs fidei, ac confidentiæ in Deum actus, ipſum humiliter, ac deuotè pro ſua liberatione deprecando, vt infra *p.* 3. ſæpiùs tradetur.

Exorciſta sēper ſit paratus ad ritè munus ſuū obeūdum.

Ipſe verò Exorciſta ſingulis diebus, quibus exor- 753
cizare vult patientem, ordinem habendum in tali actu, puta quàm velit tradere inſtructionem, quam facere experientiam, quid præcipere, quid obſeruare priùs præmeditetur: & quicquid eſt faciendum, prudenter, ac ſapienter ordinet, ac diſponat, ſedulè orationi, ac ieiunio corporali, ac ſpirituali incumbendo eo modo, quo *parte ſecunda* docetur; ne ad tantum miniſterium obeundum imparatus accedat.

Si verò obſeſſus, vel maleficio affectus credat voluntatem Dei eſſe, vt ipſe ſuſtineat huiuſmodi maleficia tanquam ſibi à Deo immiſſa pro ſuorum peccatorum remiſſione, ac maiori meritorum cumulo ideò non eſſe hanc crucem reſpuendam, vt fortaſſe ſibi ab aliquo Sacerdote ſimplici, & ignaro, qui neſcit diſtinguere inter voluntatem Dei permiſſiuã, & approbatiuam, fuerit inſinuatum, tunc non eſt Exorciſtæ elaborandum pro liberatione talis perſonæ obſeſſæ, quia oleum, & operam perdet, vt mihi etiam euenit.

Quare ex omnibus in hac prima parte diſputatis facilè colligitur, Exorciſtam vt rectè, tutò, & efficaciter ſuum valeat exercere munus, debere eſſe ordinis exorciſtici, vel ſacerdotalis: iuriſdictionis ordinariæ, aut delegatæ poteſtate donatum; Scientia præditum, qua maleficiorum cauſas efficientem, cooperantem, inſtrumentalem phyſicam, vel moralem, ac permittentem cognoſcat: nec non ſigna probabilia, & certitudinalia, ex quibus morbos maleficos à naturalibus diſcernere valeat: ac optimè ſuam poteſtatem, & remedia ſpiritualia, quibus ad dæmones expellendos, & eorum opera deſtruenda ſibi eſt vtendum noſcere debet: Virtutibus fide, ſcilicet ſpe, confidentia, charitate erga Deum, & proximum, fortitudine, patientia, perſeuerantia, ac prudentia præditum, vt errores vitando, ac ſemitas rectas eligendo, finem, quem intendit, nempe dęmonum confuſionem, & expulſionem, ac tandem Sanctiſs. Nominis IESV gloriam, & honorem conſequi mereatur.

DISPVTATIONIS QVARTÆ DE CVRATIONE DIVINA.

PARS SECVNDA.

Ex parte Ægroti.

754 *Ægrotus obſeſſus figuratus per Ioan. in Patmos relegatum.*

VIDIMVS, quiſnam ſit Exorciſta Medicus ſpiritualis per ſimilem Filio hominis deſignatus, cõſequenter de Ægroto obſeſſo, aut maleficiato; vel etiam morbo naturali detento, aut in quacunque neceſſitate conſtituto agere, eſt conſentaneum. Quem poſſumus aſſerere a Ioanne aliquo modo repræſentari eo modo, quo S. Auguſtinus *tr.49. in Ioannem*, Lazarum hominis in peccato ſordeſcentis typum referre docet. Etenim Ioannes à miniſtris diaboli perſecutionem patitur: quia imperatorio Domitiani mandato in Patmos relegatus ærumnis afficitur: Ægrotus obſeſſus vexationem ſuſtinet ab ipſo dæmone, qui obſidendo, & poſſidendo interiùs, & exteriùs totum hominem torquet. Ioannes ſtatim ac videt ſimilem Filio hominis, timore corripitur, & cadens ad pedes eius tanquam mortuus iacet: Obſeſſus, qui abſente Exorciſta nullum timere videtur, ad eius præſentiam cedit adiuranti, obedit imperãti, voces degeneres emittit inſultanti, conculcanti collum præbet, & mortis inſtar in terra volutari nõ dedignatur. Ioannes erigitur à Filio hominis, qui voce potenti, & contactu dexteræ animum dat pauenti: Obſeſſus per impoſitionem manuum, & rerum ſacrarum applicationem (diuina operante virtute) roboratur, erigitur, & viuificatur.

Ærũnis affectum

Obſeſſus debet eſſe benè diſpoſitus.

Hic autem ægrotus debet eſſe in ſeipſo debitè præparatus, vt virtute exorciſmorum ſanitatem conſequi poſſit; cum idem in curatione diuina, ac in naturali contingat: Nam ſicut corporum Curatores antequam pharmacis vtantur, ſolent ægros leuioribus purgationibus primò diſponere, & diſpoſitis normam viuendi aſſignare, quam non decet prætergredi, ſi ſanitatem obtinere prætendunt: Ita animarum Medici ſollicitè curare debent, vt Arreptitij, ac Maleficiati præter deſideriũ, quo flagari debet ſuæ liberationis, & obedientiam, quam in omnibus Exorciſtæ exactè prçſtare, ipſiuſque conſilium adimplere tenentur, debitam etiam, antequàm exorcizentur, habeant præparationem, vt optatam ſalutem conſequi mereantur.

Quòd ſi quæras, quænam ſit diſpoſitio immediata neceſſaria ægro ad Exorciſtam accedenti, audi Chriſtum illam Matth. 17. breuiter edocentem. Obtulerat Apoſtolis vnus ex Iudæis filium ſuum habentem ſpiritum ſpumantem, allidentem, ſtridentem, & areſcentem, vt illum expellerent. Quod cum fruſtra tentaſſent, ægrum adduxit ad Chriſtum, ac genibus prouolutus ante eum dixit, Matt.17. v.15. *Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur; nam ſæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam; & obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Reſpondens autem Ieſus ait: O Generatio incredula, & peruerſa, quouſque ero vobiſcum? vſquequò vos patiar?* quaſi diceret: O Generatio ſine fide, ac ſine confidẽtia; Non enim homo ille firmiter credebat, quòd Ieſus poſſet ſanare filium eius: vnde dixit ei: Marci 9. verſ.22. *Si quid potes, adiuua nos miſertus noſtri.* Non enim dixit; Scio, quòd potes ſaluare filium meum: Sed *ſi quid potes*, vbi per illam particulam cõditionalem, *Si*, oſtendit, ſe ignorare, in Chriſto eſſe virtutem certam, & infallibilem ad dæmones expellendos. Quare Chriſtus oſtendit ei, ac docuit, fidem theologicam, nec non fiduciam inhæſitantem neceſſariam eſſe, nedum Obſeſſo, ac Maleficiato, ſed quacumque ægritudine detento, & in quacumque neceſſitate

755 *Diſpoſitio requiſita in obſeſſo eſt fides theologica, ac fiduciam Deum.*

con-

conſtituto, (ſi à Deo liberationem à malo; vel quoduis aliud ab eo beneficium animæ ſalutare infallibiliter obtinere prætendat) qua firmiter, & ſine hæſitatione credat, Deum nedum poſſe, ac ſcire; ſed velle quodcumque ſalutare petitur, ratione ſuæ bonitatis infinitæ, ac fidelitatis immutabilis, infallibiliter largiri tempore opportuno: Ideò dicit: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti:* Quod benè teſtatur etiam Beda Venerabilis dicens: *Impoſſibilitas curandi non ad imbecillitatem curantium; ſed ad eorum, qui curandi ſunt, fidem referenda eſt.* Apertè S. Cyprianus tract.4. de Idolorum vanitate: *Dæmones vel exiliunt ſtatim: vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat: aut gratia curantis aſpirat.* Et Sanctus Athanaſius orat.1. contra Arianos: *Omnes,* ait, *qui legitimè in Chriſtum fiduciam habent, pedibus conculcant eum, qui hæc verba dicebat* Iſaiæ 14. *In cælum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, &c.* Latiſſimè de modo omnibus accommodato quodcumque à Deo ſalutare cupientibus obtinere, actum eſt ſupra, vbi *de Fiducia in Deum* collocanda.

Hanc autem fiduciam, quia tunc Apoſtoli perfectam quoad praxim, & exercitium non habuerunt, ideò dæmonem ab illo iuuene eijcere non potuerunt. Infra n.815. Quare conuenienter Chriſtus poſuit ſecundo loco: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi per orationem, & ieiunium;* quaſi diceret: quia non oraſtis, nec ieiunaſtis, illum eijcere non potuiſtis; vt notat Abulenſis *q.* 171. *in cap.* 17. *Matthæi,* vt oſtenderet, & Exorciſtam, & Obſeſſum orationi, & ieiunio debere eſſe intentos: cum hæc maximè diſponant animos, vt fidei, ac confidentiæ in Deum, qua dæmones expelluntur, ac cætera beneficia à Deo obtinentur, actus facillimè eliciantur. Quare vtrumque Obſeſſo, ac Maleficiato, ſeu alia ægritudine detento, & in quacumque neceſſitate conſtituto neceſſarium eſt, vt ex illa theoria Chriſti, & practica Ioannis *ſequentibus capitibus* demonſtrabimus.

CAPVT I.

De Aegroto orante Deum.

756 *Ægroti exercitiū debet eſſe oratio, vt maximā in Deum fiduciam eliciat.*

Dignum ſanè Ioanne exercitium, orationi vacare dum ſimilis Filio hominis ſeſe eius conſpectui offert. Nam illam ſublimem, & excellentem fuiſſe, quis dubitat? cum Perſona ſit digniſſima, Ioannes nempe, apoſtolatu, prophetia, martyrio, doctoratu, virginitate, contemplatione, amore, & gratia inſignis. Locus ſolitarius, Patmos Inſula longiùs à tumultuaria hominum habitatione ſemota. Tempus opportunum, dies Dominica eccleſiaſtica inſtitutione pietati conſecrata. Cauſa ſancta, martyrium nempe, ac tolerantia perſecutionum propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti. Denique modus excellens: *Fui in ſpiritu,* inquit; Sic enim orat, vt intra ſe raptus exceſſum mentis patiatur. Ideò ægroti eſt ſiue obſeſſi, ſiue maleficio affecti, ſiue quocumque morbo detenti, aut in quacumque neceſſitate conſtituti, vt maximam valeat aſſequi fiduciam, qua omnia petita beneficia ſalutaria à Deo obtinentur, aſſiduè Deum exorare modo ſequentibus articulis explicato.

ARTICVLVS I.

Contemplando Diuinam Prouidentiam.

QVàm vtilliimum ſit hic agere de Dei Prouidentia, ex eo colligitur, quòd nemo confidentiam in Deum perfectè aſſequi poteſt, niſi qui & Prouidentiam Dei probè cognouerit. An ſit Prouidentia, fugimus quærere: nam rectè Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. ſub init. *Sunt,* inquit, *quæſtiones quædam dignæ, quæ puniantur: cuiuſmodi eſt quærere probationes, An ſit Prouidentia; cum ſit manifeſta Diuina Prouidentia ex aſpectu omnium, quæ videntur, effectorum, quæ arte, & ſapientia conſtant.* Eſt ergo Prouidentia. 757

Ex contemplatione diuinæ prouidentiæ emanat perfecta in Deum fiducia.

Prouidētia Dei deſcribitur.

Sed dices quid eſt Prouidentia? *Eſt ipſa,* inquit Boethius lib.4. de conſolat. philoſ. proſ. 6. paulò à princip. *diuina ratio in ſummo principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.* Optimè de hac re Damaſcenus lib.2. de fide Orthodoxa cap.29. *Prouidentia,* inquit, *eſt voluntas Dei, per quam res omnes aptè, congruèque gubernantur.* Rem ſic faciliùs intelligemus: Vidit Deus ab æterno, qua ratione quæuis res creata ſuum finem poſſet aſſequi; ſimul etiam omnia impedimenta vidit, quæ in aſſequendo fine obicem ponere valebant.

Declaratur.

Deinde hic idem optimus Deus ſanctiſſima ſua voluntate ea delegit ſubminiſtranda auxilia, per quæ omnes homines ad ſuum finem quàm optimè ducerentur; ideò quamuis Prouidentia Dei conſiſtat in actu intellectus diuini; illum tamen comitatur actus voluntatis, vt benè docet Drexelius *de Conformatione voluntatis lib.* 5. *cap.* 6 §.1. Hæc verò ſtatim ab Orbis ortu propoſuit, & in opus deduxit per immenſam ſuam potentiam: Ita *Diuina Prouidentia,* vt Dorotheus loquitur, *fons eſt omnium bonorum.* Hanc omnes philoſophorum turbæ agnouerunt. Hinc illa: *Deum ſequere; Cum Dijs pugnare noli; Id ſuperis curæ; Viderit Iupiter: Hoc in genibus Iouis ſitum;* aliaque talia priſcis vſitata. Habet enim Deus prouidentiam omnium omninò rerum creatarum. Res certiſſima eſt. Clamat Sapientia Sap.c.6. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Ita te, ita me, ita ſingulos curat prouidentiſſimus Deus, ſicut vniuerſos,* ait Drexelius loco citato; *neque tantum quod melius, ſed quod optimum eſt ſemper & tibi, & mihi, & ſingulis, & omnibus vult.* Gregorius pulcherrimè lib. 16. moral. cap. 5. *Sic,* inquit *intendit omnibus, vt adſit ſingulis; ſic adeſt ſingulis; vt ſimul omnibus numquam deſit: ſic ſumma regit, vt ima non deſerat; ſic imis præſens eſt, vt à ſuperioribus non recedat. Cura eſt Deo de omnibus.*

§. I.

HAnc veritatem (Ab auibus ſumpto argumento) nobis ingerit Chriſtus Matthæi cap.6. *Reſpicite,* inquit, *volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa: Nonne vos magis plures eſtis illis?* Hoc ipſum ſæpiùs inculcans hic è cælo Magiſter: Matt.c.10.v.29. *Nonne,* inquit, *duo* 758

Probatur ſumpto argumento ab auibus.

paſ-

paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt, & Lucæ c. 12. v. 7. *Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos*. In his animantibus, quæ citra omnem ſollicitudinem paſcuntur, vult ſapientiſſimus Magiſter, diſcamus amplitudinem diuinæ Prouidentiæ, in quam recumbamus. *Hanc enim*, ait Drexelius loc. cit. *vt apertiſſimam faciat, non adducit paſtum in deſerto Iſraelem annis quadraginta: non laudat Eliam à coruis nutritum; ſed brutas animantes obijcit, ſicque non leones, vrſos, elephantes, aut alia id generis grandia animalia, quæ & ipſa diuinitùs paſcuntur; ſed animalium minima, auiculas, quæ cum cantui ferè vacent, & veluti obiter ſumant cibum, maximè à ſollicitudine liberæ videntur. Et homo, qui pluris eſt innumeris auiculis, Deumque & non Dominum tantum, ſed & Patrem agnoſcit, ſic angatur animo?*

A ſollicitudine circa victum, & veſtitum

Idipſum inculcat idemmet Seruator noſter Lucæ eodem cap. verſ. 23. ſumpto argumento à ſollicitudine peſſima circa veſtitum, & victum, docetque in alma Dei Prouidentia vnicè confidendum: *Nonnè*, inquit, *anima plus eſt, quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum?* Deinde verſ. 28. eiuſdem cap. quàm circa floſculos Deus prouidentiam gerat, oſtendens: *Conſiderate*, inquit, *lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos modicæ fidei?* Videte igitur, quàm non ſolliciti ſint agreſtes floſculi de ſuo, quo triumphant veſtitu: nam omnem decorem ſuum vni Deo referunt acceptum, apertè profitentes, ſe nihil debere humanæ curæ. Vos iam ipſi iudicate, ſi Deus contemptiſſimos flores, & viliſſimas herbas breui demetendas, & in furnum rapiendas tam pulchrè amicit, vt magnificentiſſimi Regis Salomonis exquiſitus, atque ad miraculum vſque ornatus, ac pretioſus cultus eorum elegantiam neutiquam exæquet, quantò magis vos immortalitati à ſe conditos veſtiet, curabitque neceſſaria non tegendo tantùm corpus; ſed (ſi opus eſt) ornando; nec ornando tantùm corpus, ſed animam, & corpus à dæmoniacis inſultibus liberando, ac protegendo, ab infirmitatibus ſanando, ab inimicis tuendo, & in cunctis neceſſitatibus ſubleuando? Quod benè teſtatur Sapiens Siracides Eccliſ. c. 34. *Oculi Domini*, inquit, *ſuper timentes eum, protector potentiæ: firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem*. Ideò Auguſt. in Soliloq. c. 15. *Conſtanter*, inquit, *Deo crede, eique te totum committe, quantùm potes: ita enim ipſe te ad ſe ſubleuare non deſinet, nihilq; tibi euenire permittet, niſi quod tibi proſit, etiamſi neſciat.*

§. II.

Prouidētiæ contēplatio animæ quietem affert.

759 HÆC ergo diuinæ Prouidentię quotidiana contemplatio maximam in nobis erga Deum ingerit fiduciam; altiſſimam animo pacem conciliat; & omnem hominis voluntatem ſubijcit diuinæ, idque ſuaui negotio. Quiſquis enim diuinę prouidentiæ totum ſe regendum committit, is iam liber ab innumeris moleſtijs *ſedet in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulētæ*, ait Iſaias cap. 32. verſ. 18. Hinc Allois Abbas (vt refert Dorotheus doctr. 7.) dicere ſolebat: *Non habebit homo requiem, niſi dixerit in corde ſuo: Ego, & Deus ſoli ſumus in hoc mundo*. Hoc ipſum Auguſtinus lib. 3. Confeſs. cap. 11. *Sic curas, ò Deus, vnumquemque noſtrum*, inquit, *tandem ſi ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos*. Ipſiſſimum hoc & Gregorius lib. 25. Moral. cap. 19. aſſerit: *Sic Deus intendit ſingulis, ac ſi vacet à cunctis, & ſic omnibus ſimul intendit, ac ſi vacet à ſingulis*. Ita mi homo, te curat, ita tibi prouidet Deus, ac ſi aliud quod curet, prorſus non habeat. Hominum multitudo diuinam prouidentiam non turbat, idem illi vnus, & mille homines. *Quemadmodum*, ait Drexel. de Conform. volunt. lib. 5. c. 6. §. 1. *de Noe cum alijs ſeptem hominibus arcæ concluſo, aut de vnico in Elyſijs campis Adamo ei curæ fuit; ſic de omnibus nunc eſt. Idcircò huic prouidentiſſimo curatori ſuo proborum quiuis dicere poterit illud Cant. c. 2. V. 6. Dilectus meus mihi, & ego illi: Ego Deum, & diuinos nutus ſic obſeruo, perinde ſi aliud in Orbe non ſit, quod obſeruem, aut æſtimem; mea viciſſim ſalus ſic Deo curæ eſt, tanquam ſi aliud in Orbe non ſit, quod curet, aut cogitet; illi mihi, & ego illi: ille Dominus gubernans me, ego ſeruulus ad dominicos iuſſus paratus; nam ita ille pactus eſt mecum: Cogita tu de me; & ego continenter cogitabo de te: obliuiſcere tu tui, & memineris mei, ſic ego memor promiſſi mei viciſſim iugem tui curam habebo.*

Deus ea prouidētia gubernat omnes, qua ſingulos.

Hic illud ſolatij, ac conſolationis plenum eſt: Deus non ſic gubernat nos, vt Princeps prouinciam, Rex regnum. Summus Pontifex Chriſtianum orbem, quibus opus eſt tot aliorum opera; Pontificis curas tot Archiepiſcopi, tot Epiſcopi, tot alij magiſtratus ſacri ſubleuant: Regibus proreges, Principes, Conſiliarij, Senatores ſunt, in quos illi ſuæ gubernationis curas partiuntur: Non ita Deus: ea prouidentia gubernat vniuerſos, qua ſingulos; ita vnumquemque hominum peculiari, ſicut omnes generali cura complectitur. *In omni loco* ait, Sapiens Prouerb. c. 15. V. 3. *oculi Domini contemplantur bonos, & malos*: & c. 5. V. 21. *Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius conſiderat*: ac Sap. c. 8. V. 1. *Prouidentia eius attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.*

Vtinam ergò in ſingulariſſimæ huius, planèque paternæ prouidentiæ abyſſum liberrimo nos iactu præcipites rueremus. Haud enim dubiè ſibi quiſquā in hoc omnis plenitudinem boni compromittere poſſet: ac dictis innixus dauidicis Pſal. 39. v. 8. dicere: *Dominus ſolicitus eſt mei*, & Pſ. 22. v. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*. Nam ſi animi tranquillitatem diligimus, in Deo confidere debemus, & in eo noſtram fiduciam collocare, cuius ſuffragio à dæmoniacis vexationibus (diuina cooperante virtute) eruemur, ac protegemur; ab imminentibus neceſſitatibus ſubleuabimur; omniaque nobis proficua, & ſalutaria animæ conſequemur.

§. III.

Qui de Deo diffidit, ac ſibi, ſtultus eſt.

HInc quanta digni ſint reprehenſione, qui de Deo diffidunt, ac ſibi ipſis tantùm fidunt, nemo non videt. 760 Nam Salomon Prouerb. cap. 28. vocat eos ſtultos: *Qui confidit in corde ſuo*, inquit, *ſtultus eſt: Ne innitaris prudentiæ tuæ*: & c. 3. v. 5. *Ne ſis ſapiens apud temetipſum*. Nimirum prima ſtultitiæ rudimenta ſunt, ſe ſapientem credere. Quis autem ille Phœnix eſt, qui res ſuas non æſtimet, qui paruipendat, qui non aut vires, aut formam, aut opes, aut eruditionem, aut prudentiam ſuam ſubinde blādis oculis circumſpiciat? Sed ſuo damno. Nam, *qui confidit in cogitationibus ſuis impiè agit*. Prou. c. 12. v. 2. Quapropter Deus, vt à nobis hanc impietatē depellat, ſæpe nos grauiter punit, aut indociles

diſciplina ſua penitus excludit: Sic Gygantem Goliathum tantoperè ſibi fidentem, ac iuuenem Dauid contemnentem certiſſima ſua manu quaſi faſtuoſam turrim lapillo vnico deiecit. Sic Holofernes æquè præfidens ſibi, tanti non erat Deo, vt virili dextra caderet, ſed de omni illius arrogantia fæmina triumphauit. Sic Regis Aſsyriorum Nabuchodonoſor nimia ſua fidentia ipſum in feram mutauit. Sed audi, vt è fera in hominem remigrauit, & Deo, non ſibi fidere didicit: Dan. c. 4. v. 31. & 32. *Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & Altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui: quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnum eius in generatione, & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: iuxta enim voluntatem ſuam facit tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ: & non eſt, qui reſiſtat manui eius, & dicat ei: Quare feciſti?*

Qui ergò per orationem optata beneficia impetrare cupit, non robori ſuo, non arti, non eloquentiæ, non prudentiæ, non ingenio, non ſtemmati, non diuitijs, non eruditioni, non ſapientiæ fidat, quæ omnia leui flatu corruunt: vt monet Ierem. c. 9. v. 23. ſed ſemper in oculis ſummam Dei habeat prouidentiã, ſuamque ſæpiùs redarguat de Deo diffidentiam, ac ſibi fidentiam: ſicut ſuam correxit Auguſt. lib. Soliloq. cap. 15. *Credebam*, inquit, *me ſufficere per me, nec perſpiciebam, quoniam tu regebas me, donec aliquantulum elongaſti à me, & cecidi ſtatim in me, & vidi, & cognoui.* Sic tu quotidiè memoraueris, quòd *cura eſt Deo de omnibus*, Deoque fideris, ac tibi diffideris, quicquid ſalutare petieris, impetrabis.

ARTICVLVS II.

Meditando infinitam Dei bonitatem.

761 *A Prouidentia in meditando nõ eſt ſeparanda Dei bonitas.*

ADiuina Prouidentia infinitam Dei Bonitatem, ac liberalitatem Ægrotus, vel quicumque alius deuotus Orator in orando ſeparare non debet; ſed intellectu contemplari, ac toto affectu meditari, ac firmiter, ſineque vlla hæſitatione credere, Deum nedum omnipotentem eſſe: *in cuius ditione cuncta ſunt poſita*, vt loquitur Mardochæus Heſt. c. 13. *cuius, non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati*: ac ſapientiſsimum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*, vt ait Paulus ad Coloſſ. c. 2. v. 3. ſed ſummè bonum; qui ita bonus eſt, vt ipſe ſolus ſit bonus per eſſentiam: ſicut ipſamet Veritas Ieſus Chriſtus Dominus noſter teſtatur dicens: *Nemo bonus, niſi vnus Deus.* Marci 10. & Luc. 18. Et 1. Reg. c. 2. *Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus.* quia in ipſo, & ab ipſo abſolutè, & principaliter eſt omnis bonitas, & ſanctitas. Cum enim bonitas, ac ſanctitas ſit diffuſiua ſui ipſius iuxta boni naturam à Diuo Dionyſio c. 3. *de diu. nomin.* deſcripti, nec per eſſentiam poſſit ſe diffundere ad extra, ſe diffundit per communicationem, varia creaturis (præcipuè rationabilibus) bona communicando ſpiritualia, ac temporalia, iuxta vniuſcuiuſque propriam capacitatem, exigentiam, ac diſpoſitionem: cumque infinita ſit illa bonitas, nec vmquam ex ſui ipſius communicatione exhauriri poſſit, quantùm eſt ex parte ſui ſemper parata eſt, ſe communicare ſecuudùm quod expedit bono creaturæ, & quidem maiori bono, niſi impediatur per obicem poſitum ab ipſa Creatura: vt eruditiſſimè docet Ieremias Drexelius de Conf. volunt. lib. 5. c. 8. §. 5. ſub fin. *Tam recta Deus voluntatis eſt*, inquit, *vt ſemper velit, ac poſſit id, quod nobis bono eſt, & quidem maiori bono. Quid ni velit hoc Deus? Optimus eſt. Quid ni poſſit? Maximus eſt. Adeoq; vires nullæ ſunt ſupra ipſum, vti nullæ, niſi ab ipſo. Vndequaque, & ex omni parte, bona Dei voluntate ita circummuniti ſumus, vt ad nihil, niſi per prouidentiã diuinam, per ipſum Deum poſſit pertingere. Verè, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.*

Volũtate conditionata Deus vult, quod nobis maiori bono eſt.

§. I.

HInc Deus pijſſimus, vt huiuſce diuinæ ſuæ Bonitatis participes efficiamur, per diuinas ſcripturas nos ſæpiùs admonet, vocat, & inuitat, vt in cunctis neceſſitatibus, anguſtijs, & tribulationibus ad eum confugiamus, & in omni opere noſtro quicquid nobis expedierit, poſtulemus: *Petite*, ait Matt. 17. & Lucæ 11. *& dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.* Imò tam maximè auet nobis benefacere, quòd nedum varia nobis communicat beneficia, gratiaſq; ac fauores innumeros elargitur, verùm ex ipſiſmet noſtris petitionibus, & inuocationibus ſe fore honorandum, ac glorificandum profitetur: *Inuoca me*, ait Pſ. 49. *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* & Io. 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio.* Hac de re S. Fulgentius in Prolog. 1. lib. ad monim. ait: *Deus beneficium ducit, cùm ab eo beneficium petitur: iucundiùs dat, quàm alij accipiant.* 762

Deus vult, nos participes fieri ſuæ bonitatis.

Nec mirum: cùm enim quis Deum orans, & aliquid ab eo petens, firmiter credit, ac ſine vlla hæſitatione confidit, Deum ob ſuam infinitam bonitatem, clementiam, ac liberalitatem, quod ei fuerit proficuum, ac ſalutare largiturum, hic (quantum eſt ex ſe) facit, Deum eſſe Deum; non quòd det ipſi Deo eſſe, nec Deus eſſe incipiat; ſed quia ipſum iudicat, prædicat, fatetur, ac manifeſtat Deum omnipotentem, ſapientiſsimum, clementiſsimum, ac ſummè bonum. Quam veritatem ipſemet Deus docet Exodi 29. dicens: *Et habitabo in medio filiorum Iſrael, eroq; eis Deus.* Ibi Septuaginta legunt: *Inuocabor in filijs Iſrael, & ero eorum Deus.* Sed bone Deus! Quid ſi non inuocaberis? An deſines eſſe Deus, cum dicas: ero eorum Deus? Vtique quantùm eſt ex parte eorum, ſi non inuocaberis, non eris eis in Deum, vt tradit S. Pagninus. Hoc ipſum Sancta Eccleſia ipſiſsimis verbis in perſona Dei profitetur *in Introitu Miſſæ Dom. 19. poſt Pent.* dicens: *Salus populi ego ſum dicit Dominus: De quacumque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos, & ero Dominus illorum in perpetuum.* Ratio eſt, quia qui Deum orat, & eum non tantùm eſſe omnipotentem, ac ſapientiſsimum credit, vt poſsit, ac ſciat dare, quod ipſe petit; ſed etiam ſummè bonum, pijſsimum, ac liberaliſsimum, vt velit, quod ſalutare poſtulatur, elargiri, eo actu, & modo orandi confitetur, Deum eſſe Deum: quia eius proprietatem, quæ eſt bonitas, & miſericordia, vt Marci 10. *Nemo bonus, niſi vnus Deus*, & in quadam Collecta tradit Eccleſia dicens: *Deus, cui proprium eſt miſereri*, prædicat, fatetur, ac manifeſtat: ipſumque Deum Optimum, Maximum, omnibus diuitijs affluentem, benigniſsimum, ac magnificentiſsimum publicat, & enunciat: vti etiam illum proclamat Paulus ad Rom. c. 10. *Idem Dominus eſt omnium*, inquit, *diues in omnes, qui inuocant illum.*

Qui petit à Deo aliquid cõfidenter, facit Deũ eſſe Deũ.

Quomodo

Hoc

§. II.

763 *Qui fiducialiter orat Deũ ipſum honorat.*

HOc optimè agnoſcens Propheta Regius alloquens animam ſuam pſal.103. dicebat: *Benedic anima mea Domino*. Sed quid inde, ò Rex, poſtquam Deum benedixeris, ad eumque oraueris? *Ecce Domine Deus meus magnificatus es vehementer*: ſed quomodo Deus poteſt magnificari, ſi *magnitudinis eius non eſt finis*? vt ipſemet Dauid teſtatur pſalm.144. Quomodo ergo magnificatus eſt vehementer? Eruditiſsimè hoc exponit D. Auguſtin. in pſalm.103. *Ex me*, inquit, *magnificatur Deus meus ex me ergo magnus fit. Docet nos aliquid, & quotidiana oratio ſalutis noſtræ, ſanctificetur nomen tuũ. Quotidie petimus, quotidie rogamus, vt fiat. Si nos quiſquam interroget, quid eſt, quod petimus, vt ſanctificetur nomen Dei? Aliquando enim ſanctum non eſt, vt ſanctificetur? Et tamen niſi vellemus fieri, non peteremus, vt fieret. Alia eſt enim gratulatio: alia oratio: gratulamur ex eo, quod eſt: oramus, vt ſit, quod nondum eſt.* Hæc Auguſt. Quibus verbis inferre vult Auguſtinus, quòd licèt Deus ſanctus ſit, & bonus, & non ſit ſanctus, vt eſt Dominus, nec bonus per eſſentiam, niſi vnus Deus; vult tamen etiam vt Sanctus agnoſci, nomenque ſuum ſanctum vbique terrarum prædicari, & glorificari. Hac de re ſtatuit, vt in oratione Dominica prima petitio eſſet: Matth.6. *Sanctificetur nomen tuum*: non quòd nomen Dei indigeat, ſanctum fieri: quia in ſe ſanctum eſt; nec nos illud ſanctificare poſſumus: Nam ſicut Deo non poteſt aliqua ſanctitas augeri, eò quòd in infinitum ſanctus eſt: ita nomen eius non poteſt aliquam acquirere ſanctitatem, quàm ſemper non habuerit. Sed vult Deus, vt ſanctificetur nomen ſuum, ideſt, vt ſanctum reputetur iuxta illud pſ. 110. v.10. *Sanctum, & terribile nomen eius*; & vt ſanctum ab omnibus honoretur, ac glorificetur. Quod maximè fit, cùm aliquis ad Deum fiducialiter confugiendo aliquod petit beneficium, ſiue ſpirituale, ſiue corporale ob infinitam eius bonitatem, ac liberalitatem; ex cuius conſecutione ab eo agnoſcitur vt Deus, ac prædicatur nedum vt omnipotens, ac ſapientiſſimus; ſed vt pientiſſimus, clementiſſimus, magnificentiſſimus, ac bonus; ſicque glorificatur, vt pater benigniſſimus, & ſanctum nomen eius à ſuis deuotis oratoribus humiliter, ac deuotè laudatur, honoratur, glorificatur, ac colitur.

§. III.

764 *Meditatio diuinæ Bonitatis fiduciam auget.*

QVid autem in ægrotis obſeſſis, vel maleficiatis, aut in quacumque neceſſitate conſtitutis magis, ac magis petita beneficia impetrandi fiduciam augere poteſt, quàm Deum ſummè bonum, ſummè pium, ſummè liberalem, & talem, quòd ſe honorari reputat, dum nobis in tribulationibus auxilium præſtat: meditari? beneficium ducit, dum ab eo beneficium petitur? ſe Deum conſtitui fatetur, dum ſibi à nobis gratiæ poſtulantur? Magnificari ſe dicit, dum anima noſtra illi benedicit? Quid ampliùs in nobis confidentiam à Deo obtinendi quidquid animæ fuerit ſalutare, excitare poteſt, quàm patrem, & non Dominum vocare eum, à quo petita expectamus, dicendo Matth.6. *Pater noſter, qui es Cælis?* Serui enim non ſemper impetrant, ſed filij. Si filium Dei te credis, illa pete, quæ tibi expediunt; nam illum decet ea elargiri. Vnde D. Bernardus ſuper illa verba orationis domin. Pater noſter, &c. *Oratio, quæ Patris dulceſſit nomine*, inquit, *omnium petitionum mearum impetrandarum fiduciam mihi præſtat*. Quod ipſamet veritas docet Matthæi c.7. & Lucæ 11. *Quis ex vobis*, ait, *patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: numquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ouum, numquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos, cum ſitis mali noſtis bona data dare filijs veſtris; quantò magis Pater veſter de Cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Hanc veritatem confirmat elegantiſsimè Drexel. de conformatione vol.l.5.c.2. *Hoc ſcimus*, inquit, *Deũ ſummũ eſſe ſummum Bonum, & quidem tam immensè bonum, vt nil penitùs vel petere liceat, vel optare, quod ab hoc tanto Bono non poſſimus impetrare, certè ſuo tempore conſecuturi omnia, modò tantiſper non cadamus animo; ſed maxima in Deum fiducia erecti ſciamus præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei*. Thren.c.3.v.26. *Nam Gemma gratiſſima expectatio præſtolantis, quocumque ſe vertit, prudenter intelligit*. Prou. c.17. v.8. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum*. Thren.c.3.v.25.

QVÆSTIO I.

Cum Deus tam pijſsimus ſit, ac ſummè bonus, cur tot homines de eius diuino auxilio diffidunt?

IVremerito mouetur hæc quæſtio: quia plures in Orbe ſunt, qui Deo diffidunt: Alij enim putant, illum ſuis hoſtibus nimium indulgere, & laxare omnes habenas: Alij diffidunt, ſe impetraturos à Deo, quod rogant, præſertim ſi per commiſſa olim peccata conſcientiæ angoribus vrgeantur, metuantq; ne Deus veniam ſit negaturus etiam petentibus: Alij de Deo diffidunt, ne fortè ſubtrahat victui neceſſaria. Alij iam fruges ne niuibus ſuffocandæ ſint, verentur: aut in herba necandæ à ſiccitate, iam pluuijs mergẽdæ, aut grandine ſternendæ, vel fulmine exurendæ: Alij iam aliunde vexandam annonam timent: Alij ne valetudine, aut incertis caſibus deſint neceſſaria, formidant: Nonnulli ad rumores bellicos conſternuntur, &, ſpẽ omnem abijciunt: Iam ad funerum, aut aliarum cladium nuntios penitus exanimantur; in quocunq; tandem, cum laboris aliquid, ac difficultatis ſentiunt, de eo mox diffidunt. Vnde ergo tanta in hominibus diffidentia, ſi Deus tam bonus eſt, & tam immensè bonus, vt nil omninò ab eo piè poſtulari liceat, vel deſiderare, quod facillimè tempore opportuno obtinere non poſsimus? 765 *Plures ſunt in Orbe, qui Deo diffidunt.*

Difficultatem ſoluit Ieremias Drexelius lib.5. de Conformat. volunt. cap.10.§.7. *Ex hoc inde euenit*, inquit; *quia de Dei bonitate, ac potentia parum rectè, parumuè liberaliter ſentiũt: hinc illa animi de rerum temporariarum proſpectu numquam ſecura, ſemper diffidens cura. Confitentur ſe noſſe Deum*, ait Paulus ad Titum cap.1. *factis autem negant*: quia eius diuinam prouidentiam, bonitatem, ac liberalitatem vel actu negant, vel contemnunt, omnia metientes ſuo iudicio, & propria æſtimatione. Vnde de his ait Auguſtinus Hipponenſis præſul Pſal.31. propiùs finem. *Parui corde*, ideſt, *diſtorti corde tres habent ſententias: aut non eſt Deus, dixit enim ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus: Aut iniuſtus Deus eſt, cui hæc placent, & qui hęc facit*, ſcilicet mala, quæ nobis eueniunt: *Aut nõ gubernat res humanas, nec cura eſt illi de omnibus. In iſtis tribus ſẽtẽtijs magna impietas*. Quare huiuſmodi homines de diuina prouidẽtia, bonitate, ac liberalitate *Magna eorũ impietas.*

diffidentes à ſua auocet diffidentia, & impietate in eorum oculis ponit Dei bonitatem, benignitatem, ac liberalem prouidentiam, qua cuncta gubernat, ſic ratiocinando in Pſal. 145. *Fecit Deus*, inquit, *cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Si ergo omnia, quæ in eis ſunt, & te; parum dico, te, paſſerem, locuſtam, vermiculum, nihil horum non ille fecit, & cura eſt illi de omnibus. Nolite ergo dicere: Non pertineo ad Deum. Pertinet ad Deum anima tua, pertinet ad Deum corpus tuum; quia Deus fecit & corpus tuum. Dicis fortè: Non numerat me Deus in magna multitudine. Te non numerat, qui etiam capillos capitis tui habet numeratos?*

§. I.

Obijciuntur miſeriæ, quib. inuoluimur. Difficultatem ſoluit Aug.

766 SEd fortaſſe dicet aliquis: Subinde ijs miſerijs inuoluimur, adeò ſolatijs omnibus, & auxilijs deſtituimur, vt mirum non ſit, quandoque fiduciam nonnihil vacillare. Hic etiam Auguſtinus eodem loco pro me reſpondebit (. Et obſecro vos omnes, qui hæc legitis, aut legi auditis, vt ſanctiſſimi viri reſponſum altiſſimo pectore reponatis:) *Quidquid ergò*, inquit Auguſtinus, *hic accidit contra voluntatem noſtram: noueris non accidere niſi de voluntate Dei, de prouidentia ipſius, de ordine ipſius, de nutu ipſius, de legibus ipſius: & ſi nos non intelligimus quia quare fiat, demus hoc ipſius prouidentiæ, quia non ſit ſine cauſa:* Hoc ipſum idem Beatiſſimus Pater diuinus ſcriptor confirmans lib. 11. de Ciuit. Dei c. 22. *Nos*, inquit, *diuina prouidentia admonet, non res inſipienter vituperare, ſed vtilitatem rerum diligenter inquirere, & vbi noſtrum ingenium, vel infirmitas deficit, ita credere occultam, ſicut erant quædam, quæ vix potuimus inuenire: quia & ipſa vtilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio eſt, aut elationis attritio.* En bonitas Dei infinita, quæ in omnibus ſemper quod nobis magis eſt proficuum, quærit! Si enim ſæpiùs mentis oculis diuinam eius prouidentiam contemplaremur, ac infinitam eius bonitatem, clementiam, ac liberalitatem, ac cætera eius attributa meditaremur. *In nobis fiducia multum confirmari poſſet*, ait Suarez tom. 2. de Religione lib. 1. de Oratione cap. 24. num. 9. *ex qua licèt non perueniatur ad iudicandum certò, & infallibiliter Deum effecturum, quod petimus; ſæpe tamen peruenitur ad iudicium ita credibile, ac determinatum, vt excludat omnem actualem hæſitationem, & animum orãtis pacatum reddat.* Et hoc modo quod magis animæ ſalutare eſſet, ſemper obtineremus. *Neſcire enim non poteſt diuina prouidentia*, ait Drexelius de Confor. volunt. lib. 5. c. 2. §. 3. *quid nobis potiſſimùm conducat, nec poteſt æterna benignitas non velle concedere, quod nobis cognouerit expedire.*

Verùm cur non tantùm peccatores, qui de
mundo ſunt, ac de mundo loquuntur; ſed
etiam homines iuſti docti, ac pij (etſi
de diuina prouidentia, ac bo-
nitate Dei benè ſentiant,)
hac confidentia ſæ-
piùs carere con
ſpiciantur,
altiùs,
& profundiùs eſt in-
ueſtigandum.

QVÆSTIO II.

Cur plures iuſti etiam docti, ac pij perfecta fiducia in Deum ſæpè careant.

OMiſſis, quæ ſequenti articulo explicabuntur, (Quorum intelligentia pro ſoluenda hac difficultate plurimum valet.) Dico, hoc eſſe in cauſa: 767

Plures fiducia in Deum carent.

quia dum in via ſumus, & anima noſtra hiſce corporeis ſenſibus eſt alligata, cum intellectus noſter ſit finitus, & limitatus, omniaque intelligat per ea, quæ ſenſibus percipiuntur, vt ait Paulus Rom. cap. 1. Verſ. 20. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas:* dum aliquid ſpeculatur, id ſub ratione finiti, ac limitati intuetur. Hinc, cùm Deum deprecamur, eiuſque diuinam clemẽtiam, ac pietatem imploramus, eum in cęlis duntaxat regnantem, ac in throno ſublimi Maieſtatis ſuę ſedẽtem (vt Sculptores, ac Pictores eius ſimulacrum oculis noſtris obijciunt) & ab hiſce inferioribus mũdi plagis diſtantem contemplamur; ideòque illius bonitas, liberalitas, ac prouidentia nimis parua videtur, vtpotè nimis diſtans, & eminùs exiſtens; & conſequenter in nobis difficulter illam fiduciam firmam, ac perfectam cauſare poteſt: quia viſio intellectualis, qua Deum intuemur, & eius diuina attributa contemplamur, niſi tenuis, ac debilis exiſtit.

Quia Deũ non vt præſentẽ, ſed abſẽtem meditantur.

Illuſtro rem à ſimili. Quemadmodum cum aliquis turrim intuetur, quò magis à turre procul recedit, eò breuior, ac minor turris apparet: quò verò magis turri approximatur, eò altior, ac maior videtur: quia (vt docent Perſpectiui) linea viſualis formatur ad inſtar pyramidis, cuius baſis eſt obiectum viſum, & conus eſt in oculo; idcircò quò magis oculus à turri diſtat, eò linea viſualis longior fit, & acutior, ſic angulus coni, qui eſt in oculo, tenuuior fit, ac debilior, baſis verò pymiramidis viſualis minor, ac breuior apparet. E conuersò verò, quò magis oculus turri approximatur, lineæ viſuales, quæ à baſe pyramidis viſualis, (nempe ab imo turris, & apice eiuſdem incipiunt, & progredientes ad oculum pertingunt) eò magis à ſe inuicem recedere videntur, ſic baſis pyramidis viſualis, quæ eſt obiectum viſum, nempe turris, alior fit, ac maior, & conſequenter angulus coni, qui eſt in oculo latior, & amplior euadit. Ita cùm Deum, eiuſque diuinam prouidentiam, ac bonitatem, non vt pręſentem, ſed vt abſentem, ac nimis diſtantem meditamur, eius infinita magnitudo nobis non apparet: quia conus viſionis intellectualis nimis eſt tenuis, ac debilis, baſiſque viſionis, quæ eſt obiectum viſum, ſcilicet diuinæ prouidentiæ, ac bonitatis infinitas, excellentia, ac magnitudo nobis nimis tenuis, ac breuis apparere dignoſcitur. Et hæc eſt ratio, ob quam diuinæ prouidentiæ, ac bonitatis Dei infinitæ vberrimos non experimur fructus; & ideò multotiès nos fiducia denudamus. Quod rectè annuere videtur P. Drexelius de Conformat. volunt. lib. 5. c. 2. *Miſeri nos*, ait, *quàm tenuem de Deo notitiam habemus! vix per rimulam aliquid diuini luminis haurimus. Hoc ſcimus, Deum eſſe ſummum Bonum, & quidem tam immẽſè bonum, vt nil penitus vel petere liceat, vel optare, quod ab hoc tanto bono impetrare non poſſimus.* Quod autem ſæpiùs non impetremus, hoc eſt: quia, cum illum vt à nobis nimis diſtantem contemplemur, difficulter actus perfectæ confidentiæ in Deũ elicere valemus.

Quare

§. I.

768 *Contemplari Deum vt præſẽtem fiduciam nutrit, et auget.*

QVare, mi deuote Orator, ſi ex diuinæ Bonitatis meditatione in te confidentiam in Deum excitare cupis, noli Deum, vt abſentem contemplari: noli eum duntaxat, vt in cœlis regnantem meditari; ſed intellectu lumine fidei illuſtrato totũ in toto, & totum in qualibet etiam minima parte vniuerſi per eſſentiam, per præſentiam, ac per potentiam exiſtentem ſaltem per ſpeculum, & in enigmate eum meditare: *Non enim*, ait Paulus, Act. 17. Verſ. 27. 28. *longè eſt ab vnoquoque noſtrum; In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*: eũ vt omnia gubernantem, tibi ſemper præſentem, & aſſiſtentem, innumera beneficia tibi conferentem quotidie toto affectu conſidera, ac contemplare: ſic Dauid pſal. 15. dicebat: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear*. Noli, noli dicere: Deus oblitus eſt mei, non meas miſerias vult intueri; ſed dicas cum eodem Regio Propheta: Pſal. 138. v. 8. *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Vis, vt Deus tuas ſubleuet miſerias, tu ad Deum præſentem, ac tibi auxilium ſuum pollicentem tuos oculos dirige, ſicut Auguſtinus in illa verba pſalmi 31. v. 8. *Firmabo ſuper te oculos meos*, teſtatur ſe feciſſe, dicens: *Non à te auferam oculos meos: quia, & tu non aufers à me oculos tuos*, O tu, qui dicis, Deum tui eſſe oblitum, audi D. Bernardum *cap. 6. Medit.* ac D. Ambroſium *de dignit. condit. humil. cap. 2.* dicentes: *Sicut nullum eſt momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate, & miſericordia, ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria*. Si ergò diuinæ prouidentiæ, ac infinitæ Dei bonitatis, ac liberalitatis vberrimos, ac continuos vis experiri fructus, *in omni actu vel cogitatu tuo tibi Deum adeſſe memorare*, vt docet idem Bernardus *in Specul. Monach.* Sic diuinam Prouidentiam, ac Bonitatem meditando, ac contemplando, maxima ac perfectiſſima in te enaſcetur fiducia, qua omnia ſalutaria à Deo petita facillimè impetrabis.

§. II.

769 *Qui diuinam cõtẽplatur Bonitatẽ debet ſuã arguere malitiã.*

EX huiuſce diuinæ Bonitatis meditatione ille, qui orat Deum, ſuam debet arguere malitiam, improbitatem, & peruerſitatem, & ſi aliquo mortali peccato detinetur, illud, ſicut & cætera omnia peccata deteſtari debet: quia quòd aliquis peccator cognoſcat ſuum ſtatum, & conſideret, & nullo modo de illo doleat, neque illum mutare proponat; ſed voluntariè in eo permaneat, difficillimum eſt, quòd iſte confidentiæ firmæ, ac perfectæ in Deum actus elicere poſſit: vt benè docuit Ioannes primæ ſuæ Epiſt. can. cap. 3. *Si cor noſtrum*, ait *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deũ*. Quamuis enim hęc fiducia principaliter bonitate, ac liberalitate Dei, & promiſſione diuina, nitatur, vt dicetur *articulo ſequenti*; non tamen totaliter propria merita excludit: vt docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de oratione cap. 42. n. 11.* Nam pſal. 33. habetur; *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum*, & Io. Caſſian. *Collat. lib. 9. cap. 33. Hæc fiducia*, ait, *de conſcientię puritate creditur emanare*. Quomodo enim peccator voluntariè in peccato manens, & totaliter per peccatum à Deo auerſus confidere poteſt, à Deo beneficia obtinere, cum inimicus ſit Dei? cum Deum odio habeat? Ideò iuremeritò Sapientiſſimus Prouerbiorum 28. Verſ. 9. dixit: *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*. Sic Ioan. cap. 9. Verſ. 31. dixit ille cæcus: *Scimus, quia Deus peccatores non audit*. Et licèt Auguſtinus interdum ſignificet, illi non eſſe integram fidem dandam; tamen idipſum videtur dicere Deus per Iſai. c. 1. *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*. Quæ ſententiæ, ait Suarez *loco citato cap. 25. num. 7.* ſunt intelligendæ tantùm de peccatoribus obſtinatis in peccato, qui habent propoſitum numquam pænitendi. Nam peccatores, qui habent animum aliquando pænitendi, & interim orant, & interdum interceſſiones Sanctorum implorant, & nonnunquam peculiarem, & pium affectum, vel deuotionem habent, hi animandi potiùs, quàm deſperandi ſunt; nam ſæpè Deus orationes illorum benignè exaudit, & illos interdum miraculosè conuertit, vt ex hiſtorijs Sanctorum conſtat: Maximè ſi peccatores pia intentione, & firma fide, ac fiducia perſeueranter petant neceſſaria ad conuerſionem, non eſt improbabile, ait Suarez, quòd tandem exaudiantur, niſi multùm gratiæ Dei reſiſtant; hoc enim ſemper in eorum poteſtate relinquitur.

Quare Ægrotus ſiue obſeſſus, ſiue maleficiatus, vel quacumque ægritudine, aut neceſſitate detentus vt ex diuinæ Bonitatis, aliorumque Dei attributorum meditatione fiduciam firmam, ac perfectam, qua efficaciter beneficia optata, ac petita ſalutaria à Deo conſequi valeat, in ſeipſo concipere, eiuſque actus frequẽtiſſimè elicere poſſit, in mẽtis oculis habeat monitum traditum ab Angelo Cuſtode S. Hermæ, ſeu Hermeti diſcipulo D. Pauli Apoſtoli, quod habetur tom. 1. Biblioth. Veterum Patrum l. 2. mand. 9. *Purifica*, ait, *cor tuum ab omnibus vitijs huius ſæculi: obſerua verba tibi à Deo data, & accipies omnia bona, quæ petis, & omnibus petitionibus tuis nihil deerit tibi, ſi ſine dubitatione petieris à Domino*. Et paulo ante idem Angelus, vt eum ad maiorem excitaret confidentiam, dixit illi: *Tolle à te dubitationem, & nihil omninò dubites. Petens aliquid à Domino, ne dicas intra te: quomodo poſſum aliquid petere à Domino, & obtinere, cum ſim peccator tantorum malorum in Dominum? Noli hoc cogitare; ſed ex totis præcordijs conuertere ad Dominum. Pete ſine dubitatione, & ſcies miſericordiam Domini, quòd non te derelinquet; ſed petitionem animæ tuæ adimplebit. Non eſt enim Deus ſicut homines memores iniuriarum; ſed eſt immemor iniuriarum, & miſeretur figmenti ſui*. *Super omnia cor ſuum à vitijs purgare.*

ARTICVLVS III.

Conſiderando Dei veritatem; & Fidelitatem in ſuis promiſſis.

SIcut ex diuinæ Prouidentiæ, ac Dei Bonitatis contemplatione, ac meditatione magna in orante enaſcitur fiducia, ſalutaria beneficia à Deo petita obtinendi; ita eandem fiduciam ex conſideratione Dei veritatis, ac fidelitatis in ſuis promiſſionibus ſeruandis exoriri, in comperto eſt. Vt ergò, qui Deum orat, poſſit credere Deum eſſe veracem, & fidelem in ſuis promiſſis, debet priùs cognoſcere diuinas promiſſiones. 770 *Maxima fiducia enaſcitur ex conſideratione fidelitatis Dei*

Hæ

Promiſſiones Dei quæ.

Hæ autem promiſſiones ex diuina ſcriptura accipiuntur. Pſal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Pſ. 90. *Clamabit ad me & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ieremiæ 33. *Clama ad me, & ego exaudiam te, & annunciabo tibi grandia, & firma.* Matthæi 18. *De quacumque re, quam petierint, fiet illis à Patre meo, qui eſt in cælis,* & c. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis,* & Marci 11. *Quęcumq; orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis,* & Ioan. cap. 14. 15. & 16. *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Et alibi tam in veteri, quàm in nouo teſtamento habentur huiuſmodi promiſſiones: In ſpeciali quo ad dæmonum expulſionem, &c. habentur Marci vltimo. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dęmonia eijcient.* Quæ promiſſiones ad vnam hanc reducuntur: quod quicquid ſalutare petierint ſpe firma, atque robuſta, impetrabunt.

§. I.

Deus exigit ab orante, vt credat, Deum eſſe veracem, ac fidelem in ſuis promiſſionibus.

771 VNde cum Deus adeò liberalis fuerit in promittendo, ac fidelis ſit in ſuis promiſſionibus ſeruandis, vt teſtatur Dauid Pſal. 144. *Fidelis,* inquit, *eſt Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis:* Et ipſemet Chriſtus docet Matthæi 24. dicens: *Cęlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non pręteribunt;* Iuremeritò talem etiam ab homine exigit fidem, vt videlicet credat Deum eſſe veracem, & fidelem in verbis suis. Ex actibus enim fidei theologicæ, qua quis firmiter credit, Dei promiſſionem eſſe infallibilem, Deumq; in ſuis promiſſionibus mentiri non poſſe, exoritur fiducia, ac confidentia in Deum obtinendi id, quod ab eo ſalubriter poſtulatur.

Hac de cauſa in prędictis omnibus promiſſionibus Deus vel pręmittit aliquam particulam, vel aliquam includit ſignificantem fidem eſſe neceſſariam: vt Matthæi 17. & 21. *Si habueritis fidem, & non hæſitaueritis, &c.* & Marci 11. *Habete fidem Dei, &c. Qui non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit quodcumque dixerit fiat, fiet ei,* & Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint, &c.* Et in alijs ponit illas particulas, *credite, creditis, credentes,* vt oſtendat eos, qui volunt aliquod ſalutare animæ, vel corpori infallibiliter à Deo obtinere (inter alia, quæ neceſſaria requiruntur, de quibus agetur *articulis ſequentibus*) debere firmiter credere, non ſolùm Deum eſſe omnipotentem, ſapientiſſimum, ac ſumme bonum; ſed etiam ſummè veracem, atque fidelem in verbis ſuis, ſuiſque promiſſionibus; ideòque non tantùm poſſe, & ſcire; ſed ratione neduum ſuæ bonitatis, ſed promiſsionis, ac fidelitatis id, quod ab eo ſalutare petitur, elargiri velle. Quam fidelitatem, ac veritatem Dei benè fatetur Folengius in illa verba pſal. 144. *Fidelis Deus, &c.* dicens: *Dominus in omnibus pollicitationibus ſuis verax eſt, ac dignus, cui conſtans habeatur fides.* Idipſum docet ibi Titelmanus dicens: *Fidelis, ac verax eſt Deus in omnibus verbis ſuis, nihil promittens, quod non fideliſſimè adimpleat in tempore ſuo; neque falſum quicquam, aut vanum loquens, quod à veritate ſit alienum.* Apertè, & eruditè teſtatur Scribonius in Super. Relig. lib. 1. cap. 27. *Non enim,* ait, *ſponſionibus, quàm factis locupletior eſt Deus. Etiam montes promiſit transferendos, mortuos ad vitam reuocandos. Audeat proinde ſperare homo; maiora qui poteſt, largietur Deus.* Hanc vno ore viriliter faſsi ſunt tres illi pueri Sidrach, Miſach, & Abdenago in fornace Babylonica dicentes: Daniel. 3. *Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in ſæcula: quia iuſtus es in omnibus, quæ feciſti, & vniuerſa opera tua vera, & viæ tuę rectæ, & omnia iudicia tua vera.* En quomodo fatentur, ſe firmiter credere, Deum eſſe veracem in promiſsionibus ſuis ideò non derelinquere ſperantes in ſe: ſicut ipſi verè à Deo non fuerunt derelicti; ſed in medio flammarum illæſi præſeruati. Habenti ergo ſufficientem notitiam diuinæ promiſsionis, nemini eſt dubitandum, neceſſariam eſſe fidem eius, ideſt, debere credere Deum eſſe veracem, & fidelem in ſuis promiſsionibus. Hoc ſolùm dubitandum remanet.

QVÆSTIO I.

An oporteat petentem diſtinctè habere notitiam huius promiſsionis, & ex fide illius petere, vt oratio habeat conditionem requiſitam ad impetrandum infallibiliter.

Ratio dubitandi quæ. Multi promiſſionem ignorant, & tamē impetrant.

RAtio difficultatis eſt: quia difficile eſt, in hoc ſenſu hanc conditionem poſtulari ab omnibus piè orantibus; ſunt enim multi fideles, & idiotæ, & ignorantes, qui numquam de tali promiſsione quicquam audierunt: vel vim eius, & efficaciam numquam ſatis intellexerunt propter ruditatem ſuam; & nihilominus magna fide, & pietate orant, credentes Deum eſſe omnipotentem, & miſericordem, & hoc ſatis eſſe ad poſtulandum ab illo cum magna fiducia. 772

Orantes tenentur habere notitiam promiſſionis. Ignorantia inuincibilis excuſat.

Huic difficultati reſpondet Suarez *tom. 2. de Religione, lib. 1. de Oratione cap. 24. num. 3.* dicens: per ſe teneri omnes Chriſtianos ad ſciendam, & intelligendam hanc diuinam promiſſionem, vt ex fide explicata illius orare poſsint. Nam hoc planè Chriſtum Dominum voluiſſe videtur in locis citatis *num. 770.* Nihilominus tamen cenſet, ſi quis habeat ignorantiam inuincibilem talis promiſsionis, & petat, credendo firmiter, Deum poſſe dare, quòd petitur, & eſſe bonum, ac miſericordem ad dandum, (ſi & nobis expediat; & ex parte noſtra non ſit impedimentum) illam eſſe ſufficientem fidem, quam videtur etiam poſtulaſſe Chriſtus Matthæi 9. quando dixit: *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?* Qui enim ſic orat, vult certè orare ex perfecta fide, & eo modo, quo Deus vult vrari; ideòque habet implicitam fidem, & promiſsionis, & effectus eius) vt conditio impleatur. Item qui ſic credit in Deum, credit illi tanquam primæ veritati, ergò implicitè credit, illum eſſe fidelem, ac veracem, ac proinde impleturum promiſsiones ſuas, quamuis fortè ignoret in particulari, an fecerit.

Cur autem aliqui (licèt in ratione diuinam contemplentur prouidentiam, meditentur bonitatem, ac conſiderent veritatem, ac fidelitatem) non impetrent id, quod petunt, prouenit ex defectu alicuius ex conditionibus ad impetrationem infallibilem requiſitis, de quibus *in ſequenti articulo* pertractabitur.

AR-

ARTICVLVS IV.

De Conditionibus ad impetrationem infallibilem requiſitis.

773 ANtequam ad conditiones orationis ad impetrationem infallibilem requiſitas deueniatur.

Oratio (vt petitio eſt) ex ſe eſt apta ad impetrãdum.

Primò eſt obſeruandum, orationem ex hoc peculiari capite, quo eſt petitio, habere propriam, & peculiarem aptitudinem ad impetrandum: nam petitio ex natura ſua ad hoc ordinatur, vt animum alterius inducat ad dandũ id, quod petitur, non quia emitur, nec quia ſoluitur, nec quia aliquis illud meretur; ſed ſolũ quia petitur, & rogatur: quatenus cõſetaneum eſt bonitati, vel liberalitati eius, qui rogatur, moueri ad dandum ſolùm, quia rogatur: hoc ergo modo aptitudo ad impetrandum propria eſt orationis inter omnia virtutum opera. Vnde licèt alia virtutum opera poſſint orationem iuuare ad impetrandum, vt ieiunium, eleemoſyna, &c. nihilominus in alijs operibus non poteſt eſſe propria impetratio abſque oratione propter rationem factam; ſed per ſe ſolùm benè diſponunt, aut merentur. Ita docet Suarez *tom.2. de Relig. lib.1. de Orat. cap.23. num.*1.

Vt oratio infallibilem conſequatur effectum, requiritur promiſſio.

Secundò certum eſt, orationem habere peculiarem Dei promiſſionem, ratione cuius hæc impetratio eſt ſuo modo certa, & infallibilis. Si enim ſpectemus ſolam rationem petitionis, habet quidem oratio ex illa aptitudinem, vt dixi, ad impetrandum, quæ poteſt appellari ſufficientia; non tamen habet talem efficaciam, quæ certum, & infallibilem reddat effectum: quia non eſt cauſa neceſſitatem inducens, vt rectè dixit D.Thom.2.2.*q*.83.*a*.1. Vt ergo oratio habeat hanc efficaciam in impetrando, neceſſaria fuit promiſſio. Hæc ergo promiſſio frequenter repetitur in ſcripturis: vt habetur ſupra *in parua ſylua, & articulo præcedenti*.

Promiſſio Dei non eſt abſoluta, ſed conditionata.

Tertiò certum eſt, hanc promiſſionem Dei non eſſe omninò abſolutam; ſed ſub aliqua, vel aliquibus conditionibus, quibus poſitis, erit infallibilis impetratio, non verò abſque illis. Ratio eſt: quia quod Deus promittit, eo modo, quo promittit, infallibiliter implet: vt enim ait Apoſtolus 2.Timoth.2. *Fidelis Deus eſt, ſeipſum negare non poteſt*. Videmus autem (vt notauit Auguſtinus *tract.73.& 81. in Ioannem*,) non omnia, quæ petimus, nobis concedi; ergo ſignum manifeſtum eſt, promiſſionem non eſſe abſolutam: Nam ſi eſſet ita abſoluta, vt in oratione nullam aliam conditionem poſtularet, præter petitionem, ſemper impleretur; nam hoc pertinet ad veritatem, & infallibilitatẽ promittentis. Signum eſt ergo, promiſſionem eſſe conditionatam: quia inter illa duo membra non datur medium. Vnde fit, orationem (ſi non habeat conditiones neceſſarias ex vi promiſſionis) non impetrare: quia promiſſio conditionata, non impleta conditione, non inducit obligationem; quia conditionalis nihil ponit in eſſe.

Oratio ex vi promiſſionis nõ impetrat niſi cõditione adimpleta.

Dico autem, talem orationem non impetrare ex vi promiſſionis: quia non repugnat impetrare ex benignitate Dei; ſicut poſſet impetrare oratio, quamuis Deus promiſiſſet, ſolùm ob congruentiam, quam habet cum diuina bonitate, & liberalitate; quamuis ad hoc ipſum aliquas conditiones requirat, vt videbimus; plures tamen conditiones requiruntur, vt ex vi promiſſionis impetret; & tunc ſi illas habuerit, erit infallibilis impetratio; quia conditionalis, impleta conditione, tranſit in abſolutam: Ita eruditè docet Suarez *loco citato num.3*. Tota ergo difficultas eſt in explicandis conditionibus, ſub quibus facta eſt talis promiſsio. Nicolaus de Lyra *in cap.*11. *Lucæ*, & Vgo Cardinalis *in cap.*15. *Ioannis* tres aſſignant conditiones, ſcilicet quòd petat piè, perſeueranter, & pro ſe. D.Thomas 2.2.*q*.83.*art*.15. ad quatuor illas reuocat, ſcilicet vt quis neceſſaria petat ad ſalutem, & piè, & perſeueranter, ac pro ſe petat. Nos ergo pariter ad quatuor reuocabimus, nempe vt quis petat piè, & ex fide inhæſitante, & perſeueranter, & pro ſe petat.

Conditio prima ad impetrationem infallibilem requiſita.

PRima ergo conditio eſt, vt quiſque piè petat, ideſt, vt oratio ſit de re bona, & honeſta; atque adeò, vt ipſa oratio bona, & honeſta ſit, neceſſaria, vel ad ſalutem vtilia poſcat; quod eſt petere ſecundùm diuinæ voluntatis beneplacitum, vt ait Ioan. primæ ſuæ can. cap.5. *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus, ſecundùm voluntatem eius, audit nos. Et ſcimus, quia audit nos, quicquid petierimus*. Voluntas autem Dei eſt, vt docet ipſamet Veritas Lucæ 12. vt primò regnum Dei, deinde alia neceſſaria ad victum, & veſtitum inquiramus: *Veruntamen*, ait, *quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*. Quem ordinem in petendo habemus in Oratione Dominicali: vt ipſe Ioannes admonet eodem cap. *Scimus*, ait, *quoniam habemus petitiones, quas poſtulamus ab eo*. In quibus primò gloriam Dei quærimus; ſecundò quæ ſaluti animæ ſunt neceſſaria; tertiò quæ ad ſuſtentationem corporis ordinantur. In primis ergo præmittitur quaſi prologus orationis illud verbum: 774

Oratio impetratoria debet eſſe de re bona, & honeſta.

Petitiones Dominicales exponuntur.

Pater noſter.

PRimò, vt ſciamus, ad quem verba dirigantur; quod vtiquè neſciretur, ſi abſolutè inciperemus in prima petitione dicentes: *Santificetur nomen tuum*. Secundò ad captandam beneuolentiam: quia cum vocamus Patrem eum, à quo petimus, inclinare volumus affectum eius, vt nobis tanquam filijs ea, quæ petimus largiatur: quia Pater nomen amoris, & dulcedinis eſt, teſte Ariſtotele 2. *Polit. c.*1. Dicitur autem Deus *Pater noſter* per creationem, & gubernationem. Deuter.31. *Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, fecit, & creauit te?* 775

Cur Deũ vocemus Patrem.

Nec voluit dicere *Pater meus*, quod ſoli Chriſto conuenire poteſt, qui eſt Dei filius per naturam; ſed *Pater noſter*, quod omnibus eſt commune; quia nos omnes conuenimus in vna ratione filiationis, ſcilicet per adoptionem: ita benè docet Abulenſis *quæſt*.103. *in cap.6. Matthæi*. Immò aliam rationem addit *eodem loco* dicens: *Quia Chriſtus voluit charitatem conſtituere inter omnes homines, ita quod ad inuicem ſibi communicarent ſpiritualia bona; ideò voluit, quòd nemo, quando oraret, pro ſe ſolo oraret, ſed pro omnibus; ideò dixit* noſter, *ita quòd neceſſe ſit ex forma orandi pro omnibus orare*. Idipſum teſtatur D. Cyprianus lib. de orat. domin. dicens:

Cur Deus vocetur Pater noſter, & nõ meus.

cens: *Non autem dicimus* Pater meus, *ſed* Pater noſter; *quia pacis, & vnitatis Magiſter voluit ſigillatim, & priuatim precem fieri, vt quis cùm precatur, pro ſe tantùm precetur;* publica eſt enim nobis, & communis oratio, quando oramus; non pro vno tantùm, ſed pro toto populo preces fundimus: quia totus populus vnum ſumus.

Qui es in Cælis.

776 *Qua ratione Deus dicatur eſſe in cælis.* Dicitur *qui es in cælis*: non quia Deus in cælo tantùm exiſtat: quia vbique non localiter, ſed immenſiuè exiſtit: ſed ad patris noſtri carnalis differentiam dicitur; quia nos patrem habemus in terris, ad quem tamen preces nequaquam dirigimus: cùm ea bona, quæ in Oratione Dominica recluduntur nobis concedere nequeat; eò quòd ipſe pariter horum bonorum, quæ petimus, egeſtate laboret: vt ergo ad quem preces dirigimus, planè conſtet, dicimus: *Pater noſter, qui es in cælis*, quaſi dicatur, quòd cæleſtem Patrem, & non terreſtrem obſecramus: ita Abulenſis *loco citato*. Vel vt homo deſideria ſua à terrenis ſubtrahat, cum patrem in cælis habeat: ita inquit Chryſoſt. ſuper Matth. *vt ſciamus nos habere patrem terreſtrem; & erubeſcant ſe terrenis rebus ſubſternere qui patrem habent in cælis.*

PETITIO I.

Sanctificetur nomen tuum.

777 *Quomodo nomen Dei à nobis ſanctificari poſſit.* HÆc eſt prima petitio, in qua honorem Dei perquirimus; & iſta alijs iure præmittitur, nam cùm homo magis Deum, quàm ſe ipſum teneatur diligere, priùs Dei bonum, ideſt honorem Dei, & gloriam quàm propria commoda debet poſtulare: ita inquit Chryſoſtomus: *Digna eſt enim Deum precantis oratio, nihil petere ante Patris gloriam; ſed omnia eius laudi poſtponere.* Nomen autem Dei ſanctificari petimus, ideſt ſanctum haberi, vel ab omnibus gentibus reputari, ita quòd nihil Dei nomine ſanctius eſſe exiſtiment; illudque in omnibus, & ſuper omnia debitis honoribus proſequantur; & hoc eſt, quod ante omnia eſt petendum: Ita dicit Auguſtinus lib. de ſerm. Dom. *Poſtquam dictum eſt, qui eſt, qui petitur, & vbi habitat, iam videamus, quæ ſint petenda. Primum autem omnium, quæ petuntur, hoc eſt, ſcilicet* ſanctificetur nomen tuum, *quod non ſic petitur, quaſi non ſit ſanctum Dei nomen; ſed vt ſanctum habeatur ab omnibus, ideſt ita innoteſcat Deus, vt non æſtimetur aliquid ſanctius, quod magis offendere timeant.*

PETITIO II.

Adueniat regnum tuum.

778 *Quid per regnum Dei intelligatur.* GLoſſa ordin. *Hic ſpiritus intelligentiæ petitur, quo mundatur cor, vt Deus videatur: duritia, & poteſtas diaboli excluditur.* Et congruè ſequitur: *vt poſt adoptionem filiorum regnum petamus, quod filijs debetur.* Vnde ſequitur: *adueniat regnum tuum.* Quod ita dictum minimè eſt, quaſi modò Deus non regnet in terra, ſemperque in ea regnauerit. *Adueniat* ergo accipiendum eſt, ac ſi dicat, vt omnibus manifeſtè hominibus pateat, à quibus tanquam ſplendor à cæcis non contemplatur, quod ignorare nemo valebit, cùm Dominus ad iudicandum venerit.

PETITIO III.

Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.

AVguſtinus: *ſicut in Angelis, qui ſunt in cælo voluntas tua fit, vt te perfruantur nullo errore obnubilante eorum ſapientiam; nulla miſeria impediente eorum beatitudinem ita fiat in Sanctis tuis, qui in terra ſunt, & de terra (quantùm ad corpus attinet) facti ſunt.* Item: *fiat voluntas tua;* recte intelligitur, *obediatur præceptis tuis ſicut in cælo, & in terra,* ideſt, *ſicut ab Angelis, ita ab hominibus; non quod ipſi faciant, vt velit Deus, ſed quia faciunt, quod ille vult, ideſt faciunt ſecundùm voluntatem eius,* hæc Auguſt. *lib. de ſerm. Dom.* Poſtquam enim in præcedenti petitione beatitudinem propter ſe appetendam Chriſtus ſupra innuerat, hìc illa inſinuat, per quæ ad beatitudinem peruenitur. Primum autem, ac præcipuum, quod nos æternæ vitæ beatitudinem conſequi facit, eſt noſtræ cum diuina voluntatis conformatio, vt taliter nempe viuamus, qualiter ipſe nos viuere ordinauit. 779 *Quomodo voluntas Dei fieri poſſit ab hominibus in terra ſicut in cælo.*

PETITIO IV.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

ETſi Doctores nonnulli verba hæc tam de ſacramentali, quàm naturali, ſeu materiali pane exponant; meliùs tamen, inquit Toſtatus *q. 3. in cap. 6. Matth.* de materiali (vt pluribus probat rationibus) intelligenda eſſe videntur. Dicendum eſt ergo, quòd hic materialis panis, ideſt ſuſtentatio in omnibus neceſſarijs poſtulatur: Homo enim, qui viatoris more ad terminum æternæ vitæ progreditur, ad illud niſi per hanc vitam, in qua tantum illius beatitudinis præmia promeremur, nequit peruenire. At mortalis hæc vita ſine multarum neceſſitatum grauamine peragi nequit, & ſicut (vt nobis benè ſit) in æternam ingredi expedit vitam, ita ſuſtentationem habere quandiù viuimus, expedit, vt ſic viuentes beatitudinem mereri poſſimus; quod autem appetere licitum eſt, etiam petere licitum iudicatur. Itaque nobis ad vitam neceſſaria poſcimus, & omnia panis nomine intelligenda cenſentur: quia ſacræ ſcripturæ modus eſt, quidquid in cibum, & potum venit, per panem intelligere: vnde 1. Reg. 14. dixit Saul: *maledictus homo, qui comederit panem vſque ad veſperam;* & tamen Ionatas Saul filius, quia mel comedit, vibratam maledictionem luendo pœnas incurriſſe clarè patet; ſic videtur, quòd etiam mel panis nomen intelligeretur; & ſic eandem rationem de omnibus alijs ad cibum ſpectantibus prorſus militare (vt probat Toſtatus quæſt. eadem) eſt cenſendum. In præſenti autem panis nomine omnia tam ad victum, quàm ad veſtitum neceſſaria intelligi docet Hieronymus ſuper Matth. *Alij putant,* ait, *panem ſimpliciter ſecundùm Apoſtoli ſermonem dicentis; habentes victum, & veſtimentum his contenti ſumus.* Senſus igitur 780 *Quid per panē quotidianū petant Chriſti fideles.*

igitur eſt: *panem noſtrum quotidianum;* ideſt alimentum in cibo, & potu quotidianum, quod nobis ad vitæ ſuſtentationem quotidie neceſſarium eſt, *da nobis hodie*, pro iſto nempe die, & ſic de cæteris ordinatim.

PETITIO V.

Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

781 POſt ſubſidium cibi petitur & venia delicti, inquit Cypr. lib. de orat. Dom. *vt qui à Deo paſcitur, in Deo viuat; nec tantùm præſenti vitæ; ſed æternæ conſulatur, ad quam venire non poteſt, ſi ei peccata non donentur;* quæ, debita Dominus appellauit, ſicut alibi dixit: *Dimiſi tibi omne debitum, quia rogaſti me*, vnde ſequitur (*dimitte nobis debita noſtra*) *quare neceſſariè, & ſalubriter admonemur qui peccatores ſumus, quòd pro peccatis rogare compellimur; & ne quis ſibi quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plùs pereat, inſtruitur ſe peccare quotidiè, dum pro peccatis quotidie iubetur orare.* Nec valet alicuius in hac oratione adimpleri petitio, qui proximo in ſe peccanti haud noxam dimiſerit; nam dum dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* ideſt: dimitte nobis peccata noſtra eo modo, quo nos inimicis noſtris in nos peccantibus culpas dimittimus. Vnde egregiè Chryſoſtomus ſuper Matth. *cum qua ſpe orat qui inimicitiam ſeruat aduerſus alterum, à quo forſitan læſus eſt? ſic enim ipſe orans mentitur; dicit enim, remitto & non remittit, ſic & à Deo petit indulgentiam, & non illi indulgetur:* Ita Auguſt. in Enchiridion inquit: *quiſquis autem roganti, & deprecanti, ſeu pœnitenti ex corde non dimittit, nullo modo æſtimet à Domino ſua peccata dimitti.*

Homo, quia quotidiè peccat quotidie petere debet ſibi dimitti peccata. Qui peccata non dimittit proximo, petit à Deo ſibi peccata nõ remitti.

PETITIO VI.

Et ne nos inducas in tentationem.

782 HÆC ſexta petitio eſt, in qua à tentationum procellis liberari expoſcimus, in quantùm tentatio quoddam malum eſt, per quod homo priuatur felicitate; quia qualiter per patrata peccata ad beatitudinem nobis recluditur aditus, & ita debita nobis dimitti perquirimus; taliter per tentationum flatus de proximo in peccata, per quæ à beatitudinis gaudio arcemur, ruere dubitamus: Ita Toſtatus *quæſt.* 118. *in cap.* 6. *Matth.* Sciendum autem, quòd hic, ne tentemur, vel ne nos tentari permittat, à Deo non quærimus; ſed ne nos in tentationem induci, ideſt in ea ſuccumbere permittat; quia tentari nobis aliquoties eſt vtile; & per hoc ab hoc bono priuari non quærimus; ſed cum tentationi ſuccumbere per ſe nec bonum, nec vtile ſit; ideò hoc à nobis auferri poſtulamus: ita inquit Auguſtin. lib. de ſerm. Dom. *Aliud eſt induci in tentationem, & aliud tentari: nam ſine tentatione probatus nemo poteſt eſſe ſiue ſibi, ſiue alteri: Deo autem ante omnes tentationes quiſque notiſſimus eſt; non igitur oratur hic, vt non tentemur; ſed vt non inferamur in tentationem: vt ſi quiſpiam ſit, cui neceſſe eſt, ipſe examinari, non orat, vt igne non contingatur; ſed igne non exuratur.*

Qua ratione fidelis petat, non indici in tentationẽ.

PETITIO VII.

Sed libera nos à malo. Amen.

PEtitio iſta ſeptima eſt, quam plurimi de interiori malo, de fomite, ſcilicet, à quo tentatio, ac peccatum trahit originem, volunt interpretari. Alij pro dæmone, quem propter malitiæ excellentiam malum vocant, malunt vſurpari. His non obſtantibus, meliùs cum Toſtat. *in cap.* 6. *Matth. ad literam, & quæſt.* 119. *eod. cap.* petitionem hanc de quouis malo, (exceptis peccatis præteritis, ac tentationibus ad peccata inducentibus: quia de illis in antea-ctis petitionibus eſt pertractatum) intelligendam eſſe videtur de aduerſitatibus nempe, infirmitatibus, ac fortuitis malis, vt ferro, & igne, aquarum ſubmerſione, terræmotu, peſte, ſubitanea morte, maleficijs, obſeſſionibus, diabolicisque vexationibus, cæteriſue periculis, quibus ſubiacet fragilitas humana; nam ab his homo liberari nequit, niſi eum Deus liberum abire permiſerit: quia etſi ſe diligentiſſimè cuſtodiat, in tutiſſimis locis commorando, attamen pericula omnia euadere nequit, quin aliquibus caſualibus ſuccumbat; & ſic à malis quibuſcumque, quæ ab extrinſeco inferuntur, generaliter liberari poſtulamus: Ita Auguſt. *lib. de ſerm. Domin. in monte* ad probandum hoc vltimum, quod in oratione dominica habetur: *Tam latè patet*, inquit, *vt homo chriſtianus in qualibet tribulatione conſtitutus in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat.* 783

De quo malo petat fidelis liberari.

Amen. Ideſt, ita fiat: ſic dicit Hieronymus ſuper Matthæum. *Amen enim, quod in fine conſtat ſcriptum, ſignaculum eſt Dominicæ orationis*, quod Aquila interpretatus eſt, *fideliter*, & nos *verè* poſſumus dicere ideſt *verè ſic erit, vt petimus.*

Ex petitionibus prædictis colligitur, bonorum duplex eſſe genus: quædam enim bona ſpiritualia dici poſſunt, alia temporalia: Spiritualium, alia ad Deum pertinent; alia nobis conueniunt. Quæ ad Deum pertinent, ſunt honor, & gloria; quæ à nobis deſiderantur ipſi Deo in prima petitione cùm dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*. Quæ verò nobis conueniunt, ſunt beatitudo, quam petimus, dum dicimus: *Adueniat regnum tuum*, & auxilium ad faciendam voluntatem Dei, eius mandata obſeruando; quod petimus, dum dicimus, *Fiat voluntas tua, &c.* Sic pariter petimus, vt remoueat impedimenta, nempe peccata, & lapſum in tentationes, ſeu in peccata, quæ petimus in quinta, & ſexta petitione. 784

Bona alia ſpiritualia, alia temporalia.

Sub bonis ſpiritualibus comprehendimus omnia bona honeſta, quibus nemo poteſt malè vti, ſiue ſint gratia, & ſupernaturales virtutes, ac earum opera: ſiue ſint virtutes morales acquiſitæ cum actibus ſuis. Sub temporalibus verò comprehendimus omnia bona fortunæ, & bona corporis, vt ſunt vita, & ſalus; & bona etiã animi, quibus malè vti poſſumus; vt virtutes intellectuales, ſcientia, ars, &c. Horum verò bonorum quædam ſunt per ſe conuenientia naturæ, ac proinde per ſe appetibilia ſecundũ rectam rationẽ propter bonum, & conuenientem ſtatum naturæ, niſi aliquid per accidens obſtet, vt vita, ſalus, & ſciẽtia. Alia verò ſunt bona de ſe indifferentia, quæ propter ſe appetibilia non ſunt; ſed tantùm propter vtilitatem ad alia bona per ſe, & honeſtè appetibilia; vt ſunt honor, fama, potentia, diuitiæ, &c. Vnde inter hæc quędam ſunt vel ſimpliciter, vel moraliter ne-

Bona ſpiritualia. Bona tẽporalia.

ceſſaria ad conſequenda, vel ad conſeruanda alia bona per ſe naturæ conuenientia; vt eſt victus neceſſarius, & veſtitus, & bonum nomen neceſſarium ad vitæ tranquillitatem: & de his bonis omnibus intelligitur petitio quarta, dum dicimus: *Panem noſtrum quotidianum, &c.* & vltima petitio; *Sed libera nos à malo*, eis oppoſito: Ita docet Toſtatus *quæſt.* 120. *in cap.* 6. *Matthæi*. Quædam verò ſuperabundantia, vt diuitiæ, magni honores, &c. & hæc bona Chriſtus non docuit, nec voluit in oratione dominicali poſtulari.

Bona indifferentia ſuper abundãtia.

Hoc ſolùm remanet ſtatuendum, quænam prædictorum bonorum ſint à Deo petenda abſolutè; & quænam ſub conditione, videlicet ſi conducant ad beatitudinem, & futura ſint inſtrumenta virtutum: Quod præſtabitur ſequentibus quæſt.

QVÆSTIO I.

An ſpiritualia bona indiſtinctè, & abſolutè à Deo peti poſſint.

785 *Spiritualia bona abſolutè petenda ſunt.* Reſpondetur, hæc bona abſolutè, & ſimpliciter petenda eſſe, nec neceſſarium eſſe aliquam conditionem nos adiungere. De hoc nulla eſt controuerſia; quia per ſpiritualia bona intelligimus vitam æternam, & omnia bona, & media, quæ ad illam obtinendam conferre poſſunt.

Primò, hæc omnia maximè à Deo eſſe petenda. conſtat ex oratione Dominica ſupra explicata, in qua ferè omnes petitiones ſunt de his ſpiritualibus bonis; illa autem oratio eſt quaſi exemplar, & ſumma omnium, quæ à Deo peti poſſunt. Propter quod dixit Auguſtinus Epiſt. 121 cap. 12. *Si rectè, & congruenter oramus, nihil aliud dicere poſſumus, niſi quod in hac oratione Dominica poſitum eſt.* Et ſermone 128. de Tempore. *Hæc oratio compendioſis verbis ſeptem petitionibus omnes ſpecies orationis comprehendit.* Idem. *Sermone* 22. *ad Fratres in Eremo*. Nam ad bona ſpiritualia pertinet in primis, vt Deus in nobis glorificetur; deinde vt æternam beatitudinem conſequamur; ac ſubinde, vt dum hic viuimus, voluntatem Dei impleamus. Et quia hoc ſine diuinæ gratiæ auxilio præſtari non poteſt, hoc etiam à nobis ſemper, & vbique, ac maximè poſtulandum eſt. Vnde conſequenter etiam petimus remiſſionem peccatorum, vtique cum diſpoſitione neceſſaria ad illam obtinendam. Ac denique ob fragilitatem noſtram victoria contra tentationes, & defenſio ab omnibus malis petenda eſt; hæc enim omnia in illa oratione continentur. Et per vniuerſam Scripturam ſparſæ ſunt huiuſmodi orationes, ac petitiones, præſertim *per totum corpus Pſalterij*, vt dixit Innocentius Primus *Epiſt.* 25. *quæ apud Auguſtinum eſt nonageſima prima*. Eccleſia etiam in ſuis orationibus hoc frequentiſsimè orat: vt Deus actiones noſtras aſpirando præueniat, & adiuuando proſequatur. Item vt gratiam mentibus noſtris infundat, vt tandem ad reſurrectionis gloriam perueniamus. Sic vt omnibus aduerſis, vel contra omnia aduerſa muniamur: vt à pondere peccatorum noſtrorum liberemur: vt noſtras rebelles compellat, ideſt efficaciter moueat voluntates, & ſimilia.

Orationis Eccleſiæ præcipuè de quib. ſint

§. I.

Hoc docent omnes Theologi, D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *artic.* 5. Medina *Codice de Orat. q.* 5. Alexander Alenſ. 4. *part. quæſt.* 26. *memb.* 3. D. Antonin. 4. *part. tit.* 5 *cap.* 3. Sylueſter *verbo Oratio numer.* 5. Nauarrus *in Enchirid. de Oratione cap.* 1. Ioſeph Angles *Flor. Theolog. qq. in* 4. *ſentent. tract. de Oratione quæſt.* 9. *difficult.* 4. Suarez *de Religione lib.* 1. *de Oratione cap.* 20. & alij communiter. Ratio eſt: quia hæc bona ſunt maximè per ſe honeſta, & amabilia, & præcipuè à Deo ipſo intenta, & in gloriam ſuam, ac bonum noſtrum deſiderata; ergo oratio pro talibus bonis, & ex obiecto eſt maximè honeſta, & diuinæ voluntati conformis. Sic Diuus Thomas in generali quæſtione, qua interrogat: *An aliquid determinatè in oratione ſit petendum*, concludit, illa bona, quibus malè vti non poſſumus: (quia illis, aut beatificamur, aut beatitudinem meremur,) determinatè petenda eſſe. Intellige autem determinatè, ideſt abſolutè; id enim probat: *quia*, inquit, *hæc bona Sancti orando abſolutè petunt, ſecundùm illud Pſal.* 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*. Et illud *Pſal.* 118. *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum*. Ratio etiam indicatur ab eodem D. Thoma in ſolutionibus argumentorum: quia nulla conditio neceſſaria eſt ex parte noſtra, cum hæc ſint maximè bona noſtra; nam in eis noſtra ſalus, & felicitas poſita eſt. Nec ex parte rei poſtulatæ: quia, cum hæc bona de ſe talia ſint, vt nemo eis malè vti poſſit, iniuria quodammodo illis fieret, apponendo conditionem (*Si nobis expedit*) vel aliam ſimilem. Nec ex parte Dei: tum quia ſcimus eſſe conforme diuinæ voluntati, quòd hæc bona habeamus, vt ait Paulus 1. Theſſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, tum etiam quia ipſemet Spiritus ſanctus inſpirat nobis abſolutum deſiderium talium bonorum; & hoc modo, *adiuuat*, teſte Paulo Rom 8. verſ. 26. *infirmitatem noſtram*, & talia bona nos poſtulare facit: tum denique quia hæc bona maximè in Diuinam redundant gloriam, quam ipſe Deus in ſuis operibus præſertim intendit

786 *Docent Theologi*

Ratio dictat.

QVÆSTIO II.

An bona temporalia abſolutè à Deo peti poſſint.

Ante quæſtionis ſolutionem priùs aduertendum eſt, aliud eſſe petere aliquid propter ſe, vel propter aliud: aliud petere abſolutè, vel ſub conditione. 787

Petere propter ſe, eſt petere tanquam bonum propter ſe amabile, cui opponitur petere propter aliud; hæc igitur duo idem valent, quod petere vt finem, vel ut medium. Vnde ſicut duplex eſt finis, ſcilicet ultimus, & proximus; ita dupliciter poteſt aliquid propter ſe peti, ſcilicet tanquam finis ultimus, uel tanquam finis proximus.

Petere propter ſe quid ſit. Petere propter aliud quid ſit.

Similiter aliquid duobus modis dici poteſt eſſe propter aliud, ſcilicet ex formali, aut uirtuali relatione operantis; uel ex ui operis, ſeu modi operandi; eodem duplici modo poteſt aliquid peti propter aliud. Vnde fit, ut aliquis modus petendi, aliquid propter ſe repugnet cum omni modo petendi propter aliud, ut quando aliquid petitur tanquam vltimus finis, ut beatitudo non poteſt peti niſi propter ſe.

Aliquid poteſt peti tãtùm propter ſe

Ali-

Aliquid poteſt peti ꝑpter ſe, & propter aliud

Aliquando verò idem poteſt ſimul peti propter ſe, & propter aliud, vel ex vi operis, vel ex relatione operantis; vt contingit in bono, quod propter ſe petitur ſolùm tanquàm finis proximus; vt ſcientia, quæ eſt bonum honeſtum propter ſe appetibile, quæ tamen poteſt etiam ordinari ad finem vltimum, nempè ad conſequendam beatitudinem: Vel ſanitas corporis, quæ poteſt peti, & propter ſe (vt eſt quid bonum vtile, & honeſtum;) & propter aliud, ſcilicet vt poſſit ea vti ad Deum laudandum, puta ad verbum Dei enunciandum; vel confeſſiones peccatorum audiendas, vel aliud quid ſimile operandum.

Tam bonum propter ſe, quàm ꝑpter aliud poteſt, & abſolutè, & conditionatè peti

At verò petere abſolutè, vel ſub conditione quoad vtrumque membrum cadere poteſt tam in bonum propter ſe, quàm propter aliud poſtulatum: quia vtrumque poteſt ſub conditione aliqua deſiderari, vel abſolutè. Nam licèt ego non deſiderem ſalutem corporis, niſi propter diuinam gloriam; nihilominus poſſum abſolutè illam deſiderare, quia & abſolutè deſidero finem, & abſolutè etiam cupio per hoc medium illum finem conſequi; atque ideò poſſum etiam abſolutè petere, vt Deus & illud bonum mihi tribuat, puta ſanitatem; & ad illum finem conferre faciat, qui videtur eſſe modus valde vſitatus, & vulgaris petendi hæc bona temporalia, quando in aliqua abundantia, vel excellentia non deſiderantur.

§. I.

Bona tẽporalia conueniẽtia naturæ licitè poſſũt peti propter ſe vt fines proximi. Quomodo.

788 DIco ergò primò. Quædam ſunt bona humana, ac temporalia, de quibus ſupra *num.* 784. & 785. quæ licitè poſſunt propter ſe peti tanquam fines proximi (dummodo ſecundùm rectam rationem deſiderentur, ac petantur) ſicut ex ſe amabilia ſunt; vt conſeruatio vitæ, corporis integritas, & ſanitas, ſcientia, ſeu cognitio veritatis, & ſi quæ ſint alia huiuſmodi bona. Nam aliqua ex his bonis licitè amantur, & deſiderantur propter ſe, ideſt propter conuenientiam, quam habent cum natura rationali; conuenientiam (inquam) recta ratione regulatam; nam ratio recta dictat, conſeruandam eſſe naturam, & procurandam corporis ſanitatem, vel ſcientiam, aut aliquid huiuſmodi; & hæc bona eſſe per ſe appetibilia, (per ſe loquendo;) ergo eodem modo ſunt petibilia; (vt ita dicam:) quia ex Auguſtino *illud honeſtè petitur, quod honeſtè deſideratur*.

Ratio dictat.

Ampliùs declaratur. Illa licitè, & rectè peti poſſunt abſolutè, & ſine vlla conditione, in quorum petitione nulla eſt circunſtantia mala per ſe, & ex intrinſeca ratione eius, ac præterea materia petitionis bona eſt; vt ſanitas, ſcientia, liberatio à maleficijs, & alijs periculis (vt dictum eſt) ergo licitè ſine vlla conditione peti poſſunt. Hoc manifeſtè clarum eſt: quia in petitione dictorum bonorum temporalium nulla eſt circunſtantia mala; nam ſi aliqua eſſet, maximè eſſet, quia talia bona non petuntur propter beatitudinem: At hoc non ita eſt, ergo, &c. Maior ſupponitur: quia etiam ſupponimus ex alijs circunſtantijs orationem rectè fieri, ſcilicet conuenienti tempore, loco, & modo, & ex recta fide, &c. Minor verò probatur: quia vel ille defectus non inuenitur: vel prout inuenitur, non eſt priuatiuus, (vt ſic dicam;) ſed negatiuus tantùm, ideſt non eſt de circunſtantia neceſſaria ad benè eſſe; ſed tantùm ad melius eſſe. Nam vel eſt ſermo de beatitudine naturali; vel de ſupernaturali? Item vel eſt de relatione operantis; vel de relatione, ſeu tendentia ipſius operis ex ſe. Si ſermo ſit de relatione operantis, verum eſt, tale bonum peti poſſe abſque morali malitia ſine tali relatione ad beatitudinem: quia hæc relatio operantis non eſt intrinſecè neceſſaria ad moralem bonitatem; vt patet de opere eleemoſynæ facto ex naturali miſericordia ſine vlla memoria beatitudinis, nec relatione formali, aut virtuali operantis. At loquendo de relatione operis, talia bona ſatis petuntur propter beatitudinem eo ipſo, quòd propter intrinſecam conuenientiam honeſtam petuntur: Sic enim dicitur ad gloriam Dei facere, quiſquis quod honeſtum eſt operatur, etiamſi aliam relationem ipſe non adiungat: vt docet Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 1. *de Oratione*, *cap.* 17. *numer.* 7. ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 1. dicente: *Quiſquis amat bonum, amare illud propter beatitudinem, ſaltem in communi*; multò ergo magis, qui verum aliquod bonum, & honeſtum petit, cenſetur petere propter beatitudinem: quia vel petit partem aliquam, ſaltem minùs principalem, beatitudinis naturalis; vel accidens quoddam completæ beatitudinis ſupernaturalis. Confirmat' hanc veritatem præter D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 83. *ar.* 6. & Suarez loco citato, Alexander Alenſ. 4. *par. quæſt* 26. *art* 3. §. 1.

§. II.

SED dicent aliqui: Etſi hæc bona ſint per ſe appetibilia; nihilominus talia ſunt, vt eis male vti poſſimus, ergo temeritas quædam eſt, illa 789 *Obijcitur ex D. Th.*
abſolutè petere; vt ergo prudens ſit petitio, neceſſe eſt, vt actu, vel virtute includat conditionem, *ſi talia bona nobis profutura ſint ad beatitudinem*, ſeu *ad ſalutem animæ*; vel ſaltem *ſi nocitura non ſint*. Quod ſignificare videtur D. Thom. *loc. cit. artic.* 5. vbi relata ſententia Socratis ſubiungit: *Quæ quidem ſententia aliqualiter vera eſt quantùm ad illa, quæ poſſunt malum euẽtum habere, quibus etiam homo poteſt malè, & benè vti*. Et *in articulo* 6. ait: licitum eſſe, deſiderare bona temporalia, non principaliter; ſed vt quædam adminicula, quibus adiuuemur ad tendendum in beatitudinem. Vnde conſequenter ſignificat, ſolùm ſub ea ratione, & conditione peti poſſe.

Satisfit obiectioni

Huic difficultati reſpondetur, nullum eſſe in hac vita bonum, quo homo pro ſua libertate non poſſit malè vti aliquo modo. Nam licèt virtutibus non poſſimus vti tanquam principijs ad malos actus eliciendos; poſſumus tamen ex illis ſuperbire, & ita illis aliquo modo malè vti; idemque eſt de peculiaribus auxilijs, aut fauoribus gratiæ; & nihilominus ex ſententia omnium hæc bona poſſumus abſolutè deſiderare, & petere; ergo illa ratio non ſufficit, quominus etiam alia bona per ſe conuenientia naturæ poſſimus abſolutè petere: Ita eruditè docet Suarez *loco cit. cap.* 17. *num.* 9.

§. III.

Non eſt temeritas, abſolutè petere bona temporalia conuenientia naturæ.

DIco ergo ſecundò. Non eſt temeritas, huiuſmodi bona temporalia abſolutè petere: quia 790
qui hæc bona honeſtè deſiderat, hoc ipſo quantum eſt ex ſe illa deſiderat ad benè, & honeſtè illis vtendum: vnde non oportet, vt ſub conditione illa petat, puta dicendo: *Domine da mihi ſanitatem mentis, & corporis, libera me ab hoc maleficio, à dæmonis obſeſſione, à febre, vel ab alio malo, ſi ſit animæ meæ profuturum: vel ſi tu ſcis, quod ſit expediens animæ meæ*: Sed potiùs vt ſimul petat talem conditionem in ſe impleri, videlicet, vt talia bona obtineat ad

benè, & honeſtè illis vtendum, prout ipſa per ſe, & ex natura ſua poſtulant: hoc modo petitio non eſt conditionata, ſed abſoluta: vt dicendo: *Domine da mihi ſanitatem mentis, & corporis; ſed ſimul da mihi auxilium efficax, vt ſanitate benè vtar ad laudandum, & glorificandum nomen ſanctum tuum. Libera me à dæmonis obſeſſione, vt tibi magis, ac magis in Eccleſia tua gratiarum referam actiones.* Iſtæ enim petitiones ſunt abſolutæ, in quibus homo petit bona temporalia; ſed ſimul quærit auxilium, vt illis benè vtatur ad beatitudinem conſequendam. Vnde dicimus, omnes fateri, huiuſmodi actum abſolutum (prout nos declarauimus) eſſe licitum; etiamſi ex particulari intentione operantis, vel præſenti, ac formali; vel præterita, & virtualiter manente conditio non apponatur: quia nimirum operans nihil vnquam de illa cogitauit. Si quis autem contendat ex natura operis interpretatiuè includi illam conditionem, non eſſet fortaſſe contradictio in re ab eo, quod ait D. Thomas; nam certè qui hæc bona honeſtè deſiderat, ſemper habet hanc animi præparationem, vt, ſi virtutem ſint impeditura; vel ſi futura ſint in occaſionem ruinæ, ea nolit; hæc verò conditio magis eſſe intelligitur in bona diſpoſitione ſubiecti, quaſi habituali, quàm in ipſomet actu petendi; & ideò illum abſolutum vocamus: Ita Suarez *eod. cap. n.* 10.

Ratio dictat ex Suarez.

Hoc confirmat vſus Eccleſiæ, quæ bona temporalia petit ſine vlla conditione, vt in multis Collectis videre licet; vt pro ſanitate infirmis obtinenda ait:

Cõfirmat vſus Eccleſiæ.

Omnipotens ſempiterne Deus ſalus æterna credentium, exaudi nos pro infirmis famulis tuis, pro quibus miſericordiæ tuæ imploramus auxilium, vt reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referant actiones. In oratione pro pluuia. *Vt præſentibus ſubſidijs ſufficienter adiuti ſempiterna fiducia tuis appetamus.*

Sic in orationibus contra perſecutores, contra peſtem animalium, pro frugibus, vineis, ac meſſibus ab vniuerſis malis præſeruandis Deum rogamus abſolutè, & ſine illa conditione, *ſi huiuſmodi bona temporalia ſint ſaluti animæ profutura, vel non.* Illa tamen actu ordinamus ad gloriam Dei, ac poſtulamus cum expreſſa habitudine ad ſpiritualem fructum; quod æquiualet, ac ſi conditio illa eſſet appoſita.

§. IV.

791 DIco tertiò. Quando bona indifferentia, vt diuitiæ, & ſimilia non ſimpliciter, nec cum exceſſu petuntur; ſed cum hac moderatione, ſcilicet quantùm ad huius vitæ commoditatem neceſſaria ſunt, tunc eodem modo peti poſſunt, quo ipſa bona corporalia, vel intellectualia, quæ per ſe expetibilia ſunt.

Bona indifferentia petita cum moderatione honeſta poſſũt abſolutè peti. Teſtatur diuina ſcriptura

Hoc rectè probari poteſt ex illo Prouerb. cap. 30. *Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi; ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria.* Item ex illa petitione orationis Dominicæ: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* per quam ſupponimus ex ſupradictis *num.* 780. peti panem etiam corporalem, vt ait etiam Chryſoſt. Conſonat etiam illud Geneſis 28. *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum:* vbi petitio moderata talium bonorum non ſolùm abſoluta eſt; ſed etiam voto confirmata.

Hoc ſentit Auguſt. *Epiſt.* 121. *ad Probam cap.* 6. *& ſequentibus.* Cum enim dixiſſet: *Si optant ſibi, ac ſuis ſufficientiam rerum neceſſariarũ, &c.* ſubiungit: *Hanc ergo ſufficientiam non appeti propter ſeipſam, ſed propter ſalutem corporis, & congruentem habitum perſonæ hominis, quo habitu non ſit inconueniens eis, cum quibus honeſtè, & officioſè viuendum eſt.* Additque ſequentia verba, quæ hanc, & præcedentem concluſionem confirmant. *In his itaque omnibus incolumitas hominis, & amicitia propter ſeipſas appetuntur; ſufficientia verò rerum neceſſariarũ non propter ſeipſam; ſed propter duo ſuperiora quæri ſolet, cùm decenter quæritur.*

Auguſt. docet.

Hoc confirmat vſus Eccleſiæ; nam in litanijs, & collectis ſæpe poſtulat temporalia bona, vt pluuiã, vel ſerenitatem, nulla adiecta conditione, vt dixi *numero præcedenti.* Id teſtantur D. Thom. 2. 2. q. 83. *art.* 6. & Alexander Alenſis 4. *par. q.* 26. *art.* 3. §. 1.

Cõfirmat vſus Eccleſiæ.

§. V.

RAtio ex his verbis facilè confici poteſt: quia eo modo, quo petitur aliquid propter ſe, 792
poteſt etiam peti medium neceſſarium ad aliud obtinendum. Si enim poteſt abſolutè peti ſanitas, vt finis proximus, ideſt vt finis ſub fine, etiam poſſunt abſolutè peti bona temporalia, vt media neceſſaria ad talem finem conſequendum. Item illa petitio iam habet finem honeſtum; vnde licèt materia ex ſe ſit indifferens; honeſtatur tamen ex fine; & eo ipſo, quòd cum dicta moderatione petitur, tollitur morale periculum, quod in abundantia harum rerum temporalium eſſe ſolet; ergo ex omni capite honeſta eſt talis oratio. Eſt autem talis oratio abſoluta eo modo, quo dictum eſt de præcedenti; ſemper tamen habet intrinſecè ſubintellectam limitationem illam, vt hæc ipſa quantumuis moderata ſufficientia non deſideretur cum diſcrimine virtutis: ſeu ſi futura ſit occaſio alicuius peccati. Quæ limitatio in omni honeſto amore creaturæ includitur, quatenus non amatur ſuper omnia, neque vt vltimus finis, nec ſine fine honeſto.

Ratio dictat.

§. VI.

DIco quartò. Hæc bona indifferentia diuitiarum, honorum, & huiuſmodi non ſunt abſolutè petenda, quando cum exceſſu aliquo, vel abundantia, 793
aut ſine moderata limitatione petuntur. Hanc veritatem docet Suarez *cap. eod. num.* 12. Ratio eſt: quia in primis, vt hæc bona honeſtè petantur neceſſe eſt, vt non propter ſe, ſed propter honeſtum finem petantur; vix autem poſſunt ita peti, niſi petantur cum moderatione, & limitatione accommodata honeſto fini; & tunc iam petentur modo explicato in fine præcedentis numeri; nam illa moderatio, & ſufficientia non poteſt eſſe vna in omnibus; ſed pro ratione ſtatus, vel finis conuenientis homini iuxta conditionem ſuam.

Bona indifferentia ſine moderata limitatione non ſunt petenda.

QVÆ.

QVÆSTIO III.

An poſtulare à Deo peculiarem protectionem, & curam in præſtando nobis hæc bona, ſit tentare ipſum.

794 RESpondeo cum Suarez *tom.2. de Relig.lib.1. de Orat.cap.18.num.8.* non eſſe tentare Deum, vel eius potentiam; ſed ſupernaturalem eius prouidentiam recognoſcere. Eò vel maximè quòd non abſolutè petimus extraordinarias illas actiones diuinæ prouidentiæ; ſed ſolùm quatenus ad effectum conſequendum ſunt neceſſariæ. Sæpe enim effectus à nobis deſideratus, ac poſtulatus euenit per communem curſum cauſarum naturalium; & tunc ſatis exaudit Deus orationem pro tali effectu, ſi cum huiuſmodi cauſis concurrat, & non permittat per actionem dæmonum impediri, prout interdum poteſt, quod etiam nos poſtulamus, quando hæc bona petimus.

Petere à Deo ſingulare auxiliũ in omnibus rebus noſtris, eſt ſuper naturalẽ eius prouidentiã recognoſcere.

Denique quoniam interdum fieri poteſt, vt ad obtinendum bonum poſtulatum, verbi gratia, corporis ægrotantis ſanitatem, neque ordinaria, neque extraordinaria naturalis prouidentia ſufficiat; ſed miraculoſa neceſſaria ſit; nullum eſt inconueniens, quòd ad hoc totum extendatur orantis intentio, & petitio: quia hoc non eſt tentare Deum: nam non petitur ſimpliciter miraculum; ſed ſub conditione, ſi fuerit neceſſarium, & ſuppoſita conuenientia beneficij poſtulati. Et hoc modo credendum eſt oraſſe Ezechiam, quando ſalutem poſtulauit, & obtinuit; & in ſcriptura inueniuntur plures orationes ſimiles Iſaiæ 38. & 4.Reg.c.20. & orationes Eccleſiæ pro huiuſmodi bonis temporalibus, præſertim generalibus ita poſſunt conuenienter intelligi. Sic etiam ſolent fideles petere ſalutem, vel ſimilia bona in locis pijs, in quibus ſolet Deus ea miracula operari in Chriſti honorem, vel B. Virginis, vel alicuius Sancti per eius interceſſionem; & interdum impetrant ea miraculoſo modo iuxta rationem fidei ſuæ: vel prout eis expedit, aut communi Eccleſiæ bono. Ita ergo ſatis conſtat, quomodo hæc bona (licèt alias naturalia ſint) per orationem conuenienter petantur.

Licitum eſt, etiãſi ad impetrationẽ miraculũ requiratur.

QVÆSTIO IV.

An temporalia mala in oratione peti poſſint.

795 RESpondeo breuiter, non eſſe intrinſecè malum, petere huiuſmodi mala vel ſibi, vel alijs. Hoc conſtat ex vſu Scripturæ, & Sanctorum. Paulus enim Philip.1. aiebat: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Dauid pſal.25. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Vbi Auguſt. *Adhibe medicinale purgatorium, quaſi ignem delectationibus, & cogitationibus meis*, & Hieron. *Proba me Domine in tentationibus, & tenta me, ne aliquid in me delicti remaneat:* Vnde Auguſtinus *ſerm.30. de Sanctis* ponderans illud, *Vre renes meos, & cor meum*, ait: *Ad comprobandam deuotionem ſuam geminum ſibi ignem poſtulat* (ſcilicet renum & cordis) *vt luctamine habito oſtendat, in ſe plus poſſe amorem Chriſti, quàm pœnam tyranni.* Ratio verò eſt: quia huiuſmodi mala non ſunt ſimpliciter mala, ſed ſecundùm quid: vnde reſpectu boni honeſti, vel mali turpis illi contrarij, ſunt indifferentia; eruntque ſimpliciter bona, ſi honeſta ratione & propter finem ſimpliciter bonum appetantur; ergo ex tali intentione licitè etiam peti poſſunt; ergo petitio talium malorum non eſt per ſe, & intrinſecè mala.

Non eſt intrinſecè malũ petere mala pœnæ ſibi, vel alteri.

Licitè peti poſſunt ppter finẽ ſimpliciter bonũ.

Quamuis autem hic modus orationis, quo quis ſibi mala temporalia petit, licitus ſit; non eſt omninò tamen conſulendus: quia non omnes apti ſunt, vel idonei ad hoc genus probationis; & interdum eſſe poſſet præſumptio illam appetere, aut poſtulare ſibi, & maximè ſi quis peteret; ſe à dæmone poſſideri; cum dæmon hominem, quem poſſidet, ad multa inducat mala, vt ad blaſphemias, ad actus inhoneſtos, ad præcipitia: impediat multa bona, ac multis domeſticos obſeſſi afficiat perturbationibus, & afflictionibus. Vnde melius eſt, Paulum regulariter imitari, qui cum ſtimulo carnis affligeretur, & ignoraret, quid ſibi magis profuturum eſſet, *ter Dominum rogauit, vt auferretur ab eo*; non enim nos Paulo perfectiores ſumus, vt petamus per afflictiones à Domino tentari; vel per obſeſſiones, ac poſſeſſiones à dæmone probari; ſed in dubio potiùs de noſtra fragilitate, & imbecillitate timere debemus: Ita etiam admonet Suarez *lib. eod. c.19. num.2. ſub fine.*

Hic modus tamẽ non eſt faciliter conſulendus.

QVÆSTIO V.

An liceat in oratione petere, vt malum pœnæ proximo eueniat.

DIco primò. Si proximus iam ſit defunctus, & damnatus, licitum eſt illi imprecari vindictam æternam, iuxta illud Pſal.57. *Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam.* Si autem proximus iam ſit defunctus, & nobis non conſtet ipſum eſſe damnatum, imprecari illi damnationem æternam deſiderando, vt damnatus ſit, & de illo ſumatur æterna vindicta, manifeſtum odium eſſet: quia illud per ſe non eſt neceſſarium ad iuſtitiam Dei; vnde ſolùm poſtulatur in ſummum malum proximi: Ita docet Alexander Alenſ. *3.par. q.93. a.2.* Thom. 2.2.q.83.art.7. D.Bonau.Ricard.Sot. *in 4. diſt.45. &* 46. Medina *hac quæſt.* Suarez *cap. eod. num.3.* Ioſeph Angles *in 4.tract.de Orat.q.9.diffic.2.* 796

Quando ſit licitũ mortuo malũ imprecari, & quando non.

§. I.

DIco ſecundò. Si proximus ſit viator, nunquam licet illi imprecari vindictam, quæ inuoluat damnationem æternam, etiam ſub titulo diuinæ iuſtitiæ: quia de nullo viatore deſperandum eſt, & Deus poteſt aliam vindictam ſumere de peccatore, per quam ſuæ iuſtitiæ ſatisfaciat, & miſericordiam habeat adiunctam; quam vindictam ſumit, mediante pænitentia; & hanc Deus ipſe (quantùm ex ſe eſt) magis exoptat; Et ideò imprecari illi quandiù eſt in via, vindictam æternam, eſt peccatum contra proximi charitatem, vt teſtatur B.Gregorius *lib.2.moral.* dicens: *Homo peccato ſubiacet, qui hoc petit à Deo fieri, quod omninò facere non poteſt; vel ſi po-* 797

Nunquam licet imprecari viatori damnationem æternam.

ſi poteſt, minimè decet. Idem docent DD. ſupra relati.

§. II.

798 DIco tertiò. Integrum, & catholicum eſt, orando petere aliquod malum proximo, quando illud petitur propter aliud bonum, quod iuſtè, & ſecundùm ordinem charitatis præfertur illi malo, puta ad vtilitatem peccatorum, vt couertantur, & non pereant: nam eo ipſo non agitur contra charitatem; ſed ſecundùm illam; nec petitur malum, vt malum; ſed vt bonum, non qualecunque ſed preferendum tali malo.

Catholicũ eſt, orãdo, petere aliquod malũ proximo ob maius bonum.

Hanc concluſionem probant innumera ſacræ ſcripturæ teſtimonia. Pſ.82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine:* & paſſim Prophetæ hoc petebant, vt corrigerentur, & conuerterentur peccatores; quod eſt opus miſericordiæ; & hæc quoque mala ſæpiſſime populo nunciabant, non imprecando, ſed prædicando; non optando, ſed prophetando, & D.Auguſt. *in quadam homilia de martyribus* dicit: *Vltus ſum eos, &c. quomodo me vindicaui? occidendo in eis errorem, ſuſcitando fidem.*

§. III.

799 DIco quartò. Licitum eſt, à Deo petere, vt mittat mala, & damna temporalia, & mortem ipſam homini pernicioſo Reipublicæ, aut publico hoſti Eccleſiæ; vt Turcæ, Hæreſiarchæ, Mago, Malefico, Sagæ, & ſimilibus, præferendo commune bonum, nempe tranquillitatem Reipublicæ, honorem Dei, & Eccleſiæ priuato incommodo, vel poſtponendo corporale detrimentum ſpirituali: In huiuſmodi autem oratione ſemper inuoluitur cõditio, *ſi aliter vitari non poteſt malum;* quod interdum ſupponitur tanquam moraliter certum ex pertinacia, vel obcæcatione talis perſonæ.

Licitum eſt petere à Deo, vt dãna tẽporalia, & mortẽ ipſam immittat homini pernicioſo Reipublicæ; aut publico Eccleſiæ hoſti.

Hoc teſtantur diuinæ ſcripturæ Pſal.54. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes,* & ſubdit infra: *Exaudiet Deus, & humiliabit illos qui eſt ante ſæcula,* & Pſal.58. *Intende ad viſitandas omnes gentes, non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Et interdum effectu ipſo Deus talem orationem confirmabat, vt 4.Reg.1. dixit Elias, *ſi homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos,* quod ſemel & iterum factum eſt. Ita docent præallegati Doctores *num.396.*

§. IV.

800 HÆc & ſimilia loca interpretantur Patres vno ex quatuor modis, quos attingit D.Thom. *2.2. quæſt.83. art.8. ad primum, & ſecundum* ex Auguſtino *lib.1. de ſerm. Dom. in monte, & lib.2. de Quæſt. Euangel. cap.45.* quos etiam attingit Alexander Alenſ.*4.part q.93.art.2.*

Quatuor modis poſſunt intelligi huiuſmodi imprecationes.

Primus eſt, quòd ſæpe ſub forma precationis prophetiam proferunt; norunt enim illam eſſe voluntatem Dei, & definitam ſententiam, quam pronunciant.

Secundus, quòd imprecantur malum, non homini, ſed peccato; & perſeuerantibus in illo petunt vindictam, conformando voluntatem ſuam iuſtitiæ diuinæ: vel ſub ea conditione, ſi perſeuerent: vel quia præſciunt conditionem eſſe implendam.

Tertius, quia optant, vt per temporalia mala peccatores corrigantur.

Quartus (& ferè in idem redit) quia optant per eadem mala deſtrui regnum peccati.

Addi præterea poteſt ex D.Hieron. *Epiſt.151. ad Algaſiam quæſt. in veteri Teſtamento,* terruiſſe Deum homines rigore iuſtitiæ; & ideò etiam voluiſſe per Prophetas ſuos, ac Prædicatores interdũ viſibiliter oſtendere vindictam ſuam, vt in facto Eliæ ſupra relato, & in eo, de quo ſupra num.590.

Denique addi poteſt ſæpe intelligi illas orationes modo iam dicto, quo ordinariè fieri poſſunt, ſcilicet ad emendationem ipſorum peccatorum, vel ad commune bonum, & pacem Reipublicæ.

QVÆSTIO VI.

An omnium prædictorum bonorum, vel malorum petitiones infallibilem habeant impetrationem ex vi diuinæ promiſſionis.

HÆc eſt quæſtio principaliter intenta ad explicandam primam conditionem ad impetrationem infallibilem requiſitam; quæ cum non poſſit vnico verbo explicari, ſequentibus dictis, ſeu aſſertionibus enodabitur. 801

Petitio bonorũ ſpiritualiũ habet infallibilẽ impetrationem.

Dico ergo primò. Oratio, ſeu petitio bonorum ſpiritualium habet infallibilem promiſſionem, & impetrationem: Id docet Ioannes primæ ſuæ can. cap.5. *Hæc eſt fiducia,* inquit, *quam habemus ad eum: quia quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos:* ſed bona ſpiritualia, vt beatitudo, & gratia, & virtutes, & dona, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſunt ſecundùm voluntatem Dei; vt ait Paulus 1. Theſſal.4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra;* & conſtat ſupra ex petitionibus orationis dominicalis, *& num.785. & ſequentibus,* ergo dictorum bonorum petitio infallibilem habet promiſſionem, & conſequenter infallibilem habet impetrationem; cum Deus mentiri non poſſit; vt late probauimus ſupra *num.771. & ſequentibus,* ſuppoſitis alijs conditionibus ad impetrationem infallibilem requiſitis.

§. I.

DIco ſecundò. Petitio bonorum temporalium, (ſi vtilia ſint ad ſalutem) promiſſionem habet infallibilem: Conſtat ex generalitate verborum Chriſti Io.14.15.& 16. *Quicquid petieritis Patrem, in nomine meo, dabit vobis.* Hoc ſuadere poſſumus argumento Auguſtini: quia quod eſt vtile ad ſalutem, aliquid eſt, & magni momenti, ac ponderis apud Deum; & quantùm eſt ex ſe) petitur in nomine Saluatoris; ergo comprehenditur ſub illa promiſſione: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et vt vtar verbis ipſius Auguſtini in Ioannem cap.15. *Hoc petimus,* inquit, *in nomine Saluatoris, quod pertinet ad rationem ſalutis,* & cap.14. in illa verba: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam,* ait. *In nomine meo, quod eſt Chriſtus Ieſus, Chriſtus Regem, Ieſus Saluatorem ſignificat; ac per hoc quodcumque petimus aduerſus vtilitatem ſalutis, non petimus in nomine Saluatoris.* Item 1.Ioan.cap.5. dicitur: 802

Petitio bonorũ temporalium ſi vtilia ſint ad ſalutem, habet infallibilẽ promiſſionem.

Quod.

Quodcumque petierimus, ſecundùm voluntatem eius, audit nos. Circa quem locum aduerto, dupliciter poſſe conſtrui illa verba: primò coniungendo determinationem illam *ſecundùm voluntatem eius* cũ verbis præcedentibus. Et ſic conſtat, promiſſionem limitari ſolùm ad ea, quæ ſunt ſecundùm voluntatem Dei; & ita legit D. Thomas. Alio verò modo poteſt diſſugi illa determinatio à verbis prçcedentibus, & coniungi ſequentibus (prout fit in noua editione vulgata) & ita videtur promiſſio magis vniuerſalis. Vtroque autem modo probatur id, quod intendimus; quia cùm petimus aliquid vtile ad ſalutem, petimus ſecundùm voluntatem eius; ergo exaudimur.

§. II.

803 CVm autem dicimus: id, quod petitur, debere eſſe vtile ad ſalutem; non intelligimus ſolùm de vtilitate, quam poteſt res ex ſe habere, puta de ſanitate, quæ etiam in peccatore poteſt vtilis eſſe ad ſalutem, ſi conuertatur ad Deum, & pæniteat; ſed quam de facto habitura eſt, puta quia illa perſona, cui ſanitas eſt communicanda, bona opera actualiter, & de facto præſtitura eſt. Multa enim poſſunt eſſe ſecundùm ſe vtilia, quæ nouit Deus futura eſſe noxia poſtulanti; & hoc ſatis eſt, vt miſericorditer non dentur; ac proinde vt oratio ex ea parte non ſit infallibilis, nec ſub promiſſione comprehendatur; vt conſtat ex oratione Pauli 2. Corinth. 12. Et ita notarunt Auguſtinus *tract. 22. 75.* & 81. *in Ioannem*; & Chryſoſtomus *hom. 30. in Geneſ.* Dicetur autem id, quod petitur futurum eſſe noxium, non ſolùm ſi futurum ſit occaſio alicuius peccati; ſed etiam ſi impediturum ſit profectum ſalutis: quia tunc non ſolùm vtile non eſt ad ſalutem, vt conſtat; ſed etiam eſt aliquo modo nociuum: Ita Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de oratione cap. 23. num. 7.*

Vtile eſt ad ſalutẽ, quod actu eſt cauſa alicuius boni, nec occaſio eſt peccati; nec impedit maius bonum.

§. III.

804 DIco tertiò. Petitio alicuius boni honeſti (quod tamen per ſe non eſt conferens ad ſalutem; neque etiam illam impediens, aut profectum eius; vt ſunt bona temporalia neceſſaria ad conſeruationem vitæ, euaſio periculorum, & alia huiuſmodi, de quibus ſupra *in quarta, & vltima petitione orationis Dominicalis*) habet certam impetrationem, ſi adſint tres aliæ conditiones ad impetrationem infallibilem requiſitæ. Probatur ex verbis ipſius Auguſtini *in illis tractatibus in Ioannem*, quos ſupra citauimus: Ibi enim numquam dicit, eum non petere in nomine Chriſti, qui non petit neceſſaria, aut vtilia ad ſalutem æternam; ſed eum, qui petit huic ſaluti contraria: *Non petitur*, ait, *in nomine Saluatoris, quicquid petitur contra rationem ſalutis.* Nam ſi quod petitur, bonum eſt, & honeſtum, & non eſt contrarium ſaluti: quia non impedit ſalutem, nec eius profectum, aut maius bonum, licèt tantùm petatur propter commoditatem naturæ, & non propter ſalutem animæ; nihilominus eo ipſo, quòd petitur ex vera fide, & Religione (quod eſt ſecunda conditio ad impetrationem infallibilem requiſita) quantum eſt de ſe poteſt eſſe aptum ad ſalutem & poteſt in nomine Saluatoris poſtulari: Nam gratia fidei, qua petitur, illud pertinet ad rationem ſalutis.

Bona tẽporalia licet per ſe non cõferãt ad ſalutem, aliquãdo habent impetrationẽ infallibilẽ. Et quando.

§. IV.

AMpliùs probatur: Nam in primis quicquid ipſe Chriſtus in oratione ſua petere docuit, poteſt propter ipſum, ſeu in nomine eius poſtulari; ſed ipſe docuit petere etiam ſubſidium temporale dicens: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie:* maior eſt clara: quia in ea oratione manifeſtauit ſuam voluntatem ita eſſe: minor conſtat ex dictis ſupra in illis petitionibus, & probatur à D. Baſilio *in Conſtitutionibus Monaſticis cap. 2.* ergo, &c. 805

Conſtat ex oratione dominic.

Item eo ipſo, quòd aliquid petitur ſub vera ratione boni honeſti, vel in ordine ad illud, etiamſi ab eo petente non referatur in altiorem finem, ex ſe eſt aptum referri; & poteſt eſſe medium, vel inſtrumentum, aut occaſio ſpiritualis fructus, vt puta ex ſanitate accepta locus ſumatur Deo gratias agendi, ac nomen eius laudandi, & glorificandi, ſicut ipſamet Eccleſia in ea Collecta pro infirmis tali modo rogat, nempe, *vt reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referant actiones:* & ex parte Dei ſemper datur propter hunc finem; ergo iuſta ratione poteſt propter Chriſtum, ſeu per merita ipſius poſtulari. Accedit, quòd talis oratio ex vi motiui includit (vt ſupra dicebamus *n. 792.*) virtualem conditionem, *vt, ſi illud, quod petitur, ſit nociturum ſaluti, nobis non concedatur: quia hoc magis expedit nobis.* Et qui prudenter petit, ſemper intendit obtinere id, quod petit, quatenus ſibi magis expedit; ergo hoc ſatis eſt, vt talis petitio per Chriſtum, ſeu in nomine Saluatoris fiat. Tandem qaicquid petimus ex vera fide, petimus fundati in promiſſione eiuſdem Chriſti; ergo totum id poſſumus poſtulare propter Chriſtum, ſeu in nomine Chriſti.

Docet vſus Eccleſiæ.

§. V.

QVare exiſtimo cum Suarez *lib. eod. cap. 18. n. 12.* 806 Chriſtum nobis meruiſſe bona honeſta, etiamſi naturalis ordinis videantur. Et quamuis à nobis, quando illa recipimus, vel appetimus, in altiorem finem non referantur, ſemper de ſe conferunt ad illum finem, & à Deo ſub ea ratione conferuntur. Et hoc etiã confirmat vſus Eccleſiæ; nam ſemper per Chriſtum petit; (etiamſi interdum temporalia petat, non facta expreſſa mentione ſpiritualium bonorum:) vt in multis Collectis contra perſecutores Eccleſiæ, vel contra peſtem animalium, & in alijs videre licet. Et in quadam oratione pro quacumque neceſſitate hac vtitur orandi forma: *Deus refugium noſtrum, & virtus, adeſto pijs Eccleſiæ tuæ precibus, auctor ipſe pietatis, & præſta, vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Hęc autem orandi forma locum habet in omni honeſta, & Religioſa oratione; nam ſi ex Religione eſt, profectò pia eſt, & ſalutaris; & ſi ex fide eſt, fideliter in ea petimus; ergo quicquid per eam ſic petimus, poſſumus per Chriſtum petere, vt efficaciter conſequamur. Dicendum ergo cenſeo, ex bono honeſto ſic accepto, & tali modo petito non reddi orationem, ſeu petitionem inefficacem, neque excludi à promiſſione diuina, ſi alias habeat conditiones,

Chriſtus nobis meruit omnia bona honeſta. Et qua.

Dico

§. VI.

807 DIco quartò. Petitio rei indifferentis, ideſt nec turpis, neque honeſtæ, nec relatæ ad honeſtatem; ſed ſolùm ob iucunditatem, vel humanam vtilitatem, quam habet (nulla exiſtente vera neceſſitate talis rei) ſine dubio promiſſionem non habet infallibilem. Ratio eſt: quia ſecundùm probabiliorem ſententiam bona non eſt, neque honeſta: quia ex vi rei poſtulatæ non habet honeſtatem: cum ſupponatur illam indifferentem eſſe; neque etiam ex fine; quia ſupponimus non referri eandem rem indifferentem in finem honeſtum; ergo nullo ex capite bona eſt; indifferens autem in indiuiduo eſſe non poteſt; vt docet Suarez *lib. eod. cap. 23. num. 5.* ex probabiliori D. Thomæ ſententia; ergo peccaminoſa eſt, ac proinde indigna, vt exaudiatur, nedum vt infallibilis impetrationis promiſſionem habeat.

Petitio rei indifferentis non relatæ ad honeſtatem non habet impetrationẽ infallibilem.

Nec talis petitio dici poteſt pertinere ad diuinũ cultum: quia continet petitionem rei indecentis à Deo. Nam illa petitio proficiſcitur ex deſiderio, & poſtulat à Deo, vt illud impleat. Deſiderium autem habendi rem indifferentem propter ſeipſam, & ſine intuitu honeſtatis, eſt turpe deſiderium; & ideò petere à Deo, vt illud deſiderium impleat, turpe etiam eſt; qua de cauſa non poteſt ad Dei cultum pertinere. Fallitur ergo, ſi quis dicat, ſe ita petere propter cultum Dei; (non enim petit niſi propter concupiſcentiam ſuam, vt illi ſatisfaciat:) vel etiamſi aliquo modo cultum intendat, practicè errat: quia vtitur medio, ſeu materia improportionata ad cultum; & ita non verum, ſed fictum, & apparentem cultum intendit.

§. VII.

808 DIco quintò. Qui aliquam rem malam petit, non ſolùm non meretur à Deo exaudiri; ſed mortaliter peccat, iuxta id, quod ait Dauid Pſ. 108. *Oratio eius fiet in peccatum.* Ratio eſt: quia rem omninò indignam, & indecentiſſimam à Deo petit, nimirùm, vt ipſe auctor peccati fiat. Quapropter licèt id, quod petitur, de ſe non ſit mortale peccatum, ſed veniale tantùm; nihilominus illud petere à Deo, mortale eſt peccatum: quia in hac materia reſpectu Dei non poteſt dari materia leuis; ſed tota eſt grauis. Ergò talis oratio non ſolùm inefficax eſt; ſed etiam valdè nociua: vel vt aliqui loquuntur, non tantùm mortua, ſed mortifera: Ita docet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 1. de Orat. cap. 23. num. 4.*

Qui petit à Deo aliquam rem malam mortaliter peccat.

Eodem modo dico, petere hæc bona temporalia (quæcumque ſint) propter ſe, vltimum finem in eis conſtituendo, peccatum eſt mortale. Hoc per ſe notum eſt: tum quia affectus ad temporale bonum, & ad vltimum finem relatus, eſt peccatum mortale contrarium dilectioni diuinæ ſuper omnia: tum etiam quia à Deo complementum huius deſiderij, ſeu affectus petere, ſpeciale peccatum eſt contra Religionem: quia eſt à Deo parui deſiderij complementum poſtulare. Si quis autem attendat, hæc aſſertio locum habet in omnibus bonis creatis: quia in nullo eorum, cuiuſcumque ordinis ſit, licet vltimum finem conſtituere.

Petere bona tẽporalia, vt vltimum finem eſt peccatũ mortale.

Conditio ſecunda ad impetrationem infallibilem requiſita.

SEcunda conditio, quæ orationi ad impetrandum infallibiliter quod petitur, eſt neceſſaria, eſt ex fide theologica, ac ſpe, ſeu fiducia, ac confidentia in Deum petere, de quibus latiſſimè ſupra *à numero 606. incluſiuè vſque ad numerum 662. excluſiuè.* Neceſſe eſt enim, vt oratio ex fide procedat, & ex ſpe, vt per eam id, quod poſtulatur, infallibiliter obtineatur. Hanc conditionem docuit Chriſtus Dominus Matthæi 21. dicens; *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et præmiſerat: *Si habueritis fidem, & non hæſitaueritis, &c.* Et Iacobus cap. 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans.* & Paulus Roman. 10. ait: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* & Epheſ. 3. inquit: *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem eius.* Nam orationis promiſſio per ſe primò ad aſſecutionem Beatitudinis ordinatur iuxta illud Matthæi 6. *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Fides autem principium, & fundamentum ſalutis eſt; & ideò promiſſio non fit orationi, niſi ex fide procedat. 809

Petitio, vt impetret infallibiliter, debet eſſe ex fide theologica, ac confidentia inhæſitante.

Quare ſicut Exorciſtæ, vt tutò, & efficaciter ab hominibus obſeſſis, & è rebus ad homines ſpectantibus dæmones expellere, eorumque opera maleſica deſtruere valeat, neceſſaria eſt fides theologica, ac fiducia, ſeu confidentia in Deum, quatenus actus ſpei ab actibus fidei excitantur; vt docuimus ſupra *num. 630. & 631.* Ita ægroto obſeſſo, vel maleficiato, aut in quacumque neceſſitate conſtituto, aut quodcumque beneficium ſalutare poſtulanti primò neceſſaria eſt fides theologica, qua Deum poſſe, ſcire, ac velle ſibi concedere, quod fuerit expediens, ac ſalutare, credat; ſecundò neceſſaria eſt fiducia, ſeu confidentia certa, & inhæſitans, qua ſperet, Deum ratione ſuæ infinitæ bonitatis id, quod ſalutare petitur, concedere velle, & ratione ſuæ veritatis, & fidelitatis inuariabilis iuxta ſuas promiſſiones illud largiturum.

Obſeſſo, & ægroto vt ſanitatẽ impetret, neceſſaria eſt fides ac fiducia in Deum.

§. I.

VNde aliud eſt aliquid à Deo ratione eius bonitatis, & clementiæ impetrare; aliud ex vi diuinæ promiſſionis. Nam primo modo ob quandam congruentiam, quam habet oratio cum diuina bonitate, & clementia obtinetur; Conſentaneum enim eſt diuinæ bonitati, ac liberalitati eius, qui rogatur, moueri ad dandum ſolùm, quia rogatur: vt eruditè docet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 1. de Oratione cap. 23. num. 1.* Non tamen ex ſola petitione iudicari poteſt, aut credi, Deum certò, & infallibiliter id, quod petimus effecturum. Alio modo obtinetur, quatenus nos non ſolùm Deum Omnipotentem, Sapientiſſimum, ac Summum bonum; ſed veraciſſimum, ac fideliſſimum in ſuis promiſſionibus eſſe credimus; ideoque ratione ſuæ promiſſionis certò, & infallibiliter largiturum id, quod petitur. Sic impetratio ex vi promiſſionis ſupra orationem, ac impetrationem, quæ fit ratione diuinæ bonitatis, addit actum fidei, quo quis inhæſitanter diuinis promiſſionibus credit, de quibus latiſſimè ſupra *à num. 631. incluſiuè vſque ad n. 662. excluſiuè, & num. 770. & ſequentibus.* 810

Aliud eſt impetrare à Deo ratione eius bonitatis: aliud ex vi promiſſionis diuinæ.

Hinc

§. II.

811 *Ad impetrandum infallibiliter; petitio debet fieri non tantùm ratione bonitatis ſed ratione promiſſionis diuinæ. Monitũ vtillimũ pro Miſſionarijs Apoſtolicis.*

HInc colligitur, ſi quis aliquid à Deo infallibiliter obtinere deſiderat, ſibi ſtudendum in oratione non tantùm primam ſeruare conditionem ad impetrationem infallibilē requiſitam, nempe vt res, quam petit, bona, & honeſta ſit, ſcilicet ſalutaris animæ, vel corpori; ſed ſecundam etiam, videlicet fidem poſſidere, qua firmiter credat Deum non tantùm poſſe dare, quod petitur; & eſſe bonum, ac miſericordem ad dandum (ſi nobis expediat, & ex parte noſtra non ſit impedimentum;) ſed ratione ſuæ promiſſionis infallibiliter daturum id, quod petitur. Et qui ſi credit, ac ſine vlla hæſitatione confidit, vtique infallibiliter id, quod petit, vel aliud maius bonum obtinebit.

Vnde hìc vnicum tradam monitum pro ijs, qui inter Infideles ad prædicandum Chriſti Euangelium auctoritate miſsi Apoſtolica extraneæ linguæ vſum non callent: ſi poſt adhibitam diligentiam, vt nouam linguam diſcant, illam non poſsideant: ac denuò homines eis occurrant, quorum idiomatis ignari ſint, ac neceſsitas vrgeat eorum ſermonem capeſcendi, vt in Chriſti fide eos inſtruant; vel peccatorum eorum confeſsionem audiant, nec eis ob idiomatis ignorantiam Chriſti doctrinam explicare, ac veritatem Chriſtianę Religionis ſuadere valeant; tunc ad orationem confugiant; ac diuinæ promiſsionis meminerint, qua credentibus Chriſtus promittit, quòd nouis loquentur linguis, Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis*: & S. Gregorij Thaumaturgi exemplo Deum de promiſsione ſua admoneant; neceſsitatem animas ad ouile ipſius reducendi exponant; dicantque ei, vt iuxta petentis fidem agat, ita vt ſibi ipſis nouæ linguæ donum concedat, quo veritatem poſsint patefacere euangelicam: vel ipſis pænitentibus, & audientibus donum nouam linguam intelligendi impertiatur. Si enim firma, & inhæſitanti fide hoc petierint, infallibiliter vtique obtinebunt: nam *fidelis eſt Dominus*, ait Propheta pſal. 144. *in omnibus verbis ſuis*: nec fallere, aut mentiri poteſt. Hoc adimpletum vidimus in Apoſtolis, qui *loquebantur varijs linguis magnalia Dei*. Act. 2. Hoc in D. Antonio à Padua Romæ concionante coram Summo Pontifice factum eſt cunctis audientibus eum in lingua ſua, Græcis, Gallis, Hiſpanis, Germanis, Theutonibus, Britannis, Heluetijs, & alijs, vt habetur *part. 1. Chronic. Fratrum Minor. lib. 5. cap. 21.* Quod potuit iſte, & quicumque alius poterit, ſi opportunitas exegerit, ac diuinæ promiſsioni ſine hæſitatione crediderit: *Qui enim non hæſitauerit, ſed crediderit*, ait ipſemet Chriſtus Marci 11. *quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Irretractabilis namque eſt*, ait Caſsianus Collat. 19. cap. 32. *Domini noſtri ſententia: Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis*. Sic Ioſeph Acoſta *lib. 1. de procur. Indor. ſalut. cap. 9. in fine*, & Thomas Bozius *de ſignis Eccleſiæ Dei lib. 6. cap. 5.* aiunt, quòd Beatus Aloyſius Bertrandus ex Ordine Prædicatorum, & Martinus à Valentia ex Ordine Minorum in India Occidentali nullo ſæpe interprete, nullo adiumento diuerſarum linguarum populos ſimul atque ad eas acceſſerant, alloquebantur; & ita Deus per illos innumeros ad verum pietatis cultum traduxit, & plurima ſuæ liberalitatis beneficia illis populis largitus eſt. Et quod magis mirabile, cum vna lingua loquerentur ad innumeros diuerſarum linguarum homines in vnum coactos, quorum multi haud percipiebant aliarum vim, nihilominus ab omnibus adſtantibus intelligebantur; & quilibet ex audientibus cum ſono vocis aſſequebatur etiam ſenſa verborum.

Conditio tertia ad impetrationem infallibilem requiſita.

TErtia conditio orationi neceſſaria ad id, quod poſtulatur, infallibiliter obtinendum, eſt perſeuerantia in orando, & id, quod deſideratur poſtulando. 812

Perſeuerãtia in oratione ad infallibiliter impetrãdum eſt neceſſaria. Probatur ex doctrina Chriſti.

Hæc conditio in Scriptura diuina multum commendata eſt, & repetita, & ad explicandum non facilis; difficilior verò ad exequendum. Hanc nobis explicauit Chriſtus Dominus duabus illis parabolis quarum altera de illo eſt, qui tres panes ab amico, teſte Luca 11. poſtulauit. Altera de vidua, quæ à iudice vindictam petijt, & per importunam perſeuerantiam impetrauit. Lucæ 18. Primi petitionem ob indefeſſam perſeuerantiam, importunitatem ſeu improbitatem Chriſtus nominauit dicens: Lucæ 11. v. 18. *Amen amen dico vobis: ſi ille perſeuerauerit pulſans, & ſi non dabitur illi, eò quod amicus eius ſit: propter improbitatem*, idest importunitatem *tamen eius, ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios*. Ad quam perſeuerantiam nos adhortãs Abbas Iſaac apud Caſſianum Collat. 9. cap. 34. *Per hanc ſolam*, ait, *ſi non pro amicitiarum merito, atque virtutum, interpellationis aſſiduitate daturum ſe Dominus quicquid oratus fuerit, repromittit. Et idcirco abſque hæſitationis infidelitate precibus inſiſtendum eſt, obtenturoſque nos earum iugitate cuncta, quæ ſecundùm Deum popoſcerimus, minimè eſt dubitandum.* Et paulò infra ſubdit. *Si nulla alia exauditionis cauſa adſit, ſaltem animæ importunitatis inſtantia non deficiat; quæ abſque vel meriti, vel laboris difficultate in cuiuſcumque volentis ſita eſt poteſtate.*

§. I.

HAnc pari modo perſeuerantiam probat per cõſtantem orationem illius viduæ dicens: Luc. 18. *Iudex erat in Ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Sed & vidua in eadem ciuitate, quæ aſſiduis precibus vindicari cupiebat ab aduerſario.* At Iudex longiſſimam moram interponebat improbus cunctator. Demum tam conſtãte illius viduæ importunitate deuictus controuerſiam dijudicauit. *En robuſtam prorſus, & contumacem ſpem*, ait Drexelius de Conformat. volunt. lib. 5. cap. 2. §. 2. *quæ vidua illi aſſiduè hoc inſtillabat: hodie tibi ius dicetur: vbi ſpes hodierna decollaſſet, craſtina monebat: Cras fiet, aut perendie hac hebdomada hoc menſe, hoc certè anno ſententia dicetur. Vicit demum perſeuerans fiducia, quam Chriſtus in argumentum trahit hoc modo: Si tantarum eſt virium oratio apud improbiſſimum quemque; quantarum erit apud ipſam miſericordiam?* Ita etiam ponderauit Baſilius *in Conſtitutionibus Monaſticis c. 2. & in Regulis breuioribus in centeſima ſexageſima prima*, & D. Cyrillus, quem D. Thomas refert *in Catena* Lucæ 18. Atque in hoc ſenſu dixit Chriſtus in cap. 18. Lucæ: *Oportet ſemper orare, & non deficere*, idest à petitione, etiamſi non ſtatim concedatur, nunquam deſiſtere; ſed inſtanter iteratis vicibus petere, vt ex Auguſtino colligitur *lib. 2. Quæſt. Euangelic. cap. 45. ſerm. 36. de verbis Domini*. Quod etiam 813

Caſſiodorus *lib.5.c.24.* ac D. Gregorius *in Pſ.129.* teſtantur dicentes: *Chriſtum velle ſuos oratores omnimodè importunos. Deum velle cogi, & quadam importunitate vinci.*

§. II.

814 *Ratio ſumitur ex diuina Prouidẽtia.*

HVius autem conditionis ratio ex diuinæ prouidentiæ ordine colligi poteſt: nam ſæpiùs expedit Deum non ſtatim, quæ petuntur concedere, vel quia, qui petit, ad poſtulata recipienda diſpoſitionem non habet; ſed paulatim acquiret (Quod ſæpiùs eueniſſe experientia probaui pluribus in Ægrotis, & Obſeſſis, quorum Deus preces non ſtatim; ſed non niſi poſt longam orationem eorum exaudiuit:) Vel quia tunc quod petit illi vtile minime eſt; erit autem poſtea: *Quicquid enim oremus,* ait Paulus Rom.8.v.26. *ſicut oportet, neſcimus, niſi ipſe,* addit Gloſſa in 1.Ioannis c.5.v.14. *ſuam oſtendat voluntatem, qui meliùs, quàm nos ipſi noſtram intelligit voluntatem:* Vel differt, vt res poſtulata in maiori habeatur æſtimatione, & deſiderium eius creſcat: Vel denique vt fides exerceatur; nam ſi ſtatim, quicquid poſtulatur, daretur potiùs experientia quædam eſſet, quàm fides; vt ait Suarez *tom.2. de Religione lib.1.de Orat.c.26.n.1.*

Teſtãtur Patres.

Hæc ferè complexus eſt Auguſtinus ſerm.5. de verbis Domini dicens: *Cùm aliquando tardiùs dat, commendat dona, non negat. Diu deſiderata dulciùs obtinentur, citò autem data vileſcunt. Petendo, & quærendo creſcis, vt capias. Seruat tibi Deus, quod non vult citò dare, & tu diſcas magna magnè deſiderare.* Alia apud ipſum videri poſſunt *tract.73. 81. & 102. in Ioannem.* Optimè Chryſoſtomus homil. 30. in Geneſim ſic inquit, *An non poteſt præſtare Deus priùs quàm petamus? verùm propter hoc differt, & expectat, vt occaſionem accipiat, qua iuſtè nos ſua cura dignos faciat.* Et infra: *Et relinquendum hoc eſt omnium Conditori; magis enim ſcit, quid nobis proſit, quàm ipſi nos. Ipſe nouit quomodo ſalus noſtra paranda. Noſtrum ergo ſit opus, continuis inſiſtere precibus, & non ægrè ferre, ſi differatur, quod petimus, ſed longanimes eſſe. Neque enim renuens preces noſtras differt; ſed hac arte ſedulos nos efficiens ad ſemetipſum attrahere vult.* Sic etiam S. Nilus *lib.de Oratione cap.32. Ne petas,* ait, *à Deo imperioſè, quod ſtatim velis impetrare, vult enim te beneficio afficere in oratione perſeuerantem. Quid enim excellentius, quàm cum Deo colloqui, & vſu eius detineri?* Et hæc eſt vis Deo grata, de qua loquitur Tertullianus *in Apolog.39.* & indicat Hieronymus *Epiſt. 57. ad Damaſum.* Tandem hæc inſtantia humilis orationis, quæ apud Deum potens eſt, de qua loquitur Concilium Lugdunenſe *in cap. Vbi periculum, de Electione in 6.*

Propterea multi ex defectu perſeuerantiæ in bono, poſtquam fuerunt à dęmone liberati, ac promiſerunt Deo ſe à vitijs abſtinere, iterum nouis afficiũtur maleficijs: quia non ſeruant promiſſa Deo facta. Quam veritatem licèt pluribus exemplis comprobare poſſem; veruntamen vnicum referam, cuius fui teſtis oculatus.

Anno Domini 1667. Venetijs quadam die duo viri, quorum vnus erat nobilis Vene us, alter Medicus, rogauerunt Superiorem noſtrum, vt aliquem mitteret ad quandam mulierem obſeſſam exorcizandam: Cum autem vnum miſiſſet, ac fuiſſent coram ipſa in lectulo iacente, quæſiuit ab ea, an eſſet nupta, vel vidua; quæ reſpondens ſe eſſe nuptam, addidit, quærens, quiſnam illorum duorum virorum eſſet ipſius maritus! quæ reſpondit: neutrum; ſed ipſum maritum eſſe abſentem à Venetijs. Probauit, an eſſet verè maleficio affecta; & ex ſignis euidentibus cognouit verè à dæmone fuiſſe obſeſſam. Inſtruxit illam diligenter, prout habetur 3. par. huius diſp. vbi de remedijs particularibus, *ac præcepit è lectulo ſurgere, quod ſtatim præſtitit, ac genuflexam ſuper terram eam docuit elicere actus contritionis ſuorum peccatorum, nec non actus fidei, ac confidentiæ in Deum, quòd à dæmone eſſet liberanda; quæ omnia promptè adimpleuit. Idcircò facto dæmoni vltimo præcepto expulſiuo, viſa eſt ei totaliter à dęmone liberari. Poſt diſceſſum autem intellexit illam eſſe concubinam nedum illorum duorum, ſed aliorum etiam; propterea Deum ſuppliciter rogauit, ſi illa à dæmone liberatio futura non erat eius animæ ſalutaris, iterum Deus dęmonem immitteret in corpus eius, donec reſipiſceret, ſeque à peccatis abſtineret, & malam vitam in bonam commutaret. Hinc poſt aliquot dies obuium habuit illum Medicum, cui dixit,* ò bonè Medice, qui mulierum mederis corpori, ac ſenſualitati, me decepiſti dicens, mulierem illam eſſe bonam, ac deuotam, ſed intellexi eſſe multorum concubinam: ſcias ergo me Deum rogaſſe, vt iterum dęmonem mittat in corpus eius, qui ea torqueat, donec ſe emendet de peccatis ſuis, ac corrigat vitam ſuam. *Qui reſpondit: credo, quòd iam ſit adimpletum id, quod petiſti; quia iam volebam venire ad te inuiſendum, vt iterum eam tuis benedictionibus munires. Ipſe verò ei dixit:* Nequaquam amplius veniam; ſed totam rem Deo reliqui, qui intuetur corda hominum, & omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius. Si verè pœnitentiam egerit peccatorum ſuorum, vitam caſtam ducet, vitauerit omnes occaſiones proximas peccati, ac perſeuerauerit in bonis operibus exercendis, Deus illius miſerebitur, eamque à dæmone liberabit. *Quare cum Iubilæum tunc publicaretur conceſſum à Clemente IX. nunc regnante, mulier prædicta cum illis dictis viris confeſſi ſunt peccata ſua, ac vitam malam correxerunt, pęnitentiamque egerunt de peccatis ſuis. Quæ omnia poſt menſem mihi Medicus ille enarrauit: ſicut & mulierem non amplius à dęmone vexari me admonuit.*

Ex hoc facilè eſt colligere, quomodo Deus maleficia, ac obſeſſiones dæmoniacas permittit, imò quãdoque immittat in homines, ac mulieres, vt ſe corrigant de peccatis ſuis, ac vitam prauam in bonam, ac puram mutent; ac poſtquam eos à dęmone etiam liberauit, iterum permittit dæmoni eos torquere: quia non perſeuerant in bono: propterea ſi ipſi iterum ſe corrigant à vijs peſſimis, ac Deo ſe humilient, eum ſuppliciter exorando, ac in bonis operibus ſe exercendo, ac perſeuerando, Deus illis præſto eſt ſuum diuinum auxilium impertiendo, à malis liberando, vt ſua diuina gratia fulti, tandem gloriam æternam conſequantur.

Verùm pro maiori huius doctrinæ intelligentia vtillimum erit, ſequentes difficultates expedire.

QVÆSTIO VII.

Cur plures, etſi dicant ſe habere fidem aliquid à Deo obtinendi; non tamen in eo poſtulando perſeuerent.

Fiducia, & perſeuerantia ſunt ſibi inuicem coadiutrices.

815 PRo huiuſce difficultatis expeditione diligentiſſimè attendendum eſt, fidem, & perſeuerantiam in benè eſſendo, & conſeruando ſibi inuicem eſſe coadiutrices. Nam ſicut perfectiſſima, ac robuſtiſſima fides ex perſeuerantia in orando prouenit: ita perſeuerantia in orando ex frequentatis fidei, ac confidentiæ actibus originatur. E conuersò ſicut perfectæ fidei defectus ex perſeuerantiæ defectu in actus fidei eliciendo procedit; ità perſeuerantiæ defectus ex fidei defectu tum ex parte intellectus potius practici, quàm ſpeculatiui; tum ex parte exercitij actus potiùs, quàm ex parte ſpecificationis emanat. Quod ita declaro: Fides, quatenus tantùm reuelatæ veritati præbet aſſenſum, & in hoc ſiſtit, ſpeculatiua eſt: quia ſolùm veritati cognoſcendæ, ſeu credendæ incumbit; extenditur autem ad praxim, quando veritatem creditam voluntati applicat, vt ſecundùm illam moueatur, ſeu operetur. Et ita fieri poteſt, vt aliquis in aſſenſu fidei defectum non habeat; neque in certitudine, qua Deum credit eſſe fidelem in ſuis promiſſis; & quòd ex hac parte non ſit inefficax oratio; & nihilominus in applicanda practicè hac veritate voluntati, vt ſecundùm illam cum magna fiducia oret, deficiat; ſicque deficiente obtinendi fiducia, deficiat perſeuerantia in petendo.

Multi habent fidẽ ſpeculatiuam, ſed carẽt practica.

Rurſus quamuis aliquis in habitu credat, & nullum actum, vel dubitationem actualem contrariam certitudini fidei habeat; nihilominus in actuali fide, non quoad ſpecificationem; ſed quoad exercitium eius deficere poteſt: quia nimirum non actu promiſſionem Dei, nec eius veritatem conſiderat; ex quo defectu contingit, vt hæſitet in petendo, ſolùm ad difficulatem, ſeu magnitudinem rei poſtulatæ, vel ad propriam indignitatem attendendo.

Ex hoc duplici defectu intellectus prouenit in voluntate proportionalis defectus in ſpe, & fiducia; nam interdum orantis animus ſpe non erigitur; non quia deſperet; ſed quia ſpem actu minimè exercet: vnde fit vt eius animus fluctuet, & in petendo, ſicut oportet; deficiat. Interdum verò licèt ſpem exerceat: tamen tepidè, & remiſsè, & ideò perſeueranter non petit: vel in ipſamet petitione nimiùm eſt remiſſus, & etiam plus hæſitât, vel dubitat, quàm ſecundùm rectam rationem poſſit, aut debeat: quod totum in imperfectionem, & debitæ fiduciæ defectum redundat; quamuis hæſitatio ſit ſub colore, quòd non ex parte Dei, ſed alijs ex capitibus concipitur: quia debita fiducia illum defectum vincere deberet, ac ſuperare; vt ſupra docuimus *numero* 631. *& ſequentibus*: Ita eruditè docet Suarez *lib. eod. de Orat. cap.* 24. *numero* 8. dicens, fortaſſe hanc fuiſſe rationem, ob quam Apoſtoli non potuerunt liberare illum lunaticum; quia non perſeuerarunt in orando, ideò defecerunt in fiducia. Ex hac ergo cauſa, nempe ex exercitij, & applicationis fidei defectu prouenit defectus perſeuerantiæ in petendo.

Deficiente fiducia firma, deficit perſeuerantia.

QVÆSTIO VIII.

Quantò tempore perſeuerandum ſit in oratione, ac petitione, vt quod petitur, obtineri poſſit.

DIfficultatis huius ratio eſt: quia ex prædictis ſequi videtur, nunquam à petitione eſſe deſiſtendum: quia neque certum tempus deſignatum eſt, nec certus orationum numerus, cui impetratio infallibiliter promiſſa ſit; erit ergo eidem petitioni, ex quo ſemel inchoata eſt, inſiſtendum; nam ſi quis illam omittat: quia eius effectum per multum tempus non videt, eo ipſo in oratione, & in fiducia ad Deum debita deficiet: conſequens autem videtur difficile, ac laborioſum. 816

Ratio dubitandi quæ.

Ad hoc reſpondeo cum Suarez *lib. eod. cap.* 26. *num.* 3. in hoc certam regulam de tempore, aut numero actuum, quo in petitione perſeuerandum ſit, dari non poſſe, quandiu conſtat, non eſſe obtentum id, quod petitur; ſed ſolùm quaſi negatiuè dicere poſſumus, numquam ob diffidentiam, aut animi deiectionẽ, vel quaſi impatientiã eſſe deſiſtendũ.

Nunquã eſt deſiſtendum ab oratione, ſi petitio ſit vtilis ad ſalutem: Vel aliquo modo rationem habeat ad ſalutem.

Vnde ſi oratio pro temporalibus bonis ſit, puta pro ſanitate acquirenda; vel pro dæmoniaca obſeſſione euadenda, aut pro aliquo periculo euitando, vel alio huiuſmodi malo fugiendo; vel bono honeſto conſequendo, interdum ex dilatione temporis in beneficio impetrando, vel ex alijs ſucceſſibus, aut effectibus ſumi poteſt coniectura, Deo pro tunc illa concedere beneplacitum minime eſſe; & tunc ab oratione deſiſtendum non eſt: quia multa Deus citò non dat, quæ diſponit dare poſt longam orationem, vt docent dicti Patres *num.* 314. eò magìs cùm aliquo modo id, quod petitur rationem aliquam habet ad ſalutem. Si verò id, quod petitur, nullam rationem ad ſalutem habeat, tunc poſt longam orationem, qua nihil obtinetur, non eſſe Deo beneplacitum illud concedere, coniecturari poteſt; & tunc à tali petitione deſiſti cum humili ſubmiſſione, & conformitate cum diuina voluntate; ſemper ita nobis expediens fuiſſe credendo; ſicut in vniuerſum faciendum eſt, quando euidenter conſtat, ſecundùm noſtrum deſiderium, & petitionem rem ſucceſſiſſe. Quando verò petitio de bonis eſt ſpiritualibus, non adeò faciliter eſt deſiſtendum: quia talis oratio ſemper per ſe vtilis eſt: tum etiam quia ſemper impetrat, & habet effectum, quamuis nos lateat: vt ſi quis, ver.gr. amoueri à ſe talem tentationem poſtulet, quam nihilominus ſemper patitur, non propterea deſiſtere debet: quia vel fortaſſe propter illam orationem impediuntur aliæ tentationes, quæ magìs noxiæ eſſent; vel etiam ſuo tempore tolletur, quando expediens fuerit, aut ſi durauerit, etiam per talem orationem impetrata victoria perſeuerabit. Conſtat de Paulo Tarſenſe, qui ter Dominum, vt à carnis ſtimulo liberaretur, rogauerat; ſed voluntas Dei non fuit, eum pro tunc à tali tentatione liberari; nihilominus pro tali oratione maximum ei contulit fauorem ei reuelando, quòd gratiam Dei ita vigoroſam poſſideret, vt abſque impatientia infirmitatem tolerare poſſet, & tentationem ſuperare; Et ſic infirmitas, vel tentatio ad augmentum gratiæ ei cederet: Ita Liran. in illa verba: *Sufficit tibi Paule gratia mea*. 2. Cor. 12. verſ. 9.

QVÆSTIO IX.

An diu perſeuerandum ſit in petitione.

817 VIdetur hoc modo, & cum hac conditione quòd ferè fruſtretur tota huius promiſſionis efficacia, & fiducia in illa: quia non obſtante promiſſione, Deus largitionem pro toto vitæ tempore differre poteſt.

Ratio dubitandi.

Reſpondetur falſum eſſe, quòd fiducia in diuina promiſſione per hanc longanimitatem, & humilem expectationem impediatur, vel minuatur: nam potiùs hinc augeri debet fiducia, dum certò ſcimus Deum petitiones noſtras, niſi in bonum noſtrum non differre: *Cum enim voluntas noſtra*, ait Gloſſa in 1. Ioan. c. 5. v. 14. *per ignorantiam à voluntate Dei recedit, bona voluntas Dei noſtram ſtultam corrigit. Quid enim oremus, ſicut oportet neſcimus, niſi ipſe ſuam oſtendat voluntatem, qui meliùs, quam nos ipſi noſtram intelligit vtilitatem:* Sicut etiam interdum petitionum noſtrarum mutat effectum, alium, quem non petimus, concedendo: quia ita expedit, vt benè teſtatur D. Iſidorus: *Creberrimè*, inquit, *non exaudit Deus ad voluntatem; ſed exaudit ad ſalutem.* Nec refert, quòd interdum impetratio per totum vitæ tempus differatur: nam longè maior eſſe debet expectatio in Deum, & multis redditur in fine vitæ, quod in hac vita diſpenſatoriè eſt negatum; vt ait Bernardus *ſerm. 3. de Circum. in fine.*

Lõga perſeuerantia in oratione non minuit, ſed auget fiduciam

Ex longa oratione ſæpiùs cõcedit Deus beneficia potiora, quàm nos petimus.

Conditio quarta ad impetrationem infallibilem requiſita.

818 VLtima conditio adhiberi ſolet, vt oratio pro ſeipſo, & non pro alio ſit; nam pro ſe (alijs concurrentibus conditionibus præmiſſis) ex promiſſione infallibilis impetratio eſt: pro alijs verò hanc certitudinem non habet, etiamſi omnes aliæ concurrant conditiones; non enim ſemper homo pro alio petens exauditur. Ratio eſt, vt ait D. Hieronymus ſuper Ieremiam: *quia fruſtra rogat quis pro alio, cùm ille demeretur, pro quo oratur.* Et iterum Auguſtinus *tract. 73. & 102. in Ioannem*, quem D. Thomas 2. 2. q. 83. ar. 15. & 16 ſequitur, & multi Scholaſtici: *Exaudiuntur*, inquit, *quippe omnes Sancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus: quia non vnicuique dictum eſt:* dabit, *ſed*, Dabit vobis. Ponderat enim, dixiſſe Chriſtum: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabo vobis.* Ioan. 16. Non igitur (infert Auguſtinus) vtcumque promiſſum eſt; ſed pro ipſis petentibus, & non pro alijs. Sicut etiam habetur Matthæi 21. & Marci 11. *Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.*

Quando quis præmiſſis conditionib. munitus orat pro ſeipſo, oratio habet impetrationẽ infallibilem.

Veruntamen hanc conditionem ſuperfluam eſſe putat Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de Orat. cap 27. num. 1. & 2.* Aſſerit enim promiſſionem Dei abſolutam eſſe in alijs locis, vt Ioannis 14. *Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Et alibi Matth. 7. Lucæ 11. *Omnis, qui petit accipit, & qui quærit inuenit, &c.* idcircò vniuerſalem eſſe, ſiue vnus pro ſe, ſiue pro alijs oret. Quam ſententiam docuit Toletus *Ioan. 16. Annot. 30.* & pro ea refert Baſilium *in Regulis breuioribus regula* 261. expenditque verba Ioannis 1. Canonic. cap. 5. verſ. 14. *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos.* Et infra verſ. 15. *Qui ſcit, fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Nam hoc in loco ſignificat Ioannes, generalem eſſe promiſſionem non ſolùm pro nobis, ſed etiam cùm pro fratribus oramus.

Superfluã hanc conditionem putat Suar.

§. I.

EX priori Ioannis ſententia argumentum ſumi poteſt: quia, quando pro fratribus oramus, ſecundùm voluntatem Dei petimus: quia ipſe hoc nobis maximè in Scriptura commendat; vnde eſt illud Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini, multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Sic Paulus nauigans pro incolumitate eorum, qui ſecum nauigabant orauit, vnde Angelus dixit ei Actor. 27. *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum, &c.* Sic & pro Paulo Stephanus, vt conuerteretur, orauit; ideò S. Fulgentius ſerm. de S. Stephano: *Charitatis virtute*, ait, *ſubnixus vicit Saulum crudeliter ſæuientem: & quem in terra habuit perſecutorem, in cælo meruit habere conſortem.* 819

Orare pro fratribus eſt ſecundùm voluntatem Dei.

Ex poſteriori verò Ioannis ſententia argumentum ſumi poteſt: quia (niſi ex parte alterius ſit incapacitas, qualis eſt in eo, qui in peccato obſtinatus eſt) effectus orationis, etiamſi pro alio fiat, promittitur. Eandem ſententiam in re tenet Valentia *in 3. tom. diſput. 6. quæſt. 2. punct. 4.* nam licèt priùs illam conditionem, quam nos poſuimus ponat; ita tamen poſteà obiectioni reſpondet, vt reuera non eſſe neceſſariam dicat. Hoc magis confirmat Suarez loco citato, *Satisfactio enim noſtra*, inquit, *pro alijs præſertim viatoribus infallibilis eſt, cur ergo non erit impetratio, cum in ſcriptura expreſſiùs ſint monitiones, & promiſſiones de iſta, quàm de illa, & nulla peculiaris ratio obſtare videatur?*

Oratio pro alio habet ſuum effectum, niſi ille ſit incapax ad recipiendum.

§. II.

SEd aliqui fortaſſe dicent, orationem pro alio omninò efficacem eſſe non poſſe: quia non ſemper alius, pro quo oramus, idoneus eſt, vt accipiat. 820

At certè ſimili argumento probaretur, vniuſcuiuſque orationem pro ſeipſo infallibilem promiſſionem non habere; nam non ſemper qui pro ſe petit, idoneus eſt ad recipiendum, quod petit; vnde etiam oratio pro ſe ipſo ſubintellectam illam conditionem habet, *niſi ipſe reſtiterit, ſeu poſuerit impedimentum.* Quare argumentum retorquere poſſumus; nam oratio vnius pro alio debitè facta ex parte orantis (ni alter obicem ponat) exauditur, vt planè ſentit Baſilius *in Regulis breuioribus regula 261.* ergo ſeruata proportione promiſſio generalis eſt tam in oratione pro alijs, quàm pro ſe.

Eadem ratio valet pro ip ſo orante

Verum quidem eſt, orantem cum diuina gratia, & per frequentatos fidei, ac Religionis actus, nec non meditationis diuinæ prouidentiæ, ſummæ Dei bonitatis, ac fidelitatis inuariabilis ad impetrandum quod petit, faciliùs quàm alium reddere idoneum, & hac ex parte orationem pro ſe, quàm pro alio magis eſſe certam, ac frequentiùs ſuum infallibiliter obtinere effectum; ſed nihilominus hoc non ad nouam; ſed ad illam generalem conditionem ſpectare videtur, *ſi ille, pro quo oratur, non ponat impedimentum.*

Orans facilius poteſt ſeipſum, quã alium reddere idoneum ad impetrãdum.

Hic vnum commune dubium remanet expediendum.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

An aliquis pro ſe, vel pro alio poſſit abſolutè petere aliquod bonum temporale, & credere ſe illud infallibiliter obtenturum.

821 DVbitandi ratio eſt: quia cum pro bonis temporalibus, *quid oremus, ſicut oportet neſciamus*, vt monet Paulus Rom.cap.8. quomodo quis à Deo abſolutè petere poteſt, vt det ſibi, vel alteri ſanitatem, ſi ignorat, an Dei voluntas ſit illam elargiri? Inſuper quomodo quis abſolutè pro ſe, vel pro altero petere poteſt, vt Deus ſe, vel alium ab inimicis tueatur, ſi credere debet, perſecutiones, & afflictiones ſibi, vel alteri ab inimicis illatas, ſicut & omnia mala pænæ à diuina prouidentia prouenire? vt bene docet Sapientiſſimus Siracides Eccleſ. cap.11.Verſ.14. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt*. Et ſi abſolutè petere nequit, eò minùs credere poteſt, ac ſine vlla hęſitatione confidere ſe tale beneficium infallibiliter à Deo impetraturum. His difficultatibus alteram addo à Drexelio motam de Conformat. volunt.l.1. cap.1.§.5.ſic argumentante: *Si malorum omnium origo eſt voluntas Dei, quid ergo reluctamur? quid morbis pharmaca opponimus? quid hoſti armatos cuneos obijcimus? cur portas non illicò pandimus, & intra mænia recipimus noſtrum exitium? cur non Sanctiſſimum Pontificem Leonem imitamur, & illius vocibus mala noſtra omnia, ſicut ille Attilam, ſalutamus? Salue flagellum Dei?* Si enim tuæ infirmitati medicinas carnales adhibeas, quas certa experientia huiuſmodi contrarias eſſe ægritudini præcognoſcis, nonnè Dei voluntati, à quo talis ægritudo eſt immiſſa, te opponis? Si milites numeras, & arma colligis, quibus ab hoſtibus te tuearis? nonne diuino beneplacito, à quo huiuſmodi hoſtium diuexationes ſunt inflictæ, obniteris?

Ratio dubitandi quæ.

§. I.

822 HIſce, & ſimilibus obiectionibus cum eodem Drexelio loco citato reſpondemus; Decorum eſſe, mi homo, *non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*, vt ait Paulus Roman. cap.12. Bellum, infirmitates, & omnia mala pænę à Deo eſſe, iam res liquida eſt; ſed inferre: ergo hoſti non reſiſtendum; ergo morbis pharmaca non adhibenda; ergo dæmonibus obſidentibus, vel poſſidentibus corpora noſtra non occurrendum; ergo Deus non rogandus, vt huiuſmodi mala tollat, malæ conſequentiæ ſunt; & hoc aſſerere inſanæ mentis eſt. Dicendum ergo, aliud eſſe voluntatem ſigni (cum Theologis loquor) aliud voluntatem Beneplaciti. De illa voluntate Signi per leges nobis explicata vt plurimùm ſatis nobis conſtat; At verò de hac Beneplaciti non item, neque continuè ſcire ſcilicet, quouſque ſe iſta extendat. Nunc ſit pro exemplo *Morbus*. Hic à quauis cauſa procedat, diuinæ voluntatis eſt; neque hac in re quidquam ambigendum. Cum autem ægrotus, quamdiu ſe Deus in morbo vexari velit, ignoret, ſtatim ad voluntatem ſigni, quæ per diuinas ſcripturas ſe manifeſtat, recurrere debet, cum dicat Eccleſ. cap.38. Verſ.9. *Fili in infirmitate no deſpicias te ipſum; ſed ora Deū, & curabit te*: eodem cap. *Altiſſimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Idipſum, ad ſeipſos ab inimicis tuendum, & à cęteris malis eripiendum docet. Hoc tradit in oratione dominicali *quarta, & vltima petitione*, vt latè ſupra demonſtrauimus *num.*780. & 783. ſi ergo voluntas Dei eſt, vt & inimicis reſiſtamus, & morbis remedia adhibeamus, ac cætera pericula caueamus, licitè vtique vnuſquiſque hoſtibus reſiſtere poteſt, & recuperandæ ſanitati quicquid eſt legitimorum remediorum tam ſpiritualium, quàm corporalium adhibere. Sic ergo eſt ratiocinandum: Vult te Deus, mi æger, ægrotare: at quia, an etiam te numquam ſanare velit ignoras, ea de cauſa licitè remedijs vteris: Si autem morbum perpetuari velit pharmacis efficaciam ſubtrahet, ne ſaneris. Et ſicut voluntas Dei eſt, cum ægrotaueris, vt ad Deum confugiendo, ſanitatem petas, remediaque etiam humana adhibeas opportuna, vt conualeſcas: ita Deum ſanitatem tibi infallibiter præſtiturum, ſi animæ tuæ illa fuerit ſalutaris, eſt credendum.

Mala omnia pœnæ nobis inflicta à Deo procedunt.

Non conſtat, Deū velle nos ...

Conſtat Deū velle nos vti remedijs ad mala auertenda, & expellenda.

§. II.

823 QVi ergo Deum erat, ſi pro alio, vt ei conferat ſanitatem, orat, (ſi ille capax ſit rationis,) illum modo ſequenti benè diſponere contendat.

Vt ſanitas ſit ſalutaris, debet æger

Si verò pro ſe ipſo, vt ſanitas ſibi ſit ſalutaris, ſic pariter ſequenti orandi modo ſe diſponat.

Primò ad diuinæ prouidentiæ contemplationem, quæ omnium bonorum fons eſt, & æqualiter cura eſt illi de omnibus, ſe recipiat, dicatque cum Auguſtino: in Pſ.61. medio ferè. *Quod vult Deus, hoc agat: Venit dolor meus, veniet & requies mea. Venit tribulatio mea, veniet & purgatio mea. Nunquid lucet aurum in fornace aurificis? in monili lucebit, in ornamento lucebit: patiatur tamen fornacem, vt purgatum à ſordibus veniat ad lucem. Fornax iſta, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc ſtat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cineres vertitur, à ſordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iuſti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio; vbi me ponit aurifex, tolero. Iubeor ergo tolerare, nouit ille purgare. Ardeat licèt palea ad incendendum, & quaſi conſumendum me; illa in cinerem vertitur, ego ſordibus careo. Quare? Quia Deo ſubijcitur anima mea.* En vera ſubiectio humanæ voluntatis ergo diuinam omnis boni origo eſt. Rectiſſimè dixit pius ille ſcriptor Ludouicus Granat.lib.1. par.2. cap.22. *Non eſt ſacrificium maius, aut Deo gratius, quàm in omni tribulatione ſeſe conformem facere diuinæ voluntatis beneplacito.*

1. Contēplari Dei Prouidētiam.

§. III.

824 SEcundò ad meditationem diuinæ Bonitatis, ac infinitæ Dei liberalitatis confugiat, & quod D. Hieronymus ſcripſit ad Paulam de obitu Breſillæ conſideret: *Bonus eſt Deus*, inquit, *& omnia, que bonus facit, bona ſint, neceſſe eſt*; ideò vt tantæ bonitati, ac liberalitati aliqualiter reſpondeat, cum illo diuinæ voluntatis deuotiſſimo ſcriptore Thoma de Kempis, Lib.3. de Iuſt. Chriſti cap.17. num.1. 2.3. dicat: *Domine, dummodo voluntas mea recta, & firma ad te permaneat, fac de me quicquid tibi placuerit. Non enim poteſt eſſe niſi bonum, quicquid*

2. Meditari diuinam bonitatem.

de me

Eius diuinæ voluntati ſe confor mare.

de me feceris. Si me vis eſſe in tenebris, ſis benedictus, & ſi me vis eſſe in luce, ſis iterum benedictus: Si me dignaris conſolari, ſis benedictus: & ſi me vis tribulari, ſis æquè ſemper benedictus. Domine libenter patiar pro te quicquid volueris venire ſuper me. Indifferenter volo de manu tua bonum, & malum, dulce & amarum, lætum, & triſte ſuſcipere; & pro omnibus mihi contingentibus gratias agere. Hic eſt enim ò Chriſtiane, verus deuotè precandi, ac deuotè agendi modus. *Totius humilitatis ſumma,* ait Bernardus Ser. Quomodo voluntas noſtra diuinę &c. *in eo videtur conſiſtere, ſi voluntas noſtra diuinæ, (vt dignum eſt) ſubiecta ſit voluntati.* Hoc modo conſequenter à Deo remiſſio, & indulgentia peccatorum obtinetur, vt bene docet Ioannes Gailer à Kaiſerſperg de ſpirit. peregrino proprietate 7. *Si te,* inquit, *quotidie ex integro diuinæ voluntati ad omnes illius nutus promptum, paratumque offeras, veniam noxis obtines, tantumque gratiæ mereris, vt poſſis non tantùm inferorum rogos; ſed & piaculares flammas non timere. Sincera hæc tui oblatio ad omnem Dei voluntatem exequendam, pænitentiarum, & indulgentiarum, & eleemoſynarum loco eſt.* Et Ludouicus Bloſius Inſtit. Spirit. cap. 2. *Vnus eſſe,* inquit, *cum Deo voluntatis, id virtutes omnes excellit, & in hoc perfectio eſt.*

§. IV.

825 *3. Conſiderare diuinas promiſſiones, ac fidelitatẽ Dei in illis ſeruãdis.*

TErtiò diuinas promiſſiones, & in illis ſeruandis fidelitatem Dei inuariabilem conſideret; ſic enim per Prophetam Pſalm. 33. iuſtis liberatio à tribulationibus promittitur. *Multæ quidem,* ait, *tribulationes iuſtorum: ac de omnibus his liberabit eos Dñs. Cuſtodit Dñs omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.* Et de ſeipſo ipſemet Dauid ait: *Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Si ergò Deus de tribulationibus, & anguſtijs ſeruos liberare promittit, & de facto liberaſſe eos, veriſſimum eſt, in magnam exurgat fiduciam; ſe ab huiuſmodi infirmitate, vel tribulatione, qua premitur, eripiendum; conſideretque ſæpiùs, quæ dicta ſunt *num. 645. & ſequentibus. Nam hoc totum eſt,* ait Bernardus, In Pſal. Qui habitat ſerm. 15. poſt. med. *hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſaluum fecit. In te ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos: ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.* Sic firmiter credat, quòd Deus ratione ſuæ promiſſionis illi ſanitatem, (ſi ſaluti animæ eius futura ſit ſalutaris) communicabit.

§. V.

826 *4. Proponere ſibi firmiter velle benè vti ſanitate. Ad Deũ laudandum. Ad proximo benefaciẽdũ.*

VT ergo ſanitas poſtulata (quantum eſt ex ſe) ſibi ſit ſalutaris, & conſequenter ſecundùm beneplacitum diuinæ voluntatis ſit, firmiter in mente, ſe velle benè vti ſanitate, proponat, nempè ad Deum laudandum, honorandum, & glorificandum, ac diuinæ miſericordiæ operibus incumbendum, ac pro virili inſudandum, vt Deus etiam ab alijs laudetur, ac nomen ſanctum eius glorificetur; ſic ſanitatem, nedum vt finem proximum, & propter ſe petat; ſed maximè propter aliud, nempe in ordine ad finem vltimum, ad gloriam Dei ſcilicet, & ad beatitudinem conſequendam: itaut coram Deo ſe petere ſanitatem non niſi vt medium ad Deũ laudandum, & glorificandum proteſtetur; ſimul Deum, vt ſuum auxilium tribuat ad benè illa vtendum, deprecetur, aliter ſe ſanitatem nolle, niſi ſimul cum ea huiuſmodi efficax communicare dignetur auxilium. Hoc modo oratio primam conditionem ad infallibilem impetrationem requiſitam habebit: quia res petita bona, & honeſta erit, ac animæ, & corpori ſalutaris.

5. Credere firmiter, Deum ratione ſuæ bonitatis ac fidelitatis, quod animæ eſt ſalutare infallibiliter clargiturum. Si non obtinebit, quod petit, aliquod maius impetrabit

Huic conditioni alteram addere debet, nempe firmiter credere, Deum ratione ſuæ infinitæ bonitatis, ac liberalitatis, necnon ratione ſuæ fidelitatis id, quod ſalutare petitur, liberaliter, ac gratioſè fore elargiturum. Quòd ſi in petendo perſeuerans fuerit, cum illa ſui ipſius in diuina voluntate perfecta reſignatione, ac firma in Deum confidentia, pientiſſimus Deus illi ſanitatem (ſi fuerit animæ illius ſalutaris) impertietur; Si verò pro tunc ſalutaris non fuerit, Deus, qui nullum bonum irremuneratum relinquit, pro illa perſeueranti oratione, humili petitione, ac perfecta in ipſius diuino beneplacito reſignatione; maius aliquod donum, quàm petierit, ei benigniſſimè impertietur.

§. VI.

Hoc probatur oratione Iudith.

HIc orandi modus, & petita infallibiler impetrandi probatur oratione illius conſtantiſſimæ Viduæ Iudith. cap. 8. verſ. 9. 11. 12. 13. *Hæc cum* 827
audiſſet, quoniam Ozias promiſiſſet, quòd tranſacto quinto die traderet ciuitatem, Presbyteros reprehendens dixit: *Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet; ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei.* Verè illi magna increpatione, & animaduerſione digni cenſendi erant; quia terminum quinque dierum diuino adiutorio poſuerant, quaſi Deum cogere vellent, vt intra quinque dies ſuum eis impenderet auxilium: vel quaſi Deum poſſe, ac velle etiam citò ſuum illis præſtare adiutorium non crederent: ſed attendamus modum orandi traditum ab iſta famoſiſſima muliere. *Humiliemus,* ait, *illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato ſeruientes illi, dicamus: vt ſecundùm voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum citò miſericordiam ſuam:* vt legitur in Biblijs vetuſtioribus. Sed bone Deus, quomodo orat hæc mulier? Dic mihi, ò ſapientiſſima mulier, ſi Deum, vt ſecundùm voluntatem ſuam vobiſcum faciat miſericordiam ſuam; & ſecundùm beneplacitum ſuum vobis ferat auxilium, oras, cur dicis, *citò?* Quid, ſi Deus adhuc expectare quatuor, vel quinque dies voluerit, & tunc ſolùm voluntas Dei eſſet, vobis ferre auxilium? ad quid *citò?* Si citò, & immediatè abſque vlla mora de manu inimicorum liberari petis, nonnè hoc eſt ſecundùm voluntatem, ac beneplacitum tuum, & non Dei petere? *Citò* enim tempus adiutorij à voluntate tua præfixum oſtendit.

§. VII.

Fiducia maxima Iudith.

AT ſi attentè, ac deuotè huiuſce mulieris verba 828
contemplati fuerimus, illa vtique ex firmiſſima, ac perfectiſſima fiducia ab ea in Deum conſtituta, quæ illam vtique non fefellit prouenire videbimus: nam immediatè poſt orationem Iudith cap. 10. verſ. 4. *Dominus contulit ei ſplendorem, illique* iuxta petitionem ſuam, qua dixerat in oratione: *capiatur laqueo oculorum ſuorum in me; pulchritudinem*

tudinem eius ampliauit, vt ſtatim captus fuerit in oculis ſuis Holofernes. Sed vndenam tanta fiducia enata fuit in hac muliere? Non aliude, quàm ex ſuo perfectè orandi modo ortum habuit.

Contemplatur diuinā prouidentiā. Primò enim diuinam Prouidentiam, quæ omnia ob bonum noſtrum diſponit contemplata eſt: quia tam rectæ voluntatis eſt Deus, vt niſi quod nobis bonum eſt, non velit: vnde poſtquam tribulationes, quibus Deus probauit Patres ſuos Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſen (per quas Deo placuerunt) repræſentauit, dixit eis: cap. 8. verſ. 26. & 27. *Nos ergo non vlciſcamur nos pro his, quæ patimur: ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia, minora eſſe flagella Dómini, quibus quaſi ſerui corripimur ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eueniſſe, credamus.* Sic in oratione ſua dixit Domino Cap. 9. verſ. 5. *Omnes viæ tuæ paratæ ſunt, & tua iudicia in tua prouidentia poſuiſti.*

§. VIII.

829 NEc ſolùm diuinam prouidentiam meditandam proponit; ſed infinitam miſericordiam inſinuat conſiderandam dicens Cap. 8. ver. 14. v. 15. 16. *Meditatur diuinam bonitatem.* *Quia patiens eſt Dominus: in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus. Non enim quaſi homo Deus ſic comminabitur: neque ſicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur; & ideò humiliemus illi animas noſtras.* En quomodo diuinam pietatem, ac miſericordiam magnificat, nec aliud deeſſe ad impetrandum oſtendit, niſi vt ſe Deo humilient; ſed quid inde? Verſ. 17. tunc *in ſpiritu conſtituti humiliato ſeruientes illi dicamus flentes Domino*: non vt intra quinque dies miſereatur noſtri: ſed *vt ſecundùm voluntatem ſuam*, quæ pijſſima eſt, & ſummè bona, nec in ſe confidentibus ſe denegare poteſt, verſ. 17. *ſic faciat nobis citò miſericordiam ſuam*, immediatè, illicò ſine vlla mora nobis ferat auxilium: ſed eo modo, quo *Verba cōciliatur.* diuinæ voluntatis ſuæ beneplacito magis videbitur conueniens.

§. IX.

830 SEd quod magis, ac magis huiuſce mulieris fiduciam corroborauit, diuinæ fidelitatis, ac veritatis meditatio fuit; omnia enim quæ fecerat Deus *Conſiderat Dei fidelitatem.* pro filijs Iſrael contra caſtra Ægyptiorum conſiderauit, quomodo *tenuit pedes eorum abyſſus, & aqua operuerunt eos*: ac cætera mirabilia, quæ operatus eſt Deus cum patribus eorum: & tandem ait: *Memento Domine teſtamenti tui*, ideſt promiſſionis tuæ ac verbi, in quo nobis ſpem dediſti: cap. 9. ver. 11. *Erige brachium tuum ſicut ab initio, & allide virtutem eorum in virtute tua* cap. 13. verſ. 7. Et cum in proximo eſſet, vt caput Holoferni abſcinderet, ad Deum orans dixit: *Confirma me Domine Deus Iſrael, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum: vt ſicut promiſiſti, Ieruſalem ciuitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te poſſe fieri cogitaui, perficiam.* En quomodo Deo eius promiſſionem repræſentat, & petit, vt faciat iuxta fidem petentis, ſicut ipſe promiſit.

§. X.

831 ET vt petitio ſua infallibiliter impetraret, eam omnibus conditionibus ad impetrationem infallibilem requiſitis cohoneſtare voluit. Ideò licèt *Oratio eius habuit omnes conditiones ad impetrationem infallibilē requiſitas.* petitio ex natura ſua bona eſſet, ac honeſta; nihilominus vt ſalutaris eſſet, illam ad gloriam, & honorem Dei ordinauit, dicens cap. 9. verſ. 18. & 19. *Domine da verbum in ore meo, & in corde meo conſilium corrobora: vt domus tua in ſanctificatione permaneat: Et omnes gentes agnoſcant, quia tu es Deus & non eſt alius Deus præter te.* En prima conditio ad impetrationem infallibilem requiſita! Nec ſecunda caruit, quæ eſt ex fide, & confidentia perecta; dixit enim Ibid. verſ. 17. *Deus cælorum creator aquarum, & Dominus totius creaturæ exaudi me miſeram deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem*, ideſt confidentem. Tertia ſimiliter, perſeuerantia videlicet ornata fuit: dum ait: c. 8. v. 20. *Expectemus humiles conſolationem eius*: & quatriduo orans die ac nocte, nedum pro ſe ipſa; ſed & pro totius populi multitudine iam per humilem orationem, ac ieiunium benè diſpoſiti perſeuerauit: ſic oratio eius omnibus conditionibus decorata à Summo cælorum Opifice exaudita eſt; ac propterea crudelis hoſtis Holofernis capite amputato de inimicis triumphauit; ſe & ſuos ab obſidione redemit; omnemque populum ad Deum laudandum, ac miſericordiam eius, & fidelitatem confitendam hortata eſt, dicens cap. 13. ver. 17. & 18. *Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe: & in me ancillam ſuam adimpleuit miſericordiam ſuam, quam promiſit domui Iſrael, & interfecit in manu mea hoſtem populi ſui in hac nocte: Confitemini illi omnes, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.*

ARTICVLVS V.

De ſignis quibus in rebus omnibus cognoſci poteſt Dei voluntas.

QVoniam perfectus orādi, atque à Deo id, quod petitur, impetrandi modus ex cognitione diuinæ voluntatis maximè pendet, in fine huius capituli ſigna ponere, quibus in rebus omnibus Dei voluntas facilliimè agnoſci poſſit, vtilliimum duxi; quę ex ſequentibus regulis ex Ieremia Drexelio *de Conform. volunt. lib. 1. cap. 4.* deſumptis patefient. 832 *Regulæ, quib. diuina voluntas explorari poteſt.*

Prima regula diuinæ voluntatis cognoſcendæ.

QVidquid abducit à Deo, contra Dei voluntatem eſt: quidquid ad Deum inuitat, ad diuinam ſpectat voluntatem. 1. Theſſal. c. 4. verſ. 3. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtinentis vos à fornicatione, &c.* Itaque *Prima.* ſi quis tale quid in ſe deprehendat, vt fateri cogatur: Hoc officium, hæc ſocietas, hoc mercimonium, hoc viuendi genus me non reddit ſanctiorem; ſed ſenſim, & lentis greſſibus abducor à Deo; ergo nec officium iſtud, nec illa ſocietas, nec mercimonium iſtud, nec iſta viuendi forma diuinæ voluntatis eſt.

Secun-

Secunda Regula.

Secunda Voluntas Dei per legem Dei, & Eccleſiæ luculentiſſimè nobis declaratur. Ideò in omni ambiguitate non tantùm, quid Dei, aut Eccleſiæ leges velint; ſed quid iiſdem magis, aut minùs conforme ſit, eſt quærendum. Chriſtus olim opulento iuueni, qua proxima via ad cælum iretur ſciſcitanti, hunc optimum diuinæ voluntatis interpretem deſignans Lucæ cap.18.verſ.20. *Mandata*, inquit, *noſti?* & Eccliſ. cap.23. verſ.37. Sanè, *nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis Domini*. Hunc ipſum diuinæ voluntatis internuncium Abrahamus Epuloni commoſtrans. *Habent*, ait Luc.c.16.v.29. *Moyſen, & Prophetas: audiant illos*. Ac Diuinus Paulus Roman.cap.12.v.2. *Nolite*, inquit, *conformari huic ſæculo, &c. vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. *Bona* Dei voluntas Decalogo comprehenditur, *Beneplacens*, conſilijs Euangelicis, *Perfecta*, deſiderat à ſe imperata perfici in terra, ſicut in cælo.

Tertia Regula.

Tertia. HÆc à Beato Paulo 1.Theſſal. c.5. v.17. & ſequentibus deſcribitur: *In omnibus gratias agite, hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis*. Primum hic notatu digniſſimum. In rebus gratias agendas, etiam turbatiſſimis, & maximè improſperis. Pulchrè Chryſoſtomus in illum locum dixit: *Paſſus es aliquid mali? Si velis, malum non eſt; Age Deo gratias, & iam malum mutaſti in bonum*. Hoc animi eſt Philoſophici. Priſci Germani optimè liberos inſtruebant, vt ſi quando digitum igne læſiſſent, mox dicerent: *Deo gratias*. Breue, ſed nobile præceptum. Quicquid demum, mi Chriſtiane, te premat, vratue, quicquid affligat, dic centies, dic millies: *Deo gratias*. Addit Paulus Ibidem v.19. *Spiritum nolite extinguere*. Suus ſit diuinis inſtinctibus locus. Non rarò Deus voluntatem ſuam occultis alloquijs explicat, quibus vt verè diuinis tunc tutò creditur, cùm ſolius Dei gloria ſectanda proponitur. Sed & illud Paulus addidit: Ibid.verſ.20. *Prophetias nolite ſpernere*. Diuini voluminis explanationes, ſacras in templis conciones, præſagas fidorum hominum explanationes negligi ab eo minimæ conuenit, qui diuinæ voluntati approbare ſe cupit. Qui audire non vult, non vult Dei voluntatem intelligere. Demum præcipit Paulus Ibid.verſ.22. *Ab omni ſpecie mali abſtinete vos*. Quemadmodum boni nummularij monetam adulterinam aut à tinnitu, aut à ſigno, & inſcriptione norunt, & reijciunt: ita nos quidquid vel tenuem vmbram vitij præſefert, tanquam diuinæ voluntati contrarium abominemur.

Quarta Regula.

Quarta. PRæter Dei, & Eccleſiæ leges, alij quoque diuinæ voluntatis, maximè in rebus dubijs interpretes ſunt. Inter hos Magiſtratus tam politicus, quàm ſacer, ijque omnes, qui alijs legitimè præſunt, cenſendi ſunt: his annumerandi ſunt Curiones, Confeſſarij, Maiores, & Præſides. Cum Saulus iam paratus diuinæ voluntati petere, quæſiſſet: Act.cap.9.v.6. *Domine, quid me vis facere?* non illum Dominus præceptis onerauit, neque illi ſubitò ſcientiam omnem infudit; ſed vt diſcipulum ad Ananiam mittens: Ibid.verſ.7. *Surge*, inquit, *& ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere*. Ananias Paulo diuinę volũtatis paraphraſtes fideliſſimus fuit, ſicut Cornelio Petrus. Ita vult Deus voluntatem ſuam homini ab homine explicari. Hinc illæ tam crebræ admonitiones: Tobiæ cap.4. v.19. *Conſilium ſemper à ſapiente perquire*: Ecclíſ.c.23. verſ.24. *Sine conſilio nihil facias, & poſt factum non pænitebis*, & c.37. verſ.15. & ſequentibus *Anima viri ſancti enunciat aliquando vera* (magis) *quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Et ſic in his omnibus deprecare Altiſſimum, vt dirigat in veritate viam tuam*: vt monet etiam Tobias cap.4. verſ.20. *Omni tempore*, ait, *benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant*. Eccliſ. cap.37. Ergo *cum viro ſancto aſſiduus eſto, quemcumque cognoueris obſeruantem timorem Dei, &c. Et cor boni conſilij ſtatue tecum. Non eſt enim tibi alind pluris illo*. In omnibus igitur dubijs circa voluntatem diuinam à nemine potiùs, quàm à Confeſſarijs, & Maioribus noſtris, quibus aut conſcientiam, aut omnem vitam commiſimus, conſilium eſt petendum. Qua in re vniuersè omnium Dominorum, aut Maiorum, aut Præſidum voluntas (peccantem excipio) Dei voluntas dici poteſt. Quod ergo cuiuſque Dominus, quod Maiores, aut Præſides iuſſerint, non aliter quàm certum diuinæ voluntatis interpretamentum eſt accipiendum. *Superiorum voluntas Dei eſt voluntas*

Quinta Regula.

QVòd ſi conſilium petere, nec tempus permittat, nec locus, diſpiciat homo ſecum ipſe, & omnem dubitationem circa diuinæ voluntatis notitiam facili negotio ſic poterit explicare. Solerter attendat, vtrum è duobus, in quibus hæſitat, voluntati proprię ſit acceptius; quid gratius carnis appetitui; quid exiſtimationis propriæ optabilius. Vbi hoc, quod facilè indagauerit, & ſeriò ſecum actiones ſuas voluntati diuinæ exactiſſimè conformare ſtatuerit, tunc profectò ſecurè illud, quod voluntati ſuæ minùs erit acceptum eliget, quod minùs carnis appetentiæ gratum, quod denique pompæ minùs habuerit, ac ſplendoris. Nam illa electio ad proprię volũtatis, ad carnis, ad exiſtimationis propenſionem cuius meritò nimis quàm ſuſpecta, & errori proxima videri debet; at hoc alterum procliuitati ſuæ plerumque eſt tutiſſimum reluctari: *Dum non facis vias tuas*, inquit Iſaias cap.58.verſ.13. *& non inuenitur voluntas tua*. Sit hoc pro exemplo. Ei, qui maligno, aut frigido eſt ſtomacho, explorate hoc modo ſuaderi poteſt: Id, quod tu maximè appetis, hoc tibi minimè conducit; pepones, cucumeres, fungi, potus intemperanter frigidus, recentes ab horto fructus, & id genus edulij, gulæ irritamenta, plurimùm nocent; quæ tamen non rarò cupidiſſimè ingeruntur. Idem in re propoſita: plerunque quod corporis ſenſibus tam gratum, & ſuaue, ſpiritui noxium eſt; quod humanæ voluntati ſic placet, Deo diſplicet. *Mortificate ergo*, ait Paulus Coloſs.cap.3. v.5. & 6. *membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, &c. propter quæ venit ira Dei*. Ergo *poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere*: (monet Siracides Eccliſ.cap.18.verſ.30.) vt ad Dei voluntatem conuertaris. *Quinta.*

Sexta

Sexta Regula.

Sexta.

QVòd ſi quid planè indifferens, & adiaphorum ſit, vt ſi duo mendici occurrant æquè fortunæ inopes, eleemoſyna tamen non ſuppetat in vtrumque partienda, da cui volueris, animo diuinam voluntatem exequendi; & non errabis. Quòd ſi res adiaphora maioris ſit momenti, conſilijs eſt opus, & precibus. Si verò de vna aliqua, pluribuſue actionibus ſuſcipiendis penitùs non liqueat, quid diuinæ voluntatis ſit, non facilè vlla earum ſuſcipiatur, dum, vtcumque illas diuinæ voluntati non fore contrarias, patefiat. In omni tali deliberatione plurimùm Ratio, & Conſcientia, poteſt, non mali in incerto conſiliarij, qui ſi paulò circumſpectiùs agere velint, facilè, quid melius ſit factu, pronunciabunt. Fieri autem poteſt, vt verecundæ conſcientiæ homo in talem deueniat labyrinthum, in quo ſpiritus, & caro ſic inter ſe luctentur, vt miſer, ne forſan diuinæ voluntati ſe oppoſuerit, trepidare incipiat. Hìc ſolatio ſit, quod nonnumquam euenit Eccleſiaſtæ. Rem ſic explicamus. Concionator pomeridianus videt pleroſque omnes ſuorum auditorum dormientes, turbatur non nihil tot ſibi annuentibus: id talem tolerabilius videtur, quàm ſi totidem impudenter garriant. Itaque ſi duo, treſue non dormitent: ait ipſe ſecum: ſatis id mihi, & eſt cur pergam: vnus pro millibus eſt. Non aliter ratiocinetur quomodocumque turbatus: Modò duo vigilent oculi *Ratio, & Voluntas*. Modò hi vigiles voluntatem Dei obſeruent, ſuſque deque vertantur alia, ego verò inconcuſſus ſtabo, & quamuis diuinos nutus non proximè aſſequar, aſſequi tamen conabor.

Ratio, & conſcientia in incerto non ſunt mali conſiliarij.

Septima Regula.

Septima.

AD diuinam explorandam voluntatem plurimùm valet, cum Paulo rogare Act.cap.9.verſ.6. *Domine, quid me vis facere?* Hic Sanctorum mos eſt, in rebus dubijs, & perplexis confugere ad orationis præſidium, vt olim Moyſes, & Aaron ad fœderis tabernaculum. Et ſicuti cùm nubes adeò ſtipatæ coeunt, vt cælum tonare, ac mugire incipiat, campanæ ad diſſipanda nubila quatiuntur in turribus: ita quotieſcumque ſol diuinæ voluntatis oculis noſtris ſubducitur, vt penè quid faciendum ſit, ignoremus, proximum eſt, cælum pulſare precibus. Ita Saulus à ſubita tempeſtate medijs deprehenſus in campis exclamat: *Domine quid me vis facere?* Hanc precatiunculam ſæpiùs iterandi opportuniſſimum tempus eſt, cùm cæleſte epulum aditur, & Dominicum corpus iam lingua ſuſtinetur, tunc ardenter ingeminandum: *Domine quid me vis facere?* Imò ſub re diuina quotidiè, cùm Euchariſtiam Sacerdos ſupra verticem attollit, hoc omnium ardentiſſimum votum ſit: *Domine quid me vis facere?* A viris Religioſis votorum formulam ſub ſacro quotidiè recitari eſt conſultiſſimum. Iacobus Laines alter à Sancto Ignatio Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis, cunctis diebus ſub Sacri finem poſt Centurionis verba (*Domine non ſum dignus*) Chriſtum manu tenens aiebat: *Placet Domine, quod promiſi*. Ita quibuſcumque alijs, dum cæleſtis panis in alto monſtratur eſt precandum: *Domine ſicut vis, ita & ego volo; quod rectè ſtatui, non reuoco*. Hæc quotidiana ſui in diuinam voluntatem oblatio præclariſſima eſt ad vltimum in morte luctamen diſpoſitio.

Res geſtæ P. Lain.

Octaua Regula.

Octaua.

MOrtalium nemo diuinam voluntatem certiùs explorat, quàm qui ſinceriùs ad illam in omnibus ſe conformare deſiderat. Hoc deſiderium profectò ad omnium labyrinthorum errores extricandos filum eſt: omnis hinc circa diuinam voluntatem ambiguitas tollitur; ſi quis ignoret quidem, quid velit Deus: aut vtrum malit è duobus licitis; ita tamen animo comparatus ſit, vt mente ſinceriſſima dicere poſsit: *Domine, ſi ſcirem, quid tu in hac re fieri à me velles, ego vtique id facerem*. Hac ſponſione facta, liberè, quod volet, faciat, & perturbare ſe deſinat; diuinam voluntatem non facilè offendet. Hunc talem filium amantiſſimus pater non deſerit, nec à ſua voluntate grauiùs aberrare permittit. Si deſit homo, per quem erudiat, Angelum mittit; vt miſit Ioſepho in re graui quid factu foret optimum deliberanti: ita tribus ex Oriente Magis poſt oblatam diuino Infantulo in gramineis cunis adorationem, miſſus Angelus fuit, qui de Herodianis fallacijs ſibi cauere, & alia in patriam via redire edoceret. Sic Abrahami ancillæ Agari, alijſque innumeris ad errores vitandos Angeli, aut Angeli vice, fidi hominis præſidium fuit aſsignatum. Ita Deus voluntatis ſuæ notitiam ſincerè petentibus minimè negat Sap.c.1.v.6. *Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ* huius altiſsimæ omnibus ſeſe, quàm liberaliſsimè impertitur Eccl.c.2.v.13. *Adeſt Deus omnibus exquirentibus ſe in veritate*, & voluntatem ſuam tam mirabili, quàm ſuaui magiſterio ijs omnibus explicat, qui vera ſubmiſsione ſe hic diſcipulos gerunt. Voluntatem Dei optimè noſſe diſcimus faciendo.

CAPVT II.

De Aegroto orante Dominos Cæli, & Terræ.

833 SVB vno inuocationis titulo nobiliſsimas Ieſu Chriſti D. N. & Beatiſsimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ perſonas complectimur; cum illos diuidere æquum non ſit, quos natura, & gratia arctiſsimis vinculis copularunt: vt benè docet Arnoldus Carnotenſis tract. de laudibus Deiparæ: *Vna eſt*, inquit, *Mariæ, & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas; & ex quo dictum eſt: Dominus tecum, inſeparabiliter perſeuerant promiſſum, & donum. Vnitas diuiſionem non recipit, non ſecatur in partes; & licèt ex duobus factum ſit vnum, illud tamen vltra ſcindi non poteſt, & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quam eandem*. Quod etiam ſancta fidelium conſuetudo confirmat, quibus frequentiſsimum eſt, cùm aliqua ſpirituali, aut corporali calamitate iactantur iterata Sanctiſsima eorum nomina inſimul inclamare; ſed præcipuè cùm dæmoniacas patiuntur vexationes contra quas tum Exorciſtæ, tum Maleficiati, aut Arreptitij corde, & ore Ieſu, & Mariæ proferunt nomen, auxilium poſtulantes. Nec immeritò, cum efficaciſsimum ſit remedium; vt ſequentes articuli declarabunt.

Non ſunt ſeparãdi Ieſus, & Maria.

Ideò eorũ nomina ſunt inuocanda.

ARTICVLVS I.

Ieſum Chriſtum D. Noſtrum.

Sanctiſſ. Nominis Ieſu gloriam extenditur ad Angelos.

834 CVM Sanctiſſimum Ieſu nomen, teſte Paulo ad Philipp. 2. ſit ſuper omne nomen, & Chriſto à Patre impoſitum fuerit, vt in eo omne genuflectetur, æquum eſt, creaturas omnes ei honorem, gloriam, & obſequium impendere.

Si quidem Cęleſtes nouum canticum canunt, cùm nomen illud nouum, quod os Domini nominauit, pronunciant, & reuerenti animo immaculato acclamantes ei ſe ſubijciunt; vt dicitur Apocal. 5. *Virtutem, & Diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & gloriam, & honorem, & benedictionem: eò quòd vicerunt in ſanguine Agni.*

Homints

Terreſtres huic nomini genuflectunt; atque illud reuerenter pronunciant: quia, vt ait D. Bernard. *lucet prædicatum, paſcit præcogitatum, lenit, & vngit inuocatum. Nec eſt enim aliud nomen,* ait Petrus Act. 4. *datum ſub cælo hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Et Ioan. 1. cap. 3. *Hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius Ieſu Chriſti.*

Dęmones

Infernales vero hoc reuereri coguntur: cum ſit nomen, de quo Propheta Iſaias cap. 8. ait: *Voca nomen eius: Accelera ſpolia detrahere: feſtina prædari.* Chriſto Domino impoſitum, *qui expolians principatus, & poteſtates,* inquit Paulus Coloſſ. 2. *traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.*

Hinc S. Bernardinus ſerm. 49. Dominica Palmar. ait. *Cum Paulus Apoſtolus raptus fuerit vſque ad tertium cælum, & viderit diuinam eſſentiam, in præfata viſione poſſumus meditari, quòd ipſe, cum viderit glorsoſum Dominum in gloria Dei Patris conſtitutum in cæleſtibus ſuper omnem principatum, poteſtatem, virtutem, & dominationem, & ſuper omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro; ac cerneret illum in tanta gloria ſublimatum, quodam ſpirituali clamore inflammatus, totus ex amore illius exclamauit dicens: Ieſus Ieſus amor meus. Ad cuius nominationem, & clamorem omnes ciues beati genuflexerunt adorantes Ieſum in nominatione illius. In eodem nomine intellexit, quòd in nominatione Ieſu genuflectebant ſe omnes ſpiritus infernales, ac ſic debere facere omnes ſpiritus viatores. Proindè è cęlo rediens, ac prædicta recolens in ſpiritu Dei præcipiens vniuerſis ſcripſit illud verbum:* Philipp. cap. 2. *In nomine Ieſu omne genuflectatur cęleſtium, terreſtrium, & infernorum. Cęleſtes per gloriam, terreſtres per gratiam, & infernales per iuſtitiam ſempiternam.* Hæc S. Bernardinus.

Viſio D. Pauli manifeſtat gloriam SS. nominis Ieſu.

§. I.

Dęmones inuiti honorē huic nomini impēdūt

835 AT quia infernales honorem, & obſequium huic nomini inuitè impendunt; nec niſi reluctantes illud nominari audiunt, nullum adeſt efficacius infernalibus hoſtibus expellendis remedium, quàm deuotè, & reuerenter ſanctiſſimum iſtud nomen inuocare.

In virtute huius nominis Diſcipuli Chriſti dæmones eijciebāt.

Chriſtus hoc Apoſtolis, ac Diſcipulis ſuis remedium contulit Matth. 10. Marci 3. & Lucæ 9. *Cùm dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Quod experientes ſeptuaginta dúo Lucæ 10. *reuerſi ſunt cum gaudio dicentes: Domine etiam in nomine tuo dęmonia ſubijciuntur nobis.* Sed audiamus reſponſum, quòd dedit illis Chriſtus: *Videbam,* ait, *Sathanam, ſicut fulgur de cælo cadentem:* Vbi S. Bernardinus *loco citato articul.* 1. *cap.* 1. loquens in perſona Chriſti: *Nolite,* inquit, *mirari, ſi nomen meum diaboli expaueſcunt, & eos ab homine pellat: cum virtute eius Sathanas cum omnibus Angelis ſuis de cælo expulſus ceciderit ſicut fulgur. Vnde Apocal. 12. Poſt prælium factum in cęlo à Michaele cum Dracone, & ab eodem illa victoria obtenta, eiectoque illo in ſupplicia ſempiterna, exultantes clamauerunt iam beati dicentes: Facta ſalus eſt, & virtus, ideſt ex nominr Ieſu ſaluifica virtus, & poteſtas Chriſti eius.*

§. II.

Omnes Chriſti fideles per fidem in nomine Ieſu poſſunt dæmones eijcere.

HOc ſalutiferum omnibus in ſe credentibus, ac confidentibus pharmacum Chriſtus communicauit, cùm dixit Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dęmonia eijcient.* Vnde Alphonſus à Caſtro lib. 6. aduerſus Hæreſes verb. Exorciſmus: *Dominus aſcendens,* inquit, *in cęlum promiſit, ſe numquam ad inuocationem nominis ſui illis defuturum. Quod autem non ſemper fiat, vt inuocato nomine Ieſu, dæmon egrediatur, minima fides ipſius inuocantis eſt in cauſa. Nam ſi perfectè crediaiſſet, hęc, & maiora feciſſet;* vt pollicitus eſt Chriſtus Ioan. 14. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Confirmat Alphonſus Toſtatus *tom.* 1. *in* 1. *Regum c.* 16. *quæſt.* 41. affirmans in illis verbis ſub ea forma à Deo datis: *In nomine meo dæmonia eijcient,* virtutem, & efficaciam ad expellendos dęmones, quantum eſt ex parte Dei, proculdubio eſſe infallibilem, ſicut in omnibus Sacramentis; vt latè ſupra *num.* 503. 836

Eius virtutem nō poſſūt dæmones ſuſtinere.

Idipſum Eccleſia docet, dum in Sequentia Miſſæ feſti iſtius Sanctiſsimi nominis canit:

Huius nominis virtute
Superborum ſunt deſtructa
Dęmonum potentia.

Nec mirum, cum eius fortitudinem, & virtutem ſuſtinere non poſsint; vt benè Ieremias teſtatur cap. 10. *Magnus es,* inquit, *Domine* Ieſu, *& magnum nomen tuum in fortitudine,* & Regius Pſaltes 110. *Sanctum, & terribile nomen eius. Sanctum* quidem Angelis bonis, & hominibus iuſtis; ſed *terribile* dæmonibus, & viris impijs; vnde Eccleſia eodem loco addit:

Simulachra idolorum
Sunt euerſa: Tyrannorum
Fractę violentię.

§. III.

In dæmonibus eijciendis Apoſtoli hoc nomē vtebātur

HOc facto demonſtrauere Apoſtoli, vt Paulus, qui Act. 16. vnum ex illis in Pytoniſſa garriétem expulit: *Præcipio,* inquit, *tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea; & exijt eadem hora.* Et Petrus, teſte S. Clemente dicebat: *Non curo, quomodo intraueris; ſed vt exeas, impero in nomine Ieſu Chriſti,* & Act. c. 3. illi Claudo ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, exiſtenti dixit: *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Sic S. Ioannes Euangeliſta: *Interdico tibi in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ne vltra hic habites.* Item, *In nomine Ieſu Chriſti hinc exite numquam redituri.* 837

Hoc docent omnes Patres: S. Iuſtinus Martyr *aduerſus Triphonem,* Origenes *contra Celſum li.* 1. Tertullianus *de corona militum ad Scapul.* Cyprianus

Teſtātur Patres eius mirabiles virtutes.

aduerſus Demetriadem. Athanaſius *de Incarnatione Verbi*. Cæterique omnes vnanimiter, qui de hoc Sanctiſsimo Nomine in ſuis ſermonibus, homilijs, tractatibus, vel meditationibus ſunt locuti.

§. IV.

838 HOc praxis comprobat Sanctorum Patrum, qui innumeros Energumenos huius ſalutiferi nominis virtute liberarunt, vt eorum acta teſtantur. Ex quorum multitudine vnicum de S. Bernardo Abbate adducam relatum à S. Bernardino *ſerm. 49. Dominica Palmar.*

Probat praxis SS. Patrum.

Cum Beatus Bernardus Papiam de Mediolano veniſſet, quidam homo vxorem ſuam dæmoniacam ad illum adduxit: tunc diabolus per os eius dicere cæpit: Non me de hac anicula mea hic porrulos edens, & braſſicas deuorans pellet. *Cui ſeruus Dei reſpondit:* Non Bernardus te pellet; ſed Dominus noſter Ieſus Chriſtus. *Mox autem, vt ille orationem effudit, ſpiritus nequam dixit:* quàm libenter egrederer; ſed non poſſum. Non vult enim magnus Dominus. *Cui Sanctus*. Et quis eſt Dominus magnus? Cui ille: Ieſus Nazarenus. *Ad quem vir Dei:* Vidiſtinè vmquam eum? *Quo reſpondente;* Etiam. *Cui iterum ait*: Vbi vidiſti eum? *Et ille ait:* in gloria: *Et Sanctus*: Et tu in gloria fuiſti: *Qui reſpondit*: vtique (*ſed illum fuiſſe in gloria intellige, ideſt, in beatitudine per fidem ſupernaturalem, ſpem, & charitatem inchoata; non autem perfecta, quæ per claram Dei viſionem habetur*) *Cui Bernardus*: quomodo inde exiſti? *Et ille ait*: Cum Lucifero multi cecidimus. *Hæc quidem omnia voce lugubri per os vetulæ omnibus audientibus loquebatur. At illi vir Dei;* Numquid in illam gloriam redire velles? *At ille miro modo cachinnas, ait*: tardè eſt. *Tunc autem viro Dei orante, de muliere dæmon eſt egreſſus. Sed cum D. Bernardus inde abiret, eo iam elongato, iterum diabolus eam inuaſit. Vir autem eius poſt illum currens, quid acciderat, indicauit. At ille collo eius chartulam alligari præcepit, in qua hæc verba conſcripta erant.* In nomine Domini Ieſu Chriſti præcipio tibi dæmon, ne hanc mulierem contingere præſumas. *Quod cum factum fuit, ad eam impoſterum accedere non eſt auſus.*

Exemplū de D. Bernardo.

Docent exorciſtæ

Idipſum omnes Exorciſtæ in ſuis exorciſmarijs teſtantur lucidè, & clarè, præcipuè Carolus Oliuerius Vicentinus *in ſuo Baculo dæmonum c. 3.*

Peccatorum etiam, & operariorum iniquitatis experientia conteſtatur, qui in die Iudicij ouantes dicent Matthæi c. 7. v. 22. *Domine nonnè in nomine tuo dæmonia eiecimus*. Ideò ſæpiſsimè inuocandum eſt tam ab Exorciſtis, quàm ab Energumenis, & maleficiatis exemplo Ioannis noſtri, qui in fine ſuæ ſcriptionis apocalypticæ c. 22. illud deuotè compellit dicens: *Veni Domine Ieſu*: orent & ipſi, vt veniat, & renitentis inferni ſatellitem ſua virtute diſpergat.

§. V.

839 VErùm ad huius Sanctiſsimi Nominis gloriam, & honorem, & cunctorum Chriſti fidelium vtilitatem addimus, hoc nomen non tantùm datum eſſe hominibus, vt credentes in virtute eius dæmones eijciant; ſed vt multa alia mirabilia operentur; ideò poſt illa verba Marci c. 16. *In nomine meo dæmonia eijcient*, ſubiungit Chriſtus: *Linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt*. Quæ verba (relictis moralibus intelligentijs, quibus explicantur à D. Gregorio *homil. 29. in Euang*) dico, in ſenſu literali intelligi, vt ſupra explicauimus *num. 628. 645. & 811.*

Multa mirabilia operā tur in nomine Ieſu.

In primis enim *nomen hoc ſanctiſſimum eſt infirmātium*, ait S. Bernardinus, ſerm. 49. ar. 1. c. 3. *generale remedium*, hoc eſt, contra concupiſcentiæ malum. Nam originali culpa dempta, remanet in nobis concupiſcentiæ morbus, & ægritudinis languor; ideò ad hoc nomen Ieſu eſt recurrendum; qnia, vt ait S. Petrus Rauennas, *hoc eſt nomen, quod dedit cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, & curſum; ſermonem mutis, vitamq́ mortuis, & etiam totam diaboli poteſtatem de obſeſſis corporibus effugauit*. Proindè ſubdit S. Bernardinus loc. cit. *Si qua infirmitas tibi, vel tuis occurrat, non reſpreto remedio corporali, aut naturali, recurre ad inuocationem nominis Ieſu. Sæpe quoque contingit, quòd non poſſunt remedia infirmantibus adhiberi naturalia, vel propter eorum carentiam: vel propter morbi, aut infirmitatis ignorantiam; ſeu quia eſt quaſi irremediabile malum per ipſam naturæ viam; ideò fidelibus eſt recurrendum ad hoc remedium, quo ſerpentes tolluntur, venena non nocent, & infirmitates fugiunt*. Vnde Incognitus in illa verba Pſal. 39. *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius*, ait: *Hæc eſt illa theriaca, de qua dicit Auicenna can. 2. quod eſt ſublimior medicinarum, & melior propter multitudinem ſui medicamenti*, & addit, quòd *illi, qui ea vtuntur, in hora ſanitatis non nocent venena, & ſunt ſecuri ab ægritudinibus peſtilentialibus. Re vera ſic eſt hoc nomen Ieſu, quòd non ſolùm circa præſentia mala; ſed etiam circa futura repellenda, & vniuerſaliter contra omnia mala valet*. S. Bernardus ſer. 15. in cant. confirmat: *Electuarium*, ait, *habes ò anima mea abſconditum in vaſculo nominis huius, quod eſt Ieſus, ſalutiferum certè, quodque nulli vmquam inuenitur peſtilentiæ inefficax*.

§. VI.

HInc S. Mater Eccleſia in ſequentia, quæ habetur in Miſſa celebritatis Sanctiſsimi huins nominis de eo canens ait: 840

Teſtatur Eccleſia.

Fugat morbos, & liuores
Sed & animi languores
Ieſus vbi venerit.

Quod practicè Apoſtoli probarunt. Quot enim ægroti huius Sanctiſsimi Nominis virtute à Petro Apoſtolo, à Paulo, à Ioanne, à Barnaba, cæteriſque Apoſtolis, à D. Franciſco, à D. Antonio à Padua, alijſque Sanctis, & viris iuſtis ſanitati fuerunt reſtituti? Quot claudi, quot cæci, muti, ſurdi, hydropici, paralytici, neruis diſſoluti, varijſque languoribus vexati etiam hoc noſtro æuo, quorum teſtis fui oculatus, hoc Sanctiſsimo nomine ſalutem ſunt aſſecuti? *Quos*, vt ait Propheta Pſal. 105. *ſaluauit Deus propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam. Cum non ſit aliud nomen*, teſte Petro Act. c. 4. *ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat, nos ſaluos fieri*. Quod iam priùs inſinuauerat dicens Ibi. c. 2. *Omnis, quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit*.

Practicè probarūt Sācti, ac probāt in Deū confidentes.

§. VII.

841 SEd quid mirabilius eſt, non ſolùm fideles; ſed & infideles ad huiuſce nominis inuocationē ægrotos ſanaſſe, & miracula feciſſe manifeſtè comprobatur. De S. Dionyſio Areopagita refert S. Bernardinus *ſerm.* 49. *de glorioſo nomine Ieſus* quòd, dum cum D. Paulo per viam diſceptaret, ante eos quidam cæcus tranſibat, ac ſtatim Dionyſius, qui tunc infidelis erat, Apoſtolo ait: *Si dixeris huic cæco: In nomine Dei tui vide, & viderit, ſtatim credam: ſed ne vtaris magicis verbis, ego tibi præſcribo formam verborum dicens: In nomine Ieſu Chriſti de Virgine nati crucifixi, & mortui, qui reſurrexit, & aſcendit in cælum, vide.* Et reſpondens Paulus: *Ad hoc, vt omnis ſuſpicio tollatur, volo, vt eadem verba tu ipſe proferas.* Sic in eadem forma verborum Dionyſius dixit cæco, vt videret, & ſtatim vidit, & Dionyſius in Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum ſe credere eſt confeſſus. Videas modò, quòd Dionyſius, cum adhuc peccator, & infidelis eſſet, ad inuocationem huius Sanctiſſimi Nominis cæcum illuminauit. *Et ſic plerique hoc idem in ſe, & in alijs,* ait S. Bernardinus, *noſtris tēporibus experti ſunt, licèt eſſent peccatores,* vt verificetur, quod de hoc nomine prædictum eſt: Pſal. 105. v. 8. *Saluauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam: & omnis quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Act. c. 2.

S. Dionyſius adhuc paganus inuocato nomine Ieſu cæcum illuminauit.

§. VIII.

842 NEc in infirmitatibus tantùm nomen hoc hominibus; verùm & in aduerſitatibus, ac neceſſitatibus cunctis ſuffragatur. Hac de re B. Laurentius Iuſtinianus de Compunct. & compl. Chriſt. perfect. in Circumc. Domini pag. mihi. 263. relatus etiam à Ioanne Carthagena *lib.* 5. *de Sanctiſs. Nominis Ieſu excellentia homil.* 6. nos hortatur ad Sanctiſſimum nomen cunctis in neceſſitatibus noſtris inuocandum: *Si tentaris,* inquit, *à diabolo, ſi opprimeris ab hominibus, ſi conficeris ab ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi deſperationis agitaris ſpiritu, ſi concuteris formidine, ſi dubietate pulſaris, Ieſu nomen edicito, & repente lumen conſequeris, & gratiam. In arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in ſolitudine, in fluctibus vbicumque extiteris, Saluatoris profer nomen. Inuoca ſalutis nomen, cor, & os ſubitò clamet: IESVS: Speret in Adiutorio Altiſſimi, qui ait* Pſ. 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Et verſiculo antecedenti rationem reddit, cur auxiliabitur clamanti ad ſe dicens: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* D. Bernardus verbis dulciſſimis idipſum ſuadet ſerm. 15. in Cantic. *Cui enim,* ait, *in periculis palpitanti, & trepidanti inuocatum virtutis nomen non ſtatim fiduciam præſtitit, depulit metum? Cui in aduerſis diffidenti, iam iamque deficienti, ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo? Triſtatur aliquis veſtrum? Veniat in cor eius Ieſus, & inde ſaliat in os. Et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? Currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nonnè ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?*

Nomen Ieſu ſuffragatur in cunctis neceſſitatibus.

§. IX.

NEc mirandum ſanè, hos Sāctos Doctores Chriſtifidelibus, vt ſuam in hoc Sanctiſſimo Nomine collocent fiduciam, ab eoque auxilium in cunctis aduerſitatibus, ac neceſſitatibus poſtulent, tam efficaciter ſuadere, cum ipſemet Chriſtus hanc doctrinam, & hoc memoriale illis inſtillauerit, ac ſæpiùs inſinuauerit, præcipuè Ioan. 14. dicens: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam,* & c. 16. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Sed cur toties repetit, vt petamus in nomine eius, & id, quod petitur, ſe largiturum promittit? Non alia vtique de re, niſi quia, dum gratias, fauores, ac beneficia in nomine eius à Deo impetramus, nobis nomen eius laudandi, glorificandi, ac ſanctificandi, id eſt Sanctum confitendi, ac manifeſtandi datur occaſio; ex quo nobis maximum in hoc ſæculo, ac plenum in futuro gaudium enaſcetur. 843

Hoc memoriale Chriſtus nobis tradidit, vt in omni aduerſitate inuocetur nomen eius.

§. X.

QVod, vt adimpleatur, ad hoc præſtandum ſummoperè S. Eccleſia eius Sponſa in prædicta ſequentia miſſæ, quæ celebratur in feſto huius Sanctiſsimi Nominis nos hortatur, dum in ea canit: 844

In aduerſis nomen ſanctum
Inuocetur: Ieſu tantùm
Aderit præſentia.
Præſentia Deitatis:
Et totius bonitatis
Dulcis Ieſus aderit.
Nomen ergo hoc amandum
Toto corde, & adorandum
Omni reuerentia.

Ad hoc nos ipſa hortatur Eccleſia.

ARTICVLVS II.

Beatiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam.

EXcellentiſſimum Mariæ nomen, quod lingua Syriaca Dominam ſignificat, antonomaſticè Sanctiſſimæ Deiparæ conuenire, ampliſſima eius poteſtas, quam in toto Filij regno exercet, probat. Non enim Angelis ſolùm, & hominibus; ſed etiam dæmonibus dominatur, vt ipſa apud ſapientem Siracidem Eccliſ. 24. *Superborum,* inquit, *& excellentium corda virtute calcaui.* Nam quinam magis ſuperbi, & excellentes, quàm ſpiritus, qui ambitioſo, & tumido conatu in cælo diuinam ſimilitudinem aliàs concupierunt? Et quinam excellentes, niſi ijdem, qui in terris ſacrilega, & vana oſtentatione diuinis honoribus coli voluerunt? Hos Maria propria virtute calcat, cum ab initio inimicitiæ inter illam, & hos veteranos angues poſitæ fuerint, vt habetur Geneſ. cap. 3. *Inimicitiam ponam inter te, & mulierem, & ipſa conteret caput tuum.* Nec in progreſſu temporum capita illorum calcare, & conterere ceſſat, cum ſit mulier illa ſublimis Sole amicta, Lunam calcans, duodecim ſtellis redimita, 845

Maria interpretatur Domina. Dominatur dæmonibus.

quæ

quæ tanquam ſignum magnum Ioanni noſtro apparens glorioſos de inſidiante dracone triumphos reportauit; Ideò ad eam conſugiendum eſt, quoties ab hoc hoſte vexamur, eiuſque ſuauiſſimum nomen inuocandum.

Nomen eius inuocandum.

§. I.

846 HOc teſtatur D.Bernardus ſerm. in miſſus eſt. *Dæmones*, ait, *non ſolùm Virginem pertimeſcunt; ſed audita hac voce (Maria) contremiſcunt.* Et ſuper Cantic.Homil. 2. ſup Miſs. eſt. *Vbi nomen Mariæ inuocatur, dæmonum nocumentum effugatur: quia Maria terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Et rationem reddit ſuper illa verba: *Ipſa conteret caput tuum*, ſcribens ſic: *Maria contriuit caput venenatum, quæ omnimodam maligni ſerpentis ſuggeſtionem ad nihilum deduxit.* Confirmat hanc veritatem S.Birgitta lib. 1. Reuelationum cap. 9. *Omnes*, ait, *dæmones verentur hoc nomen, & timent; & audientes hoc nomen (Maria) ſtatim relinquunt animam, quam tenebant.* Conſentit D.Bonauentura in Speculo Virg. cap. 3. Ex D.Bernar. *Non ſic*, ait, *timent hoſtes viſibiles quaſi caſtrorum aciem copioſam, ſicut dæmones Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum: fluunt, & pereunt ſicut cera à facie ignis vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſolicitam imitationem.* Sic Richardus de S. Victore in Cantic. loquens de Maria: *Deterrebat*, inquit, *ſcilicet, dæmones flamma caritatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis.*

Docent Patres.

Et ſi, dum hoc in ſæculo vitam agebat, eos terrebat, quantò magis nunc in cælis apud Altiſſimum coronata, & vt Regina exaltata illos terrefacere eſt iuducandum? Hàc de re S.Germanus *orat. 3. in Zonam Deiparæ*, eam alloquens ſic, ait: *Tu nequiſſimi hoſtis inuaſiones ſola tui nominis inuocatione repellens, tutos, atque incolumes ſeruas.* Vnde concludit Dionyſius Carthuſianus reuelationem S.Birgittæ à Maria Virgine factam referendo, in perſona eius alloquens his verbis: *Nullus*, ait, *in hac vita tam frigidus ab amore diuino, qui ſi inuocauerit nomen meum cum integro propoſito pænitendi, ſtatim ab illo non recedat diabolus.*

§. II.

847 NEc exemplis comprobare hoc opus eſſe dijudico, cum paſſim apud Auctores, plurimos ad eius deuotam nominis prolationem non tantùm vniuerſas dæmonum acies proſtraſſe, ſed multa à Deo eius interceſſione beneficia obtinuiſſe, referatur. Imò quandoque aliquis faciliùs per ipſam fauores, quàm per inuocationem ipſiuſmet proprij Filij legitur impetraſſe; Cuius rei nos mentiri, non ſinit S.Anſelmus lib. de Excellentia Virginis cap. 6. *Velociùs*, ait, *eſt nonnunquam ſalus memorato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Domini Ieſu vnici Filij ſui. Et id quidem non ideò fit, quòd ipſa maior, & potentior eo ſit: nec enim ipſe magnus, & potens eſt per eam; ſed illa per ipſum. Quare ergo propitior ſalus in recordatione eius, quàm Filij ſui ſæpè percipitur? Dicam, quid ſentio. Filius eius Dominus eſt, & Iudex omnium diſcernens merita ſingulorum: dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocato non ſtatim exaudit, profectò id iuſtè facit. Inuocato autem nomine Matris, & ſi non merita inuocantis mereantur, vt exaudiatur: merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiatur: quia eam decreuit ſic honorare, vt ſciant homines, omnia per ipſam obtineri poſſe à Deo.* Ideò S.Bernardus ſerm. de Aſſumptione B. Virginis ad ipſam conuerſus ait: *O Felix Maria, qui te diligit, Deum honorat: qui tibi adhæret, à Deo numquam derelinquetur: qui nomen tuum puro corde inuocat, quicquid poſtulat indubitanter, conſequitur.*

Ieſus aliquando faciliùs inuocato nomine Mariæ, quã ſuo proprio, dona concedit.

§. III.

QVare tum Exorciſta, vt faciliùs dæmonem pellat, & in fugam vertat: tum Energumenus, vel Maleficiatus, vt citiùs à dæmoniaca eripiatur vexatione, tum quilibet alius à quacumque detentus ægritudine, vt priſtinæ reddatur ſanitati: tum quicumque Chriſtifidelis, vt in omnibus ſuis tribulationibus, anguſtijs, ac neceſſitatibus ſecuriùs diuinum mereatur obtinere auxilium, ſæpiùs puro, ac ſincero cordis affectu Mariam inuocet. 848
Si tentationum venti exurgant; ſi dæmoniacarum vexationum fluctus intumeſcant: ſi in tribulationum ſcopulos illidatur, portum reſpiciat, & Mariam inuocare non deſiſtat. In periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs, & in omnibus neceſſitatibus Mariam cogitet. Mariam inuocet: non recedat ab ore, non recedat à corde, vt docet D.Bernar. hom. 2. ſup. miſs. eſt. Sic enim per eius interceſſionem facillimè ab eius Vnigenito Filio impetrabit, ac confidentiam in Deum perfectam impetrabit, qua ſine vlla hæſitatione petens, nedum ſi vexatus à dæmone fuerit, liberari merebitur; ſed quæcumque popoſcerit ſalutaria, obtinebit; & quodcunque dixerit, fiat, fiet ei.

Ab obſeſſis, & ægrotis omnibuſq; Chriſtifidelibus eſt inuocanda.

CAPVT III.

De Aegroto orante hominum Mediatores.

TErribilem, vt caſtrorum aciem ordinatam eſſe Eccleſiam, Diuinus Sponſus enunciat Cant. 9. 849
vt quæ ex innumera Beatorum multitudine congregata potentiſſimum format exercitum in duas quaſi diuiſum partes. Alterum Angelicorum ſpirituum: Alterum Beatorum in Cælo regnantium. Sed eandem Medicorum eſſe congregationem, & medicamentorum officinam, probant Dei per Ieremiam cap. 8. conquerentis verba; *Super contritione filiæ populi mei*, inquit, *contritus ſum, & contriſtatus, ſtupor obtinuit me, numquid reſina non eſt in Galaad? Aut Medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Vbi vides Deum contritum, contriſtatum, & ſtupentem, quòd tanta Medicorum, & medicamentorum multitudine, quibus Galaad ſpirituale abundat, infirmitates humanæ ſanatæ non fuerint, & vulnera noſtra ligata.

Mediatores hominum sũt Angeli, & Sãcti.

Nec immeritò. Nam quotquot Angeli, & Sancti in Eccleſia reperiuntur, militum, & Medicorum officio funguntur. Militum, vt contra dæmones pugnent, & ſequaces eorum maleficos, & peccatores, qui nos perſequuntur, deprimant. Medicorum, vt morbos curent, maleficia ſoluant, & dæmoniacas infeſtationes ſanet. Ex quo illorum opem ægroti ſæpiùs implorare tenentur, quam libentiſſimè præbent, quoties noſtris precibus excitantur; vt ſequentes articuli declarabunt.

Militis, ac Medici munere fungũtur.

AR-

ARTICVLVS I.

Angelicos ſpiritus.

850 *Angeli ſuperiores varia exercent miniſteria in ho minū obſequium.*

QVamuis primarium Angelorum ſtudium ſit, cōtinuis Diuinam Maieſtatem proſequi laudibus, & famulantium more ad eius thronum aſtare, vt Ioannes noſter Apoc. 5. demonſtrat; tamen varia obſequia hominibus exhibere, illos protegendo, & ſanando non dedignantur. Hoc in principibus primis videmus, qui vtrumque officium libentiſſimè exhibent. Michael Anteſignanus cum dracone pugnat in cælo Apoc. 12. & cum eodem in terra luctatur (vt Iudas in ſua canonica refert) cum illo de Moyſi corpore in Iudæorum beneficiū decertando. Raphael vnus de principibus primis ſplendidi iuuenis formam aſſumens, iuniorem Tobiam in Rages deducit, à piſce liberat, & opibus onuſtum in domum reducit; Saram eius vxorem à dæmonio liberat; & ſeniori Tobiæ viſum reſtaurauit. Ex quo primus generoſi militis: Secundus verò peritiſſimi Medici nomen aſſumpſit. Nam Michael *quis vt Deus* ſignificat. Raphael verò *medicina Dei*.

§. I.

851 *Angeli inferiores in neceſſitatibus homi nib. occurrunt.*

QVòd ſi hæc militaria, & medicinaria officia tanti duces, & principes præſtare non dedignantur, quid inferiores Angelos facturos putamus, ſi illorum opem in dæmoniacis pugnis, in infirmitatibus, ac cunctis neceſſitatibus inuocemus? Nonnè vnicuique noſtrum occurrent, vt alteri Iacob de Meſopotamia redeunti, & ſe ad bellum contra Eſau accingenti, cui obuiam fuere quaſi belli duces, & comites? Vnde nomen loci illius *Mahanaim*, ideſt, *caſtra* appellauit Geneſ. 32. Aut vt alteri Eliſæo, ad cuius cuſtodiam, cum à Rege Syriæ quæreretur, Spiritus illi beati in ignitorum equitum forma venerunt 4. Reg cap. 6. Quod viſio Abbati Moyſi exhibita probat: Nam vt in vitis SS Patrum refertur §. 9. cum à diabolo vexatus Abbatem Iſidorum remedium petiturus aduenifſet, nec poſt longos de rebus ſpiritualibus ſermones quieſceret, Iſidoro iubente, cellulæ ſuperiora conſcendit, & oculos ſuos peruoluendo primò ad occidentem innumerabilem dęmonum multitudinem, qui cum furore præparabantur ad prælium inſpexit: tum vultum ad orientem conuertens Angelorum ſplendentem ſine numero turbam tanquam cæleſtium virtutum exercitum vidit: *Ecce*, inquit Iſidorus, *qui ad occidentem ipſi ſunt, qui nos impugnant, qui verò ad orientem hi ſunt, quos in adiutorium noſtrum mittit Dominus*. Quibus viſis, & auditis turbatus Moyſes eſt confortatus.

Moyſes Abbas viſiones dæmonum, & Angelorum fugat vexationem.

§. II.

852 *Hoc probant ſacra ſcriptura interpretes Ex cantico Debbora.*

HAnc veritatem faſſa eſt ſapientiſſima illa, ac prudentiſſima mulier nomine *Debbora propheteſſa, quæ iudicabat populum in illo tempore*, vt habetur Iudicum cap. 4. Poſtquam enim filij Iſrael de Siſara duce exercitus Iabin Regis Chanaan, à quo viginti annos fuerant oppreſſi, victoriam reportaſſent, Debbora cum gaudio, & lætitia cecinit inter alia dicens Iudic. cap. 5. *De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnarunt*. Sed quomodo de cælo dimicatum eſt? An fulmina, vel ſagittas ignitas omnipotens Deus ab æthere in eos vibrauit? An Sol & Luna influxus in eos malignos, & noxios, vt illos interimerent, emiſerunt? Quomodo enim ſtellæ aduerſus eos pugnauerunt? Nonnè Siſaram interfecit Iahel vxor Haber Cinæi, quæ ſupra capitis eius tempora dormientis clauum abſconditè, & cū ſilentio impoſuit, adeòque malleo defixit in cerebrum, vt humi conclauatus iaceret, qui ſoporem morti ſocians defecit, ac mortuus eſt? Quænam ſunt huiuſmodi ſtellæ, quæ aduerſus Siſaram pugnauerunt? Iacobus Aluarez *lib. 1. de victoria tentat. part. 3. cap. 6.* eruditè: *Cælum*, inquit, *contra aduerſarios noſtros pro nobis dimicat, quando auxilia, quæ nos tuentur, quaſi fulgura, & grandinum lapides in eos iactat*. Vbi apertiſſimè Iſraelitas ab Angelis liberatos fuiſſe de manu inimicorum ſuorum oſtendit. Idcircò Debbora, ac Barac cecinerunt: *De Cælo dimicatum eſt*, ideſt, auxilium Dei deſcendit ſuper nos, & *ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo*, Angeli, nempe, diuinam contemplantes eſſentiam, eàque fruentes, nec vnquam ab eius viſione, ac fruitione deficientes *aduerſus Siſaram pugnauerunt*, eumque cum ſuo exercitu contriuerunt, & ad nihilum redegerunt. Cui veritati ſe Rupertus Abbas adſcribit ſuper Iudicum cap. 5. dicens; *Angeli manentes in ordine, & curſu ſuo pro hominibus pugnant, cùm dæmones in nos inſurgentes fugant, & terrent*.

§. III.

APertè hac protectione Angelica munitus fuit Iudas ille Machabæus dux populi Iſraelitici, 853 *Ex Iuda Machabæo.*
de quo 2. Machabæorum cap. 10. habetur. Hic, cum aduerſus innumerabilem exercitum cum paucis militibus prælium eſſet commiſſurus, priùs aſſidua oratione ſuppliciter vnà cum ſuis militibus Deum eſt deprecatus, in eo omnem ſuam fiduciam conſtituendo. Propterea *cum vehemens eſſet pugna apparuerunt aduerſarijs de cælo viri quinque in equis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum incolumen conſeruabāt: in aduerſarios verò tela, & fulmina iacebant, quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant*. En angelicam protectionem tutiſſimam pro ijs, qui in Deum ſuam conſtituunt fiduciam; nec non ad Angelos eius miniſtros in ſuis neceſſitatibus cōfugiūt.

Hæc namque eſt Dei promiſſio ijs, qui in adiutorio Altiſſimi habitant; vt teſtatur Propheta Pſal. 90. dicens: *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*. Quæ verba Felix ſic legit: *Præcepit Deus Angelis, vt illos ſuis in itineribus, & actionibus, quas ſecundùm Deum agere inſtituunt, dirigant, tutenturque, ac veluti manibus adeò inoffenſè gerant, vt ne vel leuiter quidem in lapillum illorum impingere queat pes*. Titelmanus in eadem verba: *Ipſe enim* (inquit) *tui ſolicitam curam gerens, mandatum, præceptumque dedit angelicis ſpiritibus miniſtris ſuis, de tua diligenti, & firma cuſtodia: videlicet, vt te diligenter cuſtodiant, atque obſeruent in omnibus vijs tuis, quocunque perrexeris, vt in omnibus actionibus, ad quas volueris manus extendere, aſſiſtant tibi; teque ita obſeruent in omnibus vijs tuis, quocunque perrexeris, vt in omnibus actionibus, ad quas volueris manus extendere, aſſiſtant tibi: teque ita obſeruent, & illuminando, perficiendoque dirigant, vt in nullo à via recta deuies, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinans, neque ab vlla aduerſariorum poteſtate*

Hoc promittit Deus in ſe confidentibus

te pa-

te patiantur nocumentum accipere, ita videlicet angelicos ſuos miniſtros tibi adminiſtratorios, & cuſtodes conſtituens. quomodo ſolet pater filio vnicè dilecto aſſignare cuſtodes, ſuiſque miniſtris ſolicitiſſimè mandare de filij obſeruatione, atque cuſtodia. Poſtea ſubiungit ſuper illa verba, *in manibus portabunt te*, dicens: *Atque hi adminiſtratorij ſpiritus. accepto hoc Dei mandato, ſolicitiſſimè, perfectiſſimèque iuſſa complere ſatagent, teque fideliſſimè omni cura, & ſtudio cuſtodient; ita vt quaſi in manibus te portent per viam, quam ambulare volueris, in cunctis actionibus tuis, ita tibi ſuo adiutorio aſſiſtendo, ita manifeſtum præſtando auxilium, vt in vlnis te geſtare videantur.*

§. IV.

854 Hoc probant eruditiſſimè Patres: Auguſtinus Soliloq. lib. vn. cap. 27. de Angelis deputatis. *Hi ſunt*, inquit, *ciues beatæ Ciuitatis ſupernæ Ieruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, vs liberent eos ab inimicis ſuis, & cuſtodiant in omnibus vijs ſuis.* Beda Venerabilis ſuper Lucam: *Quoniam*, ait, *immundi ſpiritus ad pacis euerſionem vbique verſantur, ad tutelam noſtram cōſtituit Deus exercitus Angelorum, quorum præſentia dæmonum confringatur audacia.* D. Baſilius in pſal. 33. ſimili perpolito: *Quemadmodum*, inquit, *Vrbium muri vndequaque hoſtium inſultus arcēt propulſantes hoſtiles incurſus: ſic etiam Angelus & à tergo, & à fronte cuſtodit te; & ne vtriuſque lateris partes incuſtoditas relinquat, Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: quoniam Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* D. Chryſoſtomus apertè ſuper c. 21. Matthæi hoc demonſtrat loquendo de vinea illa, quam plantauerat pater familias: *Quid eſt ſepis*, inquit, *niſi Angeli in circuitu cuſtodientes populum Dei, ne in vineam Chriſti inuiſibiles latrones irrumpant*, & *homil. 40. ibi in opere imperfecto* ait: *Hi ſunt cuſtodes ſuper muros ciuitatis tuæ Ieruſalem cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem tuum, ne quando rapiant vt leo animas noſtras, dum non eſſet, qui eriperet.* Et B. Laurentius Iuſtinianus de ſpirituali animæ reſurrectione Poſt medium lib. 2. pag. mihi 361. *Dæmones*, ait, *arcent Angeli, ne ad libitum noceant. Quis (quæſo) niſi angelico fultus eſſet auxilio, tam immaniſſimorum hoſtium valeret ſuperare rabiem, effugere laqueos, tentationes vincere, fraudeſque detegere? Cuſtodia ſiquidem ſua vias noſtras ſapiunt, ne in lapidem offenſionis petram ſcandali ſpiritualem animæ impingamus pedem.*

Teſtatur Patres.

Ex quibus omnibus luce meridiana clarius eſt, Angelos noſtros cuſtodes milites eſſe robuſtiſſimos, quibus Deus mandauit, vt nos die, noctuque cuſtodiant, atque ab inimicis noſtris inuiſibilibus, ac viſibilibus, cæteriſque periculis animæ, & corporis obſeruent, ac tueantur.

§. V.

855 Sed & iuremeritò Medici ſunt dicendi: ipſi enim magis ſunt ſoliciti, ac potentiores in infirmitatibus noſtris ad nobis præſtanda beneficia, quàm dæmones ad maleficia inferenda: Ratio eſt: tum quia Angelus bonus, qui naturæ ordine inferior eſt, præeſt dæmonibus etiam ordine naturæ ſuperioribus; quia diuinæ iuſtitiæ virtus, cui boni Angeli adhærent, naturali Angelorum virtute multò eſt potentior, atque ita potentiùs operatur: tum quia ſolicitior eſt circa cuſtodiam, qui ex ea commodum, quàm qui pœnam conſequitur; Angeli autem boni ex bonorum cuſtodia gaudium accidentale aſſequuntur: & mali Angeli ex malorum damnatione maiorem pœnam accidentalem ſibi promerētur: ergo, &c. Ita teſtantur Alexander Alenſ. *de Angelis quæſt. 41. mem. 6. art. 2.* S. Thom. *3. p. q. 113. art. 7.* S. Bonau. *in 2. d. 11. art. 2. q. 2.* Ioſeph Angles *ibi quæſt. vnica de Angelorum cuſtodia diffic. 15. & 16.* Propterea ſi dæmones ad Magorum, Maleficorum, ac Strigarum nutum corporibus humanis varia ingerunt nocumenta, vt ſupra docuimus *à numero 543. vſque ad 571.* è conuerſò Angelos beatos ad Beatiſſimæ Virginis nutum, Sanctorum, ac Seruorum Dei, (Deo ſic volente, ac præcipiente) nedum animabus, ſed & corporibus humanis varia afferre commoda, malos, ac noxios ſæpiùs ab illis expellendo humores; & ſalubres, ac proficuos excitando, cicatrices, ac vulnera ſanando; & à diuerſis ægritudinibus liberando, quis dubitabit? Vnde benè de illis ait Petrus Bleſſenſis in ſerm. de Angelis. *Tanquam Medici maiorem ſolicitudinem infirmis impendunt, quàm ſanis.* Verùm hic nobis occurrit dubitatio.

Angeli ſunt Medici magis ſolliciti nobis beneface re, quia dæmones malefacere.

QVÆSTIO VNICA.

Cur igitur tot homines iuſti vexentur, & quandoque à dæmonibus ſuperentur, licèt ab Angelis protegantur.

856 Dvbitandi ratio ex præcedenti doctrina ſumitur: Nam quicquid dæmones circa hominem efficere poſſunt, & boni Angeli multò perfectiùs, & potentiùs, & pleniùs præſtare poſſunt, cum ipſi magis ſoliciti, ac potentiores ſint dæmonibus: cur ergo homines non protegunt?

Reſpondetur ex defectu cuſtodię hoc non prouenire. Et ratio eſt: quia ſi obſtinatos peccatores totaliter minimè deſerunt, vt Theologi communiter fatentur; multò minus bonos derelinquent. Cæterum hoc accidit: vel quia nos illos repellimus, dum eorū conſilijs, & internis motionibus non acquieſcimus; cum ſupra noſtram arbitrij facultatem non poſſint: vel quia circa nos tantùm pro viribus agunt quantum eis ex iuſtitiæ, & prouidentiæ diuinæ ordine eſt permiſſum. Hinc ſi eorum conſilia admitteremus, eiſque quotidie & animam noſtram, & corpus noſtum, omneſque noſtras actiones, & operationes deuotè, ac ſuppliciter commendaremus, à Deo permitteretur, vt ſecundùm vltimum ſuæ potentiæ ad illuminationem, iuſtificationem noſtram, ac defenſionem, dæmonumque expulſionem agerent, ac paruo temporis ſpatio quantumcumque peruerſos, & malos ad veritatis agnitionem adducerent, in amorem virtutis excitarent, & inflammarent, nobiſque plura beneficia tam ſpiritualia, quàm corporalia à Deo impetrarent: Ita etiam teſtatur Ioſeph Angles *Flor. Theol. qq. in 2. d. 11. quæſt. eadem, diffic. 17, dub. 7.*

Ratio difficultatis quia Angeli nō ſemper dæmones totaliter repellunt; quia eis nos ipſos quotidie non commendamus.

Quare Exorciſtæ generoſos hos milites, Energumeni, Maleficiati, & Ægroti peritos hos Medicos, & in quacumque neceſſitate conſtituti diligentiſſimos, ac validiſſimos hos tutores inuocare non ceſſent. Cuſtodes præcipuè, qui inimici dæmonis cum ſint, & hominis ſuæ curæ concrediti amici, libenti animo, & robur Exorciſtæ, & ſalutem ægro confe-

Ab omnibus Angeli ſunt inuocādi

conferunt, & cuicumque fideli Chriſtiano ſuam tutelam impendunt, ſi deuota mente, & ſedulis precibus inuocentur.

ARTICVLVS II.

Beatos in Cælo regnantes.

857 *Sancti imitātur Angelos in charitate erga homines.* SI Angelorum ſortem conſecuti ſunt Sancti, quotquot agunt triumphos in cælis, illorum etiam actus, & aſpectus imitantur erga homines, quibus ſe milites, & Medicos exhibent, vt indicare videtur Ioannes Apoc. 5. cùm eorum choros deſcribendo aſſerit, *illos tenere citharas, & phialas aureas odoramentorum, &c.*

Citharas, vt cantent canticum Domini, cuius viſione lætantur, beatificantur amore, & poſſeſſione delectantur: Et cantando non ſolùm eius laudent Maieſtatem; ſed etiam contra aduerſarias poteſtates pro hominibus prælientur. Laudes enim à Sanctis emiſſæ non ſolùm citharæ ſunt; ſed etiam gladij: vt teſtatur Dauid Pſal. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Vnde S. Baſilius homil. 2. de Sanctis Martyribus ait: *Hi ſunt, qui quaſi quædam turres contra aduerſariorum incurſum refugium nobis exhibent: O ſacrum chorum, ò communes generis humani cuſtodes, qui apud Deum potentiſſimum legati aſtra mundi ſunt, & floros Eccleſiarum!*

Sancti dicuntur gladios habere ad nos tuendū contra inimicos.

§. I.

Phialas tenēt vt nobis benefaciāt

PHialas verò, vt hominibus beneficia conferant, cùm ſint odoramentorum, & medicamentorum ſpiritualium plenæ, quibus vniuerſæ ſanantur infirmitates. Nam quiſnam tam grandis, & inueteratus morbus hominem obſidet, ac cruciat, qui Sanctorum precibus non abſcedat? Hoc in ſeipſa comprobauit experientia S. Agatha Virgo, & Martyr, cui, cùm Quintiani Prætoris iuſſu fuiſſet mamilla amputata, ſequenti nocte in carcere exiſtenti quinam ſenex apparuit, ſanitatem ei ſe offerens largiendum. Cui Agatha dixit: *Quis es tu, qui veniſti ad me curare vulnera mea? Ego ſum*, inquit ille, *Apoſtolus Chriſti, nihil in me dubites filia: Ipſe me miſit ad te, quem dilexiſti mente, & puro corde. Nam & ego Apoſtolus eius ſum, & in nomine eius ſcias te eſſe curandam.* Quæ ſanitate accepta, ac mamilla ſibi reſtituta, ſtatim Deo gratias referens dixit: *Benedico te Pater Domini mei Ieſu Chriſti: quia per Apoſtolum tuum mamillā meam meo pectori reſtituiſti. Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte: quia memor es mei, & miſiſti ad me Apoſtolum tuum curare vulnera mea.* Sic etiam videmus ſæpiſſimè ante Sanctorum imagines, & eorum reliquias cæcos videre, ſurdos audire, mutos loqui, ſanari ægros, energumenos liberari,

Sanitas collata D. Agathæ à S. Petro.

Quam veritatem inter multa exempla vetera, & moderna, quibus comprobare poſſem, vnicum referam de gratia ſanitatis conſecuta modo non ordinario à Domino Philippo Braſio meo familiari interceſſione S. Nicolai Epiſcopi Barij, vt idem mihi, & voce, & ſcripto teſtatus eſt dicens:

Cum ego Philippus filius q. Ioannis Braſij de Rouetta Diæceſis Bergomenſis Venetiarum incola anno Domini 1654. lectulo decumberem febre continua detentus tam graui, quòd potentiarum intellectiuarum, atquè apprehenſiuarum vſu eſſem quaſi expers, mihi memoriæ occurrit, in domo me habere vaſculum mannæ, quæ miraculosè egreditur ex genu S. Nicolai de Bario, & ſtatim quæſiui, vt illam mihi deferrent; ſed nolui illam bibere donec pulſarentur campanæ pro mattutino recitando in Eccleſia ducali S. Marci, quod factum eſt poſt circiter duas horas. Tunc ergo Iacobina vxor mea genuflexa recitauit deuotè ter Pater noſter, &c. ac ter Aue maria, &c. mihi ſuadens, vt idem adimplerem; ſed propter vehementiam afflictionis, qua angebar, nec vnicum verbum potui proferre; nihilominus in corde firma fide, ac certa fiducia in Deum munitus eram, ità quòd indubitanter confidebam, interceſſione S. Nicolai prædicti à Deo me liberandum fore ab huiuſmodi graui ægritudine. Recitatis ergo ab vxore mea ter Pater, ac ter Aue Maria præbuit mihi dictam Mannam, quæ vix tetigit labia mea, quòd ſtatim liber permanſi ab illa graui ægritudine, viſumque mihi fuit corpus meum magno quodam pōdere exonerari. Quare aduenientes Medici obſtupuere de tali repentina mutatiōne: quibus gratiam ſanitatis à Deo acceptam interceſſione S. Nicolai enarraui. Anno autem 1661. Barium petij ſacrumque audiui ad Altare dicti Sancti, vidi corpus ipſius, ac genu, ex quo egreditur illa manna, quæ guttatim cadit in pollubrum, ex quo continuè diuerſa vaſa extrahuntur, & quando pollubrum eſt plenum, ceſſat manna fluere ex genu. Gratias ergo retuli Deo meo, ac illi Sancto pro beneficio accepto; ſicut nunc & ſemper quas poſſum, gratias refero Deo meo, ac Domino meo Ieſu Chriſto, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, ſicut & in omnibus operibus ſuis laudabilis in ſæcula.

Sanitas collata Philippo Braſio interceſſione S. Nicolai

Quare tam ab Exorciſtis, quàm Maleficiatis, & Ægrotis, & in quacumque neceſſitate conſtitutis, iteratis precibus, eorum ſunt imploranda ſuffragia, quorum præcipuè ſpecialis honor in ijs locis habetur, in quibus ægroti habitant: vel qui ob ſpeciales fauores exhibitos peculiari honore celebrantur, vt ſunt patroni locorum, & perſonarum, quorum omnium erga nos pietas maxima viget; ideò ad eorum protectionem confugiendum nos Petrus Damianus hortatur ſerm. in feſto Omnium Sanctorum dicens: *nec nos deterreat enormitas peccatorum: quia maior eſt illorum pietas, quam impietas noſtra.*

Ab Exorciſtis, & Ægrotis Sācti inuocandi.

Verùm, vt doctrina hæc de Sanctorum inuocatione clariùs, ac perfectiùs nobis innoteſcat, ſequētes ſunt quæſtiones expediendæ.

QVÆSTIO I.

An Sancti tàm homines, quàm Angeli licitè à nobis ſint orandi.

RESpondetur, certum eſſe de fide, Sanctos tàm homines, quàm angelos iam beatos nedum licitè, ſed vtiliter, & ſanctè à nobis orari, ſi talis oratio debita intentione, ac modo (vt ab Eccleſia, & eius membris recta fide vtentibus fieri ſolet) exerceatur. Hæc veritas probatur primò ex vſu Eccleſiæ, quæ columna, & firmamentum veritatis eſt, 858

Homines Sanctos iam beatos, & Angelos

quæ

certo modo vtiliter, & ſanctè à nobis orari poſſe, fides Catholica docet.

quæ ad certam fidem illius faciendam ſufficiens eſſe debet. Propter quod dixit Auguſtinus Epiſt. ad Ianuarium, *Inſolentiſſimum eſt contra vniuerſalem Eccleſiæ praxim diſputare*. Hæc nihilominus veritas fundamentum habet in ſcriptura, nam ex illa Sanctos Angelos orare pro nobis, & orationes noſtras Deo offerre intelligimus. *Tobiæ* 12. *& Apocal.* 8. Vnde non immeritò idem eſſe officium hominum Sanctorum colligimus; ex quo Angelis quoad beatitudinis ſtatum aſſimilantur. *Matthæi* 22. *Lucæ* 20. *& Apocal.* 21. Vnde quia veteris legis tempore homines iuſti ad beatitudinem vſque ad Chriſti mortem non admittebantur; ideò in veteri Teſtamento non legimus conſuetudinem fuiſſe Sanctos mortuos illo tempore exorandi; quamuis quoſdam fideles orationes aliorum viuentium petere ſolitos fuiſſe legimus, quæ etiam in nouo Teſtamento (vt infra dicemus *n.* 862.) commendantur.

Ab Eccleſia hoc eſt definitum.

Secundò hæc veritas ex definitionibus Eccleſiæ habetur: nam in Concilio Gangrenſi, *cap.* 20. conuentus, & oblationes, quæ ad Martyrum memorias fiunt, approbantur, in quibus vel expreſsè, vel virtualiter orationes ad Martyres continentur. Et ob id in Concilio Niceno ſecundo *Actu ſexto* fit inuocatio ad ſanctiſſimam Virginem, & alios Sanctos; quod etiam in alijs Concilijs frequens eſt; & in multis Concilijs Litaniæ, quæ expreſſam, & ſpecificam Sanctorum inuocationem continent, approbantur: vt in Concilio 1. Aurelianenſi *cap.* 29. in Concilio Gerundenſi *cap.* 3. Bracharenſi 11. *cap.* 9. Toletano 5. *cap.* 1. Toletano 6. *cap.* 2. Lugdunenſi, & Moguntino *cap.* 32. de quo videri poteſt Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Oratione cap.* 9. *numer.* 24. Ac tandem Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. decernit *retinendum eſſe Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum à primæuis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum conſenſionem, & Sacrorum Conciliorum decreta de Sanctorum interceſſione, & inuocatione*. Hanc autem Sanctorum conſenſionem latiſſimè Bellarminus oſtendit *lib.* 1. *de cultu Sanctorum cap.* 15. *& ſequent.* Videri poteſt etiam Sotus *in* 4. *d.* 45. *q.* 3. & Echius *in Enchiridio cap.* 15. Caniſius *in Catechiſmo*, & alij moderni.

§. I.

859 *Oratio ad Sanctos eſt actus bonus, & vtilis.*

RAtio potiſſima eſt: quia oratio ad Sanctos ex ſuo genere actus bonus, & honeſtus eſt, & non Deo, aut Chriſto iniurioſus, nobiſque multis modis vtilis eſſe poteſt. Primò, quia actum virtutis exercere, per ſe bonum, ac vtile eſt. Secundò, quia hoc modo, mediante oratione, colloquium cum Sanctis habemus. Tertiò, quia hinc ad amorem, & imitationem Sanctorum prouocamur. Quartò, quia hoc modo noſtra oratio ad Deum efficacior fit ad impetrandum: quia Sancti potentiores ſunt apud Deum, & magis familiares illi; ergo oratio ad Sanctos ex ſe honeſtiſſima eſt, eiuſque vſus maximè approbandus.

Qua ratione Deũ exoram⁹ & qua Sanctos.

Aliter tamen Deum, & aliter Sanctos oramus. Nam Deum, vt principalem gratiæ, & gloriæ, omniumque beneficiorum auctorem, quæ ad illam conferunt, & vt cauſam primam, & aliquo modo propriam omnis boni per honeſtam orationem poſtulati, oramus, vt latè ſupra. At verò Sanctos non pari modo; ſed vt interceſſores, & mediatores apud Deum ſint, & pro nobis impetrent, exoramus. Hanc differentiam obſeruauit, & docere nos voluit Eccleſia in litanijs, nam ad perſonas diuinas, & SS. Trinitatem orat: *Miſerere nobis*. Ad Virginem autem, & reliquos Sanctos dicit: *Ora pro nobis*. Et ſimiliter cùm in Miſſa, vel oratione publica aliquid per Sanctos petit, à Deo directè per merita, & interceſſionem Sanctorum expoſcit; Imò interdum à Deo ipſo petit, vt Sanctus aliquis pro nobis intercedat, ſicut in Collecta Sancti Lucæ dicitur: *Interueniat pro nobis, quæſumus Domine, Sanctus tuus Lucas Euangeliſta, &c.*

§. II.

ADdit hîc Suarez *lib. de Oratione cap.* 10. *num* 7. 860
Poſſumus orare Sãctos, vt nobis aliquod præſtent beneficium, etiã cooperando.

interdum poſſe Sanctum cooperari Deo ad aliquod beneficium nobis præſtandum non ſolùm orando, ſed etiam miniſterium aliquod ſibi à Deo collatum exhibendo. Et tunc licitum eſſe petere à Sancto, vt ipſe nobis illud beneficium conferat, non ſolùm orando; ſed etiam, prout poteſt, vel quantum ei à Deo eſt commiſſum cooperando. Sic vnuſquiſque ſuum Angelum Cuſtodem orare poteſt, vt eum illuminet, iuuet, ac protegat, ſaltem plantando, & rigando: quia hoc munus commiſſum eſt Angelis à Deo *Pſalm.* 90. & Matthæi 18. Sic etiam à Sancto aliquo (ſi credamus habere à Deo virtutem miraculorum, vel ſanitatum) vt id faciat ſecundùm gratiam ſibi à Deo conceſſam, poſtulare poſſumus. Quod ſignificare videtur Auguſtinus *lib.* 22. *de Ciuitate Dei cap.* 10. Vbi de miraculis, quæ ad Sanctorum memoriam fiunt, ait: *Faciunt autem iſta Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis*. Vbi duplicem cauſalitatem tribuit Sanctis, orationem, & cooperationem: vtramque ergo poſſumus ab eis poſtulare. Patet ſupra de D. Petro, qui B. Agatham diuina virtute, nedum deprecans Deum; ſed etiam ipſo cooperante ſanauit.

QVÆSTIO II.

Cur Deus nos Sanctos orare velit, cùm ipſe promptiſſimus ſit ad dandum id, quod petimus.

DIfficultas huius ratio eſt: quia, vt diximus ſupra *num.* 737. *& ſequent.* promptior eſt Deus 861
Ratio dubitandi.

ad dandum id, quod nos à Sanctis; vel per Sanctos petere poſſumus, quàm Sancti ipſi parati ſint ad dandum, quod poſſunt, vel ad petendum pro nobis, quod per ſe dare non poſſunt; ergo ſuperfluum videtur, & inutile Sanctos orare; & contra fiduciam, quam de Deo ipſo habere debemus; maximè cùm ipſe quicquid ab eo petierimus, dare promiſerit; & de oratione per Sanctos facta nullam ſpecialem fecerit promiſſionem.

De⁹ vult concedere nobis beneficia ſed iuxta diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ Deus aliqua diſpoſuit dare quę non vult

Reſpondetur, falſam eſſe conſequentiam primam: quia Deus promptior eſt ad dandum, ergo &c. Nam ſi vera eſſet, ſequeretur etiam illo modo, orationes noſtras pro nobis ipſis eſſe ſuperfluas: quia Deus maiorem habet voluntatem conferendi nobis beneficia, quàm nos recipiendi. Dicendum ergo, Deum paratiſſimam habere ad dandum voluntatem; ſed ordinato modo iuxta diſpoſitionem ſuæ prouidentiæ dare velle: Vnde quædam non rogatus; alia rogatus à nobis tantùm: alia & à nobis, & ab amicis viuentibus rogatus: alia exoratus etiam à Sanctis cum ipſo regnantibus vult exhibere. Vnde nos haud Sanctos oramus: quia de diuina voluntate diffidamus; ſed vt ordinem prouidentiæ ſuæ im-

dare non rogatus. Ideò rectè à nobis rogãdi ſunt Sancti.

pleamus; neſcimus enim, quomodo diſpoſuerit aliquid nos dare, & ideò plures interceſſores adhibeamus; nam Sanctos eius colendo magis per hoc diſponimur ad beneficia, quæ petimus, recipienda. Atque ita per hoc nihil contra fiduciam agimus, quam in verbis Chriſti habere debemus: *Petite, & accipietis, &c. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam:* quia hæc promiſſio non excludit, quin hæc petitio per nos, vel per alios fieri poſſit; neque etiam excludit, quin faciliùs petitio per vnum facta, vel oblata, quam per alium exaudiatur. Nam hæc promiſsio, vt ſupra diximus, vt infallibilis ſit, conditiones ſupra aſsignatas requirit, quę interdum inueniri poſſunt, vel accedente Sanctorum interceſsione ſuppleri, & non ſine illa, propter defectum noſtrum: Ita docet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 1. de Oratione cap. 10. num. 21.*

QVSÆTIO III.

An licitè à nobis ſint orandi Iuſti Viatores.

862 *Iuſtos Viatores rectè à nobis rogari poſſe, fides docet.*

RESpondetur breuiter, Iuſtos viuentes à nobis orari poſſe; ſicut etiam ipſi poſſunt orare pro nobis. Hoc de fide certum eſt, & ex diuina conſtat Scriptura, in qua hortantur fideles, vt alij pro alijs orent 1. ad Timoth. 2. *Obſecro fieri orationes, poſtulationes, &c. pro omnibus, &c.* Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Et Paulus ſæpè à fidelibus, vt pro ipſo orent, expoſcit, ad Coloſs. 4. 2. ad Theſſal. 3. ad Hebræos 13. Neque in hoc vlla difficultas eſt: quia & à viuentibus hoc facilè petere poſſumus: nam ex parte petentis eſt actus humilitatis; ex parte verò alterius erit charitatis, & Religionis officium pro alio exorare: Ita docet Ioſeph Angles *Florib. qq. Theol. in 4. tract. de orat. quæſt. 7. diffic. 8.* plures citans Doctores, & Suarez *loco citato num. 24.*

Ex prædictis omnibus patet, qualis eſſe debeat oratio, qua Energumenus, maleficiatus, vel alia ægritudine tentus, aut in alia neceſsitate conſtitutus ſe ipſum diſponere debet ad perfectam impetrandum à Deo fidem, qua dæmonem expellere valeat: vel ſeipſum à quacumque alia tribulatione eripere iuxta Domini noſtri Ieſu Chriſti promiſsionem Matthæi 21. & Marci 11. *Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.*

CAPVT IV.

De Ægroto Ieiunante.

863 *Ieiuniũ obſeſſo, eſt neceſſarium. Quare.*

IDem Domini diſcipulus, qui orationis normam ægrotantibus dæmoniaco opere, præbuit, ieiunij formam tradit; quod ſecundò in illis, qui à dæmone poſsidentur, requiritur, vt ad firmam fidem, ac perfectam confidentiam, qua integra curatio obtinetur, diſponantur ad Domini præſcriptum: Matth. cap. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio.* etenim non aliter Ioannes ſe diuinis viſionibus, & ſcriptionibus apocalypticis, & euangelicis, quàm ieiunando diſpoſuit; vt teſtatur Hieronymus *præfat. in Euangel. Matthæi.* Et copioſiùs Metaphraſtes ad Lippoman. tom. 1. *Cum ſolutus,* inquit, *lege exilij Epheſum eſſet reuerſurus, Inſulani precibus agunt, ne recedat; ne ſcilicet totum ſeipſum auferret; ſed ſeipſum loquentem aſſiduo. ſuis ſcriptis relinqueret, vt quæ Chriſti Euangelij, & ea, quæ ipſe viderat de Chriſto, ſcriberet. Annuit ille, & antequam opus aggrederetur, tum ſibi, tum alijs indixit ieiunium; & Prochorum ſequi iubet, ac cum eo montis aſcendit verticem.*

Pari modo quicumque diabolicas patiuntur vexationes, ſe curationi diuinæ aptare debent, triplex ieiunium obſeruando.

Abſtinẽtia à peccato.

Primum: abſtinentiam ab omni peccato; quod ieiunium magnum, & generale vocat D. Auguſtinus in Ioannem, vt habetur, *cap. ieiunium de conſecrat. diſt. 5.* Quando Dominus Iſaiæ 58. ſuadet: *Numquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternere? Numquid iſtud vocabis diem acceptabilem Domino? Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculo; deprimentes, demittte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe.*

Abſtinentia ab illicitis voluptatib.

Secundum: abſtinentiam ab illicitis voluptatibus, quæ corporeis ſenſibus percipiuntur, vt benè S. Bernardus docet ſerm. 3. de Quadrag. *Si ſola gula peccauit,* inquit, *ſola ieiunet, & ſufficit. Si verò peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipſa? Ieiunet igitur oculus, & à curioſis aſpectibus, & ab omni petulantia, vt benè humiliatus coerceatur in pænitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis, & rumoribus, & quæcumque ocioſa ſunt, & ad ſalutem minimè pertinentia. Ieiunet lingua à detractione, & murmuratione, ab inutilibus, vanis, & ſcurrilibus verbis; Interdum quoque ob grauitatem ſilentij, & ab ipſis, quæ videri poterant neceſſaria. Ieiunet manus ab ocioſis ſignis, & ab operibus omnibus quæcumque non ſunt imperata. Sed & multò magis anima ieiunet à vitijs, & à propria voluntate ſua, etenim ſine ieiunio hoc cętera à Domino reprobantur: ſicut ſcriptum eſt: quia in diebus ieiuniorum veſtrorum voluntates veſtræ inueniuntur.* Vnde S. Eligius homil. 11. *Qui à cibis abſtinent,* ait, *& praue agunt, dæmones imitantur, quibus eſca non eſt, nequitia ſemper eſt.*

Afflictio carnis ſecundùm guſtum, & tactu.

Tertium: afflictionem carnis ſecundùm guſtum, & tactum, quæ in vigilijs, flagellis, mortificationibus, & ieiunijs propriè dictis conſiſtit, quibus à cibo, & potu abſtinetur. *In omnibus,* inquit Apoſtolus 2. Cor. 6. *exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, &c.* Quæ tria ieiunia Chriſtus vno verbo complectitur, cùm dicit: Dæmones exire non poſſe, niſi in oratione, & ieiunio. Ideóque obſeruanda ſunt ab ijs, qui obſeſſione dæmoniaca, vel maleficio fatigati ſanari deſiderant; & ſi non tertium, eò quòd ſint viribus impotes, ſaltem primum, & ſecundum; vt ſic ad Deum placandum; in bono proficiendum; ſeipſos ſanandum, ac roborandum: & hoſtes viſibiles, ac inuiſibiles; expellendum, ac profligandum; vt ſequentibus articulis clariùs demonſtrabitur, diſponantur.

AR-

ARTICVLVS I.

Ad Deum placandum.

864 CVM Deus ab iis, qui ſuis iniquitatibus Maieſtatem ſuam ad iracundiam prouocarunt, placari non poſſit, niſi conuertantur, & pęniteant, neceſſe eſt, eos, qui dæmoniacas vexationes in pęnam ſcelerum iuſto ipſius iudicio ſuſtinent, ad pœnitentiam confugere, quæ internam cordis contritionem, & externam corporis macerationem includit; vt ſic dum mens flendo compungitur, caro, quæ delectationibus ſubiacuit, affligatur. *Conuertimini ad me*, ait Deus per Ioelem cap. 2. *in toto corde veſtro, & ieiunio, & fletu, & planctu.* Quibus verbis vtramque pęnitentiæ partem demonſtrat. Ex corde pœnitet, qui patrata mala cum emendationis propoſito plangit, & odit; atque plangenda, & odienda vlterius non committere proteſtatur. *Inanis eſt enim pœnitentia*, vt benè ait Auguſtinus in Soliloq. *quam ſequens culpa coinquinat: nihil proſunt lamenta, ſi multiplicentur peccata: nihil valet à malis veniam petere, & mala denuò iterare. Quare ſic pęnitendum*, ait D. Ambr. in quodam ſer. *vt illud amarum ſapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita: & quod priùs oblectabat in corpore, cruciet in corde.* In ieiunio, & fletu, & planctu pęnitet, qui pęnalibus pęnitentiæ operibus crimina, aut excedere, aut æquare conatur. Nam *ad agendam pęnitentiam*, ait Aug. ſer. de pęnit. habetur de pęn. diſt. 1. can. Non ſufficit. *mores in melius commutare non ſufficit, & è malefactis recedere, niſi de ijs, quæ facta ſunt, ſatisfacias Deo per pęnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis, & ieiunijs.* Quod *tunc illi offers*, ait Greg. hom. 33. in Euang. *quādo tot de te inuenis holocauſta, quot habuiſti oblectamenta, vt totum ſeruiat Deo in pęnitentia, quicquid ex ſe Deum contempſit in culpa.* Vnde & Iacobus Billius Anthol. ſacr. cecinit:

Ab obſeſſis, ac cæteris vexatis peccatoribus Deus per pęnitentiā eſt placādus

Quem ſceleris, noxæque grauis benè penitet, illi
Perpetuus lacrymis obruit ora dolor.
Nam qui poſt lacrymas ad inania gaudia ſe ſe
Tranſtulit, ex lacrymis commoda nulla tulit.

§. I.

865 QVare, vt pœnitentia vera, ac ſeria ſit, opus eſt, vt hi, qui languoribus dæmoniacis, Deo permittente, aut iubente in præteritorum criminum caſtigationem vexantur, vtramque pęnitentiæ partem exerceant, non ſolùm interiùs peccata deflendo per actus contritionis; ſed etiam exteriùs puniendo per ſatisfactoria opera; inter quæ ieiunium tanquàm præcipuum cenſetur à Domino, cum dicit: *In oratione, & ieiunio*, quia eius virtute ira diuina in peccatores exardeſcens protinùs extinguitur: vt Dauidis, Achab, Iudæorum, & Niniuitarum nota nobis exempla demonſtrant. Quòd ſi grauiorum criminum ſe conſcios eſſe cognouerint, ſeueriori ieiunio illa caſtigare enitantur: Quia, vt benè docet Ambroſius ad Virginem lapſam cap. 18. *Grandi plagæ alta, & prolixa opus eſt medicina, grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem.* Nam difficillimè actus fidei, ac confidentiæ in Deum, quæ ad liberationem à dæmoniacis vexationibus, alijſque tribulationibus regulariter neceſſaria eſt, elicere poſſunt illi, qui ante obſeſſionem multis fuerunt criminibus inquinati: cum eos illorum conſcientia reprehendat, ac pro ſuæ liberationis conſecutione potius deſperare faciat. Cùm autem per pęnitentiæ longitudinem expiata ſunt ſcelera, faciliùs homo ad actus fiduciæ eliciendos eſt diſpoſitus: vt benè docet Ioannes primæ ſuæ canon. c. 3. *Chariſſimi*, ait, *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus; & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.*

Quæ complecti debet dolorem internum peccatorum, & externam mēbrorū punitionem

Hinc reparationis noſtræ anno 1649. *ad me ſecretò quidam Sacerdos Theologus exteræ nationis à dæmone obſeſſus acceſſit, à quo tamen nec in ſenſitiuis, internis, vel externis potentijs poſſidebatur, vel diuexabatur; ſed velut mus duntaxat per corporis ipſius membra dæmon nunc ad hanc, nunc ad illam partem diſcurrebat: modo in toto corpore tremorem magnum, mòdò ſudorem irriguum; & aliquando in ventre efficiendo rumorem; ſæpe quaſi loquendo in auribus eius; ſæpiùs capitis tempora ita ſtringendo, vt dolores acerbiſſimos ſuſtinere cogeretur. Probaui, an verè eſſet à dæmone obſeſſus; & ex certis, & euidentibus ſignis ita eſſe comperiens, ab eo de origine, ac progreſſu vexationis quæſiui; qui de omnibus ordinatè, ac ſummatim me conſcium reddens, ſimul lacrymas profundens, mihi ſe toto tempore, quo rationis vſum habere cæperat, ſemper eo abuſum fuiſſe, vitamque ſuam omnibus iniquitatibus, ac præcipuè carnalibus ſpurcitijs inquinatam duxiſſe; nec fuiſſe pratum, quod non pertranſiſſet luxuria ſua, enarrauit. Nec ſeipſum tantùm innumeris facinoribus, ac maculis fędaſſe, ſed & alios plures ad varia ſacrilega, & abominanda crimina induxiſſe; ſe nihilominus paratiſſimum eſſe, ad eam pœnitentiam, quam ſibi perſoluendam dediſſem, lubenti animo adimplendam.* 866

Hac duplici pœnitentia quidam Sacerdos obſeſſus ſeipſum à dæmoniaca eripuit vexatione.

Quibus auditis, licèt eadem die alij maleficio affecti à dæmoniacis vexationibus per præcepta à me dęmoni facta diuina fuiſſent virtute erepti; ſtatim attamen adeò in corde meo diffidentia, ac repugnantia de eius liberatione percrebuit, vt pro tunc hunc à dæmone liberandum non fore crediderim: cum ille dęmon à Deo nedum permittente, ſed (fortaſſe) iubente immiſſus in corpus eius fuiſset, vt illum à tot criminibus patrandis reuocaret. Quare ei dixi: Pro certo ſcias, hanc dæmoniacam vexationem pro animæ tuæ ſalute tibi à Deo datam eſſe, vt ex ea locum ſumas à vijs tuis peſſimis recedendi, ac vitam in melius commutandi: propterea nolo dæmoni præcipere, vt te deſerat, ac vexare deſinat; quia præceptis meis non obediret: quia Deus illum ad obediendum non compelleret. Priùs enim per prolixam pęnitentiam, diuinam opus eſt placare Maieſtatem, ſatisfaciendo diuinæ eius iuſtitiæ. Tu es Sacerdos, ſicut ego: tu es Theologus, ſicut ego, & eandem dæmones eijciendi facultatem habes, ſicut ego, ac me maior natu: elige ergo pænitentiam agere, prout ſpiritus Dei te illuminabit, ac tibi ſuppeditabunt vires tuæ; Nam quò magis Deum placabis oratione, & ieiunio, eò magis, Deo adiuuante, in te fiducia de tua liberatione augebitur: ac dæmon vires amittet. Et qui priùs dominabatur tui, tu poſtea dominaberis illius: *vt eruditè docet S. Cyprianus tract.* 4.

Conſiliū ei ab Auctore traditum.

de Idolorum vanit. Dæmones, *ait*, vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat: aut gratia curantis aſpirat. *Quia ſecundùm maiorem, vel minorem fidei, ac fiduciæ perfectionem, quam patiens in Deum conſtituit, magìs, vel minùs Deus cohibet diaboli poteſtatem. Tunc ſtatim ille ad confeſſionem generalem ſuorum, quæ patrauerat, criminum paratum ſe præbuit: corpus ſuum ter in hebdomada diſciplinis caſtigare propoſuit: carnem aſperitate cilicij, ac ieiunio trium dierum in hebdomada non ſolùm per annum integrum, ſed quouſque vires ſui corporis validæ perduraſſent, edomare: quotidie flexis genibus recitare ſeptem pſalmos pænitentiales, nec non officium defunctorum, niſi aliqua graui occupatione, aut labore fuiſſet præpeditus, orationi aſſiduè pro ſuo poſſe incumbere, aliaque exercitia ſpiritualia, prout à ſuis Maioribus iniuncta fuiſſent adimplere.*

Præfati Religioſi profectus

Quæ opera, poſtquam ille aggreſſus fuit, me continuo trimeſtre aliquoties inuiſens, ac ſecretò ſuas operationes patefaciens, totus hilaris, ex talium operationum exercitio continuè minores ſentire vexationes mihi aſſeruit; & quò magìs ſe oratione, ac pænitentia exercebat, eò ampliùs maiorem in Deum pro ſua liberatione concipere fiduciam; magìs magiſque dæmonis vires reprimere, ac tale ſuper illum ſe accepiſſe dominium, vt ad præcepta illi facta in nomine Ieſu, prout à me fuerat inſtructus, illicò ipſe reſiliret, deſineretque eum totaliter diuexare, aſſerebat. Tandem quinto menſe, cùm ad patriam ſuam recedere vellet, mihi gratias referens: ferè omnes dæmoniacas vexationes eſſe extinſtas, faſſus eſt: Idcircò Deum benedicebat, ac glorificabat, quòd per huiuſmodi tribulationem ad eum ire, ac ſe conuertere compuliſſet.

Ex quo videas, quomodo ab obſeſſis, ac maleficiatis, ægrotis, & in quacumque neceſſitate conſtitutis Deus eſt placandus oratione, ac ieiunio, vt confidenter auxilium eius implorantes, faciliùs quod petunt, valeant impetrare.

ARTICVLVS II.

Ad proficiendum in bono.

Ieiuniũ efficax eſt ad leues culpas delẽdas, & in via Dei viriliter progrediẽdum.

867 QVòd ſi quis putet ſe maleficijs affici, aut quacumque alia tribulatione in venialium culparum vltionem, in qua quotidie infirmitas humana prolabitur, detineri exiſtimet: aut in exercitium virtutum, vt his vexationibus ad certiora Chriſtianæ perfectionis incrementa, quaſi tot calcaribus prouocetur, iuxta monitum D. Chryſoſtomi dicentis homil. 41. in Act. Apoſt. *Datur talis poteſtas dæmonibus, vt meliores, & modeſtiores boni efficiantur; & vt pęnas peccatorum noſtrorum hìc dantes puri ad Dei conſpectum migremus*, ad ieiunium cõfugiat: Hoc enim remedium valdè efficax eſt, & ad leuium culparum veniam obtinendã, & ad carnalem ſedandam concupiſcentiam, & ad virtutes exercendas, & ad continuè in via Dei proficiendum. Hoc eruditiſſimè docet S. Leo Papa ſer. 2. de iuiunio decimi menſis. *Quid enim*, ait, *poteſt efficacius eſſe ieiunio, cuius obſeruantia appropinquamus Deo, & reſiſtentes diabolo, vitia blanda ſuperamus? Semper enim virtuti cibus ieiunium fuit. De abſtinentia denique prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus innouatur.* Vnde qui ieiunium frequentat, videtur inter Angelos eſſe numerandus, vt benè teſtatur D. Athanaſius lib. de Virginitate, *Ieiunium enim*, inquit, *Angelorum cibus eſt, & qui eo vtitur ordinis angelici eſt cenſendus.* Imò aliquod diuinũ aſſecutum cenſebis, ſi conſideres Moyſen, *qui dierum quadraginta ieiunio*, ait Gryſologus ſerm. 166. *ita humano defæcatus eſt, & exinanitus à corpore, vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam, & adhuc in noſtri corporis obſcuro toto fulgeret lumine Deitatis: neque intueri eum mortalium viſus poſſet, qui ſubſtantia Dei diu paſtus tota mortalis cibi oblitus fuerat adiumenta.*

§. I.

PRopterea obſeſſi, maleficiati, aut quacumque alia detenti tribulatione, qui pro leuioribus ſuis culpis expiandis ieiunium aſſumunt, non eſt, cur putent, Deum velle eos pro peccatis ſuis purgandis dæmoniacis vexationibus, vel quibuſcumque alijs punire afflictionibus. Qui enim talia putant, quodammodo Deo iniuriam inferunt, quaſi Deus velit eundem pro ijſdem peccatis bis punire. Non enim Deus bis idipſum iudicat. Vnde Paulus 1. Cor. 11. *Si noſmetipſos diiudicaremus*, nempe per ieiunia, mortificationes, ac voluntarias afflictiones, noſmetipſos caſtigando, *non vtique à Deo iudicaremur*, ideſt pro eiſdem delictis iterum puniremur. 868

Ieiunantes nõ debent à dæmone vexari ob leues culpas purgandas.

Inſuper ſi voluntariè per abſtinentiam, nedum ab omni crimine; ſed ab illicitis voluptatibus, quę ſenſibus percipiuntur corporeis, per continuas afflictiones, diſciplinas, mortificationes, ac ieiunia in via Dei progredi contendimus; ac maiora chriſtianæ perfectionis incrementa ex nobis ipſis hiſce medijs, quaſi tot calcaribus prouocamur, non eſt, quòd credere debeamus, Dei voluntatem eſſe, nos diabolicis vexationibus cruciari, vt magìs, ac magis in via Dei progrediamur. Non enim vnicum eſt medium, quo in ſchola perfectionis nobis eſt proficiendum: *quia non vna eſt ſemita, qua itur ad Olympum*, ait Paulus Sherlogus in Cant. Anteloqu. 12. ſect. 2. Eſto quòd à Deo permittantur meleficia, & obſeſſiones; vt homines & à vitijs purgentur, & in via perfectionis exerceantur; non tamen voluntatem Dei eſſe, vt purgentur, aut exerceantur per tale medium, nempe per vexationes diabolicas, eſt inferendum; ſed potiùs vt ab huiuſmodi diabolicis vexationibus excitentur, & ad eligenda media, quibus in exercitio virtutum magìs proficere queant, prouocentur.

Obſeſſis alia media eligentibus ad pgrediendum in ſchola perfectionis auferetur à Deo vexatio diabolica.

Nam ſi obſeſſiones, ac vexationes occaſionem in bono proficiendi ijs, qui eas ſuſtinent, præbere poſſunt: regulariter etiam multa bona impediunt; & ad multa mala inducunt. Nam videmus ſæpiùs etiam in perſonis ſpiritualibus obſeſſis dæmones impedire, ne peccata Confeſſario in ſacramentali confeſſione aperiant; ne miſericordiæ opera exerceant; ne orationi vacent, nec alia huiuſmodi, quæ honorem, ac gloriam Dei reſpiciunt, ac ſalutem animæ concernunt, valeant adimplere; ſed ad quot mala inducunt? Nonnè ſæpiùs ad blaſphemias, ad præcipitia, ad ſubmerſiones, ſuffocationes, & alia mala eos tentant ſibi inferenda? Nonnè perturbant domos, inquietant domeſticos, & omnia peruertere conantur? Ad quid ergo homines eligere, aut ſibi retinere tales vexationes volunt, vt in bono proficiant,

ficiant, ſi ad multa mala etiam culpæ inducere poſſunt? Hinc datur nobis locus quærendi.

QVÆSTIO VNICA.

An vexationes diabolicæ, quæ hominibus eueniunt tantùm ad probationem, & exercitium virtutis, proueniant à Deo volente, & iubente: vel tantùm permittente, & non impediente.

869 REſpondeo breuiter cum Suarez *part.2. Summæ Theol lib. 8. de Angelis cap.20. num.8.* quando pæna eſt tantùm ad probationem, & virtutis exercitium, non eſſe à Deo volente, & iubente; ſed tantùm permittente, & non impediente: Ratio ea eſt: quia licèt huiuſmodi pæna generalem ſtatum naturæ lapſæ ſupponat; non tamen proprium reatum talium pænarum ex proprio, ac perſonali peccato contractum ſupponit: vt in afflictionibus Iob videre licet; ideò talis pæna, cùm in ſe intrinſecè æquitatem iuſtæ punitionis, ac vindicationis non habeat, non eſt dicenda fieri ex diuina iuſſione, ac volitione; ſed tantùm permiſſione. Tunc enim non ſe gerit Deus vt iudex, ſed vt Dominus, qui ſine culpa poteſt malum permittere propter alias rationes ſuæ diuinæ prouidentiæ. Quod teſtatur etiam D. Anſelmus *lib.1. Cur Deus homo.cap.7.*

Mala pænæ, quæ tantùm ſunt ad exercitiũ virtutis, ſunt à Deo permittẽte; ſed non iubente.

Hoc magis ac magis probatur: quia huiuſmodi vexationes diabolicæ ſunt quædam tentationes etiã ad malum culpæ inducentes, ideò non poſſunt à Deo iubente prouenire. Hoc docet Suarez loco citato num.3. dicens: *Ideò enim dæmon hoc modo nocet homini, vt illum ad impatientiam, deſperationem, blaſphemiam, vel aliud ſimile vitium inducat. Vndè ſicut eadem facultas eſt, qua intendit finem, & media ad illum eligit: ita ſub poteſtate, vel licentia tentandi homines, comprehenditur ſæpe licentia inferendi ei nocumenta, vel alias pænas: ſicut in Iob manifeſtum eſt. Quapropter ſicut facultas tentandi non eſt ex poſitiua Dei ordinatione; ſed ex permiſſione: ita hæc poteſtas nocendi in ordine ad talem finem tantùm eſt ex permiſſione diuina, ſuppoſita naturali poteſtate, quam dæmon ad nocendum habet: eſt enim in vtraque licentia eadem ratio.*

§. I.

870 HInc colligitur, licèt valdè gratum Deo ſacrificium ſit, dum quis à dæmone actu vexatur, libenter pro Chriſto talia mala pati; nihilominus non eſſe credendum, Deum velle, eum diù in tali vexatione manere, niſi aliter per diuinam conſtet reuelationem; ſed recurrendum eſſe ad voluntatem ſigni, quæ, Deum velle energumenos, ſi perfectè crediderint in nomine ſuo, à quacunque dæmoniaca vexatione liberare, docet; vt ſæpiùs probatum eſt: Idcircò media ab eis eligenda eſſe, nempe ieiunia, abſtinentias, ac mortificationes, quibus, nedum leuium culparum diluant pœnas, & maiora chriſtianæ perfectionis incrementa aſſequi poſſint; ſed fidem perfectam, firmam fiduciam, ac inhæſitantem in Deum confidentiam, qua & à dæmoniacis vexationibus, & à quacunque anguſtia, ac tribulatione ſalubriter eripiantur, valeant impetrare.

In cũctis vexationibus recurrendũ eſt ad remedia à Deo, & ab Eccleſia tradita.

ARTICVLVS III.

Ad ſeipſum ſanandum, & roborandum.

PAradoxum fortè videbitur aſtruere velle, totum hominem ſanari, ac roborari à ieiunio, & corpus ab infirmitatibus, & animam à peccatis eius virtute liberari; & tamen veritas certiſſima eſt. Propone tibi ob oculos vnum ex ijs, quibus ingluuies dominatur: quid tanta voracitate conſequi putas, niſi craſſum, & obeſum corpus innumeris morbis deuorandum enutrire, quibus vitam præſcindit, & adducit mortem? vt monet Sapiens Eccliſ. 37. *Propter crapulam multi obierunt.* Et Seneca ad Lucillum: *Multos morbos fercula multa ferunt.* Vnde natum prouerbium: *Plures occidit gula, quàm gladius.* 871

Ingluuies morboſ efficit

Animam verò quantis exponat ægritudinum periculis, quis poterit enunciare? cùm, dominante gulæ vitio, dum venter non reſtringitur, omnia introducantur vitia, & virtutes obruantur; & dum corpus in refectionis delectatione reſoluitur, cor ad delicias, & concupiſcentias relaxetur: vt benè teſtatur S Baſilius Magnus *homil. 1. de ieiunio*, oſtendens, gulam Iſraelem ad idololatriam deduxiſſe, & contaminaſſe: *Vno temporis momento*, inquit, *ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpiſſimè deuolutus eſt.* Quare epulonum deus venter eſt, templum coquina, altare menſa, miniſtri coqui, immolatæ pecudes coctæ carnes, fumus incenſorum odor ciborum. Idcircò ipſe guloſus cum nimia mole ſaginam tendit, vtràque morte iugulatur.

Animam vitijs replet.

§. I.

AQuibus malis ieiunij cultores liberantur. *Ieiunium nanque eſt ſanitatis mater*, ait Baſilius homil. 1. de laudibus ieiunij, *& corporalis infirmitatis leuamen, & alimentum ſalutis*, vt ſubiungit Ambroſius lib. de Elia cap. 8. *Morbos ſanat, deſtillationes corporis exſiccat*, addit D. Athanaſius Epiſc. lib. de Virginitate. Quod oſtendunt tot Patres Eremicolæ, qui annis ſaginati ferè ſimplici naturæ defectu vitam cum morte commutarunt: quia ſimpliciſſimo victu ſemel in die, & aliquando tardiùs reficiebantur. 872

A morbis corporalibus ieiunantes liberantur

Confirmant hoc Medici, qui ægrotis dietas, & rigidam abſtinentiam præſcribunt, vt euacuata morborum cauſa, remedia faciliùs, & efficaciùs operentur. Sic Hippocrates, vt refert D. Hieronymus *in Epiſtola ad Paulinum in Aphoriſmis* docet, craſſa, & obeſa corpora, quæ cruſcendi menſuram impleuerunt, niſi citò ablatione ſanguinis minuantur, in paralyſim, & peſſima morborum genera erumpere; & idcircò ablationem neceſſariam eſſe, vt rurſum habeant, in quæ poſſint creſcere, & augmentari. Non enim in vno ſtatu corporum natura manere poteſt; ſed aut creſcere ſemper fas eſt, aut decreſcere, nec aliàs viuere poteſt, niſi creſcendi capax ſit. Vnde & Galenus in exhortatione medicinæ ait: *Quorum vita, & ars ſagina eſt, eos nec viuere poſſe diù, nec ſanos eſſe; animaſque ita nimio ſanguine, & adipibus quaſi luto inuolutas nihil tenue*

nihil

nihil cæleſte; ſed ſemper de carnalibus eructare, & ventris ingluuiem cogitare.

§. II.

873 SImiliter ieiunium eſt pharmacum efficax ad abolendum peccatum, vt illud vocat S. Baſil. ho. 1. de ieiunio. Nam *purgat mentem, ſubleuat ſenſum, carnem ſpiritui ſubijcit, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, cor facit contritum, & humiliatum, libidinis ardores extinguit, peccatorum ſordes purgat, ſentinam vitiorum deſiccat, mollit furorem, compeſcit iram, diuitias ſuperfluitatem iudicat, ſuperbiam ſpernit, humilitatem commendat.* Inſuper homil. eadem ante medium. *Ieiunium*, inquit, *legislatores ſapientes facit: animæ optima cuſtodia, corporis ſocius ſecurus, fortibus viris munimentum, & arma athletis, & certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulſat, ad pietatem armat, cum ſobrietate habitat, temperantiæ opifex eſt, in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet; Nazareum ſanctificat, ſacerdotem perficit.* S. Athanaſius de Virginitate ait: *Videſne, quid faciat ieiunium?* & poſt illa verba ſupra relata, *morbos ſanat, &c.* addit: *Prauas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus ſanctificat, denique ad thronum Dei hominem ſiſtit.* Tertullianus l. aduerſus Pſychios cap. 4. *Ieiunium*, ait, *de Deo benè meriti naturæ mutationem.* S. Ephrem in oratione de pænitentia Niniuitarum vocat illud *Vehiculũ ad cælum*; vt in Elia, & Moyſe videtur. Ab eodem vocatur *Frænum Monachi, quod qui reijcit, equus inſanus comperitur.* Denique S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 2. in Geneſim, *Tanquam pedagogus*, ait, *totum hominem componit*, vt non solùm perfectam virtutem; ſed cæterarum virtutum fundamentum eſſe, & ſanctificationem, aſſeuerat Hieronymus ad Demetriadem. Quare languens animus ita ab illo ſanatur, & roboratur, vt tanquam alter Elias per quadraginta dierum ſpatia chriſtianæ perfectionis, & viam Domini decurrere poſſit, & ad cæleſtis Horeb verticem peruenire; apertè hoc docente, ac concludente S. Leone Papa ſer. 2. de ieiunio ſeptimi menſis. *Præfiniuit*, ait, *nobis Eccleſia per temporum decurſus quoſdam ieiuniorum dies, in quibus caſtigatione corporum virtus roboraretur animorum.*

Ieiuniũ eſt pharmacũ efficax in abolendo peccato. Hoc docent Patres.

§. III.

874 CVm ergo tam potens ieiunium ſit in vtriuſque hominis ſanando infirmitates corporales nẽpe, ac ſpirituales, ipſumque exteriùs, & interiùs roborando, diligenter, & exactè ab ijs colendum eſt, qui maleficijs, ac diabolicis vexationibus infeſtantur, maximè ab obſeſſis viris, ac mulieribus, qui à dæmonibus ſuccubis, vel incubis diuexantur: Hi namque, cùm ex frequentatis actibus ſe carnaliter cum dæmone commiſcendi, ſpiritui diabolico ſubiacendi habitum fecerint, cui, ſi non explicitum, ſaltem implicitum præſtare ſolent conſenſum, ita infirmati ſunt mente, & corpore, vt vix actus fidei, ac confidentiæ, ſe vnquam à dæmoniaca fore poteſtate eripiendos elicere valeant; & iſti difficillimè ab huiuſmodi vexatione liberari queunt; nam mens eorum, quæ pro ſtatu iſto cum phantaſia, & imaginatiua quandam in operando habet colligationem, propter continuas carnalium obiectorum ſpecies, quæ imaginationi, ac phantaſiæ eorum à dæmone præſentantur, ad cogitandum de huiuſmodi obiectis ſibi oblatis adducitur, ac conſequenter nedum appetitus ſenſitiuus adhæret; ſed & voluntas ipſa non tantùm implicitum; ſed ſæpè etiam explicitum illis præbet conſenſum. Corpus verò ex continua carnali cum dæmone commixtione continuè humoribus alteratur carnalibus, & igne venereo aduritur; ita vt loca ex profeſſo quærant ſolitaria, vt commodiùs, & delectabiliùs carni, ac ſenſui iuxta dæmoniacas ſollicitationes valeant correſpondere.

Ieiuniũ colẽdum ab obſeſſis. Maxime à vexatis, ab incubis, vel ſuccubis.

§. IV.

HOc practicè cuidam euenire comperi anno à Chriſti natali 1649. Cũ à meis Superioribus miſſus ad quoddam Caſtrum pro quadam Adoleſcentula viginti annos nata à dæmone incubo vexata liberanda acceſſiſſem: illùc profectus vnà cum præfatæ Iuuenculæ Confeſſario domum ipſius petij: Vix nobis domum ingredientibus, dæmon, qui tunc illam comprimere cæperat, ſtatim ab incæpto opere ceſſauit. Quam ego allocutus, ipſa omnia nefaria opera, quę in corpore ſuo dæmon præſtare conſueuerat, diſtinctè mihi enarrauit. Ex cuius verbis eam ſaltem implicitum dæmoni præſtaſſe conſenſum, quamuis negaret, faciliter comperi. Nam cùm dæmonem ſentiebat ſibi venereas partes dilatare, ac pruritum excitare vehementem, non ad orationem confugiebat, vt diuinum imploraret auxilium, non Sanctiſſima nomina Ieſu, & Mariæ inuocabat, non Angelum ſuæ pudicitiæ cuſtodem, vt eam à ſpiritu nequam cuſtodiret, exorabat; ſed ſtatim ſola ad cubiculum ſe recipiens ſuper lectulum ſuum decumbebat, vt ſic commodiùs, ac delectabiliùs ab incubo comprimi valeret. Idcircò cùm ad actus fidei firmæ, ac confidentię inheſitantis in Deum pro ſua liberatione eliciendos eam excitarem, arida, ac ſine vlla animi deuotione, ac cordis compunctione perſiſtebat; ac continuè quandam in corde ſentiebat repugnantiam ſibi dictantem, quòd à dæmoniaca vexatione non foret liberanda. Quare eam dimittens, nonnulla eius Confeſſario, ac ipſius parentibus de pænitentijs afflictiuis, alijſque exercitijs ab ea adimplendis tradidi monimenta; præcipuè vt ieiunijs, & abſtinentijs corpus ſuum domaret, aliaque obſeruaret, de quibus infra num. 981. & ſequentibus. 875

Exemplũ relatum ab Auctore.

§. V.

NEc immeritò: *Ieiunia namque*, ait S. Leo ſer. 5. de ieiunio ſeptimi menſis, *nos contra peccata faciunt fortiores, concupiſcentias vincunt, tentationes repellunt, ſuperbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt.* Hoc pharmaco etiam D. Paulum contra tentationes carnales vſum fuiſſe, commemorat Caſſianus lib. 5. cap. 18. *Pugnat*, inquit *in ieiunijs, & afflictione carnali, non quaſi aerem verberans, ideſt continentiæ ictus porrigens, per quos non aerem vacuum; ſed illos ſpiritus, qui in eo verſantur, caſtigatione ſui corporis verberabat. Et quia hæc certaminum genera ſuperauerat, & ditatus multarum coronarum ſtipendijs incedebat, non immeritò robuſtiorum incipit hoſtium ſubire luctamina dicens: Iam non eſt nobis colluctatio aduer-* 876

Ieiuniũ optimum eſt remedium ad dæmonẽ ſuperandum.

ſus

ſus carnem, & ſanguinem; ſed aduerſus principes, & poteſtates. Quæ verba explicans Marcellinus de Piſe Matiſconenſis Dominica 2. poſt Epiphaniam loquens in perſona ipſius Apoſtoli: *Ego tyrocinium,* ait, *belli ſpiritualis feci congrediens cum carne mea ſuperata ieiunijs certamine ſingulari. Corpore proſtrato me maiora manent prælia. Hoc igitur eſto ratum, ſcilicet, Chriſtum parciore victu ſuos initiare athletas, vt eos ad potiores agones faciat aptiores. Tantùm enim concupiſcentiæ minuitur impetus, quātùm lautioris cibi corpori ſubtrahitur.* Eò ſpectat effatum iſtud Caſſiani lib. 5. cap. 10. *Numquam poterit ardentis concupiſcentiæ ſtimulos inhibere, quiſquis deſideria gulæ nequiuerit refrænare. Interioris hominis caſtitas huius conſummatione diſcernitur.*

Quare qui ab huiuſmodi dæmonibus ſuccubis, vel incubis diuexantur, ieiunijs potiſſimùm, & abſtinentijs vacare debent, vt ſpiritus illos luxuriæ caſtigatione ſui corporis coercere valeant: ſicut quicumque alij obſeſſi, vt per huiuſmodi abſtinentias toto homine ſanato, ac roborato, magis, magiſque diſponantur ad actus fidei feruentis, ac confidentiæ firmæ, & inhæſitantis in Deum eliciendos, quibus à dæmoniacis vexationibus, necnon à quacumque alia tribulatione facillimè liberari queant.

ARTICVLVS IV.

Ad hoſtes viſibiles, & inuiſibiles expellendos, & profligandos.

877 Hoſtes externos, & viſibiles ieiunio facilè ſuperari, omnes ſcripturæ ſacræ conteſtantur, & probant exempla Iudæorum. Cuius rationem reddit eleganter S. Leo Papa ſerm. 1. de Quadrageſ. Hebræorum. *Populus,* inquit, *& omnes Iſraeliticæ Tribus cùm propter peccatorum ſuorum offenſiones graui alienigenarum dominatione premerentur, vt ſuperare ſuos hoſtes poſſent, vires animi, & corporis indicto ſibi reparauere ieiunio. Intellexerant enim duram, & miſeram illam ſubiectionem neglectu ſe mandatorum Dei, & morum corruptione meruiſſe, fruſtraque ſe armis certare, niſi priùs vitijs repugnaſſent. Abſtinentes ergo à cibo, & potu ſeueræ ſibi caſtigationis adhibuere cenſuram, & vt hoſtes ſuos vincerent, gulæ illecebram in ſeipſis ante vicerunt.* Hæc S. Leo.

Hoſtes viſibiles ieiunio ſuperantur A Iudæis

Sic fœmina illa famoſiſſima *Iudith*, inquit Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio cap. 9. *ieiunans omnibus diebus viduitatis ſuæ præter feſtorum dierum ſolemnitates: His armis munita proceſſit, & omnem Aſſyriorum circumuenit exercitum, Sobrij vigore conſilij abſtulit Holofernis caput, ſeruauit pudicitiam, victoriam reportauit. Ita vnius mulieris ieiunium innumeros ſtrauit exercitus Aſſyriorum.*

A Iudith

Eſther quoque pulchrior facta eſt ieiunio, Idem proſequitur; *Dominus enim gratiam ſobriæ mentis augebat. Omne genus ſuum, id eſt totum populum Iudæorum à perſecutionis acerbitate liberauit, ita vt Regem ſibi fecerit eſſe ſubiectum.* Quomodo autem ab hoſtibus, & eorum perſecutione per ieiunium liberata fuiſſet, rationem reddit Drexelius de Conformat. volunt. lib. 5. cap. 4. §. 3. *Triduo,* ait, *ſic exacto,* (ſcilicet inter preces, & ieiunia) *Regina fiduciam in Deum ampliſſimam concipiens, ingreſſa eſt ad Regem pro ſua gente deprecatura. Ex voto ceſſerunt omnia.*

Ab Eſther.

§. I.

Nec ſolùm hoſtes viſibiles, ſed inuiſibiles, dæmones ſcilicet potiſſimùm ieiunio ſuperantur. Hæc vna omnium Sanctorum Patrum vox eſt. 878
D. Baſil. homil. 1. de ieiunio: *Dominus noſter,* inquit, *non priùs in carne quam pro nobis aſſumpſerat, diaboli inſultus excepit, quàm eam ieiunio conueniſſet;* oſtendens, Chriſtum his armis vſum fuiſſe ad dæmones effugandos. Vnde eodem loco ait: *Eſt quidem omni tempore ieiunium vtile: neque dæmonum inſultus ieiunantem impetere audet. Ieiunium enim contra exercitum dæmonum dat arma.* D. Chryſoſtomus tom. 5. ſerm. 2. de ieiunio: *Aduerſus dæmonum naturam,* inquit, *conſtitutum eſt ieiunium.* Et homil. 1. in Geneſim: *Ieiunium,* ait, *arma miniſtrat contra diabolum.* D. Ambroſius ſerm. 25. in Quadrag. *Caſtra ſunt,* ait, *noſtra ieiunia, quæ nos à diaboli oppugnatione defendunt.* Et paulò infra: *Murus quidem eſt Chriſtiano ieiunium inexpugnabilis diabolo, intranſgreſſibilis inimico. Diabolus enim terretur pallore ieiunij, debilitatur inedia, infirmitate proſternitur.* Et lib. 6. Hexameron. cap. 4. *Nullum,* inquit, *remedium maius contra inimicum ſerpentem poteris inuenire, quàm ieiunium.* Caſſiodorus ſuper Pſalm. 50. *Hoſtis inſidiæ non videntur; & aduerſarius nec labore deficit: nec victus aliquando diſcedit; attamen illud faciliter conficimus, ſi ieiunij clypeo munimur.* Tertullianus apertiſſimè hoc fatetur lib. aduerſus Pſychicos cap. 6. *Ieiunium,* inquit, *ſcutum noſtrum eſt ad retorquenda iacula diaboli.* Origenes idipſum docet homil. 4. in diuerſ. in Matth. *Cùm ieiunatis,* inquit, *dæmones vincitis, omnemque illius claſſem malignam retrorſum agitis, mala deſideria effugatis.* Et D. Hieronymus lib. 2. contra Iouin. *Pulchra,* ait, *res eſt ieiuninm, quod dæmones terret.*

Dæmones præcipuè ieiunio ſuperātur. Teſtātur Patres.

Quare S. Antonius ille veteranus dux ſuis commilitonibus ſæpiùs hoc inculcabat dicens: *Mihi credite, pertimeſcit Sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, & ijs debilitatus aufugit.* Quod docuit etiam S. Maximus homil. 4. de ieiunio: *Ieiunemus,* inquit, *fratres, & hoſtes noſtros in fugam conuertemus.*

Hæc veritas probatur exemplo cuiuſdam mulieris Diœceſis Bergomenſis inuptæ ætatis ſuæ annum agentis circiter 35. quæ cum à dæmone poſſideretur ab ipſo iugiter inducebatur ad lautè manducandum, ac vinum generoſum abundè bibēdum, quæ niſi à Matre prouidebantur, dæmon minabatur eis ſe multa mala illaturum, quæ cum eſſet paupercula, ac viueret labore manuum ſuarum, eam ſic lautè, ac opiparè alere nequibat. At cum adducta fuiſſet coram me, dæmon faciebat eam ſaltare, tripudiare, ac ſæpiùs dicere lingua italica: oportet benè bibere: Ego autem præcepi ei, vt aliquot diebus ſolùm pane, & aqua reficeretur ſic dæmon non ita eam amplius exagitauit: ſic per ieiunium, ac Sacramentorum frequentiam benè diſpoſita tandem à dæmone libera permanſit.

§. II.

Hinc veriſſimum eſt Chriſti dictum Matth. 17. dicentis: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi per orationem, & ieiunium.* Vbi Hieronymus lib. 1. contra Iouinan. *Acriora,* inquit, *dæmonia docuit* 879

Docet veritas increata.

docuit Dominus nonniſi oratione, & ieiunio poſſe ſuperari. Quam veritatem nos admonet D. Auguſtinus ſerm. 65. de tempore. *Videte*, inquit, *chariſſimi, quanta ſit ieiunij virtus, vt id facere ieiunium valeat, quod Apoſtoli nequiuerunt.* Inde pulcherrimè, atque validiſſimè ratiocinatus S. Ambroſius ſer. 15. *Videte ergo*, ait, *quæ ſit ieiunij vis, quantam homini ſuo præſt gratiam, quod tantam præſtat alteri medicinam: videte, quomodo proprium ſanctificet hominem, quod ita purificat alienum. Mirum, ter mirum: alter ieiunat, & alteri prodeſt ieiunantis abſtinentia, iſte pharmacum ſumit, & ille vi pharmaci curatur.* Quod etiam D. Leo Pontifex admiratus: *Tam grata eſt*, inquit, *Deo, quàm terribilis diabolo ieiunantis oratio.*

Ieiuniũ ab Obſeſſis frequẽtandum.

Quòd *ſi ea eſt virtus ieiunij, vt qui illo munitur, inſeſſorem dæmonem ex alieno pellat corpore, quantò magis*, (ait Drexelius Nicetæ lib. 2. cap. 7.) *poterit impugnatorem è ſuo? Alieni vim ieiunij in eo, quem iam occupat, non ſuſtinet cacodæmon, & quomodo ſuſtinebit proprij in eo, quem tantùm impugnat?* Quare D. Athanaſius lib. de Virginitate concludit dicens: *Quiſquis igitur ab immundo ſpiritu vexatur, ſi hoc animaduertat, & hoc pharmaco vtatur, ieiunio, inquam, ſtatim ſpiritus malus oppreſſus abſcedet, vim ieiunij metuens.* Quod & ab Exorciſta, & ab obſeſſo ſeruandum eſſe, affirmat etiam Theophilatus in cap 17. Matthæi, *Oportet*, ait, *ieiunare eum, qui curat, & eum, qui curari debet.* Cui ieiunio ſi accedat oratio, habebunt diſpoſitionem in Theoria Chriſti, & Practica Ioannis requiſitam; vt ſic per fidem firmam, ac confidentiam inhæſitantem in Deum poſt diabolicas obſeſſiones, vexationes, & maleficas infeſtationes, vi eccleſiaſticę poteſtatis per remedia ſpiritualia optatam valeant conſequi ſanitatem.

DISPV-

DISPVTATIONIS QVARTÆ
DE CVRATIONE DIVINA.

PARS TERTIA.
Ex parte Remediorum.

880 SI contraria contrarijs curantur, vt monet tritum communi ſermone prouerbium, & probat diſciplina Medicorum, quibus medicaminibus, putas, obſeſſiones, maleficia, & id generis mala dæmoniorum cacozelo in orbem inuecta poſſint licitè curari, niſi ab ijs, quæ ordinatione diuina inſtituta ſunt, & tanquam diuina virtute præſtantia ægrotis miniſtrantur? Siquidem mirandum diuinæ bonitatis exemplum in hoc elucet, quòd tantis ſine numero morborum generibus, quibus homines agitantur, conuenientia oppoſuit medicamenta, vel vt futura impediantur, vel vt præſentia mala remoueantur. Et alia curandis corporibus: alia ſanandis mentibus ordinata. Prima à rebus corporeis deſumuntur, atque actione naturali eis rebus inſita, ex quibus componuntur, infirmis corporibus ſanitatem adducunt. Secunda ſumuntur à rebus ſpiritualibus, atque actione diuina languentibus animabus medelam afferunt; Et iſta in obſeſſionibus, ac vexationibus diabolicis deſtruendis Exorciſta adhibere debet: Quæ ſunt aut Generalia, de quibus agitur in 1. & 2. capite: aut Specialia, de quibus infra *cap.* 3. *&* 4. pertractatur.

Deus remedia ſpiritualia inſtituit ſanandis hominib.

Quorum

Alia Generalia, Alia Specialia

Generalia remedia voco ea, quæ non ſolùm maleficijs, ſed etiam omnibus ſpiritualibus infirmitatibus curandis proſunt: vt ſunt Sacramenta, & Sacramentalia, quibus ſanguis Chriſti applicatur. Nam pretioſum illum ſanguinem generale, & efficax pharmacum mali, & *panaceam celeberrimam* verè dices, cuius ſuccus potiori iure *opopanax* à ſanãdis omnibus morbis nuncupatur, quàm ille, quem tantis encomijs profana celebrauit Antiquitas: quia eius virtus non ſolùm in animas; ſed etiam in corpora infunditur, vt vtraque ſanitas ægro reſtituatur. Quare oleum, & vinum pientiſſimus Samaritanus eum appellat, à magno, qui de cælo venit, Medico infuſum in languentis hominis vulnera, qui in dæmoniacos latrones inciderat Lucæ 10. Quo etiam Eccleſiaſtici Miniſtri dæmonibus expellendis, ſoluendiſque maleficijs vti debent, illum tum per Sacramenta; tum per Sacramentalia applicando.

Remedia generalia ſunt ſacramẽta, & Sacramentalia.

CAPVT I.
De Remedijs generalibus Sacramentorum.

VIrtutem Sacramentorum eſſe diuinam, admirabiles eius teſtantur effectus, qui ad omnia mala propulſanda, & bona conferenda mortalibus extenduntur. De quibus latiſſimè Theologi omnes pertractant *in* 4. *Sentent.* Quare ſunt generalia pharmaca omnibus infirmitatibus ſanandis idonea; ideòque ad pellendos dæmones, & ſoluenda maleficia virtute diuina pollentia, prout proximè diſponunt ad fidei, ac confidentiæ in Deum actus eliciendos, quibus & dæmones expelluntur, & maleficia deſtruuntur. Quæ ſeptem ſtellis in dextera ſimilis filio hominis reſidentibus deſignantur. Vnde ab Exorciſtis, ac Parochis in manu teneri, & ab illis applicari debent ijs, qui à dæmonibus diuexantur: vt totidem articulis declarabitur. 881

Virtus Sacramentorũ magna.

ARTICVLVS I.

De Baptiſmo.

Baptiſmi virtus cõtra dæmones.

882 PRima ſtella aptiſsimè Baptiſmum Sacramentorum primum repræſentat, qui confertur in aquis, vt homines hinc originalis peccati infirmitate languentes ſanentur: illinc, vt dæmones, quorum ſubduntur tyrannidi, propellantur iuxta verbum Dauidicum Pſalm. 73. *Contribulaſti capita draconum in aquis*. Vnde potiſſimum remedium eſt contra dæmones, & dæmoniacas operationes ijs, qui nondum ſalui facti ſunt per lauacrum illud regenerationis, & renouationis.

Exēplis comprobatur.

Experientia ipſa teſtatur quàm pluribus exemplis antiquioribus, & recentioribus, quorum hic tria tantùm commemorabo.

In Bungo anno 1596. aderat gentilis fœmina à dæmone obſeſſa, cui indicatum eſt, ſe à dæmone liberari non poſſe, niſi fieret chriſtiana. Cum illa annueret, & iam ſe ad Baptiſmum præpararet, nocte ſequenti dæmon ei, ne chriſtiana fieret, diſſuaſit dicens: Hactenus tanta familiaritate tanto tempore mihi es coniuncta,& nunc me deſeris? non abibis profectò inulta. *Dormienti itaque, nec ſentienti capillos, vno tantùm capillorum flocco relicto, abſcidit. Illa verò cùm ſummo mane ſibi ademptos capillos deprehenderet, & arundini lecto oppoſitæ implexos, calcar ea fraude ſibi additum putauit, vt citiùs ad Baptiſmi antidotum aduolaret. Quod & factum eſt; atque eo ſuſcepto manſit ab omnibus dæmonis moleſtijs immunis:*

Ita refert P. Ludouicus Frois *in lit. Iapon. illius anni*, relatus à Delrio *lib. 6. Diſquiſit. Magic. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 3.* Ex eodem ſunt ſequentia.

Iuuenis gentilis Sacramēto Baptiſmi ſuſcepto, liberatur à dæmone.

In Ciazzurana Inſula Gentili adoleſcentulo octodecim annorum ſe crebrò viſendum offerebat canis ingens, horribilis, & rufus, qui eum alloquebatur,& per montes in loca abditiſſima deducebat, eum ibi biduo, vel triduo detinens, atque ad ſe manibus ſublatis adorandum, aliaque ſcriptione indigna faciendum impellens. Adoleſcens miſer videns ſe tantas moleſtias à capitali humani generis hoſte perpeti, tandem ad Eccleſiam fugam arripuit, vbi Doctrinam Chriſtianam audiens didicit. ac per Baptiſmi Sacramentum ſe Chriſti militiæ adſcripſit, cui impoſterum tartareus ille canis inſidias tendere non eſt auſus.

Bungi circa annum 1549. quidam homo ancillam habebat dæmoni familiarem; nam dæmon ad eam accedens vulpis figura ſingulis noctibus domo educebat. Verum per Baptiſmum ſuſcepta fide ab hoc ſpectro liberata eſt:

Ita literæ Iaponicæ illius temporis. Alia plura refert Delrius *loco citato*, ad quem remitto Lectorem.

§. I.

Hoc oſtēdit ritus obſeruatus in collatione huius Sacramenti.

883 HAnc veritatem comprobat ritus in huius Sacramenti collatione obſeruatus, quo dæmon primò exorciſmis cohibetur, *ne impediat proceſſum ad Baptiſmum*, ait Alexander Alenſis part. 4. q. 10. *& ne noceat baptizando, in quem habebat poteſtatem*. Quod antea docuerat Auguſtinus de Symbolo, vt habetur de Conſecrat. diſt. 4. *Sicut noſtis, ait, Fratres chariſſimi, paruuli exſufflantur, & exorcizantur, vt tollatur ab eis poteſtas inimica diaboli, qui decepit hominem, vt poſſideret homines. Non ergo creatura in infantibus exorcizatur, aut exſufflatur; ſed ille, ſub quo ſunt, qui ſub peccato naſcuntur.* Quamobrem ſi quis ex paruulis, aut etiam adultis probabiliter non baptizatus exiſtimaretur, & aliquo eſſet maleficio affectus; vel à dæmone ipſo agitaretur, nullo efficaciori remedio ſanari poſſet, quàm lauacro Baptiſmatis, in quo dæmon cum ſuo exercitu ratione fidei, quæ in ipſo infunditur, ac ſuſcipitur, quaſi alter Pharao ſuffocatur.

ARTICVLVS II.

De Confirmatione.

SEcunda ſtella Confirmationis Sacramentum denotat, per quod vnctio interna confertur, dum externa per ſanctificationem chriſmatis fit in fidelium fronte; vt intus,& extra quaſi ſpirituales athletæ delibuti ſecuriùs ad bella contra diabolicas poteſtates incedant, quæ illos interiùs, exteriuſque aggrediuntur. 884

Cõfirmatio hominem corroborat contra dæmonē.

Quare huius virtute Sacramenti fideles corroborari debent contra infernalem hoſtem, ſiue interiùs pugnet per tentationes, & ſuggeſtiones varias: ſiue exteriùs per obſeſſiones, poſſeſſiones, maleficia vexet, & infirmitates. Nam ad hæc propulſanda efficaciter in corporibus, & mentibus operari docet experientia, & luculento exemplo oſtendit Thomas Cantipratenſis *lib. 2. Apum cap. 67. par. 33.* ſequentibus verbis.

Exemplo comprobatur.

Venerabilis Bonifacius quondam Laudanenſis Epiſcopus, me audiente, euentum ſequens recitauit. Aderat in quadam Villa cæcus, qui totius villæ vaccas ad paſtum deducebat, repellebat à frugibus,& ad certa loca paſcuis vberiora prouocabat. Et quod maioris prodigij eſt, colores, & ſtatum ſingularum vaccarum ſpecialiter diſcernebat vt ver. gr. ſi vaccam coloris rubei, vel nigri, aut albi ab eo petiuiſſes, ſine difficultate vaccam talem tibi apprehenſam in cornibus obtuliſſet. Ad quem locum cùm quidam Epiſcopus adueniſſet, & de cæco talia audiſſet, & experientia ita eſſe didiciſſet; quæſiuit ab eo, an Confirmationis Sacramentum ab Epiſcopo ſuſcepiſſet. At ille: non, inquit; & ſtatim Epiſcopus cæcum hoc Sacramento muniuit, & mox ab eo vaccarum diſcretio eſt ablata: quoniam dæmonis operatione, & miniſterio hoc operabatur.

§. I.

QVare cùm coram Exorciſtis, ac Parochis præſentantur obſeſſi, vel maleficiati, & maximè pueri, vel puellæ, qui vel ſyncoparum accidentia ſtatutis diebus, vel horis aduenientia patiuntur: vel tremorem in membris, & præcipuè cauſatum in capite ex præſentia ſpiritualium rerum vel perſonarum: vel noctu voces, ſeu vociferationes inſolitas clamoroſas emittunt: vel alia huiuſmodi patiuntur accidentia, de quibus ſupra, vbi *de Signis*, diligentiſſimè eſt obſeruandum, ac inueſtigandum, an ſalutari Confirmationis Chariſmate ſint delibuti. Quòd ſi huiuſmodi firmiſsimo clypeo 885

Hoc Sacramento muniri debent pueri, ac puelli maleficio affecti.

muniti

muniti non ſint, ad Epiſcopum ducantur, vt hoc Sacramento roborentur; & ſic faciliùs omnia ſathanica machinamenta deſtruentur.

ARTICVLVS III.

De Pœnitentia.

886 Tertia ſtella Pęnitentiæ Sacramentum denotat, cuius virtute quantum infernales hoſtes terreantur, quis valeat enunciare? Si enim per peccatum latent in anima, per Pęnitentiæ Sacramentum exire compelluntur; vt ſæpè ſigno externo indicatum eſt, cùm viſi ſint bufones, vermes, ſerpentes, & id generis animalia ex ore pęnitentis proſilire. Si verò obſeſſionibus, ac maleficijs homines vexant in corpore, ſæpiùs ſedes mutare, & à vexatione ceſſare coguntur, cùm vexati per Confeſſionem vitam mutare incipiunt; vt innumeris conſtat exemplis, quorum aliqua hìc ſubijciam.

Virtus Sacramẽti Pœnitentiæ cõtra dæmones.

Hector Boetus lib.9.rerum Scoticarum, *refert anno chriſtianæ ſalutis 1486. nauigantibus è Thortea æſtuario in Flandriam negotiationis cauſa, tantam ſubortam eſſe ventorum vim, vt velis, malo, armamentiſq; ruptis, nauique fœdè inter tumentes vndas iactata, certiſſimam mortem cuncti expectarent. Nauicularius tantam, tamque inſolitam aeris inclementiam eo temporis demiratus (ſuberat enim ſolſtitium æſtiuum) cùm id non ſyderum, ſed malorum dæmonum, qui hominibus ſemper sũt infeſti, inſidijs magnis tribueret; clamoribus mulieris ex imo nauis vox reddita eſt ſe miſerè incuſantis, ſe incubo dæmoni ſub humana effigie, cum quo multis ante actis annis habuerat conſuetudinem, iam tunc fuiſſe commixtam, & ab eo ſubactam: mari ergo ſe tradendam exhibuit, vt ipſa pereunte, quæ tanti mali imminentis cauſam præſtitiſſet, cæteri Dei benignitate incolumes permanerent. Accedens ad lacrymantem fœminam (iubente ita nauiculario) Sacerdos, eius atque cæterorum ſaluti conſulendi cauſa, crimen iam palam fatentem, horrentemque tam dirum ſcelus, vehementer ex imo pectore ſuſpiria trahentem, pęnitentemque piè eſt hortatus, ne ſibi deeſſet; ſed in Deo ſuam fiduciam collocaret: Tanta enim eſt miſerentis Dei clementia erga mortales, vt alios peccatores etiam in profundum malorum lapſos reſipiſcentes nonnunquam ad maiorem longè, quàm vnquam ante habuerint, gratiam admittat. Media pij Sacerdotis hortatione, cùm multis ſuſpirijs mulier admiſſum facinus deploraret, à cunctis viſa eſt atra nubes è nauis ſentina proſiluiſſe, ingentiq; ſono, flamma, fumo, atque fętore ſeſe deieciſſe in mare, ac ex tunc ſerena cæli facies viſa eſt, & tranquillitas in mari eſt oborta.*

Exẽplis comprobatur.

Ioannes Diaconus tria narrat exempla eorum, qui à dæmone poſſeſſi mox vt peccatum B.Gregorio ſunt confeſſi, ſe peccati pęna liberatos ſenſere. Et eorum quidem vnum, cùm octies negaſſet, octies ſic à dæmone renouata vexatione fatigatum, nona demum vice, qua furtum eſt faſſus, percepta pænitentia pænitus fuiſſe redditum immunem.

Plura alia & vetera, & recentiora refert Delrius *lib.6. Diſquiſ.Magic. cap.2.q.3. ſect.3.* ſed his omiſſis inter plura ab experientia mihi ſuppeditata vnicum hìc ſubijciam.

Anno reparatæ ſalutis 1649. in quodam Territorij Taruiſini Oppido ad me acceſſit quidam homo annos natus 45. duplici maleficio amoris nempè, & odij affectus. Amoris erga mulierem meretricem, quam carnaliter ferè quotidiè (etſi intrinſecùs hoc ſibi diſpliceret) cognoſcebat, à cuius mulieris matre, quæ vulgò ſaga putabatur, per indicia ferè euidentia ita ſe malè affectum, arbitrabatur. E conuersò odij erga propriam vxorem, quam ita ægrè ferebat, vt vna cum illa familiariter conuerſari nequiret; quam tamen antea vnicè diligebat: continuèque veluti quendam bolum, à quo valdè affligtabatur, in ſtomacho ſentiebat. His omnibus ab ipſo mihi enarratis, illi iuſſi, vt ſtatim ad Confeſſarium accederet, adulterium, ac cetera peccata ſua ex præcordijs deteſtando integrè, fideliter, & humiliter confiteretur; Quo peracto iterum eo ad me accedente, ac coram me genuflexo denuò peccatum adulterij cum reliquis ore, & corde deteſtante, ac proteſtante, ſe impoſterum (Deo adiuuante) non aliam, quàm propriam vxorem cogniturum, ipſamque (vt decet virum chriſtianum) vnicè dilecturum, dæmoni à me præcepto facto, vt ab eo recederet, ſtatim bolus ille à ſtomacho abſceſſit, ac perfectè ſanitati reſtitutus eſt; cæpitque vnicè propriam diligere vxorem, ac mecham prorsùs abhorrere. Quod vtique eueniſſe credendum eſt: quia priùs per confeſſionem delicta expiauerat perpetrata. 887

Exemplũ ab Auctore relatũ

Ferè huic ſimile obſeruaui anno Domini 1658. Bergomi die 21. Auguſti, cum ad me confugiſſet quidam homo à Caluſco territorij Bergomenſis filium ducens ætatis ſuæ annorum quatuordecim à dæmone obſeſſum, à quo torquebatur ferè in omnibus corporis membris, nunc ad fletum, ſæpiùs ad riſum illum inducendo, nunc ſuper terram proſternendo, eique varia tormenta inferendo, omnes poſui conatus, nec labori peperci, vt eum à dæmonis tyrãnide per actus fidei, ac fiduciæ in Deum liberarem; at cum in vanum laborarem, quæſiui à Patre, quantum temporis eſſet, ex quo ei hoc accidiſſet: qui reſpondit: ferè ab infantia ſemper aliquos dolores pertulit; veruntamen à tribus tantùm circiter hebdomadis ſe dæmon patefecit. tunc illum admonui ſecretò, vt diligentiſsimè ſuam examinaret conſcientiam, an fortaſſe aliquando dæmonem aduocaſſet: vel aliquod peccatum mortale ob verecundiam, aut malitiam in confeſſione tacuiſſet. Qui ad primum reſpondit, ſe multoties cum à Patre, ac Matre quæreretur, an tale malum perpetraſſet, ſe ad confirmandum ſuum dictum, ſolitum eſſe dicere: poſſit dæmon me ſecum aſportare, ſi feci tale malum, quod mihi imputatis. *veruntamen ſe hoc dixiſſe ſine mendacio aſſerebat. Quo verò ad examen conſcientiæ promiſit ſe hoc facturum. Sic ſequenti die peracto conſcientiæ examine, humili, fideli* coram me *facta omnium ſuorum peccatorum confeſſione, poſtea coram Patre, ac Matre genuflexus petita ab eis venia de iniurijs eis illatis, mihi ſacro inſeruiens, ſacramque communionem percipiens, quam pariter eius Pater, ac*

Mater ſuſceperunt, ad veſperas tandem à dæmone perfectè liber euaſit.

Quare Exorciſtis, ac Parochis hoc maximè eſt attendendum, vt cùm ſibi obſeſſi, aut maleficiati adulti præſentantur, illis in primis ſuadeant, omnia peccata ſua nedum ex totis præcordijs deteſtari; ſed etiam ea fideliter, & humiliter in Confeſſione ſacramentali Sacerdoti idoneo aperire; ac pœnitentias ſibi ab eo impoſitas adimplere: cùm hoc Sacramentum in adultis maximè ſit diſpoſitio ad perfectam à Deo fidem, ac inhæſitantem confidentiam, qua infallibiliter à quacumque dęmonis vexatione liberari valeant (quando huiuſmodi liberatio animæ ſuæ ſaluti eſt profutura) faciliter impetrandum.

Suadendum obſeſſis vt per Sacramētū pœnitentiæ peccata ſua expurgent.

Vt autem liberatio à dæmone, vel ab alia vexatione proficua dicatur, vexatus ex tali vexatione ſumere debet occaſionem peccatorum ſuorum pænitentiam agendi, ac bona opera exercendi. Si hoc faxerit, Deus exaudit orationes: quia per pænitentiam, maximè ſacramentalem, ac per bona opera miſericordiæ ſpiritualia, ac corporalia ſatisfit Iuſtitiæ Diuinæ. Cum autem Deo fuerit ſatisfactum, Deus pænam propter peccata immiſſam aufert à peccatore, eique bona ſaluti conuenientia confert. Quod magis, ac magis ſequens exemplum probat.

Bergomi anno 1653. Quædam mulier paupercula furata erat quoddam induſium, ac lintea: Domina illorum indicijs habitis de perſona, quæ ea abſtulerat, ad ſe eam vocauit, ac furtum ab ea factum exprobrans, ei perſuaſit, vt quæ abſtulerat, reſtitueret. At illa ſtatim negauit, ac iuramento ſuam negationem confirmauit; atque imprecando ſibi pœnam dixit: Faciat Deus me aduri ab igne Sancti Antonij, ſi hoc delictum commiſi. *Sed ecce Deus ſententiam ab ea contra ſe latam confirmauit, immittens in eam quoddam incendium ſpirituale, & inuiſibile, quo ita ardenter vrebatur in toto corpore, vt tacere neſcio propter exceſſiuum dolorem (Deo ſic volente) clamare cæpit dicens:* Ego, ego induſium, & lintea furata ſum: ego, ego illa abſtuli, & propter hoc delictum à me commiſſum, ac negatum cum imprecatione mihi facta igne Sancti Antonij me ardentiſſimè torquet, & adurit. *Sic alta voce clamabat, ac verba prædicta inceſſanter repetebat; ex cuius clamoribus confluxerunt gentes vtriuſque ſexus, vocati ſunt Presbyteri, qui putantes à dæmone obſeſſam crucibus, reliquijs Sanctorum, alijſque benedictionibus eam munibant; ſed omnia incaſſum præſtabant. Tandem ad me confugerunt narrantes omnia, quæ acciderant. Ego verò eos admonui, vt ſtatim mulier, omnia, quæ abſtulerat, reſtitueret, ac ſine mora ad Sacramentum Pœnitentiæ accederet, humiliterque, deuotè, ac ſincerè confeſſionem perageret cum propoſito firmo ampliùs nō periurandi, nec dęmonem aduocandi, nec aliud peccatum committendi, ac bona opera perficiendi. Quo adimpleto ſtatim incendium ignis ceſſauit, deſijt ignea afflictio, ſilentium ori impoſuit, ac imposterum meliorem, ac probatiorem vitam degit.*

En videas quid præſtent imprecationes ſibi factæ; & quàm potens, & efficax nedum ad dęmones effugandos; ſed ad flagella Dei auertenda, & repellenda ſit Confeſſio Sacramentalis, deuotè exhibita, & adimpleta; ad quam frequentandam Exorciſtæ vexatos hortari debent, vt actus fidei, ac fiduciæ in Deum faciliùs elicere queant: quia fiducia in Deum, ait Caſſianus loc. cit. num. 510. huius tomi, *de conſcientia puritate creditur emanare.*

ARTICVLVS IV.

De Euchariſtia.

Qvarta ſtella Euchariſtiæ Sacramētum deſignat, 888
cuius efficacia contra dęmones, ac dæmoniacas operationes maximè valet; omnia enim tenebrarum opera hoc Sacramentum veluti ſolaribus gratiarum radijs tanquam ſpiculis percuſſa diſſipat in momento. Vnde S. Io. Chryſ. homil. 61. ad populum Antiochenum dixit: *Tanquam leones ignē ſpirantes ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles.*

Virtus Euchariſtiæ contra dæmones.

Hoc antiqui quoque Patres vnanimiter conteſtantur. Caſſianus de quodam à dæmone nocturnis illuſionibus grauiter infeſtato meminit, qui cùm ſeniorum conſilio huius ſalutaris remedij medicinæ vſus fuiſset, ita omnis diabolicæ tentationis ſcena detecta eſt, vt mox Dominici corporis virtute protegente, illa præteritæ illuſionis conſuetudo ceſſaret.

Exēplis comprobatur.

B. Proſper narrat, ſuis temporibus Carthagine hoc portentum diabolicum eueniſſe. Quædam iuuencula natione Araba ancillæ Dei habitum geſtans, cùm ſe in balneo lauans quoddam Veneris ſimulacrum impudicè aſpiceret, ſeipſam ei conſimilans in dæmonis domicilium conſecrauit: ſtatimque ille leo, qui rugiens circuit, quem quærebat, adinuenit. Meatus igitur gutturis eius occupans, nullum cibum, nullum potum traijcere ſeptuaginta fermè diebus, totidemque noctibus diabolus ei permittebat. Hinc parentes puellæ huiuſmodi portentum vlteriùs tolerare nolentes, ſimul cum filia ad Sacerdotem acceſſerunt, quæ acta erant fideliter explicantes. Hoc tantùm puella fatebatur, auem quandam media nocte apparere, quæ ſibi in os neſcio quid infundebat. Stupor tunc inerat cunctis puellam nullis indicijs diuturni ieiunij fœdatam, nullo pallore, ſeu tabe, vel debilitate confectam; ſed potiùs robuſtam intueri.

Cùmque incredibilia viderentur, habito conſilio, in Monacterio puellarum, in quo reliquiæ S. Stephani colebātur, Sacerdos puellam Præpoſito commendauit. Illic primò tantùm die apparuiſſe illam auem aſſeruit, ſeque increpaſſe, quòd neque fame, neque ſiti compulſa illum appeteret locum, quo ſibi accedere non liceret. Per duas ſanè hebdomadas nihil cibi, vel potus ſumens in Monaſterio manſit, vbi accidit, vt cùm quintuſdecimus Dominicus illuceſceret dies, aſcendente nobiſcum Sacerdote, vt matutinum illic ſacrificium ſolitò offerret: puellam Præpoſitus ad altare perduxit eo inceſſu, & habitu, quo ſolent rubore perfuſæ ex epulis, poculiſque mulieres aduenire. Sed ſtatim ac ſe illa ante altare proſtrauit, ſui fletus clamore cunctis aſtantibus gemitus, lacrymaſque induxit, quibus tantum malum auferendum (erat enim iam indecens murmur in populo) plebs Dominum exorabat. Peracto itaque ſacrificio, cùm eadem inter cæteras breuem particulam corporis Domini tinctam à Sacerdote perciperet, ſemihora mandens traijcere non valuit, nondum illo fugato, de quo di-

cit

cit *Apoſtolus 2. Cor. 6.* Quæ conuentio Chriſti ad Belial? *Et iterum 1. Cor. 10.* Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. *Manu igitur faciem eius ſuſtentante Sacerdote, ne Sanctum proijceret, à quodam Diacono ſuggeſtam eſt, vt calicem ſalutarem gutturi eius Sacerdos applicaret. Quod vt factum eſt, ſtatim ac locum illum, quem diabolus obſederat, Saluatoris imperio reliquit, Sacramentum, quod ore geſtabat, cum laude Redemptoris tranſglutinaſſe puella clamauit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quòd poſt octoginta, & duos dies, diabolo expulſo, puella de poteſtate fuerit eruta inimici.* Hactenus B. Proſper.

Eodem modo Mediolani D. Bernardus in Eccleſia S. Ambroſij aliam perſonam, ſuper caput eius poſita Euchariſtia, ab eodem humani generis hoſte liberauit:

Vt refert Guilhelmus Abbas *lib. 2. in vita D. Bernardi c. 3.* Alia plura exempla de hac re referunt Ioan. Molinet. *in Chronicis Belgicis,* Bernardus Luxemburgicus *in Cathalogo Hæret. lit. G.* Cæſarius Ciſtercienſis *lib. 9. Mirac. cap. 12.* Picus Mirandolanus *lib. de Strigib. & alij* relati à Delrio *lib. 6. Diſquiſ. Magic. cap. 3. quæſt. 3. ſect. 3.*

Verùm quoad id, quod præſtitit D. Bernardus ponendo Euchariſtiam ſuper caput obſeſſi, dico quòd Sancti in aliquibus eorum actionibus magis ſunt admirandi, quàm imitandi: Idcircò illam actionem prædictus Sanctus fortaſſe exercuit: quia illam praxim inuenit typis editā in Sacerdotali antiquo Romano: vel ſpeciali Spiritus Sancti inſpiratione motus; Attamen huiuſmodi praxis eſt periculoſa. Ratio eſt, quia Sacramentum Euchariſtiæ non eſt à Chriſto inſtitutum ad dæmones expellendos, licèt quandoque eos miraculosè eiecerit; ſed ad gratiam augendam. Quòd ſi dæmon ad huius Sacramenti extractionem, ac ſuper caput obſeſſi poſitionem non exierit ab eo, Exorciſta non tantùm obſeſſum, ſed etiam circunſtantes periculo exponit dubitandi de reali exiſtentia Chriſti ſub ſpeciebus panis in Sacramento Euchariſtiæ: vel exiſtimandi, quòd maior ſit potentia dæmonis, quàm Dei, & conſequenter in hæreſes prolabendi. Hinc etiam in Rituali Romano hæc praxis prohibetur, vbi *de exorcizandis Energumenis* pertractatur.

§. I.

889 QVare his paucis ſufficiat, indicaſſe, vt qui diabolica operatione vexantur, ad illam menſam accedant, quam, Dauide teſte Pſal. 22. parauit Dominus in conſpectu noſtro aduerſus omnes, qui tribulant nos, ac conturbant, vt panem illum Sanctiſſimum dignè ſumentes ſentiant illum quaſi ſubcinericium Gedeonis panem in gladium conuerti, volui intùs, & extrà ſumentem deſcendere in caſtra ſpiritualium Madianitarum, & tabernacula eorum percutere, ſubuertere opera eorum malefica, ac penitùs in nihilum redigere. Hac de re Abbas Serenus apud Caſſianum *Collat. 7. cap. 30.* loquens de Arreptitijs ait: *Communionem eis ſenioribus noſtris numquam meminimus interdictam: quinimmò, ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie eis impertire eam debere, cenſebant. Quæ ab homine percepta, eum, qui in membris eius inſidet, ſpiritum, ſeu in eius corpore latitare cognoſcitur, velut quoddam exurens fugat incendium.* Quod inſinuatur etiam in canone 1. Concilij Arauſicani, in quo dicitur: *Energumeni iam baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſolicitudini Clericorum tradant, monitiſque obtemperent, omnimodè communicent Sacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infeſtantur; vel purgandi, quo iam oſtenditur vita purgatior, &c.* Et hic videtur vſus Eccleſiæ; vt patet ex Rituali Romano, & alijs, in quibus exorciſmi traduntur, & frequens confeſſio, & communio commendantur.

Hæc muniendi ſunt obſeſſi, ac maleficio affecti adulti.

Docent Patres.

Concilium Arauſic.

Veruntamen Scholaſtici diſtinguunt inter eos, qui ob delicta poſſidentur à dæmone; & eos, qui ad maiorem purgationem, ſeu ob meritum ab ijſdem Dei permiſſione torquentur. Alenſis *part. 4. q. 11. mem. 2 art. 3.* D. Thom. *in 4. diſt. 9. quæſt. vnica a. 3. quæſtiunc. 5. ad 2.* Armilla verbo *Communio.* Syluester verbo *Euchariſtia,* docent, ijs, qui frequenter in blaſphemias, & eiuſmodi peccata incidunt, communionem non eſſe exhibendam. Cæterum D. Th. *3. part. quæſt. 80. art. 2.* mutauit ſententiam, quàm ſequitur Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 9.* Vaſquez *diſput. 212. cap. 4.* & Antonius Hiquæus *in 4. Sent. Scoti diſt. 8. quæſt. 3. num. 8.* qui ait: *Quia communio multum detrahit viribus hoſtis, & facit ad purgationem peccatorum; ideo ſequendi rituales libri, & eorum præſcriptum.* Quare Exorciſtæ, ac Parochi obſeſſos, ac maleficiatos adultos excitare non negligant, vt hoc tantum Sacramentum ſæpiùs deuotè, ac feruidè percipiant, quo mediante ad fidei perfectæ, ac confidentię in Deum inhęſitantis actus eliciendos excitati à quacumque dæmoniaca vexatione liberari mereantur.

Varia ſententiæ Scholaſticorum.

ARTICVLVS V.

De Ordine.

QVinta ſtella Ordinis Sacramentum repræſentat 890
quo miniſtri Eccleſiaſtici inſigniti cæteris hominibus virtute diuina ſunt potiores, ideoque maiora etiam præſtare poſſunt, præcipuè in hoſtes infernales, ſi ſaltem Ordinis Exorciſtatus poteſtate ſint ſuffulti. Vnde cùm munere exorciſtico fungentes ijs, quæ ad Dei gloriam, & hominum ſpectant vtilitatem, vacant, videmus eorum præceptis dæmones obedire, ad manuum impoſitionem timere, ad eorum adiurationes torqueri, & ad eorum imperium effugari. Quod benè teſtatur S. Cyprianus ad Demetrian. *O ſi audire velles,* inquit, *& videre, quando à nobis dæmones adiurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus eijciuntur: quando eiulantes, & gementes voce humana, & poteſtate diuina flagella, & verbera ſentientes venturum iudicium confitētur. Veni, & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus.* Propterea quicumque dæmoniacis vexationibus, ac maleficis infeſtationibus afficiuntur, ad eos recurrere debent: cùm ipſi ordinis exorciſtatus poteſtate ſint donati, qua dæmones ab obſeſſis corporibus valent exulare.

Viri Eccleſiaſtici Ordine Exorciſtatus inſigniti potētiſſimi ſunt contra dæmones.

§. I.

VEruntamen hoc cauendum, vt nec arreptitij
ordinem ſuſcipere audeant, nec exercere ſu- 891
ſceptum, vt habetur expreſsè ex *cap. maritum. cap. communiter. cap. Clerici. diſt. 3.* Vbi Gloſſa, Archidiac. Albericus, & communiter DD. aſſerunt, eſſe irregulares. Immò etiamſi conualeſcant, non poſ-

Arreptitij non poſſunt ſuſcipere

ſunt

ordinem, nec ſuſceptum ad miniſtrare. ſunt arreptitij ad ordines ſacros promoueri: quia vix de eorum plena liberatione conſtare poteſt; vt docet Naldus *in Summa*: Si verò ordinati ſint, ex multorum ſententia ordines exercere non debent, niſi per annum hos liberatos eſſe, probetur: vt poſt Gloſſam docet Gregorius Sayrus *lib.5.cap.9.n.14.*

Arreptitij quinã ſint. Per arreptitios intelliguntur non maleficio affecti, neque quicumque à dæmone obſeſſi, aut poſſeſſi; ſed tantùm illi, qui aut in terram à dæmone arrepti eliduntur: aut quolibet modo incurſibus efferuntur: ita dicto *cap.communiter diſt.33.* vt cùm ſenſibus abalienantur: vel ſæpiùs veluti mortui cadunt, vel id generis graues ſuſtinent moleſtias: Et vt breui complectar: Arreptitij ſunt ij, qui ita impediuntur à dæmone in ſuis potentijs ſenſitiuis ſiue interioribus, ſiue exterioribus, vt ad libitum, & è voto ſuo ſuas nequeant naturales exercere operationes: vel vnum pro alio operari (præſertim in ordine ad miniſteria eccleſiaſtica) cogantur. Hi quidem irregulares ſunt cenſendi. Et licèt liberentur; adhuc tamen probandi ſunt, vt dictum eſt ſupra ex mente dictorum Auctorum.

Hoc confirmant dicti Auctores facto Clerici Aquinenſis Eccleſiæ. Hic enim, vt narrat S.Gregorius *lib.2. Moralium c.16.* cùm à S.Conſtantio Epiſcopo Aquinate per multa Martyrum loca fuiſſet tranſmiſſus, tandem ductus fuit ad S.Benedictum, & ab illo liberatus eſt; cum hoc tamen precepto, ne in poſterum carnes comederet, & ad ſacrum ordinem accedere non præſumeret; cuius poſt longum tempus oblitus, ſtatim ac promoueri tentauit, illicò à diabolo correptus eſt, & vexatus, donec animam exhalaret. Veruntamen putat idem Naldus poſt Gloſſam in *cap. communiter diſt.33.* & Nauarrum *Conſil.35. de tempor.ordinat.* id licere, & poſſe ordinatum ſuos ordines poſt perfectam ſanationem exercere.

ARTICVLVS VI.

De Matrimonio.

892 *Virtus Sacramenti Matrimonij cõtra dæmonẽ.* Sexta ſtella Matrimonij Sacramentum deſignat, quòd licèt principaliter inſtitutum ſit ad humani generis propagationem, certitudinem prolis, cognationum amicitias, auxilium mutuum viri, & mulieris, & vagarum libidinum, ad quæ omnia ſpecialem gratiam confert, vt docet Nauarrus *c.22. num.69* Bonacina *tract. de Matrimonio queſt.4.p.9. num.1.* & communiter Doctores, vbi *de Matrimonij fine honeſto*; attamen illud ad diabolica diſſoluenda machinamenta, quæ eius vſum impediunt, virtutem habere docet Raphael Angelus Tobiam alloquens: *Audi me*, inquit, *& oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonum. Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Nam ex his verbis colligitur, illum tali poteſtate carere in eos, qui modo debito coniugium ineunt, eò quòd *contrariorum eadem eſt diſciplina*.

Quare conſulendum eſt ijs, qui diabolicas colligationes ante ſuſceptum matrimoniũ pertimeſcunt, vt ſe rectè ad illud debitè ſuſcipiendum diſponant: quia ſic virtute ſacramentali ſe diſponent ad hoc, vt omnes dæmonis conatus in nihilum redigantur. Quòd ſi poſt celebratas nuptias tales vexationes ab hoſte patiantur, videant, an iure matrimonij honeſto ſine vtantur, nec ne; & poſt petitam veniam, aliaque ſeruata, de quibus infra *num.959.* ſanctà ſanctè impoſterum adminiſtrent, ac ſacra benedictione muniti, diuino opitulante Numine, ab illis impedimentis ſe liberos eſſe probabunt.

ARTICVLVS VII.

De Extrema Vnctione.

Septima tandem ſtella Extremæ vnctionis Sacramentum repræſentat, quod homini in mortis 893
periculo ſiue per morbum, ſiue per ſenium conſtituto ad certaminis ſpiritualis vltimum impetum ſuſtinendum, & ad victoriam de dæmone reportandam confertur: cùm ad hoc vires, & robur chriſtiano athletæ ad coronam properanti ſubminiſtret. *Virtus Sacramenti Extremæ Vnctionis ad tentationes diabolicas repellẽdas.*

Neque hunc effectum ſolùm operatur in anima, cùm etiam ad corporis conferat ſanitatem, quam ſæpe affert laborantibus in extremis. Hoc vſi ſunt Apoſtoli, ac Diſcipuli Domini, de quibus legitur Marci 6. *Et exeuntes prædicabant, vt penitentiam agerent; & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabantur.* Quod fieri docuit etiam D.Iacobus Epiſt. ſuæ canon. cap.5. dicens: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Et habetur *cap. ad abolendam extr.de hær.* & Concil. Florent. in *Decreto vnionis*, ac Concil.Trident. *ſeſſ.7.cap.1. & ſeſſ.14. de Extrema Vnctione can.1.* *Ad ſanitatem ægris conferendã.*

Quare ij, qui ſe in extremis poſitos vident vi morbi, aut à naturali cauſa, aut à dæmone illati, ſollicitè curent, vt Sacramentum hoc cum debita præparatione ſuſcipiant, vt eius effectus non ſolùm in anima; ſed etiam in corpore conſequantur.

Ex quibus collige, quanta ſit Dei in homines maleficio affectos beneuolentia, cùm tot Sacramenta non terreſtria, ſed cæleſtia inſtituerit; ideoque ſeptem ſtellis comparata, quaſi generalia remedia, vt ſint in manu Exorciſtarum, ac Parochorum, & facili negotio, ſicut ea, quæ in manibus ſunt, exhibeantur.

CAPVT II.

De Remedijs generalibus Sacramentalium.

Etſi Sacramentalium cum Sacramentis non ſit 894
æqua dignitas, par vſus, & ſimilis efficacia; attamen in his tribus ad illa accedere videntur. *Sacramentaliũ Dignitas.*

Dignitas in hoc apparet, quòd omnia ſunt ſacra: vel quia ſeipſis ad ſanctitatem pertinent: vel quia inſtitutione eccleſiaſtica ſanctitati deputantur. Non enim hic ſacramentale ſtricto modo ſumimus pro illo, quod eſt ad Sacramentum ordinatum; ſed lata ſignificatione pro omni re quoquo modo ſanctificata, & ob ſanctificationem reuerentia proſequenda.

Vſus. Vſus eorum facilior eſt, cùm aliqua ex Sacramentis ſine ſacrilegio reiterari non poſſint: alia verò non ita frequenter: At ſacramentalibus quotidiè, & continuè præmuniri poſſumus.

Efficacia. Efficacia eorum in homine tam interno, quàm externo ſentitur: in interno quidem: quia peccata venialia ex opere operantis delent, ad actum contritionis, ſeu amoris, per quem peccata venialia immediatè delentur, excitando: Ita S.Bonauentu-

in

Quæ probantur In Cruce, Euangelio, Agnus Dei, Reliquijs SS. Imaginibus SS. Aqua bened. Pane, & oleo benedicto.

in 4. diſt. 21. art. 1. queſt. 1. Paludan. *loco citato* Coninch. *queſt. 71. art. 3. num. 28.* Suarez *diſput. 12. ſect. 2. num. 20.* & alij relati à Bonacina *de Sacram. diſput. 5. queſt. 6. ſect. 2. punct. 2.* In externo autem: quia bona ſpiritualia, & temporalia conferunt, atque mala, dæmoniacas præcipuè infeſtationes, maleficia, incantationes, aliaque infernalia machinamenta auertunt, quorum vires ſacramentalium virtute pereunt, ac deſtruuntur.

Quare remedia generalia, ſeu potiùs ſtellæ in manibus poſitæ ad maleficio affectorum ſolamen iure nuncupantur. Quæ, cùm innumeræ ſint, & ſtellis minutioribus ſimiles, quæ in firmamento lucent, ex tanto numero ſeptem ſeligemus, quorum virtutem totidem articulis breuiter declarabo.

ARTICVLVS I.

De Cruce.

895 *Crucis ſigno dæmones expelluntur*

CVm Chriſtus in Cruce, & per Crucem inferas poteſtates proſtrauerit; vt ait Paul. ad Col. cap. 2. *Delens, qui aduerſus nos erat chirographum decreti, qui erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemeipſo*: nihil mirum, ſi eius virtute dæmoniaca opera deſtruantur. De qua virtute eruditiſſimè ſcripſerunt S. Cyprianus *Serm. de Paſſione Chriſti*. Origenes *lib. 3. in Iob*. Lactantius *lib. 3. cap. 2.* D. Antonius apud Athanaſium *de Incarnatione Verbi* dicens: *ſignum Crucis tollit omnem magiam*. D. Gregorius Nazianzenus *orat. 1. in Iulianum, & ad Nemeſium*, D. Chryſoſt. *homil. 8. in Epiſt. ad Coloſs. & homil. 50. in Matthæum*. D. Cyrillus *Catech. 4. de Aſcenſione*. Niſſenus *in vita Thaumaturgi*. Hieronymus *in vita S. Hilarionis*. Auguſtinus *lib. 2. de Simbolo ad Catechumen. & ſerm. 81. de temp.* Theodoretus *in vita Macedonij, & lib. 3. hiſt. cap. 3. & lib. 5. cap. 21.* D. Gregorius *lib. 2. Dialog. cap. 10.* Ioannes Diaconus *lib. 2. vita D. Gregorij cap. vltimo.* Thomas Cantipraten. *lib. 2. cap. 57. à parte 34.* Landulphus Carthuſianus *de vita Chriſti*, vbi *de Paſſione eius*, & alij plures, quos nimis longum, & tædioſum eſſet recenſere.

§. I.

896 *A Sanctis.*

SAncti ſalutifero hoc crucis ſignaculo mirabilia operati ſunt ad morbos tollendos, ad incendia extinguenda, ad tempeſtates ſedandas, calamitates auertendas; ſed ad dæmonum præcipuè diſſipanda præſtigia, maleficia abolenda, & arreptitios liberandos; vt de S. Remigio narrat Hincmarus *in vita eius*: de B. Vedaſto Albinus Flaccus: de D. Auxentio, ac de S. Patapio Metaphraſtes: de S. Albino Fortunatus: de S. Suitberto Marcellinus: de Beato Caluppano, de S. Portiano, ac de S. Nicetio Treuirenſe Gregorius Turonenſis: de S. Niceta Theocteriſtus eius diſcipulus: de S. Macario Patriarcha Antiocheno Anonymus: de S. Theodoro Archimandrita Georgius eius diſcipulus: de Beato Godefrido Nicolaus eius diſcipulus: de S. Maximo Rhegienſe Dinamius Patricius: de S. Mauritio Fortunatus: de S. Aichardo Fulbertus: de B. Nonno Iacobus Diaconus: de S. Iacobo Alemanno Antonius Flaminius: de S. Gallo Abbate VValafridus Strabus: de S. Daniele Stylite Metaphraſtes: de Beato Vincentio Ferrerio Rauzanus: de S. Eligio Nouiomenſe S. Audoenus eius æqualis, qui refert, dictum Sanctum ſolitum fuiſſe ſuos edocere his verbis: *Chriſtiano nec auguria, nec alia qualibet figmenta poſſunt officere: quia vbi ſignum crucis cum timore, & fide Dei præceſſerit, nihil ibi inimicus nocere poterit*, & de S. Eutychio Patriarcha Euſtachius eius diſcipulus, qui & crucis ſignum vocat *telum dæmonibus formidabile* & alij innumeri; vt ex Sanctorum Patrum ſcriptis, hiſtorijs varijs probant, qui de eius laudibus ſalutaribus ſcripſerunt. Vnde S. Antonius Abbas, vt in eius vita habetur, dæmones inſultabat his verbis: *Si quid poteſtis, cur me non offenditis? Si vnus ex vobis me offendere poteſt, cur innumerabiles concurritis? Signum crucis, & fides puris formidabilis, & horribilis vobis eſt.*

§. II.

NEc Sancti tantùm, ſed quicumque fideles illo vſi ſunt, præcipuè cùm dæmon in humana aut in horribili belluarum forma apparens, aut præſtigioſa fallacia nummos, veſtes, vaſaque offerens, eos ad res nefandas incitare tentauit: ſtatim namque crucis ſigno formato præſtigiorũ auctor emiſſo ſibilo, ſtrepitu, fragore, fumo, ac fætore, aufugere coactus eſt: vt paſſim in hiſtorijs Eccleſiaſticis inuenitur. 897 *A Fidelibus.*

A Pueris

Immò pueri, dum frontem innocenter chriſtiano more illo ſigno inſigniunt, mirabilia operantur: vt ille, qui (referente Thoma Cantipratenſe *lib. 2. Apum, cap. 36. part. 4.*) in Mechlinia Brabantiæ Corrizatricem à dæmone obſeſſam liberauit, & dæmonem in hirſuti vermis forma ex eius ore compulit proſilire.

A Iudæis

Quin etiam Iudæi ſalubriter hoc ſacro ſignaculo vſi ſunt: vt ille, qui ex Campaniæ partibus Romam veniens, cùm in Apollinis Templo pernoctaret, & ſpirituum malignorum turbã videret, ſe crucis ſigno induniuit, cuius virtute fugati ſunt dicentes: *Veh veh vas vacuum, ſed ſignatum*: vt refert D. Gregorius *lib. 3. Dialog. cap. 7.*

Ab Hereticis.

Idipſum experti ſunt Hæretici: vt Iulianus apoſtata, qui à Mago ad nocturnum dæmonum conuentum ductus, ſubito horrore perterritus, *ad crucem*, ait Gregorius Nazianzenus orat. 3. n. 19. *vetuſque remedium confugit; hocque ſe aduerſus tortores conſignauit.*

§. III.

FAtentur hoc ipſimet dæmones à S. Patapio expulſi apud Metaphraſtem *menſe Nouembris*, clamantes: *Verè terribilis es, ò Nazarene, verè terribilis es, & vbique in omnes obtines imperium. Quo ergo proficiſcar? Si in deſertum, ſi in ciuitatem, ſi vbicumque duxerit aliquis, tu illic præuenis, ſola crucis figura ſolo tuo nomine nos expellens.* 898 *Hoc fatētur ipſi dæmones*

Quinimmò ipſa animalia eius virtutem experta ſunt; vt probat exemplum à Vicentio Beluacenſe relatum *tom. 4. hiſtor. lib. 10. cap. 29.*

Animalia ipſa experta ſunt.

Dæmon enim à S. Regulo Siluanectenſi Epiſcopo & Sancti Dionyſij ſocio è corpore filij cuiuſdam, cùm ſe in veſpertilionem transformaſſet, & in aſinum, quo Sanctus ille Præſul vehebatur, ingredi tentaret; ſicut ſimilis ſpecie beſtia Prophetam Balaam alias increpans humana verba (Deo os eius aperiente) protulerat: ita bellua hæc Sancti Reguli meritis ſalutis ſignum, quod numquam cognouerat, efformauit, pede in terra figurauit, &

quaſi

quaſi Deum adiutorem inuocaret, erecto in cælum capite, plus ſolito rudere cœpit: ſicque diuina potentia ab hoſtis malignitate eſt erepta.

Ideò ab obſeſſis ſæpiſſimè adhibendum. Quare frequentiſſimè ſalutis ſignum in maleficijs ſoluendis adhibendum eſt, ſicut in Rituali Romano, & Canonibus ordinatur, *cap. Eccleſiaſticarum d. 11.* ibi Gloſſa docens, in quibus membris crucis ſignaculum fieri debeat *de conſecrat. d. 4.* cùm illud dæmones valde pertimeſcant; & nihil tam ſollicitè eius miniſtri malefici caueant, quàm ne ſignum illud ſalutare à circunſtantibus efformetur.

Propterea concludit S. Ephrem Syrus *in ſermone de ſancta, & viuifica cruce, apud Patrum Caniſium part. 4. Auctoritatum S. Script. & SS. PP.* nos adhortans ad pingendum illud ſignaculum in omnibus, quæ ad nos ſpectant, ad dæmones fugandos. *Nos Chriſtiani, inquit, à Gentilibus, & à Iudæis declinemus, poſteſque noſtros pretioſa, ac viuifica cruce coronemus, dicentes cum Apoſtolo: Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* (*Galat. c. 6.*) *Pingamus in ianuis, atque in frontibus noſtris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum ſignum. Armemur inſuperabili hoc chriſtianorum armatura. Hoc enim ſigno conſpecto aduerſariæ poteſtates conterritæ trementeſque recedunt.*

§. IV.

889 HAnc Sacratiſſimam Crucem, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuo pretioſo ſanguine, ac ſacratiſſimi corporis contactu decorauit, à nobiſque adoratione latriæ, quæ ſoli Deo conuenit, prout refertur ad prototypon, ideſt ad Chriſtum ipſum Deum, & hominem, adorari voluit, vt nobis etiam hoc noſtro æuo patefaceret, quanti faciat, ac illam magni faciat, in imagine picta in pariete Sacelli exiſtentis in extremitate muri clauſuræ Conuentus noſtri Sanctæ Mariæ Gratiarum Bergomi, extra antiquą ipſius Vrbis mœnia ædificati, quadam die præſentibus aliquibus perſonis Ieſus Chriſtus, qui in illa imagine Crucem baiulabat, ſe erexit, ac Crucem, quam prius ſuper humeros inclinatus deferebat, erectus, illam amplexus eſt.

Quòd Ieſus Chriſtus Crucem in illa imagine prius baiularet, ideſt ſuper humeros curuatus, & inclinatus deferret, conſtat ex ſequenti ſacra hiſtoria relata à Reuerendiſs. Padre F. Franceſco Gonzaga prius totius Ordinis S. Franciſci Miniſtro Generali, deinde Epiſcopo Mantuano in opere ab ipſo edito *de Origine Seraphicæ Religionis Franciſcanæ part. 2. vbi agit de Prouincia Brixiæ, de Conuentu Sanctæ Mariæ de Gratijs, Conu. 2.* typis impreſſo Romæ anno ab incarnato Verbo 1587. deinde Venetijs anno 1603. Vbi poſt narrationem, ac deſcriptionem prædicti Conuentus noſtri, & Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Gratijs refert quæ ſequuntur dicens:

A parte huius Sancti templi poſteriore inuiſere licet Chriſti Domini Seruatoris noſtri Crucem baiulantis, imaginem, quæ ſuperioribus annis quadrageſimali tamen tempore miraculis coruſcare cœpit adeò vt vndique fideles ad eam confluerent. Ex quorum etiam oblationibus ara, ſacellumque ad Miſsas celebrandas ibidem ſatis eleganter, conſtructa ſunt. Cuius quidem deuotionis, atque miraculorum hæc fuit origo. Dum caſu die quadam fortiùs plueret, ac quidam adoleſcens, qui adhuc ſupereſt, celeriori gradu pluuiæ vitandæ cauſa illuc pertranſiret, oculorum aciem ſorte fortuna in huiuſmodi Chriſti imaginem direxit, ſanguinemque ex ſacro eius capite profluentem conſpexit: quapropter ſui oblitus, ac genuflexus clamitare cœpit, miraculum, miſericordia, & his ſimilia. *Quod cum cōuicini audiſsent, atq; ad eundem locū tenderent, vniuerſa Ciuitatis commota fuit. Re tamen ad illuſtriſſimum Borromæum Mediolanenſium Archiepiſcopum, atque S. R. E. Cardinalem, nec non tunc Diœceſis Bergomenſis apoſtolicum Viſitatorem delata, Bergomum is accedens, atque ſuperſtitionem ſub ſpecie pietatis latentem prudenter pertimeſcens, iubet Sacellum de nouo erectum deſtrui. Cumque Bergomas ſenatus eius imperio reſiſteret, aſſereretque vniuerſam Ciuitatem commouendam, atque facilè in ſeditionem proruptura, quòd maxima in huiuſmodi locum deuotione, ac religione ferretur, ſubiecit grandæuus quidam, ac pius Bergomatis Eccleſiæ Canonicus, maturiori conſilio eo in negotio procedendum fore: inſuper & recentiſſimum huiuſmodi miraculum in medium adduxit: Pauperculam ſcilicet mulierem à quindecim annis claudam, viribus omnino exhauſtam, quæ & pro optata ſalute aſſequenda, quicquid bonorum obtinebat, conſumpſerat, ac depauperata omnino ad commune Ciuitatis Xenodochium ſe contulerat, poſt Miſsæ eo in Sacello auditionem, ac voti à ſe emiſſi ſolutionem, integram ſoſpitatem ex tempore, toto circunſpectante populo, aſſequutam fuiſse. Quapropter præfatus* Cardinalis (qui fuit Sanctus Carolus Borromæus) *diligenti de huiuſmodi miraculo examine habito, eiuſque veritate comperta, à propoſito deſtitit, ſuaque etiam vota præfatæ imagini humillimè obtulit.*

Confirmat hanc veritatem P. Lucas VVaddingus Hibernus tom. 5. Annalium Minorum: Anno Chriſti 1422. Martini V. anno 5. pagina 152. vbi ait: A poſteriori parte templi habetur in magna veneratione Imago Chriſti Domini crucem ferentis, miraculis, quæ B. Carolus Borromæus examinauit, nec non frequenti populi concurſu, celeberrima.

Ex præcedentis hiſtoriæ ſacræ verbis illis (*inuiſere licet Chriſti D. Seruatoris noſtri Crucem baiulantis imaginem*) apertiſſimè colligi poteſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in prædicta Imagine non antea erectum Crucem amplecti; ſed illam baiulare, ideſt ſuper humeros inclinatum deferre; baiulare enim vt explicat Ambroſius Calepinus, verbo *baiulo* proprie eſt deferre aliquod onus ſuper humeros, ſicut & baiulus italico idiomate dicitur *il Facchino*, ſcilicet, qui onera ſuo corpore victus quærendi gratia portat: ex Cicer. *in Parad.* Quod magis, ac magis conſtat ex antiquis multis tabellis in parietibus dicti Sacelli, ac Oratorij contigui appenſis, in quibus Imago Ieſu Chriſti Crucem baiulantis conſpicitur depicta; quarum vnica ex maioribus, & antiquioribus hic ſubijcitur conſideranda, & adoranda.

Ex

Imago Ieſu Chriſti D.N. exiſtens in Sacello S. Marię Gratiarum Bergomi, quę miraculosè Sanguinem emiſit.

Ex præcedente Imagine Ieſu Chriſti D.N. planè conſtat, tunc, quando ille Iuuenis à P. Gonzaga ſupra relatus ſanguinem ex ſacro Ieſu capite profluentem conſpexit: ſimiliter & quando S. Carolus Borromæus Archiepiſcopus Mediolani, ac Viſitator Apoſtolicus Diœceſis Bergomenſis illud Sacellum Ieſu deſtrui iuſſerat; ſed poſtea mutatus illi Imagini etiam ipſe donaria pro voto obtulit, Ieſum Chriſtum in illa Imagine inclinatum Crucem baiulaſſe. Quòd autem poſtea miraculosè ſe erexerit, ac Crucem, quam baiulabat amplexus ſit, manifeſtè probatur ex ſequenti ſcriptura ab Adm. R.P.F. Leone ab Albenio Miniſtro Prouinciali Reformatæ Prouinciæ Brixiæ, cuius & ego alumnus ſum, mihi Venetias directa die 27. Ianuarij 1668. cui ipſe calculum album addidit: & à me ex italico idiomate pro vniuerſaliori totius Chriſtianæ Reipublicæ intelligentia in latinum conuerſa; quæ talis eſt.

In Chriſti Nomine. Amen.

Die Veneris decima Octobris 1608. in Eccleſia Sanctæ Margaritæ apud Eccleſiam S. Mariæ Gratiarum Bergomi, &c.

Conſtitutus coram Excellentiſſimo D. Ioanne Paulo Ferario Regatiolo Doctore, ac D. Franciſco filio q. D. Antonij Benalei, & me Fr. Iacobo Comminaccio à Luere Fratre profeſſo commorante in dicto Conuentu S. Mariæ Gratiarum annum agente circiter vigeſimum ſecundum, ac coram Reuerendo Patre F. Sylueſtro de Nobilibus à Bergomo Sacriſta cõmorante in eodem Conuentu Sanctæ Mariæ Gratiarum; nec D.D. Antonio, ac Nicolao Fratribus de Benaleis filijs ſupradicti D. Franciſci, primo nempe Antonio annos nato 14. altero verò 13.

Franciſcus filius q. Petri de Bucis incola Suburbij S. Leonardi in via Bruſitæ in domibus S. Rochi

ætate annorum circiter 11. cuius mater vocatur Honeſta de Solarijs vxor derelicta à q. Petro ſupradicto, qui magiſtratus erat; & impræſentiarum prædictus filius viuit ſub cura matris ſuæ prædictæ ſimul cum duabus ſuis ſororibus, quarum vna vocatur Catharina, altera Dominica.

Iuramento ſuo interrogatus reſpondit:

Cum eſſem quadam die Lunæ, nempe 15. Septembris proximi præteriti in domo mea in ſuburbio S. Leonardi, vocatus fui à Domina Catharina filia q. D. Iacobi Benalei, vxore Domini Salæ habitantis propè Eccleſiã S. Rochi, quæ me rogauit, vt vnà cum ſorore mea Dominica, quæ habitat in domo ipſius D. Salæ, ac prædictæ D. Catharinæ eius coniugis, ire vellem ad deferendum prandium eorum operarijs, qui ſtipulam metebant in quodam agro aratiuo, ac vite referto, qui iacet propè Caſalinum. Quare nos ambo iuimus, ac detulimus dictum prandium. Cum autem perueniſſemus ad Sacellum Ieſu Conuentus S. Mariæ Gratiarum, quod eſt proximum dicto agro hora, qua pro miſſa ſolemni in Vrbe campanæ pulſantur, nos ſimul genuflexímus ante dictum Sacellum Ieſu extra tranſennam, ſeu cancellos ferreos, ego præcipuè, gratia Dei, vidi, quòd figura, ſeu Imago illius Chriſti, qui ibi eſt intra cryſtallos ſupra Altare prædicti Sacelli, indutus veſte alba, ſeipſa ſurrexit ſtans, crucemque ab humeris abſtulit, & eam deſuper caput ſuum eleuans, ipſam ante ſeipſum poſuit manu tenens, eo quidẽ modo, quo hodiè ab omnibus conſpicitur. Et ego tunc hoc videns ſtatim vocaui ſororem meam Dominicam, & dixi: Videas modò, quòd eleuant Ieſum exiſtẽtem intra cryſtallos, eique narraui omnia, quæ ſupradixi. Ipſa autem Dominica ſoror mea vidit eum duntaxat erectum eo modo, quo impræſentiarum conſpicitur, ſicut ipſa mihi dixit.

Interrogatus. *Dicta mutatio Crucis, prædictaque erectio Imaginis Ieſu, quam à te viſam mihi narraſti, facta eſt ne repentè, ſeu in inſtanti, vel ſucceſſiuè, ideſt, in aliquo temporis ſpatio?*

Reſpondit: Facta eſt citiſſimè, & in inſtanti.

Interrogatus. *Tunc temporis ſoror tua Dominica quid aſpiciebat?*

Reſpondit: Ipſa aſpiciebat tabellas appenſas ad parietes pro votis, in quibus depictæ ſunt gratiæ, ac miracula facta à Domino Ieſu Chriſto, & dicebat: O quot gratias, & miracula fecit iſte Ieſus! & dum hæc verba proferret, aſpexi dictum miraculum, & quæ ſupra enarraui. Et tunc recitaueram tantùm bis Pater noſter &c. & totidem Aue Maria, vſque ad numerum quinarium. Et poſtea ſtatim profecti ſumus in campum ad ferendũ prandium operarijs, quia tunc pluere incipiebat.

Interrogatus. *Narraſti nè hoc factum dictis operarijs?*

Reſpondit: Poſtquam peruenimus illuc, pluebat, idcircò illis tradidimus prandium, & ſtatim regreſſi ſumus ad domum illorum, à quibus miſſi eramus, & ibi ſoror mea Dominica annos 12. nata narrauit D. Catharinæ eius heræ totum id, quod videram, & actum erat in Sacello Ieſu, cum in domo ipſius eſſemus, vt dixi. Sed Eliſabeth, quæ in domo prædicti Salæ habitabat, de hac re ſororem meam irridere cæpit dicens: Eratnè fortaſſe Ieſus defatigatus, ita vt ſe ſubleuare opus haberet. Quod ſtatim mihi à ſorore mea relatum eſt. cui reſpondi: hoc dicere eſt peccatum: quia hoc certiſsimè verum eſt. Sed ſtatim ego diſceſſi miſſus à matre mea ad Guſſangham, ad viſitandum meam matrinam, vt ab ea ſcirem, quando erant metituri millium, vt poſtea irem ad reliquias millij colligendas. Sic hora veſpertina Bergomum regreſſus ſum, ac mane ſequenti mihi fuit relatum, quòd multitudo populi conuenerant ad Sacellum Ieſu ad videndum dictam mutationem, & miraculum à me viſum, & narratum, vt viderent, ac cognoſcerent, ſi verum erat id, quod dixeram. Eodemque mane fui requiſitus à Reu. P. F. Franciſco de Curte Guardiano Conuentus Sanctæ Mariæ Gratiarum, qui interrogauit de prædictis, cui omnia narraui, ſicut, & nunc facio, coram quodam Patre, cuius nomen ignoro, qui ſcripſit totum meum dictum.

Interrogatus. *Si dicta D. Catharina, ipſa profecta ſit die 15. Septembris ad dictum Sacellum Ieſu ad videndam mutationem factam in Imagine Ieſu?*

Reſpondit. Ego intellexi, quòd ipſa iuit ad videndum ſimul cum alijs ſuis domeſticis: quia de hoc fuit certior facta etiam à quadam ſorore Margarita tertij Ordinis Sancti Franciſci. Idcircò ipſa poſtea mihi dixit, quòd ego veritatem dixeram. Et hæc ſunt &c. & relectum confirmauit.

Interrogatus. *Fuiſti nè informatus ab aliquo, vt dicere deberes, ac narrare hoc factum eo modo, ac forma, qua tu narraſti?*

Reſpondit. Certè non fui ab aliquo informatus, vel inſtructus de hac re; ſed narraui purè, & ſimpliciter ad laudem, & gloriam Dei id, quod vidi ætatis annorum circiter vndecim.

Ego Frater Iacobus Comminaccius à Luere ſcripſi manu mea propria, & ſubſcripſi in fidem prædictorum ad laudem, & gloriam Dei.

Ego Ioannes Paulus de Ferarijs Regatiolus Doctor, fui præſens vt teſtis ad laudem, & gloriam veritatis ſanguinis Chriſti, & ſplendorem ipſius: die ſupradicta.

Ego Franciſcus Benaleus Ciuis Bergomas fui præſens vt teſtis ad laudem, & honorem Altiſſimi Dei.

Ego Antonius Benaleus fui præſens, vt teſtis omnibus ſupra narratis; & hoc ad laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Ego Nicolaus Benaleus fui præſens, vt teſtis cunctis ſuprascriptis ad laudem, & honorem Maieſtatis Dei, & gloriam eius.

Ego Fr. Sylueſter de Nobilibus à Bergomo Sacerdos, ac Sacriſta ſupraſcriptus fui præſens, vt teſtis ad laudem, & gloriam Dei.

Ex

Ex ſupradicta enarratione, ac fidelium frequentia, qui quotidiè, præcipuè diebus Veneris magna deuotione ad dictum Sacellum confluunt ad orandum ante illam ſacram Imaginem Sanctiſſimi D. N. Ieſu Chriſti; & ex numero quaſi ſine numero votorum, ac tabellarum appenſarum, ac donariorum, quæ continuè offeruntur, nobis innoteſcit multitudo beneficiorum, ac gratiarum, quas obtinent in ſuis neceſſitatibus ſpiritualibus, ac corporalibus deuoti Chriſti fideles, qui magna fiducia ſeipſos ei commendant.

Ego Fr. Donatus à Bergomo Secretarius atteſtor me deſumpſiſſe ad litteram ſupraſcriptum ex paruo libro, qui conſeruatur in dicto Sacello Sanctiſſimi Ieſu.

Ego Fr. Leo ab Albenio Miniſter Prouincialis Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ Prouinciæ Reformatæ Brixiæ omnibus prædictis, ac ſupraſcriptis manum meam appoſui, ac ſigillo huiuſce noſtræ Reform. Prouinciæ muniui, ac robur addidi.

Locus ✠ Sigilli.

Ad maiorem prædictæ veritatis confirmationem additur prædictis ſequens atteſtatio.

Die 25. Ianuarij 1668. cum ego Fr. Candidus Brognolus huiuſce Alexicacon Auctor eſſem in domo D. Alexandri de Celinis Ciuis Bergomatis diù Venetiarum incolæ, loquens cum Domina Catharina filia q. D. Ioannis Baptiſtæ Celini Ciuis Bergomatis ſorore prædicti D. Alexandri annos nata ſexaginta iam ab aliquot annis vidua derelicta à viro ſuo, quæ circiter ab annis decem hùc habitare venit in domo prædicti Fratris ſui, præſentibus infraſcriptis duobus Sacerdotibus mihi enarrauit: cum eſſet adoleſcentula annorum circiter duodecim Bergomi ſe pluries audiuiſſe quandam mulierem nomine Martham de Licinis Ciuibus Bergomatibus habitantem in Suburbio S. Leonardi in Prato propè columnam, aſſerentem, & affirmantem, ſe, dum orationem Deo effunderet ad Sacellum Sanctiſſimi Ieſu Conuentus Sanctæ Mariæ Gratiarum, vidiſſe Imaginem Ieſu ſupra Altare intra cryſtallos exiſtentem in pariete depictam, quæ prius inclinata ſuper humeros crucem deferebat, ſe eleuaſſe, ac crucem ex humeris depoſuiſſe, eamque erectam manibus ſumpſiſſe, & amplexam eſſe eo modo, quo nunc aſpicitur. In quorum fidem, quia ſcribere neſcit, fecit hoc ſignum. ✠

Ita eſt, ego Presbyter Pellegrinus de Leonardis Venetus.

Ita eſt, ego Fr. Albertus à Foreſto Sacerdos Ord. Min. Strictoris Obſeru. Prouinciæ Reformatæ Brixiæ ſocius Reu. P. Candidi prædicti.

Ita eſt, ego Fr. Candidus prædictus, qui ſupradicta vera eſſe etiam à Religioſis meis Maioribus audiui.

Vt autem magis, ac magis omnibus innoteſcat prædictæ Imaginis mutatio facta inſtantaneè hora ſexta diei 15. Septembris 1608. qui immediatè feſtum exaltationis S. Crucis ſequitur, fidelium oculis eo modo, quo à prædicta hora vſque ad præſentem diem manſit, ac ſemper manet, ſubijcere conuenientiſſimum duxi. Quam genuflexus tu, ò deuote Chriſtiane, attentè aſpice, ac humiliter adora.

ARTICVLVS II.

De Sancto Euangelio.

900 *Euangelij virtus cōtra dæmones.*

DIuinam Sancti Euangelij vim luculenter declarat Paulus Roman. 1. cùm dicit: *Non erubeſco Euangelium; Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti. Iudæo primùm, & Græco.* Cuius verba à fidelibus deuotè recitata: vel typis, aut ſcripto exarata, apud ſe ab eiſdem fiducialiter delata maximoperè iuuant contra dæmones.

Siue verbo proferatur.

Primum ex praxi Eccleſiæ patet, quæ, dum ſacra myſteria peraguntur, Euangelium publicè recitat, multis cæremonijs adhibitis, quæ myſticas continent rationes; inter quas vna ex præcipuis eſt conuerſio Diaconi ad Aquilonem. Quid enim per Aquilonem, niſi Diabolus deſignatur? Quid per ventum ex parte aquilonari flantem, niſi machinamenta diabolica? *Ab Aquilone*, inquit Propheta Ieremias cap. 1. *pandetur omne malum*. Ideò illud propulſare vult ſponſa, tanquam horto Eccleſiaſtico ſuis impuris flatibus noxium, cùm dicit Cantic. cap. 4. *Surge aquilo, veni auſter, perfla hortum meum*, ideſt fugiat diabolus, & Spiritus Sanctus accedat. *Rectè verò*, ait Guilielmus Mimatenſis in ſuo Rationali cap. 24. *contra diabolum legitur Euangelium, vt illum ſua virtute expellat: quoniam diabolus nihil tantùm odit, quantùm Euangelium. Aquilo ventus frigidus diabolum ſignificat: cum ergo fides in Euangelio contineatur, quæ eſt armatura noſtra contra diabolum, meritò legitur contra illum.* Quod etiam ab Eccleſiaſticis Miniſtris priuatim agitur, dum contra dæmonem corpora poſſidentem, aut morbos inferentem colluctantur. Nam ex Rituali Romano Euangelium legunt, præcipuè ex Marci 16. Lucæ 10. & 11. deſumptum.

Ob

§. I.

Siue ſcripto exaretur. OB eandem rationem Euangelium ſcriptum in ſoluendis maleficijs adhibetur. Sic S. Barnabas infirmos, Euangelium ſupponendo, ſanabat; vt refert D. Thom. *in cap. 1. Epiſt. ad Rom.* S. Simeon cognomento Salũ mulieri Magæ amuletum ex Euangelio conſcripſit, quo in collo appenſo illa non potuit ampliùs diuinare: vt refert Leontius Epiſcopus *apud Surium*. S. Antonius infeſtantem dæmonem verbis euangelicis membranulæ inſcriptis, & in cubiculo ante B. Virginis imaginẽ affixis depulit, *apud Surium*. Et antiquorum Chriſtianorum mos fuit, *1. Iulij.* Euangelij S. Ioannis initium quaſi totius Euangelij compendium collo ſuſpenſum geſtare.

§. II.

901 *Nomina Dei contra dæmones.* SImili ratione varia Dei nomina deferuntur, de quibus S. Iſidorus *lib. 7. Ethymolog.* & D. Hieronymus *in Epiſt. ad Marcellum tom. 3.* quæ communiter ſunt ſequentia. Primum *Hel*, quod interpretatur, *Fortis*. Secundum *Eloym*. Tertium *Eloye*, vel *Heloa*, quod vtrumque dicitur *Deus*. Quartum *Sabaoth*, quod latinè dicitur *Exercituum*, ſeu *Virtutum*. Quintum *Elyon*, quod latinè *Excelſus* dicitur. Sextum *Eſercheye*, quod in Exodo legitur: *Qui eſt, miſit me*. Septimum *Adonay*, quod nos *Dominum* generaliter appellamus. Octauum *Ya*, ideſt, Dominus, vel Dominator. Nonum *Tetragrammaton*, quod Hebræi *Iehoua* interpretantur, & latinè dicitur: *Ero, qui ero: vel ego ſum, qui ſum. vel ineffabilis*. Decimum *Saday*, quod interpretatur, *Robuſtus, vel Omnipotens*.

Sunt alia nomina, quæ non ſunt ſimpliciter ignota; ſed tantùm reſpectu neſcientium linguam grecam: vt *Agyos, Otheos*, ideſt *Sanctus Deus: Agyos Iſchyros*, ideſt, *Sanctus fortis: Agyos Athanatos, Eleyſon imas*, ideſt *Sanctus immortalis miſerere nobis*: Ita colligitur ex Miſſali Romano in die Paraſceue. *Sother*, quod eſt nomen græcum, & tantùm ſonat, quantum apud Hebræos *Iehoua*, quod eſt nomen apud eos *ineffabile*, & ſignificat nudam, & ſimpliciſſimam Dei eſſentiam. *Agla* eſt nomen hebraicum, & ponitur inter nomina magni Dei; & tantum ſonat apud Hebræos, quantum apud nos *Tu es Deus potens in æternum*. *Homoſion* eſt nomen græcum, & tantum ſonat, quantum *conſubſtantialis*; quod Chriſto tribuitur, qui conſubſtantialis eſt Patri, & Spiritui Sancto.

§. III.

902 *Verba nõnulla ſacra contra dæmones.* NEc tantùm Sancti Euangelij verba, ac Dei Nomina; verùm etiam, & alia ex varijs diuinæ ſcripturæ locis, & Apoſtolorum Symbolo deſumpta ad id plurimùm valere, experientia docet: vt illa Deuteronomij 32. *Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Dei Creatoris tui*. Et Apocal. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid*. Et alia Symboli Apoſtolici Chriſti Natiuitatem, Paſſionem, Mortem, Reſurrectionem, ac Iudicium finale denotantia. Quæ omnia, cùm dæmonibus ſtatum feliciſſimum, à quo ceciderunt, Chriſtique virtutem, ac fortitudinem, qua eorum diſſipatæ ſunt vires, objiciant; hi ſuperbiſſimi ſtatum ſuum miſerrimum, impotentiam, ac virium imbecillitatem ad mentem ſibi reuocantes, ſummoperè triſtantur, à qua triſtitia vt ſeipſos eripiant, quos vexatos homines detinent, quandoque derelinquunt: vel ſaltem confuſi non adeò grauiter lædunt, aut acriter torquent: Immò, ſi huiuſmodi verba maxima deuotione, humilitate, ac confidentia in Deum proferantur, vel ſecum deferantur, Deus ipſe ſecundùm fidem, quam legentes, vel deferentes in Dei protectione habent, tam ſancti nominis ſui in illis Breuibus ſcripti virtute diuina dæmones in fugam conuertit.

Hoc probat factum cuiuſdam mulieris relatæ Chronic. Ord. Min. part. 1. in vita S. Antonij à Padua. *Santaren in Portugalliæ Regno quędam mulier Energumena à dæmone grauiſſimè torquebatur, qui varijs ſub formis ei apparens, illam ad mortem ſibi inferendam hortabatur, quam Sanctus Antonius à Padua ab ea inuocatus, apparens his verbis allocutus eſt:* Aſpice, inquit, in ſinu tuo, ac lege eam ſcripturam, quam ibi inuenies, qua lecta non ampliùs vexaberis à dæmone. *Quibus auditis à ſomno expergefacta ſcripturam hæc verba continentem inuenit:* *Res geſta S. Anton. à Padua*

Ecce ✠ crucem Domini, fugite partes aduerſæ.

Vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid. Alleluia Alleluia.

Quibus deuotiſſimè lectis, illicò dæmon in fugam verſus eſt. Quæ ſcriptura poſtea à Dionyſio Portugalliæ Rege in ſuis theſauris fuit conſeruata.

§. IV.

EX prædictis omnibus ſimul collectis, ritèque diſpoſitis infraſcriptam breuem orationem compoſui, quam varijs ex euentibus ad maleficia, & quæuis mala expellenda, & euadenda, iuxta legentis, vel deferentis fidem, ac confidentiam in Deum conſtitutam (in qua Sanctum ipſius nomen inuocatur) efficaciſſimam eſſe, comprobaui. Quę à Superioribus Diœceſis Brixienſis, ad quos ſpectat approbata anno Domini 1646. typis fuit mandata. 903 *Breuis oratio ab Auctore alias typis edita efficax cõtra maleficia, & alia pericula.*

Oratio deprecatiua efficax ad maleficia, & quæuis mala expellenda, & euadenda.

ECce crucem ✠ Domini, fugite partes aduerſæ ſpiritus apoſtatici, qui ſuperbia ducti, Deum, qui vos genuit, dereliquiſtis, & obliti eſtis Dei Creatoris Veſtri. Vos vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, Qui verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, ac crucifixus, ſurrexit à mortuis, venturus finaliter iudicare viuos, & mortuos: ipſe ob immenſam clementiam ſuam, ac bonitatem: Ob honorem, & gloriam Sanctiſſimi Nominis ſui: Propter merita cunctarum actionum ſuarum, quas operatus eſt in hoc mundo: Nec non Beatiſſimæ Virginis Genitricis eius Mariæ, & omnium Sanctorum dignetur dextera ſuæ Maieſtatis me liberare, ac defendere ab omni oppreſſione, infeſtatione, ac vexatione Dæmonis, ac miniſtrorum eius, à cunctis inſidijs inimicorum tam viſibilium, quàm inuiſibilium, & à quocumque malo mentis, & corporis, intercedentibus Beatiſſima Deipara, Seraphico

co P.S. Franciſco, ac D. Antonio à Padua. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amē.

§. V.

904 Poſtea anno 1648. ſequentem ampliorem orationem cum admonitione de modo illam recitandi, aut geſtandi compoſui; vt id, quod petitur, faciliùs obtineri poſſit, additis illis Pſalmorum verſiculis maximam efficaciam ad impetrandum à Deo diuinam protectionem habentibus, quam Taruiſij à Reuerendiſſimo P.F. Carolo Veliterrano dictę Ciuitatis, ac Diæceſis Inquiſitore Generali approbatam typis mandare curaui.

Oratio prolixior ab ipſo Auctore edita ad eundem effectum.

Oratione da recitare, ò portar ſeco, efficaciſſima per impetrar da Dio la liberatione, e preſeruatione da' maleficij, e moleſtie de demonij, dalla febre, inſidie de nemici, altri mali, e pericoli dell'anima, e del corpo.

Oratio ad Ieſum Chriſtum.

Domine Ieſu Chriſte, qui cum Patre, & Spiritu Sancto bonis innumeris mundum reples vniuerſum: quia præditus es bonitate ad volendum, ſapientia ad inueniendum, & potentia ad exequendum, cùm ſis infinitè potens, perfectè ſapiens, & ſummè bonus: & vt bonus velis, vt ſapiens ſcias, vt potens valeas omnibus bona facere ad tuam voluntatem; qui vt hanc tuam potentiam, ſapientiam, ac bonitatem in nobis demonſtrares, de ſinu Patris ad terram deſcendens, Verbum caro factum in nobis habitaſti, pro nobis natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, ac ſepultus, tertia die à mortuis ſurrexiſti, partes aduerſas, Spiritus apoſtaticos, qui ſuperbia ducti te Deum Factorem ſuum derelinquerunt: ac tui obliti ſunt Domini Creatoris ſui, in fugam conuertens, ac confundens, eos vt Leo de tribu Iuda radix Dauid viciſti, ac ſuperaſti: caputque ipſius Draconis infernalis confregiſti: A quorum omnium morſibus, laqueis, & inſidijs vt nos eriperes, ſaluares, ac tuereris, noſtriſque ſpiritualibus, ac corporalibus languoribus medereris, Diſcipulis tuis euntibus ad prædicandum acies huiuſmodi tartareas eijciendi, iſtoſque noſtros infenſiſſimos fugandi hoſtes, ac omnem curandi ægritudinem, poteſtatem dediſti, quam cunctis quoque in te credentibus communicaſti, dicens apud Diuum Marcum Cap. 16. verſ. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: Serpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Nec non in cunctis anguſtijs, tribulationibus, ac neceſſitatibus nomen Sanctum tuum inuocantibus, ac in te confidentibus auxilium, & ſolamen præſtare ſpopondiſti per Prophetam dicens Pſ. 49. v. 15. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Et apud Ioan. Cap. 14. verſ. 13. & 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio.* Et iterum apud eundem: *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis:* Te ſupplices exoramus, ac humiliter obſecramus, pro tua immenſa clementia, ac bonitate; pro veritate verbi tui, in quo nobis ſpem dediſti; ob honorem, & gloriam Sanctiſſ. nominis tui, propter merita cunctarũ actionũ, quas operatus es in hoc mundo; nec non Beatiſſimæ, & immaculatæ Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum, digneris dextera Maieſtatis tuæ nos liberare, defendere, ac præſeruare à cunctis peccatorum maculis, ab omni maleficio, ligatura, ſignatura, incantatione, apparitione, deceptione, oppreſſione, & vexatione dæmonis, & miniſtrorum eius, ab inſidijs inimicorum tam viſibilium, quàm inuiſibilium, ab aquarum inundatione, & ſubmerſione, ventorum concuſſione, igniſque deuoratione, à febre quartana, tertiana, quotidiana, & continua, à veneno, peſte, fame, bello, terræmotu, fulmine, tempeſtate, ſubitanea morte, æternaque damnatione, & à quocumque malo, & periculo mentis, & corporis, Suppetias ferentibus Sanctiſſima Deipara Maria, Seraphico P.S. Franciſco, ac Diuo Antonio à Padua: vt ſic in omnibus protectionis tuę muniti pręſidio, tuiſque ſpiritualibus, ac corporalibus fauoribus ditati, & ampliati, quas tibi debemus gratias referamus in hoc ſæculo, tuoque diuino aſpectu perfruamur in futuro. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Auertimento dell'Auttore.

Qualſiuoglia Chriſtiano, ſe vna volta 'l giorno almeno, dopò d'hauer fatto vn'atto di dolore, e contritione de ſuoi peccati, e procurato per quanto può dalla parte ſua per conſtituirſi in gratia di Dio, recitarà detta oratione: ouero, non potendo recitarla, farà da altri recitarla, ò dirà in vece almeno trè Pater con trè Aue Maria ad honore, e gloria del Santiſſimo Nome di Gieſù, portando ſeco detta oratione, ma con deuotione, e gran confidenza in Dio di ottenere le gratie, che ſi dimandano in eſſa, intendendoſi di pregare non ſolo per ſe ſteſſo, mà per tutti quelli ancora, che recitano, ò portano ſeco detta oratione, ſperimentarà ſopra di ſe la diuina pietà, e miſericordia poiche in eſſa ſi rappreſentano al Signore i diuini attributi: la Redentione del genere humano: confuſione de demonij, e deſtruttione della lor tirannia: la poteſtà contro li ſpiriti maligni, e contro l'infirmità, dall'iſteſſo Chriſto conceſſa alli Apoſtoli, e ſuoi ſucceſſori, & à tutti i ſuoi veri, e fedeli Chriſtiani: la promeſſa fatta da Dio, di ſoccorrere in tutte le neceſſità quelli, che in lui confidano, & inuocano deuotamente, e con fiducia grande il ſuo Santiſſimo Nome. Quali ſono motiui efficaciſſimi per mouere Sua Diuina Maieſtà à ſoccorerci ne' 905

biſogni

biſogni noſtri, e tenere di noi ſingolar protettione. Potrà ancora ciaſcheduno per eſſere maggiorméte da Dio protetto contro li nemici viſibili, & inuiſibili, & altri mali, e pericoli dell'anima, e del corpo, aggiongere, e dire ſpeſſe volte le ſequenti parole del Profeta Dauide con gran fiducia di ottenere la diuina protettione.

906 Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me. Pſal.139.v.1.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab inſurgentibus in me libera me. Pſ.58.v.1.

Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris ſanguinum ſalua me. ver.2.

Dominus mihi adiutor: non timebo, quid faciat mihi homo. Pſal.117.v.6.

Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciam inimicos meos. ver.7.

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Pſal.26.v.1.

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Dum appropiant ſuper me nocentes; vt edant carnes meas. ver.2.

Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.

Si conſiſtant aduerſum me caſtra: non timebit cor meum. ver.3.

Si exurgat aduerſum me prælium: in hoc ego ſperabo, ideſt ponam in Domino meo cuiuslibet victoriæ ſpem meam, ac triumphi totam meam fiduciam in eo collocabo.

Nam ſi Deus pro me, quis contra me?

Rom.80.31. Adiuua ergo me Deus ſalutaris meus, & propter gloriam nominis tui Domine libera me, & propitius eſto peccatis meis propter nomen tuum. Amen. In nomine Patris, & *Pſ.78.9.* Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Mos amuleta deferendi non contemnendus. Mos autem prædicta amuleta, breuia, ſeu orationes legendi, aut ſecum deferendi à quouis rectè, ac catholicè ſentiente paruipendi non debet: cum neque ab vllo Patrum reprobetur; ſed D. Gregorij Papæ auctoritate probetur *Epiſt. ad Theodolinum*, dummodo, vt addit D.Thom. *2.2.q.96.art* 4. ſit recta gerentis intentio, qui pium verborum ſenſum ad fidei veræ profeſſionem obſeruans: vel ad alium ſanum finem, ſpem ſuam, ac confidentiam figat in Deum: & ab eius potentia, ac miſericordia ſub diuino beneplacito effectum expectet; & nihil ſuperſtitioſum circa figuram, literarum colorem, verborum numerum, ſcripturæ modum, materiam membranæ, & id generis obſeruationum; de quibus latiſſimè Diuino fauente Numine aliàs tractabimus, admiſceatur. Quare Exorciſtis remedio hoc cautè vtendum eſt; quod vtile eſſe nulli dubium eſt, ſi ſanctè, ac debito modo ab obſeſsis, ac maleficiatis adhibeatur.

Cur.

ARTICVLVS III.

De Cereis formis, ſeu Agno Dei ceræ impreſſo.

907 Solemne eſt Summis Pontificibus Chriſti vices in terra gerentibus non ſolùm primò, ſed ſeptimo quoque ſui Pontificatus anno veteri Eccleſiæ inſtituto, myſtico precationum ritu, & multis cæremonijs miram pietatem redolentibus, cereas formas, atque imagines, quas Agnos Dei à figura Agni ſcilicet impreſſa nominamus, oleo ſacro, & chriſmate conſecrare. *Quid ſint Agn.ͧ Dei* Quo in conſecrationis munere multa precantur illis, qui pio, & religioſo animo eos ſecum Agnos habuerint; inter quę præcipuè liberationem ab omnibus periculis, aſtutijs, ac dæmonum fraudibus, ac infernalium poteſtatem maleficijs poſtulant, vt crucis virtute in iſtis formis inſculptæ terrore corripiantur, & territi aufugere compellantur: vt pleniùs in Pontificali Romano continetur. *Eius virtutes verſibus recēſentur.* Quæ omnia breuiter his verſibus complexus eſt Fruſius Societatis Ieſu:

Poſtulat in primis ſacrati aſpectus vt Agni
Agnum ad cæleſtem concita corda leuet.
Vtque ſalutifera memores, vitaque neciſque
Criminis, & vitij noxia vincla terant.
Hoſtis vt inſidias ſtygij, ac certamina vincant
Decipulas mundi, carnis, & illecebras
Corporeos nobis morbos, caſuſque repelli.
Præſertim horriferos, mortificoſque petit.

Efficaces ſunt contra pericula. Has autem precationes ſuam habere vim, certum eſt: quia in conſpectu Domini funduntur ab eo, qui ratione officij, quo nihil ſublimius in Eccleſia, ad Deum magis accedit, & Chriſto propiùs coniungitur; præcipuè cùm illis pontificalis benedictio adiungatur, quæ ſua non caret virtute, vt docent communiter Theologi Scholaſtici *in 4. Sent.d.16.* Quare cereæ illæ formæ precationibus, & benedictionibus pontificijs conſecratæ non ſolùm efficaces sũt contra fulgura, grandines, incendia, ac ventos, vt teſtantur Vincentius Bonardus *lib. de huiuſmodi effectibus*, & Durandus Mimatenſis *in Rationali Diu. Offic. lib. 6. cap. 79.* *Maximè valēt cōtra dęmones.* Sed etiam contra dæmoniacas poteſtates: ſicut experientia confirmatur, quam variis exemplis petitis ex Italia, & Germania probat Delrius *lib.6. Diſq.Mag.cap.2.ſect.3.* Vnde hoc ſalutari remedio Exorciſtæ, ac Parochi vti poterunt ad hunc finem. Certum namq; eſt dæmones illos fugere, qui ſacram hanc bullam collo deuotè, ac fiducialiter appoſitam gerunt; & ſæpiùs obſeſsis alijſque ruinas, & infauſta omnia minari, niſi illam abijciant, ad illos, quandiù hoc ſacro preſidio muniti ſunt, accedere non audentes.

ARTICVLVS IV.

De Reliquijs Sanctorum.

Sanctorum cum Chriſto regnantiũ ſacras exuuias & quaſlibet corporis particulas, imò cineres, 908
Virtus Sanctarũ Reliquiarum. veſtes, & alia, quibus vſi ſunt; item vela, pannos, & cætera, quæ ad eorum oſſa admouentur, mirabili virtutę pollere norunt, & in dies Catholicæ Eccleſiæ filij experiuntur.

Videmus enim ex ſacris illis Reliquijs diuinam illam exire virtutem ſæpiùs ſigno viſibili, ver.gr. oleo, balſamo, aut ſimili liquore, cuius beneficio cæci vident, muti loquuntur, curantur infirmi, & dæmones ex corporibus obſeſsis expelluntur. Quare iuremeritò S.Ioannes Damaſcenus *lib.4. de fide Orthodoxa cap.1.* illos fontes ſalutiferos vocat, ex quibus plurima ad nos beneficia promanant. Ex quo mos apud fideles inoleuit, has exuuias tum publicè, tum priuatim honore proſequi, pretioſis illas operimentis inuoluendo, marmoreis ſepulchris, vel aureis, & argenteis thecis includendo; cereos, & lampadas circumquaque accedendo; pictas tabellas, ſeu donaria ſuſpendendo; proceſsiones,

nes, feſta, ac ſolemnitates in honorem eorum Sanctorum inſtituendo: ad illorum ſepulchra in publicis, & priuatis calamitatibus tanquam ad aſylum confugiendo: in publicis proceſſionibus cum religioſa pompa ad Deo gratias agendas, & Sanctorum auxilium implorandum circumferendo.

§. I.

909 QVapropter ad Exorciſtam ſpectabit, dum propulſandi dæmonis, aut ſoluendi maleficij ſeſe feret occaſio, optans ſalutifero vti remedio, hortari Energumenos ad Sanctorum ſepulchra viſitanda: vel illis applicare Reliquias, ſi quas certas, & indubitatas habuerint, Sanctorum more, qui hoc in talibus occaſionibus præſtitere: ſicut teſtantur D.Hieronimus *contra Vigilantium*, D.Gregorius Nazianzenus *oratione de B.Cypriano circa finem*, D.Ioan.Chryſoſtomus *in oratione contra Gentiles* de S.Babyla *&* *homil.26. in 2. ad Cor.* D.Ambroſius *ſerm.77.* *&* 91. Thomas Faſellus de D.Philippi Apoſtoli Sepulchro *lib.*10. *de rebus Siculi c.*2. Rupertus Tuitienſis de Sepulchro S.Hereberti Coloniesis Epiſcopi *cap.vlt. eius vita*, Petrus Rauzanus de lipſanis capillorum S.Vincentij Ferrerij *l.*4. *vita illius cap.vlt.* De S.Guthlaci Zona Felix Crolandienſis *in eius vita*, De S.Richarij corpore Albinus Flaccus *in eius vita*, ac Theophilus Abbas *ſerm. de Veneratione Sanctorum*, *&* *ſerm. de Sanctorum Reliquijs*. Nam Sanctorum Animæ, quorum ſunt reliquiæ, pro vtentibus, & illas reuerentibus exorant. Et etiam quia dæmones fugati ſunt à Sanctis viuentibus, valde ſacras illorum reliquias pertimeſcunt. Ac tandem propter fidem illis à patiente præſtitam vtiliſſimus eſt earum vſus.

Quibus vti debēt obſeſſi.

Vnde autem oriatur, quòd dæmones taliter quaſdam reliquias ſacras, vel ſanctas imagines horreant, vt nullo modo ad eas accedere velint, & in illarum præſentia torqueantur, clament, ac ſtare non poſſint, & quandoque exire compellantur; cùm tamen Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſumma omnium Reliquiarum, timere non videantur. Dicam, quod ſentio, nempe hoc propter patientum fidem, qua firmiter per huiuſmodi Reliquiarum applicationem vel contactũ dęmones receſſuros credunt prouenire.

Cur dæmones magis videantur timere Reliquias Sanctorũ, quàm S. Euchariſtiam.

ARTICVLVS V.

De Imaginibus Sanctorum.

910 QVàm gratus Deo, Sanctis honorificus, & dæmonibus terribilis ſit venerabilis imaginum cultus, patet ex eo, quòd Deus illas honorat, cùm per illas tot miracula operatur; & ſeueris caſtigationibus animaduertit in eos, qui eas iniuria afficiunt: Sancti nouo decorantur honore, eò quòd cultus imaginibus redditus ad prototypon tranſeat, quem tanquam propriæ perſonæ delatum reputantes, fauoribus à diuina bonitate impetratis cumulant: Dæmon ignominia afficitur, dum Deus in Sanctis honoratur: Sancti Religioſè coluntur: Populus ex earum aſpectu, & cultu ad pietatem excitatur: Ideoque illas dæmon per ſuos aſſeclas deturpare, confringere, conculcare, ſputis fædare, maledictis proſcindere, & in puluerem redigere conatur: quia ſic Deo iniuriam, Sanctis ignominiam, populo damnum inferre, (vt tradit Delrius *lib.*5. *Diſquiſ. Magic.ſect.*16. *verſ. Sacerdotes pag. mihi* 542. arbitratur.

Sanctarũ Imaginũ gloria.

Sed non minùs fidelibus proficuus eſt eorum cultus, qui Deum in imaginibus colunt, eius Maieſtatem per Sanctorum merita deprecando: Sanctos honorant, illorum actus imitando, & interceſſiones poſtulando: Dæmonibus inſultant, eos per Deum vel in ſe, vel in Sanctis ſuis, aut in ſuis inſtrumentis inuocatum adiurando, eo modo, quo nos docuimus ſupra, *vbi de Adiuratione* ex Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. de Adiuratione cap.3. num.7.* Qui quidem Sancti cùm per illas imagines repræſententur, experientia compertum eſt, hoſtem illum antiquum tam iniquo animo eſſe erga illas, præcipuè erga venerabiliſſimam Sanctiſſimæ Deiparæ Mariæ Virginis imaginem, vt illarum aſpectum non poſſit ſuſtinere.

Eorũ virtus in dæmones.

§. I.

HOc innumeris probari poteſt exemplis, quæ vt notiſsima prætermitto, illo ſolo contentus relato *in Prato Spirituali cap.*45. 911

Exemplo comprobatur.

Conſueuerat Religioſus quidam ſanctus deuotiſſimam B.Virginis ſumma reuerentia diebus ſingulis venerari imaginem; cui ſemel graui tentatione liberari deſideranti palam tentator occultus apparuit promittens ſe numquam huiuſmodi tentationibus eius animam vexaturum, ſi à reuerentia huic imagini impenſa ceſſare vellet. Quod cum Religioſus facere conſtanter renuiſſet, & tentantem dæmonem fugare meruit, & tentationem fortiter ſuperare.

Idem dicendum de cæteris Sanctorum imaginibus, vt videre eſt in Epiſt.cuiuſdam Cyrilli ad Auguſtinum, in qua mirabilem Monialis liberationem à vexante dæmone per imaginem Sancti Hieronymi factam narrat. Vt ex his inuitentur Exorciſtæ, ac Parochi coram imaginibus Domini N.Ieſu Chriſti, Beatiſsimæ Virginis, & Sanctorum ſacros exorciſmos, ſeu præcepta in nomine Ieſu contra dæmones impendere, & maleficiatis ſuadere, vt aliquam honorificè, & religioſè ſecum gerant, qua ab inſultibus dæmoniacis liberentur, ac præſeruentur.

ARTICVLVS VI.

De Aqua benedicta:

INter mirabiles effectus, quos benigniſsimus Deus per aquam benedictione Eccleſiaſtica ſingulis 912
Dominicis ſolemniter ſanctificatam operatur in hominibus, duo præcipuè (vt ex Decreto Alexandri Papæ primi huius nominis colligitur Epiſt. 1. quæ refertur *de Pœnitent.diſt.3.cap. aquam*) aſsignantur.

Virtus aquæ benedictæ duplex.

Primus eſt venialium peccatorum deletiò, quam, etſi quidam Doctores apud Azorium *lib.4. moral. cap.11.quæſt.4.* ex opere ipſius ſacramentalis fieri, aſſeuerent; Communis tamen opinio eſt, aquam benedictam, ſicut, & cætera ſacramentalia peccata venialia ex opere hominis iuſti peccata ipſa deteſtantis delere, prout à tali ſacramentali ad actus deteſtationis, ac contritionis eliciendos excitatur; Ita docent Paludanus *in 4. diſt.16. quæſt.1. art.2.* Syluester *verb.aqua benedicta*, & alij plures relati ab Azorio *loco citato*, & à Bonacina *de Sacram.d.5. quæſt.6.ſect. 2.punct.2.* Duobus autem modis ſacramentalia vim remittendi peccata venialia habent. Primo ex Chriſti promiſſione, vel inſtitutione, qualem vim dominicalis oratio habet, vt conſtat ex illis

Peccata venialia delet.

Et quomodo.

illis

lis verbis: *Demitte nobis debita noſtra, &c.* Secundo modo ex oratione Eccleſiæ, quæ exaudiri à Deo meretur: Sic aqua benedicta, panis benedictus, & alia ſacramentalia ab Eccleſia inſtituta, ac benedicta, vel conſecrata vim diuinum impetrandi auxilium habent, quatenus homo per ea ad tales actus, per quos peccata venialia deleantur, excitatur. Colligitur ex illo Decreto, in quo Pontifex dicit, *Aquã benedici, & ſacrari in ſanctificationem, & purificationem fidelium.* Et ipſa Eccleſia indicat, cùm in precationibus adhibitis ad eius conſecrationem dicit: *Fieri in ſalutem credentium, vt ſit ſumentibus ſanitas mentis, & corporis.*

§. I.

913 *Dæmones fugat.*

SEcundus eſt dæmonum, & omnium rerum noxiarum miniſterio dæmoniaco immiſſarum expulſio: vt idem Papa aſſerit dicens: *Inſidias diaboli auertit, & à phantaſmatis verſutijs homines defendit.* Quod Eccleſiæ verbis confirmatur: *Vt effugiat, atque diſcedat à loco, in quo aſperſum fuerit ſal, omnis phantaſia, & nequitia diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus: Vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, &c. Ad abigendos dæmones, morboſq; pellendos, &c.* Quibus verbis effectus ille multis modis exprimitur, & declaratur.

Quare ſapienti Exorciſtæ hoc vti remedio conueniet, exemplis S. Gregorij Magni Monaſterium ab infeſtationibus ſathanicis liberantis: B. Macharij mulierem in iumentum apparenter transformatam in priſtinam formam reſtituentis: S. Marcelli Epiſcopi ſpiritum immundum impedientem, ne flamma templum Idolorum abſumeret, abigentis: B. Theodori Archimandritæ noxas omnes curantis: S. Eligij Nouiomenſis, & S. Maclouij in Gallia, S. Laurentij Dunelmenſis in Britannia, & S. Antonius Archiep. in Germania plures energumenos liberantium; vt refert Delrius *lib. 6. Diſq. Mag. c. 2. ſect. 3.*

ARTICVLVS VII.

De Pane, & Oleo benedicto.

914 *Panis benedictus.*

PAri virtute infernalis hoſtis per ea, quæ eccleſiaſtica benedictione conſecrantur, & fidelium vſui deputantur, arcetur: vt ſunt comeſtibilia, inter quæ panis primum locum tenet. Hic enim Dei inuocatione, crucis ſigno, & alijs ritibus benedictus duplicem illam vim obtinet, quam aquæ benedictæ tribuimus.

Peccata venialia delet. Primam quidem venialium noxarum delendi, vt diximus de aqua benedicta. Quod innuere videtur Eccleſia in benedictionis forma, vt omnes ex eo dignè guſtantes inde corporis, & animæ deſiderabilem percipiant ſanitatem: *Vt ſit omnibus ſumentibus ſanitas mentis, & corporis:* vt habetur in Rituali Romano *pag. mihi* 207.

Dæmones coercet. Exẽplis comprobatur. Secundam verò dæmones expellendi, & infirmitates curandi ex eiuſdem Eccleſiæ precationibus, in quibus additur: *Atque contra omnes morbos, & vniuerſas inimicorum inſidias tutamen.* Hoc experientia tot miraculis conteſtata probat, quorum aliqua per B. Elphegum Epiſcopum patrata refert Osbertus *in eius vita*: per S. VVolphelmum Abbatem Conradus eius diſcipulus *in eius vita.* De B. Hildegarde Theodoricus Abbas *lib. 3. de vita S. Hildegardis cap. 9.* De S. Petro Cæleſtino Papa *in vita eius.* De alijs pluribus refert Gretzerus *lib. 3. de Cruce cap. 37.*

Quare poterunt Exorciſta, ac Parochus hoc etiam remedium adhibere, vt obſeſſos ad fidem vigoroſam, ac fiduciam perfectam faciliùs diſponant, qua dæmones à ſeipſis abigere valeant, ac propulſare.

§. I.

HVC referendum eſt Oleum à Sacerdotibus, etiam non Epiſcopis benedictum, obſeſſis, ac maleficiatis ſiue pro potu, ſiue pro vnctione ab Exorciſta exhibitum, quod ad dæmones coercendos, ac maleficia deſtruenda plurimùm valere exempla varia conteſtantur. 915 *Oleum benedictum valet cõtra dæmones*

Exẽplis comprobatur. Beda Venerabilis in Lucam cap. 8. cum ageret de Monialis cuiuſdam obſeſſæ à varijs, quæ dæmon influxerat, vulneribus ſanatione: & ipſamet (vno excepto) cætera fuiſſe ſanata, narraſſet, hæſitanti Sacerdoti eam conſilium hoc dediſſe, refert: *Si*, inquit, *oleum pro infirmis conſecratum eidem medicamento aſperſeris, ſicque me perunxeris, ſtatim ſanitati reſtituar; nam vidi per ſpiritum in quadam longiùs poſitam ciuitate, quam numquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam calamitate laborantem taliter à Sacerdote curatam. Fecit, vt illa ſuggeſſerat, ſtatimque vlcus remedium, quod ante reſpuerat, accipere conſentit.*

Hoc ſancto oleo vtebatur Sanctus Parthenius, ad quem cum Eucheria Agapij vxor veneficio affecta, cui inteſtina rodebantur, adducta eſſet, Sancto triduo orante, & oleo Sanctorum ei propinante, ſanitati priſtinæ reſtituta eſt; vt refert Surius *in eius vita*. Idemque hic ipſe Sanctus beneficium eodem oleo inungens cuidam Lesbo Oano impendit. Hoc oleo etiam Sanctus Theodoſius Cœnobiarcha brucos pellebat: ac morbos grauiſſimos S. Launomarus abigebat. Et hoc ordinarium B. Auxentij Archimandritæ contra dæmonis obſidiones, morboſque ab eo illatos erat remedium, teſte Metaphraſte *in vita eorum*. Nec minori ſucceſſu eodem vſi ſunt contra ſerpentis ictum, ac morſum virulentum S. VVinualocus, & Sanctus Paternus Abricenſis. Ad arreptitios etiam ferociſſimos liberandos S. Eutychius Patriarcha, S. Hilarion Abbas, Ægydius Nitteletus Decanus Cameracenſis, vt referunt Metaphraſtes, Surius, D. Hieronymus, Euſtachius, Anonymus, & Ioannes Molinettus *in vita eorum*. *Laurentius Surius. Ianuar. 10. Metaphraſtes. Ianuar. 10. Februar. 7. Februar. 14. Martij 5 Aprilis 6 Aprilis 16. Chron. Belgic. Anno 1490.*

Quare Exorciſta hoc etiam vti remedio poterit, qui ſimilis Filio hominis ſeptem ſtellas in manu, ſeptem nempe ſacramentalia, quaſi cæleſtia medicamenta, quibus dæmoniacæ infirmitates curari poſſunt, habebit. Sed circa vnctiones caueat, quæ ſupra monuimus *num.* 709.

CAPVT III.

De Remedijs particularibus Ægrotum præparantibus.

916 *Particulare remedium ad dæmones expellendos & maleficia ſoluenda.*

QVemadmodum ſolet Medici in curatione morborum aliquando medicata potione; aliquãdo ſectione, & vſtione ſubuenire ægrotis: vnde medicina, cui nomen à modo, & temperamento impoſitum exiſtimatur, in duas ſpecies pharmaceuticen, & chirurgicam diuiditur: ita Exorciſtę, ac Parochi idipſum in curatione morborum maleficorum præſtare debent. Non enim reme-

remedijs generalibus tantùm ex Sacramentorum, ac Sacramentalium virtute deſumptis huiuſmodi ægritudines arcere debent; ſed maximè particularibus ab Eccleſia ad hunc effectum inſtitutis, exorciſmis nempe, ac præceptis eccleſiaſticis, quibus & maleficia, & maleficiorum auctores propulſantur. Illa etenim generalia, etſi patientem ad fidei, ac confidentiæ in Deum actus eliciendos, quibus & dæmones expelluntur, & maleficia deſtruuntur, maximè diſponant; attamen ex ſe, & abſolutè non ad dæmones expellendos, ac maleficia deſtruenda; ſed ad peccata vel mortalia, aut venialia remittenda: vel ad gratiam conferendam, aut augendam: vel ad alios huiuſmodi effectus producendos ſunt ordinata.

Remedia autem particularia, de quibus impræſentiarum loquimur, ex ſe, & abſolutè à Deo ſunt inſtituta, & ab Eccleſia, non ad alium finem, quàm ad dæmones expellendos ab hominibus, & à rebus ad homines ſpectantibus ordinata.

Hoc typicè videtur in ſimili Filio hominis, qui non ſolùm ſeptem ſtellas in manu Sacramenta, & Sacramentalia deſignantes habebat; ſed etiam gladium ex vtraque parte acutum ex eius ore exeuntem gerebat. Nam quid aliud gladius ille quàm verbum diuinum, quo infernalis hoſtis feriendus eſt, & à creaturis expellendus, præfigurat? *Viuus enim eſt*, inquit Paulus Apoſt. Hebræor. cap. 4. *ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius*: Non inferior ſcilicet corporea, quantumuis mole quantitatiua aciem oculorum obtundat: Non media, vt homo, qui ſpiritu interiori mouetur in corpore opaco: Non ſuperior, vt dæmon, qui cùm purus ſit ſpiritus corpore expers, homine natura eſt ſuperior. Nam gladius hic verbi Dei ex vtraque parte acutus, quia ex vtroque teſtamento colligitur, potentiſſimus eſt, nedum pro dæmone coercendo, & expellendo ab hominibus, & è rebus ad homines ſpectantibus, vt fusè *cap*. 4. explicabitur; ſed pro homine ipſo obſeſſo ad ſuam liberationem, dum per inſtructionem, ac probationem ab eo reſecatur ignorantia, ac diffidentia, quæ potentiſſimùm liberationi obicem ponunt, præparando.

Eſt gladius verbi Dei, nempe Exorciſmus qui potētiſſimus eſt pro vexato præparando, & pro dæmone coercendo.

At quia vexationes, quibus in dies homines afficiuntur, aliæ à dæmonibus: aliæ à cauſis naturalibus; aliæ ex pura imaginatione prouenire dignoſcuntur; ideò antequam ad remedia dæmones expellentia deueniatur, primò ab Exorciſta, & Parocho, quæ, & qualis vexatio ſit, eſt cognoſcendum. Secundò inſtruenda perſona vexata. Tertiò probandum, an inſtructio ab ea ſit benè percepta, & per eam facta ſit capax ad liberationem. Quod tribus ſequentibus articulis aperietur.

ARTICVLVS I.

De modo certitudinaliter cognoſcendi: an quis verè ſit maleficio affectus, vel à dæmone poſſeſſus.

917 Primò ab Exorciſta interrogandi ſunt parentes perſonæ vexatæ, vel eius conſanguinei, aut curam habentes de origine infirmitatis, de tempore, ac modo, quo talis infirmitas incæperit: An die, vel nocte: qua noctis hora, puta an poſt tertiam, & ante quintam, vel ſextam: quia eo ſæpiùs tempore Malefici, ac Sagæ maleficia operari ſolent: An in ſomno, vel vigilia: An ſenſim, ac paulatim, vel inopinatò, ac repentè: An domi, vel extra domum: An ex cibo comeſto, vel potu: An aliquod remedium adhibuerit; & tunc diligenter quærat, quis tale remedium adhibuerit: An Medicus, vel Chirurgus, vel Religioſus, vel Idiota, vel Fæmina: An fuerit naturale, vel ſpirituale: An verba fuerint prolata, & quę ſint illa verba: An ſigna cum aliquo inſtrumento ligneo, ferreo, laneo, lapideo, plumbeo, aureo, argenteo, vel huiuſmodi facta ſint: An alia interuenerint, quæ nullam naturalem ad ſanitatem conferendam vim habent: quia ſæpiùs contingit, aliquos, imò plurimos priùs nedum ad humana ſeſe confugere auxilia, quàm diuina; ſed etiam ad diabolica, Magos, Maleficos, & Sagas aduocantes, ab eiſque remedia poſtulantes. Quod monet etiam Drexelius de Conformatione voluntatis lib. 5. cap. 10. §. 7. *Ille plurimorum*, inquit, *intollerabilis error, & abuſus eſt, vt priùs ad humana ſeſe auxilia conuertant, quàm ad diuina; neque hæc, niſi illis omnibus fruſtra tentatis, rebuſque iam planè depoſitis, cenſeant. Quo ſanè fit, vt humana remedia ordine plerumque præpoſtero adhibita, vindicante Deo, incaſſum nobis eant*. Et paulò infra addit: *Multis vix alius eſt Medicus, quàm Magus, nec alius pharmacopæus, quàm diabolus quæritur. Iure ergo Deus per hos punit, per quos tam variè offenditur*. Propterea Exorciſta, ſi fortaſſe aliquem ad Magos confugiſſe, agnoſcat ſanitatis aquirendæ gratia, illum moneat, vt priùs pænitentiam agat, ac diuinæ iuſtitiæ vindicanti ſatisfaciat.

Quomodo ab Exorciſta interrogādi ſint domeſtici obſeſſi, Et de quibus.

§. I.

Secundò Exorciſta Vexatum interroget ſuper eiſdem, de quibus ſupra, eum alloquendo, intuendo, audiendo, & eius diſpoſitionem conſiderando, ſigna tam probabilia, quàm certitudinalia inueſtigando: quid de ſua infirmitate ſentiat, interrogando: interim diligenter eius dicta, vultus mutationem, geſta, ac deſiderium ſuæ ſanationis obſeruet. Supra num. 598. & ſequent. 918

Quomodo interrogandus ſit obſeſſus.

Ex quibus inueſtigationibus, ſi nihil probabilitatis habeat, quòd patiens vexatus ſit, non vltra procedat, ne patiens ſuper re non exiſtente incipiat ſuſpicari; ſed potiùs ipſum ad diuinum in omnibus & ante omnia hortetur implorandum auxilium, deinde ad peritum Medicum confugiendum, vt per naturalia pharmaca (ſi infirmitas naturalis ſit) optatam valeat conſequi ſanitatem.

Si verò ex præmiſſis inueſtigationibus aliquod euidens habeat ſignum, illum à dæmone eſſe poſſeſſum, aut maleficio affectum, liberè ac tutò Exorciſta poterit de vexationis illius certitudine iudicium ferre, & ad vlteriores actus, nempe ad inſtructionem, probationem, & dæmonis expulſionem procedere, de quibus infra: Sed Vexati iudicium de ſua vexatione priùs requirat: an ſcilicet eſſe naturalem, vel à dæmone cauſatam arbitretur. Quòd ſi naturalem eſſe reſpondeat, non eſt vltra procedendum: quia Vexatus vel fateri debet vexationem ſuam eſſe à dæmone, (ſi verè talem eſſe agnoſcat): vel ſaltem dicere debet, ſe talem vexationem eſſe à dæmone ſuſpicari; vt ſic ab Exorciſta debita ei remedia poſſint adhiberi.

Si autem dicat, ſe infirmitatem ſuam eſſe à dæmone ſuſpicari; ſed de ſua liberatione non curet, pro

tunc

tunc vltra non eſt procedendum: quia Exorciſta oleum, & operam perdet; nam Deus ab ægrotis adultis ordinariè conſenſum requirit ad ſanitatem illis impertiendam. Sup.n.*499.* & *646.*

Si tandem velit, ac ſanitatem quærat; ſed illam ſe conſecuturum non credat, tunc per Exorciſtam; aut per parentes, amicos, vel domeſtiços eſt diſponendus.

§. II.

919 *Modus ad faciēdum experimētum certū de obſeſſione ac præsētia dęmonis in corpore humano.*

TErtiò, ſi ex præcedentibus inueſtigationibus ſigna aliqua habeantur probabilia, Patientem eſſe à dæmone vexatum, vt certitudo de tali vexatione habeatur, ſequens faciendum eſt experimentum. Primo Exorciſta obſeſſum breuiter inſtruat, vt credat ipſum eſſe Chriſti, & Eccleſiæ miniſtrum, & auctoritatem habere dęmonem è corporibus obſeſſis expellendi, eiuſque opera malefica deſtruendi; idcircò, ſi verè, ac realiter dæmon fuerit in corpore ipſius, illicò ad præceptum ab Exorciſta ſibi imponendum ſe propalaturum.

Genuflexo ergo Obſeſſo (ſi poteſt) coram Exorciſta veluti coram iudice ſedente, tunc ipſe Exorciſta voce horribili, & aſpectu graui, & maxima diuini auxilij munitus confidentia, ſequens pręceptum conditionatum formet.

Pręceptū conditionatū probatiuū.

In nomine Ieſu Chriſti ego N. *vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ præcipio tibi dęmon, vel vobis ſpiritus immundi, (ſi aliqui eſtis in corpore iſtius creaturæ Dei) vt ſtatim detis mihi aliquod ſignum euidens, ac certum præſentiæ veſtræ, hanc creaturam indeſinenter vexando: aut commouendo humores in ea more ſolito eo modo, quo à Deo vobis fuerit permiſſum.*

Quod ſi patiens à dæmone verè fuerit vexatus, ſtatim dæmon Exorciſtæ præcepto obediet, effectus cauſando, quos antea conſueuerat operari. Et tunc Exorciſta ſtatim dæmoni præcipiat, vt à tali vexatione ceſſet, iuxta regulas ſupra poſitas *num.*745.*& ſequentibus*. Si verò dæmon nullum det euidens ſignum ſuæ præſentiæ, tunc vexatus ab Exorciſta dimittatur, illum ad diuinum implorandum auxilium hortando, vt ſupra admonendo, vt falſam exiſtimationem remoueat, & quod credat experto, & non ſibi. Huiuſmodi autem præcepta Exorciſta ſiue latino, ſiue vulgari idiomate iuxta opportunitatem, & exigentiam, ſecundùm monita ſupra tradita *num.* 743. *& ſequentibus*, poterit efformare.

ARTICVLVS II.

De Inſtructione pro vexato ad liberationem præparando.

920 *Modus inſtruendi vexatum pro ſua liberatione præparandum.*

POſtquam Vexatus verè eſſe energumenus, vel maleficio affectus, cognitus fuerit, antequam Exorciſta ad præcepta expulſiua deueniat, vt fructuoſa ſit adiuratio, ac præcepta expulſiua dęmoni facienda ſuum poſſint obtinere effectum, poſito patiente coram Exorciſta, præſentibus parentibus, & alijs pijs perſonis, clarè, diſtinctè, ac ſuauiter in doctrina infra ponenda illum inſtruat: ſed diligenter Exorciſta aduertat, vt patiens illam percipiat; ideòque illum ad attentionem ſępiùs excitet; & aliquando iubeat, quæ audiuit, denuò replicare. Semper ad ſpem, ac confidentiam illum roboret. Proponat ei certam ex parte Dei, & Eccleſiæ liberationem, ſi ipſe perfectam, & inhæſitantem confidentiam habuerit, ac huiuſmodi liberatio illi futura ſit ſalutaris. Sæpiùs eum commoneat, ne dæmoni attendat, ſi illi aliquid intùs ſuggerit, neque ſi aliquam ei intulerit vexationem.

Supra n.503.

Ad aliquod præceptum expulſiuum, niſi completa inſtructione, ac probatione, ſcilicet niſi patiente benè inſtructo, ac in fide, ac fiducia probato, non veniatur.

Si tamen Obſeſſus à dæmone turbaretur, ne inſtructioni poſſet attendere; tunc Exorciſtæ pręceptis lenitiuis, de quibus infra num.*940.* dæmonem cohibeat, videlicet ei præcipiendo in nomine Ieſu, ne patiētem perturbet, aut moleſtet, nec impediat, quin attentè, ac deuotè inſtructiones audire, ac percipere queat; addendo etiam, (ſi opus fuerit) aliquam aduerſus dęmonem obiurgationem: vt infra *n.936.*

De quatuor ergo principaliter ab Exorciſta, vel Parocho inſtruendus eſt vexatus.

Primò in his, quæ in ordine ad Deum credere debet.

Secundò in his, quæ Exorciſtam reſpiciunt.

Tertiò in his, quæ in ordine ad dæmones credere debet.

Quartò in his, quæ ad ſeipſum ſpectant.

QVÆSTIO I.

Quomodo, & de quibus vexatus inſtruendus ſit erga Deum.

REſpondetur, Energumenum, aut maleficio affectum, vt maximam in Deum fiduciam, ac confidentiam pro ſua liberatione elicere queat, quæ ſequuntur firmiter credere debere. 921 *Quomodo, & de quib. vexatus inſtruēdus ſit erga Deum.*

Primò omnia, quæ in mundo fiunt, ſiue bona, ſiue mala à Deo eſſe, vel volente, vel permittente iuxta illud Eccl.c.11.v.14. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt:* Ideò omnia maleficia, dæmoniacas obſeſſiones, ac poſſeſſiones, vt ſimpliciter malum pęnæ dicunt, quæ eſt quid poſitiuum, eſſe à Deo volente, & approbante: vt verò malum culpæ includunt, vel ad culpam inducunt, eſſe à Deo non volente, nec approbante; ſed tantummodo permittente, ſeu non impediente.

Diuina Prouidētia benè cuncta diſponit. Supra n.583. & ſeq.

Secundò, quòd *mala*, quæ Deus hominibus euenire permittit, *diuina Prouidentia ad bonum dirigens cuncta diſponit:* vt loquitur Boethius *lib.*4. *Conſol. phil.proſa 6.in fine*, videlicet ſi vexatus peccator eſt, vt reſipiſcat, & pęnitentiam agat: ſi verò iuſtus eſt, ad maiora chriſtianæ perfectionis incrementa prouocetur. Quare Exorciſta, vel Parochus Patienti ad Deo gratias agendas pro tali vexatione perſuadeat; eiq; dictum D.Hieronymi rememoret, nempè quòd *Omnia Prouidentia Dei gubernantur, & ſæpè quæ putatur pæna, medicina eſt*. Conſequenter hortetur, vt ex totis præcordijs peccata deteſtetur, ac confiteatur, & in virtutum exercitio magìs, ac magìs proficere contendat. Moneatque virtutis profectum in offerendo ſeipſum ex toto corde diuinæ voluntati conſiſtere: *ita vt vna æquali facie*, vt loquitur Thomas de Kempis lib.3.c.25.n.3. *in gratiarum actione permaneat inter proſpera, & contraria, omnia æqua lance penſando:* Sic ſemper voluntatem ſuam in in omnibus diuinæ ſubijciat, ac conformet.

Tertiò, cum nullus vexatus, niſi per diuinam reuelationem ſcire poſſit, an ſit voluntas Dei, nec ne, vt diu talem ſuſtineat vexationem, Exorciſta eum inſtruat, vt ad ſigni voluntatem confugiat, quæ per diuinas ſcripturas nobis manifeſtat Deum

omnibus inuocantibus ſe ſuum præſtare velle auxilium, & in ſe credentes, ac in Sanctiſſimo nomine ſuo confidentes velle à quacumque dæmoniaca liberare vexatione, ſi talis liberatio eis ſalutaris ſit futura. Propterea ad hoc vt vexatus (quantum eſt ex ſe) ſuam liberationem faciat eſſe ſalutarem, ad laudem, & gloriam Dei, ac ſalutem animæ ſuæ illam ordinet: & dum in oratione à Deo ſuam petit liberationem, ſimul talem ordinationem petat, nempe, vt Deus ſibi ſanitatem, ac ſimul auxilium efficax tribuat, vt tali ſanitate ad Deum laudandum, & glorificandum, ac magis, magiſque in bono proficiendum benè vtatur.

Obſeſſus credere debet, quòd Deus eſt omnipotens.

Quartò, Exorciſta moneat illum, vt Deum eſſe omnipotentem, nec vllam eſſe creaturam, quæ eius potentiæ valeat reſiſtere, firmiter credat; idcircò licèt in corpore Energumeni eſſent mille dæmoniorum legiones, illicò Deum eos expellere poſſe: Ac reſpectu diuinæ Potentiæ non eſſe differentiam, ab vno obſeſſo centum millia dæmoniorum expellere, ac ſi vnum ſolum: quia cùm Dei potentia ſit infinita, & dæmonum finita, inter eas nulla eſt proportio, ideoque tota omnium dæmonum potentia ſimul vnita reſpectu diuinæ nihil eſt.

Deus eſt ſapientiſſimus.

Quintò, vt Deum ſapientiſsimum eſſe credat; ideoque perfectiſsimè omnium dæmonum machinamenta, dolos, ac fallacias noſcere; & cùm vbique per eſſentiam, per potentiam, & per præſentiam ſit, omnia eſſe aperta, & nuda oculis eius, eaque ſine vllo impedimento apertiſsimè videre, ac modum, quo ea deſtruere, ac dæmones à corporibus obſeſsis valeat propulſare, optimè agnoſcere.

Deus eſt ſummè bonus.

Sextò, quòd Deus eſt ſummum bonum, ideoque ſe ad extra per communicationem diffundit, prout à creatura capi poteſt, & ei expedire iudicat. Quare ratione ſuæ bonitatis vult omnibus benefacere, & non malefacere, quantùm eſt ex parte ſua: Sic Drexelius de Conformatione voluntatis lib. 2. c. 5. ait: *Deus non tantùm vult fieri, quicquid in Orbe fit (dempto peccato) ſed id omne reipſa ſemper exequitur, quod melius eſt, imò quod optimum eſt, hoc eſt (vt ſic loquamur) ingenium Dei, & innata eius propenſio.* Hac de cauſa, vt nos ſuæ bonitatis faciat eſſe participes, ſæpiùs in diuina ſcriptura hortatur, vt illum inuocemus, inuocantibus ſe ſuum præſtare auxilium pollicendo. Sic Chriſtus, dum mortali carne indutus in hoc inferiori Orbe morabatur, pertranſiens omnibus benefaciebat, & omnes à dæmone oppreſſos ſanabat, vt habetur Act. 10. Deditque poteſtatem ſuis Diſcipulis, & eorum ſucceſſoribus omnia dæmonia eijciendi: quam etiam omnibus in ſe credentibus Marci vlt. communicauit dicens: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient.* Ex quibus omnibus clarè conſtat, Deum velle (quantum eſt ex parte ſua) omnes Energumenos, & maleficio affectos à dæmone liberare, ſi ipſi ad liberationem perfectè ſe diſpoſuerint, faciendo quantum in ſe eſt, ac Deum ſuppliciter rogando, vt talis liberatio ſibi ſalutaris ſit futura; nec eam niſi ſub tali conditione vllo modo quærant impetrare.

Deus eſt veraciſſimus.

Septimò: quòd Deus verax eſt, nec mentiri poteſt, nec in ſuis promiſſis deficere: idcircò, cùm promiſerit Marci vlt. ſupra citato, ſe ad fidem credentium dæmones expulſurum (ſi Vexatus perfectam in eo fiduciam collocauerit) à dæmone proculdubio eum liberabit, ſi talis liberatio ei ſit profutura.

Dæmon ad multa mala obſeſſos inducit.

Octauò, quòd dæmon obſeſſos ſæpiùs ad multa mala perpetranda inducit, puta ad blaſphemias, ad peccata carnalia, ad rixas, ac iurgia excitanda, ad odia fouenda, ad parentes contemnendos, ad domeſticos perturbandos, ad colliſiones, ſubmerſiones, præcipitia, deſperationem, ac mortem ipſam, vt in dies experientia docet: quæ omnia, etſi à Deo permittantur; non tamen approbantur; ſed potiùs odit illa; ergo etiam dæmonem in corporibus humanis habitantem, ac talia ſuſcitantem odio habet.

Nonò, Exorciſta ex præmiſſis deductam Vexato proponat concluſionem, nempe in Deo confidentiam: quia Deo æqualiter de omnibus cura eſt: quia omnipotens, ac ſapientiſſimus eſt, ac vult omnibus in ſe confidentibus opitulari; ac fidelis eſt in omnibus ſuis promiſſis, ideoque maximè confidendum eſt in eo, qui ſuos numquam deſerit; Suis enim ſemper præſens eſt, auxiliari ſemper eſt paratus, vt omnia ſuorum amicorum ad opportunum finem dirigantur: propterea Vexatus eo ſemper animo illum exoret, nec dubitet; ſed certò ſciat ſuas preces (ſi tamen iuſta petat) eſſe exaudiendas: nam inſtar oraculi habeat illud à Chryſoſtomo dictum ho. 14. in Matth. *Si cum hoc ſtudio mentis acceſſeris, & dixeris: Niſi accepero, non recedam, prorſus accipies: ſi modò talia poſtulaueris, quæ & illum, qui rogatur, dare deceat, & accipere tibi, qui precaris, expediat.*

Ordo Exorciſtatus producit effectũ ex opere operato.

Decimò, ob oculos ponat Vexato: quòd ſicut omnia Sacramenta ex opere operato ſuum producunt effectum, Deuſque infallibiliter ex parte ſua concurrit, (ſi adſint requiſita ex parte materiæ, formæ, miniſtri, ac recipientis) ſic Ordo Exorciſtatus, cùm ſit Sacramentum, vt plures graues teſtantur Auctores, ex merito paſsionis Chriſti, ſi omnia aderint requiſita ſuum producet effectum: qui effectus eſt dæmonis expulſio; ideò ſi obſeſſus per fidem, ac confidentiam in Deum benè fuerit diſpoſitus, à dæmonis tyrannide proculdubio eripietur.

Deus nũquam obſeſſos derelinquit ſi ipſum deuotè inuocent.

Vndecimò, Exorciſta vexatum moneat, Deum, cùm pientiſſimus ſit, numquam ipſum derelicturum; ſed ipſi, ſi eum inuocauerit, ſuum præſtiturum auxilium: nec defectus illius diuinæ protectioni obicem ponent, ſi illos ex totis præcordijs deteſtetur; numquam Energumenus de ſua ſalute tàm corporali, quàm ſpirituali deſperet: quia Deus non vult mortem peccatoris; ſed vt conuertatur, & viuat: neque gaudet, hominem talibus iniquiſſimi hoſtis vexationibus ſubiacere, ſi quod ex parte ſua requiritur, perpetrabit. Quare illum, (vt fiducialiter petat à Deo liberationem ſuam) ob magnitudinem miſericordiæ eius petere hortetur: quæ maior in benefaciendo homini peccatori, & indigno, quã iuſto, ac digno oſtenditur: nec non ob inuariabilem, & indeficientem ipſius fidelitatem, quæ in ſeruandis ſuis promiſſionibus numquam deeſt. Inſuper conſoletur cor patientis, eius afflictum, ac iacentem erigat animum, & ad dæmoniacis inſultibus reſiſtendum corroboret; oſtendatque non eſſe difficile, dæmones expellere: quia Deus ex parte ſua veluti ſol refulgens paratiſſimus eſt, ſuos quaquauerſum gratiarum diffundere radios, dummodo ignorantiæ nubes, ac diffidentiæ tollantur; idcircò ſi ipſe perfectè crediderit, ac confidentiam in eo inhæſitantem collocauerit, vtique victor erit. Propterea ſemper Exorciſta vultum lætum, hilarem, ac iucundum oſtendat: nec Obſeſſo vmquam minetur; ſed eum hortetur, vt gaudeat, & conſoletur.

Quomodo Deus partes iuuet Exorciſtæ, & Energumeni.

Duodecimò, certiſſimum eſt, quòd ſi Exorciſta, & Energumenus ſimul cum diabolo ad eijciendum illum pugnauerint, Deus magìs Exorciſtæ, & Energumeni, qui ſe illi commendat, partes iuuabit, quàm diaboli inimici ſui, qui illum blaſphemat, & odit. Ergo certiſſima erit victoria. Quis poterit reſiſtere Deo? Et ſi aliquando Deus dæmones

non

non eijciat, non eſt, quia non poſſit, vel neſciat, aut nolit, quantum ex ſe eſt; ſed quia vexato expediens eſſe non iudicat, quia ſi à dæmoniaca vexatione citò liberaretur, fortaſſe ad priora, & etiam ad maiora peccata reuerteretur; vel quia Vexatus confidenter ad Deum non confugit; ſed de eius voluntate optima, ac pientiſſima veretur.

Quare concludimus, maximam eſſe diaboli tentationem, credere quòd Deus velit, (licèt permittat) dæmones in hoc ſpeciali corpore habitare (exceptis maximis peccatoribus) ita vt Vexatus non procuret, nec ſuam liberationem procurare debeat: ſicut tentatio eſſet ei, qui in ignem cecidit, & poſſet amici auxilio liberari, & nollet, dicens: *Deus voluit, me in ignem cadere, ſic ergo volo manere.* Cui ego reſponderem: *Tua incuria, & imprudentia in ignem cecidiſti; & dum voluntariè ſine aliquo recto fine potens, non vis liberari, morieris in corpore, & etiam æternam amittes beatitudinem.*

QVÆSTIO II.

Quomodo inſtruendus ſit Vexatus de ſpectantibus ad Exorciſtam.

922 *Vexatus erga Exorciſtā debet quinque actus exequi, ſcilicet, 1. Credere.*

Reſpondetur breuiter, Energumenum, ac maleficio affectum, vt ad ſuam liberationem rectè ſit diſpoſitus, debere in ordinem ad Exorciſtam quinque actus elicere, ſcilicet credere, obedire, attendere, ſe conformare, & manifeſtare.

Primò credere debet Vexatus, quòd Exorciſta ſit Dei miniſter, & quòd eius operationes principaliter ipſius Dei ſunt, & miniſtri; ac per conſequens diabolus ſine dubio illi obediet: quia non obedire Dei miniſtro, eſt Deo non obedire: ſicut in artificialibus ſerra eſt inſtrumētum fabri lignarij, & qua ratione lignum ſerræ obedit, dum per eam ſcinditur, eadem ratione obedit fabro, qui ſerram mouet: ſic in miniſterijs eccleſiaſticis Deus miniſtrum ſuum tanquam morale inſtrumentum mouet; & non obedire miniſtro eius, eſt ipſi non obedire; ergo Exorciſtæ præcepta efficacia erunt, ſi Energumenus ex parte ſua ritè fuerit diſpoſitus.

Pari modo Vexatus credere debet, quòd Deus abſque dubio cum ſuo miniſtro concurret, quando in nomine eius præcipiet. Sicut enim infallibiliter cum Sacerdote concurrit ad conſecrandum, cum Confeſſario ad abſoluendum, & Cum Parocho ad baptizandum, dummodo ſint omnia neceſſariò requiſita; ita cum Exorciſta concurret, cùm debitè officium ſui ordinis adminiſtrabit; omnia enim Sacramenta ex opere operato virtutem habent, vt communiter cenſent omnes Auctores.

Si autem dicatur, quòd diabolus non ſemper præceptis Exorciſtæ obtemperat: ideò Energumeni fides vacillat; immo etiam ipſius Exorciſtę.

Inſtātia ſolutio. Reſpondetur, quòd diabolus ſemper Exorciſtę obedire tenetur in his, quę ad ſuam ſpectant eiectionem, ſi Energumenus ſit perfectè diſpoſitus, ac firmiter credat, nec intus vacillet; & Exorciſta ritè ſuo munere fungatur: vt centies experientia comprobaui. Sed cùm Energumenus non eſt perfectè diſpoſitus: vel Exorciſta non ritè ſuo fungitur munere, tunc dæmon non obedit; imò etiamſi Exorciſta omnes conditiones haberet requiſitas, ſi patiens non ſit benè diſpoſitus, dæmon, ſaltem præceptis ad expulſionem pertinentibus nō obtemperabit. Sic etiam in alijs Sacramentis, quæ ponentibus obicem gratiam non conferunt, contingit.

Secundò Vexatus Exorciſtæ obedire debet; quod præſtare tenetur nedum in exterioribus, ſed in interioribus actibus, quibus ei tanquam Dei miniſtro honor, ac reuerentia exhibetur. *2. Obedire.*

Tertiò ad dicta, ac præcepta Exorciſtæ attendere; nec vllo modo ab eis diuertere: quia tunc diabolus multa, vt diuertat, proponit: propterea Energumenus fide, intentione, attentione, & toto conatu attendat: quia per actus fidei vigoroſæ dæmon quàm maximè compellitur, vt exactiſſimam Exorciſtæ obedientiam præſtet. *3. Attendere.*

Quartò in omnibus ſe Exorciſtæ conformare debet, ita vt pugnet contra diabolum, ac ſuam voluntatem Exorciſtæ voluntati conformet. Idcircò cùm miniſter præcipit, & ipſi præcepti huiuſmodi executionem intendat, ad quodcumque præceptum ab Exorciſta factum ſiue ad probationem, ſiue ad expulſionem diuina virtute dæmonem ligari firmiter credens, ita vt ab eius obedientia ſe ſubducere non poſſit. *4. Se conformare.*

Præterea aduertere debet Patiens, ne tempore exorciſmi vllo modo Exorciſtæ repugnet: nec quāuis diabolus aliquid intùs ſuadeat, perturbetur; ſed totam ſuam ad Chriſti miniſtrum dirigat intentionem: credens illum tunc dirigi à Deo, & facere illius opera, ideoque ab eo adiuuari: Vnde contra dæmones Deus, miniſter, & patiens decertabunt.

Quintò Vexatus omnes diabolicas tentationes cuiuſcumque generis ſint, nedum ad peccata inducentes; ſed etiam ſuggeſtiones à monitis Exorciſtæ diſtrahentes illi manifeſtare debet. Semper enim aduerſarius aliquid obijcit Obſeſſo, vel vt Exorciſtæ non credat: vel vt tædio afficiatur: vel vt alicuius recordetur diſtrahentis: propterea Exorciſta ſæpiùs mentem Energumeni ſubleuet, & quantum poſſibile fuerit, cor eius roboret; opportuna tentationibus expellendis remedia tradat; ipſum quietet, & diffidentem ad ſpem erigat, & ad fiduciam excitet. Ipſe quoque coram patiente taliter ſeipſum in verbis, & actibus exhibeat, vt ille dictos actus elicere poſſit; ac ſæpè conditiones, quæ verum ornare debent Exorciſtam, ipſe mente reuoluat & opere exequatur. *5. Manifeſtare.*

QVÆSTIO III.

Quomodo vexatus inſtruendus ſit aduerſus dæmones.

Reſpondetur, Energumenum, ſiue Maleficiatum indubitanter ſibi perſuadere, ac credere debere, quòd licèt dæmon maximam naturalem ſuper res corporeas habeat poteſtatem; & tantam, vt non ſit alia ſuper terram, quæ ei comparetur; attamen hæc poteſtas propter peccatum ab eo patratum in eo infirmata eſt; non quoad actum primum: quia etiam poſt peccatum naturalia in dæmonibus integra remanſerunt; ſed quoad actum ſecundum, ideſt quoad operationem, vt non omnia mala, quæ lubet, poſſit perpetrare. 923 *Inſtructio vexati contra dæmones*

Per Paſſionem verò Chriſti, ac mortem eius huiuſmodi poteſtas dæmoniaca fuit confracta, ac ſublata non ſimpliciter, & abſolutè; ſed reſpectiuè, ac dependenter à Deo, eo modo, quo ſupra explicuimus *num.* 529. & 530.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quomodo Vexatus inſtruendus ſit erga ſeipſum.

Inſtructio Vexati erga ſeipſum. Obſeſſus debet credere ſe à dæmone eſſe obſeſſum.

924 RESpondetur, Energumenum, vt perfectè ad ſuã liberationem diſponatur, diligentiſſimè erga ſeipſum quæ ſequuntur debere obſeruare:

Primò Energumenus, poſtquam Exorciſta euidenter cognouit, quòd ille verè à diabolo poſſidetur, aliud iudicium à iudicio Exorciſtæ formare non debet, nempe quòd iudicet infirmitatem ſuam naturalem eſſe, vel à cauſa naturali procedentem: vel aliquem defectum naturalem in ea concurrere: quia hoc multum curationi obeſſet; nam Patiens à dæmone deceptus eſſet; propterea non contra illum cum Exorciſta; ſed pro illo contra Exorciſtam decertaret. Qui enim ſe à dæmone obſeſſum eſſe non credit, nec poteſt fidei actus elicere, quòd per præcepta Exorciſtę à dæmone ſit liberandus. Quod ſæpiſſimè experientia in multis obſeſſis, ac maleficiatis comprobaui.

Peccata confiteatur.

Io. 5. 14.

Secundò Vexatus probabiliter vexationem, quam ſuſtinet, ob aliquam ſuam culpam, ſaltem venialem ſibi eueniſſe credere debet, memor illius dicti Domini N. ægris iam ſanatis inſinuati, ne ſcilicet ampliùs peccarent, ne deterius aliquid eis contingeret. Idcircò ſtatim omnia ſua peccata grauiora, licèt etiam aliàs confeſſa confiteatur, ſi Confeſſarius expediens iudicauerit. Sacram recipiat Euchariſtiam, ac perfectè reconcilietur Deo in infinita eius pietate, ac miſericordia confiſus: Ex quo credat, radicem ſuæ vexationis primariam auferri. Nec in hoc ſuggerēti diabolo credat, quòd ſit aliquod peccatum ſibi occultum, ob quod à dæmoniaca obſeſſione nequeat liberari.

Non iudicet, aliquam determinatam perſonã ſibi maleficiũ intuliſſe,

Tertiò quamuis Energumenus aliqua indicia habeat, ex quibus infirmitatem diabolicam ab aliqua determinata perſona medijs maleficijs ſibi eueniſſe, iudicare poſſit; numquam tamen tale iudicium formet: tum quia facilè à dęmone tentaretur, vt pro vindicta malum aliquod illi intentaret; ſic grauiora peccata inde ſequerentur: tum etiam quia tale iudicium eius curationi valdè obeſſet: ideò omninò huiuſmodi diabolicas tentationes à ſe abijciat, ac nihil penitus curet, vnde vexatio proueniat diabolica: hoc vnum ſcire ſufficiat, quòd immediatè à dęmone excitatur.

Immò dico, quòd Vexatus, etſi certè perſonam maleficam nouerit, nihil adhuc de hoc curet: quia ſi perfectè contra dæmonem munitus fuerit, Malefica nihil amplius mali poterit ei inferre; & factum citò euaneſcet: quia Eccleſiæ auctoritas ſuper omnes Maleficos, & ſuper totum infernum habet poteſtatem.

Digniſſimũ ſcitu

Quartò pro certo tenere debet Patiens, quòd in vexatos curando nulla differentia eſt: ſiue dęmon corpus per timorem: ſiue per maleficium: ſeu ob quamcumque aliam cauſam ingreſſus ſit, neque ſi maleficium ſit intrinſecum, aut extrinſecum, vel cuiuſcumque generis: neque ſi dęmones ſint plures, vel etiam legiones, vel vnus tantùm: nec ſi vexatio ſit recens, aut antiqua: vel maleficiorum fuerint renouationes, aut confirmationes: neque ſi Energumeni fuerint aliàs exorcizati, necne. Neque refert, ſi dęmones muti, vel loquaces ſint: terribiles, vel pacifici: maiores, vel minores: ſubditi, vel principes: legati, vel ſoluti. Et tandem vexationes qualitercumque, quomodocumque, & cuiuſcumque generis ſint, per Exorciſtam, Deo dante, omninò auferentur: nam auctoritati Eccleſiæ, & Patientis fidei tartareę poteſtates ſunt ſubiectę, & dęmones obſidentes ſine vlla difficultate omninò obedire compellentur.

Inſtãtia.

At fortaſſe dicent aliqui, per experientiam agnitum eſſe, in curandis vexatis multas circa prædicta differentias eſſe, vt in Scriptoribus huius artis videri poteſt; vt puta quòd obſeſſus ex timore faciliùs, quàm ex maleficio curatur: & cum maiori difficultate plures, quàm pauciores eijciuntur dæmones; quod etiam rationi conſonum videtur.

Solutio.

Reſpondetur, hanc falſam de huiuſmodi differentijs opinionem à diabolo introductam eſſe, vt difficilior curatio redderetur; ſed in veritate non ſic eſt: quia exiſtente vera, & perfecta in Vexato diſpoſitione, & auctoritate in Exorciſta, nulla prorſus curandi eſt difficultas. Sicut anima, quamuis peccatis innumerabilibus obnoxia fuerit, ſi verè fuerit diſpoſita, per abſolutionem vnicam ſubitò ab omnibus criminibus ſoluetur: ſic dicendum eſt in caſu noſtro.

Vnde autem difficultas oriatur: an ex parte Energumeni, aut miniſtri, infra, vbi *de dæmone obſiſtente* explicabitur.

Vexatus refrenãre debet paſſiones

Quintò Vexatus ſuas paſſiones refręnare debet, ſuumque animum componere; ita vt in eo nulla concupiſcentiæ, odij, irę, inuidię, maledicentię, triſtitię, diffidentiæ, deſperationis, aliarumque paſſionum, quæ animum moleſtant, & dant pabulum ad vexandum, turbatio inueniatur. Auferat ſingulariter melancholiam, & toto corde lætus in omnibus diuinæ voluntati ſe conformet; & ſic lectus, in quo cubat diabolus, erit ablatus.

Vexatus quomodo poſſit per ſeipſum repellere vexationes diabolicas. Supra n. 503.

Sextò Vexatus certò credere debet, (quod etiam experientia comprobabit) ſe diuino auxilio, quod nemini illud volenti deficit, ac fide, ac confidentia in Deum, quæ firma, & non hæſitans, nec vacillans eſſe debet, & liberi arbitrij actu adiutum, ſeipſo poſſe omnes diabolicas, etiam abſente Exorciſta, eijcere vexationes, in nomine Ieſu dęmoni præcipiendo, vt ab omni vexatione deſiſtat, ac totaliter à ſe recedat: quia hæc dæmones eijciendi poteſtas in nomine Ieſu, à Chriſto omnibus in ſe credentibus communicata eſt, Marci vlt. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient*. Diabolus enim nullam intrinſecam, aut extrinſecam in corpore ſaltem grauem inferre poteſt vexationem ijs, qui actu in Deo maximè confidunt, quòd eos ab huiuſmodi vexatione ſit protecturus, ac præſeruaturus; ſed magis minus in Deo confidentes, ac de eius protectione diuina magis diffidentes vexat: vt præter experientiam certam, colligitur etiam ex *cap. Nec mirum* §. *Magi ſunt*. 26. *q.* 5. *Hi permiſſu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minùs confidentium in Deo.* Cui adſtipulantur Iſidorus *lib.* 8. *Ethymolog. cap.* 9. Burcardus *lib.* 10. *cap.* 42. Iuo *part.* 11. *cap.* 67. Panormit. *lib.* 9. *cap.* 65.

Ex quo apparet, Vexatum ſæpiùs diuinum auxilium implorare debere, actus fidei firmæ, ac confidentiæ in Deum inhæſitantis ſæpiſſimè elicere: hanc à Deo quotidie ſuppliciter petere; ac libero arbitrio vnà cum Dei gratia omnes tentationes, & illuſiones repellere diabolicas; quòd ſi quæ dico, Vexatus effecerit, ſuper ſe Dei auxilium experietur.

AR-

ARTICVLVS III.

De Probatione Vexati ante liberationem requiſita.

925 *Probatio vexati quanā ſit* POſtquam Vexatus, vt obſeſſus, aut maleficiatus ſufficienter cognitus in his, quæ ad ſuam liberationem ſunt neceſſaria benè inſtructus fuerit, non debet Exorciſta ad liberationem ſubitò deuenire, niſi priùs, an verè ad liberationem ſufficienter diſpoſitus fuerit, comprobetur, idcircò alius additur actus, qui Vexati probatio nuncupatur. Tunc autem Obſeſſus perfectè erit probatus, quando Exorciſta in quatuor prædictis benè expertum eſſe, videlicet in ordine ad Deum, ad Exorciſtam, ad dęmonem, ad ſeipſum, iudicabit.

QVÆSTIO I.

Quomodo Vexatus probandus ſit erga Deum.

926 *Ex quib. exorciſta cognoſcet vexatum benè eſſe diſpoſitū erga Deū pro ſua liberatione* REſpondetur, Energumenum tunc fore benè probatum erga Deum, cum perfectè erga illum diſpoſitus fuerit: quia cùm totus liberationis effectus à Deo ſit expectandus, neceſſariò in Vexato perfecta prærequiritur diſpoſitio erga Deum, vt valeat liberari. Quæ diſpoſitio ab Exorciſta cognoſcetur, ſi Vexatus Primò in puritate conſcientiæ diſpoſitus fuerit, quę Deo gratum reddit. Secundò in actu humilitatis, quę eundem facit capacem gratiarum. Tertiò in actu confidentiæ, quæ Deum ad nos inclinat.

Primò in conſcientię puritate: ſi magis nempe quàm priùs, Sacramenta frequentet, & aliqua delicta, de quibus ab Exorciſta argutus fuit, emendauerit; & vitam ſuam ſuper viuendi modo ordinauerit; ideò ad probationem iſta vexato ſuggerere debet, ac ſuadere.

Secundò in humilitatis actu: ſi ſe liberatione indignum exiſtimet: ſi ſe aliorum commendet orationibus, vt ad liberationem iuuetur: ſi gratias Deo de dæmonis ſubiectione, & de promiſſa liberationis gratia perſoluat.

Tertiò in confidentiæ actu: Si, Exorciſta de Dei bonitate, pietate, clementia, miſericordia, ac fidelitate, ac de liberationis gratia loquente, ipſe in vultu lętitię ſigna oſtendat, nulla dubia ponat, nullam difficultatem agnoſcat; ſed dęmonem illicò receſſurum, cùm vnicum ab Exorciſta in nomine Ieſu pręceptum aduerſus ipſum fuerit prolatum, firmiter arbitretur.

§. I.

927 *Interrogationes vexato faciendæ ab Exorciſta, vt cognoſcat an benè ſit diſpoſitus.* AD maiorem nihilominus Vexati in iſtis probationem, Exorciſta practicè circa prędicta in ordine ad Deum inquirat: ſimiliter de loco, & tempore, in quibus vult liberari, vt ex ipſius reſponſione agnoſcat, an benè ſit probatus. Poterit autem vulgari idiomate de ſequentibus illum interrogare.

1. *Credi, che Iddio t'habbi mandato queſta diabolica veſſatione: acciò facci emendatione de tuoi peccati, & per l'auuenire t'affatichi per fuggire tutti i peccati; e viui più puramente, & attendi con più feruore à dar gloria à Dio, & al profitto dell'anima tua?*

(Si reſponderit, quòd non: vel dubius fuerit in reſpondendo, non eſt benè probatus.) Si verò reſponderit affimatiuè, eſt probatus. Sed addat Exorciſta:

2. *Come hai diſpoſto, e determinato d'emendarti, e profittar nel bene?*

Si ſe nondum de hac re aliquid determinaſſe, ſed poſt liberationem, ſe determinaturum reſponderit, non eſt benè probatus. Si verò reſponderit: *Firmiter decreui omnes peccandi occaſiones fugere; proximo meo benè facere; mala omnia culpæ deuitare; Sacramenta Eccleſiæ frequentare; opera miſericordiæ corporalia, ac ſpiritualia, & alia opera bona exercere: tunc eſt benè probatus.* Sed addat Exorciſta.

3. *Credi, che Iddio adeſſo ſubito ti poſſa liberare da qualſiuoglia obſeſſione, infeſtatione, maleficio, e veſſatione diabolica, ancorche tu foſſi poſſeduto da cento millia legioni di demonij?*

Reſponſio affirmatiua eſt de fide; idcircò de hoc nulla debet eſſe dubitatio. Sed addat Exorciſta:

4. *Credi, che Iddio ſappia il modo, col qual' immediatamente può ſubito ſcacciar da te il demonio, diſtruggere tutti i maleficij, e liberarti da qualſiuoglia diabolica veſſatione.*

Reſponſio affirmatiua eſt de fide, ſicut prior: neque de hoc vlla debet eſſe dubitatio. Sed Exorciſta ſequentem addat interrogationem, quæ omnium eſt principaliſſima:

5. *Credi, che Iddio vogli liberarti dalla poteſtà diabolica, e da qualſiuoglia veſſatione, che dal demonio ti poſſa eſſer cagionata nel tuo corpo?*

Si de hoc dubius fuerit, non eſt benè probatus. Si verò affirmatiuè reſponderit, eſt probatus. Et tunc Exorciſta poteſt addere:

6. *Sopra di che appoggi queſta tua ſperanza, e confidenza d'eſser libero?*

Si reſpondere neſciat; non eſt perfectè probatus. Si autem dixerit, *Confido diuina fretus miſericordia pietate, ac fidelitate;* tunc eſt benè probatus. Sed addat Exorciſta:

7. *E quando credi, che Iddio ti vogli liberare dal demonio?*

ſi reſponderit: *Me liberabit quando ſibi placuerit:* tunc addat Exorciſta:

8. *E quando penſi, che piacerà à Dio di liberarti? Hoggi, dimani, la ſettimana ſeguente, dopò vn'anno?*

Si ſe neſcire reſponderit, non eſt benè probatus: Si verò dixerit: *Hodiè, immediatè quòd tu R. Pater dæmoni præcipies, vt exeat, ſtatim ſine mora exibit, & ego ſanus fiam, ſi ſanitas fuerit mihi ſalutaris, vt ſpero;* tunc erit benè probatus. Adhuc Exorciſta poterit addere:

9. *In Che luogo credi, che Iddio ti vogli liberare?*

Si dubitet, & cogitet nunc de hoc, nunc de illo, puta neceſſarium eſſe Romam proficiſci dijudicet; vel ad S. Mariam Lauretanam; vel ad aliud celeberrimum templum; non eſt benè probatus. Si verò reſponderit: *Deus me liberabit vbicumque dæmoni præceperis, vt exeat; etiam hic: quia liberatio non dependet à loco:* erit benè probatus; ſed addit Exordiſta:

10. *Credi*

10. *Credi, che Iddio concorrerà con la ſua virtù infinita à ſcacciar il demonio da te, quando io come Miniſtro di Dio, e di S. Chieſa li comandarò nel nome di Gieſù Chriſto, che ſubito da te ſi parta?*

Si dubius fuerit, non eſt benè probatus. Si verò affirmatiuè reſponderit, dicens: *ita credo, ſi hæc liberatio fuerit mihi ſalutaris, ſicuti confido*; tunc eſt benè probatus.

QVÆSTIO II.

Quomodo probandus ſit Vexatus erga Exorciſtam.

928 PRobatus erit Vexatus in ordine ad illa, quæ ad Exorciſtam pertinent, quando de illo tantam fidem concipiet, quòd certò à Deo illius miniſterio ſecurè liberandum fore ſperabit. Hoc autem ex tribus poterit cognoſcere Exorciſta.

Ex quibus Vexatus cognoſcatur benè probatus erga Exorciſtã.

Primò ſi patiens Exorciſtæ reuerentiam exhibeat: vel in aliquo illum contemnat: vel ei gratias de laboribus pro ipſo aſſumptis perſoluat. Qui enim aliquod magnum beneficium ſperat ab vno, tanquam magnum, ac honore dignum illum reueretur. Qui autem aliquem contemnit: vel non curat de eo, vel nihil ſperat ab eo: & ſimiliter qui de beneficijs acceptis gratias agit, alia beneficia ſperat, ac meretur. Qui verò gratias non agit, aliud à Benefactore non prætendit.

Secundò obſeruet Exorciſta, an obſeſſus ſecum de liberatione hilari vultu tanquam de re certa, de loco, modo, & tempore eiuſdem loquatur. De his enim libenter loquimur, quæ amamus, ac deſideramus.

Obſeruet etiam, an liberari petat, & quo deſiderio, & inſtantia. Item ſi, dum obuius eſt illi Exorciſta, ad eius aduentum lætitiæ ſigna, quæ ex bono ſperato oriri ſolent, oſtendat.

Tertiò obſeruet, an dæmones taliter Exorciſtæ ſint ſubiecti, quòd in omnibus ſine vlla contradictione, vel mora citò obediant: Ex quo Vexatus fidẽ concipit, eos etiam vltimo præcepto expulſiuo obedientiam præſtituros. Quare ad maiorem conceptæ fidei de ſua liberatione confirmationem, Exorciſta dæmoni præcipere poterit, vt aliquam leuem in patiente cauſet vexationem: deinde ei præcipere, vt à tali vexatione deſiſtat, vt ſic Vexatus obedientiam, quam dæmon Exorciſtæ præſtat, clarè agnoſcat. Quæ præcepta ſemper in nomine Ieſu, vel in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti fieri debent; & regulariter idiomate materno ipſius Patientis. Vnde ſi dæmon ſtatim Exorciſtæ obedit, ſignum eſt, quòd Vexatus eſt benè probatus: Si verò non obedit, non eſt benè probatus.

Poterit autem ipſum Vexatum ſic interrogare.

Interrogationes faciendæ ab Exorciſta.

1. *Credi, che io ſia Miniſtro publico di S. Chieſa da eſſa deputato à ſcacciare i demonij da corpi humani, e da tutte le coſe ſpettanti à gli huomini?*

2. *Credi, che da Dio, e da Santa Madre Chieſa mi ſia ſtata conceſſa queſta autorità, di poter ſcacciar i demonij come ſopra?*

3. *Credi, che, ſe io adeſſo comandarò al demonio, che ti poſſede, e tormenta, che ſi parti da te, e non ti dia per l'auuenire più moleſtia alcuna, egli ſarà da Dio conſtretto ad obedirmi?*

Si in reſpondendo dubius fuerit, & aliquam difficultatem poſuerit, non eſt benè probatus. Si autem hilari fronte dixerit: *Sic vtique ego credo, ſi talis expulſio fuerit mihi ſalutaris, vt firmiter ſpero*: tunc ritè probatus erit.

QVÆSTIO III.

Quomodo Vexatus probandus ſit aduerſus dæmonem.

RESpondetur, Vexatum tunc dici aduerſus dæmonem benè probatum, cùm diuina protectione fretus, illum ampliùs non timet: cum illum contemnit: cùm ſibi præcipienti ei, ne vexet, ſtatim obedientiam præſtat. Nam ſicut dæmon, cum ob Vexati diffidentiam de diuina protectione poteſtatem ſuper illũ acquiſierat, per vexationem illum affligebat, ac contemnebat, ac tanquam tyrannus ſibi ab eo obediri volebat: ſic è contra, quando Vexatus diuino ſuffultus auxilio amplius dæmonem non timet; ſed totam in Deo ſuam collocat fiduciam; tunc non ita arctè ſub poteſtate dæmonis detinetur. Et cùm dæmonem contemnit, non vexatur; Et cùm præcipit, ne vexet, ſtatim vexare ceſſat: & tunc non eſt difficile etiam illum à corpore expellere: Ideò ad eius probationem tria prædicta obſeruabit. 929

Quanam obſeruanda ſint ab Exorciſta, vt cognoſcat Vexatũ eſſe benè diſpoſitũ contra dæmonẽ.

Primò, Si Vexatus timens dæmonem animo deficiat, ac de diuina protectione diffidat: Si habens maleficiorum timorem, remedia ſpiritualia non quærat: Si ad minimos timores contremiſcat: Si ſolus ambulare in cubiculis timeat, aliiſque in locis domus ſolitarijs. Quibus exiſtentibus, non eſt benè probatus; cùm timor diabolicus non fuerit adhuc per maximam in Deum confidentiam perfectè euacuatus.

Secundò, Si Vexatus demonem contemnat, ac derideat: ſi, quaſi eum nihili faciens, cùm de eius poteſtate eſt ſermo, rideat: Si de tentatione, ac ſuggeſtione eius non curet; imò nec illi attendat; tunc benè probatus erit.

Tertiò, Si Vexatus imperium non habeat ſuper demones: Si ſtatim vexationem, cùm venerit, non reijciat: Si ab Exorciſta imperatus, vt aliquid dæmoni præcipiat, ille vel præcipere timeat: vel præcipiens, à dæmone non obediatur, non eſt benè probatus. Oportet enim, vt non ſolùm dæmonem Exorciſtæ per ſe præcipienti; ſed etiam ipſi Vexato præcipienti per fidem in nomine Ieſu obedire teneri, firmiter credat: cùm hæc præcipiendi poteſtas in nomine Ieſu à Chriſto cuilibet in ſe credenti, ac confidenti, vt ſæpiùs dictum eſt, ſit conceſſa. Quare Exorciſta, vt iſtorum habeat probationem, ſubtiliter, diligenter, & artificioſè ſuper dictis punctis Vexatum interroget, & omnia, quæ dicit, modumque ipſum loquendi, & explicandi benè attendat.

QVÆSTIO IV.

Quomodo Vexatus probandus ſit in ordine ad ſeipſum.

REſpondetur, Vexatum eſſe benè probatum in ordine ad ſeipſum, & ad liberationem benè diſpoſitum, quando in eo, quæ ſequuntur, reperiuntur. 930

Ex quibus cognoſcatur.

Primò,

Vexatus eſſe benè probatus in ordine ad ſeipſũ

Primò, cùm mens eius eſt tranquilla, conſcientia quieta, intellectus non confuſus, ſed clarus, imaginatio non turbata, nec varijs agitata imaginibus; ſed benè diſpoſita, locutio libera, & omnes potentiæ ſenſitiuæ non impeditæ. Hoc tamen eſt intelligendum, quando contrarij effectus à natura, ſeu à naturali infirmitate non prodirent. In quo nihilominus cautè eſt procedendum: cùm multoties, quæ cauſa apparet naturalis, in Vexato diaboli ſit deceptio.

Secũdò, cùm Vexatus ſuæ liberationis maximum habet deſiderium; propterea ſępiùs humiliter, ac ſuppliciter ab Exorciſta petit liberari. Sed non ſufficit deſiderium, ſicut nec ſpes quęcumque eſt ſufficiens; ſed firmiſsima fides requiritur, ac confidentia ſine vlla hęſitatione, qua credat Deum pro ſua infinita bonitate, & clementia, pro veritate verbi ſui, ideſt pro ſua fidelitate ad pręceptum Exorciſtę ſui miniſtri infallibiliter dęmonem expulſurum, ſi expulſio fuerit ſalutaris: ſicuti ſperat, ac confidit. Sępiùs ergo eum Exorciſta, an hoc firmiter credat: vel an dubitet, interrogare non deſiſtat.

Tertiò, cùm ad inuocationem Sanctiſsimi Nominis Ieſu, (ab ipſo Vexato pollice crucis ✠ ſigno formato ſuper corporis partem à dęmone vexatam) ſtatim dæmon vexare ceſſat, ac ſine mora ab illa parte recedit, ſignum eſt, Vexatum eſſe benè probatum.

§. I.

Ordo ſeruandus ab Exorciſta poſt habitas probationes.

931 HAbitis ab Exorciſta de Vexato præmiſsis probationibus, pręcipiat illi, vt genuflexus ante imaginem Crucifixi, corde, & ore ſimul formet, & clarè, ac diſtinctè ſuorum peccatorum deteſtationis actum emittat; ex totis præcordijs doleat, humiliter veniam petat; Deo proteſtetur, ſe impoſterum velle Deum toto corde, tota anima, tota mente, ac totis viribus amarè; ſe indignum ad aliquod à Deo beneficium recipiendum fateatur; ſeipſumque pro eius amore quicquid ſecundùm beneplacitum voluntatis eius fuerit, ad patiendum offerat. Veruntamen quia ex ſigni voluntate nouit, Deum à ſuis fidelibus in cunctis tribulationibus, ac neceſsitatibus inuocari velle; ideò diuina eius bonitate, ac clementia fretus, ac confiſus confidenter à Deo ſuam expoſtulet liberationem, ac tandem dęmonem contemnat, illique ipſemet præcipiat in nomine Ieſu, vt totaliter à ſe recedat. Quæ omnia proferat in lingua ſua materna. Interim obſeruet Exorciſta, an Vexatus magno affectu, ac deuotione illa proferat: quia ſi tepidè, ac remiſsè, adhuc non eſſet benè probatus. Poterit autem obſeſſus, ſi legere ſciuerit, infraſcripta formula, vel alia ſimili vti. Si autem legere neſcierit, ipſe Exorciſta ei dictet illam, vel aliam ſimilem de verbo ad verbum.

Hìc autem aduertat Lector, quòd ſequens, ſicut omnes aliæ ſubſequentes orationum formulæ idiomate vulgari ponuntur, vt linguæ latinæ ignari, quæ dicunt intelligentes, deuotiùs proferant. Enunciantur verò ſecundùm communem loquendi Lombardorum vſum, qui perſonam honorabilem, ac venerabilem alloquentes in ſecunda perſona non vtuntur numero ſingulari, puta dicendo: *Ti prego mio Dio, che tu vogli concedermi queſta gratia:* Sed numero plurali dicendo: *Signor mio vi prego vogliate concedermi queſta gratia.* Vel loquuntur in tertia perſona dicentes: *Prego la Maeſtà voſtra, che voglia concedermi queſta gratia.* Vnuſquiſque ergo illas proferat ſecũdùm vſum ſuæ maternę linguæ, & prout deuotio magis illum excitabit.

Oratione à Gieſù Chriſto per eſſere dalla tirannia del demonio, e da ſuoi maleficij liberato.

SIgnor mio Gieſù Chriſto, eccomi io N. vi- 932
liſſimo ſeruo voſtro proſtrato innanzi la Maeſtà voſtra, conoſco, e confeſſo, che ſon ſtato ingrato à voi mio Dio Creatore, e Redentore: poiche in vece di ringratiarui per tanti beneficij, e fauori da voi riceuuti, v'hò offeſo grauemente con tanti miei peccati, per i quali nõ merito di riceuere dalla Maeſtà voſtra gratia alcuna; & in particolare mi conoſco indegno d'eſſere liberato dalla poteſtà del demonio, che ſuole in varij modi tormẽtarmi. Mà è però vero ancora, che hora di tutti i peccati commeſſi tutto il tempo della vita mia me n'accuſo, e me ne pento, e di tutto cuore li deteſto per eſſer offeſa fatta à voi mio Dio, che meritate d'eſſere amato ſopra tutte le coſe. E mi proteſto, che per l'auuenire non vi voglio più offendere con l'aiuto voſtro; mà vi voglio amare, e ſeruire con tutto il mio cuore, con tutta l'anima mia, e con tutte le mie forze; & affaticarmi, che da altri ancora ſiate amato, e ſeruito; & in penitenza de miei peccati m'offero prõtamente ad adempire quelle mortificationi, che da Padri ſpirituali, e da miei maggiori mi verranno impoſte. Anzi m'offero di patire queſta veſſatione diabolica, e qualſiuoglia tormento, e la morte iſteſſa, quãdo così fuſſe il voſtro diuin volere. Mà perche conoſco, che voi ſete Dio non ſolo onnipotente, giuſtiſſimo, e ſapiẽtiſſimo; mà pietoſiſſimo, benigniſſimo, clementiſſimo, e liberaliſſimo, prontiſſimo à perdonare à peccatori, mentre con cuor ſincero, pentiti de loro peccati à voi ricorrono humilmente d'eſſi chiedẽdoui perdono; e promettete di ſoccorrere tutti quelli, che'n voi confidano, anzi di liberarli dal demonio iſteſſo: pertãto eccomi confidato nella voſtra gran bontà, e miſericordia, e nella fedeltà nel mãtenere le promeſſe voſtre humilmente vi prego, e ſupplico per la grandezza della voſtra pietà, e clemẽza; per la verità della parola voſtra, che nõ può mancare; per honor, e gloria del voſtro Santiſſimo Nome; per l'efficacia della voſtra Sacratiſſima Paſſione; per i meriti della Vergine Santiſs. voſtra dilettiſſima Madre, e del mio Angelo Cuſtode, e de Santi NN. miei deuoti, vogliate hor'hora liberarmi dal demonio voſtro nemico, ſiche non habbia più poteſtà per l'auuenire di moleſtarmi in modo alcuno, nè intrinſecamente, nè eſtrinſecamente, nè per ſe ſteſſo, nè per mezzo de malefici, ò altri ſuoi miniſtri: mà dalla voſtra virtù infinita ſia cõſtretto à pigliar bãdo da me, e diſtruggere qualſiuoglia maleficio, ò fattura, che contro di me habbia operato, acciò riceuẽdo hor'io queſta gratia, habbia maggior motiuo di ringratiare la Maeſtà voſtra, d'ammirare, e lodare la grandezza infinita della bontà voſtra, & infallibilità della parola voſtra, e glorificare il voſtro SS. Nome. Amen.

Deinde ſtatim idem Vexatus ſubiungat ſequentem deteſtationis actum.

Atto di deteſtatione da farſi dall'obſeſſo, per ſcacciar da ſe lontano il demonio.

933 E Tù diauolo maledetto nemico di Dio, ribelle del mio, e tuo Signore, con che autorità preſumi di voler poſſedere più queſto mio corpo, e moleſtarmi in modo alcuno adeſſo che in Gieſù Chriſto hò poſto la mia confidenza; però io non voglio, che tù ſtij più in queſto mio corpo; ma nel nome di Gieſù Chriſto ti comando, ch'al precetto, che ti farà queſto Reuer. Padre Eſſorciſta miniſtro di Gieſù Chriſto, e di Santa Chieſa, ſubito ſenza alcuna dimora da me ti parti, e per l'auuenire non habbi più poteſtà di trauagliarmi in modo alcuno: perche intendo, e pretendo di voler viuere, e morire ſotto la protettione del Santiſſimo Nome di Gieſù.

Si prædictos actus Vexatus maximo affectu, ac deuotione elicuerit, ac ſine vlla hæſitatione reprehenſibili ſe liberandum fore crediderit, Exorciſta ad præceptum expulſiuum, de quo infra *num. 997.* poterit deuenire.

CAPVT IV.

De Remedijs particularibus pro Dæmone coercendo.

934 *Dæmon coercendus eſt obiurgatione, & præcepto.* VEre ex vtraque parte acutiſſimus eſt verbi Dei gladius pro obſeſſo ad ſuam liberationem præparando, dum per inſtructionem, ac probationem ex vna parte ab eo remediorum ſpiritualium ignorantia abſcinditur; ex altera diffidentia de Dei bonitate, ac liberalitate reſecatur; ſed acutiſsimus eſt etiam ex vtraq; parte, dum Exorciſta tum obiurgatione, tum præcepto vtitur.

Pro dęmone coercendo	Obſidente, ſeu Ingrediente.
	Poſsidente, ſeu Exiſtente.
	Obſiſtente, ſeu Renitente.
	Fugiente, ſeu Exeunte.
	Tentante ſuum regreſſum.
	Repetente, ſeu Reuertente.
	Infeſtante ea, quæ ad hominem ſpectant.

Quod ſequentibus articulis palam fiet.

ARTICVLVS I.

De Obiurgatione, & Præcepto.

935 *Obiurgatio ad dæmonē quo modo ſit facienda* OBiurgatio *eſt operationum dæmonis reprehenſio, quæ eius ſuperbiam coercet, & impedit, ne actu ita acriter Vexatum tentet, & affligat*: vt ſupra demonſtrauimus *num. 733.* Quæ quidem maximam efficaciam habet, ſi aduerſus dæmonem non legendo, ſed ſonora, ac increpatoria, & aſpera voce ab Exorciſta ſedente, capite cooperto, minaci vultu, ac terribili ad dęmonem increpandum, ac contemnendum, verba, & intentionem actualem dirigente exerceatur. Nam dęmon, qui eſt purus ſpiritus, non puris verbis; ſed ſpiritus, ac verbi Dei gladio eſt coercendus, & exterminandus. De quo gladio loquitur Paulus Epheſ. 6. dicens: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei: in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei.)*

Tunc autem Exorciſta iubeat in nomine Ieſu, vt dęmon ante pedes eius Obſeſſum demiſſo capite genuflectere faciat: & ſi expediens iudicauerit, pede obſeſsi caput, ſed leuiter, ac breui tempore conculcare poteſt, dęmoni objiciendo quæ ſequuntur ad ipſius ſuperbiam deprimendam.

§. I.

DIc maledicte dæmon ſerpens tortuoſe, cognoſcis Deum eſſe? 936 *Obiurgationes aptiſſimæ ad dæmonis ſuperbiam deprimēdā*

Cognoſcis te eſſe creaturam Dei poſitam ſub potenti manu Dei?

Cognoſcis te eſſe creatum multis illuſtratum donis; ſed ob ſuperbiam tuam omnia gratuita amiſiſſe, & in naturalibus quoad praxim vulneratum, & infirmatum eſſe?

Cognoſcis te eſſe à ſedibus Paradiſi, vt Angelum apoſtatam, ac rebellem deiectum, ita vt non poſſis amplius acquirere gratiam Dei?

Cognoſcis nos homines, etſi peccatores ſimus, maximam tamen diuino auxilio poſſe acquirere gratiam, ac cæleſti fieri dignos beatitudine?

Cognoſcis Chriſtum per ſuam Sacratiſſimam Paſſionem, mortem, ac reſurrectionem tibi omnem abſtuliſſe poteſtatem hominibus nocendi in anima, & in corpore pro omnibus his, quos Deus vult protegere: & maximè pro ijs, qui in eo ſuam conſtituunt fiduciam?

Cognoſcis per paſſionem Chriſti datam eſſe virtutem, & efficaciam Sanctiſſimo Nomini Ieſu, vt quicumque fiducialiter illud inuocauerit, ab omnibus tuis maleficijs, fallacijs, & machinamentis liberetur, ac præſeruetur?

Cognoſcis Chriſtum dediſſe poteſtatem Eccleſiæ dęmones eijciendi in nomine eius?

Cognoſcis me, etſi peccator ſim; tamen verum eſſe miniſtrum Chriſti, & Eccleſiæ, & conſequenter plenam habere poteſtatem dęmones eijciendi à corporibus humanis, & ab his, quæ ad homines ſpectant?

Quomodo igitur poteris contra ſtimulum calcitrare?

§. II.

POterit autem Exorciſta poſt vnamquamque interrogationem dęmoni præcipere, vt reſpondeat dicendo: 937

Sic præcipio tibi dæmon in nomine Ieſu, vt reſpondeas, & dicas veritatem.

Nam eſto, quòd dęmon ſe non cognoſcere, quid dicat, reſponderet; poſset Exorciſta ex illius reſponſione, illum magis, ac magis obiurgandi, & increpandi occaſionem deſumere, ſic dicendo:

Si tu hęc non cognoſcis, quia ſtatus tui oblitus ſtultus factus es: vel quia malignus es, ea non vis cognoſcere: ego, qui Chriſti miniſter ſum, & Eccleſię, & ſacrarũ literarũ nõ ignarus, *Obiurgatio.*

hæc

hæc omnia per fidem optimè noui, ac per ſtudium diuinæ Scripturæ, per Canones, & Sanctiones Eccleſiaſticas, & Sanctorum Patrum teſtimonia, ſaltem mediocriter intellexi.

Sic Exorciſta ſuas interrogationes proſequatur. Nihilominus regulariter, ſi Exorciſta rectè ſuo munere fungatur, ad huiuſmodi interrogationes dęmon à virtute diuina veritatem fateri, vt pluries ego experientia didici, compelletur. Ratio eſt: quia hæc omnia directè ad liberationem ordinantur, quibus dæmon conuincitur, & conuictus vires amittit, ne tentare obſeſſum, & ab his, quæ credenda docet Exorciſta, illum auertere, non ita efficaciter, & aſſiduè valeat. Sed huiuſmodi interrogationes Exorciſta vulgari idiomate formare poterit, vt & obſeſſus, & aſtantes intelligentes, quæ dicit Exorciſta, magis, ac magis ad deuotionem, ac fiduciam excitentur. Nec eſt neceſſe, dæmoni præcipere, vt reſpondeat, quando illum ſuper obſeſſi linguæ vſum poteſtatem habere non conſtat: ſed tunc illum increpare, & obiurgare modo prædicto ſufficiet: nam ſemper dæmon (ſi præſens ſit in corpore) obiurgationes, & interrogationes perfectè intelligit; licèt non ſemper poteſtatem habeat reſpondendi.

Conuicto ergo dæmone circa prædicta, Exorciſta ſubiungere, ac concludere debet.

Manifeſtatio auctoritatis Cum igitur ego ſim miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, à Deo, & ab Eccleſia vt iudex delegatus contra te conſtitutus, vt ex corpore eorũ, qui ad Chriſtum, & ad Eccleſiam confugiunt, te expellam, intendo, & volo mea vti auctoritate, nunc à corpore iſtius creaturæ Dei te expellendo, ac propulſando, ita quòd amplius ad eam accedere non præſumas: nec poteris ſubterfugere, quin ſtatim, ac feſtinanter meis obtemperes mandatis.

§. III.

De Præcepto.

938 *Præceptũ quid ſit. Et quotuplex.* PRæceptum *eſt ordinatio, ſeu mandatum, quo efficaciter aſtringitur dæmon virtute diuina ad Exorciſtæ, vt miniſtro Chriſti, & Eccleſiæ præſtandam obedientiam.*

Omnia autem præcepta, quæ ſecundùm hanc artem regulariter fieri poſſunt, ad quinque genera præceptorum reduci poſſunt.

Primi generis præcepta communia ſunt, quibus Exorciſta in quacumque neceſſitate vtitur, cùm dæmonem vult compellere ad aliquid agendum; vel ab aliqua actione ceſſandum; vel ad aliquibus interrogationibus reſpondendum. Poteſt autem regulariter formari ſequenti modo:

Præceptũ commune Ego N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi dæmon, vt facias hoc, vel illud, &c. nec impedias obſeſſum, quin liberè ad me accedat; & ſine vllo impedimento loquatur; & hæc ſimilia.

939 Secundi generis præcepta probatiua dicuntur, quibus Exorciſta ad probandum, an aliquis ſit imaginariè; aut fictè; vel verè, ac realiter vexatus vtitur: quæ ſub conditione ſequenti modo formari poſſunt:

Præceptũ probatiuum. Ego N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in nomine Ieſu Chriſti præcipio vobis ſpiritus immundi, (ſi aliqui eſtis in corpore iſtius creaturæ Dei) vt ſtatim detis mihi aliquod ſignum euidens, ac certum præſentiæ veſtræ cauſando in hac creatura coram me aliquem ex illis doloribus, quos priùs me abſente efficere in ea ſoliti eratis.

In hoc autem præceptorum genere ea, quæ habentur ſupra *n.919.* nec non monita tradita *n.741.& ſequent.*& 747. *& ſeqq.* obſeruabit.

§. IV.

TErtij generis præcepta in ordine ad liberationem, & ad vexationẽ tollendam ordinantur, & Lenitiua dicuntur, quæ fieri debent, quando Energumenus actualiter vexatur, ad tollendas vexationes, dicendo: 940

Præceptũ lenitiuũ. Ego N. miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, & in virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti præcipio vobis dęmones, qui vexatis hanc creaturam Dei, vt ſtatim deſinatis nocere ei: nec habeatis poteſtatem impediendi ſenſus eius, ſiue exteriores, ſiue interiores; ita vt attentè, & quietè ſine vlla perturbatione meas poſſit audire, ac percipere inſtructiones.

Quando ſint faciendum Hæc quotieſcunbue Energumenus perturbatur à dæmone, præcepta fieri debent: quia numquam dæmones Energumeno aliquod malum inferre, eſt permittendum, niſi hoc Exorciſta ex induſtria præciperet; vt mox dicetur *n.ſeq.* Semper tamen breuis præcedere debet inſtructio, nempe vt Vexatus fidei actus eliciat, credendo Exorciſtam Chriſti, & Eccleſię verum eſſe miniſtrum: & quod Deus per eius pręcepta ad obedientiam ſibi pręſtandam dęmonem compellet; ita vt dęmon non poterit ei vt miniſtro Dei non obedire. Nam ſine iſtis fidei actibus dęmon difficillimè obediet Exorciſtę. Illis verò pręcedentibus, vel concomitantibus ſemper obediet. Non dico tamen, quòd ſingulis præceptis inſtructio pręponi debeat; ſed ſingulis actibus, & Exorciſmis, & illis præceptis, in quibus aliquando dęmon aliquam ad obediendum difficultatem prębet; ſicut & pręceptis illius generis, cuius amplius non facta fuere: & quando etiam vexatum ad credendum, quod eſt pręcipiendum, perfectè eſſe diſpoſitum, non clarè conſtaret.

§. V.

QVarti generis præcepta Inſtructiua dicuntur, quæ ſcilicet ad oſtendendam dæmonis obedientiam ei imponuntur: quæ in omni coniurationis actu ſunt præponenda, vt Vexatus dæmonum vilitatem, ac debilitatem videns, qui taliter ſubijciuntur præcepto, vt non poſſint vllo modo reniti, ad credendum, ac confidendum excitetur, & quòd etiam ad vltimum præceptum obedient expulſiuum, quando Exorciſta eis præcipiet, vt ab eo totaliter recedant. Quare Exorciſta dæmonibus præcipiat, vt ipſimet Vexato obedientiam præſtare non recuſent. Et tunc Vexatus dęmoni aliquid præcipiat, credens, quòd ſibi dæmon procertò obediet, vt dicendo. 941 *Præcepta inſtructiua quænam ſint*

Quomodo facienda *Nel nome di Gieſù Chriſto ti comando, ò diauolo maledetto, che tù ti parti ſubito dal mio ſtomaco, dalla mia teſta, dalle mie gambe, e da quella parte, nella quale hora mi tormenti.*

Interim pollice crucis ✠ ſignum ſuper vexatam partem formando, Exorciſta ſimiliter in nomine

Ieſu huiuſmodi præcepta ſiue latino, ſiue vulgari idiomate, prout expediens iudicauerit, formet, eo modo, quo dictum eſt ſupra *num.*743. Formulæ autem erunt huiuſmodi:

Variapræcepta inſtructiua

Ego N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi dæmon, qui exiſtis in corpore iſtius creaturæ Dei, vt ſtatim coram me in terrâ proſternas hanc creaturam, ſine vllo tamen nocumento ipſius. Iterum præcipio tibi dæmon in nomine Ieſu, vt facias illam ſurgere.

Item in nomine Ieſu præcipio tibi dæmon, vt facias lugere hanc creaturam me præſente, ſicut faciebas me abſente. Iterum præcipio tibi, vt ceſſes, nec facias eam lugere.

Item in nomine Ieſu præcipio tibi, vt venias ad guttur, & leuiter more ſolito eam torqueas. Iterum præcipio tibi, vt recedas à gutture.

942 *Ad quid deſeruiant.*

Hæc & alia huiuſmodi præcepta poterit Exorciſta formare priùs dæmoni præcipiendo, vt aliquam, vel aliquas ex conſuetis vexationibus cauſet: quibus cauſatis, ſtatim præcipere debet, vt deſiſtat. Hæc namque præcepta ad concipiendam (vt annui) maiorem fidei efficaciam, & ad reuerendam auctoritatem Eccleſiæ fiunt: & ad Vexati ſpiritum roborandum. Videns enim Vexatus tantam præceptis Dei obedientiam præſtari, in fide ad ampliora credenda roboratur: magis Eccleſiam reueretur, per cuius miniſtrum tot vidit mirabilia operari: lętatur etiam cor eius, quòd iam ſuppreſſas diabolicas tentationes inſpiciat, quibus taliter fuit vexatus, ac tentatus: & tandem in Dei laudes prorumpet, cùm viderit, quòd dæmonibus, qui ei dominabantur, nunc tam liberè Exorciſta dominatur. Per huiuſmodi autem præcepta doceat Exorciſta, & Vexatum inſtruat, quòd dæmones etiam præceptis expulſiuis obedient: quia eſt eadem de omnibus ratio, ſi ipſe Patiens perfectè fuerit diſpoſitus. Et quòd etiam tunc exitum præcipere poſſet; ſed non expedit, donec ipſe Vexatus perfectè fuerit probatus.

§. VI.

943 *Præceptũ expulſiuum.*

QVinti generis præcepta expulſiua dicuntur; & ſunt ea, quæ ad expulſionem dæmonum ſunt ordinata. Formulę autem erunt huiuſmodi:

Ego N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ ea auctoritate, quam accepi à Chriſto Domino, & ab Eccleſia in ordine Exorciſtatus, In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, & in virtute Sanctiſſimi Nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti, præcipio vobis dæmones, ſi plures eſtis, vel tibi, ſi vnus es, qui exiſtis in corpore iſtius creaturæ Dei, & eam ſolitus es vexare, vt illicò exeas cum omnibus tuis ſocijs, ac recedas ab ea; nec amplius habeas poteſtatem nocendi ei die, vel nocte, nec illam diuexandi intrinſecè, vel extrinſecè; nec ei ſub quacumque figura, vel forma apparendi; nec perturbandi vllo modo. Exeas igitur illicò ſpiritus immunde: ſic enim præcipio tibi, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Alia huiuſmodi præcepta expulſiua in ſequentibus articulis ſuo loco diſponentur.

Hæc præcepta expulſiua numquam fieri debent, niſi cùm Obſeſſus ad ſuam liberationem perfectè diſpoſitus fuerit, atque probatus. Cùm enim ſecundùm hanc artem omnibus præceptis punctualiter ſit à dæmonibus obediendum, expulſiuum præceptum faciendum non eſt, niſi quando dæmones verè, ac realiter exire debent, quod erit, quando Patiens perfectè diſpoſitus fuerit ſecundùm inſtructionem ſuprapoſitam, ac probationem *capite præcedenti* aſſignatam. Nam ante inſtructionem, ac probationem ad quid dæmonibus, vt exeant, præcipere valebit, ſi (vt probabile eſt) obedientiam non præſtabunt? Immò Vexatus, cùm non ſufficienter diſpoſitus ſit, debilitatur in fide: & fortaſſe non ampliùs, vel ſaltem difficillimè credet, dæmones exituros: ſic ei potiùs pręceptum inferet nocumentum. Si autem dæmones obedient, hoc forſitan propter maximam fidem, ac ſanctitatem Exorciſtæ præſtabunt: quia cùm Vexatus non eſt adhuc perfectè ſuper reſiſtentijs faciendis inſtructus, dæmones facilè in domum, vnde exierunt, reuertentur. Quare præceptum expulſiuum duntaxat faciendum erit, quando Vexatus de omnibus perfectè inſtructus fuerit, ac dæmones ad plenam, & exactam obedientiam præſtandam fuerint redacti.

Præceptũ expulſiuũ quando ſit faciendum

ARTICVLVS II.

De dæmone Obſidente, aut Ingrediente.

QVamuis ſecundùm communem loquendi vſum quicumque ſunt à dæmone poſſeſſi, etiam obſeſſi dicantur: & obſeſſi omnes poſſeſſi vocentur, & Energumeni; in rigore tamen, & ſecundùm vocabuli proprietatem valde inter ſe differũt. Nam obſeſſi propriè ſunt illi, in quibus dæmon non eſt; ſed tamen ab eo extrà exiſtente vexantur, & affliguntur: vt oſtendit in quadam reuelatione, ac viſione Beata Hildegardis *lib. ſuarum Reuelationum* relata à Delrio *lib.3. Diſquiſ. Magic. p.1. q.4. ſect.7* 944

Obſeſſi communiter dicuntur poſſeſſi à dæmone.

Obſeſſi propriè quinam ſint Poſſeſſi qui.

Poſſeſſi verò contra ſunt illi, in quorum corpore dæmon non tanquam forma informans, neque tanquam pars eius exiſtit; ſed tantùm vt aſſiſtens loco, vel eis vt inſtrumento organico vſurus. Conſtat à ſimili: Sicut Ciuitas, quæ ab hoſtibus obſidetur, etſi ab eis valde moleſtetur; non tamen ab eis poſſideri dicitur, donec illam ingreſſi eidem dominentur, ac pro voto ſuo omnia, quæ in illa ſunt, diſponant, & adminiſtrent: Sic dæmones, dum in humanum nondum ingreſſi ſunt corpus, nec in illo manère à Deo permittitur, non illud poſſidere dicuntur, ſed obſidere. Dæmone verò corpus ingreſſo, ac poſſidente, poſſeſſi dicuntur, vel Energumeni, vt infra *num.*957.

Varia eorum nomina.

Dæmoniaci verò vocãtur, prout ſub dæmonis poteſtate ſunt conſtituti.

Arreptitij dicuntur, quatenus à dæmone rapiuntur, ſeu arripiuntur.

Pythonici, ſeu pythones, quando in corpore ſpiritum habent diuinantem.

Lunatici quatenus duntaxat in punctis vel creſcentis, vel decreſcentis Lunæ diuexantur.

Vexati dicuntur communiter propter tormenta, quibus à dæmone afficiuntur.

Maleficiati, Facturati, Maliati propriè dicuntur, quando dæmones per maleficia, nempe cooperantibus maleficis, corpora ſunt ingreſſi: ſecundùm aliquos verò quando dæmon non præſentialiter, ſed tantùm poteſtatiuè in corpore exiſtit.

Faſci-

Faſcinati, quando vexati ad aliquid cogi videntur.

Habentes infirmitatis ſpiritum ob varias infirmitates à dęmonibus cauſatas;& alijs huiuſmodi multis nominibus, licèt eſſentialiter idem ſignificent, appellantur.

Quas autem moleſtias dæmones homines obſidentes illis inferre conſueuerint, iam latiſſimè ſupra explicatum eſt *à num. 535. incluſiuè vſque ad 543. excluſiuè*. Similiter quot modis humana corpora ingrediantur, iam clarè demonſtratum eſt *à num. 543. incluſiuè vſque ad 549. excluſiuè*: nunc ergo remanet explicandum.

QVÆSTIO I.

Quomodo impetus dæmonis obſidentis ſint à Vexato repellendi.

945 *Actus exercēdi à Vexatis ad dæmonem repellendū*

RESpondetur, Obſeſſum, vt dæmonibus obſidentibus pro virili reſiſtere valeat, ne corpus eū extrinſecè diuexare valeant, & eò minus intrinſecè poſſidere, debere in ſequentibus actibus quàm maximè ſe exercere.

Primò ſuam quammaximè à peccatis conſcientiam immunem reddere debet, ab eiſque illam mundam præſeruare, pro ſuo poſſe diuinum ad id implorando auxilium; quod faciet, frequenter ſua peccata confitendo, ac ſacram deuotiſſimè Euchariſtiam frequentando. Nam ſi diabolus primò ac principaliter hominem ad peccatum, vt per ipſum ſuper eum pleniorem habeat facultatem, inducere nititur: recedendo à peccato, fundamentum omnium diabolicarum prætenſionum remouetur. Sacramenta quoque maximum ad dæmoni reſiſtendum animæ robur præſtant; hominemque ad firmæ fidei actus, ac fiduciæ in Deum eliciendos diſponunt, quibus diuino ſuffragantur auxilio omnes dęmoniaci impetus euaneſcunt.

Secundò verò fidei firmæ ſæpiùs actus elicere debet, non ſolùm, quod Sancta Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia credendum docet, credendo; ſed explicitè etiam, & in ſpeciali firmiter, & inhæſitanter credendo, quòd Deus, quantum eſt ex parte ſua, eius vexationem non vult, ſi talis vexatio illi ſit nociua, vel ſaltem maius bonum impediat: immò ex parte ſua ſemper paratiſſimus eſt ad tollendam, ac repellendam talem vexationem ab eo, eumque à quacumque diabolica infeſtatione præſeruandum. Idcircò ſi perfectè in eius bonitate, ac tutiſſima ipſius protectione confiderit, dubio procul ab omni infeſtatione diabolica liberabitur, ac totaliter illęſus cuſtodietur. Nam hæc eſt vna ratio, ob quam Deus à Maleficis homines maleficijs vexari permittit: *vt qui hæc audiunt, vel vident, probentur; & appareat, qua fide ſint, vel deuotione erga Deum*: vt habetur cap. Nec mirum. §. Si autem aliquis. 26. quæſt. 5.

§. I.

946 *Modus repellendi viſiones imaginarias.*

TErtiò, quando illæ imaginariæ, vel corporales apparitiones, aut moleſtiæ in ſui corporis membris cauſantur, de quibus ſupra *num.* 535. & *ſequentibus*, Vexatus ſtatim ſub Dei poteſtate, ac protectione ſanctiſſimi Nominis Ieſu poſitum eſſe conſideret; dæmonemque nullam habere nocendi facultatem ijs, qui in Deo omnem ſuam collocant fiduciam; ideoque ad Ieſum mentem ſuam eleuet, ipſumque toto corde, & affectu inuocet, ſequentia, vel ſimilia verba iuxta ſuam maternam linquam ſæpiſſimè repetendo:

Signor mio Gieſù Chriſto, voi ſete il mio protettore, e difenſore, difendetemi voi da queſti miei nemici per honor, e gloria del voſtro ſantiſſimo Nome. *Atto di confidenza.*

Poſtea virili animo contra dæmones dicat:

Fuggite ſpiriti ribelli del mio, e voſtro Dio che coſi vi comando nel nome di Gieſù Chriſto: allontanateui da me, e non mi moleſtate: poiche io ſon poſto ſotto la protettione di Gieſù Chriſto. *Precetto eſpulſiuo*

Si Vexatus hæc præſtiterit, dæmones in fugam vertentur, nec amplius ei apparebunt: vel moleſtia ſaltem minùs graui eum afficient; & eò minùs corpus eius ingredi valebunt.

Poterit etiam dicere ſæpiùs magno affectu illa Pſalmorum verba ſuperiùs poſita *num.* 906. vel illam breuem orationem, quæ habetur *n.* 903. quæ omnia ſunt efficacia ad dæmoniacos impetus repellendos.

§. II.

947 *Dæmon non timēdus; ſed Deo eſt fidendum.*

QVartò conſiderare debet Vexatus, ac firmiter credere, diabolum eſſe viliſſimæ poteſtatis; ita vt eum poſſidere non poſſit, qui diuino fretus auxilio illum non timet, ac inuocatione Sanctiſſimi Nominis Ieſu eum repellit. Et ſi ſuggerat, quòd poteſt, potuit, & poterit, eum derideat, ipſi obijciendo, quæ dicta ſunt ſupra *num.* 528. & *ſeq.* Et ſi ea, quæ aliàs fecit, ſuggerat, non curet: tunc enim ei reſiſtendi modum ignorabat; ideò corde, & animo roboretur contra ipſū: ac certiſſimè ſciat; quòd diabolus formica eſt facientibus ſe leonem, & leo facientibus ſe formicam: quòd videtur gygas, ſi eius verba attendantur, ſed vix pygmeus eſt, ſi veritas conſpiciatur. Hoc docuit S. Hermam Angelus eius Cuſtos *mandato* 7. vt habetur tom. 1. Biblioth. Veterum Patrum lib. 2. *Diabolum*, ait, *ne timeas: timens enim Dominum dominaberis illius: quia virtus in eo nulla eſt. In quo autem non eſt virtus, is timendus non eſt: In quo verò eſt virtus glorioſa, is etiam timendus*. Et mandato 12. *Diabolus timorem facit; ſed timor illius vanus eſt. Nolite ergo timere eum, & fugiet à vobis*. Vbi autem fundari debeat hæc fortitudo, ſtatim admonet dicens: *Diabolus non poteſt dominari in Dei ſeruos, qui ex totis præcordijs in Domino credunt*. Quod confirmat Lactantius Firmianus lib. 2. Diuin. Inſtit. *Nocent*, ait, *dæmones quidem, ſed ijs, à quibus timentur, quos manus Dei potens, & excelſa non protegit*.

§. III.

948 *Implorādum eſt auxiliū Beatiſs. Virg. Angelorum, Sanctorū*

QVintò deuotiſſimè Beatiſsimam Virginem Genitricem Dei inuocet Mariam, vt latè docuimus *num.* 845. & *ſequentibus*; Nec non Sanctos Angelos Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, præcipuè Angelum ſuum Cuſtodem, vt omnes ad inimicum communem conterendum proficiant, ſicut admonuimus ſupra à *num.* 849. & *ſequentibus* Sic S. Hermam præfatus Angelus eius Cuſtos monuit *loco citato*. *Nolite*, inquit, *timere diabolum: quia in vobis poteſtatem non habet: Ego enim vobiſcum ſum nuncius pænitentiæ, qui dominor illius*,

iuxta

iuxta illud Pſalmi 90. *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*. Pari modo ad Sãctos ſuos patronos, ac deuotos eſt cõfugiẽdum, vt & ipſi pro ipſo Vexato Deum (ſicut benè docuimus ſupra *num.* 857. *& ſequentibus*) deprecentur.

949 *Eliciẽdi ſunt actꝰ fidei.* Sextò fidei actus eliciat circa ea, quæ erga Deum Exorciſtam, dæmonem, & ſeipſum credere debet, vt ſupra latè explicatum eſt *à n.* 921. *incluſiuè vſque ad num.* 925. *excluſiuè*; Ac præcipuè confidenter ſuam liberationem ſperare debet, ac pro certo tenere, quòd Deus ſine dubio cum Eccleſia concurret, quando per ſuum miniſtrum dæmoni ea, quæ ad Dei gloriam, animarum ſalutem, & corporum, ac dæmonum confuſionem ſunt ſpectantia, præceperit: Et quòd Exorciſtæ præcepta ſunt, quibus, ſi obſeſſus in fide, ac confidentia in Deum perfectè fuerit probatus, dæmon obedientiam à Deo præſtare compelletur.

§. IV.

950 *Quid agendũ ſit ab Obſeſſo perfectè diſpoſito.* Septimò tandem Obſeſſus perfectè diſpoſitus ante Exorciſtę pedes genuflexus poſt orationem breuem ab Exorciſta, Obſeſſo, & aſtantibus humiliter, ac deuotiſſimè ad Deum, Beatiſſimam Virginem, Angelos, ac Sanctos profuſam, iuxta ordinem infra poſitum *num.* 994. corde, & ore ſimul actus fidei, ac confidentiæ in Deum; & actus deteſtationis aduerſus dæmonem iuxta formulas ſuperiùs poſitas *num.* 932. *&* 933. exerceat, quas ſi Obſeſſus legere neſciat, illi de verbo ad verbum Exorciſta ſuggerat, ſæpiùs inſtando, vt feruidè, & humiliter illas pronunciet.

His prolatis admoneat, ne aures diabolicis ſuggeſtionibus præbeat; ſed mentem ſuam ad Deum ibi præſentem, ac cor eius intuentem eleuet, ab eoque ſuam liberationem depoſcat.

Pro infantibus autem, & alijs rationis vſu carentibus vtiliſſimum erit, prædicta à parentibus, vel eorum curam habentibus adimpleri.

Actu fidei, ac confidentiæ, nec non deteſtationis in dæmonem elicito, & explicato, tunc ſedeat Exorciſta, ac capite cooperto, ante pedes Obſeſſo genuflexo iunctis manibus, demiſſo capite, vultu cernuo, cæteris aſtantibus genuflexis, cum maieſtate terribili contra dæmonem ſequentem exorciſmum, ſeu præceptum formet, ac pronunciet.

Exorciſmus, ſeu pręceptum aduersùs dæmonem obſidentem, ſeù ingredientem.

951 *Præceptũ expulſiuum.* Ego N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ auctoritate mihi tradita ab omnipotenti Deo, & à S. Matre Eccleſia eius Sponſa in ordine Exorciſtatus, In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, & in virtute Sanctiſſimi Nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti præcipio vobis dęmones nequiſſimi, quicumque, & quotcumque eſtis, qui perturbatis hanc creaturam Dei, vt illicò, ac ſine vlla mora totaliter ab ea recedatis, nec ampliùs poteſtatem habeatis eam moleſtandi, perturbandi, vel inquietandi extrinſecè, vel intrinſecè: neque intrandi corpus eius: nec apparendi ei ſub quacumque forma, vel figura, ſeu imaginariè, ſeu corporaliter: nec perturbandi ſenſus eius interiores, ſiue exteriores: nec quocumque alio modo vexandi die, vel nocte. Fugite ergo ſpiritus rebelles; quia ſic præcipio vobis, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Hoc præcepto, ſicut, & præmiſſa inſtructione vti poterit Exorciſta etiam ad expellendos dæmones familiares, dictos, *Foletti*, pręceptum in ſingulari, ſi vnicus fuerit dæmon, efformando.

QVÆSTIO II.

Quomodo ſint coercendi dæmones ſtriges obſidentes, & impedientes, ne Inquiſitoribus, ac Iudicibus veritatem fateantur.

Reſpondetur, cùm Magi, Malefici, ac Striges conſtituuntur, ac de fatenda ſuorum delictorum veritate iuridicè interrogantur à Iudicibus ſequentia ſeruanda eſſe, ne à dæmone impediri queant per maleficium taciturnitatis. 952 *Modus tollendi maleficium taciturnitatis in ſtrigibus cõſtituẽdis.*

Primò, dum miniſtri ſe ad reum torquendum parant, videtur optimum eſſe præcipere, vt interim alij ipſum expolient (ſi ſit mulier, expolietur ab alijs mulieribus, ſi vir à viris) antequam ad torturam ducatur, ne quid in veſtimentis maleficij lateat, & ſubucula benedicta iam ex intentione priùs ad hoc parata induatur: Ita docent Iacobus Sprenger, Henricus Inſtitor, & alij *in Malleo Malef. p.* 3. *q.* 14. Binsfeldius *Comment. in Titul. C. de Malef. & Mathem. in L. Etſi excepta quæſt.* 1. *concl.* 15. & Delrius *lib.* 5. *Diſquiſ. Mag. ſect.* 6. *v. Secundò fol. mihi* 705.

Secundò, capillos capitis, ac barbæ abradi; imò & per totum corpus, etiam in partibus ſecretioribus iubere poſſunt depilari (ſi fæminæ ſint, à fęminis, ſi viri, à viris) & ſic inhoneſtas, ac verecundia cauetur, propter quam Inquiſitoribus Germani, Sprengerus, & alij hoc vti remedio non ſunt auſi, vt ipſimet, addentes alibi hoc eſſe in vſu, profitentur. *Tamen*, inquiunt, *alijs regnis Inquiſitores talem per totum corpus abraſuram fieri mandant*: Ita Delrius lib. 5. Diſq. Magic. & Auctores Mallei. Vnde & Cumanus Inquiſitor inſinuauit hoc ipſis: quod anno elapſo (qui fuit 1485.) maleficas quadraginta vnam incinerari mandaſſet, omnibus per totum corpus abraſis. Et hoc in diſtrictu & Burbię Comitatu in confinibus Archiducis Auſtriæ verſus Mediolanum. *Sunt depilandi.*

In qua tonſura diligentiſſimè obſeruandum hoc eſt, ſi fiat duntaxat, ne maleficij ſigna corporis foraminibus inſerta lateant, vel crinibus inſperſa, ritè id fieri. Eademque de cauſa, ne qua vnctio ſubeſſet, Delrius *loco citato* totum corpus aqua calida ſuadet priùs diligenter abluendum. At ſi tonſura ea opinione fieret, quòd per eam robur corporis, & animi fortitudo deficeret, exemplo Samſonis; in quo totum id diuina virtute contingebat; & etiam documento Apollonij Thyanæi, vt tradit Nicolaus Remigius *lib.* 3. *cap* 9. *dæmonol.* hoc magicum, & ſuperſtitioſum eſſe, vtpotè dæmonis operum Dei vbique improbi æmulatoris commentum, vt ſub ſpecioſo velamine homines illaqueet, nemini mediocriter ſcienti eſt ambigendum. *Cauẽda ſuperſtitio.*

Tertiò omnium remediorum potiſsimum erit, ſi Iudex, qui Exorciſtatus ordine ſit inſignitus, omnes aſtantes genuflectere, diuinumque auxilium ad dæmones reprimendos implorare iubeat, ipſeque poſt breuem orationem ad Deum ex toto corde profuſam, *Remediũ potiſſimũ aſſignatur ab Auctore.*

ſam, fidei firmæ, ac confidentiæ perfectæ in Deum actus elicit, inhæſitanter credendo, quòd Deus pro fidei Catholicæ defenſione, & hæreſum extirpatione dubio procul ad præceptum contra dæmones ab ipſo faciendum concurret, ne delictorum impediant confeſsionem, quæ maximè contra Diuinam Maieſtatem, hominum ſalutem, ac publicam Chriſtianæ Reipub. vtilitatem Magi, Malefici, ac Sagę perpetrare non verentur.

Diuino ergo inuocato auxilio, nec non Beatiſsimæ Virginis, Angelorum, ac Sanctorum imploratis ſuffragijs, Iudex cooperto capite ſedeat, voceque terribili, ac ſonora (ante eum genuflexo reo ſubucula benedicta iam induto, & aqua benedicta aſperſo) contra dæmones ſequentem, vel ſimilem pronunciet exorciſmum.

Exorciſmus, ſeu præceptum ad dæmonem expellendum obſidentem, ac impedientem Maleficos, ac Sagas, ne Iudicibus delictorum ſuorum veritatem fateantur.

953 *Exorciſmus faciendus ab Inquiſitoribus, quando Striges, ac Malefici ſunt torquẽdi*

EGo F. N. qui à ſummo Pontifice Chriſti Vicario in terris Iudex conſtitutus ſum ad hæreticam prauitatem extirpandam, Chriſtianæ Reipub. fidem illæſam, & incontaminatam tuendam, & conſeruandam, oues oberrantes per deuia ad caulas Chriſti reducendas, & excludendas à Dominico grege morbidas, ne alias corrumpant. Quique à Deo, & ab Eccleſia eius Sponſa in ordine Exorciſtatus auctoritatem accepi ad dæmones effugandos, hac auctoritate ſuffultus, & innixus, In nomine Sanctiſſimę Trinitatis, & in virtute Sanctiſſimi Nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti præcipio tibi, dæmon, ſi ibi exiſtis: vel vobis, ſpiritus apoſtatici, quicumque, & quotcumque eſtis, vt ſtatim ſine vlla mora recedatis ab hac creatura Dei, quæ nũc conſtituta eſt ſub mea poteſtate: nec habeatis poteſtatem ad eam ampliùs accedendi: nec intrinſecè, aut extrinſecè illi veſtrum impendendi auxilium: nec illam vllo modo ſubleuandi: nec impediendi, quin tortura, ac cætera tormenta illi inflicta, vel infligenda ſuum producant effectum, nempe in ea ſolitos efficiendo dolores, ac torſiones: nec guttur eius, aut fauces conſtringendi, nec vocem impediendi, quin liberè ſine vllo timore, pauore, vel impedimento omnia ſua crimina clarè fateatur, non ſolùm dum ſub tormentis manet; ſed etiam poſt tormenta: neque illam inducendi ad deſperationem: neque illi apparendi ſub quacumque forma, vel figura: nec perturbandi ſenſus eius externos, vel internos, ſed nunc ſine vlla mora ab ea, & ab hac domo procul fugiatis, & longè recedatis: ſic volo, ſic iubeo, vt Iudex, & vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde reum torquendum, aſtantes, ac domum, vbi reus torquendus eſt aqua benedicta aſpergat.

Poterit etiam ad Rei collum Agnus Dei, vel Sanctorum reliquias, aut aliam rem ſacram, vel benedictam appendere, vt docent Syluester *de Strigimag. admirand.* Delrius *lib. 5. Diſquiſ. Magic. Append. 2. quæſt. 25.* Antonius Queuedo *in lib. de indic. & tortura par. 2. cap. 6. per totum*, & Antonius Diana *Reſolut. Moral. part. 4. tract. 6. de tortura in S. Officio, &c. Reſolut. 37.*

QVÆSTIO III.

Quomodo Exorciſta, vel Parochus cum Magis, Sagis, ac Maleficis habentibus pactum cum dæmone, ſed pænitentibus ſe habere debeat.

RESpondetur, ne Malefici pactum habentes cum dæmonibus, ſed pænitentes, iterum à dæmonibus perſuaſi ad vomitum redeant, vel ab eis ſuffocentur, vtiliſſimum fore, ſi Exorciſta Confeſſarius (ſiue Parochus, ſiue non Parochus ſit) in Sacramenti Pænitentię foro ſequentia ſeruauerit documenta. 954 *Documẽta ſeruãda p̄ Maleficis è poteſtate dæmonis eripiẽdis*

Primò: quando, quomodo, qua occaſione, ac cæteris circunſtantijs Maleficus tale pactum inierit: & quanto tempore in eo permanſerit, & quid per illud habuerit, & habeat, & toto illo tempore operatus fuerit, diligentiſſimè debet inueſtigare.

Secundò cathechizet eum ſuper delicti enormitate, ſuper diaboli tyrannide, miſericordia Dei, ac promptitudine ad peccata delenda, libertate arbitrij, de pacti inualiditate; & quòd ſyngrapha, peccatorum confeſſione facta, nihil valebit; ideòque ſuorum peccatorum confeſſionem proſequatur.

Tertiò cum maxima fide, ac deuotione, ac præcipuè profunda humilitate coram Crucifixi imagine omnibus promiſſis, pactis, ac diabolicis conuentionibus iubeat abrenuntiare.

Quartò proteſtari iubeat ſe deinceps nullam cum dæmone partem, ac conuentionem habere velle: ſed totum ſe Ieſu Chriſti, & Beatiſsimæ Virginis, ſuique Angeli Cuſtodis protectioni tradere, ac ſub eorum tutela ſe ſecurum velle permanere.

Quintò, ſi Maleficus, aut Saga apud ſe reſeruatum ſyngraphæ, ſeu chirographi exemplar, vel aliquod aliud magicum inſtrumentum, vel maleficum pro pacti, ac conſenſus voluntatis ſigno habeat; vel vt eo ad malè operandum vtatur illud tradere, & exponere iubeat, ſi in foro interno, ipſi Confeſſario: ſi in foro externo Reuerendiſsimo P. Inquiſitori; & ipſe Confeſſarius pactum diſſoluat, irritum declaret, & hominem ab omni obedientia dæmoni præſtita, & ab omnibus clauſulis in ſcriptis, aut voce tantùm expreſsis abſoluat.

Sextò præceptum dæmonibus facere poteſt, vt ſyngrapham, quam apud ſeipſos retinent, reſtituant: hoc tamen neceſſarium non eſſe docet Sanchez *in Summa lib. 2. cap. 4.* & alij ſupra relati *num. 577.* Propterea nihil ei officere oſtendat, etiamſi ſyngrapha à dæmonibus non reportetur, dummodò coram Deo perfecta de commiſsis delictis contritio eliciatur, ac de eiſdem coram Eccleſia integra confeſsio habeatur.

Septimò tandem aduersùs dæmonem ſequens pręceptum efformetur.

Exorciſmus ad expellendum dæmonem à Strigibus ac maleficis ad pænitentiam reuertentibus.

EGo N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ auctoritate mihi tradita à Deo, & ab Eccleſia in ordine Exorciſtatus præcipio tibi, dęmon, *Forma præcepti formãdi cõtra dæ-*

mon, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt nūc immediatè ſine vlla mora recedas totaliter ab hac creatura Dei, quę ſuorum peccatorum contrita, tibi abrenuncias ad Deum confugit, & ad aſylum Sanctiſſimi Nominis Ieſu ſe recepit: nec ampliùs poteſtatem habeas corpus eius intrandi, vel eam perturbandi, aut inquietandi, ſiue intrinſecè, vel extrinſecè moleſtandi: nec ſub quacumque forma, aut figura apparendi: vel ad deſperationem eam inducendi, aut alio quouis modo infeſtandi. Recede ergo ſpiritus maledicte: quia ſic tibi præcipio, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

mones Sagas pœnitētes perturbantes.

§. I.

955 POſtea Exorciſta ſtans Maleficum pęnitentem ſequenti benedictione, ſeu oratione deprecatiua muniat.

Oratio deprecatiua.

℣. Propitius eſto Domine peccatis noſtris.
℟. Ne quando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum.
℣. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter.
℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.
℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cælum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui omnem animam pænitentem, & confitentem tibi magìs vis emendari, quam perdere: nec vllum reſpuis, ſed quantumuis peccantibus per pænitentiam pia miſeratione placaris; reſpice ſuper hunc famulum tuum, & auerte ab eo iram indignationis tuæ, & omnia eius peccata dimitte. *Si fuerit fæmina, dicat:* ſuper hanc famulam tuam, &c. & auerte ab ea, &c.

DEus, qui iuſtificas impium, & non vis mortem peccatoris; Maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, vt hunc famulum tuum (*ſi fuerit fæmina, dicat:* hanc famulam tuam) de tua miſericordia confidentem cæleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerues, vt tibi iugiter famuletur, nullis tentationibus à te ſeparetur, ac diabolicis infeſtationibus perturbetur.

OMnipotens, & miſericors Deus reſpice propitius ad preces noſtras, & libera mentem iſtius creaturę ad aſylum tuæ miſericordiæ confugientis de malarum tentationibus cogitationum: ac corpus dæmoniacarum inſultibus infeſtationum: & illumina cor eius, vt tua valeat implere præcepta, ac Spiritus Sancti dignum fieri habitaculum mereatur. Per Dominum, &c. in vnitate eiuſdem.

§. II.

VT autem Maleficus pænitens magis, ac magis præſeruetur, ne impoſterùm à dæmone diuexetur, illum Confeſſarius moneat. 956

Modus à dæmoniacis inſultibus maleficos pœnitentes præſeruādi.

Primò, vt ſemper de enormi peccato doleat, ac quotidiè veniam petat: Sacramenta frequentet, ac ſpiritualia exercitia; ac ſingulariter ſæpiſſimè Sanctiſſimum nomen Ieſu inuocet: Dei infinitam pietatem, ac miſericordiam meditetur: ſæpiùs Beatiſſimæ Virginis, Angeli Cuſtodis, ac Sanctorum ſuffragia imploret.

Secundò, quotidiè Deo referat gratias, quòd illum de infernalis leonis faucibus eripere fuerit dignatus: magis, magiſque in Deo ſuam collocet fiduciam, quòd etiam impoſterùm illum ſit præſeruaturus. Ad quod etiam quæ infra ponuntur, vbi *de reſiſtentijs, ac præſeruatione:* plurimùm valebunt.

Tertiò, ſi aliquid diaboli ope acquiſitum haberet, & cuiuſdam tertię perſonæ eſſe cognoſceret, ver. gr. quia ei à diabolo ſublatum fuit (quod ſæpè contingit, vt aduertit Petrus Binsf. *Confeſs. Maleficarum pralud.* 13. plures cumulans Doctores) eidem domino congruenti modo, vt in rebus furto ablatis fieri conuenit, eſſet reſtituendum. Si verò aliunde ver.gr. ex antiquis theſauris: vel ex rebus in mare totaliter deperditis: vel diabolus eam rem habuerit, & Mago tradiderit, ex ea ijs perſonis, quibus fortaſſe nocumenta in rebus familiaribus, aut animalibus intulit, aut aliquo modo eiſdem extiterit cauſa damni, ſatisfacere valeret.

ARTICVLVS III.

De dæmone poſſidente, & in corpore exiſtente.

DÆmones corpus poſſidere, vel in eo exiſtere dicuntur, cùm illud ingreſſi varias in eo operationes exercent, ac eis à Deo illud permittitur torquere: vnde qui ſic à dæmone poſſidentur, verè Energumeni, ideſt intus laborantes dicuntur, ſic dicti ab *En*, quod eſt, *In*: & *erge*, quod eſt *labor*: & *mene*, quod eſt *defectus*: quod eſt, *quaſi in opere deficiens*: ita Archidiaconus *in Gloſſa in can. Exorciſta diſt.* 23. Quomodo autem demones exiſtant, & quid in corpore, quod poſſident, operentur, latiſſimè demonſtratum eſt ſupra *à num.* 549. *incluſiuè vſque ad* 555. *excluſiuè.* Hic ergo duntaxat de remedijs particularibus, quibus dęmones homines poſſidentes ſunt coercendi, pertractandum eſt, quod ſequentibus quæſtionibus perficietur. 957

Quid ſit poſſideri à dæmone. Energumenus vnde dicatur

QVÆSTIO I.

Quomodo vexationes à dæmone poſſidente effectæ per ipſos Vexatos ſint comprimendę & auferendæ. 958

REſpondetur, vt huiuſmodi afflictiones reprimantur, & auferantur, Vexatum ab Exorciſta inſtruendum eſſe:

Primò,

De quib. Vexatus ſit inſtruendus.

Primò, vt ea, quæ erga Deum, Exorciſtam, Dæmonem, & ſeipſum credenda proponuntur ſupra *à numer.921. incluſiuè, vſq; ad num.925. excluſiuè*, diligentiſſimè exequatur.

Secundò, ne vllo modo ad malum, quod patitur, vel paſſus eſt, ſe applicet, nec de illo quidquam excogitet; ſed ab his, quæ proponit diabolus; diuertat, nullo modo eius ſuggeſtionibus, ac tentationibus attendendo. Ad quod maximoperè proderit applicatio ad vtilia, neceſſaria, ac delectabilia, cum alijs allocutio, deambulatio, operatio, & cętera, quæ à propoſitis obiectis per dæmones diuertere poſſunt: adeò vt totaliter triſtitiam fugiat, nec vnquam ſolitarius commoretur.

§. I.

Tertiò, quando in ſe aliquam diabolicam ſentit vexationem, ſi præſens aderit Exorciſta, humiliter ab eo petat, vt ſuo præcepto dæmonem coerceat: qui lenitiuo præcepto vtetur, dicendo:

Præceptũ lenitiuũ contra dæmonem poſſidētē.

Ego N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, in nomine Ieſu præcipio tibi dæmon (ſi vnus es) vel vobis (ſi plures eſtis) qui vexatis hanc creaturam Dei, vt ſtatim nocere ei deſinatis: nec vllo modo eam perturbare poſſitis.

Si verò abſens Exorciſta fuerit, ipſemet Energumenus à vexatione mentem ſuam amoueat, eamque ad Ieſum Chriſtum protectorem ſuum eleuet, qui facillimè eum à tali vexatione liberabit, dicatque firma fide, ac fiducia ſecundùm communem ſuæ maternæ linguæ vſum ſequentem breuem oratiunculam.

Atto di confidenza in Dio

Signor mio Gieſù Chriſto, che ſete il mio Saluatorr, Protettore, e Conſeruatore, difendetemi da queſti ſpiriti maligni voſtri nemici; reprimete con la virtù voſtra diuina la loro poteſtà, e tirannia, acciò in me non poſſano cagionare moleſtia alcuna: perche in voi hò poſto tutta la mia confidenza.

Deinde idem Energumenus hac fiducia fretus ſe contra dæmonem vertat, & virili animo, conſtanti corde, ac verbis aſperis dicat ei:

Atto di deteſtatione cōtro il diauolo.

E tù maledetto diauolo, ribelle del mio, e tuo Creatore, apoſtata del mio, e tuo Dio, con che ardire preſumi di trauagliarmi, e cagionare in me queſti dolori, eſſendoche io viuo ſotto la protettione del Santiſſimo nome di Gieſù? Per l'auttorità dunque, che mi concede Iddio, mediante la fede, e confidenza poſta nel detto Santiſsimo Nome, ti comando nel nome di Gieſù Chriſto, che ſubito ceſsi di moleſtarmi in modo alcuno: perche intendo, e pretendo di voler viuere, e morire ſotto la protettione del Santiſsimo Nome di Gieſu.

Si dicta verba firma fide protulerit, & ſine vlla hæſitatione à Deo ad inuocationem Sanctiſsimi Nominis Ieſu, dæmonem fore coercendum crediderit, ſtatim dæmon illum vexare ceſſabit: quia hæc eſt Dei promiſſio omnibus in ſe credentibus facta Marci 16 quæ deficere non poteſt, quando id, quod petitur, animæ eſt ſalutare.

§. II.

Simile perpolitũ vt Vexatus ſe eripiat à vexatione.

Qvartò, Energumenus, vt è vexatione ſubleuetur, ſe habere debet, ſicut ille, qui in alicuius rapiditatem fluminis cecidit, & illud ob vitæ incolumitatem velit tranſnatare. Iſte enim, ſi ab aquis rapidis ſubmergi nolit, ad profundum fluminis, ad aquarum voraginem, præſenſque periculum ſuam conuertere mentem non debet; ſed eam ſimul & oculos ad ripam, ad quam peruenire deſiderat, & ad remedium, quo, vt ſaluus fiat, ſibi eſt vtendum, infigere; & pericula contemnendo, & ad deſideratum ſalutis portum viriliter tendendo toto corde animari; quo ſanè modo tandem optatam ſalutem conſequetur.

Pari modo Energumenus nec cor ad afflictiones, quas patitur, vel paſſus eſt, applicare, nec animum illis intendere debet: quia facilè ſuccumbet, & animo deficiet; ſed ad fluminis ripam, ad Chriſtum ſcilicet, qui vita, via, ſalus noſtra, refugium noſtrum, virtus, & adiutor in tribulationibus eſt, toto affectu protendere, firmiter, ac ſine hæſitatione credere, ipſum ſcire, poſſe, & velle, quantum eſt ex parte ſua, omnibus in ſe credentibus, & ad ſe confugientibus ſuum auxilium elargiri. Eſt enim Chriſtus Ieſus lignum illud vitæ, de quo ait Ioannes Apocal.cap.22. *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum: & folia ligni ad ſanitatem gentium.* Si ergo Energumenus vexatus ad hoc lignum aſpexerit, vitam animæ, & ſanitatem corporis facillimè conſequetur.

Hic tamen diligenter ab Exorciſta eſt obſeruandum, quòd multi ſunt, qui liberari petunt, ſed dolentes, & lacrymantes: quia non firmiter, ſed hæſitanter id, quod petunt, ſe conſequuturos credunt. Si enim firma fide peterent, & ſine hæſitatione ſe petita obtenturos crederent, non dolentes, ſed gaudentes peterent: & ſi aliquando lacrymas effunderent, non ex timore; ſed ex interna lætitia, & firma obtinendi ſpe, quod petunt, eas profunderent; non ad malum, quod patiuntur; ſed ad bonum, quod firmiter credunt, & inhæſitanter obtinere ſperant, attendentes. Et iſti dubio procul quod peterent obtinerent, ſi quod petunt, eſſet eis ad æternam ſalutem profuturum.

§. III.

Qvintò, vtiliſsimum erit, ſi Energumenus ſæpius deuotè verſiculos illos Pſalmorum Dauidis recitauerit: *Eripe me Domine, &c. Dominus illuminatio mea, &c.* ſupra poſitos *num. 906.* Nec non illam breuem orationem *num. 903.* pollice crucis ✠ ſignum ſuper partem corporis à dæmone vexatam efformando. *Orationes recitandæ à Vexato, vt vexationē reprimat.*

Sextò Energumenus ſe Exorciſtæ intentioni, & fidei conformare debet, cogitando, illum tanquam Dei, & Eccleſiæ miniſtrum ſe Deo, & Eccleſiæ conformantem; ideòque contra dæmonem pugnant, imò ipſum Deus, Eccleſia, Exorciſta, & Energumenus conterunt, ac deprimunt. Quid ergo poterit diabolus? Non ergo Vexatus ad nugas, & diaboli minas mentem ſuam diuertat, ſed in illum corde, ore, & opere viriliter inſurgat.

Septimò, omnibus prædictis ab Energumeno ſeruatis, Exorciſta illum, an in fide, ac confidentia pro ſua liberatione erga Deum, Exorciſtam, dęmonem, ac ſeipſum ſit benè diſpoſitus, probet, iuxta probationes poſitas *à num.925. vſque ad num.931.* Et ſi illum ad ſuam liberationem perfectè diſpoſitum adinueniat, ei præcipiat, vt ante eius pedes proſtratus fidei, ac confidentiæ actus in Deum, nec non deteſtationis in dęmonem deuoto corde eliciat, & ore explicet, & clarè iuxta formulas ſupra poſitas *num.932. & 933.* fateatur.

Octauò tandem Exorciſtæ ad dęmonis expulſionem deueniendum eſt, qui ea, quæ infra *articul.5.*

de dæmone Fugiente, ſeu Exeunte num. 987. habentur, obſeruabit.

QVÆSTIO II.

Quomodo maleficium in matrimonio factum ſit auferendum, ac deſtruendum.

959 QVænam detrimenta, ac nocumenta vel per ſeipſos, vel ſuis cooperantibus ſymmiſtis, dæmones viris, ac mulieribus coniugatis inferre conſueuerint, iam ſupra breuiter attigimus *n.* 560.*v ſecundo,& n.*602.*verbo, Ex Generatiua*: nunc ſatis ſit de remedijs, quibus huiuſmodi maleficium eſt deſtruendum, pertractare.

Quibus monitis inſtruendi ſint maleficiati in matrimonio.

Reſpondetur ergo, Exorciſtam, præter inſtructiones illas generales ſupra relatas à *num.* 921. *vſque ad num.* 925. mentalibus perſonæ maleficiatæ oculis obijcere illa verba Angeli Raphaelis Tobiam iuniorem alloquentis Tob c.6. *Audi me, inquit, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus praualere poteſt dæmon. Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Moneatque coniuges, ſi adeò praua intentione, vt ſcilicet ad carnalia duntaxat explenda deſideria matrimonio fuerint coniuncti, vt feriò pæniteant, & ex præcordijs ante omnia, & ſuper omnia ſe velle Deum amare, omniaque ſua ad Dei gloriam ordinare; ideòq; imposterum & matrimonio non ſolùm contra concupiſcentiam, & ad carnalia vitanda peccata; ſed ad propagandam etiam prolem, eamq; ad Deo ſeruiendum, ipſumque laudandum, & glorificandum ordinandam vſuros, proponant.

Secundò, Exorciſta moneat illos, vt orationi vacent, ac ieiunio incumbant; ſicut Angelus Raphael Tobiam, ac Saram docuit: quia dæmones facillimè in oratione, & ieiunio eijciuntur: cùm hæc maximè ad fidei firmæ actus, ac perfectæ in Deum confidentiæ eliciendos, quibus dæmones in fugam, diuina eos impellente virtute, ſe vertere coguntur, diſponant. At præcipuè iubeat, vt ſua fideliter, ac deuotè peccata confiteantur, & Euchariſtia Sacratiſſima reficiantur.

§. I.

960 HIs omnibus peractis, & ab Exorciſta circa ea, quæ credenda ſunt Vexatis iuxta regulas, ac probationes ſupra aſſignatas *num.* 926. *& ſequent.* iam benè probatis, genuflexi ante Crucifixi imaginem corde, & ore humiliter, ac deuotè fidei, ac confidentiæ actus in Deum, nec non deteſtationis in dæmonem elicitos iuxta ſequentes, vel alias ſimiles formulas pronuncient, quas, ſi legere neſciant, Exorciſta de verbo ad verbum illis dictare valebit.

Oratione à Gieſù Chriſto per ottenere la liberatione dal maleficio fatto nell'vſo del Matrimonio.

SIgnor mio Gieſù Chriſto, eccomi io viliſſimo ſeruo vòſtro indegno di ſtare auanti la Maeſtà voſtra, e tanto meno di riceuere gratia alcuna; poiche non hò mai fatto altro, che offenderui; & in particolare nel contrahere queſto Matrimonio non hò hauuto quella retta intentione, che doueuo hauere; mà à guiſa di sfrenata beſtia hò poſto il mio fine ſolo nel ſodisfare alli diſordinati appetiti della mia carne: m'accuſo di queſti, e di tutti li altri miei peccati; conoſco, che meritamente la Maeſtà voſtra hà permeſſo, che'l demonio nel mio corpo habbia preſo poſſeſſo. Conoſco però ancora, che ſete Dio benigniſſimo, e clementiſſimo pronto à perdonare à chi con cuor contrito à voi ricorre, e de' ſuoi errori vi chiede perdono. Però eccomi proſtrato innanzi la Maeſtà voſtra, di tutto cuore mi diſpiace d'hauerui offeſo, e mi propongo fermamente, che per l'auuenire con l'aiuto voſtro non voglio più offenderui: mà amarui ſopra tutte le coſe con tutto il mio cuore, con tutta l'anima mia, e con tutte le mie forze. Così vi prego per la grandezza della voſtra miſericordia vogliate perdonarmi i miei peccati, e darmi gratia di mai più offenderui. mà di amarui ſopra ogni coſa. Parimente vi prego, e ſupplico, che, come tutto benigno, e liberale, vogliate liberarmi da queſti maleficij, da' quali mi ritrouo legato, & oppreſſo, e dal demonio tutto perturbato, proteſtãdomi di volere per l'auuenire amare la mia moglie, come me ſteſſo (*ſe la perſona maleficiata ſarà la moglie, dirà,* il mio marito, come me ſteſſa) e di vſare il matrimonio sì per fuggire i peccati della concupiſcenza, come per generar prole, alleuarla nel ſanto timor voſtro, & indrizzarla à ſeruire la Maeſtà voſtra altiſsima, e lodare, e glorificare il voſtro Santiſsimo Nome.

Poſtea contra dæmonem iracundo vultu, ac contumelioſis verbis ſequentia verba recitans inſurgat.

Atto di deteſtatione dà farſi dal Veſſato contro il demonio.

E Tù diauolo maladetto nemico di Dio, ribelle del mio, e tuo Signore, apoſtata del mio, e tuo Creatore, partiti da me sẽza dimora alcuna: poſciache per l'autorità, che m'hà conceſſo Iddio, per la fede, e confidenza poſta nel ſuo SS. Nome, per la virtù, e gratia riceuuta nel Santo Sacramento del Matrimonio, ti comando nel Nome di Gieſù Chriſto, che diſtruggi qualſiuoglia maleficio, che tù habbi fatto nella perſona mia, e della mia moglie (*ſe la perſona maleficiata è la moglie, dica,* e del mio marito) e per l'auuenire nõ habbi più poteſtà di moleſtarmi nella fantaſia, ò imaginatiua, ò nel corpo, e maſſime ne' membri genitali, ne in qualſiuoglia potenza dell'anima, ò del corpo: perche intendo, e pretendo di voler viuere, e morire ſotto la protettione del Santiſſimo Nome di Gieſù. 961

Actus deteſtationis cõtra dæmonẽ.

Factis

Factis à Vexato prædictis confidentiæ in Deum, ac deteſtationis in dæmonem actibus, Exorciſta moneat illum, vt inconcuſſus in fide perſiſtat, ac in confidentia perſeueret, ſine vlla heſitatione credens, dubio procul, cùm ipſe præceptum expulſiuum contra dæmonem enunciauerit, illicò omnia maleficia diſſoluturum, dæmonemque receſſurum; omnia quippè opera eius malefica in ipſo deſtruentur, & ipſe priſtinam ſanitatem conſequetur.

Vexato ergo, omnibuſque aſtantibus coram Exorciſta genuflexis, implorato priùs ab eiſdem diuino ſuffragio, ſurgat Exorciſta, ac ſedeat, ac capite cooperto, voce graui, ac terribili contra dæmonem pronunciet ſequentem exorciſmum.

Exorciſmus ad diſſoluendum maleficium in Matrimonio operatum.

962 *Præceptū expulſiuum.* EGO N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ auctoritate mihi tradita à Deo, & ab Eccleſia in ordine Exorciſtatus venio contra te, maledicte dæmon, ſpiritus immunde, qui dereliquiſti Deum Factorem tuum, & oblitus es Domini Creatoris tui, qui vſum Sacramenti Matrimonij à Chriſto inſtituti ad peccata carnalia euitanda, ad conſeruationem Reipublicæ Chriſtianæ, ad multiplicationem humanæ naturæ, & ad nouos milites in Eccleſia Dei procreandos impedire præſumis: & in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti præcipio tibi, vt ſtatim ſine vlla mora deſtruas omne, quod perfeciſti maleficium in hac creatura Dei; recedas totaliter ab ea; nec ampliùs poteſtatem habeas illudendi ei, aut perturbandi ſenſus eius ſiue internos, ſiue externos; vel in ea cauſandi odium, abominationem, vel deteſtationem aduerſus alterum coniugem; aut ipſam impediendi, quin poſſit vti matrimonio ſuo ad generandam, & enutriendam prolem gratam Deo, & hominibus: (*ſi perſona maleficiata ſit vxor, dicat*: ad generandum, concipiendum, portandum, pariendum, enutriẽdum prolem gratam Deo, & hominibus:) ſed longè ab ea fugias, & tecum trahas omnes fæces, immunditias, & omnes diabolicas infectiones, quas in corpore iſto vſque modo intuliſti, ac tollas omnes diabolicas colligationes, ac quaſcumque remoueas noxas, ita vt creatura iſta remaneat libera, & ſana, ac ſi nullam moleſtiam diabolicam vmquam in ſeipſa ſenſiſſet: ſic igitur vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ tibi præcipio, ſpiritus immunde, vt exeas, ac recedas: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Poſt liberationem, ſeù poſt prædictũ Exorciſmum probare poterit Exorciſta, an verè ſit libera, modo infra poſito *n.999*. Et ſi verè libera inueniatur, gratias Deo referat, vt infra *n.1000*. habetur.

QVÆSTIO III.

Quomodo ſint deſtruenda maleficia infantium, ac puerulorum.

963 RESpondetur, quia puerulí, & infantes rationis vſus compotes minimè ſunt, & conſequenter inſtructionis impotes, eorum parentes, vel defectu eorum nutrices, vel illorum curam habentes eſſe vocandos; & præter ea, quæ in communi inſtructione *num.920.& ſequentibus* habentur, etiam eſſe inſtruendos, ſcilicet dæmoni ſæpe ob eorum modicam in Deo confidentiam, ac maximam in eis diuinæ protectioni commendandis negligentiam, à Deo infantes huiuſmodi, ac paruulos maleficijs afficere permitti: ideòque etiam plurimùm ad eorum liberationem fidei, ac confidentiæ actus in Deum ab eis elicitos valere. *Pro infãtibus inſtruendi ſunt parẽtes, vel eorum curam habentes.*

Quos actus corde, & ore ante Crucifixi imaginem genuflexi præſente paruulo maleficiato iuxta ſequentem formulam poſſunt enunciare.

Oratione à Gieſù Chriſto per ottenere la liberatione da maleficij fatti a' fanciulli.

SIgnor mio Gieſù Chriſto, che col Padre, e lo Spirito Santo ſete onnipotente, ſapientiſſimo, e clementiſſimo: come onnipotente potete liberare queſto figliuolino da maleficij, & ogn'altro male: come ſapientiſſimo ſapete il modo per liberarlo: e come clementiſſimo, e pietoſiſſimo volete liberarlo, eſſendo per la voſtra clemenza, e pietà inchinato à far bene à tutti, & in particolare à quelli, ch'à voi ricorrono, e ne' loro biſogni vi chiedono aiuto. Queſto figliuolo à voi non può ricorrere, perche non è capace dell'vſo di ragione: però io, che di lui tengo cura, per lui à voi ricorro: e ſe per la mia poca confidenza nella Maeſtà voſtra, ò per la mia negligenza nel raccommandarlo alla diuina voſtra protettione, & alla tutela del ſuo Angelo Cuſtode, ſi come per altri miei peccati, li fuſſero accadute queſte moleſtie corporali, quì proſtrato auanti voi, mio Dio Creatore, e Redentore, pentito, e contrito vi chiedo perdono di tutti i miei peccati, proteſtandomi, che per l'auuenire non voglio più offenderui coll'aiuto voſtro; mà vi voglio amare, e ſeruire con tutto il mio cuore, con tutta l'anima mia, e con tutte le mie forze: e mi voglio affaticare ancora, acciò queſto figliuolo, quando hauerà l'vſo della ragione vi ami, e vi ſerui di tutto cuore, e vi ringratij del beneficio della ſanità riceuuta. Vi prego dunque per l'infinita voſtra bontà, e miſericordia, per la fedeltà da voi ſeruata nelle promeſſe voſtre, per honor, e gloria del voſtro Santiſſimo Nome, per l'efficacia della voſtra Sacratiſsima Paſſione, per i meriti della Vergine Santiſſima voſtra dilettiſſima Madre, e de' Santi N.N. miei deuoti, & in particolare per la carità dell'Angelo Cuſtode di queſto figliuolino, vogliate liberarlo da qualſiuoglia maleficio, ligatura, fattura, faſcinatione, apparitione, ſpauento, e moleſtia de' demonij, e de' ſuoi miniſtri, e tenerlo ſotto la protettione del voſtro Santiſſimo Nome. 964 *Oratio deprecatiua pro paruulis liberãdis*

Poſtea contra dæmonem deteſtationis actum ſub ſequenti formula enunciet.

Atto di deteſtatione contro il demonio.

965 ET à te diauolo maledetto, nemico di Dio, apoſtata del mio, e tuo Creatore, ribelle del mio, e tuo Signore, per l'autorità riceuuta da Dio nella fede, per la cura, che tengo, e deuo tenere di queſto figliuolino, comando nel nome di Gieſù Chriſto, che diſtruggi qualſiuoglia maleficio, ligatura, fattura, ò faſcinatione, che tu habbi fatto per te ſteſſo, ò per mezo di Streghe, ò Malefici tuoi ſeguaci, e ti parti ſubito da lui; e per l'auuenire non habbi più poteſtà di moleſtarlo in modo alcuno perche l'hò poſto, e collocato ſotto la protettione del Santiſſimo Nome di Gieſù.

Actus deteſtationis.

§. I.

966 EXorciſta poſt prædictam parentum, vel paruulorum curam habentium proteſtationem in Deũ & deteſtationis actum in dæmonem (ante pedes ipſius Exorciſtę eijdem parentibus, vel paruulorum habentibus genuflexis paruulum maleficiatum tenentibus) conſueto more inſideat, & cooperto capite iuxta ſequentem formulam, præceptum expulſiuum contra dæmonem pronunciet.

Exorciſmus ad maleficium paruulis illatum deſtruendum.

EGo N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi, dæmon, qui maleficium perfeciſti in corpore iſtius paruuli, vt ſtatim ſine vlla mora deſtruas omne maleficium, ab eo auferas omnem ligaturam, facturam, faſcinationem, ac quamcumque moleſtiam, ac vexationem, ac recedas totaliter ab eo, tecum trahendo omnes fæces, ac immunditics, ſi quas in corpore illius immiſiſti: nec amplius habeas poteſtatem ei apparendi ſub quacumque forma, vel figura; aut vexandi illum intrinſecè, vel extrinſecè, die, vel nocte: aut perturbandi ſenſus eius interiores, vel exteriores: vel quocumque alio modo moleſtandi: Sic volo, ſic iubeo, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Præceptũ expulſiuum.

Deinde Exorciſta ſurgat, & ſtans ſequentem orationem deprecatiuam ſubiungat.

Dominus Ieſus Chriſtus apud te ✠ ſit, vt te defendat: intra te ✠ ſit, vt te conſeruet: ante te ✠ ſit, vt te ducat: poſt te ✠ ſit, vt te cuſtodiat: ſuper te ✠ ſit, vt te benedicat, qui cum Patre, & Spiritu Sancto in vnitate perfecta viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio deprecatiua.

Benedictio Dei omnipotentis ✠ Patris, & ✠ Filij, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

QVÆSTIO IV.

Quomodo paruuli præſeruandi ſint à maleficijs.

DIco primò, vt pueruli à maleficijs præſeruentur, eorum parentes, vel illorum curam habentes, quantum in ſe eſt, facere debere, vt ſe in gratia conſtituant, ac pro infantibus, ac puerulis omnia illa adimpleant, quæ in ſeipſis, ſi ſeipſos à maleficijs præſeruare vellent, adimplerent. Nam ſicut, ait Auguſtinus, parentum negligentia ſæpiùs cauſa eſſe poteſt, quòd eorum filij maleficijs afficiantur; ita eorum oratio pro pueris ad Deum effuſa eſt illis maximè vtilis ad eos à quibuſcumque maleficijs præſeruandos. Quare eorum parentes, vel illorum curam habentes eos quotidiè Deo commendare, & ſub protectione Sanctiſsimi Nominis Ieſu conſtituere debent, ac ſuper eos recitare poſſunt illam breuem orationem ſupra poſitam *nu.* 903. incipientem, *Ecce crucem ✠ Domini, &c.* & ſcriptam, vel typis impreſſam ad pueri collum appendere: Deinde illum Beatiſsimæ Virgini, nec non Angelicæ cuſtodiæ, aliorumque Sanctorum ſuffragio, & interceſsioni commendare. 967

Inſtruendi ſunt parentes, vel paruulorum curã habentes.

Dico ſecundò, eis dæmones contemnere, ac paruipendere, diuina fretis protectione profuturum. Et ſi fortaſſe vererentur, quòd aliqua Strix accederet, ac puerulum in brachijs accipiendo ſic conſtringeret, vt ipſius oſſa rumperentur, vel nerui retraherentur: vel dæmonis ope ſanguinem illius ſugeret, vti eas præſtare refert Bartholomæus Spineus S. Palatij Magiſter *quæſt.* 8. *de Strigibus*, & Delrius *lib.* 3. *Diſquiſ. Magic. quæſt.* 4. *ſect.* 1. *pag. mihi* 348. dicens: *Huc referenda ſtrigatio quando puerulorum exſugunt ſanguinem, venis vngue, acu, aut aliter ope dæmonis apertis*, tunc nutrices moneant, ne huiuſmodi mulieres ſuſpectas ad puerulos accedere; nec vlnis, aut brachijs eos tenere permittant; ſed eas virili animo è domus ingreſſu arceant, ac repellant. Nocturno verò tempore ianuis clauſis cùm Striges domos ſine dæmonis ope ingredi nequeant, paruulos contra dæmonem, nedum oratione, ſed & breuibus ſacris, Agno Dei bullæ impreſſo, vel oleo benedicto, reliquijs Sanctorum, vel S. Ioannis Euangelio, & aquæ benedictæ aſperſione lectulum, vel cunabulum, puerulos, & cubiculum muniant, & nihil dæmon contra eos male poterit operari.

Cautela contra Striges ſeruãda.

ARTICVLVS IV.

De dæmone obſiſtente, ſeu Renitente.

QVoniam in dies experientia docet, multos Obſeſſos, Energumenos, ac Maleficiatos ad Exorciſtas accedere, ab eis inſtrui, & ſe perfectam fidem habere affirmare, adeò vt Exorciſtæ contra dæmonem eos poſsidentem exorciſmos & coniurationes proferant, nec tamen liberari videntur: argunnt, increpant, vocem extollunt, inſultant, deſudant, velis, remiſque vt illum è corpore poſſeſſo explodant, contendunt; & tamen aerem verberant, ſurdo canunt, oleum, & operam perdunt; ideò vnde proueniat dęmonum reſiſtentia, eſt quærendum. 968

Exorciſtæ quandoque in caſſum dæmones adiurãt.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

An dęmonum reſiſtentia pręceptis Eccleſiaſticis factis proueniat ex vi, & potentia dæmonum, vel ex parte Dei, vel Exorciſtæ, vel Energumeni,

969 SI nos aliquorum Doctorum tam priſcorum, quàm modernorum mentem ſequi vellemus, hanc reſiſtentiam à dæmonibus prouenire diceremus: eò quia eorum alij alijs in malo ſunt obſtinatiores, ideòque peruerſiores, & in Exorciſtæ præceptis reſiſtendo validiores.

Ratio difficultatis ſecūdùm aliquos, eſt dęmonis obſtinatio. Hæc opinio refellitur.

At quia nos Exorciſtam contra dæmonem, non viribus humanis, ac creatis; ſed virtute diuina, quæ eſt infinita, pugnare fatemur; & finiti ad infinitum nulla eſt proportio; ideò reſiſtentia ex virtute, ac potentia dæmonis prouenire non poteſt: quia totus infernus cum omnibus dæmonibus reſpectu diuinæ virtutis, qua expelluntur, nihil eſt; ideò illicò, cùm Deus virtute ſua concurrit, omnes recedere compelluntur. Sicut etiam in vexando, quòd aliquis Energumenus magis, quàm alius vexetur, ex eo non prouenit, quòd ipſe à potentiori dæmone, & ille à debiliori poſſideatur: quia dæmones in vexando ſecundùm totam efficaciam ſuarum virium naturalium non operantur. Nam ſi ſic operarentur, illicò omnes homines, niſi à ſuperiori virtute impedirentur, occiderent; ſicut benè docet S. Bernardinus *ſerm. 6. de miſericordiæ perfectione a. 2. cap. 3.* ſed operantur ſecundùm quod eis à Deo permittitur, vel iubetur: vt docet Beda *in lib. Variar. qq. quæſt. 9.* & alij apud Suarez *tom. 1. de Angelis lib. 8 cap. 20. num. 10.* Vnde aliquando vnicus dæmon ex vltimis, & infimis maiora damna, ac acriores torſiones in vno Energumeno, quàm plures dæmones ordinis ſuperioris in alio producet, & hoc non alia de cauſa, niſi quia dæmon maiorem à Deo illum torquendi obtinet facultatem, quàm illi plures ſuperioris ordinis, qui in Energumeno à ſe ad torquendum poſſeſſo magis à Deo vbique præſente coercentur. Si ergo à dæmonis poſſidentis virtute, & poteſtate illa reſiſtentia non prouenit, eam prouenire eſt dicendum: quia Deus virtute ſua ad dæmonem coercendum, & ad præceptum Exorciſtæ dęmoni impoſitum, tunc temporis ad eum expellendum concurrere non dignatur. Si enim concurreret Deus, infallibiliter dæmon eijceretur.

Dæmones Energumenum non vexant iuxta ſuas vires, ſed iuxta Dei permiſſionem, vel iuſſionem.

§. I.

970 VErùm cùm ſæpe, ac ſæpiùs Deum, quantum eſt ex parte ſua, ſemper ad dæmonem expellendum paratiſſimum eſſe dixerimus; & poſitis cæteris requiſitis ex parte miniſtri, & Energumeni, Eccleſiæ, & in ſe credentibus promiſiſſe, quòd in nomine ſuo dæmones expellerent, & alia mirabilia operarentur; quod idem fuit ac dicere, ſe ad inuocationem Sanctiſſimi Nominis ſui fide perfecta, ac ſine hæſitatione à nobis factam dæmones expulſurum, aliaque miracula operaturum, cur ſemper ad dæmones expellendos inuocato ſuo nomine, ſi à pietate, ac bonitate ſua, & à promiſſionis ſuæ fidelitate ad hoc maximè ducitur, non concurrit?

Cur Deus ad dęmonem expellendū non ſemper cōcurrat, inuocato nomine ſuo

Huic difficultati, ſcio, quòd Antiqui Auctores, & ex modernis aliqui, qui de hac re tractant, reſponderent dicentes: *Non eſſe credendum ob ipſius Exorciſtæ, aut obſeſſi culpam dæmones non expelli; quia etiam ex occulto Dei iudicio: aut ob ipſius obſeſſi maiorem vtilitatem: vel aliorum exemplum: aut ob aliud Eccleſiæ commodum contingere poteſt: quia* aiunt, *nimis graue eſſe, vt in re dubia certa detur ſententia. 11. quæſt. 3. cap. quamuis, & cap. non ſolùm eadem cau.*

Reſponſio plurium Auctorū refellitur.

Sed hanc opinionem quoad primum, & ſecundum membrum falſam eſſe, ſupra demonſtrauimus *à num. 504. incluſiuè vſque ad 509. excluſiuè*, vbi ſępiùs Deum non concurrere ad dæmonem expellendum tum ob Energumeni, tum ipſius Exorciſtæ defectus exactè probauimus; quod etiam oſtendimus *à num. 670. vſque ad numerum* 728. vbi egimus *de prudentia Exorciſtæ in erroribus vitandis circa adiurationem*. Similiter non eſt vſquequaque verum, quòd dęmones *ex occulto Dei iudicio* non eijciantur; ſed hoc verum eſt dūtaxat reſpectu ignorantium rationes diuinæ permiſſionis maleficiorum, & diabolicarum vexationum, de quibus ſupra *num. 583. & ſequentibus*.

§. II.

DIcimus ergo, Deum voluntate ſigni omnes Obſeſſos, & Energumenos, ac maleficio affectos à dæmone, quantum eſt ex ſe, liberare velle: quia ad hoc à ſua infinita bonitate mouetur, vt promiſit Marci 16. nempe quòd omnes in ſe credentes dæmones eijcerent. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient.* Sed hæc voluntas ſigni conditionata eſt, & non abſoluta; includit enim duas conditiones, quibus poſitis, promiſſio infallibiliter adimpletur. 971

Deus voluntate ſigni vult omnes obſeſſos à dæmone liberare. Voluntas ſigni eſt conditionata.

Prima conditio eſt, vt Energumeni, & maleficiati, ſicut & Exorciſtæ à Deo dæmonem expellere in nomine Ieſu depoſcant. Quid autem eſt petere in nomine Ieſu? nihil aliud ſanè eſt, quàm in nomine Saluatoris poſtulare. *Ieſus enim* ait Gregor. homilia 28. in Euang. *Saluator eſt; vel etiam ſalutaris dicitur: & qui petit in nomine Ieſu, ſalutaria petit, & illa obtinet, quæ petit.* Si ergo liberatio à dæmoniaca vexatione ipſi vexato futura ſit ſalutaris, illam vtique obtinebit. Si verò liberatio animæ obſeſſi futura non ſit ſalutaris: vel maius bonum ſit impeditura, tunc promiſſio non ſeruatur; quia conditio præſuppoſita non ſubſiſtit.

1. Vt liberatio ſit ſalutaris

Secunda conditio eſt, qui talem ſalutarem liberationem petunt, fide firma, & inhæſitante petant: Si enim aliquo modo hæſitent, ac dubitent, Deum eos à dæmone, etiamſi liberatio ſit ſalutaris, liberare non velle, à Deo liberationem non obtinebunt. Quòd eruditè docet Alphonſus à Caſtro lib. 6. aduerſus Hæreſes, verb. Exorciſmus. *Quòd autem*, inquit, *non ſemper fiat, vt inuocato nomine Ieſu, dęmon egrediatur, minima fides ipſius inuocantis eſt in cauſa. Nam ſi perfectè crediſſet, hæc & maiora feciſſet. Et ad hos ſolos videlicet in fide perfectos Dei promiſſio* Marci vltimo: In nomine meo dæmonia eijcient: *pertinere videtur: quia priùs dixerat:* Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, &c. Obſeſſi ergo, & Energumeni, quibus aliqua iſtarum deficit conditionum, etſi exorcizentur, non liberantur: quia Deus ad Exorciſtæ præceptum non concurrit; Deo autem non concurrente, dæmon Exorciſtæ præceptis reſiſtit, & exorciſmos contemnit: quia Deus illum virtute ſua diuina ad eis obedientiam pręſtandam non compellit.

2. Vt Vexatus petat ex fide.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quænam ſint genera Energumenorum, ad quorum liberationem Deus difficillimè concurrit.

972 *Peccatores in malo inueterati obſeſſi difficillimè liberantur*

QVinque Energumenorum genera à dæmone liberari difficillimè poſſe experientia rerum magiſtra me docuit.

Primi generis Energumeni ſunt peccatores obſtinati, qui alicuius grauis peccati cauſa, imò ob eorum plurima ſcelera, in quibus inueterati ſunt, non ſolùm Deo permittente; ſed ſæpè ipſo iubente, à dæmone poſſidentur; quorum exempla plura affert Delrius *lib.* 3. *Diſquiſ. Magic. par.* 1. *quæſt.* 7. *ſect.* 2. & nos docuimus ſupra *num.* 543. Huiuſmodi enim arreptitij, vt dæmoniacas euadant vexationem, ſanitatis conſequendæ deſiderio ducti ad Eccleſiaſticos confugiunt miniſtros petentes, rogantes, & ſuppliciter implorantes, vt per exorciſmos, ac præcepta à dæmoniaca tyrannide eripiantur: & tamen non niſi poſt longum tempus liberantur.

§. I.

Quare.

SEd vnde hoc? Si enim Deus per ſigni voluntatem oſtendit, ſe velle omnes Energumenos à dæmone liberare, dum in eo fiduciam ſuam collocauerint; & ad hoc Eccleſiæ poteſtatem dedit ad dæmones eijciendos, cur ad iſtorum peccatorum iam ſua deteſtantium peccata, humiliterque à Deo, & ab Eccleſia auxilium implorantium liberationem ſtatim non concurrit?

Quia liberatio citò præſtita nõ eſſet eis ſalutaris.

Reſpondetur, Deum non niſi poſt diuturnam ab eis peractã pænitentiam concurrere: quia ſi citò in principio concurreret, illa liberatio eis ſalutaris non eſſet; ſed noxia, ac detrimentoſa: quia ſi ſanitatem priſtinam aſſequerentur, ex inueterato peccandi habitu ad priſtinum peccati ſtatum reuerterentur; ſic fierent nouiſſima peiora prioribus. Licèt ergò Deus ſigni voluntate omnes Energumenos à dæmone liberare velit; hoc tamen conditionatè vult, ſuppoſitis nempe duabus conditionibus, quarum altera eſt, quòd liberatio ſalutaris ſit; vel ſaltem non noxia, vel maius bonum non impeditura: altera, quòd ex vera fide poſtuletur. Voluntas igitur beneplaciti Dei eſt, vt hi Energumeni à dæmone poſſideantur, ac torqueantur, donec peccandi habitus ſit deſtructus, ne poſt liberationem illicò ad vomitum reuertantur: *Hæc enim eſt voluntas Dei*, ait Paulus 1. Theſſal. 4. *ſanctificatio veſtra*; ſcilicet vt liberatio à dæmoniaca vexatione eis non ſit obfutura; ſed profutura.

§. II.

973 *Mulieres vel adoleſcentes ab incubis vexati difficillimè liberantur.*

SEcundi generis Energumeni ſunt mulieres, vel maſculi adoleſcentes à dæmonibus incubis poſſeſſi. Spiritus incubus eſt ille, qui formam viri viſibiliter, vel inuiſibiliter accipiens cum mulieribus per naturam; aut cum eiſdem, vel cum maſculis contra naturam ſe permiſcet. Succubus verò, qui mulieris forma aſſumpta viris ſe ſupponit: vt memorat Innocentius VIII. in Bulla contra Maleficos, quæ incipit: *Summis deſiderantes* ſupra relata & affirmant Arnobius *lib.* 5. *contra Gentes* Diuus Auguſtinus *lib.* 15. *de Ciuitate Dei cap.* 23. Alexander Alenſis *par.* 1. *quæſt.* 78. D. Bonauentura, D. Thom. Scotus, Durandus, Gabriel, & Paludanus *in* 2. *diſt.* 8. Martinus de Arles, Franciſcus Valeſius Medicus, & Delrius *lib.* 2. *Diſquiſit. Magic. q.* 51.

Spiritus incubus quis ſit. Spiritus ſuccubus quis ſit.

Sunt autem in triplici genere, qui talia patiuntur.

Iſti vexati ſunt in triplici genere.

Alij ſunt arreptitij: Hi vt plurimùm non realiter; ſed imaginariè tantùm afflictiones, & motus patiuntur inhoneſtos.

Alij ſunt à dæmone poſſeſſi; non tamen eorum potentias poſſidet; ſed tantùm corpore abutitur: & ferè ſemper in corde, & in venereis partibus habitat, quas ad carnalia delectamenta excitat, cum hoc tamen diſcrimine, quòd cum aliquibus die, vel noctu viri forma aſſumpta concumbit: vt anno Domini 1649. quædam mulier de ſeipſa mihi enarrauit, ſingulis noctibus ſe cum dæmone incubo ſub viri forma commiſcere, variaſque cum eo carnales ſpurcitias exercere; ad Deum blaſphemandum induci; cum eo, veluti proprio marito conuerſari, loqui, & ſæpiùs extra domum deferri ad concumbendum etiam cum viris Magis, ac maleficis. Ex cuius verbis eam conſenſum dæmoni, nedum implicitum, ſed & explicitum præſtaſſe, valdè ſuſpicandi ſumpſi occaſionem. Cum quibuſdam verò non aſſumpta viri forma; ſed phantaſiæ duntaxat alicuius viri forma, ſeu ſpecie, vel imagine præſentata; realiter verò ex aere denſo formatis virga, & coleis concumbit: vt cum illa, de qua ſupra *num.* 875. faciebat.

Cur difficillimè liberẽtur

Hi vtique difficillimè liberantur à dæmone: quia difficillimè fidei, ac perfectæ confidentiæ in Deum actus, ſe liberandos fore elicere valent: quia cùm ſpiritui incubo ſubiacendi habitum fecerint, ſi non explicitum (vt ſæpè euenit) ſaltem implicitum aſſueti ſunt præſtare conſenſum; & adeò infirmati mente, & corpore ſunt, vt vix vnquam confidentię actus, quæ ad liberationem neceſſaria eſt, elicere poſſint; imò in corde ſuo oppoſitum ſentiunt: vt latè ſupra.

§. III.

TErtij generis Energumeni ſunt viri, ac mulieres à dæmone ab infantia poſſeſſi, qui ob temporis longitudinem, quo dæmon eorum phantaſiæ varios inſtillauit errores, vt à diuino implorando auocaret auxilio, iam aſſueti ſunt ad diabolicis credendum ſuggeſtionibus; ita vt ſtatim ac ſibi à dæmone aliquid ſuggeritur, illicò ad pulſum eius operantur: quia ex multis actibus, & longo tempore iam firmam ad dæmoniacis tentationibus aſſentiendum habent inclinationem, & habitum retinent inueteratum. Cùm enim dæmon multa eis futura enunciauerit, quæ poſtea vera eſſe cognouerunt, facilè etiam in cæteris ei credunt: puta, admonet dæmon obſeſſum dicens: *Tali die, ſi iueris ad Eccleſiam, in terram cades, & gentes te irridebunt:* (cuius caſus ipſe diabolus poſtea eſt cauſa) *Veniet Exorciſta craſtina, vt me expellat, ſed in vanum laborabit: quia ligatus ſum in hoc corpore per maleficia, quæ ipſe ignorat. Hodie pater tuus ad Nundinas nihil lucratus eſt. Deus vult me manere in hoc corpore vſque ad annum ſequentem. Non poſſum exire ex hoc corpore, donec moriatur maleficus, qui hùc me miſit. Hic coactus ſum manere, donec moriatur mater tua, vel pater tuus, vel frater tuus: vel donec purgaueris tale peccatum, quod patraſti.* Hæc, & alia inceſſanter imaginatiuæ, ac phantaſiæ talium Energumenorum dæmon repræſentat, quibus ex conti- 974 *Adulti Energumeni ab infantia difficillimè liberantur.*

nuo

nuo habitu aſſentientes, ac fidem præſtantes, conſequenter minimam, aut nullam poteſtati diuinæ, & auctoritati Eccleſiaſticę fidem prębent; ideòque non niſi difficillimè ad fidei firmæ, ac confidentię perfectæ actus, quæ ad liberationem neceſſaria eſt, ſe vnquam diſponere valent.

Quia debita carent fiducia.

Hac de cauſa, quando *Marci 9.* vnus ex Iudæis ad Chriſtum adduxit filium ſuum habentem ſpiritū mutum, ſpumantem, allidentem, & ſtridentem, quem diſcipuli eius eijcere non potuerant, Ieſum eius Patrem his verbis interrogaſſe arbitror. *Quantum temporis eſt, ex quo hoc ei accidit?* Cui ille dixit: *Ab infantia:* vt ex huiuſmodi reſponſione difficultas innoteſceret liberationis: quia ob habitum, quem tam pater, quàm filius in nimium pertimeſcendis diabolicis minis, ac dæmonis ſuggeſtionibus faciliter aſſentiendo, fecerant, à fide, ac fiducia, quæ ad liberationem neceſſaria erat, nimis erant alieni: idcircò eos reprehendit dicens: *O Generatio incredula, quandiù apud vos ero? quandiù vos patiar? ſi potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.*

§. IV.

975 QVinti generis Energumeni ſunt perſonæ (maximè mulieres) ſpirituales Chriſtianę vacantes perfectioni. Iſtę enim pro Chriſto mala pati deſiderio flagrantes videntes Energumenos multas à dæmone ſuſtinere torſiones, & afflictiones, optant, & ipſæ, imò aliquæ à Deo petunt, vt in ipſas dæmones immittat, à quibus pro Dei amore multa valeant tormenta ſuſtinere. Sed ecce dæmon noctu, dum noctes inſomnes ducunt, eorum phantaſiæ repræſentat, iam eſſe voluntatem Dei determinatam, vt à dæmone poſſideantur, vt ipſo eas affligente, in Chriſtianæ perfectionis paleſtra, & in virtutum exercitio magis magiſque ſint profecturę. Quæ omnia Angelorum viſiones eſſe credentes ſuggeſtioni aſſentiunt, ac per liberum arbitrium diabolo facultatem concedunt, vt liberè corpus ſuum ingrediatur. Qui aliquando (Deo ſic permittente) illarum corpus ingreditur, à quo difficillimè (ne dicam, vix vnquam) queunt liberari.

Perſonæ ſpirituales obſeſſæ difficillimè liberantur

Ratio eſt: quia huiuſmodi perſonæ, etſi ab Exorciſtis remedia ad liberationem ordinata perquirant; quia ſe à dæmone ad multa mala induci, & à bonis pluribus peragendis impediri vident; nihilominus non niſi rarò à dæmoniaca eripiuntur tyrannide: quia in fiducia erga Deum ad ſuam liberationem neceſſaria deficiunt; difficillimè enim ſibi ſuadere volunt, Dei voluntatem eſſe omnes à dæmone obſeſſos nunc liberandi, ſi liberatio huiuſmodi ſalutaris fuerit, & ipſi obſeſſi perfectam fidem habuerint, quaſi Chriſtus centies hanc ſuam voluntatem apertè in diuina ſcriptura non declarauerit; ſed potiùs Deum ipſas ſic diù torqueri velle opinantur.

Quia debita carent fiducia.

Quæ perſonæ implicitè ſaltem temeritatis labe non videntur carere, dum poſthabito maiorum ſuorum conſilio, ipſæmet ſibi à Deo in perfectionis ſchola progrediendi iuxta ſuam propriam voluntatem methodum aſſignari volunt, nempe per dæmoniacas vexationes, ac infeſtationes, non conſiderantes mala etiam culpæ, quę à communi Dei, & hominum inimico inceſsāter contra Dei honorem, hominumque ſalutem intentantur; quaſi apud Deum perfectiora media non ſint, quibus ad certiora virtutum incrementa valeant procurari. Diuinæ etiam clementiæ quodammodo iniuriam haud dubiè inferunt, quòd Deum gaudere, vt ſerui ſui amici ſub dæmonis eius infenſiſſimi hoſtis poteſtate maneant, arbitrentur. Hac de cauſa Deus ad dæmonem coercendum non concurrit, dum Exorciſta dæmoni præcipit, vt è corporibus exeat: quia huiuſmodi liberationem ſibi futuram eſſe ſalutarem non credunt: nec Deum ad ſuam liberationem concurrere velle, confidunt; ſed cum hæſitatione, ac cum formidine de oppoſito ſemper perſiſtunt.

Error occultus.

§. V.

QVinti generis Energumeni ſunt homines, ac mulieres durę ceruicis, ac proprię æſtimationis. His enim à dæmone, eorum infirmitatem eſſe à cauſa naturali prodeuntē ſuggeritur ideoque nō poſſe Exorciſtę miniſterio auferri. Quas diabolicas ſuggeſtiones cogitationes eſſe à ſuo proprio iudicio, ac cerebro ſibi adminiſtratas putantes, firmiter illis adhęrent, & vt veras, inuariabiles, & infallibiles amplexantur. Vnde conſequendę ſanitatis deſiderio ducti ſic à parentibus, & amicis perſuaſi ad Exorciſtam accedunt, qui nedum per indicia probabilia; ſed per certa, & euidentia infirmitatem à dæmone cauſatam eſſe agnoſcens, hanc illis veritatem ſuadere conatur. Verùm licèt Exorciſtę ſuaſionibus, qui ſpeculatiuè, & practicè per euidentia ſigna eis veritatem oſtendit, aſſentire videantur; nihilominus vix operari, aut loqui Exorciſta deſiſtit, quòd iterum dęmoniacis ſuggeſtionibus credunt: quas rationes euidentes eſſe ex ſui ſubtiliſſimi, ac firmiſſimi cerebri promptuario deſumptas exiſtimantes, illas ſequuntur; iudicantque non exorciſtico miniſterio, ſed medicorum pharmacis ſanitatem eſſe obtinendam. 976

Energumeni dura ceruicis difficillimè liberantur

Ratio difficultatis

§. VI.

QVare omnes prędicti obſeſſi difficillimè liberantur, vel quia liberatio eis non profutura, ſed obfutura potiùs eſſet: vel ob firmæ fidei, ac perfectę confidentię in Deum: nec non ob deteſtationis dęmonis, ipſiuſque peruerſarum ſuggeſtionum defectum, quę ab huiuſmodi fiducia mentem auertunt. 977

Repetitio breuis cauſa prædictarum difficultatum.

Primi quidem generis obſeſſi non facilè liberantur; quia repentina eorum liberatio non eis ſalutaris (vt diximus) ſed noxia eſſet: vel etiam quia, cum ex longo peccandi habitu eos eorum cor reprehendat, difficillimè poſſunt firmę fidei, ac perfectę confidentię in Deum actus elicere; ac pari modo nec dęmonem, eiuſque ſuggeſtiones deteſtari, cui diù libenter pro commiſſa peccata inſeruierunt, ac per voluntarium conſenſum conniuerunt.

Peccatores magni.

Secūdi generis obſeſſi difficillimè etiā fidei actus elicere poſſunt: quia mens eorum ex coniunctione cum appetitu ſenſitiuo ex continuis carnis ſpurcitijs nimis valde eſt obſcurata, & maculata, ideò cùm ſenſui, ac carni ſit ſubiecta, ex totis pręcordijs ad Deum difficillimè poteſt eleuari. Nec dęmonem deteſtari audent, à quo continuè venereis, veluti ab amaſio, ſeu coniuge dilecto delectationibus afficiuntur.

Vexati ab incubis.

Tertii generis obſeſſi non minori detinentur difficultate; quia iſti potiùs oppoſitis confidentiæ à Chriſto requiſitę actibus aſſentiunt ob habitum ex frequentatis actibus genitum, quo ſemper ad oppoſitum tendunt, ad credendum ſcilicet, quòd non niſi poſt longum tempus liberabuntur. Hinc niſi difficillimè deteſtari dęmonem valent, à quo multa futura eis pręnunciantur; quæ cùm poſtea euenire conſpiciant, gaudent, & lętantur.

Obſeſſi ab infantia

Quarti

Perſonæ ſpirituales. Quarti generis ſimiliter difficillimè firmæ fidei actus elicere queunt: quia ne Deus oppoſitum velit, ſuſpicantur, videlicet, vt à dæmone vexentur, vt ſic in virtutum exercitio magis perficiantur. Hi deteſtari dæmonem minimè audent: quia illum, non vt hoſtem, & maleficum, ſed vt amicum & beneficum meditantur, à quo ad maiora chriſtianæ perfectionis incrementa, quaſi tot calcaribus ſibi videtur prouocari.

Energumeni duræ ceruicis. Quinti generis tandem pari modo maxima cum difficultate fidei actus elicere valent: & ſi quandoque aliquos eliciunt, non perſeuerant: quia ægritudinem ſuam remedio ſupernaturali indigere non credunt; ſed potiùs pharmacis naturalibus eſſe tollendam exiſtimant: Nec ad dæmonem contemnendum mouentur; quia illum ibi adeſſe non credunt, nec talem ab eo ægritudinem cauſari opinantur.

§. VII.

978 *Cur accedant ad Exorciſtas.* QVare omnes prædicti Energumeni conſequenter ſanitatis deſiderio laborant, quo ad remedia tam corporalia, quàm ſpiritualia inueſtiganda ducuntur, & aliquam ſpem, vel opinionem potiùs habent, illis medijs optatam obtinendi ſanitatem. Sed quia ſpes, ſeu opinio illa eſt cum formidine de oppoſito, ideſt hæſitatione, ac dubietate plena, ſimiles ſunt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur, vt ait Iacobus Apoſt. *epiſt. ſua canon. cap.* 1. Non ergo æſtiment, quòd accipiant aliquid à Domino: quia Deus illos ſub poteſtate dæmonis derelinquet, diuina non concurrente virtute, dęmon Exorciſtę præceptis obſiſtet, atque reſiſtet. Quod diligentiſſimè ab Exorciſtis eſt obſeruandum: quia omnes obſeſſi, ſiue Energumeni, vel maleficiati ſe fidem habere dicunt; ſed ſæpiùs non eſt fides, ſeu fiducia, de qua loquimur; ſed deſiderium, aut ſpes valde hæſitans, ac dubijs inuoluta.

QVÆSTIO III.

Quomodo huiuſmodi diabolica repugnantia ſit auferenda.

979 *Cautelæ ſeruandæ ab Exorciſta, vt cognoſcat Energumenos debitam habere fiduciam.* DIcendum: cùm Exorciſta poſt communes inſtructiones Energumenis factas, poſt Sacramenta ſæpiùs ab ipſis frequentata, poſt alia huiuſmodi ſpiritualia tam generalia, quàm particularia pharmaca eis exhibita, ſua præcepta ad dæmones expellendos non proficere viderit, ad iterum noua præcepta expulſiua repetenda velox non ſit, licèt ipſi Energumeni ſe fidem habere aſſeuerent; ſed diù illos probet, & obſeruet, an ipſi inſtanter, humiliter, ac ſuppliciter ab Exorciſta, vt dæmones expellat, expoſtulent. Dicat eis illa verba Chriſti, quæ Cæco clamanti Marci 10. *n.* 40. *Ieſu fili Dauid miſerere mei*, dixit: *Quid vis, vt faciam tibi?* vt ex ipſorum reſponſione firmam illorum fidem, ac perfectam confidentiam in Deum agnoſcendi locum deſumat. Similiter attendat, an ipſimet facillimè dæmonem expugnent, ac reprimant, & an ad præceptum à ſe in nomine Ieſu dęmoni factum, confeſtim illos ceſſet moleſtare. Pariter conſideret, an eorum oculos non cogitabundos, ac veluti ad contemplandum eleuatos non ſtare agnoſcat; ſed eos vultu, & aſpectu ſe oſtendere ei, quod ore pronunciant, toto corde, & affectu adhærere; tunc ſignum erit, quòd benè ſunt probati. Poteritque Exorciſta tunc ad pręcepta deuenire expulſiua, quæ *ſequenti articulo* habentur. Sed vt plurimùm hos, non humiliter, non feruidè, non liberè, & abſolutè auxilium petere ab Exorciſta videbis; ſed tepidè, ac ſegniter, potiùs à parentibus, conſanguineis, vel amicis coacti, quàm à propria voluntate ducti: ac de dæmone non ſicut de inimico: ſed veluti de perſona familiari, & amica ſermocinari: Quę omnia ſunt ſigna, eos generoſa fide, ac fiducia in Deum, & eorum, quæ ad ſuam liberationem obtinendam neceſſaria ſunt, carere.

QVÆSTIO IV.

Quænam ſint remedia particularia pro primi generis obſeſſis.

REſpondetur, cùm huiuſmodi obſeſſi ſint inueterati peccatores, Deum ad eorum delicta purganda, ob quæ æternis eſſent deſtinandi ſupplicijs, hos dęmoniacis vexationibus à dæmone torqueri permittere; nihilominus, vt per exorciſticum munus à tali vexatione liberari valeant, eſſe admonendos. 980 *Documenta ab Exorciſta tradẽda obſeſſis peccatoribus.*

Primò, vt ex totis pręcordijs conuertantur ad Deum, vt Deus per Ioelem cap. 2. monet dicens: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu*, vt latè ſupra docui *num.* 864. *& ſequentibus*. Vtiliſſimumque erit, eos ad omnia peccata etiam aliàs confeſſa, ſed grauiora iterum in confeſſione aperienda, ac deteſtanda, adhortari.

Secundò, vt citiùs quàm poterunt, diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciant vindicanti, hos Exorciſta commoneat, vt corpus ſuum ieiunijs, diſciplinis, abſtinentijs, mortificationibuſque caſtigent, (& ſi diuites ſint) eleemoſynis: quia, vt D. Ambroſius docet ad Virginem lapſam cap. 18. *Grandi plagæ alta & prolixa eſt medicina, grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem*. Nam ſi huiuſmodi afflictiuis pęnis diuinæ iuſtitiæ ſatisfecerint, facillimè à Deo ſuam de dęmonis vexatione liberationem obtinebunt: quia Deus, qui iuſtiſſimus eſt, bis in idipſum non iudicat, nec ſupra demerita caſtigationes puniendo infligit.

Tertiò, vt liberatio à dæmone eis profutura ſit, iubeat Exorciſta, vt aliqua exercitia ſpiritualia eligant, quibus toto tempore vitæ ſuæ continuè incumbant: puta orationi, nedum vocali, ſed mentali, Euchariſtiæ ſæpiùs ſumendę, & alijs huiuſmodi; vt ſic peccata cauentes, occaſionem etiam caueant, ob quam à dęmone poſt liberationem iterum poſſideantur.

Quartò tandem, cùm illos perfectè probatos eſſe iuxta regulas generales ſupra poſitas *num.* 926. *& ſequentibus*, nouerit, poterit ad præcepta expulſiua iuxta ordinem poſitum *Articulo ſequenti num.* 990. *& ſeqq.* deuenire.

QVÆSTIO V.

Quæ ſint remedia particularia pro Obſeſſis ſecundi generis.

981 Reſpondetur, vt ab huiuſmodi obſeſſis Exorciſta, diuino fauente Numine, dæmonum repugnantiam auferre valeat, ab eo, quæ ſequuntur, eſſe obſeruanda.

Monita tradēda vexatis ab incubis.

Primò obſeſſam diligenter de principio, & ordine talis paſſionis interroget, vt faciliùs eijciantur: maximè, an fidem negauerit, vel aliquem actum contra eam fecerit: an illos dæmones, nec ne inuocauerit: an aliquod interuenerit pactū: an in forma alicuius amaſij, vel dæmonis forma, puta monſtruoſa, ſe cum illa commiſcuerit. Item de loco, & tempore, & alijs circumſtantijs, vt pluries ſolet euenire.

Secundò admoneat, quòd dæmon in nobis, quæ peccata ſunt, ſine nobis operari non poteſt, ideſt niſi aliquis conſenſus, ſaltem implicitus, & tacitus adſit, ſeu interpretatiuus. Nam ſubiacere, vel ſpiritibus immundis in actibus laſciuiæ ſupponi, ad ſubſtantiam, & ad peccati modum ſpectat; ideò ne dicatur, quòd interius conſenſus negatur, & quòd certè corpus ad tales actus impellitur: quia ſubtiliter decipitur, dum dæmon in virtute primi conſenſus dati habitualiter perſeuerantis, eum non ampliùs retrotrahi poſſe, & corpus eius in ſua eſſe poteſtate, credere facit. Sed hoc eſt falſiſſimum, quia ſemper conſenſus liber exiſtit, & quilibet per liberum arbitrium, mediante Dei auxilio, dęmonis audaciam vincere poteſt, ac totaliter eius impetus exterminare. Sed difficultas tantùm ex habitu prouenit dęmoni ſubiacendi.

Tertiò oſtendatur ei peccati grauitas, ideòque ad contritionem, ad lacrymas, ad firmum propoſitum ab eo, diuino opitulante Numine, recedendi, inducatur: quotidiè peccata ſua, & omnia, quæ ſibi eueniunt, & euenerunt à principio, quo à dæmone comprimi cœpit, confiteatur, ac ſæpiùs ſacratiſſima Euchariſtia reficiatur.

Quartò ſuadeat, vt ex totis præcordijs coram Deo ſæpiſſimè ſe ſuper omnia Deum amare velle, nec tunc, nec vnquam dæmoniacis ſuggeſtionibus, & agitationibus aſſentiri proteſtetur.

§. I.

Orationes recitandæ ab obſeſſis prædictis.

Quintò, vt ſæpiſſimè Ieſu inuocet nomen, ac humiliter, & deuotè ſequentem, aut ſimilem proferat orationem, adhortetur.

Signor mio Gieſù Chriſto, che ſete il mio Redentore, Signore, e Protettore, difendetemi, & aiutatemi contro queſto diauolo maladetto, inmondo, e ſporco; e non permettete, che habbia poteſtà alcuna ſopra il mio corpo.

Deinde oratione, quæ ſequitur, Sancti Spiritus ſuffragia deprecetur.

Vre igne Sancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine, vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus: qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum.

Poſtea Beatiſſimam Virginem Genitricē Dei Mariam inuocet, atque eam in matrem, tutricem, ac protectricem eligat, nec non Angelum cuſtodem ſuum, & alios Sanctos ſuos deuotos ſibi poſtulet ſuffragari.

Sextò, moneat illam, vt numquam, quoad fieri poteſt, maneat ſola die, vel nocte: nec ſe ad ſolitaria loca recipiat; ſed ſecum aliquam mulierem (ſi perſona vexata ſit mulier) deuotam, humilem, ac Deum timentem habeat, cui, quotieſcumque à dæmone moleſtatur, ſtatim ſuam manifeſtet vexationem; quæ ſtatim ambo genuflexæ deuotè ſanctiſſimum nomen Ieſu inuocent modo ſupradicto. Deinde ambo dęmonem deteſtentur, ac in Ieſu nomine ei præcipiant, vt recedat, nec illam audeat ſiue in anima, ſiue in corpore moleſtare. Et hoc maximè eſt obſeruandum. Poterunt autem ſequenti formula vti.

Atto di deteſtatione contro il diauolo incubo, ò ſuccubo.

Io N. benche viliſſima creatura, indegna di nominare il nome Santiſs. di Gieſù Chriſto, pure confidata nella ſua gran bontà, e miſericordia, per l'auttorità conceſſami da Gieſù Chriſto nella fede poſta nel nome di Gieſù Chriſto vengo contro di te ſpirito maladetto, ribelle del mio, e tuo Dio, apoſtata del mio, e tuo Creatore, incubo puzzolēte, aſmodeo immondo, che per mezzo dell'immōditie carnali procuri di tirare le creature in precipitio: & in virtù del ſantiſſimo nome di Gieſù ti comādo, che ſubito ti parti, & allōtani dal mio corpo, dal mio cuore, dalla mia fantaſia, e da tutte le potenze mie interne, & eſterne, e per l'auuenire non habbi più poteſtà ſopra il mio corpo, ne ſopra i miei ſentimenti: perche io ſon poſta ſotto la protettione del ſantiſſimo nome di GIESV.

Mulier, quæ manet ad cuſtodiam, verba dirigat non ſuper ſeipſam; ſed ſuper perſonam à dęmone vexatam.

§. II.

Exercitia adimplenda à vexatis ab incubis.

Septimò, vt in pœnalibus operibus, ſcilicet ieiunijs, diſciplinis, ac mortificationibus exerceatur, vt ſupra declaratum eſt *num. 880. & ſequentibus*, nec non aſſiduè orationi incumbat: vt latè ſupra docuimus à *num. 756. incluſiuè, vſque ad n. 863. excluſiuè*, admoneat.

Octauò, vt excludat omnem dęmonis timorem, minas, atque blandimenta contemnat, nec vllo modo mente eius ſuaſionibus attendat; ſed cùm aliquid ſuggerit, ſtatim ad Ieſum eleuet mentem, ac quandiù tentationis impulſus durauerit, ſequentia repetat verba.

Sia laudato, e glorificato in Santiſſimo Nome di Gieſù.

Nonò, vt dæmonem contemnat, ac vilipendat, illumque multis opprobrijs, ac conuitijs indignabunda afficiat, ac ſe dęmoniorum ſociam fieri nolle proteſtetur. 1. Cor. c. 10.

Decimò, vt aliquas ſecum Sanctorum reliquias deferat, Agnus Dei, aliaſque res benedictas; imò laudabile erit, ſi etiam Exorciſta eius veſtes benedicat; ſed ſuper omnia ſæpiùs actus fidei, ac confidentiæ in Deum eliciat; hoc enim eſt maximum omnium remediorum.

Vndecimò cùm perſona vexata plenum ſuper dæmonem dominium acquiſiuerit, ita vt ad Crucis ſignum ab ipſa formatum, & ad Sanctiſſimi Ieſu Nominis inuocationem illicò dæmon aufugiat; & Exorciſta eam in fide, ac fiducia iam perfectè

probatam eſſe cognouerit, ad præcepta expulſiua, de quibus *ſequenti articulo agitur*, poterit deuenire.

Benedictio pro Vexatis ab incubis.

Deinde eius cubiculum, vbi pluries talis carnalis commixtio contingebat, ſacris munire benedictionibus, ac dæmoni in nomine Ieſu præcipere, ne ad talem locum ampliùs accedere præſumat. Poſtea creaturam benedictione ſequenti benedicat.

Dominus Ieſus Chriſtus ✠ apud te ſit, vt ab hoſte immundo te defendat: intra te ✠ ſit, vt à ſpurcitijs carnalibus te conſeruet: ante te ✠ ſit, vt in via mandatorum Dei te perducat: poſt te ✠ ſit, vt ab incubo ſpiritu te cuſtodiat, ita vt ampliùs ad te accedere nequeat: ſuper te ✠ ſit, vt te benedicat, qui cum Patre, & Spiritu Sancto in vnitate perfecta viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Duodecimò tandem, cùm Exorciſta eam à dęmone totaliter liberam eſſe cognouerit, moneat, vt de accepto beneficio Deo quotidie gratias referat: ſępiùs fidei actus, ac confidentiæ in Deum eliciat, ſe impoſterum, diuino fauente auxilio, mundam, & à quacunque dæmoniaca vexatione illæſam fore, ac præſeruandam.

QVÆSTIO VI.

Quænam ſint remedia particularia pro Obſeſſis tertij generis.

Documẽta ſeruãda ab obſeſſis ab infantia

982 RESpondetur, vt ab Obſeſſis tertij generis (adultis videlicet, & qui ab infantia à dęmone fuere poſſeſſi) obex, quo impediuntur, ne à dæmoniaca tyrannide ſubtrahantur, auferatur, vtiliſſimum fore ſequentia ſeruare documenta.

Primò, cùm iſti Energumeni ob longum habitum ex frequentatis actibus aſſentiendi dæmoniacis ſuggeſtionibus elicitum ad minimum diaboli nutum trahantur, ac conſequenter ad diffidendum de diuina protectione excitentur, ita vt ſe liberali eius concurſu à dæmoniacis vexationibus eripiendos fore non credant; etiam per habitum illi contrarium ſunt ſubleuandi; qui quidem confidendi in Deum habitus ex frequentatis actibus coaleſcat, neceſſe eſt. Vnde præter ea, quæ ſupra habentur in inſtructione communi *à n.921. vſque ad n.925.* de quibus diligentiſſimè ſunt inſtruendi, ſæpiùs etiam ſunt admonendi, vt in Deum orando, & ſuppliciter eius diuinam opem implorando ad dæmoni reſiſtendum perſeuerent, vt veram, certam, & inhęſitantem ſibi fidem, ac confidentiam, qua mediante ſuam liberationem obtinere valeant, communicare dignetur. Nam, *licèt Deus præſtare poſſit*, ait Chriſoſtomus homil.30. in Geneſim *priùs, quàm petamus verùm per hoc differt, & expectat, vt occaſionem accipiat, qua iuſtè nos ſua cura dignos faciat.* Propterea Exorciſta ad manum habeat doctrinam de perſeuerantia in orando ſupra poſitam *à num.812. vſque ad num.818.* vt per illam vexati, & corde, & animo ad diuinæ bonitati credendum, ac in eius protectione fidendum roborentur.

§. I.

SEcundò Vexatum moneat Exorciſta, ne dæmoni aliquid ſuggerenti attentas præbeat aures, nec cum eo contendat; ſed ex tali ſuggeſtione, tanquam ex ſtimulo ad Deum laudandum, ac ſanctum nomen eius glorificandum excitetur; idcircò toties, quoties tentatorem præſentem apprehenderit, ſequentibus verbis illum fugare conetur.

Sia ſempre laudato, & da tutti glorificato il ſantiſſimo nome di Gieſù.

Sæpiſſimè verò, cùm opportunum aderit tempus, ante Crucifixi imaginem ad Ieſum deuotè conuerſus, ac genuflexus ſequentem, vel aliam ſimilem in ſua materna lingua recitet orationem.

Oratione da recitarſi dal li obſeſſi di longo tempo.

Voi, Signor mio Gieſù Chriſto, ſete il mio Redentore, Conſeruatore, e Protettore, il mio refugio, il mio conforto, la virtù, e fortezza dell'anima mia: in voi hò poſto tutta la mia confidenza: defendetemi dunque contro queſto maligno ſpirito, reprimete la ſua tirannia, e non permettete, che habbia poteſtà di mouermi tanto efficacemente la fantaſia, & imaginatiua con le ſue falſe, e vane rappreſentationi: mà datemi aiuto, acciò fortemente poſſa reſiſtere alle ſue maligne perſuaſioni, e tenere il mio cuore, e la mia mente à voi vnita, acciò finalmente per la grandezza della voſtra bontà, e miſericordia io reſti totalmente libero dalla tirannia di così crudel nemico, e poſſa via ſempre lodare, e glorificare il voſtro ſantiſſimo Nome.

Deinde immediatè poſt prædictos confidentiæ actus, ſequentem deteſtationis actum contra dęmonem animo virili, ſed irato, & indignabundo vultu eliciat, dicens:

Atto di deteſtatione cõtro il demonio.

E tù diauolo maladetto, ſeduttore delle menti diuote, apoſtata del mio, e tuo Dio, ribelle del mio, e tuo Creatore, partiti da me ſenza dimora alcuna, che così ti comando nel nome di Gieſù Chriſto.

Interim frontem, os, guttur, pectus, cor, aures, & partem à dæmone vexatam crucis ✠ ſigno muniat, illud ſæpiùs pollice efformando.

Obſeſſus in duobus prædictis actibus, nempe confidentiæ in Deum, ac deteſtationis dæmonis ſe ſæpiſſimè exerceat, ſicque breui tempore pro ſua liberatione erit diſpoſitus.

Tandem Exorciſta, cùm ipſum obſeſſum non ab alijs perſuaſum, ſed ſpontè, humiliter, ac ſuppliciter ab eo petere viderit, vt dæmonem expellat, ſi ex ipſius verbis illum perfectè eſſe diſpoſitum, ac benè probatum agnouerit, iuxta communes regulas ſuperiùs poſitas *num.925. & ſeq.* ad præcepta expulſiua deuenire poterit, iuxta doctrinam articulo ſequenti tradendam.

QVÆSTIO VII.

Quænam ſint remedia particularia pro Obſeſſis quarti generis.

RESpondetur, cùm huiuſmodi perſonæ energumenæ ſpirituales ſint, & exercitijs ſpiritualibus ſemper intentę, non opus eſſe, illas admonere, vt peccatorum ſuorum contritionis actus eliciant, Sacramenta frequentent, ieiunio, & orationi vacent, diſciplinis, ac mortificationibus corpus ſuum caſtigent: quia his omnibus iugiter, ac ſedulò incumbunt; ſed circa ea, quæ ſequuntur, Exorciſta, vel Parochus eas diligenter inſtruere valebit. 983

De quib. inſtruendæ ſint perſonæ ſpirituales obſeſſæ, vt à dæmone liberentur

Primò circa Dei voluntatem, videlicet, quamuis multa

multa mala Deus euenire permittat, quatenus illa non impedit, vt latè proſecuti ſumus *à num.583. & ſequentibus:* attamen cum mala aliquo modo in ſe peccatum includant, vel ad illud inducant, puta ad Dei, vel proximi offenſam: vel homines à bono reuocent, vel maius bonum impediant, ver. gr. virtutum exercitia, & charitatis opera, Deus illa non vult, nec approbat. Ideò efficaciter illis Exorciſta ſuadeat, vt firmiter credant, quæ poſita ſunt credenda in inſtructione communi *à numer. 921. vſque ad nu.925.* videlicet Deum eas à dæmoniaca poſſeſſione liberare velle, ſi talis liberatio eis ſit ſalutaris; ac pro ſua infinita bonitate, ac fidelitate ipſis huiuſmodi beneficium collaturum: quia promiſit, quòd omnes in ſe credentes dæmones forent eiecturi. Si autem ab alijs, eò magis à ſeipſis. Et ipſemet Chriſtus quotquot obſeſſos, aut maleficiatos inuenit, à dæmone liberauit: vt teſtatur Petrus Actuum c.10. dicens: *Qui pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Et ſubdit: *Et nos teſtes ſumus.* Si ergo omnes ſanabat, ſignum eſt, quòd voluntas eius eſt illos liberandi. Quare à ſe omnem dubietatem repellere debent, ac totam ſuam fiduciam in Dei bonitate, ac fidelitate collocare.

§. I.

Quæ ab Exorciſta huiuſmodi obſeſſis ſint proponenda.

SEcundò, vt Exorciſta liberationem à dæmone ipſis futuram eſſe animæ ſalutarem eis perſuadere queat, eis ob oculos ponere debet. Primò bona, quæ dæmon impedit in obſeſſis, ver. gr. ne ſua confiteantur peccata; vel ſaltem maxima cum difficultate: ne alias doceant perſonas res ad ſalutem neceſſarias: ne Euchariſtiæ frequentent Sacramentum; ne opera miſericordiæ, & alia huiuſmodi bona exerceant, quæ, niſi à dæmone eſſent impediti, executioni mandarent. Secundò mala, ad quæ dæmon eos inducit, nempe ad Deum blaſphemandum, proximum infamandum, eius occulta peccata patefacienda, ad ſeipſos ſaxis collidendum, igne adurendum, aquis præfocandum, ab alto præcipitandum, laqueo ſuſpendendum, & alia id generis mala, ad quæ ſæpiùs Energumenos à dæmone induci experientia comprobatur. Tertiò damna, ac perturbationes, quæ non tantùm perſonis parentum, conſanguineorum, ac domeſticorum inferre ſolet; ſed in rebus etiam eorum, ac bonis fortunæ: vt rumores, tumultus, ſtrepitus commouere: odia, inuidiam, ac zelotipiam excitare: rixas, atque diſcordias diſſeminare; ſuppellectilem diſſipare, vinum fundere, omnia in perditionem emittere, aliaque innumera mala, quæ, vt ad malum culpæ ſunt inducentia, non dicenda ſunt eſſe à Deo iubente, ac volente, ſed tantùm permittente, vt ex illis magis, ac magis obſeſſi, eiuſque parentes, ac domeſtici ad Deum pro liberatione obſeſſi humiliter exorandum, eiuſque diuinum auxilium implorandum excitentur.

§. II.

TErtiò admonere debet, non eſſe ſecundùm regulas prudentiæ, hoc, vel illud grauiſſimum malum pœnæ ſecundùm propriam voluntatem ſibi eligere velle, vt in virtutis, ac perfectionis paleſtra ſe exerceat; & eò magis à Deo petere, vt in corpus ſuum diabolum immittat, cùm per voluntatem ſigni conſtet, Deum oppoſita confirmare. Ideò melius eſſe conſilium ſemper à Sapiente perquirere, vt docet Tobias *cap.4.* Nam varia ſunt media, quibus homo in perfectionis ſchola progredi poteſt; *Non enim*, ait Paulus Sherlogus in Cantic. Antiloq. 12. n.18. *vnica eſt via, qua itur ad Olympum. Hei mihi*, ait S.Io.Chriſoſtomus homil.61. ad Populum Antiochenum, *quot ad ſalutem nobis viæ!* Illa media ex ſpiritualis, docti, & pij Patris conſilio elicere debet, quibus in perfectionis via liberè, & ſine impedimento proficere poſsit.

Quartò; iubeat Exorciſta, vt perſona obſeſſa genuflexa ante Crucifixi imaginem fidei actum, iuxta ſequentem, vel aliam ſimilem formulam, eliciat.

Oratione da farſi à Dio dalle perſone ſpirituali impoſſeſſate dal demonio.

SIgnor mio Gieſù Chriſto Redentor mio, refugio, e conforto dell'anima mia, ecco me viliſſima creatura ſerua voſtra indegniſſima, conoſco, che à tanti beneficij riceuuti, e che di continuo riceuo dalla Maeſtà voſtra, non hò mai corriſpoſto, ne corriſpondo, conforme il mio debito: però hora non potendo in altro modo corriſpondere, v'offero queſt' anima mia, e queſto mio corpo, tutti i miei penſieri, parole, & operationi, proteſtandomi, che tutto quello, che per l'auuenire farò, dirò, e penſarò, di volerlo fare, dire, e penſare ſolo per dar guſto à voi, e fare in tutto, e per tutto la voſtra diuina volontà, con prontezza di patire qualſiuoglia pena, e tormento, che piacerà alla Maeſtà voſtra, ch'io patiſca; sì che anco adeſſo, ſe io ſapeſſi di certo, che foſſe la volontà voſtra, ch'io foſſi dal demonio poſſeduta, e tormentata ſino al fine di mia vita, molto volontieri m'offero à patire queſto, e qualſiuoglia altro tormento, che piacerà alla Maeſtà voſtra di mandarmi. Mà perche non mi conſta eſſere il voſtro diuin volere, che ſia dal demonio voſtro inimico impoſſeſſata; mà più toſto, che la voſtra diuina volontà è di far bene à tutti, & in particolare di liberar dal demonio tutti quelli, che à voi ricorrono, credono, e confidano nella virtù, & efficacia del voſtro ſantiſſimo Nome: sì come l'hauete dimoſtrata, mentre, eſſendo in queſto mondo veſtito di carne mortale, hauete liberato dal demonio tutti quelli, che à voi ſono ricorſi. Et affinche giamai mancaſſe l'aiuto voſtro, hauete laſciato la poteſtà di ſcacciar'i demonij non ſolo alli voſtri diſcepoli, e ſuoi ſucceſſori; mà tutti i fedeli Chriſtiani ancora, che'n voi haueſſero creduto, e confidato; nel che è chiaro, che la voſtra diuina volontà è di liberare dal demonio tutti quelli, che à voi ricorrono, & in voi confidano, quando tal liberatione li è ſalutare. Pertanto hora io credo fermamente, che per la grandezza della voſtra bontà, e miſericordia ſete pronto, e preparato à liberarmi da queſto maladetto demonio, mentre queſta liberatione mi ſia gioueuole. Affinche dunque queſta liberatione ſia conforme il voſtro diuin volere, vi prego, e ſupplico per l'infinita voſtra clemenza, e liberalità, per la verità della voſtra parola, e fedeltà nel ſeruare le pro- 984 *Oratio deprecatiua.*

meſſe voſtre vogliate liberarmi da queſto maledetto demonio nemico voſtro, & inſieme concedermi gratia efficace, affinche queſta liberatione ſia ſalutare all'anima mia, acciò con maggior libertà di ſpirito poſſa ſeruirui, e con maggior feruore attendere à frequentare i Santiſſimi Sacramenti, impiegarmi nell' opere di miſericordia e ſpirituali, e corporali, & eccitare non ſolo me ſteſſa, mà gli altri ancora à maggiormente lodare, e glorificare il voſtro ſantiſſimo nome. In voi dunque hò poſto tutta la mia confidenza, e credo per certo, per la grandezza della voſtra pietà, e miſericordia, e fedeltà delle voſtre promeſſe, non ſolo di reſtar totalmente libera dal demonio, mà di ottenere ancora dalla voſtra liberalità vn'aiuto efficace, acciò coteſta liberatione all'anima mia ſia gioueuole, e ſalutare, e con maggior libertà di ſpirito via maggiormente ſij per attendere à lodare, e glorificare la grandezza della voſtra bontà, e miſericordia.

Breuiter autem ſæpiùs liberationem ſequenti formula poterit poſtulare.

Atto breuiſſimo di confidenza in Dio.

985 SIgnor mio Gieſù Chriſto, in voi hò poſto tutta la mia confidenza; perche voi ſete il mio protettore, e difenſore; però liberatemi voi da queſto maledetto demonio per honor, e gloria del voſtro ſantiſſimo Nome.

Atto di deteſtatione da fare contro il demonio.

Actus deteſtationis in dæmonem. E Tù maledetto diauolo nemico di Dio, rebelle del mio, e tuo Creatore, apoſtata del mio, e tuo Signore, perturbatore della pace, che ad altro non attendi, che à far male, indurre al peccato, & impedire le buone operationi, con che ardire preſumerai tù di ſtar più in queſto mio corpo adeſſo; ch'io credo, e confido nel mio Signor Gieſù Chriſto, che mi vuol liberare dalla tua tirannia; e che mi ſon eletta per l'auuenire di eſſercitarmi in quei patimenti, & altre opere ſpirituali, che dal mio Padre ſpirituale mi ſaranno impoſte? Per tanto per l'autorità conceſſami da Chriſto nella Fede, ti comando nel nome di Gieſù, che ti parti da me, e non habbi più poteſtà di moleſtarmi.

Iubeat Exorciſta, vt ſæpiùs etiam breuiùs prædictos confidentiæ, ac deteſtationis actus repetat; & cùm eam iam perfectè probatam eſſe crediderit, iuxta probationes ſupra poſitas *num. 925. & ſequētibus*, poterit ad precepta expulſiua, iuxta regulas poſitas *ſequenti Articulo* deuenire.

QVÆSTIO VIII.

Quænam ſint remedia pro Obſeſſis quinti generis.

CVm iſtis obſeſſis Exorciſta inſtructiones, & cōmunes probationes pro Vexato præparando, 986
de quibus ſupra *toto capite præcedenti*, adhibere valebit. Præcipuè tamen per ſigna certa, & euidentia coram perſonis ſapientibus, ac prudentibus oſtendere ſtudebit perſonæ obſeſſæ, aut maleficiatæ, illam ægritudinem non eſſe à cauſa naturali; ſed à dæmone prouenire, quod per præcepta probatiua, & inſtructiua dæmoni impoſita, nedum per ſeipſum, ſed etiam per ipſammet perſonam obſeſſam præſtabit: de quibus ſupra *n. 938. & ſeq.* Cogitationes verò, quæ illi, infirmitatem naturalem eſſe ſuadent, moneat, non ab intellectu, ac ratione recta prouenire, ſed ab imaginatiua, ſeu phantaſia, cui à dæmone ſuggeruntur, quas repellere debet, ac credere Exorciſtæ. Si verò adhuc non crediderit, talem perſonam dimittat, & à quacumque functione deſiſtat, vt ſupra docui *num. 925. v. quòd ſi naturalem*. Seorſum tamen conſanguineos, vel domeſticos admonere poterit, vt ipſi perſonæ vexatæ ſuadeant, vexationem ſuam non à naturali cauſa, ſed à dæmone exoriri. Et poſtea, cùm illam perfectè diſpoſitam eſſe iuxta inſtructiones, & probationes communes viderit, ad expulſiua præcepta, de quibus *in ſequenti articulo*, poterit deuenire.

De quib. inſtruēdi ſint Obſeſſi duræ ceruicis.

ARTICVLVS V.

De Dæmone Fugiente, ſeù Exeunte.

DVobus modis dæmones è corpore, quod poſſident, exire, nos in dies experientia rerum 987
magiſtra demonſtrat. Vno modo præſentialiter tantùm, ſed non poteſtatiuè. Alio modo præſentialiter, & poteſtatiuè. Primo modo dæmones in corpore aliquo exiſtentes ab eo exire dicuntur, cùm per aliquod tempus, puta per diem, vel horam illud totaliter torquere ceſſant, & vltrò ſe aliò tráſferentes illud deſerunt, ſed poſtea, Deo ſic permittente, ad idem redeunt: quia adhuc in illud intrandi, atque vexandi poteſtatem retinent: ita etiam docent Petrus Thyreus *lib. de dæmoniacis cap. 8.* & Sanchez *lib. 2. in præcepta Decal. cap. 42. num. 7.* Et exemplo à Cæſario ab Alexandro Calamato relato *in praxi benè moriendi* comprobatur. Alio modo dæmones è corpore, quod poſſident, præſentialiter, & poteſtatiuè exire dicuntur, cùm à diuina virtute ab eo exire compelluntur, eiſque omnis poteſtas illud diuexandi totaliter aufertur. Et de hoc exitu impræſentiarum loquimur, in quo certum eſt, quòd dæmones propter ſuam inuidiam, ſuperbiam, crudelitatem, odium, iram, & iniquitatem, omne malum, quod poſſunt, Vexato inferre vellent; ſed ſi Vexatus erit benè inſtructus, & Exorciſta prudens fuerit, dæmones ſine minima ipſius Vexati, & aliorum quorumcumque læſione exire compellentur.

Dæmones in aliquibus obſeſſis nō ſēper præſētes manent; ſed ad tēpus eos deſerunt, & poſtea redeunt.

Vnde antiquis Exorciſtis viſum fuit, dæmones exire

Antiqui exorciſtæ multa credebâteſſe neceſſariò ſeruāda in expulſione dæmonis, Quæ à nobis ſunt reprobata.

exire non poſſe, vel eijciendos non eſſe, niſi priùs ex maleficiati corpore maleficia expellerentur, ac deſtruerentur, quæ alibi eſſent abſcondita, & niſi ſuperiores dæmones eijcerent inferiores, & alia id generis, quorum primum non neceſſarium eſſe, ſupra oſtendimus *num.576. & 686.* Secundum verò vt vanum reprobauimus ſupra *num.676. & n.690. & ſequentibus.* Hac de cauſa præfati Exorciſtæ, dæmones in exitu, tanquam compulſos, dirè ſemper corpora vexare credebant; & quamuis precepta grauiſſima adhiberentur, non tamen adhuc à vexatione abſtinere; & ideò Vexati communiter voces terribiles, ac mugitus emittere, dolores acerbiſſimos ſuſtinere, membra propria dilaniare, incompoſitè ſaltare, ora latiſſimè aperire, oculos quaſi extra caput educere videbantur, qui ſi à pluribus non ſuſtinerentur, terribiliora paterentur.

§. I.

988 *Poſſunt dæmones ab obſeſſo exire ſine vlla ipſius læſione.*

AT nunc, Deo dante, dæmones è corpore Energumeni ſine vlla ipſius torſione, & vexatione exire videmus, & experimur, quando ipſe ſecundùm regulas præpoſitas *capite præcedenti* eſt benè inſtructus, ac perfectè probatus; & Exorciſta ſecundùm eaſdem, & alias *in hac diſputat.* aſſignatas ad dęmones præcepta dirigit expulſiua.

Nec his repugnat, quòd vexatio ex maleficijs, vel ex timore fuerit; vel ſi vnus, vel plures dæmones, aut etiam legiones fuerint; & quicquid priùs in corpore fuerint operati: quia dæmones omnes exient, & omnia maleficia ſine vllo corporis dolore, ac perturbatione diſſoluentur.

Quod facilè ex lenitiuis, & inſtructiuis præceptis poterit argumentari. Si enim per præcepta lenitiua, & inſtructiua facta, vt ſupra docuimus, dęmon ad talem obedientiam reducitur, quòd omnibus præceptis indifferenter obediat, cur non etiā præceptis obediet, quæ ad illius expulſionem fiunt, vt ſcilicet nullam Vexato in exitu læſionem inferat? Imò ſi dæmones inſenſibiliter in corpus ingredi poſſunt, & in eo inſenſibiliter manere, poterunt etiam inſenſibiliter exire.

Si autem inſtetur, quòd contrarium experientia docet: Reſpondetur hoc prouenire, quia non eſt benè inſtructus Energumenus, & non eſt cautus Exorciſta in dæmonem eijciendo, quando ad obedientiam totaliter eſt reductus.

§. II.

989 *Obiectio. Solutio.*

SI verò obijciatur, quòd etiam ad Chriſti pręceptum, dum aliquando dæmones expelleret, Energumenus quidam Marci 9. volutabatur ſpumans, cruciabatur valdè, & factus eſt velut mortuus. Reſpondetur, hoc permiſiſſe Chriſtum, non quòd diabolus ſine vlla obſeſſi vexatione exire non poſſet; ſed vt aſtantes dæmonis crudelitatem viderent, qui de corpore exire noluiſſet, ſi potuiſſet, & propter alia myſteria: Ita Toſtat. q.123. in c.8. Matth ad 3. Ideò Chriſtus præceptum non addidit de nulla læſione facienda Aliis autem vicibus Chriſtus dæmonia ſine vllo Energumeni dolore eiecit; Lucæ 4.35. *Obmuteſce*, dicebat, *& exi ab eo. Et cùm proieciſſet illum dæmonium in medium: exijt ab illo, nihilque illum nocuit.* Sic Diſcipuli Chriſti eodem modo dæmonia eiiciebant.

Nec opus eſt, dæmoni pręcipere, vt ſui exitus det ſignum, puta lampadem ardentem, ſeu candelam accenſam extinguendo, vel vitrum frangendo, vel ſimilia: quia multoties, vt à fide dignis audiui, dæmon talia dedit ſigna; imo anno 1649. cum quidam Exorciſta tale ſignum quæſiuiſſet dæmon nedum lampadis lumen extinxit, ſed & ipſam, licèt argentea eſſet, confregit, nec tamen è corpore eſt egreſſus.

Superfluum eſt, dæmoni præcipere vt in exitu det ſignum.

Certum ergo dæmonii exitus erit ſignum, cùm perſona priùs obſeſſa, aut maleficiata poſt vltimum expulſiuum præceptum ſe veluti à quodam pondere exoneratam, à quodam ligamine ſolutam, & à quocumque dolore, & grauamine ſubleuatam, ac cor ſuum ob liberationem hilaritate, ac iucunditate repletum habere, experietur. Dæmoni tamen Energumenorum linguam poſſidenti ad maiorem pænam, & confuſionem præcipere poſſet Exorciſta, vt in exitu ter clamaret, non inuocando, vel deprecando, ſed quaſi deterritus pertimeſcendo nomen Ieſu, ſic: *Ieſu tu me eÿcis: Ieſu tu me eÿcis: Ieſu tu me eÿcis*: vel idiomate vulgari dicendo: *Gieſù tu mi ſcacci: Gieſù tu mi ſcacci: Gieſù tu mi ſcacci.* Hoc tamen non eſt neceſſarium.

QVÆSTIO I.

Quomodo ſe debeat habere Exorciſta erga Energumenum in actu liberationis.

RESpondetur Exorciſtam, cùm ad vltimum actum peruenerit, nempe ad dęmonem ab Energumeno expellendum, ipſumque obſeſſum benè inſtructum, ac perfectè probatum iuxta doctrinam traditam *capite antecedenti* viderit, præſentibus Vexati conſanguineis, vel domeſticis, alijſque perſonis ſpiritualibus, debere illi à Deo accepta beneficia in memoriam recitare; inſidias nempe dæmonis iam patefactas, ſicut & modos, quibus ipſe decipiebatur: eum didiciſſe remedium, quo dæmon eſt expellendus, nempe fidem, & confidentiam certam in Sanctiſſimo Ieſu nomine; ac præceptum ab Exorciſta, tanquam ipſius Dei, & Eccleſiæ miniſtro faciendum; iam dæmoni à Deo omnem poteſtatem ſuper eum eſſe ablatam: Deumque ad eius peccata non reſpecturum; Nam expulſio fiet virtute diuina ob diuinæ miſericordiæ magnitudinem, ob Dei fidelitatem, & ob Sanctiſſimi Nomi Ieſu honorem. 990

Documenta tradēda ab Exorciſta in actu liberationis.

Præterea Exorciſta Energumenum diligenter inſtruat, ne diabolicis tentationibus vnquam aſſentiatur; imò quòd neque attendat. Videns enim malignus ille ſpiritus, quòd nihil ampliùs contra Energumenum poteſt, deſtructa totaliter ſua poteſtate, ad tentationes, inſidias, ſuggeſtiones, ac deceptiones confugit, vt ſaltem per illas aliquid poſſit, puta Energumenum ad diffidentiam inducere de concurſu diuini auxilij; Ideò Energumenus cautus ſit, vt fide firma, ac confidentia certa dæmonibus reſiſtat, omnibus illis inſultet, eos ſpernat, ac contemnat, & in Deum ſemper omnem ſpem ſuam collocet, omnibuſque diligenter attendat, quæ ſibi ab Exorciſta proponuntur.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quænam ſint ſuggeſtiones ſpeciales, quibus dæmon Energumenum inuadere ſolet tẽpore liberationis.

991 Reſpondetur varias eſſe tentationes, quas Energumenus patitur durante inſtructione, & probatione; ſed in actu liberationis, & immediatè poſt liberationem ſunt innumeræ, & ſubtiliſſimæ, inter quas ſequentes ſunt ſpeciales, quibus ad ſolita remedia eſt recurrendum.

Varia dæmonis tẽtationes.

Prima tentatio eſt, de non futuro dæmonis diſceſſu, & illius inobedientia pertinaci; & quòd potiùs dæmon omnia pænarum genera eliget, quàm è poſſeſſo corpore exire.

2. Quòd finget quidem exire, ſed non terminabit exitum, prout præcedentes obedientias finxit, nec terminabit: quia diabolus callidus eſt, & mendax; idcircò in aliquo decipiet, & in corpore remanebit.

3. Quòd Energumenus non eſt ſufficienter ad liberationem diſpoſitus: quia eſt aliquod peccatum occultum, propter quod liberari non poteſt.

4. Quòd Exorciſta plenam auctoritatem non habet; quia non eſt benè diſpoſitus; eò quòd conſuetis exorciſmis non vtatur, nec dæmonem de omnibus ad liberationem neceſſarijs interrogauit.

5. Quòd non eſt voluntas Dei, vt modò exeat: quia ipſe Energumenus hâc tribulationem meretur, cui melius eſt non liberari: eò quòd iſta eſt crux ſibi data à Deo (vt dicunt etiam quidam ſpirituales ignari) ideòque illam reſpuere non debere.

6. Quòd poſt factum clarè videbitur, quòd creatura liberata non erit: nam ijdem, qui priùs, effectus videbuntur: & quòd etiam dictum fuit, & credidit eſſe liberatam, & tamen non fuit: ſic erit, & modò.

7. Quòd non datur aliqua virtus, quæ dæmones expellere valeat: quia dæmones poſſidentes fortes ſunt, obſtinati, & maligni.

8. Quòd exiet verè, ſed modò non eſt tempus opportunum: exiet autem alia occaſione, alio tempore, alio loco, per alium miniſtrum: quòd adhuc requiruntur hæc, & illa.

9. Quòd nullus Energumenorum à ſpiritibus verè liberatur; ſemper enim aliquid mali ſentiunt, ita vt ab eis dæmones non ſint egreſſi: vel ſtatim ad idem ſint reuerſi.

10. Quòd priùs maleficia inuenire, & illa deſtruere oportet: quòd per vomitum, vel alio modo expelli debent: quòd ſunt fortiſſima, & inſolubilia: quòd maleficus eſt viuus, & illa recenter ordietur: vel quòd iam ſunt renouata: quòd priùs tales maleficos caſtigare oportet, &c.

11. Quòd exibit, & quòd non exire non poteſt; ſed ſtatim, & poſt modicum ad priſtinam habitationem reuertetur: quòd tantùm inſidiabitur, donec, quod perdidit, acquirat: quòd inſenſibiliter ingredietur.

12. Quòd in exitu ſe in aliquo corporis latibulo, poſt datum ſignum, abſcondet: quòd quieſcet, donec ibi fuerit Exorciſta; ſed in veſtimentis, in capillis, &c. remanebit.

13. Blanditijs Energumenum hortatur intrinſecè vt illum in corpore relinquat; quia ſe deinceps nullum malum, ſed bona potiùs illaturum promittit.

14. Quòd varios timores immittet: quòd per maleficos hæc, & illa operabitur: quòd ſecum alios dæmones adducet: quòd alios mittet, &c.

15. Quòd ſi exire cogatur, infinita mala facere ſpondet; nam ſe creaturam ſuffocare velle, inteſtina extrahere, os extorquere, oſſa comminuere, & alia multa mala facere minatur.

16. Quòd malum in Exorciſtam, vel obſeſſi parentes, vel aſtantes: vel agros, vineas, prata tentabit, &c.

Alia multa proponet verſipellis dæmon, vt liberationem impediat, Energumenum ad timorem, puſillanimitatem, & ad diffidentiam de concurſu diuini auxilij inducendo. Sed hiſce omnibus Energumenus, vt fortis miles fidei firmæ, ac confidentiæ in Deum ſcuto validiſſimæ reſiſtere debet, & omnium tentationum, ac ſuggeſtionum exercitum pro virili debellare.

§. I.

Qvare Exorciſta, dum prædictas Energumeno ſuggeſtiones proponit, hilari fronte eas contemnere debet, & cuilibet remediũ præſtare; & illis præcipuè, in quibus Vexatus fuerit tentatus obuiare. Propterea hortetur illum, vt manifeſtet quas patitur tentationes: ſi iſtas, vel illas, vel alias, & continuò remedium ex ſuprapoſitis inſtructionibus *capite præcedenti*, deſumendum proponat. 992

Energumenus inſtruẽdus ab Exorciſta ad tentationes repellendas.

Inſuper Exorciſta, expoſitis dictis tentationibus, Vexatum animare debet, & cor eius ad contemnendum illas roborare: quia omnia ſunt mendacia; & quòd diabolus, cùm minimæ poteſtatis ſit, ſubiacere debet Exorciſtæ, & in omnibus, & per omnia obedire; & nullatenus ei aduerſari poteſt in his, quæ ad ſuam expulſionem ſpectant: idcircò Vexatus minas eius non timeat, ac blandimenta repellat.

Vt autem Energumenus viriliter tentationes diabolicas propulſare queat, & à Deo perfectam fiduciam obtinere, qua ſine vlla hæſitatione credat, quòd ad præceptum expulſiuum dæmonis faciendum ab Exorciſta Deus concurret, ac virtute ſua infinita dæmonem expellet, vertet in fugam, deſtruet omnia opera eius, ac perfectam ſibi impertietur ſanitatem, Exorciſta vnà cum omnibus aſtantibus genuflexus ante Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis imaginem humiliter, ac deuotè ſequentes, vel aliquam ex ſequentibus orationibus, prout opportunum iudicauerit, recitabit.

Ad Spiritum S. Antiphona.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in nobis ignem accẽde. 993

Oratio deprecatiua.

℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renouabis faciem terræ. ℣. Domine exaudi, &c.
℣. Dominus vobiſcum, &c.

OREMVS.

Deus, qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti ſpiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum; vt quibus dediſti fidem, largiaris, & pacem.

Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris Chriſte Ieſu, Deus, & Dominus vniuerſæ creaturæ, qui Sanctis Apoſtolis tuis dediſti poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta, dignatus es dicere: *dæmones effugate:*

te: cuius virtute motus tanquam fulgur de cælo ſathanas cecidit: tuum ſanctum numen cum timore, & tremore ſuppliciter deprecamur, vt indigniſſimo mihi ſeruo, data venia omnium delictorum meorum, conſtantem fidem, & poteſtatem donare digneris: vt hunc crudelem dæmonem, brachij tui ſancti munitus potentia, fidenter, & ſecurus aggrediar, & expellam, per te Ieſu Chriſte Domine Deus noſter, qui venturus es iudicare viuos, & mortuos, & ſæculum per ignem. Amē.

OREMVS.

Deus, & Pater Domini Noſtri Ieſu Chriſti, inuoco nomen ſanctum tuum, & clementiam tuam ſupplex expoſco, vt aduerſus hunc, & omnem immundum ſpiritum, qui vexat hoc plaſma tuum, mihi auxilium præſtare digneris.

Excita quæſumus Domine potentiam tuā, & veni; vt hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citius aduerſitate liberentur.

Deus qui iuſtificas impium, & non vis mortem peccatoris, Maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, & famulum tuum (ſi fæmina eſt, & famulam tuam) de tua miſericordia confidentem cæleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerues, vt tibi iugiter famuletur, & nullis tentationibus à te ſeparetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad Beatiſſimam Virginem Antiphona.

994 Sub tuum præſidium confugimus Sancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta.

Oratio deprecatiua.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.

℟. Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

OREMVS.

Defende quæſumus Domine Beata Maria ſemper Virgine intercedente iſtam ab omni diabolica aduerſitate creaturam, & toto corde tibi proſtratam à dæmoniacis propitius tuere clementer inſidijs.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum.

Deus, qui miro ordine Angelorum miniſteria, hominumque diſpenſas, concede propitius, vt à quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

AD S. ANTONIVM DE PADVA. Reſponſorium.

SI quæris Miracula, Mors, Error, Calamitas, 995
Dæmon, Lepra fugiunt: Ægri ſurgunt ſani:
Cedunt Mare, Vincula: Membra, Reſque perditas
Petunt, & accipiunt iuuenes, & cani:
Pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas.
Narrent hi, qui ſentiunt: dicant Paduani.
Cedunt Mare, Vincula: Membra, Reſque perditas
Petunt, & accipiunt iuuenes, & cani.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.
Cedunt Mare, Vincula: Membra, Reſque perditas
Petunt, & accipiunt iuuenes, & cani.

Reſponſoriū S. Bonauētura ad D. Antoniū à Padua

℣. Ora pro nobis Beate Antoni.

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMVS,

Eccleſiam tuam, Deus, Beati Antonij Confeſſoris tui deprecatio votiua lætificet, vt ſpiritualibus ſemper muniatur auxilijs, & gaudijs perfrui mereatur æternis.

Da, quæſumus Domine, ſeruis tuis ad te confugientibus, & nomen ſanctum tuum inuocantibus diabolica vitare contagia; & te ſolum Deum pura mente ſectari.

Prætende, quæſimus Domine, fidelibus tuis dexteram cæleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ dignè poſtulant, conſequi mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

§. I.

POſt hæc ſedeat Exorciſta, cæteris omnibus genuflexis, & iubeat, vt Energumenus fidem, 996 ac fiduciam, quam proteſtatur mente ſe habere, verbis comprobet, iuxta formulam, vel aliam ſimilem, poſitam ſupra *num.932.* Deinde deteſtationis actum in dæmonem, vt *num.933.* enunciet.

Poſtea breuiter rememoret, primò, vt firmiter credat, nec vllatenus dubitet, quòd ad præceptum expulſiuum mox dęmoni faciendum infallibiliter dæmon obediet, ſi talis liberatio ei ſit profutura. Secundò iubeat, vt ipſemet obſeſſus reſpondeat dicens.

Credo fermamente, che hor'hora il demonio ſi partirà da me, ſcacciato dalla virtù diuina, mētre queſta liberatione mi ſia ſalutare, sì come ſpero, e confido in Dio.

Tertiò moneat, quòd Deus ibi verè per eſſentiam per præſentiam, ac per potentiam adeſt, qui virtute ſua infinita ad tale præceptum dæmonem propulſabit; immò ſi eſſent mille dæmonum legiones omnes in fugam vertentur; Idcircò ipſe interim eleuata mente ad Dominum Ieſum inceſſanter magno affectu ſequentia repetat verba, dum Exorciſta præceptum enunciat.

Verba dicenda ab obſeſſo in actu liberationis.

Signor mio Gieſù Chriſto ſcacciate da me queſto maledetto diauolo.

E tù, maledetto diauolo, partiti da me ſubito,

che

che così ti comando nel ſantiſſimo nome di Gieſù.

Interim cernuus ad Exorciſtæ pedes prædicta verba repetat.

Tunc ergo Exorciſta ſedens, capite cooperto, voce graui, & horribili contra dæmonem conuerſus, quaſi iudex contra reum vinctum, & conuictum præceptum expulſiuum ſequenti, vel ſimili forma proferat.

Exorciſmus ad dæmonem ab Energumeno expellendum.

997 *Præceptũ expulſiuum.* Contra te, maledicte dæmon (vel ſi plures eſtis) contra vos, ſpiritus immundi, & apoſtatici, qui Dominum Deum veſtrum dereliquiſtis, & obliti eſtis Dei Creatoris veſtri, conſtitutus ſum à Deo ego N. miniſter Chriſti, & Eccleſiæ; ideò auctoritate, quam accepi à Deo, & ab Eccleſia in Ordine Exorciſtatus, in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, & in virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti præcipio vobis omnibus, & ſingulis, vt in omnibus, quæ nunc vobis præcepero, ſine vlla mora adamuſſim mihi obediatis.

Præcipio ergo vobis eadem auctoritate, quòd in exitu veſtro non audeatis vos, nec quicunque alij dæmones aliquod malum facere, vel nocumentum inferre iſti creaturæ, nec mihi, nec aſtantibus, nec quibuſcunque alijs creaturis, tam animatis, quàm inanimatis; quinimmò in exitu veſtro vobiſcum trahatis omnes veſtras diabolicas infectiones; ac remoueatis omnia noxia, quæ hucuſque ſiue extrinſecè, ſiue intrinſecè intuliſtis corpori iſtius creaturæ: ac deſtruatis omnia maleficia, facturas, ac ligaturas, quas feciſtis contra hanc creaturam Dei.

Audite ergo ſpiritus rebelles, & apoſtatici, vltimum meum præceptum, quod illicò, ac feſtinanter adimplere debetis: Eadem auctoritate, qua ſupra, In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, & in virtute ſanctiſſimi nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti præcipio vobis, dæmones infernales, vt exeatis è corpore iſtius creaturæ Dei, & totaliter ab ea recedatis, ita vt non amplius habeatis poteſtatem nocendi ei intrinſecè, neque extrinſecè, nec vllo modo eam perturbandi infirmitatibus, timoribus, viſionibus, apparitionibus, nec alijs quibuſcumque modis. Exite ergo ſpiritus immundi; ſic volo, ſic iubeo vobis, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

§. III.

998 *Præceptũ expulſiuum quo modo formandum* Prædicta præcepta poterit Exorciſta, ſi expedire iudicauerit, formare in lingua materna patientis, vt ipſe meliùs intelligat, & Exorciſtæ ſe conformet in dæmone expellendo eo modo, quo Exorciſta expellit. Et ad vltimum præceptum iubeat, vt Energumenus ceruicem incliner, vt ſupra dictum eſt; & ſi non eſt perſona valde grauis, poterit etiam, ſi opus fuerit, pede dextro, ſed leuiter, caput eius ad maiorem dæmonis confuſionem, conculcare.

Formato, & iam enunciato contra dæmonem vltimo præcepto expulſiuo, iubeat Exorciſta, vt ſtatim patiens ſurgat, & ſe hilari animo oſtendat, & dicat, quomodo ſe habeat, & ſuomet ore fateatur, num ſe liberum ſentiat, & credat, & quando, & quomodo ſenſit à ſe dæmonem exiſſe. Multi enim dicunt, ſentire illum, vt ventum validum ab auribus: alij, vt fumum fetidum, ab ore exeuntem: alij, vt plumbum graue, vel lapidem à corde ſuo diuelli; poſtea ſe omni grauitate, dolore, ac moleſtia exoneratos ſentire fatentur. *Dæmon quomodo exeat à corpore.*

Si ergo Patiens hilari fronte dicat, ac ſe dubio procul credere ab omni dæmoniaca poteſtate, ac vexatione liberum eſſe fateatur, etiam Exorciſta dicat, quoque hoc probabiliter credere; nihilominus probare poterit: an verè, vel fictè dæmon exierit.

§. IV.

Modus probandi, an qui fuerat Energumenus, verè à dæmone ſit liberatus.

In primis admoneat Exorciſta perſonam à dæmone liberatam, timendum de dæmone vlteriùs non eſſe: quia ſi libera eſt, ſicut ipſa credit, & pro certo habet, quamuis Exorciſta dæmoni præcipiat, vt illam vexet, ſicut priùs, nihilominus in eam nil vltra poterit dæmon; quia Deus ab eo omnem poteſtatem abſtulit. Talis igitur perſona liberata coram Exorciſta ſequentem proteſtationem efformet. 999

Padre, io credo fermamente, che Iddio per la ſua gran bontà, e miſericordia, al commandamento fatto da voi al demonio, acciò da me ſi partiſſe, habbia con la ſua diuina virtù ſcacciato lontano da me coteſto diauolo maledetto in modo tale, che ſopra di me non habbia più poteſtà alcuna; per tanto prouate pure à comandarli di nuouo, che mi tormenti, come faceua prima, che vederete, che non potrà più darmi faſtidio, ne moleſtarmi in modo alcuno; perche tengo per certo, che ſopra di me non habbia poteſtà alcuna, e che da me ſia allontanato.

Tunc Exorciſta ſedens dicat:

Et ego, licèt probabiliter credam, hanc creaturam Dei à dæmone totaliter eſſe liberam; nihilominus pro maiori cautela, ſi fortaſſe ob defectum fidei perfectæ ipſius, ac cõfidentiæ in Deum inhæſitantis: vel, ſi pro nunc ſalutaris ei non foret talis liberatio, adhuc aliquis dæmon, vel aliqui dæmones eſſent in corpore ipſius: vel ſi verè, ac certè à quacunque dæmonis poſſeſſione, & obſeſſione ſit immunis; vt nobis hoc magis, ac magis innoteſcat, ac Deus à nobis laudetur, ac glorificetur, iterum, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in nomine Ieſu Chriſti præcipio omnibus, ac ſingulis dæmonibus, ſi adhuc aliqui in hac creatura Dei aliquam habere poteſtatem præſumant, vt ſtatim dent mihi ſignum euidens ſuæ poteſtatis, ac præſentiæ, aliquam in ea cauſando vexationem earum, quas priùs cauſare conſueuerant. *Præceptũ probatiuum.*

Si iterum eam vexarent, ſignum eſſet, quòd libera non erat, eò quòd perfectam diſpoſitionem

pro

pto ſua liberatione non habuerat, vel ei liberatio nõ fuerat ſalutaris. Et tunc ab opere deſiſtere debet, & debita adhibere remedia alijs diebus, vt meliùs per orationem, & ieiunium, & alia remedia generalia, & particularia ſupra relata ſe diſponat.

§. V.

1000 SI verò nullum dent dæmones ſuæ præſentiæ ſignum, nec aliquam in tali perſona cauſent vexationem; ſed ipſa permaneat hilaris, ac iucunda, ſtatim iubeat Exorciſta, vt perſona à dæmone liberata cum cæteris aſtantibus ante Ieſu Chriſti imaginem genuflexa de beneficio accepto Deo gratias ſequenti, vel alia ſimili forma perſoluat.

Rendimento di gratie da farſi à Dio dalla perſona liberata.

Gratiarũ actio. SIgnor mio Gieſù Chriſto vi ringratio di tutto cuore, che per l'infinita voſtra bontà, e miſericordia, e per honor, e gloria del voſtro ſantiſs. Nome, vi ſete degnato di liberarmi dal demonio, e da' ſuoi maleficij: così vi prego, e ſupplico ancora vogliate preſeruarmi, e cuſtodirmi, che per l'auuenire non poſſa più moleſtarmi in modo alcuno: perche intendo di voler viuere, e morire ſotto la protettione del voſtro ſantiſſimo Nome.

Deinde Exorciſta cum omnibus aſtantibus deuotè recitet ſequentem Hymnum.

HYMNVS *Sanctorum Ambroſij, & Auguſtini.*

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi cœli, & vniuerſæ poteſtates.
Tibi Cherubim, & Seraphim: inceſſabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.
Pleni ſunt cœli, & terra: maieſtatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus Apoſtolorum Chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, ſancta confitetur Eccleſia,
Patrem immenſæ maieſtatis,
Venerandum tuum verum, & vnicum Filium.
Sanctum quoque Paraclytum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Chriſte.
Tu Patris ſempiternus es Filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horruiſti virginis vterum.
Tu, deuicto mortis aculeo: aperuiſti credentibus regna cœlorum.
Tu ad dexteram Dei ſedes: in gloria Patris.
Iudex crederis eſſe venturus.
Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubueni, quos pretioſo Sanguine redemiſti.
Æterna fac cum Sanctis tuis: gloria munerari.
Saluum fac populum tuum, Domine: & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos: & extolle illos vſque in æternum.
Per ſingulos dies, benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.
Dignare, Domine, die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.
Miſerere noſtri, Domine: miſerere noſtri.
Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.
In te, Domine, ſperaui: non confundar in æternum.

Quo finito, Exorciſta leget ſequentia.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. *Orationes deprecatiuæ ad Deum, vt confirmet quod operatus eſt.*
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Ieruſalem.
℣. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

DEVS, qui neminem in te ſperantem nimiùm affligi permittis; ſed pium precibus præſtas auditum, pro beneficio accepto, votiſque ſuſceptis gratias agimus, te piſſimè deprecantes, vt per tuam piſſimam miſericordiam à cunctis eripi mereamur aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

OREMVS.

GRatias agimus tibi, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: gratias agimus tibi Chriſte, Verbum æterni Patris: gratias agimus tibi Spiritus alme: gratias agimus Sãctis omnib[us] tum Angelis, tũ hominibus; quia omnipotenti virtute Dei eliſus eſt draco. Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, miſerere famulo tuo N. à diabolica poteſtate liberato, & in eius adiutorium Sanctum dirige Michaelem, qui eum protegat, viſitet, atque defendat ab omnibus inimicis ſuis. Qui viuis, & regnas, &c.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui liberare dignatus es hunc famulum tuum N. à vexatione Sathanæ, & miniſtrorum eius, mitte in eum ſeptiformem Spiritum ſanctum paraclytum de cœlis.

QVæſumus omnipotens Deus, famulum tuum N. propitius reſpice: vt te largiente regatur in corpore, & te ſeruante cuſtodiatur in mente. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Poſt hæc Exorciſta perſonam liberatam genuflexam pollice ſignans in fronte dicat:

Dominus Ieſus Chriſtus apud te ✠ ſit, vt te defendat: intra te ✠ ſit, vt te conſeruet: ante te ✠ ſit, vt te ducat: poſt te ✠ ſit, vt te cuſtodiat: ita vt dæmones non ampliùs poſſint nocere tibi vllo modo; ſed totaliter à te recedant: ſuper te ✠ ſit, vt te benedicat, qui cum Patre, & Spiritu Sancto in vnitate perfecta viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tandem adſtantes aqua benedicta aſpergẽdo benedicat dicens:

Benedictio Dei omnipotentis ✠ Patris, & ✠ Filij, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

Admoneat poſtea, vt pro gratiarum actione perſona liberata Sacratiſſima Euchariſtia ſe tanquam ſcuto inuincibili muniat: imò ſi tempus opportunum fuerit, ipſemet Exorciſta (ſi Sacerdos ſit) illam ei poterit adminiſtrare.

ARTICVLVS VI.

De Dæmone tentante ſuum regreſſum.

1001 *Dæmon tẽtat iterum poſſidere eũ, à cuius corpore fuit expulſus.* EA eſt diabolicæ ſuperbiæ conditio, vt, cùm dæmon ſe ab homine deſpectum, opprobrijs, ac conuicijs affectum, à ſua ſede expulſum videt, indignatione repletus, & ira excandeſcens omnem moueat lapidem, cunctos conatus adhibeat; vt corpus, quod poſſidebat, iterum ingrediatur, & vt fiant nouiſſima peiora prioribus. Quare ſicut aſtutijs, dolis, ac ſuggeſtionibus priùs hominem, quem poſſidebat, ad timorem, deinde ad puſillanimitatem, ac tandem ad diffidentiam de diuina protectione induxerat, per quam ſibi aditum ad ingreſſum aperuit: ita eiſdem aſtutijs, dolis, ac ſuggeſtionibus verſipellis nititur, iterum in corpus habere regreſſum. Idcircò duriſſimum, ac grauiſſimum poſt liberationem innumeris tentationibus, ac ſuggeſtionibus exſuſcitat bellum, quibus ad diffidendum de diuina bonitate, ac protectione liberatum inducere valeat: quæ ſuggeſtiones, ac tentationes nihilominus, ſi cognitæ fuerint, facillimè etiam poterunt propulſari. Quare earum principaliores, ac communiores hìc ſubijcientur, ex quibus Exorciſta, & liberatus cęteras omnes cognoſcere, ac facilè poterunt exterminare.

QVÆSTIO I.

Quęnam ſint communiores ſuggeſtiones, quibus dæmon quærit iterum in corpus liberati ſuum regreſſum.

REſpondetur, dęmonem, poſtquam ab aliquo corpore eſt eiectus, cùm nec in profundum inferni, nec in deſertum relegetur, vt putant aliqui, imò multi antiqui Exorciſtæ, ſed falsò, vt latè demonſtrauimus ſupra *num. 694. & ſequentib.* ſed ad alios obſidendos, aut poſſidendos accedat, adhuc exteriùs ſaltem per aliquod tempus ad tentandum remanere, & hùc, illucque diſcurrere ad nouos inueniendos modos, quibus homines ſeducere valeat, ac poſſidere. Propterea inter alias tentationes, ac ſuggeſtiones, quibus hominem impetere ſatagit, ſequentes ſunt communiores. 1002 *Dæmon expulſus non relegatur in inferno, nec in deſerto; ſed tentat ingredi corpus, vndè exiuit. Quomodo*

1. Suggerere ſolet, quòd talis homo verè liberatus non ſit: in qua tentatione ſi vacillet, conſequenter de diuinæ virtutis concurſu diffidit, & ſic meritò à Deo permittitur, vt ille ſaltem extrinſecè à dæmone aliqualiter vexetur.

2. Suggerit, quòd diabolus abſconditus manet: quòd motionem non facit, quia Exorciſtam timet; ſed cùm fuerit ille remotus, faciet ſicut priùs: nam omnia, quæ fuerunt facta, diabolicæ fraudes fuerunt nihil veritatis continentes.

3. Quòd diabolus verè exijt; ſed iam eſt reuerſus: quia ipſe tentationibus conſenſit; ideò talem, & talem motum in corpore operatur.

4. Quòd Deus vult, vt reuertatur; quia ei peccata ſua nondum dimiſit, & vt debitas pænas luat, vult Deus, vt dæmon iterum illum torqueat; ideò certè reuertetur.

5. Quòd ipſe liberatus diù in reſiſtendo perſeuerare non poterit: ſed animo tandem deficiet, ac de diuina protectione diffidet: quòd difficillimum eſt velle ſemper confidere in Deum.

6. Niſi conſenſum, vt ingrediatur, præſtiterit, innumera mala ſe patraturum minatur. Si verò præſtiterit, non ampliùs malum, ſed bonum ei facturum pollicetur.

7. Quòd in liberatione ab Exorciſta omnes conditiones requiſitæ non fuere ſeruatæ: non enim de dæmonum nomine, numero, ſuperiore, principe, tempore exitus, & loco, & alijs ab antiquis Exorciſtis ſeruari conſuetis interrogauit, ideò non exijt: vel iterum redibit.

8. Quòd in corpore aliquæ reliquiæ diabolicæ remanſerunt, propter quas dæmones habent liberum ingreſſum.

9. Quòd iam alia maleficia ſunt patrata: vel fiût, vel fient in poſterum, & ſic diabolus liberè intrabit. Nonne (ſuggerit dæmon) illam mulierem ſic dicentem, ac talia operantem vidiſti?

10. Quòd iterum tibi illa infirmitas, quàm priùs habebas, eueniet, illud malum, quod patiebaris, obuiabit; infirmitas enim naturalis erat ex hac, vel illa cauſa procedens.

11. Tu numquam vexatus fuiſti; ſed apparentia tantùm fuit, quod verum eſſe credebas: melancholicus humor, & mentis ſtultitia erat oppreſſio, quam patiebaris, quæ omnia iterum euenient tibi, cùm ad id maxime inclineris.

12. In liberatione ſufficiens fides tibi minimè fuit: non feciſti, quod in te erat; perfectior alia diſpoſitio requirebatur: memento, quòd præparationis tempore nullam deuotionem habuiſti: tempore liberationis à ſenſibus eras alienus, ideoque verè non es liberatus.

13. Tot tentationes ſuſtinere non poteris; ſed illis tandem ſuccumbes: tu es negligens, non facis, quæ tibi ad præſeruationem ſunt impoſita; nec facere potes, quia nimis difficilia ſunt; in hac infirmitate mori oportet, nam vſque ad mortem ſiue velis, ſiue nolis, durabit.

14. Vide, quot tribulationes pateris: quot miſerias ſuſtines; melius tibi erat, diabolicam vexationem, quàm iſtam tribulationem habere: multoties quietem habebas, & tunc deuotio feruentior erat: & proximus tuus tibi magis magiſque compatiebatur: priùs torquebaris in corpore, nunc grauior eſt tortura in mente; priorem ergo à Deo corporis tribulationem expoſce: vel dæmonem voca, vt corpus tuum iterum ingrediatur.

15. Obſerua, quæſo, quale ſit hoc malum, quod pateris; oportet, vt illud benè, & attentè conſideres, ne decipiaris: ex vna parte quidem naturale: ex altera verò diabolicum videtur, fac ergo experientiam, ad alterum Exorciſtam accede, qui te Patris Menghi, vel Patris Zachariæ Vicecomitis oleo perungat; & an infirmitas tua à dæmone ſit, nec ne, certò ſcies.

16. Ille rumor, quem in ventre experiris, illud frigus, quo in dorſo, ille dolor, quo in capite cruciaris, diabolicus eſt; adhuc dæmon in te aliqualiter præualet: ad te ſæpiùs appropinquat; nil aliud igitur remanet, niſi vt ingrediatur, & hoc tibi citiùs, quàm credas, eueniet.

17. In imaginatione tua ſemper præſentis horrentia, in ſomnijs viſiones teterrimas, in vigilijs terrores: ſemper retro habes, qui te retiaculis implicare videtur: ſemper contremiſcis: ſemper vmbram vides: nonne ſemper timidus es? Hæc clariſſima ſigna ſunt, quòd poſſideris, vel citiùs à dæmone opprimeris.

Hæc, & alia huiuſmodi à dæmone ei ſuggeruntur, qui ab eius tyrannide liber euaſit, vt dæmonem timere, & pauere incipiat, ac timore depreſſus animo ſuccumbat, ac diuinæ pietatis, clementiæque oblitus de eius aſſidua protectione diffidat, & ſic ingratus de accepto liberationis beneficio gratias Deo non referat, Deumque piiſſimum, ac in ſe confidentibus ſummè beneficum eſſe non credat. Exindè faciliùs à Deo aliquo modo deſeratur, dæmonique regreſſus iterum permittatur. Quod facillimè dæmon aſſequitur, ſi liberatus ei patientem auditum largiatur.

QVÆSTIO II.

Vnde ſumat dæmon tentandi occaſionem.

1003 *Ex varijs caſibus dæmon ſumit tentandi occaſionẽ.* Reſpondetur, ſibi dæmonem ex varijs rerum euentibus, & contingentijs ad prædictas ſuggeſtiones liberatum faciliùs excitandi arripere occaſionem.

1. Quando liberatus in obſcuro aliquo loco inhabitat, ei pauores, & tremores plurimos ſuggerit, vt timore perterritus animi vigorem, ac fiduciam amittat, & conſequenter de diuina protectione diffidat.

2. Quando naturalis aliqua infirmitas occurrit, dæmon ſe cum ſui præſentia illius auctorem eſſe, & cauſam phantaſiæ fortiter ſuadere enititur; quæ tentatio maxima quidem eſt; eiuſque principijs quammaximè vexatus obſiſtere debet, ne per ſucceſſiuum augmentum in deteriora tam animi, quàm corporis damna prolabatur.

3. Quando melancholicus humor ſuperuenit, qui diabolico excitatur impulſu, ſtatim dęmon cum illo ſe ingerit, & timores exſuſcitans, illos eoſdem eſſe effectus, qui fuerant priùs, credere facit, vt exinde vexatus adeſſe dęmonem firmiter credens, deficiat animo, ac de Deo fiduciam prorſus abijciat; & ita ſibi faciliùs aditus, & regreſſus aperiatur.

4. Quando liberatus ab aliqua eſt paſſione perterritus: vt ira, odio, inuidia, amore venereo, triſtitia, deſperatione, & alijs huiuſmodi, diabolus maximum aliquod ei ſuggerit malum, vt ipſius imploret auxilium, ac Deum, quantum eſt ex ſe, blaſphemando depellat: vel ſimilia mala operando: & cùm per huiuſmodi peccata tunc à Deo, qui hoſtiles dolos euertit, ſit maximè diſtans, faciliùs dæmoni aditus aperitur.

5. Cùm tunc temporis ab aliquo perſonam aliquam maleficijs obnoxiam eſſe: vel aliquem à dæmone poſſideri, aut ſimile quidpiam intelligat, illicò malignus ſpiritus idem ſibi eueniſſe repræſentat.

6. Cùm talem perſonam energumenam exorcizatam, & non liberatam fuiſſe: alium tanto tempore vexatum: alterum, qui liberatus fuerat in laqueos iterum incurriſſe deprehendat, vexato verſipellis dęmon tunc ſuggerit ſe eodem modo, quo priùs, ſubiacere inſidijs, & hoc vel illud euenturum perſuadet.

Nec hoc tantùm per ſeipſum ſuggerit; ſed etiam per ſuos miniſtros Magos, Maleficos, & Sagas, quorum aliqui ſe eſſe Energumenos, aut maleficio affectos effingunt, vt Exorciſtas decipiant, cæteriſque hominibus à dæmone liberatis eos non verè liberatos eſſe ſuadeant; vt latè ſupra declarauimus *numer.* 747. Nonnulli Energumenos comitantur, cùm ad Exorciſtas accedunt, vt exorcizentur, eiſque infirmitatem naturalem eſſe ſuadere conantur; idcirco ad Eccleſiam confugere, & exorciſmos adhibere ſuperfluum eſſe: quia poſt exorciſmos adhuc ſicut priùs exiſtent, nec Exorciſtæ verbis credendum eſſe; ſed experientiæ rerum magiſtræ. Hiſce, & alijs huiuſmodi ſuaſionibus, falſas eſſe Exorciſtæ inſtructiones, illis ſuadere conantur, ac meliùs eſſe, ſe matri naturæ, ac dęmonis diſcretioni, quàm diuinæ protectioni committere, ac Eccleſiæ miniſtrorum directioni.

7. Quando aliquis excitatur rumor, vel horribile aliquid inopinatò apparet, & liberatus ob timorem contremiſcit, malignus tunc ſpiritus diabolicum properaſſe ingreſſum, & ſe aliquibus vmbris ſuppreſiſſe perſuadet.

8. Cùm in ſomnijs vexato horribile aliquod ſiue naturaliter, ſiue à dæmonibus cauſatum oſtenſum fuerit, expectat dęmon, donec euigilauerit homo, & dum adhuc benè ſui compos non eſt, phantaſiæ, quod in ſomnis apparuit, repræſentat, vt ſic euigilans timori aditum prębeat, ac animi timore conſtratus ſuccumbat, ac de diuina protectione diffidat, Deumque vt ſuum adiutorem, ac defenſorem non inuocet, in eo ſpem ſuam non collocet, nec ſe eius diuina protectione à dęmoniacis infeſtationibus illæſum ſeruandum fore exiſtimet, vt ſic de Deo diffiſus in dęmoniacam iterum poteſtatem corruere permittatur.

Hæc machinamenta diabolica ſunt, hæ ſunt technæ, doli, laquei, atque impoſturæ, quibus homines

nes dæmon impetere ſatagit, vt ſi non ſibi in anima, ſaltem in corpore detur poteſtas, vt docet Toſtatus *q.121.in cap.8. Matth.* ſed arma, quibus à dæmonis tyrannide erepti illum impugnare, omneſque eius ſuggeſtiones, & fallacias, vt fumum diſpergere valeant, contemplemur.

QVÆSTIO III.

Quibus remedijs præſeruatiuis diabolicæ ſuggeſtiones in hominibus à dæmone liberatis euaneſcant.

1004 *Remedia præſeruatiua* REſpondetur, ei, qui diuino fauente auxilio à dæmonis eſt ereptus tyrannide, vt à noua ſe vexatione præſeruare valeat, duo principaliter (quorum primum eſt in ordine ad Deum: alterum in ordine ad dæmonem) eſſe adimplenda.

§. I.

In ordine ad Deum.

In ordine ad Deum. CVm Deus ſummum bonum ſit, fonſque omnium bonorum, à quo, ſicut à primo principio cuncta bona procedunt, & ad quem, ſicut ad vltimum finem omnia bona protendunt; quemadmodum ab ipſo liberationis bonum proceſſit, ita ab eo præſeruationis bonum orietur, ac propterea liberatum aliquos erga Deum confidentiæ actus elicere, conſonum erit.

Primò, ſe non proprijs meritis, ſed diuina principaliter pietate, ac clementia ſuam obtinuiſſe liberationem certiſſimè credere debet: nec ſuper hoc dubitatio aliqua debet oriri, ſed firmiſſima credulitas, non obſtantibus quibuſcunque tentationibus, ſuggeſtionibus, & apparentijs ſpirituum malignorum.

Secundò confidere debet, vt ſicut Deus ſua infinita bonitate, ac pietate ipſum à dæmonibus liberare dignatus eſt; ita eadem bonitate, & clementia eum ab illorum regreſſu præſeruare non deſinet, niſi ipſe voluntariè dæmonis ſuggeſtionibus aſſentiri, ac de infinita Dei bonitate, ſecura protectione, ac defenſione diffidere velit. Deus enim, cuius perfecta ſunt opera, omnibus in ſe confidentibus, ac Pſal.90.ver.1. in adiutorio ſuo habitantibus diuinam protectionem adfuturam promiſit; nec deficiet: quia mentiri non poteſt. Ergo ſicut ſe à Deo verè liberatum eſſe exiſtimat; ita firmiter ſperet, ac diuina ſe protegente virtute ab omnibus dæmonum infeſtationibus illæſum præſeruandum confidat.

Tertiò frequenter cæleſtia meditetur myſteria, fidei ſcilicet, omnipotentiæ Dei, ſapientiæ, bonitatis, clementiæ, pietatis, ac miſericordiæ, vitæ, ac paſſionis Chriſti; vt, dum mens in ſanctis meditationibus occupatur, dæmoniacis ſuggeſtionibus locus prohibeatur.

Quartò in Deum toto corde feratur: quia perfecta charitas timorem procul expellit, ſine quo dæmon aut nihil, aut parum valet. Charitas enim dat inhabitationem Spiritui ſancto, qui ſpiritum malignum excludit: Nam *Deus charitas eſt*, ait Ioan. prima ſua canon. cap.4. *& qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Quintò in Domino gaudeat, & melancholiæ, ſuper quam dæmon fundatur, paſſionem excludat. Quod faciet, ſæpiùs mentem, ac cogitationem ſuam ad diuinam pietatem, clementiam, ac miſericordiam, ad innumeraque beneficia à Deo accepta contemplanda conuertendo: vt benè docet, ac teſtatur Seraphicus P.S. Franciſcus Aſſiſiates *tom.3. opuſculorum*, *collatione* 11. apud Ioannem de la Haye Pariſinum, *Sanctam*, ait, *Fratres chariſſimi interiùs lætitiam Dei habete. Si enim ſeruus Dei ſtuduerit habere, & conſeruare lætitiam ſpiritualem, quæ prouenit ex munditia cordis, & acquiritur per deuotionem orationis, dæmones nihil poſſunt ei nocere dicentes: Ex quo in tribulatione, & proſperitate lætitiam habet ſeruus Dei, non poſſumus inuenire aditum intrandi ad ipſum, nec illi nocere.*

Sextò, niſi liberatus ſe Deo velit exhibere ingratum, accepta à Deo quotidiè beneficia commemorare iugiter debet, vt potè qui à dæmonis tyrannide eſt ereptus, de infernalis tortoris catenis ſolutus, de tot doloribus, vexationibus, & infeſtationibus erutus, & qui inferna malignitate erat oppreſſus, ab illa liber euaſerit: & quia gratiarum actio beneficia multiplicat, de omnibus ſupradictis, & alijs multis continuè quàm maximas Deo gratias ſoluere non deſiſtat: Idcircò Exorciſta illum iuxta ipſius capacitatem edoceat de modo ad Deo gratias referendas obſeruando.

Septimò, cùm præcipuum diaboli inſtrumentum ſit peccatum, & vbi hoc fuerit, diabolus magnam auctoritatem poſſideat, perſona à dæmone liberata à mortali peccato quàm maximè caueat; imò quãtum ab alto ſibi dabitur, à venialibus quoque abſtinere ſe debet. Quod Sacramentorum frequentia, ac ſpiritualium operationum exercitio facillimè conſequetur.

Octauò præſeruationis donum, lumen ad diabolicas cognoſcendas tentationes, vim, & efficaciam ad ipſis reſiſtendum à Deo petere debet: nec non etiam ſuper hoc Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum implorare ſuffragia; ad quòd plurimùm valebit oratio illa ſupra poſita *num.903.* ſed iuxta monitum immediate traditum poſt illam *num.904.*

Nonò maximam in Deo confidentiam habeat: nã hoc eſt principaliſſimum remedium. Quia enim in Deo confidunt, ac præcipuè in Sanctiſſimi Nominis Ieſu virtute ſuam fiduciam collocant, vt ſine vlla hæſitatione, ſe nedũ à dæmonibus, ac Maleficis, ſed à veneno, ſerpentum morſibus, aliorum animantium infeſtationibus, nec non ab inimicis, aliſque periculis animæ, & corporis nequaquam offendendos, aut perturbandos, prout fuerit ſibi ſalutare, credant, hi dubio procul quodcumque fieri dixerint, fiet eis: quia *credenti omnia ſunt poſſibilia*, vt ipſamet Veritas docet Mar.9. & contra iſtos tota infernalium dæmonum cohors fruſtrabitur, proprias vires deperdendo. Quare quotidiè, non ſemel tantùm, ſed ſæpiùs animam ſuam, ac corpus, cunctaque omnia ad ſe pertinentia ſacratiſſimi Nominis Ieſu protectioni commendare debet, ſequentia, vel ſimilia verba proferendo.

Signor mio Gieſù Chriſto, voi ſete il mio refugio, protettore, e difenſore dell'anima mia, e del mio corpo, di tutte le mie operationi, e di tutte le coſe à me ſpettanti; però io non temo ne demonij, ne malefici, ne maleficij, ne nemici, ne qualſiuoglia altra coſa auuerſaria, che mi poſſa offendere; perche io viuo, & intendo di viuere ſotto la voſtra diuina protettione, ſotto la quale ancora intendo di collocare tutte le coſe, che à me s'aſpettano. *Atto di confidenza in Dio per preſeruarſi da maleficij.*

Reme-

§. II.

Remedia in ordine ad dæmones.

1005 Cvm immediatum præſeruationis remedium à reſiſtentijs dæmonum ſuggeſtionibus faciendis, de quibus ſupra vim ſumat, illis cognitis, in eis reſiſtendo maximoperè eſt inuigilandum. Præter autem reſiſtendi modos, de quibus ſupra paſſim in præcedentibus articulis actum eſt, nonnulli hic breuiter ſunt ſubijciendi.

Remedia præſeruatiua contra dæmones.

Primus modus conſiſtit in diuertendo ab his, quæ ſibi à dæmone proponuntur, ad quod valet mentis applicatio ad alia vtilia, ac neceſſaria, ſed læta, ac delectabilia.

Secundus, vt in promptu breuem aliquam orationem habeat, qua Deo gratiarum reddantur actiones pro liberatione; vel ab eo preſeruatio petatur: vel ad Deum aliquo modo mens (vt modis ſequentibus proponitur) eleuetur.

Orationi breui per vincere le tentationi.

Vi ringratio, mio Dio, che m'hauete liberato dal demonio voſtro nemico; così credo ancora per certo, che mi vogliate difendere da ſuoi inganni.

O Signor mio, quanto ſon tenuto ad amarui, e ſeruirui: poiche m'hauete liberato dal demonio tiranno crudele dell'anima mia, e del mio corpo.

Vorrei poter hauer il cuore, e la lingua di San Paolo, e di Maria Madalena per poterui più perfettamente amare, e lodare.

Sia per tanto ſempre lodato, e glorificato il Santiſſimo nome di Gieſù.

Poterit aliquam, vel aliquas dictarum orationcularum toties repetere, quoties dæmon aliquid contra eius liberationem illi ſuggeſſerit.

Scias autem, mi lector, hoc remedium melius, ac ſecurius eſſe, quàm cum dæmone contendere velle; imò etiam quàm illum contemnere, & opprobrijs, ac conuicijs impetere: quia per hoc dæmoni non tantùm reſiſtitur, ſed de eo victoria reportatur; nam plus eſt vincere, quàm reſiſtere: qui enim reſiſtit, tantùm ab inimico non vincitur: ſed qui inimicum vincit, illum conterit, & proſternit. Per huiuſmodi autem actus elicitos perſona à dæmoniaca obſeſſione liberata oppoſitum illius aſſequitur, ad quod illam diabolus pertrahere conabatur. Hic enim per impulſum ad diffidendum de diuina bonitate, ad ingratitudinis, impatientiæ, & odij erga Deum, & id generis actus illam inducere decreuerat: illa verò per huiuſmodi orationes Deum laudandi, de acceptis beneficiis gratias reddendi, actus amoris erga illum eliciendi ex diaboli tentatione occaſionem deſumit, & ſic dæmon confuſus recedere cogitur; nec illam amplius ſuggeſtionibus audet perturbare.

D. Bon. in 2. ſen. diſt. 24. a. 1. q. 2.

Tertiò, conſiderare Deum vbique præſentem eſſe, eique æqualiter curam eſſe de omnibus, & maximè de illis, qui eius diuinum implorant auxilium, plurimùm valet, ideòque ad ipſum cor eleuare, & ab eo, vt à nobis inimicorum timorem expellat, valebit, ſæpiſſimè dicendo:

Si Deus pro me, quis contra me? ſe Iddio mi protegge, chi mi potrà offendere?

Hoc modo tota dæmonum caterua, omnes tenebrarum principes cum ſuis ſatellitibus, ac maleficiorum concinnatoribus vertentur in fugam, & ad nihilum redigentur.

Quartò, per aliquot dies poſt liberationem omnibus cibis benedictio adhibeatur, ſaltem per ipſum Vexatum iam liberatum, ſuper cibum; & potum crucis ✠ ſignum formando, Dominum Ieſum Chriſtum, vt ipſe benedicat, inuocando. Quam conſuetudinem, vt catholicam, debet toto vitæ decurſu obſeruare.

Quintò, an intra corpus dolor exiſtat, vel aliquid per membra decurrens, vel alienæ vexationis reliquiæ remanſerint, obſeruare deſiſtat: quia diabolus, quæ non ſunt, apparere facit, quibus ſi fides adhibeatur, & confidentiam ſuæ præſeruationis amittat, aliquando permittit Deus, vt ex apparentibus fiant realia nocumenta; ideò ad illa nullo modo animum, ſiue mentem conuertat.

Sextò, quando dolores veros eſſe contingit, ſi illos naturales eſſe clarè non conſtet, aliquam deceptionem interueniſſe exiſtimet, quam ſpeciali modo minimè perquirat; ſed citò illam contemnat, & ab ea diuertens, maxima fiducia Ieſu inuocet nomen, ſe eius virtute ab omni dolore credens liberandum.

Septimò, quando aliquid, pro voto ſuo, ex his, quæ ad corporis, vel animæ neceſſitatem ſpectant, vel iuxta artem ſuam operari non poſſe ſibi videtur: vel aliquam in corpore habere debilitatem, & cauſam naturalem non habet, omninò illam operationem efficiat, non quidem membris violentiam inferendo, ſed per liberi arbitrij actum ſic volendo, determinando illam in Ieſu nomine facere, eius diuino fretus auxilio, interim pollice crucis ✠ ſignũ ſuper partem læſam efformando. Sed aduertat, quòd in iſtis actibus non dubitando; ſed viriliter, ac liberè, & inhæſitanter operando ſe habere, eſt neceſſe.

Octauò, optimum erit poſt liberationem, nedum omnia habitationis loca benedicere, lectum puta, cellam, ſeu cubiculum, veſtes, & alia huiuſmodi; ſed precipuè ferò aqua benedicta, cubiculum aſpergere, illudque cruce benedicere dicendo:

Breuis oratio contra infeſtationes dæmonũ.

Ecce crucem ✠ Domini fugite, partes aduerſæ: vicit leo de tribu Iuda radix Dauid, Alleluia. Vel illam orationem ſupra poſitam *num. 903.*

Nonò, Eccleſias frequentet, & in eis miſſas, & alia diuina officia audiat: ſacram Euchariſtiam ſuſcipiat, Deumque humiliter, nedum pro ſeipſo, ſed pro omnibus amicis, & inimicis, viuis, atque defunctis, & præcipuè pro animabus purgantibus, quarum non eſt ſpecialis memoria, exoret.

Decimò, quodcumque remedium ſpirituale, in quo liberatus ſperat, optimum erit ad præſeruationem. Nam omnium remediorum anima, ſeu formalitas fides eſt, ſeu confidentia liberati; ideò ſi in aliquo remedio nullam habeat fidem, adhibendum non eſt: quia parum, vel nihil proderit; & cum fide omnia, quamuis minima remedia, maximi ſunt valoris.

In his autem cunctis remedijs aduertendum eſt, quòd prædicta, ſicut & alia quæcumque non ſic ponuntur, vt omnia ſint neceſſariò adhibenda; ità quòd ſine illis præſeruatio eſſe non poſſit; ſed quia ſunt valde vtilia. Tot autem poſita ſunt, non vt omnibus ſit vtendum; ſed vt ab vnoquoque, quæ iuxta diſpoſitionem ſubiecti ſibi magis opportuna videbuntur, ſeligantur. Non enim omnes ægroti vnica medicina ſunt medicandi: nec omnes homines eodem cibo reficiendi: ſic nec omnes maleficiati, & obſeſſi iiſdem remediis ad ſuam liberationẽ, vel præſeruationem diſponendi.

AR-

ARTICVLVS VII.

De dæmone Repetente, ſeu Redeunte.

1006 *Demones quandoq; reuertũtur.* CVm dæmones egreſſos è corporibus humanis iterum in illa ingredi, vti experientia rerum magiſtra teſtatur, ſæpè contingat, vt hæc ars Exorciſtica ſuum habeat complementum, quid in nouæ dæmonis inuaſionis caſu cum iam liberato, in quem dæmones iterum ſunt ingreſſi, agere debeamus, reſtat inquirendum; quod duabus ſequentibus quæſtionibus diſcutietur.

QVÆSTIO I.

Quænam ſit cauſa regreſſus.

Cauſa regreſſus ex parte dæmonis eſt malitia, & alia vitia. REſpondetur, cauſam ex parte dæmonis non eſſe requirendam, malitiam enim ſuperbiam, inuidiam, iram, odium, & vindictam eſſe, notiſſimum eſt; *Tanquam enim leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* 1. Petr. cap. 5. ſemperque dæmon ad ingreſſum, & regreſſum, ſi aditus ſibi pateat, eſt paratus. Neque ex parte Dei regulariter: quia ipſe ab bonum noſtrum, & non ad malum inclinatur. Neque ex parte Exorciſtæ, qui ſufficientia tribuit medicamenta. Solùm ergo ex parte Energumeni cauſa eſt requirenda.

Ad cuius euidentiam aliqui moderni Exorciſtæ dæmones dupliciter de corporibus obſeſſis eijci poſſe fatentur.

Demones quandoq; eijciũtur miraculosè. Vno modo miraculosè, cùm ſcilicet per virum magna ſanctitate præditum adhuc in terris viuentium: vel per alicuius Sancti inuocationem: vel per aliquam miraculoſam imaginem, aut alia huiuſmodi dæmones eijciuntur, & tunc eiecti ſemel non amplius ingrediuntur: quia tales expulſiones etiam ſine patientis diſpoſitione fiunt: opera enim miraculoſa facientis atteſtantur potentiam, & non recipientis diſpoſitionem; & de his in ſpeciali ſermo non agitur: quia nec ad talem expulſionem iſte actus requiritur: quia eiecti numquam regrediuntur. Virtus enim illa, quæ dæmones ad exitum cogit, abeſſe etiam cogit, vt amplius intrare non poſſint; tota enim miraculi ratio, eſt potentia facientis.

Ordinariè eijciũtur per poteſtatẽ exociſticam. Alio modo per exorciſticam artem, & exorciſtatus miniſterium eijciuntur, & tunc quia cum Exorciſtæ auctoritate regulariter, & efficaciter ſuſcipientis diſpoſitio requiritur, quando dæmones ſunt eiecti, ſi patiens paratus in reſiſtendo non perſeueret, iterum ingrediuntur.

Hæc expulſio ſimilis eſt expulſioni peccati. Declarant à ſimili de peccatore pænitente. Nam dupliciter aliquis à peccato auerti poteſt, & ad Deum conuerti, vel miraculosè, vt patet de Paulo Apoſtolo, de Magdalena, & alijs, qui non amplius ad peccatum ſunt reuerſi: vel modo ordinario per Pænitentiæ Sacramentum, & tunc ſi peccati habitus non ſit deſtructus, faciliter ad vomitum reuertitur: Sic in dæmonum expulſionibus quoad ordinarium modum, & non abſolutum contingit.

§. I.

VErùm huiuſmodi poſitio, etſi vera ſit, aliqua tamen indiget expoſitione. Nam miracula vel ad augendam fidem, vel ad eam confirmandam, vel ad alicuius Sancti gloriam manifeſtandam, vel ad aliorum vtilitatem, puta ad infirmorum ſanitatem, & obſeſſorum liberationem patrantur: vt docent Guilhelmus Vorill. & D.Thom. in 2. *diſt.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 3. Pelbartus *part.* 2. *Aurei Sacræ Theol. Roſarij, verbo dæmones V.* & Toſtatus *q.* 7. *in Matth. cap.* 8. Verum eſt ergo, quòd miracula, quę ad propagandam fidem, vel confirmandam fiunt, in recipiente diſpoſitionem non requirunt: vt patet de illo cæco à D.Dionyſio ſanato, dum adhuc paganus eſſet, de quo ſupra *num.* 841. de illa puella, à qua Paulus Apoſtolus ſpiritum pythonem eiecit, Act. 16. etiam contradicentibus, ac conquærentibus dominis ipſius: ac de illo obſeſſo, qui domicilium in monumento habebat, Marci 5. à quo Chriſtus dæmones eiecit, nullam in obſeſſo diſpoſitionem requirendo. Sic in morte, vel immediatè poſt alicuius perſonæ magna ſanctitate præditæ mortẽ, vt ipſius gloria, qua fruitur in cælis, manifeſtetur in terris, multa Deus operatur miracula in hominibus, ſine vlla eorum præcedente diſpoſitione, puta infirmos ſanando, & obſeſſos à dæmone liberando. 1007 *Quomodo eijciãtur miraculosè, explicatur.* Qui autem hiſce ſignatis cauſis à dæmone liberantur, impoſterùm à dæmone non poſſidentur: quia illæ expulſiones non principaliter ob ipſius liberati vtilitatem fiunt, ſed ob fidei propagationem, vel confirmationem, vel ad Sanctum aliquem honorandum; propterea Deus, qui tali de cauſa miraculum operatus eſt, etiam ob eandem rationem vult defendere, ac patratum conſeruare. Aliquandò autem miracula fiunt ob miſericordiam Dei ad infirmorum, vel obſeſſorum vtilitatem, vt docent allegati Auctores, & in iſtis (ſi adulti ſint, rationis ſcilicet compotes) fides, ac fiducia in Deum requiritur: vel ob ipſius infinitam miſericordiam, ac fidelitatem, vel ob alicuius Sancti merita, & interceſſionem, vt liberationem efficaciter obtineat; & ſine hac præuia diſpoſitione patiens miraculi beneficiũ non obtinet, vt benè docet Suarez *diſp.* 8. *de diſt. fidei ab omnibus donis ſect.* 1. & ſicut fides requiritur, vt à dæmonis poſſeſſione efficaciter liberetur, ita eadem requiritur, vt à noua dæmonis inuaſione præſeruetur.

Concludendum ergo eſt, cauſam, ob quam diabolus corpus, à quo eiectus fuerat, iterum ingreditur, ſe ex patientis parte teneri, qui, cùm per malum habitum diabolicis ſuggeſtionibus magìs, quàm Chriſto ſuum auxilium in ſe credentibus, ac confidentibus pollicenti, credere, & aſſentiri ſit aſſuetus, ideò poſt liberationem etiam ſimili modo tentatus ſuccumbit; ex quo ad diffidentiam inducitur, ratione cuius à Deo denuò ſub dæmonis poteſtate cadere permittitur, qui iterum corpus illius ingreditur, ac iuxta Dei permiſſionem, ſuam in eo tyrannidem exercet.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quomodo ſe habere debeat Exorciſta cum eo, qui poſt liberationem iterum à dæmone poſſidetur.

1008 *Documēta pro liberatis ſuſpicātibus de noua inuaſione dæmonis.* CVm diſtinctione reſpondetur: Nam ille, qui à dæmonis poſſeſſione liberatus eſt, vel ſe iterum à dæmone poſſideri ſuſpicatur, ſed nihil certitudinis habet: vel certus eſt, dæmonem iterum in ſuum corpus eſſe ingreſſum, illudque poſſidere.

Cum Vexatis primo modo Exorciſta ad inueſtigationem, & probationem recurrere debet, de quibus ſupra *à num.917. & ſequentibus*. Si enim ex huiuſmodi inueſtigatione, ac probatione nullum euidens diabolicæ præſentiæ ſignum habuerit, tunc dimittatur vexatus, & illum Exorciſta à falſa exiſtimatione remoueat, declarando, illas eſſe diaboli deceptiones, & illuſiones, vt illum ad diffidendum de diuina protectione inducat: horteturque ad diuinum continuè auxilium implorandum: vt docuimus ſupra *num.920.* verbo *quòd ſi patiens.* Quod intellige, quando tam ex parte Exorciſtæ, quàm ex parte Vexati perfecta pro dæmone ad obedientiam præceptis eccleſiaſticis exhibendam compellendo fuerit diſpoſitio.

Si verò Exorciſta ex euidentibus ſignis nouam dæmonis inuaſionem certam eſſe cognouerit, tunc Vexato perſuadere poteſt, vt certam eſſe inuaſionem credat; eumque interroget, an cupiat liberari, qui ſi negatiuè reſponderit, & pro tunc Exorciſta dæmoni abſolutè exitum præcipere, expediens eſſe non iudicauerit, actum ſuum ſuſpendere debet: quia de lege ordinaria, ſi patiens rationis ſit compos, ex parte eius voluntatis actus requiritur, vt ex Chriſti curationibus conſtat, in quibus ipſe dicebat patienti: *Vis ſanus fieri?* Ioan.5. *Creditis, quia poſſum facere hoc?* Matth.9. *Quid vis, vt faciam tibi?* Lucæ 18. *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*, Marci 11. Si autem liberationis deſiderium oſtendat, breuiter patiens inſtructionibus communibus ſuperiùs poſitis *num.920. & ſequentibus* inſtruatur. Et exemplificetur de illo, qui à peccato, quod eſt grauius vinculum, & acerbior vexatio, ſolutus, iterum in peccatum incidit, & iterum à peccato abſolutus euaſit, ſic etiam iterum vexatus iterum liberatur. Oſtendat, priores experientias neceſſarias non eſſe; ſed tantùm præceptum ſufficere expulſiuum. Vide ſupra n.814.

§. I.

1009 CVm ergo diligenter fuerit inſtructus, quod mirum non eſt, ſi fuerit iterum propter fragilitatem ſuam vexatus: quòd liberatio facillima erit: quòd cautior erit impoſterùm in reſiſtendo diabolicis ſuggeſtionibus: quòd Exorciſtæ præceptum præſtabit id, quòd priùs, quòd ſtatim facto præcepto meliùs ſe habebit, ſi ipſe perfectam ſuæ liberationis fiduciam habuerit; tandem breui oratione peracta, genuflexo Vexato ante Crucifixi imaginem, ſequens poteſt præceptum enunciare.

Exorciſmus ad dæmonem expellendum poſt nouam inuaſionem.

EGo N. miniſter Chriſti, & Eccleſiæ auctoritate mihi tradita à Deo, & ab Eccleſia in ordine Exorciſtatus, In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, & in virtute Sanctiſſimi nominis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, præcipio vobis ſpiritibus malignis, qui in corpore iſtius creaturæ Dei iterum ingreſſi eſtis, vt ſtatim exeatis, & recedatis ab ea, ac deſtruatis omne maleficium, quod præſtitiſtis in ea; ita quòd ampliùs non habeatis poteſtatem eam moleſtandi intrinſecè, vel extrinſecè, quacumque ratione, vel quocumque modo; neque apparendi ei ſub quacumque forma, vel figura, neque vllo modo eam perturbandi: Exite ergo ſpiritus immundi, ac recedite ab ea: quia ſic vobis præcipio, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. *Præceptū expulſiuum.*

§. II.

CVm vexatis autem, qui de regreſſu dæmonum in corpus ſuum certi ſunt, maxima prudentia procedere debet Exorciſta. Nam ſi conciperent, quòd dæmones pro ſua libertate corpora ingrediuntur: vel quòd eis ſufficiens reſiſtentia fieri nequit: vel quòd ſemper ſic erit: vel quòd nunc, aut aliàs liberari non poterunt: aut quòd fides notabiliter debilitata, & infirmata ſit, dum talibus detinentur erroribus, cum maiori difficultate, quàm priùs liberabuntur; ideò pro illorum cura vtillimum erit, quæ ſequuntur ab Exorciſta ſeruari. 1010 *Documēta ſeruāda pro vexatis liberatis certis de noua inuaſione.*

Primò examinandus eſt diligenter Vexatus pro inuenienda vera regreſſus cauſa: vt ſi nouum maleficium fuerit factum: ſi aliquem pauorem, aut timorem habuerit: ſi in reſiſtendo tentationibus, ac ſuggeſtionibus diabolicis ad diffidentiam de Dei protectione inducentibus negligens fuerit: vel ſi habitus eis aſſentiendi deſtructus non fuerit: vel alia huiuſmodi cauſa, qua inuenta, circa illam Exorciſta quàm maximè immoretur, vt illa totaliter remota, nullus per eam ad vexandum ampliùs reuertendi dæmonibus aditus aperiatur.

Secundò diligenter obſeruetur, an credat, vel crediderit poſt liberationem dæmones non verè exiſſe: & tunc dæmones eijcere difficile erit: quia ſi tot adhibitis hæſitauit, & Deum ad Exorciſtæ præceptum dæmonem eijcere velle non credidit, quid erit nunc? Ergo donec priùs iſta falſa remoueatur opinio, tota miniſterij exorciſtici operatio eſt ſuſpendenda.

Tertiò breuiter communis inſtructio quoad principalia puncta, de quibus ſupra *num.920. & ſeq.* repetatur. Et probetur per ea, quæ ſæpiùs vidit, & in ſeipſo expertus eſt, donec de omnibus ſit certiſſimus: & præcipuè quòd dæmonum regreſſus ob eius negligentiam in reſiſtendo diabolicis ſuggeſtionis, & ob minimam, aut nullam in Deum confidentiam fuit; Idcircò facillimum eſſe commoneat, iterum eum liberari, ſi ex præcordijs iterum in Deū ſuam fiduciam collocauerit, & quòd ſimilis eſt expulſio dæmonum à corpore vexato expulſioni peccatorum ab anima peccante. Peccata enim per contritionem, confeſſionem, & abſolutionem delentur: dæmones verò per fiduciam, & confidentiam

in

in Deum, & deteſtationem in dæmonem, ac per præceptum ab Exorciſta contra dæmonem factum expelluntur.

§. III.

Quando præcepta ab Exorciſta ſint formãda

QVartò Exorciſta præcepta pro experientijs nõ formet, niſi Vexatus ipſe pro maiori ſua ſecuritate id requiſierit. Nam ante omnia, quæ neceſſaria ſunt, ſufficienter vidit. Poteſt tamen Vexatum ipſum admonere, vt ipſemet per ſeipſum vexationes remoueat iuxta regulas ſuperiùs poſitas *num.929. & ſequentibus*, *& num.934. & ſequentibus*, & ſic, donec dæmon, ſicut priùs, totaliter fuerit depreſſus, atque ſubiectus, exerceatur.

Quintò, ſi Vexatus ex fidei debilitate tentationibus, ac ſuggeſtionibus diabolicis ad diffidentiam inducentibus imperfectè reſtiterit, præcepto lenitiuo iuuetur, donec perfectè ſuarum operationum dominus fuerit, ac cunctis dæmonum ſuperior machinamentis; ſemper tamen breuiter fidei actu præmiſſo, quo neceſſariò dæmon ad obedientiam præſtandam compellatur, vt ſupra annui *num.743. & num.934.*

Sextò totum exercitium hoc tempore adimplendum ordinatum erit ad deſtruendum attendendi, & dæmoniacis ſuggeſtionibus aſſentiendi habitum, & ad remouendum totaliter cauſam regreſſus, diffidentiam ſcilicet de concurſu Dei ad dæmonem expellendum; ac donec firmiter crediderit Deum abſque dubio ab Exorciſtæ præceptum dæmonem ab eo totaliter expellere velle ratione ſuæ infinitæ bonitatis, ac inuariabilis fidelitatis.

Septimò poterit Exorciſta ad probationes venire; ac præcipere, vt confidentiæ in Deum, ac deteſtationis in dæmonem actus eliciat: ac cætera, de quibus ſupra *art.5. de dæmone fugiente, & exeunte*, adimplere. Tandem hortari, eumque admonere, vt impoſterum maior ſibi ſit cura, maiuſque de eorum obſeruantia ſtudium, quæ ſunt ad præſeruationem neceſſaria, Deum iugiter, ac ſuppliciter exorando, vt ab eo diuinum petentibus auxilium præſtare dignetur, qui eſt benedictus, & glorioſus in ſæcula.

ARTICVLVS VIII.

De Dæmone infeſtante, ea quę ad hominem ſpectant.

1011 *Dæmon ob odium in hominem eius rebus nocere ſtudet.*

EA eſt dæmonis malitia, & inueteratum aduerſus hominem odium, vt nihil detur in orbe tam abſconditum, quod non penetret: diſtans, quod non attingat: fædum, quod non ſubeat, vt hominem quoquomodo queat perturbare: Nam cùm eius perſonæ malum inferre prohibetur, in rebus ſaltem ad eius vſum ſpectantibus virus ſuum diffundere, ac totalem earum deſtructionem perquirere non deſiſtit, vt benè docet Toſtatus quæſt. 126. in cap. 8. Matthæi: *Dæmones, inquit, tanto ardore hominibus nocere deſiderant, quod ſi non poſſunt nocere eis in ſeipſis, ſaltem volunt nocere in quibuſcunque rebus eorum.* Quapropter illum ex humanis corporibus expellere non ſufficit; ſed adhuc verbi Dei, & exorciſmi gladio coercendus eſt in omnibus rebus ad hominis vſum ſpectantibus, animalibus ſcilicet, domibus, locis habitabilibus, aere, campis, terræ frugibus, comeſtibilibus, potabilibus, medicinis, veſtimentis, ſuppellectili, ac cæteris quibuſcumque aliquo modo homini conuenientibus, vt ex omnibus deturbetur hic antiquus, ac veternoſus ſerpens, eiuſque venenatum virus poſſit expulſari.

Gladio exorciſmi eſt coercendus

At quia irrationabilia verbi Dei, ſeu exorciſmorum incapacia eſſe, incomperto eſt, ad ea verbi diuini gladium, ſeu adiurationem dirigemus ſecundùm quod ab alio ad nocendum mouentur, videlicet vel à Deo vlciſcente, vel à dæmone in illis operante. Si à Deo, Diuinam Maieſtatem deprecando, vt id malum auertat: Si à dæmone, imperando illi in nomine Ieſu, ne noceat, vel vt nocere deſiſtat, iuxta doctrinam D.Thomæ 2.2. *q.* 90. *art.*3. & alios ſupra relatos *num.734. & 735.* à maleficijs autem, quibus animalia bruta ad vſum hominis ſpectantia affici conſueſcunt, incipiemus.

Irrationalia exorcizãtur, vt mouẽtur ab alio.

QVÆSTIO I.

Quibus modis animalia bruta à dæmonibus vexentur.

RESpondetur, tripliciter animalia à dæmonibus moleſtari. Primò eorum corpora ingrediendo, & ipſis aliquod vel bonum, vel malum ſupra beſtiarum naturam operando: quo modo permittente Chriſto porcorum corpora inuaſerunt. Sed hic modus frequens non eſt. Secundo modo extrinſecè impedimentum eorum operationibus ponendo: vt equis in via, ne progrediantur; canibus, ne latrent: bobus, ne rectè operentur, & id generis. Tertiò damnum eorum corpori inferendo, ita vt vel moriantur, vel penitus mutilentur. 1012

Vexationes brutis à dæmone inflicta.

QVÆSTIO II.

Quomodo ſit eis ſubueniendum.

RESpondetur, vt debita remedia illis applicari valeant, opus eſſe priùs cognoſcere, quando huiuſmodi beſtiæ ſint maleficijs perturbatæ. Coniecturare ergo poſſumus, in eis dæmonem operari, quando aliquid præter naturæ curſum operantur, quarum operatio ad præceptum dæmoni factum ab Exorciſta, deſiſtit; tunc enim euidens eſt diabolicæ præſentiæ ſignum, cùm beſtiæ in operando obediunt præceptis Exorciſtæ. 1013

Modus cognoſcẽdi quandò beſtiæ ſunt maleficio affectæ.

Verùm, cùm prædictas operationes in beſtijs, niſi per relationem ad hominem minimè excitet (nam cùm hominis ſint, illas regulariter, propter odium, quo hominem ipſum proſequitur cruciat, vt docet Toſtatus *quæſt.120. in cap.8. Matthæi* non enim nocet beſtijs, quæ ſunt in deſerto) ideò dominus, vel beſtiarum cuſtos eſt in his, quæ hic ſubijciuntur, inſtruendum.

Primò ergo ab Exorciſta, vel Parocho inſtruendus eſt, & admonendus, vt confiteatur peccata ſua; vt, ſi Deus hæc propter illa permiſiſſet, per pænitentiam vlciſcenti Dei iuſtitiæ ſatisfaciat; idcircò humiliter, deuotè, & ex præcordijs peccata ſua deteſtetur, Deumque ſuppliciter, vt ſibi omnia peccata ſua dimittat, exoret.

Secundò admonendus, vt firmiter ſuper res ſuas nihil dæmonem poſſe, ſi ipſe & pro ſe, & pro omnibus,

nibus, quæ ad ſe ſpectant, in Deum ſuam fiduciam conſtituerit; & quòd dubio procul Deus & ipſum, & omnia ipſius ſit à quacumque dęmonis inuaſione, & infeſtatione protecturus: vt latè proſecuti ſumus ſupra vbi *de fructibus fiduciæ in Deum tom.* 1.

Tertiò iubeat Exorciſta, vel Parochus, vt dominus, vel beſtiarum cuſtos genuflexus humiliter, ac deuotè, & peccatorum ſuorum contritionis, & confidentiæ in Deum, ac deteſtationis in dæmonem ſequenti, vel alia ſimili formula actum eliciat, quam, ſi legere neſciat, de verbo ad verbum Exorciſta dictabit.

Oratione da farſi à Dio da' padroni, ò cuſtodi delli animali maleficiati, per liberarli da' maleficij.

1014 SIgnor mio Gieſù Chriſto, eccome ſeruo voſtro indegniſſimo quì proſtrato innanzi la Maeſtà voſtra, confeſſo, che v'hò offeſo in varij modi; ma in particolare nell'amar troppo la robba, e le coſe à me ſpettanti, hauendo molte volte antepoſto la cura, e diligenza nel cuſtodire le coſe temporali alla cura, e diligēza nel cuſtodire pura, e ſenza macchia l'anima mia nel conſpetto voſtro; & in quel tempo, che impiegar doueuo nel lodare, e glorificare il voſtro ſantiſſimo Nome, aſcoltare i diuini Officij, e frequentare li ſantiſſimi Sacramenti, l'hò impiegato ſolo negl'intereſſi temporali, e però meritamente la Maeſtà voſtra hà permeſſo, che queſti miei animali, de' quali mi ſeruo ne gl'intereſſi temporali, ſiano dal demonio miniſtro della voſtra giuſtitia veſſati, e mal trattati. Però hora cō tutt'il cuore di tutti i miei peccati ve ne chieggo perdono, proteſtandomi, che per l'auuenire non voglio più offenderui; ma coll'aiuto voſtro vi voglio amare ſopra tutte le coſe con tutto il mio cuore, con tutta l'anima mia, e con tutte le forze mie; & affaticarmi, che dalli altri ancora della mia caſa ſiate amato, e ſeruito; così intendo per l'auuenire, tutto quello, che farò, dirò, e penſarò di farlo, dirlo, e pēſarlo à laude, e gloria voſtra. Vi prego dunque per la grandezza della voſtra bontà, e miſericordia, per l'infinita voſtra clemenza, e pietà, per honor, e gloria del voſtro ſātiſſimo Nome vogliate perdonarmi i miei peccati, e concedermi gratia, che per l'auuenire non vi offenda, ma che vi ami ſopra tutte le coſe, & indrizzi in ordine alla gloria voſtra non ſolo tutti i miei penſieri, parole, & operationi; ma tutte le coſe ancora à me ſpettanti: quali hora vi prego vogliate cuſtodire, e liberare da qualſiuoglia infortunio, & in particolare queſti miei animali ordinati per vſo della mia caſa vogliate liberare da qualſiuoglia maleficio, ligatura, incanteſimo, veſſatione, e moleſtia de' demonij, e de' ſuoi miniſtri. Così vi prego ancora vogliate proteggere tutte l'altre coſe à me ſpettanti, campi, vigne, prati, frutti, merci, vtenſilij, e robbe di qualſiuoglia genere poſte ſotto la mia cura, preſeruandole da qualſiuoglia infortunio, & auuerſità; poiche intendo, che per l'auuenire il tutto ſia collocato, e cuſtodito dalli Angeli ſotto la protettione del voſtro SS. Nome.

Actus cōtritionis. *Actus amoris erga Deum* *Actus cōfidētiæ in Dei protectione.*

§. I.

HAc proteſtatione peracta, Exorciſta, vel Parochus præceptum, ſeu exorciſmum contra dęmones ſequenti formula efformet.

Exorciſmus ad dæmones ab animalibus expellendos.

EGO N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ contra vos, ſpiritus maligni, qui veſtris maleficijs has beſtias, & alia ad vſum iſtius hominis ſpectantia infeſtatis, venio: & in nomine Ieſu præcipio vobis, vt ſtatim exeatis ab hiſce animalibus ſub dominio, vel cura iſtius hominis conſtitutis, & à quibuſcunque rebus ad illum pertinentibus, ac totaliter recedatis à loco iſto, ac deſtruatis omne, quod perfeciſtis maleficium: nec ampliùs poteſtatem habeatis nocendi eis, ac vexandi ea ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè: nec apparendi eis ſub quacumque forma, vel figura, nec impediendi eorum operationes naturales, ita vt liberè, & ſine vlla moleſtia, vel retardatione eorum dominus, vel cuſtos eis vti poſſit, quandocumque opus fuerit. Fugite ergo, ac recedite ſpiritus maledicti: quia ſic præcipio vobis, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. 1015 *Præceptū expulſiuum.*

Oratio deprecatiua ad Deum pro beſtijs à maleficijs liberandis.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ab origine mundi creans hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, ad ipſius vſum, & leuamen feciſti etiam animam viuētem ſuper terram in genere ſuo: iumenta, equos, boues, & oues, cæteraque animalia, & beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas: te humiliter deprecamur, vt hoc animal (*ſi plura fuerint, dicatur*: vt hæc animalia) liberare digneris à quocumque maleficio, ligatura, ſignatura, infeſtatione demonum, ac miniſtrorum eius, & à qualibet lue, peſte, ac morbo contagioſo, vt tradita ei (vel eis) ſanitate, deſeruire poſſit (uel poſſint) ad uſum domini ſui, qui in Eccleſia tua gratiarum tibi referat actiones. Qui uiuis, regnas in ſæcula ſæculorum. *Oratio deprecatiua.*

Poſtea Exorciſta animalia aqua benedicta aſpergat, ac benedicat ouilia, fænum, aquam, ſal, & alia huiuſmodi benedictione poſita infra *n.* 1026. ea omnia aqua benedicta aſpergendo.

Tandem dominum, vel eorum cuſtodem admoneat, vt illis liberè vtatur, & de eis ſine vllo timore diſponat, nec ea maleficio eſſe infecta amplius cogitet:

gitet: ac ſine vlla hæſitatione Deum pro ſua infinita bonitate, ac pietate, & ob honorem Sanctiſſimi nominis Ieſu huiuſmodi animalia, ſeu beſtias à quacumque dæmonum infeſtatione, aut alio infortunio protecturum eſſe confidat.

QVÆSTIO III.

Quibus modis à dæmonibus domus ſoleant moleſtari.

1016 *Moleſtia domib. à dæmonibus effecta.* Reſpondetur, domus à ſpiritibus immundis diuerſimodè vexari ſolere, ita vt multoties inhabitabiles reddantur. Nam in illis quandoque in vmbrarum forma ad habitatores, alioſque homines terrendos ſe oſtendunt. Aliquando ſibilant, loquuntur, rident, alioſque plures fingunt rumores. Aliquando vaſa confringunt, illa euertunt, habitantes perturbant, dormitionem, ſeu ſomnum impediũt, aliaque mala grauiſſima inferunt, vt lapidum iactus, gladiorum, & id generis demonſtrationes, ſæpiſſimè percuſſiones infligendo. Quandoque ſub hircorum veruecum, ac felum forma apparent, vel mõſtrorum. Aliquando leuiores turbationes efficiunt, vt ſuſcitare dormientes, eos tegumentis detegere, coopertoria, & linteola trahere, & alia huiuſce generis plura operari: de quibus latiſſimè, cùm de terriculamentis diurnis, ac nocturnis, alijſque dæmonum apparitionibus ſupra tom. 1. diſput. 2. latè pertractauimus. Aliquando fingunt ſe eſſe animas mortuorum recenter defunctorum. Ita eueniſſe refert Lucas Vvadingus in Annalibus Minorum tom. 5.

Anno Chriſti 1426. Cum S. Bernardinus Senenſis tunc Bergomi biennio moraretur occupatus in conſtruendo Monaſterio Sanctæ Mariæ Gratiarum ab Vrbe Bergomate diſceſſit, & perrexit in Vallem Serianam, in qua Oppidum eſt Cluſonum frequens, ac celebre, caputque fermè totius Vallis ſuperioris, vbi dum prædicandi fungens officio, paucos moratur dies, factum eſt, vt non procul ab Oppido Montanus quidam vita excederet: triduo poſtquam ſepultus eſt, immundi ſpiritus vox ex ædibus audita, animam mortui illius ſimulantis, & plurima bona patrisfamilias, ſi ſibi paruiſſet, pollicentis. (Rebelles enim, & inuidi ſpiritus in id præcipuè incumbunt, vt in eandem calamitatem, quam quondam ipſi ſuperbia elati inciderunt, quãplurimos trahant; idque illis facilè ſuccedit, ſi ſe per omne obſequium inſinuare in animos incautorum, & fouenda ſpe honorem, qui ſummo Deo debetur, ad ſe traducere poſſint. Verùm prudentes Dei miniſtri diabolicas artes optimè agnoſcunt; & ne pro veris, quæ illi fallaciter pollicentur, audiantur, efficiunt.) Itaque nuncio Cluſonum de hac re allato, S. Bernardinus veritus, ne quis in fraudem laberetur, plurimis proſequentibus eò contendit, & in ædibus incluſus, commiſſo cum hoſte certamine, qui non priùs deſtitit, quàm eum è domo illa eiecit. Hæc Vvadingus ex Benalio in comment. Bergomat.

QVÆSTIO IV.

Quomodo domus à ſpiritibus malignis ſint purgandæ.

Reſpodetur, Primò, antequam ad infeſtatum locum Exorciſta accedat, interrogandos eſſe dominos, vel habitatores domus de infeſtationis tempore, quando ſcilicet, & quomodo incæperit, & quandiù durauerit; & quo tempore ſoleat eſſe moleſtia maior: item de ſpeciali loco: ſi per totam domum: vel in aliquo ſpeciali cubiculo: Pari modo, an ſcire, aut imaginari poſſint vexationis cauſam: & quid credant: Item ſi moleſtent omnes habitantes, vel dominos tantùm: & ſi hos tantùm in domo, vel etiam extra domum: Item quos, & quantos producant effectus: Item ſi aliquod vmquam adhibitum remedium fuerit; & quodnam, & quale ſit præſtitum: Si aliquid petierint ſpiritus, & quid: ſi maior vni, quàm alteri habitatori moleſtia inferatur: Si extra domum à vicinis, vel ab ipſis habitantibus aliquid audiatur, vel videatur: Si in oratione, vel alijs ſpiritualibus exercitijs habitatores moleſtentur. 1017 *Inueſtigatio facienda de vexatione domus*

Secundò, conuocatis vexatæ domus habitatoribus, inſtruantur ab Exorciſtâ circa ea, quæ in communi inſtructione *à num. 920. & ſequentibus*, credenda proponuntur: præcipuè Deum dæmonibus, vt animæ, vel corpori, vel in rebus ad ipſos homines ſpectantibus noceant, niſi ob aliquam iuſtam cauſam, permittere non ſolere. In anima numquam, vt dæmon eam in mortalem culpam inducat, permittere ſine ipſius voluntatis conſenſu: In corpore verò, & rebus, ex parte ipſius Dei ob eius gloriam, & Eccleſiæ ſuæ Sponſæ ſplendorem: ex parte hominum ob bonorum profectum: & ob malorum pænam, & alijs de cauſis, de quibus ſupra latiſſimè vbi *de permiſſione tom. 1. à num. 45. vſque ad num. 94.* *Inſtruendi habitatores domus à liberatione.*

Tertiò, admonendi ſunt habitatores, ne dæmonibus, vel hominibus aſſerentibus, talem vexationem à quibuſdam animabus, vel purgantibus, vel damnatis fieri facilè credant: quia purgantes ſuffragia petunt, & poſt ſuffragia accepta quieſcunt, nec ampliùs aliquem perturbant: damnatæ verò in inferno recluduntur, vt benè pluribus auctoribus probauimus ſupra t. 1.

§. I.

Qvartò, habitatores Exorciſtæ ſe maximè conformare debent, illique fidem præſtare, ac ſuam in Deo fiduciam collocare, nulloſque modo diuina freti protectione dæmones pertimeſcere: quia, vt planè ex diuina ſcriptura conſtat, nihil poſſunt dęmones contra eos, qui ſine hęſitatione in Deo ſuam fiduciam collocarunt. Ideò dæmonibus, ac dęmoniacis ſuggeſtionibus reſiſtere debent, quas inſtillare ſolent, vt homines ad diffidendum de Dei bonitate, eiuſque aſſidua cuſtodia, ac protectione inducant; ſed animo virili, ac hilari corde, quæ ab Exorciſta præcipiuntur, ſtudeant adimplere.

Quintò, Exorciſta eos moneat, quòd diabolus ſępiſſimè vexatæ domus habitatoribus falſas ſolet cogitationes immittere, phantaſiæ objiciendo, quòd domus illa ſub eorum ſpirituum dominio eſt: quòd numquam diſcedent; quod ibi ad aliquem cuſto-

cuſtodiendum theſaurum: vel ad torquendas animas: vel quia in ea domo peccator aliquis mortuus eſt; vel propter alia huiuſmodi debent permanere. Ideoque huiuſmodi ſuggeſtionibus faciliter aures non præbeant; nam hæc, licèt quandoque eueniant: tamen vt plurimum ſunt falſa, & figmenta.

QVÆSTIO V.

Quid agendum ab Exorciſta, & domus habitatoribus in actu liberationis.

1018 *Ordo ſeruãdus in liberandis domibus à vexationib.* IN liberationis actu hunc ordinem ſeruare vtilliımum erit.

Primò, poſt inſtructionem, accepta cruce cum candelis benedictis accenſis, & aqua benedicta, domus Habitatores vnà cum Exorciſta ſtolam ad collum geſtante ad portam domus principalem proceſſionaliter accedant, & ibi aliquantulum orent, Litanias Sanctorum, vel aliud huiuſmodi recitando.

Secundò, ſic proceſſionaliter procedentes locum principaliter vexatum ingrediantur, vbi iterum orent recitantes Pſalm. 90. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi*. Poſtea eos hortetur Exorciſta ad fidei, ac confidentiæ actus in Deum eliciendos, ita vt Deum ad præceptum Exorciſtæ eius miniſtri, qui in eius nomine præcipit, ac ipſius virtute operatur firmiter credant concurſurum. Quare Exorciſta dæmonibus, ſi adſint, præcipere poterit, vt leuem aliquem ex ijs, quos cauſare ſoliti erant, cauſent rumorem, ſine vlla tamen Exorciſtæ, & habitatorum ne minima quidem læſione: quem ſi efficient, ſtatim præcipiat, vt à tali rumore deſiſtant; poſtea habitatores ad credendum hortetur, quòd ſicut huic præcepto obedierunt, ita vltimo præcepto obedient expulſiuo. Si verò dæmones ad præceptum ab Exorciſta factum nullum cauſent rumorem, ſicuti cauſare conſueuerant, nec aliud ſuæ præſentiæ ſignum exhibeant, ſubiungat Exorciſta, & habitatores cõmoneat, quòd dęmones nullum ſignum dederunt, eo quia iam à Deo facultas vlterius habitatores diuexandi eis facilè eſt ſublata.

Tertiò iubeat, vt dominus, vel habitator, ſeu domus cuſtos cum cæteris genuflexus contritionis, ac confidentiæ in Deum actus eliciat, dæmonem ſequenti, vel alio modo deteſtando:

Oratione da farſi à Dio dalli habitatori delle Caſe moleſtate, per liberarle da dette veſſationi diaboliche.

1019 *Actus cõfidentiæ in Deum ad domus à vexationib^9 diabolicis liberãdas.* SIgnor mio Gieſù Chriſto, ecco, ch'io viliſſimo ſeruo voſtro indegno proſtrato innanzi la Maeſtà voſtra conoſco, e confeſſo, che v'hò più volte grauemente offeſo, e l'iſteſſo facilmente haueranno fatto ancora li altri miei di caſa, così hora viuenti, come anco quelli, che di già ſono morti in queſta caſa; che però di tutte l'offeſe, ch'io, e tutti quelli di queſta caſa così viuenti, come morti, v'habbiamo fatte, io ve ne dimando perdono, sì come queſti, che hora ſono preſenti qui inginocchiati, intendono di fare, e confermare queſta mia proteſta. Vi prego dunque per l'infinita voſtra bõtà, e miſericordia, per la fedeltà nelle promeſſe voſtre, per honor, e gloria del voſtro ſantiſſimo nome, per l'efficacia della voſtra ſantiſſima paſſione, per i meriti della Vergine ſantiſſima voſtra dilettiſſima Madre, e delli Angeli noſtri cuſtodi, e Santi N. N. noſtri deuoti vogliate à noi viuenti rimettere le noſtre colpe, & a' morti purganti, che ſono in luoco di ſalute, rimettere le pene, che patir deuono per le loro colpe, offerendomi d'adempire per eſſi quelle opere ſatisfattorie, che da' Padri ſpirituali mi ſaranno impoſte. Così humilmente vi ſupplico concedere à tutti noi la gratia voſtra, e difenderci dall'inſidie, e moleſtie de' demonij, & in particolare da quelle, che ſogliono cagionare in queſta caſa, degnandoui con la virtù, e poteſtà voſtra infinita al precetto, che li farà à nome voſtro queſto Reuerendo voſtro miniſtro, e rappreſentante, ſcacciarli, e bandirli ſubito fuori lontani da queſta caſa, ſiche per l'auuenire non poſſano più moleſtare, ne internamente, ne eſternamente li habitatori di eſſa, ne apparirgli ſotto qualſiuoglia forma, ò figura: poiche intendo, che per l'auuenire, e la caſa, e li habitatori di eſſa ſiano collocati ſotto la protettione del voſtro ſantiſſimo nome.

§. I.

Atto di deteſtatione contro li demonij.

ET à voi diauoli maladetti ribelli di Dio, perturbatori della pace, e della quiete, per la fede, e confidenza, che hò poſto in Gieſù Chriſto, hauendo io cura di queſta caſa, comando nel nome di Gieſù Chriſto, ch'al precetto, che farà queſto Padre Sacerdote, dobbiate ſubito partirui da queſta habitatione: perche eſſendo da me poſta ſotto la protettione del ſantiſſimo nome di Gieſù, nel quale hò poſto tutta la mia confidenza, pretendo, che non habbiate più poteſtà di ſtar'in eſſa, ne di moleſtare in modo alcuno li habitatori di quella.

His actibus elicitis, & enunciatis à domino, vel principali habitatore, vel domus cuſtode, Exorciſta immediatè ſtans cæteris genuflexis cum maieſtate terribili, ac voce grandi, dextera eleuata manu ad inſtar minitantis, exorciſmum ſequenti, vel ſimili forma pronunciet.

§. II.

Exorciſmus ad expellendos dęmones à domibus vexatis.

1021 *Præceptũ expulſiuum.* COntra vos, ſpiritus apoſtatici, oſores hominum, perturbatores pacis, pleni omni dolo, & fallacia, nequiſſimi dracones, Ego N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ venio, & in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti præcipio vobis, vt illicò, ac ſine mora recedatis ab hac domo, nec ampliùs poteſtatem habeatis habitandi, vel diſcurrendi in ea: vel eius habitatores diuexandi, aut quocumque modo inquietandi, vel perturbandi die, vel nocte: vel eis apparendi ſub quacumque forma, vel figura: vel ſtrepitus, tumultus, ac rumores excitandi; aut voces formandi: aut quicquid aliud operandi; ſed prorſus, & eminus ab ea recedatis. Exite ergo ſpiritus maledicti, ac fugite ſine mora: quia ſic præcipio vobis in nomine Ieſu: ſic volo, ſic iubeo, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde locum, & habitatores aſpergat aqua benedicta.

Eodem modo Exorciſta ad omnes cellas, cameras, ac cubicula vexata ſe gerat, iubeatque omnes genuflectere, & orare, ac præcipuè principalem illius cubiculi habitatorem actum fidei, ac confidentiæ in Deum, nec non deteſtationis in dæmonem elicere, & præſcripto modo, ſeu breuiori ad Exorciſtæ libitum, & iuxta vniuſcuiuſque deuotionem pronunciare: ac poſtea Exorciſta præpoſita, ſeu breuiori formula præceptum repetat expulſiuũ.

§. III.

1021 *Orationes deprecatiuæ recitandę ab Exorciſta.* POſt quodlibet præceptum, ſeu exorciſmum expulſiuum Exorciſta ſequentes orationes deprecatiuas ſubiungat, vt Deus virtute ſua, quod ab Exorciſta operatur, perficere dignetur.

Orationes deprecatiuæ ad obtinendum à Deo expulſionem dæmonum à domibus, quas infeſtant.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cęlum, & terram.
℣. Fiant aures tuæ intendentes.
℟. In vocem deprecationis meæ.
℣. Dominus ſit in loco iſto.
℟. Et cum omnibus habitantibus in eo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

INclina, quæſumus Domine, aures tuas ad preces noſtras, quibus te humiliter deprecamur, vt locum iſtum (vel domum iſtam) tua benedictione impleas, & efficias, vt in eo (vel in ea) ſit ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, manſuetudo, plenitudo legis, confidentia in nomine tuo, & gratiarum actio tibi Deo trino, & vno: neque contra eum (vel contra eam) ampliùs præualere poſſit teterrimus dæmon: nec poſſint habitatores eius à dæmonum illuſionibus, præſtigijs, incantationibus, maleficijs, apparitionibus, infeſtationibus, ac vexationibus perturbari; ſed omnes ſentiant in eo (vel in ea) tuam omnipotentem in hac ſacerdotali benedictione concurriſſe, qua potenter eripiantur, liberentur, ac preſeruentur ab omnibus diabolicis inſidijs, moleſtijs, atque nequitijs, & à quocumque malo mentis, & corporis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

OREMVS.

VIſita, quæſumus Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle. Angeli tui ſancti habitent in ea, qui habitantes in pace cuſtodiant; & benedictio tua ſit ſuper eos ſemper.

Exaudi nos Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde aſpergatur aqua benedicta; poſtea incenſo, (ſi adſit) thurificetur.

Tandem Exorciſta domum, & omnes in ea habitantes genuflexos benedicat, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat ſemper. Amen.

QVÆSTIO VI.

Quomodo domus à dæmonum moleſtijs ſint præſeruandæ.

REſpondetur pro præſeruatione eligenda eſſe ex his, quę dicta ſunt de præſeruatione à maleficijs ſupra *num.* 1004. *& ſequent.* ea, que magis opportuna videntur. Poterunt nihilominus etiam quæ ſequuntur adimpleri. 1023 *Modus præſeruãdi domos à moleſtijs diabolicis.*

Primò domus illius dominus cum tota ſua familia ſaltem tribus diebus ad Sanctiſſimæ Trinitatis honorem, antequam ſtratum petant, in domo iam vexata genuflexus Sanctorum recitet Litanias, vel Beatiſſimæ Virginis, addendo orationem, *Viſita quæſumus, &c.* ſupra poſitam, vna vel duabus candelis benedictis accenſis, ac thure fumigante; ac tandem aqua benedicta domum, ac omnes in ea habitantes aſpergat.

Secundò conſiderent habitatores, quòd dæmones ab illa totaliter domo facti ſunt exules: & quòd iam Angeli Sancti eam in habitationem ſibi elegerint; ideò quilibet eorum die, noctuque aſſociatus, vel ſolus ſine timore, aut tremore, imò cum gaudio, ac lætitia in ea diſcurrat, ambulet, & ſecurus permaneat, Deum ſemper laudando, ac glorifi-

rificando, qui numquam in ſe ſperantes, ac confidentes confundit, vel derelinquit; ſed ſemper adiuuat, ac tuetur.

Tandem ſuper omnia habitatores certam liberationis, ac præſeruationis habeant fidem, quæ inter omnia primum, ac principaliſſimum preſeruatiuum eſt, & inexpugnabile ſcutum, in quo omnia nequiſſimi hoſtis tela facillimè poterunt retorquere.

QVÆSTIO VII.

Quomodo aues, vermes, mures, locuſtę, & animalia terram, vel fructus vaſtantia ſint deſtruenda.

1024 *Modus deſtruendi animalia fructus terræ deuaſtantia.* RESpondetur in primis à Parocho eorum agrorum, vel fructuum, quos noxia adeò animalia depopulantur, dominos inſtruendos eſſe, vt credat, quæ credenda docentur, & quæ adimplenda traduntur, adimpleant, vt ſuperius *n.* 1013. *& ſeq.* habetnr, & in Deum confidentiæ, ac deteſtationis in dæmonem actus eliciant, vt ſupra *num.* 1014. mutatis mutandis, & additis addendis.

Secundò Parochus conditionatum exorciſmum efformet, addendo: ſi fortaſſe dæmones ipſi ſint propinqua, vel ſaltem remota huiuſmodi deuaſtationis cauſa, ſequenti tenore:

Exorciſmus contra dæmones, aues, vermes, mures, locuſtas, & alia animalia producentes, vel ducentes ad campos, ac fructus deuaſtandos.

Præceptũ expulſiuum conditionatum. EGo N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ contra vos, maledicti dæmones, qui ad aliud non collimatis, quàm ad damna hominibus inferenda: & cùm à Deo vobis non permittitur, eis nocere in anima, vel in corpore, ſaltem in rebus temporalibus illis officere nitimini, nunc venio, & ſi fortaſſe vos iniquiſſimi has aues, vermes, mures, vel locuſtas, & alia huiuſmodi animalcula has vineas, has fruges, hæc prata, ac fructus deuaſtantia, actiua paſſiuis applicando, produxiſtis, illa de potentia materiæ educendo: vel iam educta naturaliter collegiſtis, & collecta huc deduxiſtis, ac per hos agros ortos, vineas, plantas, ac fruges diſperſiſtis, auctoritate mihi tradita à Deo, & ab Eccleſia in nomine Ieſu Chriſti præcipio vobis, vt iterum illa deſtruatis, corrumpatis, & in priſtinam materiam reducatis: vel aliò transferatis, vbi nemini nocere valeant: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

§. I.

TErtiò Deum deprecetur, vt ipſe virtute ſua, vel per Angelos ſuos deſtruat, & ad nihilum huiuſmodi animalcula redigat, à quacumque cauſa ſiue naturali, ſiue tranſnaturali ad talem perniciem inferendam ſint producta.

Orationes deprecatiuæ contra aues, vermes, mures, locuſtas, vel alia animalcula, arbores, vel fructus deuaſtantia.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Orationes deprecatiuæ cõtra animalcula fructus terræ deuaſtantia.*
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi: vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, & hanc auium, vermium, ſeu murium, aut locuſtarum, vel aliorum animalium infeſtationem patimur, pro tui nominis gloria ab ea miſericorditer liberemur, vt procul à tua potentia expulſi nulli noceant; & hos campos, agros, arbores, fruges, vel vineas in tranquillitate, & quiete dimittant: quatenus ex eis ſurgentia, & orta tuæ Maieſtati deſeruiant, & noſtræ neceſſitati ſubueniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miſerator, in cuius nomine omnia genuflectuntur, cæleſtia, terreſtria, & infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, vt quod de tua miſericordia confiſi agimus, per tuam gratiam efficacem conſequatur effectum: quatenus hos peſtiferos vermes, vel mures, aues, vel locuſtas, aut alia animalcula per nos ſeruos tuos maledicendo maledicas, ſegregando ſegreges, exterminando extermines, vt per tuam clementiam ab hac peſte liberati gratiarum actiones maieſtati tuæ liberè referamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

§. II.

Benedictio communis ſupra fruges, & vineas.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. 1025
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

ORamus pietatem tuã omnipotens Deus, vt has primitias creaturæ tuæ, quas aeris, & pluuiæ temperamento nutrire dignatus

tus es, benedictionis tuæ imbre perfundas; & fructus terræ tuæ vſque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, vt à fertilitate terræ eſurientiū animas bonis affluentibus repleas, & egenus, & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergat illas aqua benedicta.

Alia benedictio ſuper eaſdem.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

TE, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur, vt miſericordia tua iugiter nobis concedas ſufficientem meſſium copiam, fructuum omnium largitatem tribuas: vinearum quoque ſubſtantiam abundanter, arborum fœtus, prouentuſque omnium rerum: atque ab ipſis omnibus peſtiferum ſydus, tempeſtatis procellam, & grandinis fragorem, & vniuerſa mala auertere digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne Deus multiplica ſuper nos miſericordiam tuam: & preces noſtras benignus exaudi: vt ſuper has fruges famulorum tuorum veniat ſperatæ bene✠dictionis vbertas: vt repleti de frugibus tuis in tuo nomine de tua gratia ſemper exultent, Per Chriſtum Dominum &c.

Aſpergantur aqua benedicta.

§. III.

1026 **Benedictio fæni, paſcuorum, ſalis, & aquæ pro animalibus à maleficijs liberandis, ac preſeruandis.**

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

Pſ. 103. *Pſ. 144.* OMnipotens æterne Deus, qui producis fenum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, quique aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione, dans eſcam omnibus in tempore opportuno; exaudi preces ſeruorum tuorum, & ſuper hoc fænum, paſcua, ſalem, & aquam, tuam ſanctiſſimam ✠ benedictionem infundere digneris, vt quæcumque animalia ex eis ſumpſerint, ab eis diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, liberentur, ac præſeruentur ab omni maleficio, noxa, & infeſtatione dæmoniaca: & à quacumque lue, peſte, ac morbo contagioſo: vt illis tua diuina virtute adiutis, atque protectis, eorum domini, ac cuſtodes gratiarum tibi in Eccleſia tua referant actiones. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergantur deinde aqua benedicta.

Alij exorciſmi, coniurationes, ac benedictiones pro dæmonibus coercendis aereas tempeſtates cientibus, fulmina, ac grandines excitantibus, ac per ipſas, ſicut & per vermes, bruchos, locuſtas, erucas, & id generis animalcula, vineas, campos, & fruges deuaſtantibus, ac deſtruentibus ex Rituali Romano nouiſſimæ impreſſionis ſunt petendi.

§. IV.

HIc tamen omittendæ non ſunt communes aliarum rerum ad vſum hominis ſpectantium benedictiones, quæ maximæ hominum conferunt vtilitati. Nam cùm dæmon diuinam obſcurare benignitatem, ac liberalitatem maximoperè tentet, qua Deus ad nobis abundè dona elargienda excitatur, nos, per huiuſmodi benedictiones, ipſius in bonis nobis conferendis abundantiam teſtamur: Benedictio enim abundantiam ſignificat ſecundùm illud Geneſis c. 22. V. 18. *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*, vt eruditè docet Paulus Carraria *tom. 2. de Regulari, ac myſtica Regularum Iuris canon. interpret. & verit. Reg. 3. art. 1. pun. 5. num. 7.* Idcircò ſequentes, vt viſitatores ſubijciemus. 1027 *Variæ benedictiones.*

Benedictio Panis, & vini, & quorumcumque comeſtibilium.

Adiutorium ✠ noſtrum in nomine Domini.
Qui fecit cælum, & terram.

Exorciſmus.

EXorcizo vos creaturæ panis, & vini, & cuiuſcumque comeſtibilis, In nomine ✠ illius, qui panes in deſerto benedixit, & multiplicauit: qui aquam in vinum conuertit, & manna in deſerto patribus dedit omne delectamentum in ſe habentem, vt ſitis fortitudo, ſanitas, & purificatio huic, & omnibus Dei creaturis ex vobis ſumentibus ad effugandos omnes ſpiritus immundos, omnemque nefariam vim Diaboli, & omnes figuras Sathanæ exterminandas: Per eum, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſæculum ſæculorum. Amen.

OREMVS.

OMnipotens Deus, æternæ vitæ, & Angelorum panis viuus, qui Eliam in fortitudine

dine ſubcinericij panis vſque ad montẽ Oreb ambulare feciſti, & quinque panes in deſerto tua ſancta benedictione multiplicaſti, aquam in optimum vinum tranſubſtantiaſti, Moyſemque, & populum tuum in deſerto cibis ſuauiſſimis cibaſti, purificare, † benedicere, † & ſanctificare † digneris has creaturas cibi, & potus, quas in nomine ſancto tuo purifico, † benedico, † & ſanctifico, † vt omnibus ex eis comedentibus, ac bibentibus ſint contra maleficia, inſidias, & callidi hoſtis morbos præſidium, & tutamen: & comedentium corda, viſcera, & cuncta corporis membra per Spiritus ſancti gratiam benedicantur. Quæ omnia maleficia, incantationes, ligationes, ſignaturas, & facturas, per hæc comeſtibilia, & potabilia benedicta deſtruo, † annihilo, † & à corporibus humanis eradico: † Per te Ieſu Chriſte, qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

Alia Benedictio Panis.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene † dicere digneris hunc panem tua ſancta ſpirituali benedictione: vt ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis, & corporis; atque contra omnes morbos, & vniuerſas inimicorum inſidias tutamen. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuũ, panem viuum, qui de cælo deſcendit, & dat vitam, & ſalutem mundo: & tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus: per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

Alia Benedictio ad quodcumque comeſtibile.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

BEne † dic, Domine, creaturam iſtam N. vt ſit remedium ſalutare generi humano: & præſta per inuocationem ſancti nominis tui, vt quicumque ex ea ſumpſerint, corporis ſanitatem, & animę tutelam percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Salis.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

DOmine Deus, Pater omnipotens, qui hãc gratiam cælitùs ſali tribuere dignatus es, vt ex illo poſſint vniuerſa condiri, quę hominibus ad eſcam procreaſti, bene † dic hanc creaturam ſalis ad effugandum inimicum: & ei ſalubrem medicinam immitte, vt proficiat ſumentibus ad animæ, & corporis ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amẽ.

Et aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Agni, & aliarum carnium.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

DEus, qui per famulum tuum Moyſen, in liberatione populi tui de Ægypto agnum occidi iuſſiſti in ſimilitudinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vtroſque poſtes domorum de ſanguine eiuſdem agni perungi præcepiſti: quique in priori Teſtamento carnes animalium in ſacrificio offerri voluiſti, & in cibum & refectionem hominibus conceſſiſti; quæſumus vt hanc carnem bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris, quam famuli tui ad laudem tuam ſumere deſiderant, per reſurrectionem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti: Qui tecum viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Et mox aſpergat aqua benedicta.

Benedictio ouorum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

SVperueniat, quæſumus Domine, tuæ benedictionis gratia huic ouorum creaturę: vt cibus ſalubris fiat fidelibus tuis in gratiarum actione ſumentibus, ob reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui tecum viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Et aſpergat aqua benedicta.

Benedictio qrorumcumque fructuum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus

OREMVS.

Bene ✠ dic Domine hos fructus, & præſta: vt qui ex eis in tuo ſancto nomine veſcentur, corporis & animę ſalute potiantur, Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.
Et aſpergat aqua benedicta.

Benedictio vini, ceruiſiæ, vel alterius potabilis materiæ.

Verſ. Adiutorium noſtrũ in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cælum, & terram.
Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

Domine Deus, Pater omnipotens, ſtatutor omnium elementorum & fructuum qui per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, ſubſtantiam hanc in reſocillationem ſitis, & corporum ſalutem eſſe voluiſti; te ſupplices deprecamur, vt ex auditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis aſpectu ſancti ✠ fices: atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, vt quicumque ex ea ſumpſerit, ei gratia tuæ benedictionis adueniat, & mala omnia te propitiante ab eo procul recedant. Per eumdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, &c. Reſp. Amen.
Et aſpergat aqua benedicta.

Alia benedictio vino propria.

Verſ. Adiutoriũ noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cælum, & terram.
Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

Domine Ieſu Chriſte, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum feciſti, qui es vitis vera, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, & bene ✠ dicere, & ſanctificare digneris hanc creaturam vini, vt quicumque ex eo ſumet, diuinæ benedictionis tuæ opulentia repleatur & ſanctificetur, & corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiat. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuis, & regnas, &c. Reſp. Amen.

Benedictio olei.

Verſ. Adiutoriũ noſtrum in nomine Domini
Reſp. Qui fecit cælum, & terram.
Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum ſpirtu tuo.

OREMVS.

Emitte, quæſumus Domine, Spiritum ſanctum tuum paraclitum de cælis in hanc pinguedinem oliuæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis, & corporis, vt tua ſancta bene ✠ dictione ſit omnibus hoc vnguento cæleſtis medicinæ perunctis tutamen mentis, & corporis, ad euacuandos omnes dolores, omneſque infirmitates, omnemque ægritudinem mentis, & corporis, & ſi quod illis aduerſantium ſpirituum adhæreat nocumentum, ad tactum, & ſumptionem ſanctificati olei huius abſcedat, nullus ſpiritualibus nequitijs locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas, nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Benedictio quarumcunque medicinarum.

Verſ. Adiutoriũ noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cælum, & terram.
Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

Svmme Deus, qui ſumma & media, imaque cuſtodis, qui omnem creaturam intrinſecùs ambiendo concludis, ſancti ✠ ficare, & bene ✠ dicere digneris hanc medicinam, & bene ✠ dictionem tuam ſuper eam digneris effundere, vt per tuam ſanctiſſimam virtutem, & copioſiſſimam benedictionem per ſignum ſanctæ Crucis ✠ impertitam, omnis virtus diabolica ab hac creatura, quæ hãc medicinam ſumptura eſt, expellatur, & annihiletur, tantamque virtutem merito Paſſionis tuę, & viuificæ Crucis † recipiat, vt omnes immundos ſpiritus, incantationes, ligaturas, ſignaturas, facturas, & omnia maleficia poſſit expellere, & diuertere à famulo tuo, qui, ea vtetur, exhibeatque ei plenum ſanitatis effectum. Per Chriſtum Dominum &c. ℞. Amen.

OREMVS.

Benedico te, creatura medicinæ, in nomine altiſſimi Patris, † & Filij, † & Spiritus † ſancti, qui te creauit pro tutela humani generis. Et rogamus te, Domine Deus noſter, vt hæc creatura medicinæ famulo tuo, qui ea vtetur, in nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare remedium, ſitque perfecta medicina in viſceribus eius. Qui in Trinitate perfecta viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.
Deinde aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Thalami.

Verſ. Adiutoriũ noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cælum, & terram.
Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

BEne†dic Domine thalamum hunc: ut omnes habitantes in eo, in tua pace conſiſtant, & ſeneſcant, & multiplicentur in longitudinem dierum cum incolumitate mentis, & corporis, & ad regna cælorum perueniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMVS.

CReator, & conſeruator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis, tu Domine emitte benedictionem tuam ſuper hunc thalamum, ut, quicumque in eo requieſcet, in uirtute cæleſtis defenſionis ad uitam æternam proficiat, & à ſuis languoribus, & doloribus, omnibusq; inſidijs, & machinationibus diaboli, & miniſtrorum eius liberetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea aſpergat aqua benedicta.

Beuedictio Cubiculi.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

BEne † dic, Domine Deus omnipotens, locum iſtum, ut ſit in eo ſanitas, caſtitas, uictoria, fortitudo, humilitas, bonitas, & manſuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: & hæc benedictio maneat ſuper hunc locum, & ſuper habitantes in eo, Angeli tuæ lucis eum inhabitent, eumque, & eius habitatores cuſtodiant, & defendant contra omnes inſidias inimici; & ſi quæ aduerſa, & contraria ſunt ab eo in hoc loco machinata, & fabricata, auctoritate maieſtatis tuæ expellant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

OREMVS.

PRopitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & bene † dic locum iſtum dextera tua ſancta, & omnes, qui in eo commorantur; illumque uiſitare, & inhabitantibus gratiam ſanitatis impertiri digneris, ſicut benedicere dignatus es cubiculo, & domui, in quo exceptus fuit hoſpitio Propheta Eliſeus; & ſicut uiſitaſti, & ſanaſti ſocrum Petri; mitte, Domine ſanctum Angelum tuum de cęlis, qui liberet, & defendat hunc locum ab imminentibus malis cum omnibus, qui in eo commorantur, nullaque eos nequitia contrariæ poteſtatis infeſtet; ſed uirtute Spiritus ſancti fiat hic tibi debitum, & deuota libertate ſecurum ſeruitium. Per Dominum &c. Reſp. Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

Benedictio ignis, quo cremabuntur ſigna maleficij inuenta.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

DOmine Deus omnipotẽs, cui aſſiſtit exercitus Angelorum cum tremore, quorum ſeruitium ſpirituale, & igneum eſſe cognoſcitur, dignare reſpicere, bene † dicere, & ſanctificare hanc creaturam ignis, ut eo combuſtis maleficij ſignis, omnes languores, omneſque infirmitates, atque inſidię inimici effugiant, & ſeparentur à plaſmate tuo. Numquam lędatur à morſu antiqui ſerpentis, quod pretioſo Sanguine Filij tui redemiſti. Qui tecum uiuit, & regnat, &c. Reſp. Amen.

Aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Thuris, ſeu Incenſi.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

PEr interceſſionem Beati Michaelis Archãgeli ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus bene†dicere, & in odorem ſuauitatis accipere. Sit, quæſumus Domine, famulis tuis pretioſo Sanguine tuo redemptis, defenſio perpetua contra omnes ſpiritus malignos, & omnes incantationes, præſtigia, & diabolicas uexationes: ſit perpetua expulſio malignorum ſpirituum, & in quocumque loco odor huius incenſi fuerit, nullum maleficiũ, nullaque moleſtatio diabolica poſſit perdurare, ſed ſtatim tua immenſa potentia, & uirtute tollatur, & abigatur per ſignum S. Crucis † tuæ. Qui uiuis, &c. Reſp. Amen.

OREMVS.

DOmine Deus omnipotens, cui aſtat exercitus Angelorum cum tremore, dignare bene † dicere, & ſancti † ficare hanc creaturam incenſi, ut omnes languores, omneſque infirmitates, atque inſidiæ inimici odorem incenſi huius ſentientes fugiant procul, ut de cætero non audeant lædere, moleſtare, aut infeſtare creaturas tuas, aut loca habitationis earum. Per te Ieſu Chriſte Saluator mundi, qui uiuis, &c. Reſp. Amen.

Aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Aquæ.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

BEne†dic omnipotens Deus hanc aquam; qui ad vſum humani generis ad abluendum omnium peccatorum crimina præſtitiſti, vt inuocato ſuper eas nomine tuo ſancto, quicunque in ea lotus fuerit, vel vbicunque aſperſa fuerit, ſeu à qualibet creatura rationali potata, ſalutaris tui munus inuiſibile per hanc aquam tribuatur, vt omne quod ſordidum eſt effugetur, & tuæ pietatis beneficium in omnibus conualeſcat. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Amen.

OREMVS.

Ex theſauro Exorciſmorum pag. mihi 396

DOmine Sancte Pater, æterne Deus, exaudi preces noſtras, ſicut exaudire dignatus es famulum tuum Moyſem in mari rubro, propter hoc, quia Pharao in populo tuo cor ſuum exacerbauit, vt ipſum manu ſui exercitus necaret: & ſicut Heliſeus Propheta cum populus tuus aquam guſtare non poſſet, ſal accepit, & proiecit ad exitus aquarum, & benedixit eas, & dixit: Sanauit Dominus aquas iſtas, & non erit in eis mors, neque infirmitas, & ſanatæ ſunt aquæ: ita tu Domine ſana aquā iſtam, vt vbicunque aſperſa fuerit per domos, ſiue angulos domorum, & vbicunque maleficium diabolicum delatum fuerit, ſtatim confuſum, & increpatum abſcedat, & fugiat; & ſit nobis Domine hæc aqua aſperſa, aqua omnis virtutis, aqua refrigerans, & diaboli interitus: & liberatus hic famulus tuus N. laudes, & gratias tibi, Domine Sancte Pater omnipotens, agat ſempiternas. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c. Amen.

Benedictio veſtimentorum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

OMnipotens æterne Deus, qui inter cætera mirabilia creaturas tuas diuerſis ornamentis decoraſti: & tunicas pelliceas Adæ, & Euæ feciſti: noſque veſte miſericordiæ tuæ in hoc ſæculo, & in regno tuo peruenientes ſtola gloriæ circundas: quæſumus, vt hoc induſium, ſeu hæc indumenta, pro tui nominis amore, purificare, † mundare, † & benedicere † digneris; vt quicumque ea portauerit, & indueerit, cœleſtis gratiæ plenitudinem in eis, & munimen valeat tuæ benedictionis percipere, vt ab omnibus inimicorum maleficijs, incantationibus, ligaturis, ſignaturis, & facturis, & inſidijs defenſus, incolumis te in ſæcula glorificare poſſit. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Nauis.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

REſpice in nos, omnipotens Deus, de cęlo ſancto tuo: & dignare bene † dictione cœleſti huic benedicere naui, in qua, ſancto comitante Angelo tuo, ambulantes itinere recto, & proſpero dirigere, & ab omni periculo, & infortunio eripere digneris, vt ad patriam, & ad portum ſalutis reuerſi, te cum alacritate mentis exultantes laudent creatorem vniuerſorum. Qui cum Filio tuo benedicto Domino noſtro Ieſu Chriſto, & cum Spiritu ſancto uiuis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio ad quodcunque volueris.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

BEne † dic, Domine, creaturam iſtam N. uel N. ut ſit remedium ſalutare generi humano; & præſta per inuocationem ſancti tui nominis; ut quicumque ex ea ſumpſerint, uel guſtauerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam accipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

ARTICVLVS IX.

De modo, & ordine exorcizandi.

EX omnibus prædictis in hoc capite facillimè colligi poteſt, nullum determinatum exorcizandi ordinem neceſſariò aſſignari; ſed poſſe Exorciſtam pro voto ſuo ex exorciſmis, coniurationibus, ac benedictionibus iuxta patientis conditionem, & vexationem, ipſius diſpoſitionem, ac temporis opportunitatem eos ſeligere, qui magis ſibi opportuni videbuntur. Non enim idem ordo cum omnibus obſeſſis, ac maleficiatis eſt ſeruandus: quia non eædem omnium ſunt obſeſſiones, ac vexationes. Si quis enim Exorciſta, cùm ſibi aliquis maleficio affectus adducitur, in quo dæmon ſuper ſenſitiuas potentias, ac ſuper linguæ vſum ad loquendum poteſtatem non habet; ſed tantùm aliquam 1028 *Quomodo vtendum ſit exorciſmis.*

aliam

aliam corporis partem diuexat, puta ſtomachum, renes, caput, & id generis, Si, inquam Exorciſta dæmoni præcipere vellet, vt per os obſeſſi loqueretur, & ad interrogata reſponderet, quid ageret Exorciſta huiuſmodi interrogationibus? ſurdum alloqueretur, oleum, & operam perderet, ac diu maiores vexato cruciatus augeret. Prædictis ergo exorciſmis, obiurgationibus, præceptis, ac benedictionibus ſecundum obſeſſorum, energumenorum, ac maleficio affectorum diuerſitatem, diſpoſitionem, variam, ac diuerſam temporis, & loci opportunitatem eſt vtendum.

Nihilominus inutile minimè erit, maximè pro tyronibus in exorciſtatus ordine, ſeruandam ſeriem aſſignare, quæ in huius artis praxi talis erit.

§. I.

Quid cōſiderādū ab Exorciſta circa ſeipsū

PRimò, Exorciſta experiatur, num ipſemet debitas conditiones pro munere ſuo ritè, ac tutò obeundo poſſideat, nempè num præter ordinis, ac iuriſdictionis poteſtatem, ſufficienti ſit ſcientia præditus in ordine ad cognoſcendum maleficiorum, & obſeſſionum cauſam permiſſiuam, Deum ſcilicet, ac rationem permiſsionis; cauſam efficientem, & operantem, dæmonem nempe; miniſterialem, & cooperantem, Maleficum ſcilicet: inſtrumentalem, ſeu moralem, res naturales nempe: nec non eorum ſigna tam probabilia: quàm euidentia: num virtutibus ſit ornatus, fide theologica ſcilicet, & maximè reſpectu eorum, quæ ſui muneris ſunt, nedum implicitè, ſed explicitè: Spe, ſeu fiducia firma, & inhæſitanti, quòd dæmonem ſit expulſurus, ſi talis expulſio fuerit ſalutaris: Charitate erga Deum, & proximum: Fortitudine in ſuſtinendo, & perſeuerando; & Prudentia in vitandis erroribus circa adiurationem, & in rectis ſemitis circa eadem eligendis.

§. II.

Quid cōſiderādū circa obſeſſum.

SEcundò, antequam exorcizandi opus aggrediatur, priùs agnoſcat, an ille, qui proponitur, energumenus, aut maleficiatus verè, & certè, vel ſaltem probabiliter ſit, aliter ſi aliqua ſigna ſaltem probabilia non habeat, non vltra procedat iuxta regulas à *num.* 917. *incluſiuè vſque ad num.* 920. *excluſiuè* aſſignatas.

Tertiò, diligenter aduertat, an in Patiente conditiones requiſitæ, capacitas ſcilicet ad intelligendam inſtructionem; propriæ liberationis deſiderium; fides ſpei firmæ, ſeu ſuæ liberationis fiduciæ coniuncta; obedientia, quam in omnibus Exorciſtæ præſtare debet; ac tandem pura conſcientia habeantur: Nam ſi Energumenus prædictis careat, difficillimè optatam ſanitatem conſequetur.

Quartò, quòd exorcizandus contritus, & etiam, ſi fieri poteſt, confeſſus ſit, & ſacra communione refectus; ſitque honeſtis parentibus, vel amicis aſſociatus, & in locum ad hoc aptum, ſcilicet quietum, deuotum, & à populi multitudine remotum perductus.

§. III.

Inuocandum eſt ab Exorciſta diuinum Numen.

QVintò, cognito, quòd verè maleficiatus, vel Energumenus ſit, Exorciſta cum omnibus aſtantibus genuflexus Spiritum Sanctum imploret, vt ab eo in ſuo miniſterio dirigatur:

Antiphona ad inuocationem Spiritus Sancti.

Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.
℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renouabis faciem terræ.

OREMVS.

ADſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus Sancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

DA, quæſumus, nobis omnipotens, & miſericors Deus: vt Sancto Spiritu congregati, hoſtili nullatenus incurſione turbemur.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, adſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DEVS, à quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis: vt cogitemus, te inſpirante, quæ recta ſunt: & te gubernante eadem faciamus.

PAteant aures miſericordiæ tuæ, Domine, precibus ſupplicantium: & vt petentibus deſiderata concedas: fac eos, quæ tibi ſunt placita poſtulare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

§. IV.

Quid agendū oratione ſoluta ab exorciſta & circūſtātibus.

SExtò, oratione ſoluta, ſedeant omnes ad inſtructionem audiendam, quæ non ſolùm Energumeno; ſed circumſtantibus etiam plurimùm valebit: in qua inſtructione Exorciſta vulgari idiomate clarè, & diſtinctè, iuxta Energumeni capacitatem, quæ ſint credenda erga Deum, Exorciſtam, dæmonem, & ſeipſum, iuxta doctrinam traditam à *n.* 921. *incluſiuè, vſque ad* 925. *excluſiuè*, declarabit.

Interrogationes faciendæ

Septimò Exorciſta patientem interroget, quo malo, & in qua corporis parte regulariter à dæmone diuexetur. Quo reſpondente, ſic & ſic: & in tali parte, &c. tunc Exorciſta præcepto inſtructiuo demonis obedientiam probet iuxta regulas ſupra à *num.* 742. *vſq. ad* 749. *&* 941. vbi *de præcepto inſtructiuo* agitur, aſſignatas.

Probationes peragendæ.

Octauò, poſtquam Exorciſta Energumenum perfectè inſtruxerit, eum probet, an perfectè credat, quæ ad expulſionem neceſſaria ſunt iuxta regulas traditas ſupra *à num.* 925. *incluſiuè, vſque ad* 931. *excluſiuè*.

Nonò, cognito, quòd Energumenus benè diſpoſitus ſit, ac perfectè pro ſua liberatione probatus, Exorciſta illum admoneat de tentationibus, ac ſuggeſtionibus, quas in liberatione illi verſipellis hoſtis obijciet, vt eum ad diffidentiam de diuini auxilij concurſu inducere valeat: poteritque aliquas earum, quæ ponuntur ſupra *num.* 991. ſecundùm doctrinam illo articulo traditam adducere. Moneatque, ac doceat illis reſiſtendi modum, ſuis locis diſtinctis, nempe *artic.* 2. 3. *&* 4. *huius quarti capitis* aſſignatum.

§. V.

Diuinũ implorãdum auxilium. DEcimò, inuento ab Exorciſta Energumeno benè diſpoſito, perfectè probato, & ad dæmoniacis tentationibus reſiſtendum ritè parato, Exorciſta vnà cum omnibus aſtantibus genuflexus ante Crucifixi, ac Beatiſs. Virginis imaginẽ, diuinum imploret auxilium pro dæmonis expulſione, humiliter, ac deuotè aliquam, vel aliquas ex orationibus poſitis ſupra *à num. 993. & ſequentibus* recitando.

Actus fidei, ac confidentiæ enunciandus. Vndecimò, poſt orationem ſedeat Exorciſta, cæteris omnibus genuflexis, & iubeat, vt Energumenus fidem, ac fiduciam, quam mente ſe habere fatetur, verbis explicet iuxta propriam ſui ipſius deuotionem. Poterit tamen Exorciſta formulam ſupra *num. 932.* vel alias ſuis locis diſtinctis poſitas proponere iuxta obſeſſionum, ac maleficiorum varietatem. Deinde ſtatim deteſtationis actum in dæmonem eiſdem locis poſitum renouare.

Nec non actus deteſtationis. Duodecimò, Exorciſta ea, quæ *à num. 996. incluſiuè vſque ad num. 1011. excluſiuè* habentur, iuxta ordinem ibi poſitum, & monita ibi tradita proſequatur.

Modus breuis aptiſſimus ad dæmones expellendos, & maleficia diſſoluenda.

1029 *Modus breuis dæmones expellendi.* DVcto Vexato coram Exorciſta in loco decenti, deuoto, & à populi multitudine remoto, præſentibus aliquibus ex eius parentibus, vel amicis: ex ſignis eius vexatione præcognita, probet Exorciſta ad maiorem euidentiam, an verè vexatus ſit, & hoc per præceptum probatiuum, ſic conditionaliter dæmoni præcipiendo:

Præceptũ probatiuum. *In nomine Ieſu præcipio tibi dæmon, ſi tu es in corpore iſtius creaturæ Dei, vt me præſente illos humores commoueas vel in ſtomacho, vel in altera parte corporis, quos ſolitus es commouere me abſente, ſine vlla tamen læſione ipſius patientis.*

Deinde ſtatim præcipiat, vt à tali commotione deſiſtat.

Cognito ex dæmonis obedientia, quòd infirmitas certitudinaliter à dæmone eſt excitata, Exorciſta breuiter Energumenum inſtruat.

Primò, vt credat, Deum quantum eſt ex parte ſua, ad illum à dæmone liberandum paratiſſimum eſſe, ſi ipſe ſanitate benè ſit vſurus, ad Deum nempè magis ac magis laudandum, & glorificandum, & ſalutem animæ ſuæ maiori ſtudio procurandam; & confidenter credat, ſe à Deo tale beneficium obtenturum.

Secundò, Exorciſtam à Deo, & ab Eccleſia in Exorciſtatus ordine dæmones eijciendi poteſtatem accepiſſe: & quòd ipſe, cùm ſit Exorciſta, talem habet facultatem.

Tertiò, dæmonem ad ipſius Exorciſtæ præceptum cogendum fore ab ipſo Energumeno exire: quia à diuina virtute, quæ præſens eſt, expelletur.

Quartò, Deum ad ipſius obſeſſi peccata minimè reſpecturum, dummodò illicò ex corde perfectum doloris, ac contritionis actum cum propoſito firmo quamprimum fideliter confitendi peccata ſua, ac ſatisfaciendi, producat.

Quintò, Exorciſta vexatum interroget, an firmiter credat, quòd ipſe illum docuit: ſimiliter, an confidat, nunc immediatè Deum ob ſuam infinitam bonitatem, ac miſericordiam eum eſſe liberaturum. Si hilari fronte reſpondeat, quòd ſic: tunc iubeat, vt genuflexus corde, & ore contritionis actum eliciat, & proferat; deinde humiliter, deuotè, ac confidenter à Deo ſuam liberationem depoſcat; dæmonique precipiat in nomine Ieſu, vt recedat: poteritque Exorciſta illum ad huiuſmodi actus formandos, & exprimendos adiuuare.

Tandem Exorciſta ſedens, patiente genuflexo, & cernuo, contra dæmonem præceptum proferat expulſiuum dicens;

Ego N. vt miniſter Chriſti, & Eccleſię in nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi, dæmon, vt immediatè, & ſine vlla mora exeas ex corpore iſtius creaturæ Dei, nec amplius habeas poteſtatem nocendi ei intrinſecè, vel extrinſecè, vel quocumque modo eam perturbandi, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. *Præceptũ expulſiuum.*

Poſt liberationem iubeat, vt immediatè breuiter gratiarum actionis actum erga Deum eliciat, poteritque ipſemet Exorciſta ei dictare iuxta formulam poſitam ſupra *num. 1000.* Et admonere, vt imposterum ſpiritualia, ac præſeruatiua remedia adhibeat, ne dæmon amplius illum inuadere queat, ac perturbare. *Deo gratiæ agendæ.*

Modus breuiſſimus ad dæmones expellendos, & maleficia deſtruenda.

PRæſentato Energumeno, vel maleficiato ad ſuam liberationem conſequendam perfectiſſimè diſpoſito coram Exorciſta, vel Parocho, iubeat Exorciſta, vel Parochus, vt dicat, nùm ipſum Dei, & Eccleſiæ miniſtrum eſſe credat, & vt talem ſe dæmones eijciendi, eiuſque maleficia deſtruendi facultatem habere. Qui ſi hilari vultu, magnaque deuotione, ac fiducia ſe firmiter credere, ac ſine vlla hæſitatione confidere aſſerat, quòd mox à quacumque dæmonum vexatione liberabitur, nec contra ipſum dæmones quicquam vlteriùs poterunt, Exorciſta ſedens, patiente ad pedes eius genuflexo, præceptum contra dæmonem hac, vel alia formula efformet. 1030 *Modus breuiſſimus dæmones expellendi.*

In nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi, dęmon, vt exeas ex corpore iſtius creaturæ Dei, numquam in illud rediturus. *Præceptũ expulſiuum.*

Fornato hoc præcepto, iubeat, vt perſona liberata ſurgat, ac ſuam liberationem conteſtetur.

Cognito, quòd verè ſit liberata, iubeat, vt gennflexa Deo gratias referat, cui ſoli honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT V.

De Remedijs pro afflictis, & tribulatis.

QVamuis Parochorum ſit proprium munus, afflictis, ac tribulatis ſuæ curæ ſubiectis opem tribuere, ſicut eis in Rituali Romano *cap. de Viſitatione, & cura infirmorum* inſinuatur. Veruntamen, Eccleſ.c.17. quia *vnicuique Deus mandauit de proximo ſuo;* vt quilibet etiam latinæ linguæ ignarus & ſibi, & proximò, cùm neceſſitas poſtulat, in tribulationibus, ac neceſſitatibus opportuna poſſit adhibere remedia, hic nonnullas vulgari idiomate (ſic rogatus) breues inſtructiones cũ quibuſdam orationibus deprecatiuis ſubijciam, maximè pro afflictis, ac tribulatis in infirmitatibus naturalibus ſubleuandis; eoſque ab inimicis, ac perſecuto- 1031

ſecutoribus tuendis. Quod duobus articulis diſcutietur.

ARTICVLVS I.

De afflictis, ac tribulatis in infirmitatibus naturalibus ſubleuandis.

SVppoſitis inſtructionibus pro Parochis, quæ in Rituali Romano *loco citato* habentur, quas ipſi, cùm neceſſitas exigit, ſemper in oculis habere tenentur, ſequentes pro omnibus breuiter propono.

Inſtruttione prima.

1032 QVello, che deſidera nelle ſue infirmità d'eſſere da Dio conſolato, & aiutato, deue Primieramente conſiderare, e riceuere quell'infermità, e tribulatione, come venuta dalla mano di Dio per ſalute dell'anima ſua, acciò ſi emendi di qualche ſuo peccato, ò difetto, e diſponga meglio la vita ſua, corregga i ſuoi coſtumi, e faccia maggior profitto per l'auuenire nella via del Paradiſo. E però deue ſubito ringratiare Sua Diuina Maeſtà, che ſi ſia compiaciuto di viſitarlo con quell'infirmità, e tribulatione, e di darli quella piccola Croce.

Secondariamente, deue pregar Iddio, che gli dia aiuto, acciò da queſta viſitatione, qual ſi ſia, poſſi cauare quel frutto, e profitto, che Iddio deſidera, ne dalla ſua impatienza, & ingratitudine venghi impedito.

Terzo, ſe per ſorte quell'infermità le foſſe ſtata da Dio mandata per i ſuoi peccati, ſubito faccia vn'atto vero di dolore, e contritione de' ſuoi peccati con propoſito fermo d'emendarſi, e di farne la douuta penitenza; che leuata la cauſa dell'infermità, ſi leuarà l'effetto, conforme anco Santa Chieſa nell'infraſcritte Collette, ò Orationi coſtuma di dimandare.

Quarto, ſe quell'infermità da Dio gli foſſe mandata per la ſua negligenza nel caminare nella via della Chriſtiana perfettione, ſi ſtabiliſca di cuore, di volere per l'auuenire viuere puramente, e con tutte le ſue forze affaticarſi per ſeruir Dio cô maggior'affetto, e ſollecitudine: e però preghi Iddio, che per la ſua bontà, e miſericordia, e per i meriti della ſua ſacratiſſima Paſſione, ſi degni perdonarli i ſuoi peccati, e concederli gratia, di poter per l'aunire amarlo, e ſeruirlo con tutto il cuore, con tutta l'anima, e con tutte le forze: & adempire quell'opere, che ſaranno più conformi al ſuo diuino volere.

Quinto, s'offeriſca à patire per amor di Dio quell'infermità, e tutte quelle pene, e tormenti, che ſono più conformi al ſuo diuin beneplacito.

E per mettere in pratica queſti precedenti atti, ſeruiranno le ſeguenti orationi, prima deſcritte in latino per i dotti, di puoi in volgare per quelli, che non intendono la lingua latina.

I. ORATIO

Ad accipiendam infirmitatem, vt à diuina prouidentia immiſſam: ac pro ipſa Deo gratias agendum.

DOmine Ieſu Chriſte, qui ad gloriam tuam, & ſalutem noſtram læta permiſces triſtibus, & ad profectum noſtrum ſecunda, aduerſaque euenire permittis, bonitati tuæ gratias ago, quòd mei fueris recordatus, & hac exigua cruce ſeruum inutilem viſitaueris. Peto autem gratiam, vt ex hac qualicumque viſitatione tua fructus, & prouentus, quẽ tu deſideras, conſequatur; neque impatientia, vel ingratitudine mea impediatur. Tuam, quæſo, manum porrigas infirmo mihi, meque ſicut Petrum Apoſtolum: cùm mergi cępiſſet marinis fluctibus, potenti dextra erige, ne ſub hac cruce labaſcam, & concidam. 1033

OREMVS.

DEus, qui conſpicis, quia ex noſtra prauitate affligimur: concede propitius, vt ex tua viſitatione conſolemur. Qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen. *Sabbato quatuor temporũ Aduẽtus*

II. ORATIO

Ad impetrandum à Deo veniam peccatorum.

ODomine Deus meus, confiteor me non vixiſſe, proh dolor, ſicut debuiſſem, & per gratiam tuam potuiſſem: Vnde iam toto corde doleo, & me non ſatis dolere doleo. Obſecro igitur te, Domine, & ſuppliciter rogo, vt non facias mihi ſecundùm peccata mea, ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam, quæ ſuperat peccata totius mundi. Miſerere mei Domine, miſerere mei, & adiuua me, ſicut tu noſti, quòd mihi neceſſe eſt corpore, & anima. Scis omnia, potes omnia, qui viuis, in ſæculorum ſæcula. 1034

OREMVS.

TVere, Domine, me famulum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia nulla mihi nocebit aduerſitas, ſi nulla mihi dominetur iniquitas. Per Chriſtũ, &c. *Feria 6. Cinerum ad veſp.*

III. ORATIO

Ad proficiendum in via perfectionis.

DOmine Ieſu Chriſte, ecce ego miſer repletus multis miſerijs, fateor me hac tua paterna correptione dignum eſſe, quia tibi, vt debueram, obſequium, ac ſeruitutem non impendi, ac multa bona opera, quæ operari debueram, prætermiſi: ſed tu, Domine Ieſu, cuius eſt totum, quod eſt optimum, inſere meo pectori amorem tui nominis, & in me præſta religionis augmentum, vt 1035

quæ

quæ ſunt bona, nutrias: ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita, cuſtodias.

OREMVS.

Dom. 8. poſt Pét. Largire nobis, quæſumus Domine, ſemper ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt, propitius & agendi: vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundùm te viuere valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

IV. ORATIO

Ad ſeipſum offerendum diuino beneplacito.

1036 Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, in vnione illius charitatis, qua teipſum Patri obtuliſti in mortem, offero tibi cor meum, vt de me, & per me fiat beneplacitum tuum. Dulcis Ieſu, hoc beneplacitum tuum eligo, & deſidero, quantalibet aduerſa, morbus, & mors inſtent, & me totum fideliſſimę tuę prouidentiæ, ac ſanctiſſimæ voluntati tuæ committo. Spero enim, & rogo, vt me, & omnia, quæ circa me ſunt, dirigas ad gloriam tuam, & animæ meæ ſalutem. O mi amantiſſime Pater, argue, corripe, caſtiga, vre, ſeca hoc tempore, vt in æternum parcas, neque in furore tuo peccata noſtra inferni flammis exuras. Scio multis prodeſſe virgam tuã, cùm dilectos filios corripis, & corripiendo purgas, exerces, probas, priùſquam electos corones. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, quomodo, & quamdiù tibi placuerit, me virgæ tuæ paternæ ſubijci, meáque patientiam in cruce probari. In te, Domine, ſperaui, non confundar in æternum. Me totum ſanctiſſime voluntati tuę ſubmitto, atque committo. Etiamſi mortem immittas, tamen in te vitę fontem ſperare non deſinam. In manibus tuis ſunt ſortes meæ.

OREMVS.

Dom. infra Oct. Natiu. Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo: vt in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abundare.

Feria 6. poſt Dom. Paſſion. Cordibus noſtris, quæſumus Domine, gratiam tuam benignus infunde: vt peccata noſtra caſtigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potiùs maceremur, quàm ſupplicijs deputemur æternis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

V. ORATIO

Ad ſtabiliendam humanæ voluntatis cum diuina conformitatem.

1037 O Dulcis Ieſu, neque vitam, neque mortem, ſed tuum beneplacitum deſidero, te expecto: fiat mihi ſecundum voluntatem tuam. Si vis, vt moriar, dulcis Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Et licet ad veſperam venerim omnium nouiſſimus, da mihi, vt tecum, & in te requiem accipiam ſempiternam. Si verò vis, vt diutiùs viuam, dulcis Ieſu, hoc propono, & pro hoc gratiæ tuæ ſuffragium rogo, reliquum vitæ meæ corrigere, atque in holocauſtum tibi totum offerre ad gloriam tuam, & ſecundùm beneplacitum tuum.

VI. ORATIO

Ad hoc idem impetrandum, quod ſummè, & vnicè eſt neceſſarium.

Domine Ieſu Chriſte, obſecro te per amo- 1038
rem, quo omnium hominum onera portaſti, vt facias me onus triſtitiæ meæ cum gratitudine, ſuſcipere de manu prouidentiæ tuæ, & de voluntate paterni cordis tui, & pro tui amore, quamdiù tibi placuerit, cum pleniſſima mei ipſius reſignatione, longanimiter ſuſtinere: ita duntaxat, vt me tua gratia confirmes, ne vnquam te vel in modico offendam, aut à ſanctiſſima voluntate tua vel minimùm recedam. Atque vtinam poſſem omnium, & ſingulorum, qui pro te paſſi ſunt, hominum preſſuras ſufferre, vt qualemcumque vicem redderem infinitæ charitati tuæ. Eia benigniſſime Ieſu, ita quæſo, vnias voluntatem meam cũ ſanctiſſimo beneplacito tuo, vt aliud optare nequeam, quàm quod tu vis.

VII. ORATIO

Ad perfectam ſui ipſius in diuinam voluntatem reſignationem. è Ludouico Bloſio.

Dulciſſime Domine, Deus meus, memor 1039
eſto, quæſo, benignèque conſidera me pauperem creaturam tuam eſſe, te verò Dominum, & Creatorem meum. Ecce ego me in æquiſſimum iudicium tuum offero, & gratiſſimæ voluntati tuæ integrè reſigno, paratus hunc, & alium quemuis cruciatum, quamdiù tibi placuerit, ſuſtinere. Vtere me, ſicut vis, in tempore, & in æternitate. Quidquid tu Pater cæleſtis in me, & de me facere decreuerit, facito; nam ad omnia, qua poſſum humilitate, me totum tibi offero, trado, & reſigno. Libenter patiar pro te quicquid ſuper me venire volueris, indifferenter enim volo de manu tua bonum & malum, dulce & amarum, lætum & triſte ſuſcipere, & pro omnibus gratias agere. Cuſtodi me ſolum, Deus, ab omni peccato, & non timebo mortem, nec infernum, dummodo in æternum me non proijcias, nec deleas de libro vitæ, non mihi nocebit quicquid venerit tribulationis ſuper me. Adeſto mihi Domine Ieſu in omni loco & tempore, ſitque hæc mihi conſolatio, libenter pro te velle carere omni humano ſolatio. Et ſi tua mihi defuerit conſolatio, tua voluntas, & iuſta probatio erit mihi pro ſummo ſolatio. Sit nomen ſanctum tuum nunc, & in æternum ſuper omnia benedictum.

OREMVS.

Dom. infra Octauā Aſcenſionis.

OMnipotens ſempiterne Deus, fac nos tibi ſemper & deuotam gerere voluntatem, & Maieſtati tuæ ſincero corde ſeruire. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIONE PRIMA.

Per rendere gratie à Dio dell'infermità mandataci per vtilità dell'anima noſtra.

1040 SIgnor mio Gieſù Chriſto, che per gloria voſtra, e ſalute noſtra accompagnate le coſe allegre con le triſte, e melanchoniche, e per il noſtro profitto permettete, che accadano le coſe proſpere inſieme con le auerſe, rendo gratie alla voſtra bontà, che di me vi ſete ricordato, e con queſta picciola croce hauete viſitato queſto voſtro ſeruo inutile. Però vi domando gratia, acciò da queſta, qual ſi ſia viſitatione, ne ſegua quel frutto, e profitto, che deſidera la Maeſtà voſtra: ne dalla mia impatienza, & ingratitudine venghi impedito. Pregoui dunque, e ſupplico vogliate porgere la mano à me infermo, e con la potente voſtra deſtra vi degnate ereggermi, come Pietro Apoſtolo, quando cominciaua ſommergerſi nell'onde del mare, acciò ſotto queſta croce non mi perda d'animo, e cada miſerabilmente.

ORATIONE SECONDA.

Per impetrar da Dio il perdono de ſuoi peccati.

1041 O Signor mio Dio, confeſſo di non eſſer viſſuto (miſero me) conforme hauerei douuto, & hauerei potuto per mezzo della gratia voſtra. Perilche hora di tutto cuore me ne dolgo, e mi diſpiace di non dolermi à baſtanza. Vi ſupplico dunque mio Signore, & humilmente vi prego, acciò non riguardate à miei peccati; ma alla grandezza della voſtra bontà, e miſericordia, la qual ſupera i peccati di tutto il mondo. Habbiate di me pietà ò mio Dio, pietà, pietà ò mio Dio, & aiutatemi, ſi come voi conoſcete, che mi è neceſſario nell'anima, e nel corpo. Voi ſapete il tutto, potete il tutto, che viuete ne ſecoli de ſecoli.

ORATIONE TERZA.

Per far profitto nella via della perfettione.

1042 SIgnor mio Gieſù Chriſto, eccomi io miſero ripieno di molte miſerie, confeſſo eſſere degno di queſta voſtra paterna correttione; poiche non vi hò reſo quell'oſſequio, e ſeruitù, ch'io doueuo: & hò tralaſciato d'operare molte buone opere, le quali hauerei potuto con l'aiuto voſtro operare. Ma voi Gieſù mio dolce, di cui è il tutto, dipende il tutto, che è ottimo, inſerite nel mio petto l'amore del voſtro ſanto nome, & operate in me l'accreſcimento della chriſtiana perfettione; e venite à nutrire in me tutte quell'opere, che ſono buone, e perfette; e col ſtudio della voſtra pietà cuſtodite quelle, che ſono già nutrite.

ORATIONE QVARTA.

Per offerir ſe ſteſſo à patire ſecondo il diuino beneplacito.

1043 DOlciſſimo Signore Gieſù Chriſto, in vnione di quella carità, con la quale voi ſteſſo offeriſti alla morte al Padre eterno, à voi offeriſco il mio cuore, acciò da me, e per me ſi faccia il voſtro beneplacito. Dolce Gieſù, queſto voſtro beneplacito eleggo, e deſidero: venghino pure ſopra di me auerſità, e la morte iſteſſa, tutto me ſteſſo commetto alla fedeliſſima voſtra prouidenza, e ſantiſſima voſtra volontà. Imperoche ſpero, e prego, acciò e me, e tutte le coſe circa di me indrizzate alla gloria voſtra, e ſalute dell'anima mia. O mio amantiſſimo Padre, riprendete, correggete, caſtigate, ferite, mortificate me ſeruo voſtro in queſta vita temporale, acciò mi perdonate in eterno, ne habbiate da punire nel furor voſtro i miei peccati coll'eterne fiamme dell'inferno. Conoſco, à molti giouare il voſtro flagello, mentre corregete i voſtri diletti figli, e col correggerli li purgate, eſſercitate, prouate, auanti che eletti li coronate. In voi Signore hò ſperato, non reſtarò confuſo in eterno. Me tutto ſottometto, e commetto alla voſtra Santiſſima volontà. Ancorche mi deſte la morte, nondimeno non reſtarò di ſperare, e confidare in voi fonte di vita. Nelle voſtre mani ſono le mie ſorti.

ORATIONE QVINTA.

Per ſtabilire la conformità della humana volontà con la diuina.

1044 O Dolce Gieſù, nè vita, nè morte io deſidero, il voſtro diuino beneplacito, e voſtro aſpetto: ſia fatto di me ſecondo il voſtro diuin volere. Se volete, che io muora, dolce Gieſù, pigliate il mio ſpirito. E benche l'vltimo di tutti ſù'l tardi io ſia venuto, concedetemi, che con voi, & in voi riceua requie ſempiterna. Se poi volete, che longo tempo io viua, dolce Gieſù, queſto propongo, e per queſto domando l'aiuto della gratia voſtra di correggere il reſtante della vita mia, e di offerire tutto à voi in holocauſto à gloria voſtra, e ſecondo il voſtro beneplacito.

ORATIONE SESTA.

Per impetrare l'iſteſſa conformità, la quale è ſomma, & vnicamente neceſſaria.

1045 SIgnor mio Gieſù Chriſto, vi prego per l'amore, col quale hauete portato i peſi di

tutti

tutti gli huomini, vogliate fare, ch'io pigli il peſo della mia triſtezza con gratitudine dalla mano della voſtra prouidenza, e dalla voluntà del voſtro paterno cuore; e per amor voſtro lo porti con patiēza finche piacerà à voi, con pieniſſima raſſegnatione di me ſteſſo: purche voi con la gratia voſtra mi cōfermiate, & fortificate, sì che già mai non v'offenda, ne anco in vn minimo neo, nè dalla voſtra ſantiſſima uoluntà pur'un tantino m'allontani. Oh Dio uoleſſe, ch'io ſolo poteſſi ſofferire tutte le afflittioni di tutti gl'huomini e di ciaſcheduno di eſſi, che per amor uoſtro hanno patito, acciò in qualche parte poteſſi corriſpondere all'infinita uoſtra carità. Horsù benigniſſimo Gieſù così ui prego, unite la mia uoluntà col ſantiſſimo uoſtro beneplacito; acciochè altro deſiderar non poſſa, che quello, che uoi uolete.

ORATIONE SETTIMA.

Che abbraccia vna perfetta raſſegnatione di ſe ſteſſo nella diuina voluntà.

1046 Dolciſſimo Signor Dio mio, ricordateui, ui prego, e benignamente conſiderate, ch'io ſon pouera creatura uoſtra, e che uoi ſete Signore, e Creator mio. Ecco, ch'io offeriſco me ſteſſo nel ſantiſſimo giuditio uoſtro, & intieramente mi raſſegno alla gratiſſima uoſtra uoluntà, pronto, e preparato à ſopportare queſta, e qualſiuoglia altra afflittione fin tanto, che piacerà alla Maeſtà uoſtra. Seruiteui di me, come uolete in tempo, e nell'eternità. Fate pur di me, Padre celeſte, & operate in me tutto ciò, che determinato hauete di fare: imperòche con quella humiltà, che poſſo, à tutte le coſe tutto me ſteſſo offeriſco, dono, e raſſegno. Volontieri patirò per uoi tutto quello, che uorrete, che mi ſoprauenga; imperòche indifferentemente uoglio dalla uoſtra mano riceuere il bene, & il male, il dolce, e l'amaro, l'allegro, & il meſto, & per tutte le coſe ui uoglio ringratiare. Cuſtoditemi ſolamente, ò mio Dio, da ogni peccato, e non temerò la morte, ne l'inferno, purche in eterno non mi rigettate, e riprouate, ne cancellate dal libro della uita, non mi nocerà tutto ciò, che di contrarietà, ò tribulatione mi ſoprauenerà. Siatemi preſente, Signor mio Gieſù, in ogni luogo, e tempo: e queſta ſia la mia conſolatione, di uoler uolontieri eſſer priuo d'ogni humano ſolazzo per amor uoſtro, E ſe mi mancarà la uoſtra conſolatione, la uoſtra uolontà, e giuſta prouatione mi ſarà per ſommo ſolazzo, e dilettatione. Sia hora, & in eterno ſopra tutte le coſe benedetto, e glorificato il uoſtro ſanto nome.

Inſtruttione ſeconda.

7104 Vtiliſſime ſono le precedenti orationi per conſolatione de gl'infermi, tribulati, maſſime che deſiderano d'acquiſtare in breue tempo la perfettione. Mà perche con la ſanità ancora ſi ponno fare molte opere di perfettione, non eſſendo alcun'infermo in queſto mondo, il quale poſſa ſaper di certo, ſe non per diuina riuelatione, ſe ſia la volontà di Dio di beneplacito, che egli ſtij longamente oppreſſo da quell'infermità: ò pure ſe vogli liberarlo quanto prima, deue ricorrere alla volontà di ſegno manifeſtata nella diuina ſcrittura in molti luoghi, oue Iddio notifica all'huomo, che la ſua volontà è, che nell'infermità, anguſtie, e tribulationi ſi ricorra alla Maeſtà ſua: e promette di concedere infallibilmente, e la ſanità, e tutto quello, che ſi dimanda, mentre ſi dimandi con gran fiducia, e ſia per eſſere ſalutare all'anima, ò almeno non ſia nociuo, mà però indrizzato à gloria di Dio: ouero non impediſca il maggior bene.

Acciò dunque la ſanità, che brami, ti ſia all'anima gioueuole, deui indrizzarla, come mezo per poter meglio arriuare all'vltimo fine, cioè à dar gloria, & honore à Sua Diuina Maeſtà, che coſì coſtuma ancora S. Chieſa in tutte le orationi, che dice nell'officio, e nella meſſa, oue dimanda à Dio la ſanità per gl'infermi; ouero che ci liberi dall'auerſità, come ſi può vedere nell'infraſcritte *al vum.* 1049. Dimanda dunque à Dio la ſanità liberamente, mà inſieme dimandali vn'aiuto grande, & efficace per poterti ſeruir bene della ſanità ſolo per impiegarti à dar gloria à Dio, à ſeruire, & amare con puro cuore Sua Diuina Maeſtà, & impiegarti in opere di miſericordia e ſpirituali, e corporali per ſouuenire il tuo proſſimo: proteſtandoti à Dio, che mentre la ſanità foſſe per eſſere nociua all'anima tua, più toſto vuoi patire, e morire, che offendere Dio.

Et affinche poſſi eccitarti à confidare in Dio, di ottenere la gratia, che dimandi, conſidera, che Iddio è preſente in ogni luogo, & hà tanta cura di te, come ſe tu ſolo ti ritrouaſſi al mondo; e non ſolo cerca il tuo bene, mà deſidera il tuo maggior bene. Se dunque ti proponi, e riſolui da douero di ſeruir meglio Iddio, e di far opere di maggior perfettione di quello, che fai nell'infermità, Iddio ti leuarà l'infermità, e ti darà la ſanità, mentre veda, che certamente fij per adimpire quello, che gli prometti.

In oltre ſolleua la tua mente alla grandezza della boutà, e pietà diuina, che è tale, che non può trattenerſi, che non communichi i ſuoi fauori, e le ſue gratie, mentre ritroua ſoggetti à riceuerle preparati, e ben diſpoſti. Et è come il Sole, che à neſſuno nega di communicare i ſuoi raggi, mentre dalle creature inferiori col infraponere qualche corpo opaco, non vengano impediti.

Appreſſo deui conſiderare la promeſſa di Dio, che è vniuerſale di aiutarci in tutte le neceſſità e ſpirituali, e corporali ſenza eccettuatione alcuna, e promette di concedere tutto quello, che li ſarà dimandato nel nome di Gieſù, mentre che ſia ſecondo l'honeſtà, e retta ragione, & ordinato à gloria, & honore di Sua Diuina Maeſtà; che ſe in fatti ſarà per riſultare à gloria ſua, credi per certo, che Iddio non mancarà della ſua promeſſa.

Finalmente perſeuera in queſte conſiderationi, e non ti perdere d'animo: perche molte volte Iddio non concede ſubito qualche gratia per far proua della coſtanza, e fiducia de ſuoi ſerui; eſſendoche la vera, e perfetta confidenza in Dio non ſi manifeſta, ſe non nelle contrarietà, nelle quali il ſeruo di Dio non s'allontana dalla conformità alla diuina volontà, e confidenza poſta nella diuina Prouidenza. Per ottenere dunque la bramata ſanità, & aiuto in tutte le tribulationi, mirabilmente ſerui-

ſeruirà il recitare con gran deuotione, e confidenza in Dio le ſeguenti orationi, nelle quali ſi rappreſentano à Dio le cure, e gratie fatte da Christo à gl' infermi, obſeſſi, e tribulati, e ſi dimanda il perdono, e remiſſione de' peccati, & aiuto in tutte le neceſſità ſpirituali, e corporali.

Oratio ab infirmis, ac tribulatis recitanda ad impetrandum diuinum auxilium.

1048 DOmine Deus omnipotens, ſapientiſſime, ac clementiſſime, qui propter miſericordiam tuam magnam, ſaluos facis omnes ſperantes in te: qui ſanas contritos corde, vulneras & mederis, mortificas, & viuificas, deducis ad inferos, & reducis, & orantes in ſua infirmitate curare conſueuiſti, auxiliare nobis ad te clamantibus in hac, & in omni tribulatione noſtra. Pientiſſime Deus, qui Ezechiam ad te clamantem à morbo liberaſti: Iob vlcere peſſimo percuſſum ſanaſti: dæmonem à Sara depuliſti: ac Tobiam lumen cœli videre feciſti, Spiritus ſancti gratia nos viſitare, ac conſolare dignare. Exurge Chriſte, adiuua nos, qui Chananeam pro filia deprecantem exaudiſti: Socrum Petri à febri liberaſti: mulierem ſpiritu infirmitatis annis octodecim inclinatam ad ſanitatem perfectam erexiſti: filium Principis mori incipientem à febri ſaluaſti: puerum Centurionis verbo ſanaſti: paralyticos, & leproſos curaſti, & mundaſti: à ſpiritibus immundis vexatos, & obſeſſos liberaſti: ac mulierem per tactum fimbriæ tuæ à ſanguinis fluxu ſanaſti, ſanitatem mentis, & corporis nobis largire. Benigniſſime Ieſu, qui ſurdos audire feciſti: claudis greſſum reſtituiſti: mutorum ora aperuiſti: cæcos illuminaſti: Filium mortuum matri viduę viuum reſtituiſti: Filiam Archiſynagogi ad vitam reuocaſti: Lazarum quatriduanum à mortuis reſuſcitaſti, ne derelinquas nos orphanos in anguſtijs noſtris, neque deſpicias nos Deus ſalutaris noſter. Salua nos Chriſte Saluator, & Redemptor noſter, ſuſceptor, & liberator noſter, Deus adiutor, & protector noſter, Refugium noſtrum, & cornu ſalutis noſtræ, fortitudo, & patientia noſtra, auxilium tuum nobis benignus impende, vt gratia tua, ac ſubſidio tuo ſufficienter adiuti, à præſentibus malis liberati quammaximas tibi referamus gratias, ac maiori conatu, ac feruore ſemper te diligere appetamus.

℣. Adiutor noſter eſto, ne derelinquas nos.
℟. Neque deſpicias nos Deus ſalutaris noſter.
℣. Adiuua nos Deus auxiliator noſter.
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMVS.

DEus, qui Vnigeniti tui patientia antiqui hoſtis ſuperbiam contriuiſti, da nobis quæſumus, quæ idem pro nobis pertulit, dignè recolere, ſicque exemplo eius cuncta nobis aduerſantia æquanimiter tolerare.

Deus humani generis benigniſſime Conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem inuidia diaboli ab æterna fœlicitate deiectum, vnigeniti Filij tui pretioſo ſanguine redemiſti, viuifica nos famulos tuos gratię tuę vigore, & iacentibus manum porrige ſalutarem: reple nos gaudio cordis, & lætitia ſpiritus; expelle à nobis omnes hoſtiles inſidias, & mitte nobis medicum ſalutis, Angelum pacis, qui nos in anguſtijs poſitos conſolationibus tuis attollat, quibus in præſenti conſequamur auxilium, & in futuro præmia obtineamus æterna.

Miſericordiam tuã humiliter deprecamur, omnipotens Deus, quæ amiſſam gratiam nobis reconciliet, atque munus patientiæ in illatis omnibus, ſemper & vbique protegendo impertiat. Deus ſub cuius nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt, ſuſcipe preces humiliter ad te clamantium, vt de omni aduerſitate, & ægritudine liberati, perpetua te gratiarum actione laudemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aliæ orationes ad obtinendam ſanitatem, ex Breuiario Romano.

DA, quæſumus Domine, nobis ſalutem mentis, & corporis: vt bonis operibus inhærendo, tuæ ſemper virtutis mereamur protectione defendi. 1049 *Fer. 6. Dom. 2. Quadr. ad veſp.*

Deus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui: interius, exteriuſque cuſtodi: vt ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. *Sab. Domin. 1. Quadr. ad veſp.*

Deus, qui nos in tantis periculis conſtitutos, pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere: da nobis ſalutem mentis, & corporis: vt ea, quæ pro peccatis patimur, te adiuuante vincamus. *Dom. 4. poſt Epi.*

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilij tui ſuper nos famulos tuos oſtende virtutem, vt opere miſericordiæ tuæ adiuti, Eccleſiæ tuæ Sanctæ incolumes repræſentari mereamur. *Eccl. in Miſſa pro infirm.*

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus ſecura tibi mente ſeruiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Fer. 4. Dom. 3. Quadr. ad veſp.*

Benedictio pro infirmis.

PArochus, cùm ægrotos ſibi viſitare contigerit, præter ea, quæ in Rituali Romano *de Viſitatione infirmorum*, habentur, poterit etiam ad libitum ſequentibus orationibus vti pro ſanitate ægrotis à Deo impetranda. 1050

In primis ægrotum in ijs inſtruat, quæ in hoc articulo ſuperiùs habentur, & aliquam, vel aliquas ei orationes ex præmiſſis deuotè recitandas proponat, quæ magis videntur opportunæ. Poſtea eum hortetur, humiliter, ac deuotè ſequentem orationem recitare.

Oratione per impetrare da Dio la ſanità di mente, e di corpo.

Dolciſſimo Signor mio Gieſù Chriſto, che ſete il mio Redentore, Saluatore, Signore, e Protettore, Conſolatore delli afflitti, Solleuatore de caduti, Medico de gl'infermi, che ſanate i contriti di cuore, e curate quelli, che nelle loro infermità à voi ricorrono, ecco me, viliſſimo ſeruo voſtro, confuſo, e tutto afflitto, conoſco, che per l'offeſe fatte alla Maeſtà voſtra non merito di riceuere da voi gratia alcuna. Conoſco però ancora, che ſete Dio non ſolo onnipotente, e ſapientiſſimo, ma ancora benigniſſimo, pietoſiſſimo, miſericordioſiſſimo, clementiſſimo, e liberaliſſimo, prontiſſimo à perdonare à chi con puro cuore de ſuoi errori vi chiede perdono: Però eccomi quì humiliato auanti la Maeſtà voſtra, di puro cuore de' miei peccati vi dimando perdono; e vi prego per la grandezza della voſtra bontà, e fedeltà nelle promeſſe voſtre: per honor, e gloria del voſtro Santiſſimo nome; per l'efficacia della voſtra ſacratiſſima Paſſione; e per i meriti della Vergine Santiſſima voſtra dilettiſſima Madre, del mio Angelo Cuſtode, e de' Santi N. e Sante N. miei deuoti, vogliate perdonarmi i miei peccati, e darmi gratia, che per l'auuenire m'aſtenga da qualſiuoglia offeſa, e vi ami ſopra tutte le coſe con tutto il mio cuore, e con tutta l'anima mia, e con tutte le mie forze. Parimente vi ſupplico, vogliate liberarmi da queſta infermità, e concedermi perfetta ſanità di mente, e di corpo, acciò ſotto la voſtra diuina protettione collocato, con più libertà di mente, e di corpo attenda à ſeruirui, & amarui, & impiegarmi per amor voſtro in opere di miſericordia e ſpirituali, e corporali; & adempiſca ſempre in tutto, e per tutto il voſtro diuino volere; e di tutto renda gratie à voi mio Dio, che col Padre, e Spirito Santo viuete, e regnate ne' ſecoli de' ſecoli, Amen.

Hac oratione ab infirmo deuotè, ac humiliter recitata, Parochus poterit ſequentem, vel aliam ad libitum ſuum ex approbatis ab Eccleſia forma e benedictionem.

Oratio pro infirmis.

1051 Potentia ✠ Dei Patris adiuuet te. Sapientia ✠ Dei Filij inſtruat te. Virtus Spiritus ✠ Sancti liberet te ab omnibus malis, & periculis animæ, & corporis.

Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui, conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem, & ſanitatem.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis infuſa uirtutis tuæ dignatione confirmas: vt ſalutaribus remedijs, corpora noſtra, & mentis vegetetur, ſuper hunc famulum tuum N. propitius intende, vt omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfectæ reparetur.

Omnipotens æterne Deus, qui benedictionis tuę gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad inuocationem Sanctiſſimi Nominis tui benignus aſſiſte, vt famulum tuum N. ab ægritudine liberatum, & ſanitati donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ Sanctæ cum omni deſiderata proſperitate reſtituas.

Omnipotens ſempiterne Deus ſalus æterna credentium exaudi nos pro famulo tuo infirmo, pro quo miſericordiæ tuæ imploramus auxilium: vt reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actiones. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Dominus Ieſus Chriſtus apud te ✠ ſit, vt te defendat, intra ✠ te ſit, vt te conſeruet, ante te ſit, vt te ducat, poſt ✠ te ſit, vt te cuſtodiat, ſuper ✠ te ſit, vt te bene ✠ dicat: Qui cum Patre, & Spiritu Sancto regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

Verùm quia inter omnes infirmitates, quibus ſolent mulieres torqueri, maxima eſt, qua affliguntur prægantes, cum ſunt vicinæ partui; idcirco vt in huiuſmodi graui neceſſitate leuamen, & auxilium à Deo impetrare valeant, aliàs ſequentem compoſui orationem, quæ fuit Venetijs approbata, ac Baſſani typis edita, quam pro beneficio vniuerſali mulierum parturientium hìc inſerere vtillimum decreui.

ORATIONE.

Di molta efficacia per le Donne parturienti, per impetrar da Dio aiuto nel partorire.

Signor mio Gieſù Chriſto, che col Padre, e Spirito Santo ſete omnipotente, ſapientiſſimo, e clementiſſimo, eccome ſerua voſtra indegniſſima proſtrata auanti la Maeſtà voſtra Altiſſima: io ſo, che è legge vniuerſale fatta dalla voſtra Diuina Sapienza, che per il peccato commeſſo dalla noſtra prima Madre Eua tutte le Donne concette in peccato partoriſcano con dolore. E però vero ancora, che de potenza aſſoluta la Maeſtà voſtra può diſpenſare da tal legge, ò in tutto, ò in parte conforme li pare, è piace. Conoſco veramẽte, che per i miei peccati nõ merito tal gratia; nientedimeno perche la Maeſtà voſtra ha promeſſo di aiutare in tutti i biſogni quelli, che di puro cuore à voi ricorrono con perfetta confidenza d'ottenere le gratie, che dimandano, mentre ſiano lecite, e giuſte; qual promeſſa non può mancare, eſſendo voi Dio veraciſſi-

Gen. c. 3. v. 16.
Pſ. 49.

raciſſimo: pertanto eccomi ſerua voſtra hu- Supra n.771.
miliſſima, che mi ritrouo vicina al parto, ricorro alla voſtra immenſa liberalità, alla voſtra miſericordia indeficiente, e vi prego, e ſupplico con tutto il cuore per il fauore, che concedeſti alla Vergine ſantiſſima voſtra dilettiſſima Madre nel partorire ſenza dolore voi Gieſù Bambino, vogliate aſſiſtermi in queſto parto col voſtro diuino aiuto, e diſpēſarmi in qualche parte dal rigore di quella legge, alleggerendomi i dolori, concedendomi gratia di partorire preſtamente ſenza pericolo alcuno con poco dolore conforme piacerà all'immenſa voſtra liberalità, e miſericordia. Così vi prego per l'infinita voſtra bontà, per l'efficacia della voſtra ſacratiſſima Paſſione, per i meriti della Vergine Santiſſima voſtra dilettiſſima Madre, del ſuo cariſsimo Spoſo S.Giuſeppe voſtro nutriticio Padre putatiuo, e de ſuoi amantiſſimi Genitori voſtri Auoli S.Gioachino, e Sant'Anna acciò da queſto fauore, che riceuerò dalla voſtra mano liberale poſſa pigliar motiuo di maggiormente lodare, e glorificare il voſtro Santo Nome, che col Padre, e Spirito Santo viuete, e regnate per tutti i ſecoli de ſecoli. E così ſia.

Orationes recitandæ ab Aegroto ad acquirendam patientiam, dum durat infirmitas, & tribulatio.

1052 NOſti omnipotens Deus, quàm vile ſit, & fragile hoc manuum tuarum figmētum, quod ex puluere formatum à leui vento concutitur, frangitur, & tandem iterum in puluerem euaneſcit. Adeò nihil eſt, quod meis ego viribus fidam, qui carne contra ſpiritum ſemper reluctante, tot ſentio motus indignationis, impatientiæ, puſillanimitatis, diffidentiæ, aliarumque perturpationum, quando vel leuiter tangor. Tuam igitur opem imploro, cæleſtis medice, diuinum tuum pharmacum, quod PATIENTIA dicitur, mihi cupio communicari. Summum nempe in morbis etiam acerbiſſimis leuamentum eſt Patiētia. Tu ergo, Domine, qui exteriùs flagella irrogas, da interiùs indeficientem Patientiam ita vt laus tua nunquam recedat de ore meo.

DA mihi, quæſo, Domine præſenti, & æquo eſſe animo, vt velut ambidexter læta, & triſtia, ſuauia & aſpera non aliunde, quàm à paternis tuis manibus profecta, ſuſcipiam, mihique diuinitùs eſſe immiſſa certiſsimò credam, quoniam ad filiorum tuorum exercitationem, ac profectum dirigis omnia.

DOceat me, obſecro, ſpiritus tuus, quo confortante poſſumus omnia, vt ſciam animam in patientia poſſidere vſque ad mortem. Tu es Dominus, qui aculeos, & dolores omnium, & ſingulorum laborantium conſideras: ego verò licèt nondum ad ſanguinem vſque reſtiterim; tamen carnis imbecillitatem, & recalcitrantis naturæ vim ſæpè ſed inuitùs experior. Tantò igitur magis adiuua, Domine, imperfectum meum, vt virtus in infirmitate perficiatur, & ego ſincerè teſtari poſſim. *Virga, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Ad hæc, gratia tua duce, Pſal.22. v.4.
reſpiciam ſæpè in faciem Chriſti mei, & Filij tui Crucifixi, qui ſe patientibus omnibus abſolutum patientiæ ſpeculum, & exemplar præbet. Sed & lectiſſimi, ac fideliſſimi amici tui in cruce mea me conſolentur, qui tanquam aurum in ardenti fornace à te probati, ac purgati, atrociſſima quæque ſupplicia pro te vti patientiſſimè, ita & fortiſſimè pertulerunt, tantò nunc capiti ſimiliores in cæleſtibus delitijs, quantò antea patientiores fuerunt in grauibus tormentis.

Oratio ad augendam Patientiam.

VIta hæc noſtra peregrinatio eſt ab exilio ad patriam. Et ne detineat nos amænitas uiæ, quò minùs ad te, Deus, rectò, & celeriter contendamus, excitas nos ſtimulis, & ſpinis pungis, ut concupiſcamus requiem, & finem itineris. Sunt ergo morbi, fletus, luctus, mæror, aduerſa omnia, uelut calcaria, quibus ſegnis hic equus, uel ueriùs aſinus urgetur, ne ſemper in uia ſubſiſtat. Fac nos, Domine, obliuiſci uiæ, meminiſſe patriæ; atque, ſi adijcis pondus aduerſorum, adde etiam robur, ne ſuccumbamus oneri, ad te perpetuò intenti, & erecti. Cæterùm tua, Domine, ſunt omnia; fac de omnibus ſine exceptione quod inſcrutabili tuo iudicio uiſum fuerit, hoc uno dempto, ne me tibi inimicum eſſe patiaris.

Ad repentinam mortem auertendam.

Oratio I.

O Miſericordiſſime Domine Ieſu, per lacrymas tuas, per agoniam, & ſangui- 1053
neum ſudorem tuum, per mortem tuam rogo te, à ſubitanea, & improuiſa morte libera me.

Oratio II.

O Benigniſſime Domine Ieſu, per acerbiſſimam, & ignominioſiſſimam flagellationem, ac coronationem tuam, per crucem, & paſſionem tuam amariſſimam, per omnem bonitatem tuam, humillimè te precor, ne permittas, me ſine Sacramentis morte repentina ex hac vita migrare.

Oratio III.

O Mi amantiſſime Ieſu, ò Dominus meus, & Deus meus, per omnes labores, ac dolores tuos, per pretioſum ſanguinē tuū, per ſacroſācta vulnera tua, per illas tuas, ò mi dulciſſime Ieſu, ſupremas in cruce voces: *Deꝰ meꝰ, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Per validum illum clamorem tuū. *Pater, In manus tuas commendo ſpiritum meum*, ardentiſſimè te rogo, ne
Pſal.21. v.1. Pſal.30. v.6.

ſubitò hinc tollas me. Manus tuæ, ò mi Redemptor, fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu: ne, quæſo, ſic repentè præcipites me. Da, oro, ſpatium pænitentiæ, da felicem, & in gratia tua obitum, vt ego te tota mente diligam, laudem, & benedicam in æternum.

ARTICVLVS II.

De afflictis, ac Tribulatis tuendis ab inimicis, ac perſecutoribus.

1054 *Modus ſe tuendi ab inimicis, ac perſecutoribus.* VT Parochus, vel Pater ſpiritualis afflictis, ac tribulatis modum, quo ſeipſos ab inimicis, ac perſecutoribus tueri queant, inſinuare poſſit, eum ſequentia conſiderare non pigeat monumenta. Quæ, vt etiam ab ipſiſmet afflictis, ac tribulatis latini ſermonis ignaris percipiantur, vulgari idiomate proponam.

Drex. de Conf. volunt. l. 1. c. 1. §. 4. Iſa. c. 45. v. 7. Amos c. 3 v. 6. Primieramente, quando ti ritroui afflitto, e perſeguitato, conſidera quella tribulatione, come venuta dalla mano di Dio, e dalla ſua ſoauiſſima diſpoſitione, e prouidenza. Dio è quello, che regge la deſtra di quello, che ti percuote. Dio è quello, che muoue la lingua di quello, che di te mormora. Dio è quello, che diede forze à quello, che empiamente ti percoſſe; e però deui ſubito ringratiar Dio non ſolo de' beneficij riceuuti; mà ancora delle tribulationi, e contrarietà à te venute, e nel luogo de beneficij, e fauori annouerarle.

Secondo, deui offerir te ſteſſo à patire per amor di Dio, & in ſatisfattione de' tuoi peccati, queſte, e tutte quelle tribulationi, che più piacerà alla Maeſtà ſua di mandarti, nel modo inſegnato nell' articolo precedente.

Drex. de Pat. p. 2. c. 5. Terzo, non deui mormorare, nè lamentarti di quelli, che t'hanno offeſo, & ingiuriato; mà conſiderare, che ſono ſtati ſolo inſtromento della mano di Dio, per farti rauuedere de' tuoi peccati, e nella via della perfettione profittare.

Quarto, deui prontamente perdonare per amor di Dio l'ingiuria riceuuta, determinandoti fermamente non ſolo di non offendere chi t'hà offeſo, mà nè anco di dir mal di lui, e contenere il tuo cuore da penſieri di odio, e di rancore.

Drex. de Conf. volunt. l. 2. c. 5. §. 4. Matt. c. 5 Quinto, deui conſiderare, che Iddio è preſente in ogni luogo, e vede il tuo cuore, e quello, che patiſci per amor ſuo; ſi come anco vede l'ingiuria, & offeſa, che hai riceuuta: e mentre tu per amor ſuo perdoni al tuo nemico: e per ſatisfare, & oſſeruare quello, che Iddio commanda nel Vangelo, rimetti l'offeſa riceuuta, Iddio reſta obligato à rimunerarti; perche deui credere, ch'egli hauerà cura di te, e ſi pigliarà à petto di vendicar l'offeſa, che ti fù fatta, e ciò à tempo opportuno.

Pſal. 90. v. 1. Tu dunque ſottometti te ſteſſo tutto alla diuina protettione, & al ſuo diuin volere, e tien per certo, e per ſicuro, che Iddio ti proteggerà, e non ti permetterà ſe non quello, che ſia per eſſere per tuo maggior bene; anzi farà, che le perſecutioni ſi conuertino in tuo vtile, e commodo.

Seſto, conſidera, che nell'offeſa, che ti può fare il tuo nemico, due coſe hanno da concorrere, cioè la volontà mala, e peruerſa d'offenderti, e l'opera eſteriore, cioè l'offeſa, che ti potrebbe fare. La volontà, quantunque iniqua, e peruerſa non ti può nuocere, nè farti danno alcuno. L'opera eſteriore ne anco ti può nuocere, ſe Iddio non concorre, ouero s'egli s'oppone. Sia pur forte, e potente il tuo nemico, quanto può eſſere, di finiſſime arme ben guarnito, da huomini forti, e robuſti ſitibondi del tuo ſangue accompagnato, ſe Dio non concorre all'atto fiſico, e materiale dell'offeſa; ouero s'opponerà, ò per ſe ſteſſo, ò per mezo de' ſuoi miniſtri gli Angeli celeſti: l'inimico perderà le forze, l'armi non ti offenderanno, e gli huomini forti, e robuſti s'auuiliranno in ſe ſteſsi, ſi perderanno d'animo, nè ti potranno offendere, nè darti alcun danno. Metti dunque tutta la tua confidenza in Dio, e chiamalo ad ogn'hora, & ogni momento per tuo Signore, Saluatore, protettore, difenſore: à lui commetti te ſteſſo, e tutte le tue cauſe, e pregalo, che ti difenda, e protegga: E ſupplica ancora ogni giorno la Maeſtà ſua, che ſi compiaccia di perdonare al tuo nemico, e dargli lume, e cognitione de' ſuoi errori; confonda i ſuoi machinamenti, e penſieri peruerſi, diſtrugga l'inſidie contro di te ordite, e lo corregga in quel modo, che è più conueniente al ſuo diuin volere: così ſperimentarai, come Iddio con modo marauiglioſo conuertirà l'amaro in dolce, la meſtitia in allegrezza, e la perſecutione in conſolatione. *Supra n. 147. & 148.*

Al che ſeruiranno le ſequenti orationi. Per i dotti ſeruirà ancora ciò ch'habbiamo detto di ſopra, trattando de frutti della confidenza in Dio *al numero marginale 636. e ſeguenti, & al num. 640. e ſeguenti, e 649. e ſeguenti.*

Oratione per difendere ſe ſteſſo da nemici, e perſecutori.

SIgnor mio Gieſù Chriſto dolciſsimo, & amantiſsimo, ecco me ſeruo voſtro afflitto, e perſeguitato, da voi riceuo queſta tribulatione, come venuta dalla volontà del voſtro paterno cuore per farmi riconoſcere de' miei errori, e nella via della Chriſtiana perfettione profittare. Per amor voſtro l'accetto, e ſopporto volontieri, e vi ringratio, che degnato vi ſete di viſitarmi. Offeriſco me ſteſſo pronto non ſolo à patire queſta perſecutione, mà qualſiuoglia altra tribulatione ancora, che più piacerà alla Maeſtà voſtra di mandarmi. Solo vi prego, che vi degnate ancora di darmi patienza, acciò non mi conturbi, nè mi quereli, nè in me s'eccittino penſieri d'odio, ò di vendetta; mà che di tutto cuore à voi dij lode, gloria, & honore. 1055

Io rimetto volentieri, e di tutto cuore, e perdono per amor voſtro queſt'offeſa, e prego la Maeſtà voſtra à perdonare à chi m'hà offeſo, e dargli lume, e cognitione, acciò conoſca l'error ſuo, e ſi emendi. E quando à i voſtri diuini impulſi faccia reſiſtenza, voi, che del tutto Signor ſete, e che vedete tutto, correggetelo in quel modo, che al voſtro diuin beneplacito è più conueniente; confondete i ſuoi penſieri peruerſi, e maligni; ſcoprite le ſue inſidie, diſtruggete i ſuoi machinamenti, & impedite l'offeſe, che mi potrebbe fare. A voi s'aſpetta il diffendermi, e proteggermi in ogni hora, & ogni momento, & impedire, che non ſolo coteſto mio nemico, mà qualſiuoglia altra coſa contraria, e nociua

non mi poſſa offendere; poiche voi ſete il mio Signore, Redentore, Saluatore, protettore, tutore, difenſore, e conſeruatore, refugio, conforto, vita, ſalute, e conſolatione dell'anima mia, e del mio corpo. Eſſendo dunque voi il mio protettore, e di che coſa potrò io temere. Eſſendo voi in mia difeſa, e qual forza, qual potenza mi potrà offendere? Iob. cap. 17. ver. 3. *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me?* Roman. cap. 1. verſ. 31. *Si Deus pro me, quis contra me?*

Potrà ancora ad ogn'hora, e più ſpeſſo col cuore, e con la bocca dire le ſeguenti parole:

Voi mio Dio, che ſete Signor del tutto, che potete il tutto, che vedete il tutto, e che volete far beneficio à tutti, & in particolare à quelli, che'n voi confidano, e viuono ſotto la voſtra diuina protettione, difendetemi, e proteggetemi da miei nemici.

A queſto effetto ſeruirà ancora il recitare ſpeſſo quei verſetti de Salmi poſti di ſopra al *num. 906.* come anco il recitare, il Salmo 53. *Deus in nomine tuo ſaluum me fac, &c.* & il Salmo 5. *Verba mea auribus percipe, &c.*

Finalmente potrà aggiongere le ſeguenti orationi, ciaſcheduno così da quelle, come dalle precedenti eleggendo quella, ò quelle, ò tutte, ò in parte, che più ſaranno conforme la ſua deuotione.

Orationes ad tuendum ſe ab inimicis.
Ex Pſalmorum verſiculis.

1056 DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Pſal. 69. verſ. 1.

Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam. verſ. 2.

Auertantur retrorſum, & erubeſcant, qui volunt mihi mala. Verſ. 3.

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me. Pſalm. 30. Verſ. 1.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt ſaluum me facias. Verſ. 3.

Quoniam fortitudo mea, & refugiũ meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Verſ. 4.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me. Verſ. 16.

Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam. Pſal. 24. Verſ. 1.

Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur. Verſ. 2.

Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè. Verſ. 3.

Libera nos Deus Iſrael ex omnibus anguſtijs noſtris. Verſ. 22.

Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Pſ. 35. Verſ. 1.

Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Verſ. 2.

Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me: dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. Verſ. 3.

Fiant tanquam puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans illos. Verſ. 5.

Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini perſequens eos. Verſ. 6.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem: in Deo ſperaui, non timebo, quid faciat mihi homo. Pſ. 55. Verſ. 11.

Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Pſ. 17. Verſ. 1.

Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum. Verſ. 2.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Verſ. 3.

Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero. Verſ. 4.

℣. Aditorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Saluos fac ſeruos tuos.
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Mitte nobis auxilium de Sancto.
℟. Et de Syon tuere nos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMVS.

PRotector noſter aſpice Deus, & inimicorum noſtrorum elide ſuperbiam, eorumque contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne, vt tuo auxilio ab eorum periculis tuti, & omni perturbatione ſubmota, liberis tibi mentibus ſeruiamus.

QVæſumus omnipotens Deus, vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram dexteram tuæ Maieſtatis extende.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui in tua protectione confidimus; cuncta nobis aduerſantia te adiuuante vincamus. Per Chriſtnm Dominum noſtrum. Amen.

Verùm quia in his plus mouent exempla, quàm verba, maximè ſi adducantur eorum, qui in mundo ſunt, & inter mundanas viuunt commoditates, 1057
ſed verbum Dei gerunt in corde ſuo, eiuſque diuina præcepta, ac conſilia obſeruare ſatagunt. Idcircò inter plures, quos monita ſibi facta circa fiduciam in Deo collocandam, opere adimplere ſtuduerunt, vnicum repræſento, qui nuper hanc confidentiam in Deum poſſidere monſtrauit, nempè, Bernardum Aquilinam natione Bergomenſem Mercatorem Venetum, virum vtiquè modeſtia, ac morum grauitate prædìtum, virtutibuſque moralibus ornatum. Hic cum à quodam ſuo perſecutore ad necem quæreretur, non ad mundi potentes confugit, à quibus protegeretur; non armis defenſiuis, vel offenſiuis ſe muniuit; ſed ſcuto fidei inexpugnabili, ac firmæ, ſtabiliſque in Deum confidentiæ ſe circuncinxit, ac totam in Deum ſuam collocauit fiduciam, eius diuinæ protectioni ſe totum committens, à quo vtique fuit protectus, vt ſequentes eius epiſtolæ Cuidam Theologo Religioſo ſcriptæ patefaciunt, quæ licèt fuerinnt ab eo italico idiomate exaratæ, à me tamen ſermone latino etiam pro linguæ italicæ ignaris proponuntur.

EPISTOLA PRIMA.

Admodum Reuerende Pater mi obſeruantiſſime.

QVoniam agnoui in omnibus meis neceſſitatibus deuotas ſuas orationes magnum mihi attuliſſe auxilium, nunc eò magìs ad eas confugio, quo de mea propria vita agitur. Cum hac hora quidam Tabellarius ad me peruenerit conſultò miſſus ab amico meo extra confinia Venetorum habitante, qui me certiorem facit, quendam hominem impium, & iniquum à ſtatu, ac finibus Venetorum propter ſua delicta commiſſa exulatum pluries me de medio tollere tentaſſe, & nunc miſiſſe hùc Venetias duos homicidas, ac ſicarios è Roma conſultò accerſitos, vt gladio venenato tridentino me occidant, infigendo dictum gladium in inguina, ne fortaſſe, ſi fuiſſem indutus armaturam defenſiuam, quæ vulgò dicitur (il Zacco) impediret ictum. Amicus, qui de hoc me admonuit, ab ipſomet mandante hoc intellexit, dum quadam die hora veſpertina cum eo ad menſam cænaret, Deo ſic permittente, ei crimen à ſe faciendum patefecit, qui ſine mora, ac celeriter me certiorem fecit, ac ſimul de duobus ſicarijs miſſis me admonuit. Ego autem non in armaturis corporeis, nec in mundi potentatibus, ſed in Domino meo Ieſu Chriſto totam meam fiduciam collocaui, qui ab inſidijs inimicorum meorum me tuebitur, ac præſeruabit. Interim ſuppliciter rogo Paternitatem veſtram Reuerendam, vt ſemel in hebdomada celebret, vel celebrare faciat per aliũ Sacerdotem vnam Miſſam pro Defunctis. Orationibuſq; veſtris efficaciter me commendo. Eleemoſynam verò pro miſſa tradam ei, cui ipſe ordinabit. Cum autem pro nunc non aliud mihi occurrat, affectuoſiſſimè Paternitatem veſtram ſaluto, ſicut etiam vxor mea D.Magdalena. Idem præſtat D. Philippus meus Socer, ac Socrus mea D.Iacobina; nec non meus affinis D.Marinus, ac fratria mea D.Catharina, quorum filius Philippus meus nepos benè ſe habet. Poſtquam enim fuit benedictionibus veſtris munitus, non amplius paſſus eſt famem illam lupinam, qua continuè cruciabatur. Sicut D.Philippus meus ſocer conualuit de ſuo brachio priùs malè affecto, poſtquam adhibuit remedia ſibi à Paternitate veſtra tradita. Quibus finem facio ſemper manens.

Hic eſt, de quo ſupra to. 1. pag. 88.

Patern. veſtræ admodum Reuerendæ

Deuotiſs. atq; obligatiſs. ſeruus

Venetijs die 20. Septembris 1666.

Bernardus Aquilina.

EPISTOLA II. Eiuſdem.

Admodum Reuerende Pater mi obſeruantiſſime.

ACcepi literas Paternitatis veſtræ Reu. datas 1058
die 24. huius menſis cum duobus exemplaribus incluſis libelli vocati Scutum inexpugnabile fidei, ac confidentiæ in Deum, *cum oratione manuſcripta, quam quotidiè deuotè recitabo, ſicut & orationes poſitas in Scuto inexpugnabili, quibus gratias ago Patern. veſtræ: quia mediantibus orationibus veſtris, ac ſacrificio miſſæ pro Defunctis oblato, me quotidiè deuotè recitante dictas orationes, pro certo habeo, quòd Deus me proteget, atque tuebitur ab inſidijs inimicorum meorum, ita vt omnia eorum machinamenta vana, irrita, ac nulla euadent. Credat mihi Patern. veſtra Reu. quòd Deus dat mihi cor ita intrepidum, ac robur ita firmum, ac ſtabile, quòd in Domino Deo meo Ieſu Chriſto ita viriliter confido, qui ſanguinem ſuum effudit, vt peccatores redimeret, quòd etiam mihi peccatori, ab eo redempto peccata mea, quorum omnium ex corde doleo, ob immenſam ſuam clementiam, ac pietatem condonabit, & ab inſidijs inimicorum meorum me tuebitur. Idcircò innixus diuinæ protectioni ſecurè, ac ſine vllo pauore, vel tremore per Vrbem ambulo, ac negotia mea perago, ſicut priùs, & hucuſque neminem vidi me offendere tentantem. Tandem iterum me commendo orationibus Paternitatis veſtræ. Etſi aliquid deſiderat à me pro ſuis, vel Conuentus indigentijs, hoc liberè mihi notificet, quòd ſtatim paratus ſum ei prouidere. Dum humiliter, ac reuerenter ſacras manus deoſculor, etiam ex parte D.Philippi mei Soceri, ac omnium meorum conſanguineorum, & affinium. Dictus autem Socer ſperat propria manu ei ſcribere; quia brachium ſuum iam offenſum quotidiè ſumit vires adhibitis remedijs à Paternitate veſtra illi traditis.*

Supra n. 636.

Venetijs die 30. Septembris 1666.

Patern. veſtræ adm. Reuerendæ

Seruus obligatiſs. ac Deuotiſs.

Bernardus Aquilina.

EPISTOLA III. Eiuſdem.

Adm. Reu. Pater mi obſeruantiſſime.

FIrma, & ſtabilis fiducia à me in Domino Deo 1059
poſita, mediantibus etiam medijs diuinis ſecuris à Paternitate veſtra mihi traditis, maximo mihi fuit auxilio, expertus enim ſum Dei ſummi, & optimi maximi manifeſtũ adiutorium mihi impenſum circa perſecutiones ab inimico meo iniuſtè contra me motas. Audiat igitur Paternitas veſtra Reu. quomodo res euenit. Quidam meus a-

micus venit à Iadera, ideſt, Zara Venetias, cui confidenter manifeſtaui inſidias mihi à quodam inimico meo paratas, vt me de medio tollat: & quomodo prædictus meus hoſtis miſit duos homines ſicarios, ac homicidas, vt me occidant, eique indicaui eorum effigiem, prout ille, qui ad me miſerat tabellarium, me admonuerat, mihi etiam ſignificans inſidias mihi paratas ab illis ſicarijs, quorum vnus appellabatur Duns Ioannes. Qui amicus mihi reſpondit? Ego optimè eos agnoſco: quia fuerunt Zaræ in Regimine Pontificio, quos ambos vidi heri veſperi in platea ad S. Marcum. Cui dixi; vt mihi illos indicaret; qui libenter promiſit ſe hoc præſtiturum, niſi iam è Venetijs diſceſſiſſent, quia quærebant Nauem pro diſceſſu, eò quòd tam magnus timor, ac tremor eos inuaſerat, quòd ex quacunque parte ſe inuadendos, & occidendos putabant: vel à Miniſtris iuſtitiæ capiendos, ac laqueo ſuſpendendos; ac interim in corpore quoddam ſentiebant magnum incendium, quo adurebantur, nec requiem habere poterant die, ac nocte. Quare biduo vnà cum illo meo amico Vrbem perluſtrauimus, vt huiuſmodi ſicarios inueniremus; ſed tandem audiuimus à quibuſdam Nautis Venetijs diſceſſiſſe Anconam verſus. Quapropter gratias ago Deo meo, ac Domino Ieſu Chriſto, qui eripuit me de laqueis inimicorum meorum ac de manibus quærentium animam meam. Quæſiui inſuper ab illo meo amico, quinam eſſent illi duo homines miſſi ad me occidendum, & de qua regione. Qui dixit, eſſe ex Romana Prouincia tam iniquos, atque peruerſos, quòd occiderent etiã Sacerdotes ad Altare miniſtrantes, effigiemque eorum mihi repræſentauit. Idcircò agnoſco, quòd orationes deuotæ Paternitatis veſtræ, ac magna fiducia à me in Deo poſita ab inuaſione huiuſmodi hominum iniquorum me præſeruarunt. Propterea rogo Paternitatem veſtram, vt continuet celebrare per ſe, vel per alium miſſam vnam in hebdomada pro Defunctis, deprecans, vt dignetur mihi aliquid committere in ſui obſequium, ac beneficium: quia valdè anxius ſum ei inſeruire. Spero breui Bergomum me aduenturum, qua occaſione veniam ad deoſculandum perſonaliter veſtras ſacras manus, ſicut nunc facio hiſce meis litteris; idemque præſtat meus Socer, qui mihi dixit, ſe Paternitati veſtræ ſcripſiſſe propria manu.

Venetijs die 6. Nouembris 1666.

Adm. Reu. Patern. veſtræ

Deuotiſs. & obligatiſs. ſeruus.

Bernardus Aquilina.

EPISTOLA IV. Eiuſdem.

Adm. Reu. Pater mi obſeruantiſſime.

1060 *GRatias ago Omnipotenti Deo pro continuis fauoribus, beneficijs, ac gratijs mihi quotidie ab eo impenſis, quorum vnicam valdè magnam etiam nunc mihi collatam refero Paternitati veſtræ. Puto, quòd Paternitas veſtra memor ſit: quòd anno præterito quidam exul à Ditione Veneta habitans extra confinia Venetorum me de medio tollere conatus eſt. Qui antequam exularetur erat meus intrinſecus amicus; & quia nolui, vel (vt melius dicam,) non potui emere à Fiſco eius bona confiſcata, cæpit me perſequi, ac mihi ſtruere inſidias; miſitque duos ſicarios, vt mortem mihi inferrent; ſed Deo me protegente, fuerunt tanto pauore, ac timore perculſi, quòd feſtinanter trementes, horreſcenteſque aufugerunt, prout meis litteris præteriti anni Paternitatem veſtram certiorem feci. Nunc iterum hoc menſe Octobris currentis anni prædictus meus perſecutor, cum iam à quodam Principe extraneo fuerit ei quoddam honorificum militare onus impoſitum, ipſe in ſuperbiam elatus miſit Sicarium Dalmatam, vt me occideret. Hic autem morari cæpit hîc Venetijs in domo cuiuſdam Medici, cuius ſeruam alias duxerat in vxorem, quam cum vellet quadam hora ſerotina extra domum ducere, Medicus ei perſuaſit, nè illam aliùc perduceret; quia ipſe non habebat, vndè poſſet eam alere. Hac de re iſte indignatus noctu Medicum gladio confodit, & claua aliquoties percuſſit, qui poſt biduum è vita diſceſſit. Homicidia verò putans homicidium à ſe factum eſſe ſecretum, publicè per Vrbem ambulabat, vt etiam me de medio tolleret, prout ſibi à Mandante meo perſecutore fuerat commiſſum. Sed ecce Deus, qui tuetur in eo confidentes, permiſit, vt homicidium commiſſum notum fieret Iudicibus, à quorum Miniſtris homicida captus carceri eſt mãcipatus. Quod delictum, cum ad aures illius Principis, apud quem morabatur inimicus meus peruenerit, ſtatim depoſuit eum ab onere illo honorifico, quod illi impoſuerat; & Mandatarius pro delicto ſuo pœnas luet. Ego autem quas poſſum gratia refero Deo meo, ac Domino meo Ieſu Chriſto, qui me peccatorem indignum ſuum ſeruum ab inſidijs inimicorum meorum dignatus eſt præſeruare, ac tueri ob immenſam clementiam, ac pietatem ſuam, & ob fiduciam magnam, ac confidentiam, quam in eius diuina poſui protectione, iuxta doctrinam à Paternitate veſtra mihi traditam, maximè in* Scuto inexpugnabili fidei, *quod ſemper apud me retineo, mecum deſero, ac quotidiè deuotè lego.* *Habetur ſupra n. 662. huius tomi.* *Mediantibus etiam deuotis orationibus Paternitatis veſtræ, quibus valdè confido, ac me cum omnibus meis domeſticis affectuosè commendo; rogans vt quotidiè pro me, ac cunctis ad me ſpectantibus Deum exoratum habeat.*

Ex Domo mea apud Sanctum Marcum die 15. Octobris 1667.

Patern. veſtræ adm. Reuerendæ

Deuotiſs. atque obligatiſs. ſeruus

Bernardus Aquilina.

1061 Ex prædictis litteris apertiſſimè nobis innoteſcit, ac manifeſtatur Dei Summi Optimi Maximi omnipotentia, quæ iniquorum hominum technas, ac machinamenta contra ſuos ſeruos, amicos, ac confidentes deſtruit, & in nihilum redigit: ſicut aliàs cum ſuis præſtitit ſeruis, & amicis; de quibus ſupra in *hac diſputat. num. 636. & 637. nec non num. 649. & ſequentibus*. Nobis ante oculos ponitur Diuina Prouidentia, Clementia, pietas, bonitas, ac ſollicitudo liberalis, quæ ſuos tuetur ſeruos, & amicos, ac confidentes, eoſque protegit, vt pupillam oculi ſui, cuſtoditque, ac defendit ab inſidijs inimicorum ſuorum; eiſque robur cordis, animique firmitatem, ac fortitudinem infundit, ita, vt ſine vllo timore incedere valeant, ac corde impauido læti ſemper perſiſtant. Quod etiam teſtatur Iſaias cap. 41. de Patriarcha Iacob, cui dixit Deus: *Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te.*
vers. 10. *Ne timeas, quia ego tecum ſum. Ne declines, quia ego Deus tuus ſum: confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera iuſti mei. Ecce erubeſcent omnes, qui pugnant aduerſum te, erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies, &c. erunt quaſi non ſint, & veluti conſumptio, &c. quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, diceſque tibi: Ne timeas, ego adiuui te.*

E conuerſò Deus proteſtatur, quòd perſecutoribus ſuorum amicorum, qui non in Principibus, ac Potentatibus mundi confidunt; ſed totam ſuam fiduciam in Deo collocant, proteſtatur, inquam, quòd immittet timorem, ac tremorem, ita vt confuſi, ac timore perculſi conuertentur in fugam vel morte afficientur. Sic habetur Deuteronomij c. 28. verſ. 7. vbi Moyſes loquens populo ſuo ait: *Dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgunt aduerſum te corruentes in conſpectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua.* Et infra verſ. 65. loquens illi, qui non cuſtodierit præcepta Dei, ac perſequerur amicos Dei, ac confidentes in eum, ait: *Dabit tibi Dominus Deus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mærore. Et erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte, ac die, & non credes vitæ tuæ.*

Sic & Sicarium illum Dalmatam, qui Venetias conſultò venerat, vt Bernardum Aquilinam è medio tolleret, propter inrerfectionem illius Medici, de quo ſupra num. 1059. *die* 24. *Martij huius anni* 1668. *Venetijs in medio columnarum plateæ Sancti Marci laqueo, ſeu furca ſuſpenſum vidi, qui antequam ad patibulum duceretur ipſemet omnia prædicta enarrauit cuidam Religioſo Prælatos, qui eum confortabat ad mortem pro peccatis ſuis expiandis libenter ſufferrendam. Ex quo videas quomodo Deus protegit in ſe confidentes, ſecuroſque cuſtodit ab inimicis ſuis: & è conuerſo iniquos, atque peruerſos confundit, punit, atque diſperdit.*

Ita ergo & nos ſi præcepta Dei diligenter ſeruauerimus, ac cuſtodierimus, atque in bonis operibus iuxta Dei voluntatem ambulauerimus, ſub Dei protectione viuentes, atque in eo, eiuſque Sanctiſſimo Nomine totam noſtram fiduciam collocantes, ipſumque toto corde, tota anima, tota mente, ac totis viribus diligentes, intra ſe vnuſquiſque noſtrum ipſum audiet dicentem: *Noli timere: Ego*
Gen. c. 15 num. 1. *protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.*

Concluſio Diſputationis IV. de Curatione Diuina.

EN habes beneuole Lector modum, quo ab iniquiſſimo hoſte, qui ſemper quærit quem deuoret, te ſecurè liberare, ac protegere vales; 1062
nec non in cunctis neceſſitatibus Deum propitium habere; modum inquam verum, certum, ſecurum, catholicum, apoſtolicum, & euangelicum. Verum, quia nullis ſubeſt falſitatis erroribus; non enim ex dæmonis mendaciorum patris reſponſis per Energumenorum, obſeſſorumque ora veritatem deſumit; ſed infallibili Euangelicorum dogmatum veritate roboratur. Certum; ſuppoſitis namque conditionibus hoc in opere aſſignatis, infallibiliter effectum ſuum conſequitur: quia in Dei promiſſione, qui teſte Dauid pſal. 144. *fidelis eſt in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis,* immobiliter radicatur. Securum: quia non ſuper volubilem mentis meę arenam; ſed ſuper firmiſſimum diuinæ ſcripturæ lapidem erigitur; Sacrorum Canonum verbis, Sanctorumque Patrum nititur auctoritate. Catholicum, vniuerſalem quippè; non enim Exorciſtis, ac Parochis tantùm; ſed & omnibus Chriſtianæ Religionis Cultoribus per fidem Sanctiſſimi Ieſu Nomini præſtitam, ipſa increata Veritas docet, ac docuit conuenire. Apoſtolicum; ab Apoſtolis namque Dominique Diſcipulis vſitatiſſimus fuit, & à cunctis Apoſtolicis viris in praxim ductus. Euangelicum denique; quia à Chriſto æterni Patris Filio in Euangelio traditur Marci 16. *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient,* & Ioannis cap. 14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet, &c. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*

Conſidera modò, ad quem ſpectet, ad Medicum an ad Exorciſtam Theologum, illum exercere. Quis audeat aſſerere ad Medicum pertinere, ſi huiuſce Curationis Diuinæ Miniſtrum contempletur? Si enim oculis mentis illum attendas, nonne tibi ſe exibet ſimilem Filio hominis, in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ideſt ſeptem ordinibus, quatuor minoribus, & tribus maioribus decoratum, veſtitum podere, tunica ſcilicet byſſina, ſiuè linea interula, quæ vt ſupra dixi *num.* 492. erat veſtis Sacerdotalis deſignans poteſtatem eccleſiaſticam à Chriſto ſupernaturaliter, & ſpecialiter Apoſtolis, ac Diſcipulis ſuis, eorumque ſucceſſoribus legitimis vſque in finem ſæculi ad ædificationem Eccleſiæ militantis ſecundùm leges euangelicas pro conſecutione fælicitatis æternæ communicatam. Non ergo tradita eſt Medico, ſed Eccleſiaſtico Miniſtro poteſtate donato Ordinis Exorciſtatus, vel Sacerdotalis: Iuriſdictionis ordinariæ, vel delegatæ. Qui ſcientia debet eſſe præditus, ac palam facere diſciplinam doctrinæ ſuæ in ordine ad Deum; dæmonem; maleficos, ac res naturales: nec non ad cognoſcenda maleficia. Qui virtutibus ornatus eſſe debet, fide, nempe theologica; Spe, ſeu fiducia in Deo collocata, charitate flagrans; erga Deum, & proximum; fortitudine inſignitus includente patientiam, ac perſeuerantiam; atque prudentia decoratus in erroribus vitandis, nec non in ſemitis rectis eligendis. Qui probè noſſe debet modum, quo maleficio affecti, ſeu ægroti ſe præparare debent per orationem, ac ieiunium. Per orationem

nem, inquam, ad Deum directam, contemplando eius diuinam prouidentiam: meditando eius immenſam bonitatem; conſiderando ipſius infallibilem veritatem: ſeruando conditiones ad impetrationem infallibilem requiſitas; attendendoque ſigna diuinæ voluntatis. Nec non ad Dominos cæli, & terræ Ieſum Chriſtum D.N., eiuſque Beatiſsimā Genitricem V. Mariam: atque ad Mediatores hominum, videlicet Angelicos ſpiritus, ac Beatos in Cælo regnantes. Similiterque eos benè diſponere per ieiuuium ad Deum placandum; ad proficiendum in bono: ad ſeipſos ſanādos: atq; ad hoſtes ſuos repellendos. Qui tandem benè callere debet remedia Tum generalia Sacramentorum Baptiſmi, Confirmationis, Pænitentiæ, Euchariſtiæ, Ordinis, Matrimonij, & extremæ vnctionis: quæ ſeptem ſtellis in dextera ſimilis Filio hominis reſidentibus deſignantur. Quas in manu ſua Exorciſta habere debet, vt cum opportunum iudicauerit, illas obſeſsis, ac maleficio affectis adhibere valeat: nec non alijs vti minutioribus, nempe Cruce, Sancto Euangelio, Cereis formis, ſanctorum reliquijs, imaginibus eorum, aqua benedicta, paneque, & oleo benedicto: vt ſecuriùs hoſtem infenſiſsimum in fugam vertere queat. Tum particularia adhibere geſtando in ore ſuo gladium ex vtraque parre acutum, qui aliud non eſt, quàm verbum Dei, quo infernalis hoſtis feriendus eſt, & à creaturis cunctis expellendus. *Viuus enim eſt*, inquit Paulus Apoſtolus Hebræor. cap. 4. *Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius*. Non inferior, ſcilicet, corporea, quantumuis mole quantitatiua aciem oculorum obtundat: Non media, vt homo, qui ſpiritu interiori mouetur in corpore opaco: Non ſuperior, vt dæmon, qui cum purus ſit ſpiritus corpore expers, homine natura eſt ſuperior. Nam hic gladius verbi Dei ex vtraque parte acutus, quia ex vtroquè teſtamento collectus, potentiſsimus eſt, nedum pro dæmone coercendo, & expellendo ab hominibus, & è rebus ad homines ſpectantibus, vt latè ſupra explicatum eſt; ſed pro homine ipſo tum obſeſſo ad ſuam liberationem, dum per inſtructionem, ac probationem ab eo reſecatur ignorantia, ac diffidentia, quę potiſsimùm liberationi obicem ponunt, præparando. Tum ægroto, vel ab inimicis ſuis exagitato in fide, ac fiducia in Deo collocanda inſtruendo, & animando: vt tam iſti, quàm illi huiuſmodi gladio ancipiti penetrati, atque protecti diuinum in ſe valeant experiri auxilium. Hoc modo Exorciſta, cuius eſt, & non Medici, diuinam exercere curationem, ſeipſum vtique ſimilem Filio hominis exhibebit in medio ſeptem candelabrorum aureorum, veſtitum podere, præcinctum ad mamillas zona aurea, caput, ac capillos candidos habentem, in dextera ſua geſtantem ſtellas ſeptem, nec non in ore gladium ex vtraque parte acutiſsimum promentem, quo omnes aduerſarij tam viſibiles, quàm inuiſibiles amicorum Dei confundentur, ac in fugam vertentur: & ipſi ſerui Dei Deum, ac Dominum Ieſum Chriſtum confitentes laudabunt in ſæcula ſæculorum. Amen.

Concluſio generalis totius Operis.

MAre verè *magnum*, *& ſpatioſum manibus* 1063
vocat hunc orbem Propheta Regius *pſal.* 103. in quo mortales fragili ligno corporis ſui nauigantes inter procelloſas fluctuum voragines continuis periculis remanent expoſiti: idcircò & ipſe Dauid licet Rex eſſet omnibus delicijs affluens, ac diuitijs cumulatus; attamen *pſal.* 68. ait: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*.

Vel dicamus mundum eſſe campum grandem, & amplum, in quo homines certamen quotidianum nunc in corporali rerum temporalium: nunc in ſpirituali virtutum ſtadio ineuntes aduerſus hoſtes modò viſibiles, modò inuiſibiles pugnant, innumeris, ac continuis periculis ſe exponentes: vt tandem vtrique illi portum felicem: iſti victoriam ſecuram conſequantur.

At potiori iure huic meo Alexicacon prædicta conuenire mihi eſt affirmandum: Dum enim fragili ligno intellectus mei mare hoc ſpatioſum ſulcare tentaui, quot voragines procelloſæ apparuerunt, quot difficultates fluctuoſæ ſe mihi obiecerunt? ita quòd, niſi continuè mihi diuinum à me imploratum adſtitiſſet auxilium, coactus fuiſſem dicere cum Regio Propheta: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*. Cum enim in hoc opere tractetur de maleficijs in ordine ad ſuas cauſas cognoſcendas, ac curationes eorum adhibendas, quot procellas, quot ſcopulos, quot fluctus! quot voragines obuias habui! Non enim vnius fuit ſcientiæ de eis diſputare; ſed plurium; idcircò mihi opus fuit nunc vtramque Theologiam conſulere: modò recurrere ad Philoſophiam; ſæpè medicinam adire: alias quærere à Iuriſprudenria, quid ſentiret; & à qualibet mutuari, quæ ad rem faciebant; quod ſine labore improbo omnia vincente, ac ſine perenni ſtudio omnia perſcrutante, ac potiſſimùm ſine diuino Numine fauente, & aſſiſtente, perficere non potuiſſe certum eſt. Quanta enim rerum difficilium multitudine obrui coactus fuiſſem, niſi cõtinuum Dei auxilium, ac mea in Sanctiſſimo Ieſu Nomine fiducia collocata animum mihi adiecifſet, & auxiſſet?

Conſidera, benigne Lector, primi tomi Di- 1064
ſputationem primam, vbi de maleficiorum cognitione in ordine ad cauſam omnium rerum primam, & vniuerſaliſſimam, Deum optimum maximum pertractatur, quot voragines apparent, in eius diuina ſapientia, ac prouidentia perſcrutanda: quot ſcopuli in eius voluntate permiſſiua, approbatiua, conditionata, abſoluta, efficace, inefficace, prohibente, impediente, tolerante, atque puniente inueſtiganda obijciuntur, in quos ſæpè ac ſæpius doctiſſimi quoque, ac ſpirituales viri impingunt, neſcientes diſtinguere inter voluntatem Dei permiſſiuam, & approbatiuam: in-

ter efficacem, & inefficacem: ac inter abſolutam, & conditionatam; idcircò ex defectu intelligentiæ quandoque eos ab errorum procelloſis fluctibus abſorberi contingit. Et tamen liber hic modum, quo omnia prædicta faciliimè enucleare vales, ac ſcopulos euitare tibi tradit.

Si verò oculos dirigas ad ſecundam, vbi de dæmonis ſublimi ſcientia, potentia magna, voluntate praua, ac malitia inſigni diſputatur, nonne ſtatim te reperis certaminis in campo conſtitutum, vbi non eſt colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, Anthæum Gigantem, Cacum flammiuomum, tricorporeum Geryonem, & crudeles Centauros: aut aduerſus feroces beſtias, ſerpentes ignitos, apros terribiles, Leones hyrcinos, Hydras colubris, & capitibus pullulantes, Ceruas aeripides, & tricipites Cerberos, quæ omnia monſtra fragili materia, carne, nempe, & ſanguine conſtant; & ita facilè laſſantur, & ſuperantur: *ſed aduerſus principes, & poteſtates*, virtute, ac poteſtate præſtantes, vt ait Apoſtolus Eph.6. *aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*: quibus cum ſit ſubiecta materia ſublunaris; ſpeciali tamen in peccatores data eſt dominatio: *contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, ſpiritus, nempe, incorporeos, & ſpirituales nequitias hominibus vafriores, quorum habitatio eſt non in domibus luteis, ſed in aeris regionibus, ac in mundo vniuerſo peruagantur. Quas igitur patietur homo difficultates in hoſte tam potente ſuperando, ac proſternendo? Iure meritò ergo dicere poterit cum Iob c.7. *militia eſt vita hominis ſuper terram*. Et tamen hoc opus arma tradit, quibus iſte malorum omnium auctor facilè eſt propulſandus, tota erronum cohors fuganda: principes, & poteſtates huiuſmodi humiliandi, ac de eis victoriam reportandi.

Si Magos, & Maleficos in tertia diſputatione deſcriptos attendere velis, eos inuenies homines diabolicos, ac diabolos humanatos, qui dæmonum opere ſe iactitant cælum inficere, aſtra obſcurare, ignem attrahere, turbare aerem, ſuſcitare ventos, pluuias excitare, tempeſtates ciere, fructus perdere, peſſundare fruges, ſterilitatem inducere, perimere armenta, diſperdere greges, varios ſuper bruta inducere morbos, ab hominibus bona auferre, honorem tollere, vires debilitare, ſanitati nocere, ſenſibus illudere, cauſare infirmitates, mortem ipſam inferre, ac tot ac tanta mala hominibus intentare, quòd ipſemet Deus ore ſuo proprio ſtatuerit decretum dicens Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere*. Veruntamen Alexicacon hoc omnia prædicta mala repellere, ac impedire, nè eueniant, clarè docet.

Si verò res naturales, quibus ex dæmonis præſcripto Magi, ac Malefici vtuntur in ſuis maleficijs concinnandis numerare cupis, tot ſunt, quot in toto rerum vniuerſo res à Deo creatæ reperiuntur vti diſput.4. enarrantur, quæ à Maleficis aliquando vt cauſæ phyſicæ illarum ægritudinum, quas cauſare volunt applicantur; ſed vt plurimum tantùm vt cauſæ morales, quibus dæmones ad malefici placitum operantur: *quæ ab eis dæmonibus exhibentur*, teſte Auguſtino lib.21. de Ciuit. Dei c.6. *in ſignum diuini honoris, cuius ipſi ſunt cupidi*.

Sed prædicta omnia à dæmonibus, eorumque aſſeclis Magis, ac maleficis mala opera intentata deſtruuntur, ac in nihilum rediguntur, ſi Miniſtri Eccleſiaſtici, omneſque Chriſti fideles cum aliquo ſe timent maleficio affectos, contempta prorſus curatione diabolica, quæ *tomi ſecundi diſputatione prima*, vt magica abominanda, & intoleranda: & vt ſuperſtitioſa quoad cauſam, modum, & effectum, eſt manifeſtata, relictaque Medico naturali curatione reſpectu morborum naturalium, eo modo, quo diſputatione ſecunda eiuſdem tomi eſt declaratum: ac tandem poſthabita etiam curatione morali, quę duntaxat à dæmone adinuenta eſt, vt à Maleficis per huiuſmodi ſigna adoretur, vt tertia diſp. eſt patefactum, totis viribus incumbant doctrinæ de curatione diuina vltima diſputatione exaratæ, ac praxi in ea traditæ intendant, quòd vtiquè modum inuenient verum, certum, ſecurum, Catholicum, Apoſtolicum, & Euangelicum, quo diabolicarum inſidiarum voragines euitabunt, maleficorum aſtus, ac technas ſecuri euadent, ac totam in Deo, ac in Sanctiſſimo Nomine Ieſu ſuam fiduciam collocantes à ſeipſis longè dęmones expellent maleficia ſoluent, in ægritudinibus alleuabuntur, ab inimicis protegentur, & in cunctis neceſſitatibus propitium Deum habebunt, dicentem: *Noli timere: Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. Geneſ. cap.15.

Cuius protectioni, & ego modicus, & pauperculus innixus, hoc opus incæpi licèt hoſti- 1065
bus infernalibus frementibus, ac procelloſas perſecutionum voragines aperientibus, quibus me abſorbere velle videbantur, mille ponentibus ſcopulos, quibus huius operis progreſſum impedire tentarunt, nec non in campum certaminis aperto Marte inuitantibus, irritantibus, & ad duellum prouocantibus. Veruntamen diuino fretus auxilio, tota mea fiducia in Sanctiſſimo Ieſu collocata, ita ſemper impauidus, ac inconcuſſus permăſi, quòd nec tempeſtas dæmoniacorum inſultuum demerſit me; nec magorum, ac maleficorum perfidia mihi nocuit; nec iniquitas eorum me perterruit: nec quicunque alius impedire valuit, quin hoc meum Alexicacon, Deo ſemper me protegente, ad ſuam vltimam à me optatā perducerem perfectionem: Propterea iam portum, ac prælij finem nunc attingens, vt in nautarum morem cantato celeuſmate: aut ad modum victorum io Pęan repetito, genuflexus humiliter quas poſſum tibi, refero gratias, Deo meo, ac Domino meo Ieſu Chriſto; laudo te; benedico tibi; & à cunctis creaturis laudari, ac benedici exopto; ſicut & ſuppliciter rogo, vt impoſterum in cunctis meis cogitationibus, verbis, & operationibus tuo diuino auxilio mihi aſſiſtere digneris vſque

ad

ad vltimum inſtans vitæ meæ, ſuppetias ſuas ferentibus Sanctiſſima Deipara Virgine Maria, Angelicis Spiritibus, ac Sanctis meis Patronibus, ad quos humiliter ſequentes dirigo orationes.

ORATIO

Ad Beatiſſimam Virginem Mariam Matrem Domini.

1066 O Mater miſericordiæ, Mater æterni Regis, perueniant ad te preces meæ. Scio me peccatis meis graues pęnas commeruiſſe, ſed tamen impetra mihi à Filio tuo miſericordiam, vt antequam moriar ex animo conuertar, & ſinceram agam pænitentiam. O Virgo clementiſſima conſolatrix afflictorum, auxiliũ Chriſtianorum, adiuua me in hac tribulatione, & ab omnibus inſidijs inimicorum tam viſibilium, quàm inuiſibilium, & à cunctis me periculis protege. O Mater Domini, aſſiſte mihi, & ſubueni tuis patrocinijs, ac meritis, in omnibus doloribus meis, & præſertim in vltima neceſſitate mea ſuccurre mihi. O Mater afflictorum, non me deſeras in hora mortis meæ.

Ad Sanctiſſimos Angelos.

O Puriſſimi ſpiritus, Angeli beatiſſimi, aſſiſtite, quæſo, mihi & ab hominum iniquorum offenſis me defendite, occurrite, mihi in periculis cunctis, & ſeruate me in anguſtijs, ac conſolamini, & maximè præſentes mihi eſtote migranti ex hoc ſæculo, & potenter eripite me ad immundorum ſpirituum inſidijs, & animam meam in veſtrum conſortium aſſumite. Tu præcipuè Angele bone, qui cuſtos es meus fideliſſimus, defende me in prælio, vt non paream in tremendo iudicio: Nec me deſeras in quacunque neceſſitate, ſed tuum mihi benignum impende auxilium. O vos omnes Sancti Angeli Dei, veſtris obſecro interceſſionibus defendar, vt infernalis canis mihi non noceat, & anima mea ad ſuum Creatorem pura perueniat.

Ad Patronum, aut Patronos cœlites.

O Patrone optime, Sancte N. etiam in te ſpem aliquam ſubſidij, & confidentiam collocaui, Tuis, obſecro, deprecationibus apud Deum, & nunc, & in cunctis aduerſitatibus mihi adſis, & præſertim in extremæ neceſſitatis articulo. Impetra mihi, quæſo, benignam ſententiam, vt à Iudice meo audire merear; *Veni benedicte Patris mei, accipe regnum, quod tibi paratum eſt ab initio mundi:* Vt ita tecum, ò Sancte N. communem, & immortalem Dominum glorificem in ſæcula ſæculorum, Amen.

FINIS.

Ad maiorem Dei, Sanctiſſimi Nominis Ieſu, Virginis Mariæ, Angelicorum Spirituum, Sanctorumq; omnium gloriam.

Iterata Proteſtatio Auctoris.

Aduerte Lector in relatione diuerſorum caſuum quorundam Virorum, ac Mulierum, in quibus videtur eſſe aliquod ſpecimen Sanctitatis, ac perfectionis Chriſtianæ: vel etiam miraculoſæ operationis, & euentus ſupernaturalis; cum tamen ipſi adhuc ſint Viatores, & in ſtatu peccandi. Hæc omnia meis Lectoribus ita propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata; ſed tanquam quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant; atque adeò non aliter quàm humanam hiſtoriam ad aliorum exemplum relatam. Idcircò nec velle me venerationem aliquam vlli arrogare: vel famam, & opinionem ſanctitatis inducere, vel augere.

ter efficacem, & inefficacem : ac inter abſolutam, & conditionatam; idcircò ex defectu intelligentiæ quandoque eos ab errorum procelloſis fluctibus abſorberi contingit. Et tamen liber hic modum, quo omnia prædicta facillimè enucleare vales, ac ſcopulos euitare tibi tradit.

Si verò oculos dirigas ad ſecundam, vbi de dæmonis ſublimi ſcientia, potentia magna, voluntate praua, ac malitia inſigni diſputatur, nonne ſtatim te reperis certaminis in campo conſtitutum, vbi non eſt colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, Anthæum Gigantem, Cacum flammiuomum, tricorporeum Geryonem, & crudeles Centauros: aut aduerſus feroces beſtias, ſerpentes ignitos, apros terribiles, Leones hyrcinos, Hydras colubris, & capitibus pullulantes, Ceruas aeripides, & tricipites Cerberos, quæ omnia monſtra fragili materia, carne, nempe, & ſanguine conſtant; & ita facilè laſſantur, & ſuperantur: *ſed aduerſus principes, & poteſtates*, virtute, ac poteſtate præſtantes, vt ait Apoſtolus Eph.6. *aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*: quibus cum ſit ſubiecta materia ſublunaris; ſpeciali tamen in peccatores data eſt dominatio: *contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, ſpiritus, nempe, incorporeos, & ſpirituales nequitias hominibus vafriores, quorum habitatio eſt non in domibus luteis, ſed in aeris regionibus, ac in mundo vniuerſo peruagantur. Quas igitur patietur homo difficultates in hoſte tam potente ſuperando, ac proſternendo? Iure meritò ergo dicere poterit cum Iob c.7. *militia eſt vita hominis ſuper terram*. Et tamen hoc opus arma tradit, quibus iſte malorum omnium auctor facilè eſt propulſandus, tota erronum cohors fuganda: principes, & poteſtates huiuſmodi humiliandi, ac de eis victoriam reportandi.

Si Magos, & Maleficos in tertia diſputatione deſcriptos attendere velis, eos inuenies homines diabolicos, ac diabolos humanatos, qui dæmonum opere ſe iactitant cælum inficere, aſtra obſcurare, ignem attrahere, turbare aerem, ſuſcitare ventos, pluuias excitare, tempeſtates ciere, fructus perdere, peſſundare fruges, ſterilitatem inducere, perimere armenta, diſperdere greges, varios ſuper bruta inducere morbos, ab hominibus bona auferre, honorem tollere, vires debilitare, ſanitati nocere, ſenſibus illudere, cauſare infirmitates, mortem ipſam inferre, ac tot ac tanta mala hominibus intentare, quòd ipſemet Deus ore ſuo proprio ſtatuerit decretum dicens Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere*. Veruntamen Alexicacon hoc omnia prædicta mala repellere, ac impedire, nè eueniant, clarè docet.

Si verò res naturales, quibus ex dæmonis præſcripto Magi, ac Malefici vtuntur in ſuis maleficijs concinnandis numerare cupis, tot ſunt, quot in toto rerum vniuerſo res à Deo creatæ reperiuntur vti diſput.4. enarrantur, quæ à Maleficis aliquando vt cauſæ phyſicæ illarum ægritudinum, quas cauſare volunt applicantur; ſed vt plurimum tantùm vt cauſæ morales, quibus dæmones ad malefici placitum operantur: *quæ ab eis dæmonibus exhibentur*, teſte Auguſtino lib.21. de Ciuit. Dei c.6. *in ſignum diuini honoris, cuius ipſi ſunt cupidi*.

Sed prædicta omnia à dæmonibus, eorumque aſſeclis Magis, ac maleficis mala opera intentata deſtruuntur, ac in nihilum rediguntur, ſi Miniſtri Eccleſiaſtici, omneſque Chriſti fideles cum aliquo ſe timent maleficio affectos, contempta prorſus curatione diabolica, quæ *tomi ſecundi diſputatione prima*, vt magica abominanda, & intoleranda: & vt ſuperſtitioſa quoad cauſam, modum, & effectum, eſt manifeſtata, relictaque Medico naturali curatione reſpectu morborum naturalium, eo modo, quo diſputatione ſecunda eiuſdem tomi eſt declaratum: ac tandem poſthabita etiam curatione morali, quę duntaxat à dæmone adinuenta eſt, vt à Maleficis per huiuſmodi ſigna adoretur, vt tertia diſp. eſt patefactum, totis viribus incumbant doctrinæ de curatione diuina vltima diſputatione exaratæ, ac praxi in ea traditæ intendant, quòd vtiquè modum inuenient verum, certum, ſecurum, Catholicum, Apoſtolicum, & Euangelicum, quo diabolicarum inſidiarum voragines euitabunt, maleficorum aſtus, ac technas ſecuri euadent, ac totam in Deo, ac in Sanctiſſimo Nomine Ieſu ſuam fiduciam collocantes à ſeipſis longè dęmones expellent maleficia ſoluent, in ægritudinibus alleuabuntur, ab inimicis protegentur, & in cunctis neceſſitatibus propitium Deum habebunt, dicentem: *Noli timere: Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. Geneſ. cap.15.

Cuius protectioni, & ego modicus, & pau- 1065
perculus innixus, hoc opus incæpi licèt hoſtibus infernalibus frementibus, ac procelloſas perſecutionum voragines aperientibus, quibus me abſorbere velle videbantur, mille ponentibus ſcopulos, quibus huius operis progreſſum impedire tentarunt, nec non in campum certaminis aperto Marte inuitantibus, irritantibus, & ad duellum prouocantibus. Veruntamen diuino fretus auxilio, tota mea fiducia in Sanctiſſimo Ieſu collocata, ita ſemper impauidus, ac inconcuſſus permáſi, quòd nec tempeſtas dæmoniacorum inſultuum demerſit me; nec magorum, ac maleficorum perfidia mihi nocuit: nec iniquitas eorum me perterruit: nec quicunque alius impedire valuit, quin hoc meum Alexicacon, Deo ſemper me protegente, ad ſuam vltimam à me optatã perducerem perfectionem: Propterea iam portum, ac prælij finem nunc attingens, vt in nautarum morem cantato celeuſmate: aut ad modum victorum io Pęan repetito, genuflexus humiliter quas poſſum tibi, refero gratias, Deo meo, ac Domino meo Ieſu Chriſto; laudo te; benedico tibi; & à cunctis creaturis laudari, ac benedici exopto; ſicut & ſuppliciter rogo, vt impoſterum in cunctis meis cogitationibus, verbis, & operationibus tuo diuino auxilio mihi aſſiſtere digneris vſque

ad vltimum inſtans vitæ meæ, ſuppetias ſuas ferentibus Sanctiſſima Deipara Virgine Maria, Angelicis Spiritibus, ac Sanctis meis Patronibus, ad quos humiliter ſequentes dirigo orationes.

ORATIO

Ad Beatiſſimam Virginem Mariam Matrem Domini.

1066 O Mater miſericordiæ, Mater æterni Regis, perueniant ad te preces meæ. Scio me peccatis meis graues pœnas commeruiſſe, ſed tamen impetra mihi à Filio tuo miſericordiam, vt antequam moriar ex animo conuertar, & ſinceram agam pœnitentiam. O Virgo clementiſſima conſolatrix afflictorum, auxiliũ Chriſtianorum, adiuua me in hac tribulatione, & ab omnibus inſidijs inimicorum tam viſibilium, quàm inuiſibilium, & à cunctis me periculis protege. O Mater Domini, aſſiſte mihi, & ſubueni tuis patrocinijs, ac meritis, in omnibus doloribus meis, & præſertim in vltima neceſſitate mea ſuccurre mihi. O Mater afflictorum, non me deſeras in hora mortis meæ.

Ad Sanctiſſimos Angelos.

O Puriſſimi ſpiritus, Angeli beatiſſimi, aſſiſtite, quæſo, mihi & ab hominum iniquorum offenſis me defendite, occurrite, mihi in periculis cunctis, & ſeruate me in anguſtijs, ac conſolamini, & maximè præſentes mihi eſtote migranti ex hoc ſæculo, & potenter eripite me ad immundorum ſpirituum inſidijs, & animam meam in veſtrum conſortium aſſumite. Tu præcipuè Angele bone, qui cuſtos es meus fideliſſimus, defende me in prælio, vt non peream in tremendo iudicio: Nec me deſeras in quacunque neceſſitate, ſed tuum mihi benignum impende auxilium. O vos omnes Sancti Angeli Dei, veſtris obſecro interceſſionibus defendar, vt infernalis canis mihi non noceat, & anima mea ad ſuum Creatorem pura perueniat.

Ad Patronum, aut Patronos cœlites.

O Patrone optime, Sancte N. etiam in te ſpem aliquam ſubſidij, & confidentiam collocaui, Tuis, obſecro, deprecationibus apud Deum, & nunc, & in cunctis aduerſitatibus mihi adſis, & præſertim in extremæ neceſſitatis articulo. Impetra mihi, quæſo, benignam ſententiam, vt à Iudice meo audire merear: *Veni benedicte Patris mei, accipe regnum, quod tibi paratum eſt ab initio mundi:* Vt ita tecum, ò Sancte N. communem, & immortalem Dominum glorificem in ſæcula ſæculorum, Amen.

FINIS.

Ad maiorem Dei, Sanctiſſimi Nominis Ieſu, Virginis Mariæ, Angelicorum Spirituum, Sanctorumq; omnium gloriam.

Iterata Proteſtatio Auctoris.

ADuerte Lector in relatione diuerſorum caſuum quorundam Virorum, ac Mulierum, in quibus videtur eſſe aliquod ſpecimen Sanctitatis, ac perfectionis Chriſtianæ: vel etiam miraculoſæ operationis, & euentus ſupernaturalis; cum tamen ipſi adhuc ſint Viatores, & in ſtatu peccandi. Hæc omnia meis Lectoribus ita propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata; ſed tanquam quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant; atque adeò non aliter quàm humanam hiſtoriam ad aliorum exemplum relatam. Idcircò nec velle me venerationem aliquam vlli arrogare: vel famam, & opinionem ſanctitatis inducere, vel augere.

INDEX
RERVM OMNIVM, ET VERBORVM,

Quæ his duobus Tomis continentur.

Prior numerus tomum: ſecundus paginam: tertius numerum marginalem deſignant.

A.

ABRAHAMI victoriam ob fiduciam in Deo collocatam. to.2.pag.216.n.650
Abraham fuit exaltatus ob fiduciam in Deo poſitam. to. 2.218.656
Abſtinentia à peccato, & ab illicitis voluptatibus, neceſſaria eſt obſeſſo, vt liberetur. 2.292.863
Abuſus Sacramentorum, Sacramentalium, rerum ſacrarum, verborum Sacræ Scripturæ, & Symboli Apoſt. quando occurrat. 2.62.216
Actio ſiuè formaliter, ſiuè materialiter ſumpta, vt phyſica dicatur quas conditiones requirat. to.2. pag. 112.370
Actio intẽtionalis quid ſit, & quotuplex. 2.119.391
Actio intentionalis ſenſibilis, vt agat, requirit potentiam, obiectum, organum, medium, & ſpeciem. 2.120.395.
Actio phantaſtica quid ſit, & quid requirat. tom.2. pag. 122.404
Actiones variæ ſuperſtitioſæ inſtitutæ à dæmone tranſeuntes, vt per eas ſanitatem conferat. Aliquæ deſcribuntur. 2.61.215
Actus exercendi à vexato, vt dæmonis impetus repellat. 2.327.945
Actus confidentiæ in Deum contra Dæmonem poſſidentem. 2.331.958
Actus deteſtationis in dæmonem poſsidentem.to.2. pag. ibi.ibi.
Adiurandus eſt dæmon non rogando; ſed obiurgando, & imperando. 2.251.732
Adiurari poteſt Deus deprecatiuè. 2.250.729
Adiurari licitè poſſunt à nobis Angeli, & Sancti. tom. 2.ibi.730
Adiurari à nobis licitè poſſunt dęmones. 2.ibi.731
Adiuratio quid ſit, & quotuplex. 2.ibi.728
Adiuratio quomodo conueniat cum iuramento, & oratione; & quomodo differat. 2.ibi.ibi.
Adiuratio tria continet. Et quænam ſint. 2.ibi.ibi.
Adiuratio obſecratio quædam eſt. 2.ibi.729
Adiuratores aliqui ſunt obſeſſorum tortores. tom.2. pag. 243.711
Admonendi ſunt Magi, Malefici, ac Striges ſemper locum eſſe pęnitentiæ. 1.191.555
Adoratio quomodo exerceatur. 1.10.31
Adulti vexati vſque ab infantia difficillimè liberantur. 2.336.973
Ægritudines corporis quomodo per oculos communicentur. 1.251.707
Ægritudinis, & ſanitatis cauſæ naturales quænam ſint. 2.182.571
Ægroti exercitium debet eſſe oratio, vt maximam in Deum valeat ponere fiduciam. 2.258.756
Ægroti iuxta fidei ſuæ, ac fiduciæ magnitudinem ſanitatem accipiunt. 2.214.646
Ægroti medicinas corporales accipientes ab Exorciſtis ignaris in arte medica, vt cæci in foueam cadunt næcis corporeæ. 2.241.706
Ægroti ſuper omnia debent animam ſuam à vitijs purgare. 2.263.769
Ægroto quid agendum, vt ſanitas, quam petit, ſit ſibi ſalutaris. 2.279.823
Ægrotus obſeſſus figuratus eſt per Ioannem in Patmos relegatum ærumnis affectum. 2.257.754
Aerei dæmones quinam ſint; & cur ſic vocentur. tom. 1.129.405
Afflictio carnis ſecundùm guſtum, & tactum neceſſaria

ſaria eſt obſeſſo. 2.292.863
Afflicti, & tribulati quomodo tuendi ab inimicis. tom. 2.372.1054
Afflicti, & ægroti quomodo ſubleuandi, & liberandi. 2.365.1032
Afflictiones cauſatæ à dæmone. Videas verbo *Dæmon*. verbo *Moleſtia*.
Agni Dei virtus contra dæmones. 2.313.907
Agnus Dei cereis formis impreſſus quid importet. tom. 2.ibi.ibi.
Alexicacon nomen deſcribitur, ac declaratur. Proloquio 10
Alterationes varias dæmon efficit in corpore, qualitates amouendo, vel introducendo multis modis. 1.97.301
Amatoria maleficia voluntatem non poſſunt cogere. 1.228653
Amatoria pocula quomodo perficiantur, & quid operentur. 1.226.651.& ſeq.
Amatoriorum philtrorum modus, & effectus aſſignantur. 1.ibi.ibi.
Ambiguitas oraculorum in reſponſis ordinaria. tom. 1.68.221
Amor prophanus quomodo generetur ex viſu. to.1. pag. 86.268
Amuleta deferendi vſus non contemnendus. tom.2. pag. 313.906
Andegauenſes magicis artibus ſe ab obſidione liberauerunt; ſed tandem ipſi regno priuati ſunt. tom. 1.42.153
Angeli boni Deo mandante maleficia vel impediũt; vel ſoluunt. 1.31.113
Angeli præter potentias intellectus, & voluntatis, habent etiam potentiam motricem executiuam diſtinctam ab intellectu, & voluntate. 1.32.117
Angeli ſuperioris ordinis poteſtate naturali, nedum ſupernaturali valent coercere dæmones ordinis inferioris. 1.32.119
Angeli virtute diuina etiam minimi poſſunt totam dæmonum cateruam in fugam vertere. 1.ibi.120
Angeli Cuſtodes ſolent impetus dæmonum, & maleficorum impedire: vel retardare, ne quid attentent contra Dei voluntatem. 1.33.122
Angeli, & Hominis ſcientia quomodo cunueniat, & diſconueniat. 1.55.& ſeq 175. & ſeq.
Angeli boni, & mali ſimiles in intellectuali natura: ſed diſſimiles in voluntate. Et quomodo. to.1. pag. 60.194
Angeli quómodo loquantur ad inuicem. 1.62.201
Angeli, & dæmones cogitationes cordis directè nõ cognoſcunt; ſed indirectè. Et quomodo. 1.67.218
Angeli boni apparent ſæpiùs, in quibus apparitionibus varia occurrunt. 1.110.342
Angeli Charitatis officijs vacant aſſiſtentes, ac miniſtrantes. 1.123.380
Angeli Superiores deputantur à Deo in directione Prælatorum Eccleſiæ. 1.140.447
Angeli apparentes ſub forma Iuuenum an deceperint homines dicentes vnum pro alio. 2.121.399
Angeli, & Sancti licitè, ac rectè à nobis adiurari poſſunt. 2.250.730
Angeli, ac Sancti Militis, ac Medici munere funguntur. 2.287.849
Angeli Superiores varia miniſteria exercent in obſequium hominum. 2.288.850
Angeli inferiores in neceſſitatibus hominibus ſuccurrunt. 2.ibi.851
Angeli auxilium præſtant populo Iſraelitico. to.2. pag. ibi.852
Angeli tuentur Iudam Machabæum. 2.ibi.853
Angeli ſuperiores natura virtute naturali coercent inferiores. 2.191.595
Angeli ſunt Medici magis ſolliciti ad benefaciendum nobis, quàm demones ad malefaciendum. tom. 2.289.855
Angeli non ſemper dæmones repellunt: quia noſmetipſos eis quotidiè non commendamus. to.2. pag. 289.856
Angeli ab hominibus ſunt inuocandi. 2.ibi.ibi.
Angelus quilibet virtute diuina poteſt omnes dæmones cohibere. 2.192.596
Angelus inſinuauit duobus Fratribus Minoribus fiduciam in Deo eſſe collocandam, vt liberaretur à fame. 2.213.644
Angelus vnus alio eſt fortior naturali virtute prout maioribus donis naturalibus à Deo fuit præditus. 1.32.118
Angelus Cuſtos Hermæ diſcipulo S. Pauli dixit: *Qui pleni ſunt fide reſiſtunt diabolo, & ille recedit ab eis*. 1.30.109
Angelus Cuſtos S. Ambroſij torquebat Innocentium Magum. Quomodo. Et quando. 1.ibi.ibi.
Angelus facilè ſcientiam acquirit. Quare. Et quando. 1.56.177.& ſeq.
Animalia bruta quibus modis à dæmonibus vexentur, & quomodo liberentur. 2.354.1012
Anima patet dæmonibus in operationibus vegetatiuis, ſenſitiuis & rationalibus, vt ſunt cogitationes, & affectiones. 1.66.216
Anima dicitur ab animando; quæ duas continet vires, ſcilicet vegetatiuam, & ſenſitiuam. 1.87.271
Animarum, quæ apparuerunt plura exempla referuntur. 1.114.361
Animæ beatæ non docet magicas operationes. to.1. pag. 11.33.
Animæ purgatorij igni applicatæ, ſicut & animæ in inferno magicas non docent operationes. to.1. pag. ibi.33.& ſeq.
Animæ à quo deducantur in purgatorium. tom.1. pag. 113.355
Animæ in purgatorio ad mentem aliquorum torquentur, & irridentur à dæmonibus; & aliquando educuntur. 1.ibi.356.& ſeq.
Animæ purgatorij quandoque apparent per miniſterium Angelorum: vel Cacodæmonum. to.1. pag. 114.360
Animæ purgatorij quandoque apparent per ſeipſas aſſumptis corporibus proprijs, vel alienis, vel phantaſticis, vel elementarijs. 1.116.365.& ſeq.
Animæ purgatorij quomodo hominibus appareant. tom. 1.ibi.368
Animæ magna dignitas habere Angelum Cuſtodem. 1.146.448
Animæ potentiæ ſenſitiuæ interiores quæ, & quot ſint. 2.122.406
Anni Clicmaterici obſeruatio non eſt ſuperſtitioſa. tom. 2.68.234
Antiochia ſeruata fuit à terremotu ob fiduciam ab Antiochenis in Deo collocatam. 2.214.647
Antiphona, & orationes pro Diuino Numine inuocando. 2.344.993
Antiphona, & orationes pro auxilio Beatiſs. Virginis, & Angelorum implorando. 2.345.994
Antiſtes Magdeburgicus ob maximam fiduciam in Deo poſitam liberatus fuit ab inimicis ſuis. tom. 2.208.637
Antitheſis inter dæmonem, ac rem ſenſibilem. tom. 2.112.368
S. Antonij à Padua res geſta. 2.311.902
S. Antonius à Padua venenum mortiferum bibit, & nihil ei nocuit, & quare. 2.209.638
Apoſtoli quenam forma verborum vterentur ad dæmones expellendos. 2.156.600
Apoſtoli, & Sancti miracula patrarunt ob fiduciam in

in Deo poſitam. 2.219.658
Apparitiones Angelicæ non poſſunt verè fieri à dæmonibus; ſed tantùm fictè. 1.111.345
Aquatici dæmones quinam ſint. Et quas operationes exerceant. 1.130.406
Aquæ benedictæ virtus duplex. 2.314.912
Arreptitij non poſſunt ordines ſuſcipere, nec ſuſceptos adminiſtrare. 2.303.891
Arreptitij quinam dicantur. Et quando quis talis dicatur. 2.ibi.ibi.
Ars notoria deſcribitur. 1.218.632
Ars paulina: Ars ſpirituum: Ars angelica quænam ſint. 1.218.632
Ars inueniendi aquam adhibita virga amygdalina. tom. 2.53.194
Artes magicas, & maleficas inter Chriſtianos exercent Hæretici, & Catholici impij. 1.170.491 & ſeq.
Artificialia adhibita in maleficijs alia ſunt operariorum: alia maleficorum. 1.273.780
Artis magicæ, & maleficæ virus diffunditur ob Magorum, ac Maleficorum plures fautores. 2.28.93
Aſmodęus non fuit alligatus in deſerto ab Exorciſta; ſed ab Archangelo Raphaele. 2.237.694
Aſtrologia iudiciaria, Chiromantia, Metopoſcopia, Necromantia, aliæ huiuſmodi quomodo, & quare prohibeantur. 1.215.623
Auaritia eſt ſagitta, qua dæmon ferire tentat Exorciſtam. 2.225.666
Auctores antiqui, & moderni cautè legendi circa deſtructionem ſignorum maleficij. 2.234.687
Augmentatiuam potentiam dæmon quandoque impedit; quandoque iuuat. 1.89.276
Auxilium petere à dæmone eſt ſuperſtitioſum, & peccatum mortale. 2.77.271

B.

BAlſamum compoſitum ab Auctore efficaciſſimũ ad plures morbos tollendos, & ſanitatem conſeruandam. 2.101.337
Baptiſmi ritus oſtendit virtutem eius contra dæmonem. 2.300.883
Baptiſmi virtus contra dæmones. 2.ibi.882
Baptiſmus fons eſt vitæ fidelibus: fons eſt mortis maleficis. 1.262.742
Beati in Paradiſo quare numquam peccent, nec peccare poſſint, licèt habeant liberum arbitrium. tom. 1.16.56
Benedictio pro infirmis liberandis. 2.369.1048
Benedictio pro vexatis ab incubis ſpiritibus liberandis. 2.339.981
Benedictio communis ſuper fruges, & vineas. to. 2. pag. 357.1025
Benedictio altera ſuper eaſdem. 2.ibi.ibi.
Benedictio fæni, paſcuorum, ſalis, & aquæ pro animalibus à maleficijs liberandis. 2.358.1026
Benedictiones variæ. 2.ibi.1027
Benedictio panis, vini, & quorumcunquè comeſtibilium. 2.358.ibi.
Benedictio alia panis. 2.359.ibi.
Benedictio ad quodcunque comeſtibile. 2.ibi.ibi.
Benedictio Salis. 2.ibi.ibi.
Benedictio Agni, & aliarum carnium. 2.ibi.ibi.
Benedictio ouorum. 2.ibi.ibi.
Benedictio quorumcunque fructuum. 2.ibi.ibi.
Benedictio vini, ceruiſiæ, vel alterius potabilis materiæ. 2.360.ibi.
Benedictio propria vini. 2.ibi.ibi.
Benedictio olei. 2.ibi.ibi.
Benedictio quarumcunque Medicinarum. 2.ibi.ibi.
Benedictio thalami. 2.ibi.ibi.
Benedictio cubiculi. 2.361.ibi.
Benedictio ignis, quo cremantur ſigna maleficiorum. 2.ibi.ibi.
Benedictio thuris, ſeù incenſi. 2.ibi.ibi.
Benedictio aquæ. 2.362.ibi.
Benedictio veſtimentorum. 2.ibi.ibi.
Benedictio nauis. 2.ibi.ibi.
Benedictio ad quodcumque volueris. 2.ibi.ibi.
Beneficentia maxima Dei Angelum cuiquè deputare. 1.147.448
S. Bernardinus à Senis præſeruatus fuit à peſte. Et quare. 2.211.639
Bernardus Aquilina ob fiduciã poſitam in Deo fuit præſeruatus ab inimicis, qui illum occidere quærebant. 2.373.1057
Bona plures appetunt ſummo deſiderio, ideò toti ſunt in illis acquirendis, & augendis. 1.43.158
Bona ſpiritualia gratuita plures ſectantur, non quibus fiant Deo gratiores; ſed quibus fiant apud homines honoratiores. 1.ibi.159
Bona ſpiritualia quænam ſint. 2.267.784
Bona ſpiritualia abſolutè petenda ſunt. 2.268.785
Bona temporalia quænam ſint. 2.267.784
Bona temporalia conuenientia naturæ licitè peti poſſunt vt fines proximi, dummodo ſecundùm fidem rectam petantur. 2.269.788
Bona temporalia conuenientia naturæ abſolutè petere non eſt temeritas. 2.ibi.790
Bona indifferentia cum moderatione honeſta abſolutè peti poſſunt. 2.270.791
Bona indifferentia non ſunt abſolutè petenda cum exceſſu, vel abundantia ſine moderata limitatione. 2.ibi.793
Bona temporalia licèt per ſe non conferant ad ſalutem; dummodo illam, aut maius bonum non impediant; ſi petantur ex fide, habent impetrationem infallibilem. 2.273.804
Boni ob maleficia proficiunt in ſchola perfectionis, & quomodo. 2.188.589
Bonitas Dei in meditando non eſt ſeparanda à prouidentia Dei. 2.260.761
Bonitatis ſuæ Deus vult nos participes fieri. to. 2. pag. ibi.762
Bonitatis diuinæ meditatio fiduciam auget. tom. 2. pag. 261.764
Bonorum temporalium quædam ſunt per ſe appetibilia, ſecundùm rectam rationem; quædam indifferentia. 2.267.784
Bonorum quædam ſunt ſpiritualia: quædam temporalia. 2.ibi.ibi.
Bonum ſubſtratum malitiæ eſt natura defectibilis, & libera. 1.20.72
Bonum ex malo clariùs agnoſcitur, & ardentiùs amatur. 1.21.75
Bonum naturale, ac morale quomodo ex malo procedat. 1.ibi.78
Bonum, quod petitur vt medium, poteſt peti & propter ſe, & propter aliud. 2.268.787
Bonum tam propter ſe, quàm propter aliud poteſt peti & abſolutè, & conditionatè. 2.ibi.ibi.
Bulla Pij V. in fauorem Religioſorum, qui denunciant hæreticos: vel de hæreſi ſuſpectos. 2.36.131

C.

CAbala reijcitur varijs rationibus. 1.266.751
Cabala pia, & ſancta datur oretenus tradita, & ſcriptis exarata. 1.ibi.753
Cabalam hebraicam aliqui laudant vt ſcientiam myſticam. 1.265.749
Cacodæmones in appetitiuis excitant paſſiones. tom. 1.83.261

Cada-

Cadauera eruunt Malefici more antiquo, & moderno. 1.205.594
Carolus V. illæſus ſeruatus fuit in bello. Et quare. 2.211.641
Catharinæ à Valletellina fictiones, deceptiones, ac falſæ reuelationes recenſentur. 1.44.160
Cauſæ morales maleficiorum quænam ſint. tom.2. pag. 180.566
Cauſæ naturales maleficioriorum quænam ſint.to.2. pag. ibi.564
Cauſæ naturales maleficiorum quomodo habeant vim à natura. 2.ibi. 565
Cauſæ ordinis Exorciſtatus quænam ſint: vide verbo *Exorciſtatus*.
Cauſæ ſanitatis, & ægritudinis naturalis quænam ſint. 2.183.571
Cautela ſeruanda circa animarum apparitiones t.2. pag. 171.542
Cautela ſeruanda ab Exorciſta, cum ſuſpicatur, aliquem eſſe tantummodo fictè, vel imaginariè obſeſſum. 2.254.748
Cautela ſeruanda contra ſtriges. 2.334.967
Cautelæ quædam ſeruandæ ab Exorciſta, vt adiuratio ſuum conſequatur effectum. 2.253.740
Cautelæ ſeruandæ, vt Exorciſta cognoſcat obſeſſos habere debitam diſpoſitionem. 2.342.986
Charitas vt reſpicit Deum qua ratione ſit Exorciſtę neceſſaria. 2.224.663
Charitas quid operetur in habente. 2.225.ibi.
Charitas quomodo proximo ſit exhibẽda. 2.ibi.664
Charitate Exorciſta carere non debet, vt tutò, & efficaciter ſuo munere fungatur. 2.224.663
Charitas quid ſit. 2. ibi.ibi.
Chirographum malefici quando eſt in poteſtate dæmonis, non tenetur maleficus illud quærere à dæmone, vt deſtruat illud. 2.184.577
Chirographum, quando eſt in poteſtate malefici, tenetur illud conſignare, & lacerare. 2.ibi.ibi.
Chiromantia, & aliæ artes huiuſmodi quomodo prohibeantur. 1.213.617
Chriſti fideles omnes in Nomine Ieſu poſſunt dæmones expellere. 2.284.836
Chriſti fideles multa mirabilia operantur in Nomine Ieſu. 2.285.839
Chriſtus quando ſuis Diſcipulis communicauerit poteſtatem dæmones eijciendi. 1.23.82
Chriſtus per paſſionem ſuam, ac mortem quid ſibi, & alijs meruerit. 1.28.103
Chriſtus nobis meruit omnia bona honeſta. to.2. pag. 273.806
Chiſtus reliquit hoc memoriale, vt in cunctis neceſſitatibus fideles nomen eius inuocent. tom.2. pag. 286.843
Chymica operatio an poſſit verum aurum producere. 1.77.239
S. Clara fuit à Deo cibo refecta ob fiduciam in Deo collocatam. 2.213.644
Clerici qua poteſtate exorcizent. 2.165.523
Coercendus eſt dæmon obiurgatione, & præcepto. tom. 2 324.934
Cogitatio in homine alia intellectualis: alia imaginaria. 1.246.691
Cognitio maleficiorum ad Theologum, & non ad Medicum ſpectat. 1.45.164
Comatum ſydus quid ſit, & quid prænunciet. to.2. pag. 71.244
Concurrunt ad maleficia perficienda dæmon Prouinciæ, dæmon malefici; & dæmon maleficiandi. 1.147.449
Confidentia maxima in Deo de eius protectione tuetur ab omnibus rebus contrarijs. 1.29.108
Confidentes incantatis armis quomodo infelicem exitum ſortiantur. 1.42.154
Confidentia in Deum eſt galea, lorica, & anchora. 2.208.637
Confidentia in Deo poſita à Bernardo Aquilina eũ præſeruauit ab inſidijs inimicorum, qui eum occidere quærebant. 2.373.1057
Confidentia in Deum, vide verbo Fiducia.
Confidentiæ in Deum plura exempla. 2.208.637
Confidentiæ in Deum actus breuiſſimus. 2.342.985
Confidentiæ in Deum actus ad ſe præſeruandum à noua dæmonis inuaſione. 2.350.1004
Confirmatio hominem corroborat contra dæmonem. 2.300.884
Confirmationis ſacramento muniri debent pueri, ac puellæ à dæmone vexati. 2.ibi.885
Confugiendum ad Deum, nedum in publicis, ſed & in priuatis malis. 1.42.155
Congruentiæ plures inter formicas, & vitam Præcurſoris. 2.79.278
Coniuratio duo continet, nempè, obiurgationem, & præceptum. 2.251.733
Conſideratio diuinæ promiſſionis generat in conſiderante maximam in Deum fiduciam. 2.263.770
Conſuetudo os ſigno ✠ crucis muniendi, cum homo oſcitat, vndè ortum habeat. 2.170.536
Conſulentes Maleficos, & ad eos accedentes puniuntur, & quare. 1.41.148
Conſultores magorum, ac maleficorum ſemper à dęmone illuduntur. Et quomodo hoc fiat. to.1. pag. 43.157
Contactu ſolo aliqui curant morbos. Quando ſint ſuperſtitioſi. 2.73.253
Contemplatio diuinæ prouidentiæ generat in contemplante perfectam in Deo fiduciam. 2.258.757
Contemplatio diuinæ prouidentiæ altiſſimam in animo noſtro pacem conciliat. 2.259.759
Controuerſia inter Exorciſtas, & Medicos recenſetur. Proloq.n.8
Conuincuntur Saducæi, & Athæi ex maleficiorum permiſſione. 2.187.587
Creaturæ inſenſibiles obediunt ei, qui confidit in Deum. 2.219.658
Creaturæ inſenſibiles quomodo ſentiant præcipientis verba. 2.ibi.ibi.
Creaturæ irrationales ſecundùm ſe non poſſunt propriè adiurari. 2.251.734
Creaturæ irrationales, vt mouentur ab alio, poſſunt licitè adiurari. Et quomodo. 2.ibi.ibi.
Credentium diuerſitas. 2.202.622
Crimina magorum puniri iubet Innocentius VIII. eius Bulla recitatur. 2.179.563
Crucis ſigno dęmones expelluntur. 2.305.895
Crucifixi virtus quàm magna ſit cõtra dæmones pro credentibus in Chriſtum. 1.33.123
Curare morbos, & vulnera per fruſta induſij ſanguine madefacti an ſit ſuperſtitioſum. 2.75.260
Curatio diabolica per dæmonem, & maleficos eius miniſtros perficitur. 2.1.1
Curatio diabolica ab antiquis prædicabatur vt licita, vtilis, & diuina; ſed à nobis abominabilis demonſtratur. 2.2.3. & 4
Curatio magica ſanitatem confert remedijs diabolicis. 2.1.2
Curatio magica toleratur à Iuriſtis; ſed non à Deo; neque ab Eccleſia. 2.13.41
Curatio eſt ſuperſtitioſa, cum quis medijs vtitur vanis, & inutilibus. 2.53.195
Curatio cognoſcitur ſuperſtitioſa ex cognitione cauſæ. 2.45.166
Curatio moralis deſcribitur. 2.141.475
Curatio moralis vt probabilis admittitur à Theologis, Canoniſtis, ac Iuriſtis. 2.142.481

Curatio

Curatio moralis ſatius relinquenda probatur ab Auctore. Et quare. 2.143.482.& ſeq.
Curationem maleficiorum naturalem multi admittunt, quorum opinio eſt erronea. 2.115.379
Curatio quãdo ſit ſuperſtitioſa quoad effectus phyſicos. 2.73.251
Curationes magicas exercentes grauiter puniuntur. 2.13.42
Curiæ ſæculari tradi quid ſit. 2.18.60
Cyprianus primò magus, poſtea Sanctus quomodo ad Chriſtum conuerſus ſit. 1.33.123

D.

Damnati in inferno cum liberi arbitrij facultate ſint præditi, quare non poſſint elicere actus pænitentiæ, ac benè mereri. 1.16.57
Daniel fuit exaltatus ob fiduciam in Deo collocatam. 2.218.656
Danieli Leones non nocuerunt. Et quare. 2.209.638
Dauid enarrat victorias à ſeipſo reportatas ob fiduciam in Deo collocatam. 2.216.649
Dauid à Deo fuit exaltatus ob maximam fiduciam in Deo poſitam. 2.218.656
Dæmon eſt capacior homine. Et quare. 1.63.203
Dæmon cognitionem poſſidet corporalium, ac ſpiritualium. 1.64.209
Dæmon ſolus dimenſus eſt altitudinem cæli, latitudinem terræ,& profũdum abyſſi. 1.65.211.& ſeq.
Dæmon non poteſt illabi in animam vt Deus; nec eſſe in corpore vt anima. 1.83.259
Dæmon voluntatem mouere non poteſt vt principium intrinſecum; ſed vt extrinſecum. Et quomodo. 1.86.268
Dæmon memoriam iuuare poteſt, vel debilitare. tom. 1.87.270
Dæmon non poteſt illabi animæ intellectiuæ; nec in eius potentijs operari; nec ad peccatum impellere reluctantes. 1.83.279
Dæmon operari poteſt in vegetatiuam, & nutritiuam. 1.ibi.272
Dæmon nutritiuam impedit varijs modis; ſic & varijs modis iuuat. 1.88.273
Dæmon in potentijs ſenſitiuis quid operetur. to.1. pag. 92.283
Dæmon ſæuit in corpora varijs modis. 1.94.289
Dæmon fingit homines tranſmutare in bruta. to. 1 pag. ibi.290
Dęmon transfert corpora de loco ad locum. to.1. pag. 102.313
Dæmon ſemper malum ſub ſpecie boni proponit. tom. 1.4.14
Dæmon cani ligato comparatur, qui latrare poteſt, ſed mordere non poteſt niſi volentem. tom. 1. pag. 26.97
Dæmon, ne malum inferat, impeditur à Deo dupliciter, videlicet, poſitiuè, & negatiuè. 1.27.98
Dæmon nihil poteſt ſine licentia diuina, 1.29.106
Dæmon in homines ſummè maleficus. 1.54.170
Dæmon inchoat maleficia ineunte mundo: proſequitur in omnibus mundi locis: conſumat in omnibus habitantibus mundum. Et quomodo. to.1. pag. ibi.ibi.
Dæmon ab initio magiam docuit Adam, & Euam. tom. 1.57.182
Dæmon excedit hominem in ſcientia acquiſita, ſpeculatiua, & practica. 1.58.185
Dæmon vtitur ſcientia experimentali ad magicas artes in totum mundum inuehendas. 1.59.191
Dęmon à ſuperioribus docetur, cum ęqualibus confert, ac communicat. 1.61.200
Dæmon aliquo ſigno externo acceſſum teſtatur. t.1. pag. 176.509
Dæmon aliquo ſigno ſe exhibet ſenſibus interioribus vigilantium, ac dormientium, & exterioribus viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus. tom. 1.92.283
Dæmon eſt cauſa efficax maleficiorum. 1.148.450
Dæmon ſuos retinere conatur ſub quacunque ſint poteſtate. 1.187.544
Dæmon maleficia operatur quandoque ſine medijs naturalibus: aliquando medijs naturalibus. to.1. pag. 240.669.& ſeq.
Dæmon, & maleficus ſenſitiuorum perfectorum vires in maleficijs congerunt. 1.258.726
Dæmon ſicut vt interna cauſa, & proxima malum infert homini; ita vt talis eis ſanitatem confert. tom. 2.45.167
Dæmon per ſuos maleficos proponit hominibus remedia grauiora infirmitatibus. 2.ibi.168
Dæmon, vt honorem aucupetur ab hominibus, eis accurrit etiam implicitè inuocatus. Quomodo. Et quando. 2.48.175
Dæmon aliquando in curationibus veros producit effectus. 2.76.266
Dæmon ſeipſo multos præſtat effectus, qui humanas ſuperant vires. 2.80.281
Dæmon in ſuis maleficijs quærit ſe Deum videri. tom. 2.141.475
Dæmon quædam inſtituit inſtrumenta, quibus aſſiſtere promittit. 2.ibi.ibi.
Dęmon in concinnandis maleficiis vtitur ſcię̃tia, potentia, malitia. 2.167.527
Dæmon eſt cauſa efficiens maleficiorum, & obſeſſionum, 2.ibi.ibi.
Dæmon maiorem habet poteſtatem ſuper maximos peccatores, quàm ſuper iuſtos. 2.168.532
Dæmon maximos peccatores rarò torquet in corpore, niſi iuſſus à Deo, vt magis torqueat in anima. 2.169.534
Dæmon vexat extrinſecè homines per imaginarias apparitiones. 2.170.535
Dæmon quomodo torquat homines in vigilia. to.2. pag. ibi.ibi.
Dæmon quomodo viſiones cauſet in ſomnis. to.2. pag. ibi.ibi.
Dæmon quomodo vexet homines per viſiones corporales. 2.ibi.536
Dæmon quandoque ingreditur corpora humana iuſſus à Deo. 2.172.543
Dæmon quandoque ingreditur corpora humana per timorem. 2.ibi.544
Dæmon qua ratione dicatur ingredi per timorem. tom. 2.ibi.ibi.
Dæmon aliquando ingreditur corpus alicuius ſumpta occaſione ex eius ira, & indignatione. to.2. pag. 173.545.
Dæmon ſæpiùs ingreditur corpora humana per maleficia. 2.174.546
Dæmon quandoque ingreditur corpora humana per imaginationem. Et quomodo. 2.ibi.547
Dæmon cur ingrediatur corpora infantium, & puerorum. 2.175.548
Dæmon ſæpè humores in corporibus humanis excitat, & turbat. 2.176.551
Dæmon ſæpiùs hominum vires debilitat, diſſoluit, vel deſtruit. 2.ibi.ibi.
Dæmon corporis humani organa ſæpè corrumpit, diſtrahit, vel contrahit, vel in varia impellit pericula. 2.ibi.552
Dæmon in maleficiis vtitur rebus naturalibus vel vt cauſis naturalib. vel vt cauſis moralib. 2.180.564
Dæmon vtitur rebus naturalibus in maleficiis vel per motum localem: vel per alterationem, actiua paſſiuis applicando. 2.ibi.ibi.
Dæmon vtitur rebus corporeis vt inſtrumentis ad malefi-

malefaciendum, quæ non excedunt naturæ terminos: vel vim naturalem cauſæ. 2. ibi.565
Dæmon maximè tentat Exorciſtam ſuperbia, & auaritia. 2.225.665.& ſeq.
Dæmon calcitrare poteſt contra obiurgationes; ſed ſed non contra præcepta, ſi adſint debita requiſita. 2.233.683
Demon non poteſt ab homine alligari ſignis. tom.2. pag. 235.686
Dæmon adiurandus eſt non rogando, ſed obiurgando, & imperando. 2.251.732
Dęmon ab obſeſſis nõ motibus corporis; ſed actibus fidei eſt impellendus ad obedientiam. 2.255.749
Dęmon eſt coercendus obiurgatione, & præcepto. tom. 2.324.935
Dęmon non timendus, ſed Deo fidendum. 2.327.947
Dęmon energumenũ vexat non iuxta vires ſuas; ſed iuxta Dei permiſſionem, vel iuſſionem. 2.335.969
Dæmon non ſemper præſens eſt in dæmoniaco; ſed aliquando ad breue tempus eum deſerit, & poſtea redit. 2.342.987
Dæmon quomodo exeat ex corpore in liberatione. tom. 2.346.998
Dæmon tentat iterum poſſidere eum, à cuius corpore fuerat expulſus. 2.348.1001
Dæmon non poteſt religari in infernum, vt quidam aiunt. 2.ibi. 1002
Dęmõ vndè ſumat tẽtandi occaſionem. 2.349.1003
Dęmon gladio exorciſmi eſt coercẽdus. 2.354.1011
Dæmon ob odium in hominem eius rebus nocere ſtudet. 2.ibi.ibi.
Dæmones aliquando vera prænunciant ex reuelatione ſibi facta multipliciter; ſed ſæpè falluntur. tom. 1.69.224
Dæmones mira in res exiſtentes operari poſſunt, & quomodo. 1.75.232
Dæmones mouent quatuor elementa non ſecundùm totum; ſed ſecundùm partem. 1.76.234
Dæmones per applicationem cauſarum naturalium, aliorum agentium actiones impediunt. Et quomodo. 1.77.238
Dæmones in vegetantibus miros producunt effectus alios reales: alios apparentes. 1.78.243.& ſeq.
Dęmones ſępiùs producunt effectus apparentes. tom. 1.79.248
Dæmones ſentientium prętigioſam formam variam inducunt. 1.80.249
Dæmones non poſſunt res perfectas producere per applicationem. 1.81.252
Dæmones per motum localem poſſunt res perfectas deferre, mouere, & in eis alias operationes facere. 1.ibi.253
Dæmones non poſſunt loquelam, aut intelligentiam brutis tribuere. 1.82.255
Dæmones quid operentur exiſtentes in corpore humano. 1. 100.307.& ſeq.
Dæmones quid operentur exiſtentes extra corpus humanum. 1. 101.309
Dęmones apparere poſſunt ſub forma Sanctorum. tom. 1. 112.350
Dæmones ſæpiùs fingunt ſe eſſe animas defunctorum. Et quare. 1. 115.362
Dæmones quando apparent quomodo dignoſcantur ab animabus. 1.ibi.363
Dæmones omnes maleficijs vacant ſuperiores, & inferiores. 1.123.381
Dæmones inferiores obediendo vel coguntur, vel cogi ſe ſimulant. 1.125.388
Dæmones ob inuidiam triſtantur de bono hominis, & ſuo malo. 1.128.399
Dæmones gaudent de malis ei illatis, & bonis ab eo ablatis. 1.ibi.400
Dæmones in omni loco maleficia exercent. Et quare. 1.129.402
Dæmones cum loca priuata occupant, infeſtant ſacra, & profana. 1.132.409
Dæmones in profanis locis nocent, terrent, & illudunt. 1. 134.415
Dæmones omnibus modis maleficia exercent. Et quare. 1.135.418
Dæmones apparent in forma humana, ferina, monſtruoſa, & quomodo. 1.136.420
Dæmones dũ accedũt occultè diuiſis officijs nocent alij animę: alij corpori: alijs bonis externis. to.1. pag. 138.424
Dæmones hominibus ſubijciuntur per virtutem Sanctiſſimi Nominis Ieſu. 1.28.105
Dæmones virtute diuina coercentur ab Angelis. to.1. pag. 32.120
Dæmones diurni alij mites: alij truculenti: mites alij illudentes, alij terrentes. 1.141.431
Dęmones truculenti hominem multipliciter vexant. tom. 1.143.336
Dæmones nocturni alij illudentes, alij terrentes. Et quomodo. 1.ibi.438
Dæmones inſurgunt in Deum, Angelos, & Homines. tom. 1.146.446
Dæmones pręficiuntur cuique Regno, Prouinciæ, ac Patriæ. 1.ibi.447
Dęmones poſsũt aſſumere corpora, & in eis exercere actiones ſpectãtes ad motũ localẽ. 2.120.396
Dæmones expellere ex conſuetudine Eccleſiæ ad Sacerdotes ſpectat. 2.159.509
Dæmones quandoque plures, quandoque vnus tantùm exiſtunt in corpore humano. 2.175.549
Dæmones ſenſibus externis, & internis illudunt. Et quomodo. 1.92.283.2.150.550
Dæmones ſæpiſſimè ſunt in corpore hominis, etiamſi non loquantur per os ipſius. 2.177.554
Dæmones à nobis licitè adiurari poſsũt. 2.250.731
Dęmones per Deum ipſum vel expreſsè, vel tacitè, ſunt adiurandi. 2.252.739
Dæmones inuiti honorem impendunt SS. Nomini Ieſu. 2.284.835
Dæmones fatentur ſe ſigno crucis ab hominibus expelli. 2.305.898
Dæmones, & Malefici ſæpiùs reprimuntur à Deo. tom. 2.191.593
Dæmones poſſunt exire ab obſeſſo ſine vlla ipſius torſione. 2.343.988
Dæmones eijci poſſunt ab obſeſsis miraculoſè. Et quomodo. 2.352.1006
Dæmones regulariter eijciuntur per poteſtatem exorciſticam. 2. ibi.ibi.
Dæmoni non eſt credendum dicenti per os obſeſsi ſe eſſe animam defuncti. tom. 1.115.num.362. tom. 2.171.542
Dæmonis ſcientia maxima, potentia magna, malitia inſignis. to.1.tota diſput.2. 2.166.527
Dæmonis poteſtas cæpit aliqualiter ligari ab origine mundi, ne omnia poſſet, quæ vellet. tom. 1. 27.num.100.2. 167.528.
Dæmonis poteſtas nocendi hominis ablata eſt per paſsionem Chriſti. Et quomodo. tom.1. 27. num.102.2.167.529.
Dæmonis poteſtas pro quibus ſit ligata. to.1.28. 104.2.168.530.
Dæmonis poteſtas relaxatur pro his, qui diffidunt de Dei protectione. t.1.pa 30.n.110.2.168.531
Dæmonis obſidentis impetus quomodo ſint à Vexato repellendi. 2.327.945
Dæmonis malitia coercetur à Deo. 1.29.107
Dæmonum reſiſtentia facta præceptis eccleſiaſticis vndè proueniat. 2.314.909.& ſeq.

INDEX RERVM,

Defectus fiduciæ vnde proueniat. 2.205.630
Dei perfectiones recenſentur, ac deſcribuntur. Epiſt.dedic.
Dei protectione ſẽper fidendum,& innitendum.ibi.
Dei promiſſio ad liberandum Energumenum duas conditiones requirit. Et quas. 2.335.971
Denunciare Magos,& Maleficos quinam teneantur. tom. 2.30.100.& ſeq.
Denunciare parentes magos, vel maleficos tenentur etiam ipſorum filij, & filiæ. 2.31.108
Deteſtationis diaboli actus faciendus ab obſeſſo. tom. 2.324.933
Deteſtationis actus faciendus contra dæmonem à Vexato in vſu matrimonij. 2.331.958
Deteſtationis actus faciendus ab his, qui paruulorũ curã gerũt,vt eos liberent à maleficijs. 2.334.965
Deteſtationis actus cõtra dęmonẽ incubũ.2.339.981
Deteſtationis actus breuiſſimus contra dæmonem. tom. 2.340.982
Deteſtationis actus lõgior cõtra dęmonẽ.2.342.985
Deteſtationis actus faciendus contra dæmones vexantes domus. 2.355.1020
Deuotio deſcribitur. t.2.pag.10.n.30
Deus nos protegit in omni loco, & in omni tempore. Epiſt.dedic.
Deus nos tuetur ab omnibus malis mentis, & corporis. ibi.
Deus nos defendit ſcuto ſuæ benignitatis, & armis gratiæ ſuæ, Epiſt.dedic.
Deus eſt omnium rerum principium, & finis. 1.1.1.
Deus eſſe quomodo naturaliter ſit notiſsimum. tom. 1.1.2.3.& 4
Deum aliqui partim ſpeculatiuè, partim practicè negant, quinam ſint. 1.2.& 3.6.& ſeq.
Deum morborum maleficorum eſt cauſa non efficiens; ſed permiſsiua. 1.4.12
Deus maleficia non operatur, nec mandat fieri; ſed permittit. 1.ibi.13
Deus largitus eſt homini duplicem ſcientiam; & qualem. 1.5.18
Deus omnia peccata odit, & per conſequens maleficia. 1.12.37
Deus ſuam nobis voluntatem manifeſtat in ſcripturis ſacris maleficia prohibendo. 1.ibi.38
Deus in veteri teſtamẽto prohibet acceſsũ ac maleficos puniri iubet,& ipſemet punit.1.ibi.39.& ſe.
Deus quomodo maleficia permittat pro ſubſtrato. tom. 1.16.55
Deus cum ſit cauſa omnium rerum vniuerſalis, influit in totam ſubſtantiam, & effectum. 1.16.55.
Deus quomodo cum hominibus concurrat & ad bonum, & ad malum. 1.ibi.56.& ſeq.
Deus cauſæ ſecundæ operanti cooperatur, & communicat ſuum influxuum generalem, indifferentem, & purum. 1.17.62.& ſeq.
Deus cooperatur cum omnibus creaturis, quę ab illo vt ſuo principio dependent. 1.ibi.63
Deus dicitur concurrere impropriè ad maleficia; ideoq.nõ dicitur propriè velle maleficia. 1.ibi.62
Deus maleficia pro formali dicitur propriè permittere non concurrendo ad malitiam, nec cohibendo malitioſam operationem. 1.ibi.64
Deus creat animas, licèt ſciat plures eſſe damnandas. Et quare. 1.20.74
Deus in malis puniendis per miſericordiam temperat iuſtitiam. 1.25.91
Deus Pater efficaciam dæmones cohibendi, & expellendi SS.Nomini Ieſu cõmunicauit. 1.28.103
Deus non punit homines pœna extraordinaria, niſi creſcente numero ſcelerum. 1.38.140
Deus in homines eſt ſummè beneficus. Et quomodo. 1.54.168
Deus ſolus cognoſcit cogitationes cordis quatuor modis. 1.67.217
Deus ſolus poteſt illabi in animam illapſu generali, & ſpeciali. 1.83.258
Deus tantùm immittit principaliter vt excitans cogitationes in intellectum. Et quomodo. 1.ibi.260
Deus res ſenſitiuas homini ſubiecit. 1.92.283
Deus mira perficit in rebus inanimatis in ſtatu naturæ, & gratiæ. 1.261.738
Deus poteſt concedere, vt aliqui ſanent morbos aliquo odore, tactu, vel alitu. 2.74.256
Deum velle nos continuè malis affligi nobis eſt ignotum. 2.279.822
Deum velle nos vti remedijs licitis ad mala auertenda nobis eſt notum. 2.ibi.ibi.
Deus quomodo maleficia velit pro materiali. to.2. pag. 185.580
Deus maleficia non vult pro formali; ſed permittit. tom. 2.186.582
Deus licet peccata non velit; illa tamen ab hominibus patrata ordinat in finem bonum. 2.ibi.583
Deus maleficia permittit, ne libertas arbitrij impediatur. 2.ibi.584
Deus maleficia permittit,vt bonũ oppoſitum clariùs agnoſcatur & ardentiùs appetatur. 2.187.585
Deus mala permittit ex ordine rerũ in finẽ.2.ibi.587
Deus punit peccatores per maleficia. 2.188.590
Deus per ſeipſum poſitiuè impedit diabolicas operationes. 2.191.593
Deus impedit operationes diabolicas negatiuè ſuũ concurſum denegando. 2.ibi.594
Deus per Angelos dæmones coercet. 2.ibi.595
Deuss qua ratione ſit obiectum materiale fidei. t.2. pag. 200.611
Deus eſt prima ratio credendi. 2.ibi.613
Deus qua ratione ſit obiectũ formale fidei. 2.ibi.614
Deus protegit etiam qui ſunt ex familia in ſe confidentium. 2.211.641
Deus licitè, ac rectè à nobis adiurari poteſt deprecatiuè. 2.250.729
Deus adiurari poteſt per Deum ipſum. 2.252.735
Deus adiurari poteſt per Chriſtum. 2.ibi.736
Deus adiurari poteſt per Angelos,ac Sãctos tam regnantes in cælo, quàm viatores iuſtos. 2.ibi.737
Deus non poteſt adiurari per creaturas inferiores. tom. 2.ibi. 738
Deus ea prouidentia gubernat vniuerſos, qua ſingulos. 2.259.759
Deus vult nos participes fieri ſuæ bonitatis. to.2. pag. 260.762
Deus ſicut fidelis eſt in promiſsis ſeruandis; ita requirit in homine hanc fidem. 2.264.771
Deus ob noſtram longam orationem ſæpiùs concedit nobis beneficia potiora his, quæ petimus. tom. 2.278.817
Deus exoratus ab ægroto paratus eſt illi infallibiliter ſanitatem dare, ſi ei ſit profutura. 2.279.822
Deus vult nobis concedere beneficia; ſed iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ. 2.291.861
Deus diſpoſuit aliqua dare rogatus,quę nõ vult dare nõ rogatus,ideo rogandi ſunt Sancti. 2.ibi.ibi.
Deus cur ſemper non concurrat inuocato nomine eius ab Exorciſta, vel ſuis Fidelibus. tom.2. pag. 335.970
Deus voluntate ſigni,ac conditionata vult omnes energumenos à dæmone liberare. 2.ibi.971
Diabolus totus fuit ab initio in futuris prædicendis varijs modis. 1.67.220
Diabolus maleficis magicam ſcientiam commendat ſed fallaciter. 1.4.15
Diabolus verè eſt dæmon, ideſt, ſciens. Et quare. tom. 1.55.175

Dierum

Dierum duodecim primorum menſis Ianuarij quando ſint ſuperſtitioſi. 2.65.223
Dies obſeruare quando ſit ſuperſtitio. 2.ibi.222
Dies critici quid ſint. Et quando ſint ſuperſtitioſi. tom. 2.ibi.224
Differentia inter magiam ſpecialem, diuinationem, vanam obſeruantiam, & maleficium. Proloq. n. 15
Differentia inter res ſenſibiles, & dæmones. to. 2. pag. 112.368
Diffidentes de Deo plures ſunt in mundo. 2.261.765
Diffidentia in Deum facit ſuccumbere tentationi. tom. 2.168.531
S. Dionyſius Æropagita antequam baptizaretur, cæcũ illuminauit inuocato Nomine Ieſu. 2.286.841
Diuinatio explicita quomodo fiat, & quibus modis. tom. 1.208.603
Diuinatio implicita diuiditur in augurium, & ſortilegium. 1.211.613
Diuiſio totius operis explicatur. Proloq. n. 16
Documentum Ritualis Romani de ſignis maleficij deſtruendis non eſt neceſſariò obſeruandum. to. 2. pag. 142.479
Documenta ad fortiter ſuſtinendum, & perſeuerandum in bono. 2.227.669
Documenta ſeruanda pro maleficis à poteſtate dæmonis eripiendis. 2.329.954
Documenta ab Exorciſta obſeſſis peccatoribus tradenda, vt liberentur à dæmone. 2.338.980
Documenta tradenda vexatis ab incubis. 2.339.981
Documenta ſeruanda ab obſeſſis vſque ab infantia. tom. 2.340.982
Documenta tradenda obſeſſis ſpiritualibus. tom. 2. pag. ibi.983
Documenta pro obſeſſis duræ ceruicis. 2.342.986
Documenta ſeruanda ab Energumenis in actu liberationis. 2.343.990
Documenta pro vexatis liberatis ſuſpicantibus de noua inuaſione. 2.353.1008
Documenta pro vexatis iam liberatis ſed certis de noua inuaſione. 2.ibi.1009
Domus varijs modis à dæmonibus vexari ſolent. t. 2. pag. 354.1016
Domus quibus modis à diabolicis vexationibus ſint purgandæ. 2.ibi.1017
Domus habitatores quid agere debeant in actu liberationis à dæmoniaca vexatione. 2.355.1018
Duces militum plures illæſi ſeruati ſunt in bello. Et quare. 2.211.640
Duces in regno Chriſti præter inuiſibiles dantur etiam viſibiles. 1.164.471

E.

ECcleſiæ Miniſtris data eſt clauis ſcientiæ, vt diſcernant inter iuſtos, & peccatores. tom. 1. pag. 232.665
Eccleſiæ poteſtas ad abſoluendum per clauem collatam eius Miniſtris exprimitur. 1.ibi.664
Eccleſię ſpendor luceſcit ex maleficorum permiſſione. t. 1. p. 23. n. 82. 2.188.588
Effectus hyperphyſici dicuntur omnia opera à Deo operata tum in veteri, tum in nouo teſtamento. tom. 2.80.279
Effectus hyperphyſici etiam multi ſunt à dæmone producti. 2.ibi.280
Effectus phyſicus eſt qui nõ excedit cauſarum creatarum vires. 2.72.249
Effectus prodigioſi quinam ſint. 2.76.267
Effectus, qui dicuntur prouenire ex rebus naturalibus, qui tamen non habent vim illos producendi, ſunt ſuperſtitioſi. 2.82.290
Effectus extraordinarij in homine quandoque procedunt ex illuſionibus diabolicis. 2.175.550
Electio dæmonis ex corpore humano quomodo fieri poſſit. 2.346.998
S. Elzearius à ſubmerſione aquarum præſeruatur ob fiduciam in Deo collocatam. 2.214.647
Eligendum eſt in dubijs quod magis ratio dictat, & ſenſui repugnat. Vide regulam V. 2.281.832
Energumenus per ſolũ diſſenſũ voluntatis nõ poteſt ſeipſũ à dęmoniaca vexatione liberare. 2.244.713
Energumenus quando quis dicatur. 2.174.546
Energumenus vnde dicatur. 2.330.957
Energumenus duræ ceruicis difficillimè liberatur. Et quare. 2.337.976
Epiſcopi non poſſunt prohibere munus exorcizandi quoad poteſtatem generalem à Chriſto, & à Iure communi acceptam. 2.160.514
Epiſcopi poſſunt prohibere munus exorcizandi quoad poteſtatem particularem. 2.161.ibi.
Epiſcopi ob aliquã cauſam particularem poſſunt ſuſpendere ſuos ſubditos quoad functionem publicam: quoad priuatam verò tantùm delinquentes in ea. 2.ibi.515
Epiſcopi poſſunt ſtatuere, vt ſui ſubditi modeſtè, & & ordinatè exorcizãdi facultate vtãtur. 2.ibi.ibi.
Epiſcopi poſsũt examinare ſuos ſubditos de modis, & formulis, quibus vtũtur in exorcizãdo. 2.ibi.ibi.
Epiſcopi plures arti exorciſticę operam nauarunt. tom. 2.162.517
Epiſcopi tenentur ex charitate, & iuſtitia per ſe, vel per alios exercere munus exorciſticum, cum neceſſitat poſtulat. 2.ibi.518
Error multorum circa maleficium temporale, ac perpetuum adducitur. 2.145.488
Error aliquorum reprobatur circa effectum ab Exorciſmo productum. 2.157.503
Error ex parte Exorciſtæ quãdo eueniat. 2.158.504
Error ex parte intẽtionis quãdo occurrat. 2.ibi.505
Error ex parte formæ quando accidat. 2.ibi.506
Error ex parte materiæ remotæ. 2.ibi.507
Error ex parte actuum liberi arbitrij. 2.ibi.508.
Error plurium Exorciſtarum oſtenditur. 2.233.683
Error grauiſſimus Exorciſtarum. 2.241.703
Eua diſcipula diaboli curioſa, malè credula, ac decepta. 1.57.184
Euangelij virtus contra dæmones. 2.306.899
Euchariſtia cæteris eminet ſacramentis. 1.264.745
Euchariſtia abutuntur malefici pluribus modis. t. 1. pag. ibi.ibi.
Euchariſtia obſeſſi, ac maleficiati ſunt muniendi. tom. 2. 303.889
Euchariſtiæ virtus contra dæmones. 2.302.888
Euchariſtia non eſt ponenda ſuper caput obſeſſi. t. 2. pag. ibi.ibi.
Exempla aliqua de incubis, & ſuccubis. tom. 1. pag. 90.279. & ſeq.
Exempla plura de infeſtatione dæmonum. tom. 1. pag. 132.409. & ſeq.
Exempla varia de maleficio hoſtili. 1.228.655
Exempla de quibuſdam coram Auctore quædam parturientibus. 1.278.799
Exempla alia de eiſdem inſtrumentis è corpore eiectis. 1.279.803
Exẽpla maleficorũ, qui igni adiudicati ſũt. 1.36.132
Exempla ſtrigarum, quæ caſu fuerunt grauiter percuſſæ. 1.37.137. & ſeq.
Exempla duorum Magorum, qui ſibi inuicem mala per artem ſuam intentarunt. 1.38.139.
Exempla de morte maleficorum peſſima. 1.40.146
Exempla eorum, qui à dæmone poſtularunt honores, diuitias, ac voluptates. 1.45.161
Exempla ſcitu digna de his, qui in nutritiua fuerunt à dæmone adiuti. 1.88.274
Exempla de efficacia Baptiſmi contra dæmones. tom. 2.300.882

Exempla Sanctorum de virtute aquæ benedictæ.t.2. pag. 315.914
Exempla de Sacramenti pænitentiæ virtute contra dæmonem. 2.302.888
Exemplum de S.Iuſtina, ac Cypriano primùm Mago, poſtea Sancto, ac victoria contra dæmones obtenta. 1.33.123
Exemplum de quodam Iudice malo, qui à Dæmone percuſſus vnà cum Comitibus poſt paucos dies expirauit. 1.35.131
Exemplum cuiuſdam Ruſtici Treuirenſis, qui vxorem ſuam cum filia maleficas Iudici tradidit vltimo ſupplicio crimina expiaturas. 1.36.133
Exemplum de Opilione, qui poſt honores à dæmone acceptos, tandem furcam recepit. 1.ibi.134
Exemplum de quodam, qui animas damnatorum ad triremes emebat promiſſa libertate. 1.ibi.ibi.
Exemplum de Presbytero Palumbo Mago. 1.40.147
Exemplum de Franciſco à Cruce Theologo pio, ac docto; ſed à quadam muliercula prophetante decepto. 1.44.159
Exemplum de Catharina à Poſtclauo Valliſtellinæ moderna ſancta; ſed ficta. 1.ibi.160
Exemplum de S.Matthæo Apoſtolo duos dracones ſuperante. 1.81.251
Exemplum ſimile de Sanctis Simone, & Iuda.to.1. pag. ibi.ibi.
Exemplo de equo Romæ maleficio affecto, ac liberato. 1.ibi.253
Exemplum de quadam Adoleſcentula à dæmone decepta per inſpectionem ſui ipſius in ſpeculo. tom. 1.84.262
Exemplum de quodam Presbytero à Tribunali S. Inquiſitionis damnato ob doctrinam, quam docebat. 1.ibi.263
Exemplum de quadam tentatione immiſſa Auctori. tom. 1.85.264
Exemplum de quodam Puero Romæ concluſiones defendente ope dæmonis coram Cardinalibus, & vniuerſo populo. 1.86.267
Exemplum de quadam muliere, quæ 24. filios genuerat. 1.90.277
Exemplum de Nectabano Rege Ægypti Mago, & Olympiade matre Alexandri Magni. 1.95.293
Exemplum de quodam dæmone, qui vocari volebat titulo *illuſtriſſimi*. 1.127.396
Exemplum de dæmone ſub forma monſtri ſe exhibente. 1.138.423
Exemplum de terriculamento quodam nocturno. tom. 1.144.439
Exemplum de quodam Mago moderno. 1.175.507
Exemplum de Rege Scotiæ maleficio affecto. to.1. pag. 201.585
Exemplum curioſum de capillis adhibitis à quibuſdam Magis. 1.256.721
Exemplum de quodam Exorciſta, qui exorcizabat mulierem iuxta monita ſibi tradita à diabolo.t.2. pag. 119.389
Exemplum de quodam Ciue Bergomate, qui ſagæ ſubminiſtrauit veſtes ſacerdotales ad dæmonem adorandum, vt eum à maleficio liberaret. to.2. pag. 44.164
Exemplum de quedam Adoleſcentula à dæmone liberata abſque vlla medicina corporali. Alia plura ſequuntur eiuſdem generis. 2.117.386
Exemplum de quadam Adoleſcentula à dæmone incubo vexata. 2.296.875
Exemplum de virtute Imaginum Sanctorum contra dæmones. 2.314.910
Exemplum de Confirmationis virtute contra dæmones. 2.300.884
Exemplum de moleſtijs dæmoniacis. 2.171.539
Exemplum de ingreſſu dæmonis in corpus cuiuſdam. 2.173.545
Exemplum de effectibus extraordinarijs cauſatis ab illuſionibus diabolicis. 2.175.550
Exemplum D. Hilarionis de ſignis in maleficio adhibitis. 2.184.576
Exemplum de quodam obſeſſo liberato ob fiduciam in Deo collocatam. 2.207.635
Exemplum de dæmonis fallacia ſumpta occaſione ex interrogationibus ſuperfluis dæmoni factis. tom. 2.185.579
Exercitia adimplenda à vexatis ab incubis. to.2. pag. 339.981
Exiſtentia dæmonum in corpore humano quotuplex ſit. 1.100.307
Exorciſmorũ multitudo vnde proueniat. 2.158.506
Exorciſmus infallibiter ſuum producit effectum, ſi adſint omnia debita requiſita. 2.157.502
Exorciſmus, ſeù præceptum faciendum dæmoni obſidenti; vel corpus ingredienti. 2.328.951
Exorciſmus ad dæmonem expellendum obſidentem maleficos, vel ſagas, ac impedientem, ne Iudicibus veritatem fateantur. 2.329.953
Exorciſmus ad expellendum dæmonem à Strigibus, ac Maleficis ad pænitentiam reuertentibus. to.2. pag. ibi.954
Exorciſmus ad diſſoluendum maleficium in matrimonio factum. 2.332.961
Exorciſmus ad deſtruendum maleficium puerulis illatum. 2.334.966
Exorciſmus ad dæmonem ab Energumenis expellendum. 1.346.997
Exorciſmus ad dæmonem expellendum poſt nouam inuaſionem. 2.353.1009
Exorciſmus eſt gladius pro dæmone coercendo. tom. 2.354.1011
Exorciſmus ad dæmones expellendos ab animalibus. 2.354.1015
Exorciſmus ad expellendos dæmones à domibus vexatis. 2.356.1021
Exorciſmus contra dæmones producentes, vel congregantes aues, vermes, mures, locuſtas, & alia animalcula fructus terræ deuaſtantia. to.2. pag. 357.1024
Exorciſta quomodo iudicet de maleficijs, tom.1. pag. 381.809
Exorciſta adiurans interpretatur. 2.153.491
Exorciſta cognoſcere debet cauſas maleficiorum. tom. 2.180.564
Exorciſta non ſit præceps in iudicio ferendo de maleficio. 2.181.569
Exorciſta per ſimilem filio hominis figuratur, to.2. pag. 153.491
Exorciſta poteſt licitè tollere, ac deſtruere ſigna maleficij. 2.184.576
Exorciſta poteſt maleficia deſtruere ſine ſignorum maleficorum deſtructione. 2.ibi.ibi.
Exorciſta deberet eſſe imbutus ſcientijs Philoſophiæ, ac Theologiæ, vt ritè, ac perfectè ſuum valeret obire miniſterium. 2.192.597
Exorciſta per fidem fit ſimilis filio hominis in facie lucente ſicut Sol. 2.199.606
Exorciſta ſeipſum purgare debet à vitijs. 2.224.663
Exorciſta vt amet Deum, debet amare proximum. rom. 2.225.664
Exorciſta quando erret circa interrogationes dæmoni faciendas: vide verbo *Interrogatio*.
Exorciſta illicitè ægrotis medicinas corporales exhibet. 2.241.703
Exorciſta quando peccet mortaliter ægrotis medicinas corporales exhibendo. 2.ibi.704
Exorciſta non debet Energumenum vexare flagellis deho-

dehoneſtare opprobrijs, & alia huiuſmodi facere. 2.243.711
Exorciſta non debet vti fictionibus ad probandum, an aliquis ſit verè, vel fictè obſeſsus. 2.244.712
Exorciſta conſiderare debet media neceſſaria ad dęmonem expellendum. 2.249.728
Exorciſta nihil dęmoni præcipiat, niſi quæ conducunt ad expulſionem. 2.250.731
Exorciſta incumbere debet orationi, & ieiunio. tom. 2.253.740
Exorciſta accedere debet ad dæmonem expellendum, vt Iudex delegatus contra reum victum, & conuictum. 2.ibi.741
Exorciſta inſtruere debet obſeſſum, vt credat, illum habere poteſtatem dæmones expellendi. t.2. pag. ibi.742
Exorciſta præcepta formare poteſt vulgari idiomate, vt vexatus illa intelligat; ſi tamen aliter expedire quandoque non iudicet. 2.ibi.743
Exorciſta pręcepta formare non debet, quando vexatus eſt aliqua paſſione perturbatus. 2.ibi.744
Exorciſta non debet ſinere obſeſſum diù à dæmone vexari. 2.254.745
Exorciſta pręcipere debet dęmoni, ne vſum ſenſuum impediat. 2.ibi.ibi.
Exorciſta ſilentium dęmoni imponat. 2.ibi.746
Exorciſta poteſt interrogare obſeſſum, & parentes eius de tempore ingreſſus. 2.ibi.ibi.
Exorciſta ſemper ſit paratus ad ritè ſuum munus obeundum. 2.256.753
Exorciſta ex quibus cognoſcet vexatum eſſe benè diſpoſitum erga Deum ad ſuam liberationem. tom. 2.321.926
Exorciſta ex quo cognoſcet vexatum eſſe benè diſpoſitum erga ipſum. 2.322.928
Exorciſtę ex officio dęmonibus imperare valent, quę ad ipſorum expulſionem ſunt ordinata. to.1. pag. 23.83
Exorciſtę ritè ſuo munere fungentes ſunt veluti oculi Sanctę Inquiſitionis. 1.36.134
Exorciſtę dignitas humanam ſuperat, angelicam exęquat, diuinam attingit. 2.153.491
Exorciſtę fides theologica ſimpliciter, & abſolutè non eſt neceſſaria ad dęmonem expellendum. tom. 2.204.626
Exorciſtę neceſſaria eſt fides in Deum, vt tutò efficaciter dæmones expellat. 2.ibi.627
Exorciſtę neceſſaria eſt fiducia in Deum, vt tutò, & efficaciter dęmones eijciat. 2.ibi.629
Exorciſtę qua ratione charitas ſit neceſſaria. to.2. pag. 224.663
Exorciſtę quàm ſint neceſsarię patientia, & perſeuerantia. 2.227.669
Exorciſtę errant ligando dęmonem in paruo digito pedis. 2.237.694
Exorciſtę neceſsaria eſt prudentia ad errores vitandos, & ſemitas rectas eligendas. 2.228.670
Exorciſtę ea tantùm ſunt licita, quę ex poteſtate à Chriſto accepta expulſioni dęmonis conducunt. 2.236.692
Exorciſtę poteſtas non ſe extendit ad dęmones alligandos, hìc, vel illic. 2.237.694
Exorciſtę prohibentur Energumenis medicinas corporales exhibere. 2.241.707
Exorciſtę eſt illicitum cum ægrotis, & obſeſſis Chirurgi munere fungi. 2.ibi.708
Exorciſtę aliqui vtuntur balneis, ac ſuffumigijs, ſed cum maximo patientis ſcandalo. 2.ibi.709
Exorciſtę antiqui multa putabant neceſsaria in expulſione dęmonis, quę ab Auctore reprobantur. tom. 2.343.989
Exorciſtę perſuadere debent obſeſſis vt per pęnitentię Sacramentum ſua peccata expurgent. t.2. pag. 301.887
Exorciſtę, ac Sacerdotes potentiſſimi ſunt ad dęmones expellendos ratione ordinis exorciſtatus. tom. 2.303.890
Exorciſtę quando incaſſum dęmonem exorcizent. tom. 2.334.968
Exorciſtatus quid ſit, & quando ſit inſtitutus, vide verbo *Ordo*.
Exorciſtatus miniſterium includit omnia proportionaliter quę in Sacramentis. 2.155.497
Exorciſtatus cauſa efficiens principalis eſt Deus, Miniſterialis Exorciſta. 2.156.498
Exorciſtatus, vt miniſterium eſt, cauſa materialis tam remota, quàm propinqua. 2.ibi.499
Exorciſtatus forma remota, & propinqua. 2.ibi.500
Exorciſtatus finis eſt intentio Exorciſtę dęmones expellendi. 2.157.501
Exorcizare dęmonem pręcepto expulſiuo ſine aliquo ſigno euidenti pręſentię diabolicę eſt illicitum. 2.228.671
Experiētię in quibus prius ſint faciendę. 2.255.750
Expulſio dęmonis ex corpore obſeſsi non dependet à voluntate dęmonis; ſed Dei. 2.233.682
Expulſio dęmonum videtur quaſi ſimilis expulſioni peccatorum. 2.352.1006
Extaſim patiebatur quędam mulier ope dęmonis. tom. 1.93.286
Extorquere à malefico vi, & verberibus, vt maleficium tollat, licitum putat Remigius; ſed hęc opinio refellitur. 2.43.158
Extremę vnctionis virtus ad tentationes diabolicas repellendas; & ſanitatem ægris conferendam. tom. 2.304.893
Ezechias mirabilia operatus eſt ob fiduciam in Deo collocatam. 2.219.648
Ezechię Regis victoria inſignis recenſetur. tom.2. pag. 216.650

F.

Factum aliqualiter hęreticale quid ſit. tom.2. pag. 15.51.
Factum hęreticale quodnam ſit. 2.ibi.50
Factum hęreticum quodnam ſit. 2.ibi.49
Factum hęreticum, vel hęreticale practicatur in varijs actibus Magorum. 2.16.52.& ſeq.
Falſitas oraculorum ab ipſis Ethnicis comprobata. tom. 1.68.221
Familiaritas maleficorum cum dęmonibus in cętu generali conſtat ex eorum acceſsu, ſtatione, & receſsu. 1.178.516
Faſcinatio quomodo fiat. Et quotuplex ſit. tom. 1. pag. 253.712
Fauent magis, & maleficis committendo, qui eis auxilium pręſtant defendendo verbis, ſcriptis, literis, opere. 2.32.114
Fauere Magis, & Maleficis ommittendo ex officio dicuntur Iudices. Et quinam. Et quando. to.2. pag. 28.94
Fauere magis, & maleficis quis dicatur impediendo directè, vel indirectè. 2.35.126.& ſeq.
Fauere Magis, & Maleficis quis dicatur occultando directè, vel indirectè. 2.37.137
Fauſtinianus Pater S. Clementis Papę fuerat à Simone Mago apparenter affectus figura ſui ipſius. tom. 1.98.304
Fautores Magorum, ac maleficorum quando ſint puniendi, & qua pęna. 2.33.117
Fautores Magorum, ac Maleficorum alij dicuntur conſulendo, vel auxiliando, vel laudando, vel relaxando. 2.ibi.119.& ſeq.

Ferdi-

Ferdinandus à Caſtro Palao ſuſtinet Exorciſtam poſſe licitè conniuere dæmoni offerenti egreſſum ex homine, ſi ei permittatur in alium ingredi, & quomodo. 2.249.727
Fictè malefici Chriſtum honorant ſub larua pietatis; ſed diuerſimodè inhonorant. 1.194.566
Fictiones debent vitari ab Exorciſta in ſuo miniſterio obeundo. 2.244.712
Fidei humanæ deſcriptio. 2.199.607
Fidei Catholicæ obiectum triplex. 2.ibi. 609
Fidei obiectum primarium quodnam ſit. 2.ibi.910
Fidei obiectum materiale adæquatum eſt quodlibet ens reuelabile à Deo. 2.200.612
Fidei catholicæ actus definitur. 2.ibi.615
Fidei theologicæ definitio. 2.ibi.616
Fidei tres diſtinctiones. 2.201.617
Fidem habent multi ſpeculatiuam, ſed non practicam. 2.277.815
Fidem multi habent habitualem; ſed deficiunt in fide actuali quoad exercitium. 2. ibi.ibi.
Fideles omnes per fidem, ac fiduciam in Deo poſitam poſſunt ſe à vexationibus diabolicis eripere. 1.33.124
Fides, ac fiducia in Deum collocata magna aduerſus dæmonem eſt armatura. 1.30.109
Fides, ac fiducia in Deo poſita à S.Ambroſio ipſum ab inſultibus Dæmonum tuebatur. 1.ibi.ibi.
Fides quænam ſit neceſſaria ad ſeipſos tuendos contra dæmones. 1.30.111
Fides gratia gratis data quæ ſit. 2.199.607
Fides aliquando ſumitur pro fiducia. 2.ibi.ibi.
Fides diuina includit tria: obiectum, actum, & habitum. 2.ibi.608
Fides theologica duplex: altera vniuerſalis: altera particularis. 2.201.617
Fides miraculorum, & promiſſionum eſt eadem cum fide Catholica. 2.ibi.618
Fides theologica qua ratione ſit maior in vno homine, quàm in alio. 2.202.621.& ſeq.
Fides theologica diſtinguitur à fide gratia gratis data, & à cæteris gratijs gratis datis. 2.203.625
Fides theologica ſimpliciter, & abſolutè non eſt neceſſaria Exorciſtæ, vt dæmones expellat. to.2. pag. 204.626
Fides theologica neceſſaria eſt Exorciſtæ, vt tutò, & efficaciter dæmones expellat. 2.204.627
Fiducia in Deum neceſſaria eſt Exorciſtæ, vt tutò, & efficaciter dæmones eijciat. 2.ibi.629
Fiducia quomodo augeatur. 2.205.630
Fiducia quomodo tollat hæſitationem. 2. ibi.631
Fiducia in miraculis operandis quæ. 2.ibi.ibi.
Fiducia eſt veluti virga moſayca in manu confidentium in Deum. 2.206.632
Fiducia eſt ſpes robuſtiſſima, & perfectiſſima. tom. 2.204.629
Fiducia præſeruat à vitijs, & peccatis plurimis. t.2. pag. 206.633
Fiducia in Deum non ſinit ita facilè homines cadere in tentationes. 2.ibi.634
Fiducia in Deum liberat, & præſeruat à maleficijs, & obſeſſionibus. 2.207.635
Fiducia in Deum præſeruat à dæmonis timore, apparitionibus, & nocturnis terriculamentis. to.2. pag. ibi.ibi.
Fiducia in Deum defendit ab inimicis, ac perſecutoribus. 2.ibi.636
Fiducia in Deum defendit, ac illæſum præſeruauit Bernardum Aquilinam ab inſidijs inimicorum ſuorum. 2.373.1057
Fiducia in Deum eſt galea, lorica, & anchora. tom. 2.208.637
Fiducia in Deum liberat, & præſeruat à morſu brutorum animalium, & à veneno. 2. 209.638
Fiducia in Deum liberat à peſte. 2. 211.639
Fiducia in Deum illæſos præſeruat in bello. to. 2. pag. ibi.640
Fiducia in Deum protegit etiam qui ſunt de familia in eum confidentium. 2.ibi.641
Fiducia in Deum dat eſcam eſurientibus. 2.212.642
Fiducia in Deum infirmitates curat. 2.213.645
Fiducia in Deum requiritur in eo, qui curandus eſt. tom. 2.214.646
Fiducia in Deum defendit à terremotu, fulmine, aquarum ſubmerſione, aliſque periculis. to.2. pag. ibi.647
Fiducia in Deum aſylum eſt ſecuriſſimum in omnibus periculis. 2.215.648
Fiducia in Deum victoriam reportare facit de inimicis. 2.216.649
Fiducia in Deum neminem fallit, aut confundit. tom. 2.217.653
Fiducia in Deum maximam affert vitæ tranquillitatem. 2.218.655
Fiducia in Deum exaltat homines etiam in hac vita. tom. 2.ibi.656
Fiducia in Deum facit homines quaſi omnipotentes. tom. 2.219.657
Fiducia quoquo modo ſumpta debet eſſe firma, & non hæſitans. 2.220.659
Fiducia in Deum dat vitam longam in præſenti ſæculo, & Beatitudinem in futuro. 2.ibi.660
Fiducia in Deum facilè acquiritur per attentam diuinarum ſcripturarum conſiderationē. 2.221.662
Fiducia innititur patientiæ, ac perſeuerantiæ. to. 2. pag. 226.668
Fiducia Philippi Braſij poſita in Deo per interceſſionem S.Nicolai liberauit eum à graui infirmitate. 2.290.857
Fiducia in Deum poſita à quadam muliere nobili eā liberauit à veneno ei violenter propinato à marito. 2.209 638
Fiducia perfecta emanat in homine ex contemplatione diuinæ prouidentiæ. 2.258.757
Fiducia erga Deum augetur ex meditatione diuinæ Bonitatis. 2.261.764
Fiducia in Deum plures carent. Et quare. 2.262.767
Fiducia nutritur, & augetur contemplando Deum præſentem. 2.263.768
Fiducia magna enaſcitur ex conſideratione diuinæ fidelitatis. 2.ibi.770
Fiducia, ac perſeuerantia ſunt ſibi inuicem coadiutrices. 2.277.815
Fiducia firma deficiente deficit perſeuerantia. to.2. pag. ibi. ibi.
Fiduciæ definitio. 2.199.609
Filij Iſrael plures in deſerto à ſerpentibus illæſi ſeruati ſunt. 2.209.638
Filij ſuppoſititij quinam ſint. 2.218.654
Finis bonus quis, & qualis ſit. 2.10.28
Finis maleficæ curationis impius. Et quare. to.2. pag. ibi.29
Finis magicæ curationis noxius, & damnificus. Et quibus. 2.11.33
Finis magicæ curationis ſcandaloſus. Cui comparetur. 2.12.37
Forma propinqua miniſterij Exorciſtatus. 2.156.500
Forma remota eiuſdem. 2.ibi.ibi.
Formicæ alatæ confluentes ad ſupercilium cuiuſdam montis Valliſcallepinæ an ſint indicium operis ſuperſtitioſi. 2.78. 276
Formicarum prædictarum actiones ſunt ſymbolum vitæ S. Ioannis Baptiſtæ. 2.79.278
Fortitudinis definitio, ac diuiſio. 2.226.667
Fragilitas ſexus fæminei probatur ex eorum ſpiritu, anima,

anima, & corpore. 1.171.495
S.Franciſcus pluries fuit à Deo refectus cibo corporali ob fiduciam in Deo poſitam. 2.212.643
Franciſcus Sala, ac Bartholomæus eius frater præſeruati fuerunt à grandine quoad ſuos agros. Et quare. 2.214.647
Fraterna correctio non eſt præmittenda in denunciatione maleficorum. 2.32.111
Fumus piſcis Tobiaci quomodo dæmones expuliſſet. 2.100.334
Fumus piſcis prædicti non egit aliquid naturaliter contra dæmonem. 2.114.374
Futura contingentia cognoſcuntur à dæmonibus alia certitudinaliter; alia minus certè: alia coniecturaliter. 1.68.222

G.

GAlli cantus an diſſipet ſtrigarum conuentus. t.2. pag. 82.292
Gedeonis victoria inſignis ob fiduciã ab eo in Deo collocatam. 2.216.650
Generatiuam dæmon rarò iuuat, ſæpè impedit. t.1. pag. 90.277
Gentiles Magiæ, ac Maleficijs dediti. 1.167.480
Gigantes quomodo poſſint à dæmone produci. to.1. pag. 89.278
Gloria Dei exurgit ex maleficiorum permiſſione. tom. 1.22.81
Gloria Dei eſt ratio omnium potiſſima permiſſionis maleficiorum. 1.26.93
Gratiarum actiones Deo reddendæ à perſona liberata à dæmone. 2.347.1000
Gratiarum actiones Deo reddendæ ab Exorciſta vnà cum perſona liberata, ac parentibus ipſius. tom. 2.ibi.ibi.
Gratiæ gratis datæ quot, & quæ deſcribuntur. to.2. pag. 203.624
Gratiæ gratis datæ diſtinguuntur à fide theologica. tom. 2.ibi.625.
Gremozilao Bohemiæ duci quid acciderit, dum pericula belli per incantationem vitare ſtudet. tom. 1.42.154

H.

HAbitus corporis quomodo poſſit mutari à dæmone. 1.109.338
Hæretici per poteſtatem Eccleſiæ non poſſunt dæmones expellere. 2.204 628
Hæretici ſunt, vel vt hæretici habentur magiã exercentes. 2.17.57
Hæreticis quid acciderit dæmonem eijcere tentantibus. 1.23 85
Hæreticus vera miracula facere non poteſt. tom.2. pag. ibi.628
Herbæ diuerſæ à Medicis aſsignantur pro maleficijs ſed incaſſum. 2.97.328
Herbæ radix Eleazari an virtutem haberet dæmones expellendi. 2.114.375
Herbas colligere in die S.Ioannis Baptiſtæ an ſit ſuperſtitioſum. 2.66.226
Herbis peregrinis Malefici vtuntur. Et quomodo. tom. 1.261.737
Hercules cur alexicacus fuerit nuncupatus. Proloq.11.
Hippocrates docet maleficia eſſe meras illuſiones. tom. 1.158.454
Homines, cum peccant, nihil fiunt. 1.18.67
Homines aliqui intenti nimis ſuæ ſaluti corporali, ſpreto Deo, ad dæmonem confugiunt. 2.37.138
Homines natura ſcire deſiderant, maximè quæ ad ſui conſeruationem ſpectant. 2.50.180
Homines ſæpè capiunt experimenta ſuperſtitioſa varijs modis, vt ſani conſeruentur; vel à malo liberentur. 2.50.181
Hominis malitia neque legibus coercetur; neque pænis terretur; ſed prouoluitur ad maleficia. tom. 1.15.53
Homo cæteris animantibus præſtantior. Et quomodo. 1.55.174
Homo quot modis acquirat ſcientiam. 1.ibi.176
Homo cum difficultate ſcientiam acquirit. Et quare. 1.58.186
Homo experimentis creſcit in ſcientia practica. tom. 1.59.189
Homo eſt capacior in cognitione rebus inanimis, plantis, & animalibus. 1.62.203
Homo cæcutit circa præſentia ſpiritualia, & corporalia. 1.64.209
Homo eſt medium creaturarum. Et quomodo. to.1. pag. 82.257
Homo amiſſa vegetabilium notitia damnum patitur à ſe, & ab alijs. 1.259.733
Homo habet intellectum, quo noxia vitat, proficua quærit, morbos curat. 2.96.323
Homo fit quaſi omnipotens ob fiduciam in Deo collocatam. 2.219.657
Homo maxima fruitur tranquillitate ob fiduciam in Deo poſitam. 2.218.655
Homo per fiduciam in Deum poteſt mirabilia operari. 2.219.658
Honor ſemper habitus eſt mortuis. Et quomodo. tom. 2.205.593
Humor melancholicus ſæpè excitatur à dæmone. Et quomodo. 2.125.420

I.

B. IAcobus à Marchia venenum bibit, & nihil ei nocuit. 2.209.638
Ieiunantes non eſt cur putent Deum velle eos à dæmone poſsideri, vt ſuorum peccatorum pænitentiam agant. 2.294.868
Ieiunantes à morbis corporalibus liberantur. to.2. pag. 295.872
Ieiunio hoſtes inuiſibiles maximè profligantur. to.2. pag. 296.876
Ieiunio hoſtes viſibiles ſuperantur à Iudæis, Iudith, & Eſther. 2.297.877
Ieiunium obſeſſo eſt neceſſarium, vt ad perfectam fiduciam ſe diſponat. 2.292.863
Ieiunium efficax eſt ad leues culpas delendas, & in via Dei viriliter progrediendum. 2.294.867
Ieiunium pharmacum eſt efficax ad abolendum peccatum. 2.296.873
Ieiunium colendum eſt ab obſeſsis, maximè qui ab incubis, vel ſuccubis puſſidentur. 2.ibi 874
Ieiunium eſt optimum remedium ad dæmonem ſuperandum. 2.ibi.876
Ieſus nomen à quo fuerit impoſitum, nunciatum, & manifeſtatum. Epiſt.dedic.
Ieſus interpretatur Salus, & Saluator, & quare. pag. ibi.
Ieſus quare ſic fuerit vocatus. ibi.
Ieſus varia ſymbola. ibi.
Ieſus, & Maria non ſunt ſeparandi; ideo eorum nomina ſimul inuocanda. 2.284.834
Ieſu nomine dæmones expelluntur. 2.ibi.835
Ieſu nomine inuocato Apoſtoli dæmones eiecerunt. tom. 2.ibi.837
Ieſu nomine inuocato Sancti multa mirabilia operantur. 2.285.839
Ieſus quandoque dona faciliùs concedit nomine

Mariæ

Mariæ inuocato, quàm ſuo proprio. 2.287.847
Ignei dæmones quinam ſint. Et quid operentur. tom. 1.129.404
Illicitum eſt vti pręceptis probatiuis, vel lenitiuis ſine aliquo ſigno probabili. 2.228.671
Illicitum eſt vti præceptis expulſiuis ſine aliquo ſigno euidenti. 2.ibi.ibi.
Illicitum eſt Exorciſtę fictionibus vti ad probandum an aliquis ſit verè, vel fictè, vel imaginariè obſeſſus. 2.244.712
Illicitum eſt annuere dæmoni offerenti egreſſum ex homine, ſi permittatur ei in alium ingredi. tom. 2.249.726
Illuſiones plures factæ à dæmone in potentijs apprehenſiuis tam exterioribus, quàm interioribus. tom. 1.83.261.& ſeq.
Imagines aſtronomicæ an habeant aliquam vim naturalem, vel diabolicam. 2.84.295
Imaginum aſtronomicarum vſus vt ſuperſtitioſus condemnatur. 2.85.299
Imaginum Sanctorum gloria. 2.314.610
Imaginum Sanctorum virtus contra dæmones. to.2. pag. ibi.911
Imaginum duo genera. Imagines necromanticę quomodo formentur, & adhibeantur. 2.275.786
Immunitatis effectus à varijs periculis promiſſus ijs qui deferunt chartam virginem, eſt ſuperſtitioſus. 2.47.170
Imperfecta animalia adhibentur à maleficis in maleficijs. 1.259.730
Impetrare ratione bonitatis Dei, & ratione fidelitatis ipſius quomodo differant. 2.274.810
Imprecari malum mortuo quando ſit licitum, & quando non. 2.271.796
Imprecari viatori damnationem æternam numquam licet. 2.ibi.797
Imprecationes faciendæ hominibus pernicioſis Reipublicę quatuor modis intelligi poſsũt. 2.272.799
Impetus diaboli ſe impiè extollentis fuit ab initio, & modò ſemper perſeuerat. 1.192.559
Impoſſibilia tentat dæmon per præſtigia. Et quare. 2.3.8
Incubi, & Succubi quinam ſint: & quænam operentur. 1.90.278
In cunctis neceſſitatibus confugiendum eſt ad remedia à Deo, & ab Eccleſia tradita. 2.44.164
Indicia ad ſagas denunciandas fusè aſſignantur. t.2. pbg. 30.101.& ſeq.
In dubijs eligendum quod magis ratio dictat. to.2. pag. 282.ibi.
Infamem malefici dæmonibus reuerentiam, fidelitatem, & obedientiam præſtant. 1.182.527
Inferiores dæmones obediunt in miniſterijs ſuperiorum exemplo, ac propria inclinatione. to.1. pag. 126.351
In inferno Lucifer poteſtatem exercet in dæmonibus, & hominibus damnatis. 1.117.369
In inferno dæmones torquent alios, vt carnifices: torquentur vt rei pœna damni, & ſenſus. Et quomodo. 1.ibi.370
In inferno dæmones plenam poteſtatem exercent in damnatos, dum ab eis in infernum deducuntur, retinentur, & educuntur reuerſuri. 1.118.373
Infernum eſt dæmonum regnum longum, latum, profundum. 1.116.369
Infirmitates plures procedunt ex illuſionibus diabolicis. 2.175.550
Ingluuies morbos efficit, & vitijs animam replet. tom. 2.295.871
Inquiſitores quid agere debeant, vt tollant maleficium taciturnitatis à dęmone ſtrigibus inductum. tom. 2.329.953
Inquiſitoribus locorum quid agendum circa Curatores ſuperſtitioſos. 2.77.272
In re indifferenti ratio, & conſcientia ſunt boni conſiliarij. 2.283.6
Inſtitutores Religionum arti exorciſticæ operam nauarunt. 2.166.525
Inſtructio facienda cuſtodi beſtiarum pro earum liberatione à maleficijs. 2.354.1013
Inſtructio pro afflictis, & tribulatis ſubleuandis. tom. 2.365.1032
Inſtructiones faciendæ vexato, vide verbo *Modus inſtruendi*.
Inſtruendi ſunt habitatores domus pro liberatione. 2.355.1018
Inſtructio ad perfectam confidentiam obtinendam pro conſecutione ſanitatis corporalis. 2.368.1047
Inſtrumenta maleficiorum ſunt ſigna vana, & deceptoria. 2.141.476
Intentio, quam debet habere Exorciſta in ſuo miniſterio exercendo. 2.157.501
Interrogare dæmones de numero in corpore obſeſſi iniurioſum eſt diuinæ omnipotentiæ. 2.230.675
Interrogare dęmonem in corpore obſeſſi exiſtentem vt dicat per quam perſonam, & per quem Sanctum ſit expellendus, eſt illicitum. Et quare. tom. 2.231.678
Interrogare dæmonem, vt dicat, quinam ſint ſui inimici in cælo, eſt ipſis ſanctis iniurioſum. to.2. pag. 232.680
Interrogare dæmonem, vt dicat, quibus verbis magis crucietur, manifeſtat Exorciſtam ignorantem, tom. 2.ibi.681
Interrogare dæmonem, vt dicat, qua die, & hora ſit egreſſurus, Diuinæ Maieſtati eſt iniurioſum. tom. 2.233.682
Interrogare dæmonem de vanis, & inutilibus eſt peccatum. 2.238.697
Interrogare dæmonem ex leuitate, & curioſitate, poteſt eſſe peccatum veniale ex mente aliquorum: ex mente Caſtri Palai eſt mortale. tom. 2. pag. 239.698
Interrogare dæmonem de nomine eſt ſuperfluum, & periculoſum. 2.229.672
Interrogatio de cauſis ingreſſus facta dæmoni ſatius eſt relinquenda, quàm practicanda. 2.230.677
Interrogandus eſt obſeſſus de accidentibus tempore inſtructionis. 2.256.752
Interrogationes faciendæ Vexato, & parentibus eius vide verbo *Modus*. 2.316.917
Inueſtigatio facienda de vexatione domus. tom.2. pag. 354.1017
Inuidi quomodo ex oculis agnoſcantur. 1.251.706
Inuidia cruciat ipſum inuidum. Et quomodo. to.1. pag. 25.90
Inuocatio Dei deſcribitur. Et quinam actus ſit. t.2. pag. 10.31
Inuolucra fætus nullam habent vim maleficam. tom. 1.245.686
S.Ioannes Chryſoſtomus refert caſum de libro magiæ inuento; ſed ſtatim reiecto. 2.26.84
S.Ioannes Euangeliſta venenum bibit, & nihil ei nocuit. 2.209.638
Iob fuit à Deo exaltatus ob fiduciam in Deo collocatam. 2.219.656
Ioſaphati Regis victoria inſignis ob fiduciam in Deo poſitam. 2.216.651
Ioſeph Patriarcha fuit à Deo exaltatus ob fiduciam poſitam in Deo. 2.218.656
Ioſue mirabilia operatus eſt ob fiduciam in Deo collocatam. 2.220.658
Irrationales creaturæ quomodo adiurari poſſint. vide verbo *Creatura*. 2.251.734

Irrationalia exorcizantur vt mouentur ab alio. to. 2. pag. 252. ibi.
Iudæ Machabæi victoriæ ob fiduciam in Deo collocatam. 2. 217. 652
Iudæi magiæ, & idololatriæ dediti dum errant, pugnant, regnant, ac ſeruiunt. 1. 168. 485
Iudices eccleſiaſtici, politici tenētur ad puniēdos magos iure diuino, eccleſiaſtico, & humano. tom. 1. 35. 131
Iudices ſi mali ſunt, præualet contra eos dæmon. tom. 1. ibi. ibi.
Iudices ſi boni ſunt, Deus illos protegit ad maleficos puniendos. 1. 36. 132
Iudices Prouincias purgare debent à Magis, & maleficis: ſecùs facientes peccant, & tenentur ad reſtitutionem damnorum. 2. 29. 68
Iudices quomodo ſe gerere debeant cum pueris maleficis. 2. 24. 78
Iudices tum Eccleſiaſtici, tum Sæculares quomodo præuenire poſſint in puniendis magis, & maleficis. 2. 29. 95
Iudicia Dei, & hominum ſunt diuerſa. Et quare. tom. 2. 13. 41
Iudith victoria inſignis ob fiduciam in Deo collocatam. 2. 217. 652
Iureconſulti difficulter circa iuris controuerſias poſſunt definire, quid ſtatuendum, ne iuſtitia pereat. Proloq. 6
Iure ordinario excluduntur à munere exorcizandi laici, & clerici ſimplices. 2. 154. 493
Iuſti perferendo maleficia declinant à malo, & faciunt bonum. 2. 24. 86
S. Iuſtina vicit omnes technas diaboli, ac Cypriani magi, ipſumquè ad Chriſtum conuertit. 1. 33. 123
Iuſtos viatores à nobis orari poſſe fides docet. to. 2. pag. 292. 862

L.

LApides plures traduntur à Medicis contra maleficia, ſed incaſſum. 2. 98. 329
Leges latæ contra Sagas ſunt iuſtiſſimæ. 2. 21. 71
Legentes, vel retinentes libros prohibitos quando incurrant excommunicationem. 2. 27. 86
Legentes, vel retinentes libros prohibitos quando ſint denunciandi Sanctæ Inquiſitioni. 2. ibi. 91
Leones Danieli Prophetæ non nocuerunt. Et quare. 2. 638
Lethargus quomodo curari poſſit. 2. 126. 423
Libertas arbitrij eſt ſummum bonum naturæ intellectualis. 1. 20. 73
Libertas arbitrij ne tollatur ab homine, mala permittuntur. 1. ibi. ibi.
Licitum eſſe quidam dicunt, Maleficum inducere verbis blandis: aut minis, ac verberibus, vt maleficium tollat, ſi fiat bona fide. 2. 43. 161
Litis conteſtatio inter dæmonem, & maleficum ſe ad Deum conuertere volentem eſt ſuperſtitioſa. tom. 2. 81. 286. & 700
Litis conteſtatio inter dæmonem, & hominem volentem eum expellere ab aliquo loco eſt ſuperſtitioſa. 2. ibi. 286. & 700
Locus proprius dæmonum eſt infernus. to. 1. p. 116 num. 369.
Locus quinam magìs ſit aptus ad exorcizandum. tom. 2. 255. 751
Locus vnus ſi conferat ad maiorem dæuotionem, tunc ab Exorciſta, & non à dæmone eſt eligendus. 2. 255. ibi.
Locuſtarum Apocalypſis viſo Maleficis adaptatur. tom. 1. 159. 457
Locuſtæ terreſtres ducem non habent: ſecus infernales, quibus præeſt Lucifer. 1. 162. 463
Locuſtæ ſicut innumerabiles fuerunt in Ægypto: ſic innumerabiles ſunt malefici in orbe. 1. 166. 478
Lucifer non fuit ſimpliciter primus inter omnes Angelos; ſed tantùm primus inter ſpiritus rebelles. 1. 32. 121
Lucifer dominari tentat Angelis in cælo; dæmonibus in inferno; hominibus in terra. Et quomodo. 1. 160. 459
Lucifer ſuperiores diabolos præficit directioni maleficorum primariorum. 1. 163. 468
Lucifer duces eligit eos, qui pollent potentia, ſcientia, & malitia. 1. 164. 472

M.

MAgi ſuam ſcientiam, aiunt, eſſe ab Angelis profectam. 1. 9. 27
Magi iactant ſe animas euocare, à quibus ſuas diſcunt operationes magicas. 1. 11. 33
Magi Pharaonis cur defecerint in tertio ſigno coram Moyſe. 1. 27. 101
Magi, & Malefici priuatim plures ſeducere tentant. tom. 2. 25. 83
Magi quando præſtigijs vtantur. Et quomodo fiant. tom. 1. 222. 643
Magi, & malefici ſunt homines diabolici. Et quare. 1. 173. 500
Magi ſæpiùs ipſis magis inſidiantur, & in iudicijs contubernales accuſant. 1. 38. 139
Magia dilatata in omnes nationes per Medicos, Sacerdotes, atque Philoſophos. 1. 167. 481
Magia diabolica deſcribitur. 1. Proloq. 5
Magia non traditur à Deo per bonos Angelos. to. 1. pag. 9. 28
Magia licita, & honeſta datur, quæ res naturales debito modo applicat. 1. ibi. 29
Magia licita alia eſt naturalis, alia artificialis. t. 1. pag. 10. ibi.
Magia naturalis vel eſt diuinatrix: vel operatrix. tom. 1. ibi. 30
Magia diabolica quomodo differat à magia naturali. 1. ibi. ibi.
Magia artificialis vel eſt mathematica, vel præſtigiatoria. 1. ibi. 31
Magia maleficorum quomodo differat à magia artificiali. 1. ibi. 32
Magia non eſt à Deo; ſed à dæmone. 1. 11. 36
Magiæ diabolicæ genericæ quatuor ſunt ſpecies, videlicet, Magia ſpecialis, Diuinatio, Vana obſeruantia, & maleficium. Proloq. 14
Magiæ, ac maleficiorum prohibitiones in nouo teſtamento non ſunt irritæ; ſed ratæ manēt. 1. 12. 40
Magica opera aliqua ſunt tantùm ſimulata, & apparentia: aliqua autem vera, ac naturalia, quę perficiuntur virtute vel cæleſti: vel terreſtri. 1. 6. 20
Magica ſcientia quomodo videatur ſupernaturalis. Sed hoc eſt impropriè. 1. 7. 24
Magicę operationes non ſunt à Deo Doctore. to. 1. pag. 5. 17
Magiſtratibus quid agendum circa Curatores ſuperſtitioſos. 2. 77. 272
Magiſtri plures Magiæ; ac Diſcipuli in conuenticulis ſecretis, ac nocturnis cætibus. 2. 24. 80
Magorum ſcientia non eſt purè naturalis; ſed potiùs præternaturalis, & prodigioſa. Et quare. tom. 1. 7. 23
Magorum præceptores non ſunt Angeli boni, ſed mali. 1. 9. 28
Mala pœnæ ſæpiùs permittit Deus propter gloriam ſuam. 1. 26. 93
Mala publica ſunt innumera, præcipuè quæ bello eueniunt. 1. 41. 151

Mala pœnæ licitè peti poſſunt propter finem ſimpliciter bonum. 2.271.795
Mala pœnæ nobis inflicta ſunt à Deo. 2.279.822
Mala pœnæ, quæ ſunt tantùm ad exercitium virtutis, ſunt à Deo permittente, ſed non iubente. tom.2. pag. 295.869
Maleficia quomodo Deus impediat. 1.26.94
Maleficijs cur rarò torqueantur infideles, hæretici, ac peſſimi chriſtiani. 1.30.112
Malefici puniuntur in vita, vt nullam habeant requiem die, ac nocte, ac poſt mortem in inferno. tom. 1.38.142
Malefici vitam ducunt indigentem miſerijs plenam. Exemplis comprobatur. 1.39.ibi.
Maleficia prodeunt à voluntate Dei non efficiente; ſed permittente. 1.4.12
Maleficia Deus prohibet per ſuos Pontifices, Conciliorum Patres, Canoniſtas, Patres, Theologos, Principes, ac Philoſophos. 1.13.44
Malefici ab Eccleſia ſunt ſegregandi. 1.ibi.42
Malefici ope dæmonis ſolo intuitu mala inferunt. tom. 1.252.710
Malefici in curationibus ſuis æquiparantur actioni diabolicæ. Et quare. 2.6.16
Malefici vt ſacrilegi excõmunicati ſunt excõmunicatione latæ ſententię Papæ reſeruatæ. 2.8 23
Malefici de hæreſi conuicti, ſi pertinaces, & impænitentes ſint, tradendi ſunt curiæ ſæculari. 2.17.59
Malefici ex corde pęnitentes recipiendi ſunt ad pęnitentiam, exceptis quatuor caſibus. 2.18.61
Malefici quando pæna mortis ſint multandi; ac viui comburendi. 2.19.64
Malefici quinã ſint; & quibus nominibus vocentur. tom. 1.161.460
Malefici tenentur ſemper ad malum ex fœdere, ſocietate, ac miniſterio. 1.173.500
Malefici priuatim familiares ſunt dæmonibus. to.1. pag. 180.520
Malefici ex familiaritate cum dæmonibus fiunt dæmones ore, & opere. 1.ibi.521
Malefici ſunt ſerui diaboli, à quo ſeruili nota inuruntur. 1.181.524
Malefici definitio ponitur, ac declaratur. 1.Prol.14.
Maleficij definitio exacta explanatur. to.1. in Præfat. & 2.166.526
Malefici diaboli ſunt non natura; ſed malitia, & quare. 1.173.499
Malefici ſunt iniqui in ſeipſos. Et quomodo. to.1. pag. 196.572
Malefici iniuſtitiam exercent in homines prælatos, Sacerdotes, Reges, Principes, & alios. 1.200.583
Malefici cum dęmone concurrunt ad maleficia. to.1. pag. 223.645
Malefici ſunt cauſa efficiens miniſterialis maleficiorum. 1.231.664
Malefici quibus modis concinnent ſua maleficia. tom. 1.178.557
Malefici quid operentur per maleficium ſomniferum. 2.ibi.ibi.
Malefici, ac dæmones in maleficijs operandis ſæpè coercentur à Deo. 2.191.593
Maleficia poſſunt deſtrui ſine ſignorum maleficorum deſtructione. 2.143.482.
Maleficia infantium, ac paruulorum quomodo deſtruenda. 2.333.963
Maleficiatus quando quis dicatur. 2.174.546
Maleficijs quænam mala inducantur in orbem à maleficis. Proloq.10
Maleficio affecti per ſolum diſſenſum voluntatis non poſſunt ſeipſos à maleficio liberare. to.2. pag. 244.713
Maleficiorum ſigna tam coniecturalia, quàm euidentia. 1.192.598.& ſeq.
Maleficium iuxta ſui nominis ethimologiam deſcribitur, ac declaratur. Proloq.13
Maleficium tam graue peccatum eſt, quod videtur omnia peccata comprehendere. 1.34.126
Maleficium hoſtile quid ſit; & quomodo noceat homini. 1.228.655
Maleficium temporale, ac perpetuum quid ſit ad mentem aliorum. Et quid ad mentem Auctoris. tom. 2.145.489
Maleficium amatorium quid operetur in hominibus. tom. 1.225.650.& ſeq.
Maleficium amatorium non poteſt cogere hominis voluntatem ad amandum. 2.178.559
Maleficium taciturnitatis quomodo fiat; Et quot modis. 2.38.139
Maleficium taciturnitatis alij impediunt illicitè; alij licitè. 2.40.146
Maleficium non poteſt fieri ſine libera hominis in maleficium conſentientis voluntate. 2.177.555
Maleficium matrimonij quomodo deſtruendum. tom. 2.332 959
Maleficorum varia nomina. 2.177.556
Maleficorum malitia dæmonem in Regem eligendo oſtenditur. 1.162.464
Maleficorum mors peſſima deſcribitur. 1.40.146
Maleficos puniunt auctoritate priuata qui vltorem gladium accipiunt, & ex odio, furore, vel occaſione eos interficiunt. 1.37.137
Maleficos, ac ſagas multi percutiunt, vt vindictam ſumant de offenſis ab eis acceptis. 1.ibi.138
Maleficium expectare à dæmone quæ ſoli Deo conueniunt eſt factum hęreticum ex parte operis, & operantis. 1.16.52
Maleficus non tenetur quærere à dæmone chirographum, quando eſt in poteſtate illius. 2.184.577
Maleficus tenetur chirographum conſignare, ac lacerare, quando eſt in ſua poteſtate. 2.ibi.ibi.
Mali à malis puniuntur per maleficiorum permiſſionem. 1.25.89
Malitiam mulierum probatur ſcriptura, & ratione. 1.173.497
Malum per ſe mundo perfectionem non affert; ſed fœditatem. 1.20.71
Malum occaſionaliter confert ad perfectionem mundo accidentalem. Et quomodo. 1.20.71
Malum permittitur propter bonum elicitum, quod ex malo procedit. 1.21.78
Malum imprecari mortuo quando ſit illicitum; & quando non. 2.271.796
Maria interpretatur Domina. 2.286.845
Maria dominatur dæmonibus. 2.ibi.ibi.
Maria eſt inuocanda ab obſeſſis, & ægrotis. to.2. pag. 287.848
Mariæ nomen inuocandum. 2.286.845
S. Mariæ Magdalene conuerſio ortum habuit à pænis ei à dæmone illatis. Illius conuerſio deſcribitur. 1.24.88
S. Martinus Epiſcopus ob maximam fiduciam in Deo collocatam illæſus fuit ſeruatus ab inimicis. tom. 208.637
Materia propinqua, & remota miniſterij exorciſtatus. 2.156.499
Materiam maleficiorum venefici mutuantur ex irrationalibus ſenſitiuis, ac vegetatiuis. tom.1. pag. 257.723
Maſculus ſeptimus, ac Rex Galliæ quomodo ſanent à ſtrumis. 2.74.256
Matrimonij virtus contra dæmones. 2.304.892
Maxentius Imperator cur fuerit in bello victus, & in fluuium ſe dederit præcipitem. tom.1. pag. 41.152

Media

Media magicæ curationis ſunt ſuperſtitioſa. Et quare. 2.9.26
Medicamina permanentia quænam ſint. 2.97.327
Medicamina præparantia, euacuantia, ac roborantia aſſignantur. 2.104.350
Medicamina naturalia vim habent ſaltem mitigandi in corpore morbos maleficos. 2.131.441
Medici vt ritè ſuo fungantur officio obſeruare debent decem monita tradita to.2. à num.456. vſque ad finem diſp.
Medici in curandis corporum morbis ſæpiùs hæſitant, & hallucinantur. Proloq.5.
Medici plures credunt morbos omnes à naturæ deficientis erroribus prouenire. 1.3.10
Medici immeritò ſibi maleficiorum cognitionem vſurpant. 1.3.11
Medici aliqui negant eſſe dæmones. 1.46.165
Medici phyſicis remedijs intenti contendêtes morbos à dæmone procedentes incaſſum laborant. tom. 1.148.452
Medici quidam aſſerunt, quæ de maleficijs dicuntur, eſſe meras illuſiones. 1.158.454
Medici aliqui res naturales in maleficijs vt cauſas phyſicas, non vt morales adhiberi putant to.1. pag. 239.667.& ſeq.
Medici plures putant maleficia remedijs naturalibus curari poſſe. 1.ibi.ibi.
Medici quidam aſſerunt dari temperamentum veneficum. Sed hæc opinio refellitur. 1.244.682.& ſe.
Medici partes non ſunt curare maleficia, vt maleficia ſunt. 2.182.572
Medici ſæpiùs non poſſunt cognoſcere res naturales etiam naturaliter applicatas à dæmone, & maleficis. Et quare. 2.183.574
Medicina commendata tam ab Ethnicis, quàm à Chriſtianis. 1.2.7
Medicina à malis profanatur, & impiè tractatur. tom. 1.3.9
Medicina, ac pharmacia orta eſt à Deo. 2.111.367
Medicinæ definitio adducitur. 2.182.571
Medicinæ corporales illicitè ægrotis exhibentur ab Exorciſta. 2.241.703
Medicis quid agendum, cum ſuſpicantur aliquem eſſe maleficio affectum. 2.183.575
Medicorum ars quandoque non poteſt auferre morbum maleficum, quamuis per cauſas naturales ſit inductus. 2.182.570
Medicorum non eſt, ſed Theologi Exorciſtæ cognoſcere maleficia; & quare. 1.282.812
Medicus non debet iudicare de maleficijs. Et quare. 1.282.812
Medicus de quibus rebus iudicare debeat. Et quomodo. 1.281.808
Medicus, vt ſuo ritè fungatur officio, qua ſcientia præditus eſſe debeat. 2.240.702
Meditatio diuinę bonitatis fiduciã auget. 2.261.764
Melodia citharæ Dauidis quid ageret in Saulem à dæmone vexatum. 2.130.437
Memoria hominis prodigioſa, quæ omnium ſpecies recipit continuè per quinque ſenſus. 1.63.205
Memoria dæmonis magis prodigioſa, quàm hominis. Et quare. 1.ibi.206
Memoriam poteſt dæmon iuuare, ac debilitare. tom. 1.87.270
Menghi opinio falſa de translatione phantaſiarum ſtrigarum refellitur. 1.103.315
Mendacium non fuit dictum Angeli Raphaelis de fumo piſcis. 2.114.374
Miniſtri Eccleſiaſtici in ordine Exorciſtatus poteſtatem accipiunt dæmones expellendi. 1.23.83
Miniſtri nouę legis ſunt antiquis venerabiliores in ſuis veſtibus, quas profanant malefici. 1.269.764
Mira plura poſſunt facere dæmones. Et quomodo. tom. 1.76.234
Mira malefici facere poſſunt, quæ differunt à miraculis. 1.220.640
Mirabilia oſtendit dæmon in emiſſione rerum ex corpore obſeſſi. 1.279.804
Mira prædicta differunt à miris à natura productis. tom. 1.ibi.ibi.
Miracula plures quandoque operari videntur, ſed falſa eſſe probantur. 1.43.159
Miraculum vt fiat quot conditiones requirantur. t.2. pag. 201.618
Miſerię, quibus inuoluimur, obijciuntur. 2.262.766
Miſſionarij apoſtolici debẽt vti Sacramẽto Baptiſmi ad obſeſſos infideles à dęmone liberandos. to.2. pag. 300.882
Mixta plura in corpore vi naturali generantur; ſed maiora virtute diabolica. 1.276.789
Mixtis dæmon vtitur. Et quomodo. 1.ibi.793
Modi, quibus dæmon poteſt hominem ſine cibo conſeruare recenſentur. 1.89.275
Modi, quibus cognoſcuntur mali à bonis ſpiritibus; & veræ à fictis animabus, ſeu illuſionibus diabolicis. 2.171.542
Modus obſeruatus ab Auctore ad cognoſcendam fictionem cuiuſdam Magi. 1.188.547
Modus interrogandi domeſticos obſeſſi. 2.316.917
Modus interrogandi, & obſeruandi obſeſſum. tom.2. pag. ibi.918
Modus faciendi experimentum certum de obſeſſione, ſeu præſentia diabolica in corpore vexati. tom. 2.317.919
Modus inſtruendi vexatum erga Deum pro ſua liberatione præparandum. 2.ibi.921
Modus inſtruendi vexatum erga Exorciſtam. tom.2. pag. 319.922
Modus inſtruendi vexatum aduerſus dæmonem. tom. 1.ibi.923
Modus inſtruendi vexatum erga ſeipſum. 2.320.924
Modus probandi vexatum erga Deum. 2.321.926
Modus probandi vexatum erga Exorciſtam. to.2. pag. 322.928
Modus probandi vexatum erga ſeipſum. 2.ibi.930
Modus probandi vexatum aduerſus dæmonem. to.2. pag. ibi.929
Modus faciendi obiurgationes contra dæmonem. tom. 2.324.936
Modus repellendi impetus dæmonis. 2.327.945
Modus repellendi viſiones imaginarias. 2.ibi.946
Modus tollendi maleficium taciturnitatis in maleficis conſtituendis. 2.328.952
Modus ſe præſeruandi à dæmoniacis inſultibus. t.2. pag. 330.958
Modus deſtruendi maleficium in matrimonio factum. 2.332.959
Modus probandi, an qui fuerat obſeſſus, verè à dæmone ſit liberatus. 2.346.999
Modus cognoſcendi beſtias, quando ſint maleficio affectæ. 2.354.1013
Modus deſtruendi aues, vermes, locuſtas, & alia animalcula terræ fructus vaſtantia. tom.2. pag. 357.1024
Modus vtendi exorciſmis. 2.362.1028
Modus breuis expellendi dæmones, ac maleficia diſſoluendi. 2.364.1029
Modus breuiſſimus dæmones eijciendi, ac maleficia deſtruendi. 2.ibi.1030
Moleſtiæ cauſatæ à dęmone per viſiones corporales. 2.170.536
Moleſtię à dęmonę cauſatę per auditum. 2.ibi.537
Moleſtiæ cauſatæ per odoratum, guſtum, & tactum. tom. 2.ibi.538

Monaci Caſſinenſis à fulmine fuerunt præſeruati ob fiduciam in Deo collocatam. 2.214.647
Monimentum vtiliſſimum pro Miſſionarijs Apoſtolicis. 2.275.811
Monita tradenda maleficiatis in vſu matrimonij. t.2. pag. 332.959
Morales cauſæ maleficiorum quęnā ſint. 2.180.566
Morbi interni tolluntur remedijs externis. 2.97.325
Morbum non tollit dæmon ab vno, niſi Maleficus transferat in alium; vel in ſeipſum. 2.4.13
Morbos maleficos cognoſcere, ac curare ſpectat ad Exorciſtam Theologum. 2.192.597
Morbus maleficio inductus per res ſēſibiles mitigari poteſt in anima, & in corpore. 2.129.432
Morbus maleficus à dæmone inductus per cauſas naturales naturalitèr operantes poteſt quandoque curari à perito Medico, ſi dæmon nocere ceſſet. tom. 2.181.569
Mores maleficorū colliguntur ex Apocalypſi Ioannis. 1.173.499
Morte quidam fuit affectus ope dæmonis, cuius fui teſtis oculatus. 1.98.303
Mortuorum cadaueribus vtuntur Medici ad beneficium; ſed Venefici ad maleficium. 1.254.716
Mos amuleta deferendi non contemnendum. to.2. pag. 313.906
Motiones quædam ſuperſtitioſæ à multis exercentur hoc noſtro æuo. 2.63.218
Motus varij corporis in curationibus quando ſint ſuperſtitioſi. 2.ibi.217
Moyſes mirabilia operatus eſt ob fiduciam in Deo collocatam. 2.220.658
Moyſes Abbas viſione Angelorum, & dæmonum tentationem fugat. 2.288.851
Moyſis ingens fiducia in Deum. 2.216.650
Mulieres citiùs ad maleficia feruntur. 2.21.70
Mulieres plures à dæmone deceptæ referuntur. to.1. pag. 44.160
Mulieres magìs quàm viri maleficis artibus addictę. tom. 1.171.494
Mulieres facilè credunt, decipiuntur, & decipiunt. tom. 1.172.496
Mulieres malitia impelluntur ad maleficia. tom.1. pag. 173.497
Mulieres, & adoleſcentes ab incubis vexati difficillimè liberantur. Et quarè. 2.336.973
Multi promiſſionem Dei ignorant, & tamen impetrant. 2.264.772
Multi fidem habent ſpeculatiuam; ſed carent practica. 2.277.815
Multi fidem habent habitualem; ſed deficiunt in actuali quoad exercitium. 2.ibi.ibi.
Multi fiduciam habent ſpeculatiuam; ſed carent practica. 2.ibi.ibi.
Multi ſpem habent habitualem; ſed carent ſpe actuali quoad exercitium. 2.ibi.ibi.
Mundus abſolutè melior eſt ſine malis: comparatiuè melior eſt cum malis. 1.22.79
Mundus eſt ciuitas, vigiles Angeli, qui dæmones arcent. 1.141.430

N.

Natura admirabilis in noxiorum eiectionibus. tom. 1.279.803
Natura ſuperbiæ quænam ſit. 1.126.393
Natura dæmonum ſecundùm Platonicos, & ſecundùm Patres quænam ſit. 1.126.393
Natura inuidiæ deſcribitur. 1.127.398
Naturam violant malefici ſibi coniunctos faciendo participes ſuarum culparum, atque pænarum. Et quomodo. 1.198.580
Natura quare dicatur mater brutorum. Et nouerca hominis. 2.96.323
Neceſſitas exercendi artem exorciſticam manifeſtatur. 1.Proloq.8
Nomen Ieſu ſuffragatur in cunctis neceſſitatibus. tom. 2.286.842
Nomina varia maleficorum. 2.177.556
Nomina dæmoniorum ſeptem vitijs præſidentium recenſentur. 2.229.672
Nomina vt ſunt impoſita ad diſtinctionem perſonarum, non ſunt in Angelis, nec in dæmonibus. tom. 2.229.672
Nomina impoſita ratione officiorum ſunt in Angelis, & in dæmonibus. 2.ibi.ibi.
Nomina SS.Ieſu, & Mariæ ſunt inuocanda. to.2. pag. 287.848
Nomina Dei valent contra dæmones. 2.311.901
Nomini Ieſu dæmones inuiti honorem impendunt. tom. 2.284.835
Nominis Ieſu gloria extenditur ad Angelos, homines, & dæmones. 2.ibi.ibi.
Nominis Ieſu virtutem non poſſunt dæmones ſuſtinere. 2.ibi.836
Nocumenta illata per maleficium in bonis fortunæ. tom. 2.179.572
Nocumenta varia illata in vſu matrimonij ac mulieribus vterum gerentibus. 1.230.659
Notitia rerum occultarum, & futurorum contingentium acquiritur Prophetia, Coniectatione, ac Diuinatione. 1.207.599
Nubium, & inſectorum à certis locis expulſiones factæ à certis hominibus certo ritu ſunt ſuperſtitioſæ. 2.81.284
Nullus inferior Papa poteſt generaliter prohibere artem, ſeù miniſterium exorcizandi. Et quomodo. 2.160.514

O.

Obiectum fidei triplex. 2.199.609
Obiectum fidei primarium quodnam ſit. to.2. pag. ibi.610
Obiectum fiduciæ. 2.205.629
Obiectum materiale adęquatum fidei eſt quodlibet ens reuelabile à Deo. 2.200.612
Obiectum ſpei quodnam ſit. 2.205.629
Obiurgatio deſcribitur. 2.324.935
Obiurgatio aduerſus dæmones quomodo facienda ſit ab Exorciſta. 2.ibi.ibi.
Obiurgationes aptiſſimæ ad dæmonis ſuperbiam conculcandam. 2.ibi 936
Obliuio prout opponitur recordationi cadit in dæmones. 1.63.204
Obliuio prout dicit ſpecierum deletionem non poteſt cadere in dæmones. 1.ibi.ibi.
Obſeruantia partus octimeſtris non eſt ſuperſtitioſa. 2.68.233
Obſeruantiæ ominoſæ iure canonico damnantur. tom. 2.71.242
Obſeruatio ſomniorum, quæ procedunt à cauſa naturali intrinſeca, vel extrinſeca eſt licita. to.1. pag. 209.608
Obſeruationes populares diei S.Pauli. S.Vincentij, ac S.Vrbani an ſint ſuperſtitioſæ. 2.66.225
Obſeſſi communiter dicuntur poſſeſſi à dæmone, ſeù energumeni. 2.326.944
Obſeſſi proprij quinam ſint, & quot nominibus vocentur. 2.ibi.ibi.
Obſeſſi per ſolum diſſenſum voluntatis non poſſunt ſeipſos à dæmoniaca vexatione liberare. to.2. pag. 245.717.& ſeq.
Obſeſſionum cognoſcendarum ſigna, vide verbo

ſigna

ſigna.
Obſeſſo, & ægroto neceſſaria eſt fides theologica, ac confidentia in Deum, vt ſanitatem à Deo infallibiliter accipiat. 2.257.755
Obſeſſus interrogandus de accidentibus tempore inſtructionis. 2.256.752
Obſeſſus debet eſſe benè diſpoſitus, vt exorciſmi virtute à dæmonis vexatione liberari queat. to.2. pag. 307.754
Obſeſſus figuratus per Ioannem in Patmos relegatum ærumnis affectum. 2.ibi.ibi.
Obſeſſus quid agere debeat, vt ſe diſponat ad liberationem. 2.ibi.755
Obſeſſus quid agere debeat perfectè diſpoſitus, vt à dæmonis obſeſſione liberetur. 2.328.950
Obſeſſus inſtruendus ad tentationes repellendas. tom. 2.344.992
Obſeſſus peccator in malo inueteratus difficillimè liberatur. 2.336.972
Odo antiſtes Regis Angliæ frater deceptus à dæmone. 2.218.654
Olei benedicti virtus contra dæmones. 2.315.915
Omen quid ſit; & an differat à diuinatione. to.2. pag. 69.236
Omen ex quibus ſumatur. 2.70.238
Opera mirabilia producit dæmon circa quantitatem. Aliqua recenſentur. 1.97.299
Opera magica interdum miracula vocantur; ſed falsò. 1.220.638
Operationes variæ apparentes efficiuntur à dæmone in elementis, & mixtis. 1.76.234.& ſeq.
Opinio aſſerentium Exorciſtam poſſe conſtituere dæmones ſuperiores, vt expellant inferiores, refellitur. 1.125.389
Opinio maleficorum omnia eſſe animata refellitur. tom. 1.242.675
Opinio Auctoris circa eiectionem inſtrumentorum maleficorum. 1.280.805
Oraculorum falſitas, vt ambiguitas in reſponſis eſt ordinaria. 1.68.221
Orans faciliùs poteſt ſeipſum quàm alium reddere idoneum ad impetrandum. 2.278.820
Orantes tenentur habere notitiam promiſsionis diuinæ, vt infallibiliter valeant impetrare. to.2. pag. 264.772
Orare pro fratribus eſt ſecundùm voluntatem Dei. tom. 2.278.819
Orare poſſumus Sanctos, & nobis aliquod præſtent beneficium etiam cooperando. 2.291.860
Oratio deſcribitur. Et quinam actus ſit. 2.10.30
Oratio Tobiæ, & non fumus iecoris piſcis combuſti expulit dæmonem à Sara vxore Tobię. tom.2. pag. 113.373
Oratio, vt petitio eſt, ex ſe eſt apta ad impetrandum. 2.265.773
Oratio, vt infallibiliter impetret, debet eſſe de re bona, & honeſta. 2.ibi.774
Oratio, vt infallibiter conſequatur effectum, requirit promiſſionem. 2.ibi.773
Oratio ex vi promiſſionis non impetrat, niſi conditione adimpleta. 2.ibi.ibi.
Oratio habet impetrationem infallibilem, quando quis debitis conditionibus munitus orat pro ſeipſo. 2.278,818
Oratio pro alio habet ſuum effectum, ſi ille ſit capax ad recipiendum. 2.ibi.819
Oratio Iudith eſt exemplar, quod ſequi debent, qui aliquid à Deo infallibiliter conſequi deſiderant. tom. 2.280.827
Oratio Iudith habuit omnes conditiones ad impetrationem infallibilem requiſitas. 2.281.231
Oratio ad Sanctos eſt actus bonus, & vtilis. to.2. pag. 291.859
Oratio qua ratione dirigatur ad Deum; & qua ad Sanctos. 2.ibi.ibi.
Oratio breuis contra dæmones, ac maleficia. t.2. pag. 311.903
Oratio deprecatiua ad Deum pro impetrando diuino auxilio. 2.312.904
Oratio breuis contra infeſtationes dæmoniacas. t.2. pag. 351.1005
Oratio deprecatiua ad Deum pro beſtijs à maleficijs liberandis. 2.353.1015
Oratio ab infirmis, & tribulatis recitanda ad impetrandum diuinum auxilium. 2.369.1048
Oratio pro infirmis. 2.ibi.1049
Oratio ad acquirendam patientiam. 2.371.1052
Oratio ad augendam patientiam. 2.ibi.ibi.
Oratio pro ipſo orante habet ſuum effectum, niſi ipſe ſit incapax ad recipiendum. 2.278.820
Oratione per impetrar da Dio fertilità de campi. tom. 2.215.647
Oratione per impetrar da Dio la liberatione, e preſeruatione da maleficij, dalla febre, & altri mali. 2.312.904
Oratione à Gieſù Chriſto per eſſer liberati dalla tirannia del demonio, e de ſuoi maleficij. to.2. pag. 323.932
Oratione per ottenere la liberatione dal maleficio fatto nell'vſo del matrimonio. 2.332.960
Oratione per impetrar la liberatione da maleficii fatti à fanciulli. 2.333.964
Oratione da recitarſi dalli obſeſsi di longo tempo per ottener da Dio il ſuo aiuto. 2.340.982
Oratione da recitarſi dalle perſone ſpirituali impoſſeſſate dal demonio. 2.341.984
Oratione da recitarſi dalli habitatori delle caſe moleſtate per liberarle da quelle moleſtie. tom. 2. pag. 355.1019
Oratione da recitarſi dalli padroni, ò Cuſtodi delli animali per liberarli da maleficii. 2.353.1014
Oratione per rendere à Dio gratie dell'infermità mandataci per vtilità dell'anima noſtra. tom. 2. pag. 367.1040
Oratione per impetrar da Dio il perdono de peccati. 2.ibi.1041
Oratione per far profitto nella via della perfettione. 2.ibi.1042
Oratione per offerir ſe ſteſſo à patire ſecondo il diuino volere. 2.ibi.1043
Oratione per ſtabilire la conformità della noſtra voluntà con la diuina. 2.ibi.1044
Oratione per impetrar da Dio la conformità della noſtra voluntà con la diuina. 2.367.1045
Oratione, che abbraccia vna perfetta raſſegnatione di ſe ſteſſo nella diuina voluntà. 2.368.1046
Oratione per impetrar da Dio la ſanità di mente, e di corpo. 2.370.1050
Oratione per diffendere ſe ſteſſo da ſuoi nemici, e perſecutori. 2.372.1055
Orationes Eccleſiæ præcipuè de quibus ſint. to.2. pag. 373.1056
Orationes recitandæ à Vexato, vt Vexationem reprimat. 2.331.958
Orationes breues recitandæ à Vexatis à dæmonibus incubis. 2.339.981
Orationes Deo offerendæ, vt confirmet quod operatus eſt in liberatione. 2.344.993
Orationes deprecatiuæ ad obtinendum dæmonum expulſionem à domibus moleſtatis. 2.356.1021
Orationes deprecatiuæ contra aues, vermes, mures, locuſtas, & alia animalcula arbores, vel fructus deuaſtantia. 2.357.1024
Orationes ad impetrandam à Deo ſanitatem. to.2.

pag. 369.1049

Orationes recitandæ ab ægroto ad acquirendam patientiam, dum durat infirmitas, vel tribulatio. tom. 2.371.1052

Orationes ad repentinam mortem auertendam. tom. 2.ibi.1053

Orationes ad tuendum ſe ab inimicis. 2.373.1056

Orationi breui per vincere le tentationi del diauolo. 2.351.1005

Ordinariis locorum quid agendum circa Curatores ſuperſtitioſos. 2.77.272

Ordines plures ſunt in Eccleſia. 2.154.493

Ordo datur inter dæmones, quo alii præſunt, alii ſubiiciuntur. 1.123.302.

Ordo in curationibus magicis manifeſtatur. tom.2. pag. 7.19

Ordo Exorciſtatus definitur. 2.154.493

Ordo Exorciſtatus eſt vnus ex minoribus. 2.ibi.494

Ordo Exorciſtatus figuratus fuit in lege veteri. to.2. pag. ibi.ibi.

Ordo Exorciſtatus inſtitutus fuit in lege noua. to. 2. pag. ibi.495

Ordo Exorciſtatus quando ſit inſtitutus. 2.ibi.ibi.

Ordo Exorciſtatus eſt Sacramentum. 2.155.496

Ordo Exorciſtatus producit ſuum effectum ex opera operato, ſi adſint debita requiſita. 2.ibi.ibi.

Ordo Exorcizandi. 2.ibi.497

Ordo ſeruandus ab Exorciſta in liberandis domibus à vexationibus. 2.355.1018

Ordo genericè ſumptus quid ſit. 2.154.493

P.

PActi expreſſi praxis. 1.177.511

Pactum datur inter dæmonem, & maleficum. tom. 1.174.501

Pactum expreſſum initur multipliciter. 1.175.504

Pactum tacitum dupliciter contrahitur à ſcientibus, & ab ignorantibus. 1.ibi.ibi.

Pactum expreſſum cum dæmone habentes immediatè ab eo quærunt auxilium. 2.38.139

Panis benedicti virtus contra dæmones. 2.315.914

Paralyſis quomodo curari poſſit. 2.126.422

Parochi tenentur ex charitate, & iuſtitia per ſe; vel per alios exercere munus exorciſticum, cum neceſſitas exigit. 2.163.519.& ſeq.

Parochi non poſſunt prohiberi ab Epiſcopis munus exorciſticum exercere. 2.ibi.ibi.

Parochi non excuſantur à Miniſterio exorciſtico, quamuis graue ſit onus. 2.164.522

Parochi non poſſunt prohibere, quin ſui ſubditi accedant ad Exorciſtas, vt liberentur à dæmone. tom. 2.ibi.ibi.

Partes ſolidæ adhibitæ in maleficijs quæ ſint. to.1. pag. 254.717

Partes eiectitiæ corporis adhibitæ in maleficijs. t.1. pag. 255.719

Partes addititiæ adhibitæ in maleficijs. 1.256.721

Paſſionis, ac mortis Chriſti efficacia in confringenda, & auferenda Dæmonis poteſtate. 1.27.102

Paſſiones tot fiunt in corpore humano ope dæmonis quot actiones. 1.102.311

Patientia, ac perſeuerantia quàm ſint neceſſariæ Exorciſtæ. 2.226.668

Patientia facit hilariter ſuſtinere perſecutiones. t.2. pag. ibi.ibi.

Patientiæ definitio. 2.ibi.667

Patientiæ, ac perſeuerantiæ innititur fiducia. tom.2. pag. ibi.668

Paulus Apoſtolus percuſſus à vipera illæſus permanſit. Et quare. 2.209.638

Paulus Anachoretas ob fiduciam in Deo collocatam diù refectus fuit à coruo pane corporali. t.2. pag. 212.643

Peccata minima ad maxima ducunt. Caſus modernus refertur. 1.83.262

Peccator cum peccat mortaliter, facit non ens, & fit non ens. 1.18.77

Peccatores ſola Dei patientia ſuſtinet, quos creaturæ ſuſtinere nequeunt. 1.35.129

Peccatores magnos Deus permittit incidere in manus hominum, à quibus puniuntur. 1.ibi.130

Peccatores obſeſſi in malo inueterati difficillimè à dæmone liberantur. Et quare. 2.336 972

Peccatores puniuntur à Deo quandoque per maleficia. 2.338.980

Peccatum nihil eſt ratione malitioſæ actionis. to.1. pag. 18.67

Peccatum eſt interrogare dæmonem de vanis, & inutilibus. 2.238.697

Permiſſio Dei tria includit ſcilicet ſcientiam Dei, non velle mala fieri, & quoddam velle reflexum. tom. 1.19.68

Permiſſio malorum manifeſtat Dei prouidentiam, ſapientiam, iuſtitiam, potentiam, bonitatem, ac clementiam. 1.22.81

Permiſſio malorum patefacit Eccleſiæ potentiam in ſuis ſacramentis, rebus, benedictionibus, & exorciſmis. 1.22.82

Parmiſſionem maleficiorum vide verbo *Deus*.

Permittit Deus maleficia ob bona inde prodeuntia. tom. 1.19.70

Perſeuerantia facit palmam obtinere. 2.227.669

Perſeuerantia in oratione eſt conditio neceſſaria ad impetrationem infallibilem requiſita. 2.275.812

Perſeuerantia, & fiducia ſunt ſibi inuicem coadiutrices. 2.277.815

Perſeuerantia longa in oratione non minuit fiduciam ſed auget. 2.278.817

Perſonæ ſpirituales obſeſſæ difficillimè liberantur. tom. 2.337.975

Petere à malefico, vt maleficium maleficio tollat quidam licitum putant; ſed huiuſmodi opinio reprobatur. 2.41.150

Petere propter ſe eſt petere tanquam bonum propter ſe amabile, ideſt propter finem. 2.268.787

Petere propter aliud eſt petere vt medium. tom.2. pag. 269.ibi.

Potere abſolutè bona temporalia conuenientia naturæ non eſt temeritas. 2.ibi.790

Petere à Deo ſingulare auxilium in omnibus rebus noſtris non eſt tentare Deum, quamuis ad impetrationem miraculum requiratur. 2.271.794

Petere ſibi mala pænæ, quamuis ſit licitum, non eſt tamen hic modus conſulendus. 2.ibi.795

Petere mala pænæ ſibi, vel alteri non eſt intrinſecè malum. 2.ibi.ibi.

Petere orando aliquod malum proximo ob maius bonum, licitum eſt, & catholicum. 2.272.798

Petere à Deo, vt mitta mala, & damna temporalia, & mortem ipſam homini pernicioſo Reipublicæ, aut publico hoſti Eccleſiæ, eſt licitum. tom. 2.ibi.799

Petere à Deo aliquam rem malam eſt peccatum mortale. 2.274.808

Petere bona temporalia vt vltimum finem, eſt peccatum mortale. 2.ibi.ibi.

Peti non poteſt aliquid vt finis vltimus, niſi propter ſe. 2.268.787

Peti poteſt tam propter ſe, quàm propter aliud id, quod petitur vt medium. 2.269.ibi.

Peti poteſt & abſolutè, & ſub conditione aliqua bonum tam propter ſe, quàm propter aliud. t.2. pag. ibi.ibi.

Peti poſſunt licitè mala pænæ propter finem ſimpliciter bonum. 2.272 800
Petitio bonorum ſpiritualium habet infallibilem impetrationem ex vi diuinę promiſſionis. tom. 2. pag. ibi.801
Petitio bonorum temporalium, ſi vtilia ſint ad ſalutem, habet infallibilem promiſſionem. tom. 2. pag. ibi.802
Petitio rei indifferentis non relatæ ad honeſtatem non habet infallibilem impetrationem. tom. 2. pag. 274.807
Petitio, vt impetret infallibiliter, debet eſſe ex fide theologica, ac fiducia inhæſitante. 2. ibi.809
Petitio, vt infallibiliter obtineat, fieri debet non tantùm ratione bonitatis; ſed etiam diuinæ promiſſionis. 2.275.811
Petitio ſi vtilis ſit ad ſalutem; vel aliquo modo habeat rationem ad ſalutem, numquam diſiſtendum eſt ab ea. 2.277.816
Petitiones Dominicales exponuntur. 2.265.774
S. Petrus cur videns ventum validum cæpiſſet mergi. 1.30.111
S. Petro cur Chriſtus dixerit: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* 1.ibi.ibi.
Phantaſia proterua, &c. quando dicatur eſſe in dæmonibus. 1.123.409
Philoſophi certam, & infallibilem concluſionem tradere non potuerunt de cauſis, effectibus, & principijs naturalibus. Proloq.4.
Philtra amatoria quid operentur in homines. to. 1. pag. 226.651
Pietatis actus tam interiores quàm exteriores quinam ſint. 2. 10.30
Plures fiducia carent: quia meditantur Deum vt abſentem, non vt præſentem. 2.263.768
Plures ſunt in orbe, qui de Deo diffidunt. to. 2. pag. 261.765
Plurimùm valet ad faciendam diuinam voluntatem dicere cum Paulo: *Domine quid me vis facere?* tom. 2.282.4
Pœna ordinaria multantur malefici, cum diuina ordinatione morte violenta puniuntur. tom. 1. pag. 35.129
Pænæ, quibus conſulentes dæmonem, & Magos à Deo puniti fuere. 1.42.155
Pænitentia Deus eſt placandus ab obſeſsis, ac cæteris vexatis peccatoribus. 2.293.864
Pænitentia complecti debet internum dolorem peccatorum, & externam membrorum punitionem. 2.ibi.865
Pænitentia quidam Sacerdos obſeſſus ſeipſum à dęmoniaca vexatione liberauit. 2.ibi.866
Politica dæmonis in maleficorum regimine illis præficiendo duces viſibiles, & inuiſibiles. to. 1. pag. 162.464
Poſſideri à dæmone quid ſit. 2.330.957
Potentia Dei infinita probatur apertiſſimè. tom. 1. pag. 27.98
Potentia dæmonis quanta ſit. Quos effectus producat. 1.75.230
Potentia naturalis Angelorum, & dæmonum in res corporeas eſt æqualis. 1. ibi.231
Potentiarum ſenſitiuarum interiorum animæ organum remotum eſt cor, propinquum eſt cerebrum. tom. 2.123.407
Poteſtas dæmonis in hominem quænam ſit. tom. 2. pag. 82.257
Poteſtas dæmonum in mundum alia ficta, alia vera, in Chriſtianos, Gentiles, Iudæos. 1.167.479
Poteſtas eccleſiaſtica Exorciſtæ eſt neceſſaria ad debitam ſui officij exercitationem. 2.153.492
Poteſtas eccleſiaſtica duplex eſt. 2.154.492
Potentias eijciendi dæmones non dependet à loco. tom. 2.234.685
Poteſtas delegata alia limitata, alia media. to. 2. pag. 165.523
Poteſtas dæmonis quando, & quomodo fuerit ligata vide verbo *Dæmon*.
Poteſtas exorcizandi ab Epiſcopis multis fuit prácticata. 2.162.517
Poteſtas exorciſtę non ſe extendit ad dęmones alligandos in deſerto, vel in annulo, vel in digito manus, aut pedis. 2.237.693.& ſeq.
Poteſtas in dæmones exerceri debet ab ijs, qui ſunt in ordine Exorciſtatus. 2.154.493
Poteſtas iuriſdictionis ad dæmones expellendos nō eſt neceſſaria iuri communi. 2.160.513
Poteſtas iuriſdictionis eſt neceſſaria iure particulari aliquorum Epiſcoporum. Et quomodo. to. 2. pag. ibi.ibi.
Poteſtas ordinaria fluit in Prælatos, & Plebanos. tom. 2.161.516
Poteſtatem non habet Exorciſta dæmones mittendi in infernum. 2.238.695
Poteſtatis eccleſiaſticæ quatuor cauſæ explicantur. tom. 2.153.492
Præcepta debent fieri in Nomine Ieſu. 2.156.500
Præcepta dæmonibus facta ab Exorciſtis In Nomine Ieſu vim habent ex opere operato, niſi ponatur obex. 1.23.83
Præcepta legis laciniosa ſunt ſoluta; ſed moralia rata manent, ſed abbreuiata. 1.13.41
Præcepta inſtructiua ad quid deſeruiant. 2.326.942
Pręcepta expulſiua quando ſint facienda. 2.ibi.943
Præcepta quomodo ſint formanda. 2.325.941
Præceptis probatiuis, lenitiuis, & expulſiuis vti quando ſit licitum. 2.ibi.939.& ſeq.
Præceptus dęmoni faciendum deſcribitur. 2.ibi.938
Præceptum quid ſit, & quotuplex. 2.ibi.ibi.
Pręceptum commune deſcribitur. 2.ibi.ibi.
Præceptum probatiuum explicatur. 2.ibi.939
Præceptum lenitiuum declaratur. 2.ibi.940
Præceptum quando ſit faciendum. 2. ibi.ibi.
Præceptum inſtructiuum quodnam ſit. 2.ibi.941
Pręceptum expulſiuum deſcribitur. 2.526.943
Præceptum lenitiuum contra dæmonem poſſidentem. 2.331.958
Præcipere dæmoni, vt in exitu iuret ſe exiturum, nec amplius reuerſurum, eſt ſuperfluum. Et quare. 2.249 725
Praxis Ritualis Romani in maleficijs deſtruendis non eſt neceſſariò ſeruanda. 2.142.479
Prælati ſtatuta promulgantes contra Exorciſtas ritè ſuo munere fungentes fautores magorum, ac maleficorum ſunt dicendi. 2.37.134
Præſtigia varia faciunt dæmones. 1.222.643
Præuentio in puniendis magis, & maleficis quando detur. 2.29.95
Principes tenentur maleficos punire. Id exequentes merentur gratiam Deum, & laudem apud homines. 2.20.66
Principes, ac Domini temporales ſi ab Eccleſia moniti negligunt punire magos, & maleficos hæreticos, vt hæretici præſumuntur. 2.29.98
Principis tenebrarum magna inuidia, maius odium, maxima malitia cuique homini Dæmonem deputantis. 1.147.449
Principum mos dilatare imperij fines. 1.160.458
Probationes ab Exorciſta faciendæ de Vexato vide verbo *Modus faciendi, &c.*
Producunt dæmones ſententiā imperfecta. Quomodo. 1.80.250
Profanis rebus dæmon abutitur ſiuè phyſicis, ſiuè artificialibus, ſiuè mixtis. 1.270.767

Promiſ-

INDEX RERVM.

Promiſſio Dei de liberandis Energumenis duas cõditiones requirit. 2.280.826
Promiſſio Dei non eſt abſoluta; ſed conditionata. tom. 2.265.773
Promiſſionem Dei cognoſcere oportet, & ex fide illius petere, vt oratio obtineat. 2.264.772
Promiſſiones Dei recenſentur. 2.264.770
Propoſitum conuerſionis ad Deum dæmon verberibus expellit à magis, ac maleficis, & deſperatione coercet. 1.187.544
Prouidentia diuina gubernat omnia, quæ in mundo fiunt. 1.4.12
Prouidentia diuina ex permiſſione malorum, ac maleficiorum multa bona elicit. 1.22.80
Prouidentia Dei non omnia permittit dæmoni: nec omnia denegat. Et quare. 1.26.95
Prouidentia diuina quàm grauiter puniat poſt peracta peccata tum maleficos, tum eorum Conſultores. 1.69.125
Prouidentia Dei deſcribitur. 2.258.757
Prouidentiæ diuinæ argumentum ſumitur ab auibus, & à floribus. 2.ibi.758
Prudentia neceſſaria eſt Exorciſtæ ad errores vitandos, & ſemitas rectas eligendas. 2.228.670
Prudentiæ deſcriptio: eiuſque effectus. 2.ibi.ibi.
Pueri quarè potiſſimùm maleficijs afficiantur. to. 1. pag. 25.93
Pueri in limbo excluſi à Beatitudine à quo deducãtur, detineantur, & educantur. 1.113.353
Pueri nullam vim habent maleficam neque in eſſe naturali; neque in eſſe morali. 1.244.681
Pueri licèt videantur immunes à flagitijs, & conſequenter à pænis; tamen experientia contrarium docet. 2.22.74
Pueri quando, & quomodo puniri poſsint. tom. 2. pag. 23.76
Pueri nihil innoxius; & tamen nihil frequentiùs adhibitum in maleficijs, quàm eorum corpora. tom. 1.243.679
Pulchritudo mundi conſurgit ex malo, in quantum habet ordinem ad bonum oppoſitum. 1.21.75
Pygmæi quomodo à dæmone produci poſsint. to. 1. pag. 89.276

Q.

QVærere à dæmone, vt dicat, an perſona, quam poſsidet, verè ſit energumena, ridiculum eſt. 2.235.689
Qui à Deo petit aliquid confidenter facit Deum eſſe Deum. 2.260.762
Quicquid abducit à Deo non eſt ſecundùm Dei voluntatem. 2.281.832
Qui de Deo diffidit, ac ſibi ipſi fidit, ſtultus eſt. to. 2. pag. 259.760
Qui diuinam contemplatur bonitatem, ſuam debet arguere malitiam. 2.263.769
Qui diuinæ voluntati ſe conformare deſiderat, ille cæteris certiùs eam explorat. 2.283.8
Quid agendum ab Exorciſta pro remouenda cauſa ingreſſus dæmonis ex corpore obſeſsi. 2.327.945
Quomodo charitas proximo, ſit exhibenda. to. 2. pag. 225.664
Quomodo creaturæ inſenſibiles intelligant præcipientis verba. 2.219.658

R.

RAtio cur aliqui obſeſsi exorcizati non liberentur. 2.157.502
Ratio omnium potiſsima permiſsionis maleficiorum eſt gloria Dei. 2.191.592
Ratio, & conſcientia in re indifferenti ſunt boni conſiliarij. 2.283.6
Rationes diuinæ permiſsionis epilogantur. tom. 2. pag. 190.591
Rebus ſacris abutuntur Malefici. Conſtat exemplo. 2.9.25
Rebus naturalibus plures vim naturalem tribuunt in dæmones. 2.114.378
Rebus naturalibus vtitur ſæpè dæmon ad homines lædendos. 2.125.419
Regina Sagarum eminet inter maleficorum duces. Deſcribitur eius honor, ac poteſtas apparens. tom. 1.166.475
Regula Theologorum: *Quæcumque poſſunt dæmones poſſunt & malefici*. Quando ſit vera, vel falſa. tom. 1.206.597
Regulares qua poteſtate exorcizent. 2.165.524
Regulares poſſunt arreptios, & maleficiatos exorcizare abſque licentia Epiſcopi. 2.ibi.ibi.
Regulares non incidunt in pænas ab Epiſcopis latas contra exorcizantes. 2.166.525
Regulares præcipuè mendicantes tenentur ex charitate artem exorciſticam exercere. 2.ibi.ibi.
Regulæ, quibus diuina voluntas explorari poteſt. tom. 2.281.832
Relationem extraordinariam poteſt facere dæmon, per quam homo ſibi, & alijs ſimilis, & diſsimilis ſit. 1.98.304
Religio, ſeù pietas maleficorum damnata à D. Paulo. 1.193.560
Religionis, ac pietatis actus quinam ſint. tom. 2. pag. 10.30
Religionum Inſtitutores arti exorciſticæ operam nauarrunt. 2.166.525
Reliquiarum Sanctorum virtus contra dæmones. t. 2. pag. 313.908
Reliquijs ſacris vti poſſunt obſeſsi, & maleficiati. tom. 2.314.909
Remedia liquida exteriora quænam ſint. 2.102.339
Remedia liquida interna quænam ſint; & quomodo applicentur. 2.104.350
Remedia generalia ad dæmones eijciendos ſunt ſacramenta, & ſacramentalia. 2.299.880
Remedia particularia pro obſeſsis peccatoribus liberandis vide verbo *Documenta*. 2.338.980
Remedia pro obſeſsis duræ ceruicis. 2.342.986
Remedia præſeruatiua in ordine ad Deum pro tentationibus dæmonis repellendis. 2.350.1004
Remedia pro afflictis, & tribulats. 2.364.1031
Remedia ſpiritualia Deus inſtituit iuuandis hominibus. 2.299.880
Remedia ſpiritualia alia generalia; alia particularia. 2.ibi.ibi.
Remedij corporalis applicatio ad vulnera facta in loco diſtanti eſt ſuperſtitioſa. 2.80.282
Remedium particulare contra dæmones eſt gladius verbi Dei, ſcilicet exorciſmus. 2.315.916
Remedium potiſſimum ad tollendum maleficium taciturnitatis. 2.328.952
Rendimento di gratie da farſi à Dio dalla perſona liberata.
Rendimento di gratie per l'infermità riceuuta dalla mano di Dio. 2.367.1040
Repetitio cauſæ, ob quam plures obſeſſi difficillimè à dæmone liberantur. 2.337.977
Repugnantia præceptis eccleſiaſticis à dæmone facta quomodo auferenda. 2.338.979
Rerum ſenſibilium operatio in animam probatur à pluribus. 2.129.433
Res phyſicæ inanimatæ in maleficijs adhibentur attritæ, ac ſolidæ. 1.270.768
Res attritas, quibus à maleficis pulueres, & vnguenta con-

ta conficiuntur, difficile eſt agnoſcere. 1. ibi.769
Res phyſicæ ſolidæ quare applicentur, quando, & quo loco. 1.272.776
Res ſolidæ tribus modis à dæmone in corpus immittuntur. 1.ibi.796
Res tranſeuntes contra maleficia quænam ſint. to.2. pag. 99.331
Res ſolidæ adhibitæ ab Exorciſtis contra maleficia quænam ſint. 2.100.336
Res ſenſibiles nullam vim naturalem directè habent in dæmones. 2.112.370
Res ſenſibiles duplex habent eſſe, ſcilicet, reale, & intentionale. 2.119.390
Res naturales agere valent in dæmones actione intentionali intelligibili. 2.123.410
Res naturales ſub quia ratione agant in dæmonis intellectum, & voluntatem. 2.124.413
Res ſenſibiles potius Energumenos, quàm dæmones torquent. 2.125.416
Res naturales in homines phyſica actione agere poſſunt. 2.ibi.417
Res naturales adhibitæ in maleficijs vt naturaliter operantes non excedunt naturæ terminos; vel vim naturalem. 2.180.565
Reſiſtentia dæmonum facta præceptis Exorciſtæ vnde procedat. 2.335.969
Reſponſorium S. Bonauenturæ ad D. Antonium à Padua. 2.345.995
Reuelationes dæmonibus factæ ab Angelis bonis recenſentur. 1.60.194
Rex Ochozias morte à Deo fuit punitus: quia miſit ad conſulendum Beelzebub. 1.42.155

S.

SAcramentalium dignitas, vſus, & efficacia. tom. 2.304.894
Sacramentis nihil auguſtius. 1.262.741
Sacramentorum virtus magna eſt ad expellenda mala, & bona conſequenda. 2.299.881
Sacrificium deſcribitur; & cuius virtutis ſit actus. tom. 2.10.31
Sacrilegis medijs vtuntur magi in ſuis curationibus. tom. 2.7.22
Sacris rebus cur dæmon abutatur in maleficijs. to.1. pag. 262.740
Saluatores, ſeù enſalmadores quomodo curarent morbos. 2.74.257
Samuel quomodo fuerit euocatus à Pythoniſſa. to.1. pag. 111.347
Sanchez conditiones 4. ponit, quibus ſeruatis, ait, licere Exorciſtæ conniuere dęmoni offerēti egreſſum, ſi ei permittatur in alium ingredi. tom. 2. pag. 249.726
Sancti etiam minimi dæmones omnes virtute diuina in fugam vertere poſſunt. 1.33.122
Sancti euocari non poſſunt à dæmonibus. tom. 1. pag. 111.346
Sancti plures fuerunt à Deo cibo corporali refecti ob ſuam confidentiam in Deo poſitam. tom. 2. pag. 212.643
Sancti rectè, ac licitè à nobis adiurari poſſunt. t.2. pag. 250.730
Sancti imitantur Angelos in charitate erga homines. 2.290.857
Sancti dicuntur habere gladios ad nos tuendum contra inimicos. 2.ibi.ibi.
Sancti teneat phialas, vt nobis benefaciant. to.2. pag. ibi.ibi.
Sancti ab Exorciſtis, & Ægrotis ſunt inuocandi. tom. 290.858
Sancti cur ſint rogandi, vide verbo *Deus*.
Sanctorum reliquiæ, & imagines profanantur à maleficis. 1.269.763
Sanctos homines à nobis orari poſſe fides docet. t.2. pag. 290.858
Sanguinis fluxus ex cadaueribus occiſorum coram Reo an ſit ſuperſtitioſus, & ſit indicium ad torturam. 2.77.273
Sanitas collata S. Agathæ à D. Petro Apoſtolo. t.2. pag. 290.857
Sanitas vt animæ ſit ſalutaris, quid agendum ægrotis. 2.280.826
Sanitatis, & ægritudinis cauſæ quænam ſint. to.2. pag. 182.571
Sapientia omnis à Domino Deo eſt, &c. 1.5.17
Sapientia dæmonis quænam fuerit ab initio ſuæ creationis. 1.55.173
Sapientia dæmonis ſupernaturalis practica totaliter eſt ablata per peccatum: ſpeculatiua multum diminuta: ſola naturalis integra remanſit. to.1. pag. ibi.ibi.
Saul cur fuerit à ſpiritu nequam exagitatus. to.1. pag. 25.90
Saul cur fuerit in bello fugatus, & ſeipſum peremerit. 1.41.152
Saulis vexatio vnde. 2.130.435.& ſeq.
Scientia ſimplicis intelligentiæ quænam ſit. to.1. pag. 5.17
Scientia Dei quomodo differat à ſcientia humana. tom. 1.ibi.ibi.
Scientia in homine eſt tarda, imperfecta, mobilis: in dæmone cita, perfecta, firma. 1.55.176.& ſeq.
Scientia Angeli, & hominis quomodo conueniat, ac differat. 1.ibi.ibi.
Scientia hominum effluit, ac deperditur: ſcientia dæmonum ſemper permanet, nec deperdi poteſt de poteſt de potentia Dei ordinaria. 1.57.181
Scientia ſpeculatiua maleficorum continetur in diuinatione, ac vana obſeruantia. 1.206.598
Scientia requiſita in perfecto Medico recenſetur. tom. 2.133.445
Scotus liberatur à calumnia ſibi impoſita à Daniele Sennerot. 2.52.195
Scholæ plures olim fuerunt, quibus Magia à Magiſtris publicè *diſcipulis tradebatur*. 2.24.80
Scriptura ſacra abutuntur malefici *prolata*, & ſcripta. 1.265.748
Scriptura ſacra latina abutuntur malefici in amuletis. 1.267.757
Scripturæ ſacræ dignitas. 1.265.748
Senſibile quid ſit. Quid requirat, vt ſentiatur. tom. 2.119.392
Sententiarum diuinæ ſcripturæ veritas eſt infallibilis. 2.222.661
Seruitus dæmonum intolerabilis. 1.183.531
Signa, quibus cognoſcuntur ſpiritus boni à ſpiritibus malis, & animæ veræ à falſis. 2.171.542
Signa, quibus in rebus omnibus cognoſci poteſt diuina voluntas. 2.281.832
Signa maleficiorum, & obſeſſionum quænam ſint. tom. 2.192.598
Signa certa, & euidentia quæ: & quænam probabilia. 2.ibi.ibi.
Signa deſumpta ex potentijs intellectiuis. 2.193.ib.
Signa deſumpta ex potentijs ſenſitiuis. 2.195.601
Signa deſumpta ex paſſionibus concupiſcibilis, & iraſcibilis. 2.194.600
Signa deſumpta ex potentijs vegetatiuis. tom. 2. pag. 196.602
Signa deſumpta ex corpore ægroti. 2.197.603
Signa maleficiorum, ſeù inſtrumenta maleficiorum ſunt ſigna falſa, & deceptoria. Cur dæmon eis vtatur. 2.141.476

Signum

Signum euidens, ac probabile deſcribitur. tom.2. pag. 317.919
Situm corporis poſſunt dæmones mutare ad libitũ. Et quomodo, niſi Deus obſiſtat. 1.107.334
Societas dæmonum regnum repræſentat, in quo alij imperant: alij obediunt. Quomodo obediant. tom. 1.124.383
Societas hominum bonos facit, aut malos. tom.1. pag. 178.515
Societas dæmonum homines facit diabolos. to.1. pag. ibi. ibi.
Somniferi maleficij exemplum deſcribitur. tom 1. pag. 206.596
Somnum, ac ſoporem profundum cauſat dæmon. tom. 1.93.287
Sortilega opera quęnam ſint, & quotuplicia. to.2. pag. 15.48
Sortilegia maleficorum non ſunt leuia; ſed grauia: hæretica, vel hæreticalia. 2.ibi.ibi.
Sortilegia varia referuntur ad inuenienda furta, & occulta ſcienda. 2.53.190
Sortilegium quid ſit, & quotuplex ſit. 1.216.626
Sortilegium hæreticale ex parte operātis, & ex parte operis. 2.16.55
Sors miſera eorum, qui à dæmone poſtulant honores, diuitias, voluptates. 1.45.161
Species requiſita ad producendam ſenſationem. tom. 2.120.394
Species in dæmonibus receptæ ſunt indelebiles. tom. 1.64.207
Spei definitio quæ. 2.205.629
Spei obiectum deſcribitur. 2.ibi. ibi.
Spes, ſeù fiducia in Deum neceſſaria eſt Exorciſtæ, vt tutò, & efficaciter dæmones expellat. to.2. pag. 204.629
Spes mundo, vel viribus humanis innixa fallit, & confundit. 2.218.654
Spiritus incubi, ac ſuccubi quinam ſint. 2.336.973
Stigmata, quibus inuruntur Malefici, & Sagæ deſcribuntur. 1.182.525
Stolæ vſus non eſt neceſſarius Exorciſtæ ad dæmones expellendos. 2.160.512
Stolæ vſus eſt neceſſarius neceſſitate præcepti in ritu exorciſmorum, qui ante Baptiſmum præmittuntur. 2.ibi.ibi.
Striges multæ ob paupertatem dæmonis ope vtuntur. 1.38.142
Striges vitam ducunt infamem, & miſerijs cumulatam. 1.39.144
Strigarum deportationes ad ludos fiunt quandoque realiter, quandoque tantùm imaginariè. to.1. pag. 103.320
Stulti vocantur dæmones ab Eccleſiaſte. tom.1. pag. 63.204
Stultus eſt qui de Deo diffidit, ac ſibi ipſi fidit. t.2. pag. 259.760
Suggeſtiones ſpeciales, quibus dæmon obſeſſum inuadere ſolet tempore liberationis. 2.344.991
Suppellectili ſacra abutuntur malefici. 1.268.759
Suppellex ſacra laicorum quę ſit. 1.269.766
Suppellex templorum à maleficis profanatur. to.1. pag. 268.760
Superbia eſt incentiuum miniſterij: & inuidia ſubſequens impulſiuum. 1.126.392
Superbia Luciferi, & aliorum dæmonum deſcribitur. 1.ibi.395
Superbiæ natura quænam ſit. 1.ibi.393
Superfluum eſt imperare dæmoni, vt in exitu det ſignum. 2.343.989
Superiores dæmones vi naturali poſſunt cogere inferiores. 1.124.385
Superiores dæmones alij præſunt imperando, & cogendo. 1.124.382
Supernaturalis morbus per ſupernaturalia remedia tolli debet. 2.128.427
Superſtitio non eſt tempora obſeruare, quibus ſunt colligendæ herbæ, ligna ſuccidenda, mare nauigandum. 2.65.221
Superſtitio cauenda in tollendo maleficio taciturnitatis. 2.328.952
Superſtititioſum eſt inſtituere litem cum irrationabilibus. 2.239.700
Sylua parua diuinę ſcripturæ pro fiducia erga Deũ acquirenda. 2.221.661

T.

Taciturnitatis maleficium quot modis fiat. Et quomodo. 2.40.146
Tactu maleficia an fieri poſſint. 1.253.713
Tentationes dæmonum nocere nequeunt, niſi Deus permittat. 1.29.106
Tentationes, quibus dæmon inuadere ſolet Energumenum in tempore liberationis. 2.344.991
Tentationes communiores, quibus dæmon quærit iterum in corpus liberati ingredi. 2.348.1002
Terreſtres dæmones plures. 1.130.407
Theologi morales fatigantur in explicando iure poſitiuo diuino, & eccleſiaſtico. Proloq.3.
Theologi Exorciſtæ, & non Medici munus eſt cogſcere morbos maleficos vt ſunt à Deo permittente. 1.45.164
Theologorum difficultas in eruenda, & enucleanda rerum ſupernaturalium notitia. Proloq.2.
Theologus Exorciſta maleficia cognoſcit ſpeculatiuè, & practicè. 1.282.813
Timentes nimis dæmonem facilè ab eo vexantur. Et quare. 1.30.110
Titulus triplici lingua exaratus in cruce Chriſti poteſtatem deſignat. 1.167.479
Tobias exaltatus fuit à Deo ob fiduciā in ipſo collocatam. 2.219.656
Tolerantia pænarum ad omne genus virtutum viam ſternit. 1.24.87
Tranquillitatem maximam ſentiunt, qui confidunt in Deo. 2.218.655
Tres diſtinctiones fidei. 2.201.617
Tria conſiderantur in eo, qui facturus eſt miraculum. 2.ibi.618
Tribulationes faciunt homines conuerti ad Chriſtum. 1.24.86
Triplex nomen dæmonis eius auctoritatem oſtendit ſuper Gentiles, Iudæos, Chriſtianos. 1.167.479
Triſtitia quid ſit: & quando cauſetur. 2.124.415
Tuetur Deus in ipſum confidentes etiam in periculis iacturæ bonorum temporalium. 2.208.637

V.

Vagantur dæmones in omni loco nempe Igne, Aere, Aqua, Terra. 1.129.403
Vana obſeruantia quid ſit. Et quomodo diuidatur. tom. 1.217.631
Vanæ obſeruantię plures recenſentur ad ſanitatem conſequendam. 2.68.232
Vaſa ſacra profanantur à maleficis. 1.269.763
Vegetabilia domeſtica adhibita in maleficijs quænam ſint. 1.260.734
Verba aliqua ſacra contra dæmones vim habentia. tom. 2.311.902
Verba dicenda ab obſeſſo in actu liberationis. to.2. pag. 345.996
Veritas ſententiarum diuinæ ſcripturæ eſt infallibilis. 2.222.661

Vexati

Vexati ab incubis difficillimè liberantur. Et quare. 2.336.973
Vexati ab incubis ſunt in triplici differentia. to.2. pag. ibi.ibi.
Vexati ab infantia, ſed adulti difficillimè liberantur: 2.ibi.974
Vexati ſpirituales difficillimè liberantur. Et quare. 2.337.975
Vexati duræ ceruicis difficillimè liberantur. Et quare. 2.ibi.976
Vexatio Saulis vnde. 2.235.686
Vexatus quid obſeruare debeat erga Exorciſtam. tom. 2.319.922
Vexatus quomodo auferre debeat vexationes ſibi inflictas à dæmone poſſidente. 2.330.958
Vexatus in quibus ſit inſtruendus. 2.ibi.ibi.
Viatores iuſtos poſſe à nobis orari, fides docet. to.2. pag. 290.858
Victorię à Dauid reportatę ob fiduciam in Deo collocatam. 2.216.649
Victorię plurimorum ob fiduciam ab eis in Deo poſitam. 2.ibi.650
Vigilandum contra dæmones ſomnum inferentes. tom. 1.224.646
Vigilia S.Ioannis Baptiſtæ quidam faciunt varias actiones ad diuinandum res futuras. 2.66.227
Viri peccant non per infirmitatem, & ignorantiam regulariter; ſed per malitiam. 2.14.44
Virtus deſcribitur. 2.198.650
Virtutes theologicæ, ac morales, qua ratione ſint Exorciſtæ neceſſariæ. 2.ibi.ibi.
Vis naturalis vocis, ac verborum an habeat aliquam efficaciam. 1.248.699
Viſio locuſtarum Apocalypticarum maleficis adaptatur. 1.159.457
Viſio D.Pauli manifeſtat gloriam Sanctiſsimi Ieſu, tom. 2.ibi.ibi.
Viſiones imaginariæ quomodo à dæmone cauſentur. 2.170.535
Viſiones in ſomnis quomodo à dæmone formentur. tom. 2.ibi.ibi.
Viſiones corporales quomodo à dæmone cauſentur. 2.ibi.536
Viſiones horrendæ, ac rerum terribilium ſunt præludia futuræ obſeſſionis. 2.ibi.535
Viſu an maleficia fiant. Mira, quæ per viſum fiunt. tom. 1.250.703
Vitia, quibus magi, & malefici ſunt repleti, deſcribuntur. 1.196.572.& ſeq.
Voluntas hominis non poteſt cogi à dęmone. to.1. pag. 87.269
Voluntas dæmonum ad maleficia prona eſt. Et quare. 1.123.379
Voluntas Dei manifeſtatur per legem Dei, & Eccleſiæ. 2.282.2
Voluntati diuinæ qui conformari deſiderat, ille cæteris eam certiùs explorat. 2.283.8
Voluntatis diuinæ interpretes ſunt Magiſtratus tam politicus, quàm Sacer, Confeſſarij, Curiones, Maiores, & Præſides. 2.282.4
Vnctio ſacra confertur Baptiſmate, Confirmatione, & Extrema vnctione. 1.263.743
Vnctionibus pędictis abutuntur Malefici. Ad quid. tom. 2.ibi.744
Vnguentorum qualitas, quibus malefici vtuntur. tom. 1,270.770
Vnguentum, ſeù balſamum ab Auctore compoſitum. 2.101.337
Vtile eſt ad ſalutem quod actu eſt cauſa alicuius boni, & non eſt occaſio alicuius peccati, nec impedit maius bonnm. 2.272

FINIS.

MONITVM AVCTORIS
AD TYPOGRAPHOS, ET BIBLIOPOLAS.

CVM multoties maximo Scriptorum grauamine eorum opera ob reprehenſibiles Impreſſorum, Bibliopolarumque errores, qui ſecundùm Virgilij dictum: [Quidnam mortalia pectora cogis, auri ſacra fames?] temporali lucro potiùs, quàm catholico zelo impulſi iam impreſſa volumina iterum ſine Auctoris conſenſu typis mandare tentauere, ſuſpenſioni obnoxia extitiſſe contigerit; caueant prædicti impreſſores, nec opus hoc ALEXICACON inſcriptum ſine alicuius periti Theologi ad ipſius correctionem aſſiſtentia, qui aliquorum annorum ſpatio arti Exorciſticę incubuerit, iterum pręlo mandare præſumant. Vè enim illis: quia non ſpernenda vltio propter aperta pericula, quibus ſe manifeſtè exponerent, immineret. Cum enim hoc in opere de rebus tantùm ad catholicam fidem ſpectantibus peragatur, ab ea declinare facillimum erit, maximè quia talis error non vno dicam verbo; ſed vna duntaxat ſyllaba, quæ ipſam totaliter, aut partialiter ſaltem negare poteſt, perpetrari valeret; & tunc non de proprio tantùm, verùm de aliorum etiam errore, qui doctrinæ illi adeò falsè expoſitæ legendo forſitan adhærerent, culpabiles redderentur: quapropter Sanctæ Inquiſitionis Magiſtros ad tale opus, aliaue ſimilia ſuſpendenda iure promouerent. Caueant inquam: quia tunc etiam tanquam publici boni perturbatores, præſentiſque operis ad obſeſſorum, ægrotorumquè ſolatium ordinati efficaciæ impeditores in conſcientiæ foro culpabiles eſſent, & ad illata tot pauperibus damna reſtauranda tenerentur. Hoc vnum denique ſciant, quòd non mei negotio ductus (non enim de mea re ageretur) hoc monitum exhibeo; ſed vt diuinæ vltionis telum ipſi effugere valeant, à quo vt Deus Optimus Maximus nos defendere degnetur, exoremus. Valete.

FINIS.

MONITVM AVCTORIS
AD TYPOGRAPHOS, ET BIBLIOPOLAS.

CVM multoties maximo Scriptorum grauamine eorum opera ob reprehenſibiles Impreſſorum, Bibliopolarumque errores, qui ſecundùm Virgilij dictum: [Quidnam mortalia pectora cogis, auri ſacra fames?] temporali lucro potiùs, quàm catholico zelo impulſi iam impreſſa volumina iterum ſine Auctoris conſenſu typis mandare tentauere, ſuſpenſioni obnoxia extitiſſe contigerit; caueant prædicti impreſſores, nec opus hoc ALEXICACON inſcriptum ſine alicuius periti Theologi ad ipſius correctionem aſſiſtentia, qui aliquorum annorum ſpatio arti Exorciſticę incubuerit, iterum pręlo mandare præſumant. Vè enim illis: quia non ſpernenda vltio propter aperta pericula, quibus ſe manifeſtè exponerent, immineret. Cum enim hoc in opere de rebus tantùm ad catholicam fidem ſpectantibus peragatur, ab ea declinare facillimum erit, maximè quia talis error non vno dicam verbo; ſed vna duntaxat ſyllaba, quæ ipſam totaliter, aut partialiter ſaltem negare poteſt, perpetrari valeret; & tunc non de proprio tantùm, verùm de aliorum etiam errore, qui doctrinæ illi adeò falsè expoſitæ legendo forſitan adhærerent, culpabiles redderentur: quapropter Sanctæ Inquiſitionis Magiſtros ad tale opus, aliaue ſimilia ſuſpendenda iure promouerent. Caueant inquam: quia tunc etiam tanquam publici boni perturbatores, præſentiſque operis ad obſeſſorum, ægrotorumquè ſolatium ordinati efficaciæ impeditores in conſcientiæ foro culpabiles eſſent, & ad illata tot pauperibus damna reſtauranda tenerentur. Hoc vnum denique ſciant, quòd non mei negotio ductus (non enim de mea re agereſtur) hoc monitum exhibeo; ſed vt diuinæ vltionis telum ipſi effugere valeant, à quo vt Deus Optimus Maximus nos defendere degnetur, exoremus. Valete.

FINIS.